32
2 K
8

Digitized by Google

DICTIONARIUM
CASUUM
CONSCIENTIÆ
E GALLICO IDIOMATE
LATINE REDDITUM.

A – I

Digitized by Google

DICTIONARIUM
CASUUM
CONSCIENTIÆ,

Quos ſecundum Moralis principia, Eccleſia-ſticæ Diſciplinæ Conſuetudines,

CONCILIORUM, ET CANONISTARUM

AUCTORITATEM,

ET REGNI JURISPRUDENTIAM

Domini Quondam

DE LAMET ET FROMAGEAU

Sorbonicæ Familiæ & Societatis Doctores deciderunt,

E GALLICO IDIOMATE, QUO PARISIIS PRODIIT,

LATINE REDDITUM.

In ſupplementum Dictionarii Viri Clariſſimi Domini JO: PONTAS.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS, MDCCLIII.

Apud ANTONIUM BORTOLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

[illegible]

M U [illegible]

[illegible]

[illegible]

= 967

[illegible]

PRÆFATIO.

QUid propoſitum ſit in vulganda hac Collectione Conſcientiæ Caſuum, de quibus præſtantiſſimi Viri *de Lamet*, & *Fromageau* deciſiones ſuas ediderunt, facile apparet; ſcilicet utilitas publica, quam inde magnopere augendam pro certo habemus, cum Viros duos inter Doctores Sorbonicos longe clariſſimos, & inter ejus temporis Caſuiſtas facile principes auctores habeat, qui judicia ſua nonniſi naturalis juris, ſacrarum Litterarum, & Traditionis graviſſima auctoritate firmarunt, adeoque nihil caſu dictum, nihil non demonſtratum, & firmiſſimis regulis nixum poſuerunt. Collectionem hanc in Dictionarii formam tradere libuit ad ejus imitationem, quam in re non diſſimili Clarus Vir Pontas tribus Voluminibus in folio publici juris fecit maxima jampridem omnium utilitate. Cæterum ordo Alphabeticus in hoc operum genere videtur aptiſſimus, & uſui imprimis utilis. Hujus quidem Operis ſpecimen extitit in Volumine in VIII. typis edito Pariſiis an. 1714. hoc titulo: *Reſolutiones Caſuum Conſcientiæ ad Moralem, & Diſciplinam Eccleſiæ ſpectantium Auctoribus de Lamet, & Fromageau*; & in hac Collectione præſtamus, quod promiſimus, nempe nos plura alia Volumina illi ſimilia daturos, & ſi id ſerius facimus, ſatis nos facturos ſperamus ordine, qui in hoc Dictionario ſervabitur, rerum delectu, numero graviſſimarum quæſtionum, quas nondum Caſuiſtæ dijudicarunt, copia, & firmitate rationum, quibus deciſiones nituntur, ſtili denique perſpicuitate, & puritate. Ad clariorem porro Caſuum intelligentiam cuique generi præmiſimus Diſſertationes amplitudine reſpondentes principiis, quæ ſtatuenda erant, ut res clarius paterent, & diſtinctius perciperentur. Cujuſque Caſus initio præpoſitum eſt id, de quo agitur, & varia reſolutionum puncta; ut uno quaſi intuitu perſpecta habeatur univerſa in caſu diſputatio.

Hadrianus Auguſtinus *de Buſſy de Lamet* prior clarorum Auctorum, quibus hanc Collectionem debemus, ortus eſt perilluſtri Familia Agri Bellovacenſis in Picardia. Hujus familiæ auctor fuit filius natu minor familiæ *de Neuville*, cui contigit Pagus *de Lamet* in Belgio; quod in cauſa fuit, ut inde nomen ſumeret, ſuiſque poſteris in cognomen traderet: retinuit tamen originis ſtemmata, auri ſcilicet, & purpuræ cum ſydere cæruleo; ſed quidam hujus familiæ *de Lamet* an. 1096. Godefridi

Bullionis ſacrum vexillum ſecutus, & a Terra Sancta reverſus eadem mutavit aliorum plurium Gallorum exemplo, ſumpto inſigni purpureo zona argentea ſecto, & ſex crucibus decuſſatim ad pedem confixis ornato.

Ab hoc religioſo Viro per varios gradus originem duxit Robertus Dominus *de Lamet*, qui an. 1212. Balduini Belgii, & Hagnavi Comitis Orientis Imperatoris Armiger fuit. Robertus hic uxorem habuit Joannam *de Boſſut*, & ex ea filium Anguerrantium Dominum *de Lamet*, qui an. 1248. ſupremum diem obiit in obſidione Damaſci in Syria, poſt nuptias cum Maria *de Guerret* filia Hennechini *de Guerret* Equitis, cui filius Ancellinus Dominus *de Lamet* Conſiliarius, & Cubicularius *de Guy* Comitis Belgii. Ancellinus uxorem duxit Franciſcam Lucemburgicam, ex qua illi ortus eſt Anguerrantius Dominus *de Lamet*, & Sancti Martini in Arteſia, interemptus an. 1415. in prælio Rincurti, in quo familiæ Neivillienſis vexillum ferebat: quod inde ductam familiam *de Lamet* ſatis probat. Conjux ei fuit Joanna *d'Apremont*, & filius Petrus Dominus *de Lamet*, & Sancti Martini, cui ex Ægidia *de Waincourt*, alias *Watel*, nata eſt Joanna *de Lamet*, nupta die 5. Junii an. 1440. Guillelmo *de Lignieres* Domino *de Donfront*, & Antonius *de Lamet*, ex quo univerſa familia ortum traxit.

Antonius hic princeps fuit inter Armigeros Caroli Comitis *de Charolois*, qui defuncto Philippo patre Dux Burgundiæ fuit; ab hoc Principe inſtitutus eſt Moderator Turris in Atrebatenſi Comitatu; Antonius vero poſt Caroli mortem ſeſe Ludovico XI. Regi Francorum dedidit, a quo Conſiliarius, & Cubicularius, Præfectus Lentii in Arteſia, Auguſtoduni, & *de Moncenis* in Burgundia, Dux Urbis, & Turris Avaricenſis, & Legatus in Ducatu Bituricenſi inſtitutus eſt. Rex eum tanti fecit, ut arbitrum delegaverit quæſtionum cum ſummo Pontifice de Comitatibus Segalaunenſi, & Dienſi, quas Antonius abſolvit ex partium voto.

Carolus etiam VIII. Ludovici XI. filius, & ſucceſſor eum ſua benevolentia complexus eſt, & de Regno optime meritum in ſuis omnibus dignitatibus, officiiſque retinuit. Fato functus eſt Ambiani 22. Decembris 1494. & tumulatus in Prioratu Sancti Dionyſii, cum, ut ex ſepulchri inſcriptione conſtat, Ambiani Præfectus eſſet.

Antonius hujus nominis primus conjugium inierat an. 1460. cum Jacobina *de Hennecourt* opulentæ Familiæ, cujus hæreditas ad illam omnino devenit: Sed quoniam filiorum aliquem nomen, & ſtemma ſumere neceſſe erat, Jacobus *de Lamet* natu major nomen ſumpſit *de Hennecourt*, & propterea hujus amplæ, & opibus affluentis ſtirpis hæres evaſit. Ad plures abiit 14. Junii 1541. & in Eccleſia *de Hennecourt* ſepultus eſt, ubi ejus Epitaphium extat. Ab eo fuerunt, qui *de Hennecourt*, *de Bournon ville*, *de Condeville*, &c. dicti ſunt. Ejus filius natu minor Antonius, qui nomen *de Lamet* retinuit, Avarici natus eſt 17. Junii 1479. fuit Dominus Pleſſiaci ad Sanctum Juſtum, & Sancti Remigii in *Eave*, Conſiliarius, & Magiſter Palatii Regis Franciſci Primi, & Cuſtos generalis Ærarii in Provinciis Picardiæ, Campaniæ, & Briæ Francicæ, & Legatus ad Helvetios an. 1522. Atavus fuit Caroli *de Lamet* ſecundi hujus nominis, Comitis *de Buſſy*, & Domini *de Pleſſier*, Præfecti Urbis, & Arcis Maceriæ, & Ducis cohortis Equitum levis Armaturæ ad Regis cuſtodiam, qui ſtrenue ſe geſſit in Anglorum clade

in

in Inſula *de Re* an. 1627. Ejus deinde virtus eluxit in obſidione Confluentiæ, & Ehrembreiſteinii Caſtri per duos annos, & menſes tres ſuſtinenda, neque has Urbes hoſtibus dedidit vel utili conventione, niſi commeatus ſubſidio deficiente. Quapropter Rex, cum ejus recte facta probe noſſet, redeuntem excepit perhonorifice, exercituique præfecit, quem in ſubſidium Duroni Veromanduorum coegerat, ubi in obſidione an. 1637. occiſus eſt, quo tempore Rex eum militari baculo decorare ſtatuerat, ut jam ſignificaverat. Uxorem duxerat Joannam *de Duras* filiam Joannis Dynaſtis *de Marigny*, & Franciſcæ *Bouton*, ex qua plures filios habuit.

Tertius Antonii primi filius nomine Claudius *de Lamet* Boreperii, & Malebodii dominus fuit, Rector, & Dux *de Longny*, & *de Meun* ad Ligerim, unus ducentorum Virorum Nobilium Familiæ Regis Franciſci Primi, atque in Italiæ bellis Miniſtri Generalis munere functus eſt. Avus fuit Ludovici *de Lamet* equitis Melitenſis, & Proavus Auguſtini *de Lamet* Marchionis *de Baule*, Magiſtri Generalis Exercitus Regii, Rectoris Durlendii, Patris Dominæ quondam Duciſſæ *de Charoſt*, fato functæ die 12. Novembris 1712. ætatis an. 51. Fuit Auguſtinus hic frater natu major Doctoris, quo de loquimur, qui an. 1621. natus eſt. Carolus *de Lamet* ejus Pater nihil reliqui fecit, ut ejus inſtitutio generis nobilitati reſponderet: Sed cum ejus animus ad profana negotia omnino non propenderet, a teneris, quod dicitur, unguiculis de Eccleſiaſtico ſtatu cogitare cœpit, in ſcientiis magnos brevi progreſſus fecit, evaſit idoneus Philoſophus, profundus Theologus, doctrinaque, & pietate adeo excelluit, ut dignus haberetur, qui inter Doctores Familiæ, & Societatis Sorbonæ cooptaretur die 31. Octobris 1646. Subſequenti anno ad charitatem ſuam erga detentos in Magni Carceris vinculis exercendam electus eſt, quo in munere anni ſpatio magna cum utilitate verſatus eſt, ſuæque de animarum ſalute ſollicitudinis inſignia dedit ſpecimina. An. 1648. die 24. Martii declaratus eſt Sorbonæ Prior, & 31. Maii Doctoris Lauream adeptus eſt.

Quoniam vero Licentiæ ſuæ tempore profunda eruditione, & morum integritate multum præſtiterat, Cardinalis *de Retz* Coadjutor Eccleſiæ Pariſienſis, cui ſanguine conjunctus erat, eum ſibi copulavit. Dominus *de Lamet* ab hujus Cardinalis latere nunquam diſceſſit in adverſis ejus rebus, æque atque in proſperis. Ei comes fuit in Angliæ, Hollandiæ, Italiæque itineribus; in quibus ſibi ſapientum omnium æſtimationem, & neceſſitudinem comparavit. Denique peregrinationum tædio affectus, nihilque aliud, quam ſuam ſalutem animo verſans Lutetiam Pariſiorum rediit, ut ibi tranquillius viveret, & Sorbonæ Domum ſibi delegit, ut ibidem melius orationi, & ſtudio vacaret. Dominus *de Sainte-Beuve*, qui Domini *de Lamet* probitatem, & ingenii præſtantiam optime noverat, eum diutius optata tranquillitate frui non eſt paſſus. Cum porro ille magnopere occupatus eſſet in reſponſionibus ad conſultationes undique delatas ſuper Conſcientiæ, Moralis, & Diſciplinæ Caſibus ab Epiſcopis, Capitulis, Curatis, Religioſis, Principibus, Magiſtratibus, & cujuſvis generis hominibus, Dominum *de Lamet* ſibi ſocium adjunxit, nullamque controverſiam niſi eo conſulto diremit. Id in cauſa eſt, ut omnes Domini *de Sainte-Beuve* Deciſiones etiam Domini *de Lamet* nomen præferant.

Poſte-

Poſterioris hujus Doctoris humanitas in iis excipiendis, qui ejus conſilio indigebant, conjuncta cum ingenita facilitate, quæ omnes ejus actiones comitabatur, eidem haud longo temporis ſpatio innumerabilium omnis ætatis hominum animos conciliavit. Perraro Chriſtianæ prudentiæ dono præditus illuſtre apud omnes nomen egregiis dotibus adeptus eſt, & ſemper a fucati amici, aut mollis aſſentatoris nota ſibi cavit. Cum ſibi minime plauderet, dexteritate, experientia, docilitate, atque urbanitate minorum obſequium, æqualium æſtimationem, magnorum Virorum neceſſitudinem ſibi promeruit. Haud erecta Doctoris cathedra, docuit egregia vitæ ratione; veritatem in deliciis habuit, atque in omnibus deciſionibus eam tantum conſuluit. Confugiebant ad eum Prælati in negotiis ad eorumdem Diecœſes ſpectantibus: ejus conſilio probi Viri ad disjiendos ſcrupulos utebantur; certiſque regulis nixus, ut mediam viam inter exceſſum defectumque teneret, ut fucatum zelum a vero ſecerneret, utque ruſticitatem in hoc rerum genere tantopere pernicioſam effugeret, ſępe noctes duxit inſomnes, quo litteris ad ejus ſententiam in Conſcientię negotiis cognoſcendam ad ipſum delatis faceret ſatis. Diurnas quoque curas impendebat in charitatis operibus, quæ ejus præſentiam requirebant, modo in Religioſarum Monaſteriis, quibus præerat, adminiſtrandis, modo in ſpirituali, ac temporali ſubſidio præſtando ingenti egenorum Diſcipulorum numero, quos ille doctrina imbuebat, & pro merito, atque ingenii viribus inſtituebat, modo in iis, qui extremo ſupplicio addicti erant, ad mortem alacriter ſubeundam extimulandis.

Tantam vitæ probitatem Deus compenſavit morte in ejus conſpectu pretioſa die 10. Julii *1691*. cum annos 70. natus eſſet. Sepultus eſt in Sorbonæ Sacello. Extrema ille animi ſui ſenſa aperuerat Domino *Fromageau* ſibi neceſſitudine devincto, cujus etiam deciſiones in hac Collectione exhibemus, eumque rogaverat, ut ea executioni mandaret, ſuoque nomine in Sorbonicæ Familiæ Conventu veniam peteret, ſi quid forte ſcandali Collegis ſuis attuliſſet. Reliquit teſtamento non mediocre patrimonium ad pauperum ſubſidium, atque ornamentum Eccleſiæ Prioratus, quem obtinuerat, S. Martini Brivæ, cui Galliardo nomen, in Provincia Lemovienſi.

Germanus *Fromageau* ortus eſt Pariſiis honeſto genere, Familiis pluribus opulentis affinitate conjuncto. Confectis magna cum laude ſtudiorum ſuorum curriculis, ſtatim a Licentia in Familia, & Societate Sorbonæ receptus eſt die *9*. Auguſti an. *1661*. & Doctoris Laurea inſignitus Aprilis die 24. an. *1664*. Quamdiu vixit, non niſi ſtudiis, atque orationi operam dedit. Juvandis ad mortem damnatis deſtinatus ita ſemper hoc laborioſo munere functus eſt, ut magnæ ſollicitudinis, atque extremæ charitatis ſpecimina exhiberet. Eccleſiaſticas dignitates a Prælatis non paucis oblatas reſpuit, & cum præcipuum ſtudium ad moralem contuliſſet Theologiam, quam e Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum purioribus fontibus hauſerat, ſuffectus eſt Domino *de Lamet* in dirimendis Conſcientiæ Caſibus, de quibus undique tum intra, tum extra Galliarum Regnum conſulebatur. Atque in hoc quidem perutili munere diem ſuum obiit 7. Octobris 1705. & in Sacello Ædis Sorbonicæ, non ſecus ac Dominus *de Lamet*, humo traditus eſt.

His

His adeo certis, ac perſpicacibus Ducibus, difficile admodum fuerit a recto tramite in dirigendis animis aberrare, modo eorum principiis inſiſtere, ſenſa & mentem aſſequi libuerit. Eſt quidem immutabilis morum regula, ſed opinionum tamen varietas, quas ingens Caſuiſtarum agmen invexit, duobus præſertim ab hinc ſæculis, moralem ſcientiam ſalebroſam reddidit, atque adeo eorum plerique effatis Evangelii, Auctorumque, qui illud accuratius evolverunt, ſua ipſorum præjudicia, falſaſque doctrinas ſubſtituere non ſunt verecundati. Quæ hominum natura eſt, ut id ſemper arripiant, quod corruptæ propenſioni aſſentatur, magna proinde in æſtimatione laxatæ eorumdem deciſiones habitæ ſunt. Illorum opiniones perperam editæ ſæpenumero temere receptæ ſunt, atque ita quod non ſine horrore reſpuendum fuiſſet, id auctoritate donatum, probatum, prædicatum fuit cum veræ Moralis incommodo, quæ quidem alia eſſe non poteſt, quam quę a Chriſto Domino, & Sanctis Viris & verbo & factis tradita eſt. Verum enim vero quicumque ſapit, fateatur neceſſe eſt deciſionem temerariam, & multo magis deciſionem falſam, in Conſcientiæ negotiis, non raro innumeris pravis actionibus anſam præbere poſſe. Fideles hac ratione oneribus, officiiſque, quæ ipſis haudquaquam congruunt, ſubduntur, atque in pluribus, a quibus avertendi eſſent, omni ſcrupulo liberantur; plura ſinuntur agere, a quibus eos abſterreri oporteret, & tramiti inſiſtere, quem Chriſtus Dominus minime oſtendit; & in quo, qui ab eo ſunt, eſſe non poſſunt. Ipſis proponitur falſa tranquillitas in eo vitæ genere, in quo perturbatio mirum in modum eſſet utilior, ac nemo unus animum refert ad hanc ſervandam Sapientis regulam Eccl. cap. 5. *ſi eſt tibi intellectus, reſponde proximo; ſint autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris.*

Errorum, qui in Morali paſſim occurrunt, quærendi non ſunt fontes alii, quam animi pravitas; non alia de cauſa molliores opiniones probantur, niſi quod appetuntur ea, a quibus ſeveræ nos opiniones abducerent: ac ſi eæ non probantur in noſtram ipſorum gratiam, in aliorum gratiam probantur. Nolumus iis moleſti eſſe, qui nos conſulunt, inquit Magiſter Nicolaus, quoniam id quoddam eſt eorum bonæ erga nos opinionis genus, quod minime odio eſt. Inter eos ex. c. qui a confeſſionibus ſunt, admodum paucos reperias, qui expreſſa deciſione velint auctoritatem afferre ſaltationibus, Comœdiis, Romanenſibus Fabulis, rationi adeo inverecundæ, qua ſe Mulieres ornant in præſens, uſui, qui vulgo fieri ſolet, bonorum Eccleſiæ, rationibus ſæpe Simoniacis, quibus Eccleſiaſticæ Dignitates quæruntur: quia tamen plurimi ſunt, qui non profligati animi videntur eſſe, qui nullum in ejuſmodi rebus ſcrupulum ponunt, verendum eſt, ne ſint Confeſſarii, qui nihil habeant, quod reponant, & ab eiſdem rebus abſtinendum eſſe non putent. Cedo mihi animum officii ſui memorem, qui humilitatis pręſtantiam agnoſcat, qui ſentiat, quam grave ſibi pondus afferant temere prolata conſilia, qui malit in tuto eſſe, quam ab hominibus conſuli, qui denique timeat, ubi timendi cauſa: is haud ęgre veritates has non niſi pervicacibus mentibus creditu difficiles amplectetur.

Ad hujuſmodi porro ſenſa animis inſpiranda in pręſentia eduntur in lucem Deciſiones hę Doctorum duorum illuſtrium ſuper pręcipuis Mo-

Moralis Chriſtianæ capitibus; non alia illis fuit ſcribendi cauſa, quam ut Eccleſiæ prodeſſent, & purioribus ſacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum ſententiis addiderunt auctoritatem Juris Canonici, & firmiora Juris Civilis propoſita, quæ ſunt emanationes quædam legis æternæ, quam Deus in cordibus noſtris altius impreſſit; & difficultates omnes magna cum puritate, & ſine ambiguitate diſſolvunt. Itaque ſperare juvat, eos omnes, qui ſincera tum propriæ tum alienæ ſalutis cura tanguntur, difficultatum ſuarum ſolutionem certo quærere poſſe in Opere, quod nihil continet non fidei principiis, bonorum morum regulis, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſentaneum.

Sed optare quidem, non tamen ſperare licet id Operis iis profuturum, in quibus vetera præjudicia, aut pravis opinionibus adhæſio pertinax videntur Moralis Chriſtianæ guſtum extinxiſſe, ut nequam homines in pravorum habituum veterno detineant: ad aperiendos ſcilicet ejuſmodi cæcis oculos opus eſſet divinæ gratiæ miraculo. Si enim conveniat neceſſe eſt, quod D. Auguſtinus docet, animum quodammodo fieri, quod amat: qui fieri poterit, ut corda, quæ omnino terreſtria, & carnalia evaſerunt, Chriſtianæ Moralis puritatem ſentiant, & doctrinis, quibus eorum cupiditas damnatur, ſeſe conforment?

Ii vero, quos Dei ſpiritus informat, qui recto tramite incedentes, actionum ſuarum bonitatem, aut pravitatem ad fidei regulas exigunt, quique intereſſe plurimum reputant inquirere, & cognoſcere, cujuſmodi ſit hæc morum regula, ne ſe decipi patiantur, & pro bono malum amplectantur: ſperare lubet, fore, ut expendentes Reſolutiones has, quibus omnis fere Moralis materia, & magna ex parte ea, quæ diſciplinam ſpectat, continetur, facile ſibi perſuadeant, veritatem eſſe unam & unicam morum regulam; quandoquidem in humanis actibus quod non eſt vere bonum, neceſſario malum eſt, magnam licet veri ſimilitudinem, & boni ſpeciem eidem afferant hominum opiniones, & conſuetudo.

Illud etiam intelligent, divinam Legem, a qua veritas hæc ſejungi nequit, immutabilem humanarum actionum regulam eſſe, & quocumque tandem ſenſu accipiatur, pravos eſſe hominum actus, ſi a vera ejus notione, atque ut in ſe ipſa eſt, ſint diſſentanei, quemadmodum e converſo neceſſario rectos eſſe, ſi eidem conformes ſint.

Hoc fere principio nituntur Auctores noſtri, ut difficultatibus ſibi propoſitis occurrant, ſed ita ut a Sacris Litteris, Traditione, Conciliorum, ſummorumque Pontificum decretis, ſanctorum Patrum doctrina, celeberrimorum Theologorum, & doctiſſimorum Jureconſultorum auctoritate ne latum quidem unguem recedant. Videntur illi Evangelicæ Morali priſtinam pulcritudinem, veteremque ſplendorem reddere; diſijciuntque eorum omnium perfugiorum nubes, ac tenebras, quibus amor proprius ſeſe tuetur; magna cum perſpicuitate obſcuriores ſacræ Scripturæ textus elucidant; amandant ab humana ſocietate injuſtitiam, uſuramque; ſimoniam ab Eccleſia, reſidentiæ defectum in iis, qui Beneficiis potiuntur, & bonorum Eccleſiaſticorum præpoſterum uſum proſcribunt. Officia omnia illius Sacramenti, quod D. Paulus appellat magnum in Chriſto, & in Eccleſia, ad trutinam revocant. In medium afferunt habita ratione temporis antiquos Conciliorum Canones, & gravia eorumdem decreta. Eccleſiaſticarum Cenſurarum prudentem uſum in Galliis fieri ſolitum ſapienter exponunt. Pias animi præparationes, quibus adminiſtranda, &

reci-

recipienda ſunt ſacramenta, magnopere commendant. Late fuſeque ſpargunt ſolidæ ac ſplendidæ ſcientiæ ſalubres aquas, inter laxitatem, & immodicam ſeveritatem media via incedentes. Uno verbo in pluribus reſponſis ſatis ſignificant ſe tam externum, quam internum forum ob oculos habuiſſe; ac ſi ob Theologicarum opinionum diverſitatem ſuper Conſcientiæ regulis ſtatui omnino non poteſt, quicquid illi in ſuis Deciſionibus poſuerunt, eſſe prorſus indubitatum, illud tamen affirmare licet, nihil ab iis proponi, quod non probabilius ſit, ac tutius, dignumque propterea, quod probetur. Cum de dijudicandis peccatis agitur, inquit D. Auguſtinus, *non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, arbitrio noſtro, dicentes; hoc grave, hoc leve eſt. Sed afferamus divinam ſtateram de Scripturis Sanctis, tanquam de theſauris Dominicis; & in illa, quid ſit gravius, appendamus . . . . immo non appendamus, ſed a Domino appenſe recognoſcamus*. S. Auguſt. lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. *6*.

APPROBATIO.

LEgi de mandato Domini Cuſtodis Sigilli *Dictionarium Caſuum Conſcientiæ deciſorum* &c. *per quondam Dominos de Lamet*, *&* *Fromageau*. Qui ad animarum ſalutem pro munere incumbunt, poterunt meo quidem judicio admodum utiliter eo uti. Deciſiones, quas in eo reperient, ſunt rationi conſonæ. Satis illæ teſtantur opinionem, quæ etiamnum viget, ſollicitudinis, eruditionis, atque animi rectitudinis illuſtrium duorum Doctorum, qui eas tradiderunt.

Factum in Sorbona die 30. Decembris an. 1732.

De Lorme.

ABBATIA.

CASUS PRIMUS.

1 *Prior Abbatiæ morte Abbatis Regularis, qui eum ad hoc officium nominaverat, ſuam poteſtatem amittit.*

2 *Quod egit ut Prior, cum nitatur titulo colorato, & eorum ſilentio, qui alium ſufficere poterant, ratum, & validum eſt.*

3 *Epiſcopus, qui Abbatiam hanc adminiſtrat uſque ad Abbatis Regularis electionem, poteſt Priorem hunc aut retinere, aut amovere.*

QUidam Religioſus Abbatiæ, cujus Abbas eſt Regularis, ab eodem Abbate in Capitulo canonice electus in Priorem fuit. Electio hæc viginti ab hinc annis peracta eſt abſque ulla temporis reſtrictione. Quinque, aut ſex poſt annis, Abbate vita functo, Cardinalis in ejus locum ſuſſectus eſt; qui quidem nullam Priori novam poteſtatem contulit, neque eum nominavit, neque in Priorem eligendum curavit, ſed eum per annos quindecim id muneris obire perſpectum habuit, quin aliquid objiceret: econtra Vicarii litteras eidem obtulit ad ſpiritalem Abbatiæ curam; ſed eas Prior reſpuit diſertis verbis aſſerens ſe non poſſe eaſdem tuta conſcientia acceptare, quod iis ſe indigere minime judicaret. Notatu dignum eſt inter hunc Cardinalem, & hujus Abbatiæ Religioſos lites acerrimas interceſſiſſe, quo quidem tempore nunquam dubitatum eſt, eum, de quo ſermo eſt, revera Priorem eſſe. Ipſum Magni Conſilii Reſcriptum eos ita compoſuit, ut apud illum jura, & prærogativæ Prioris remanerent. Nihilominus paulo poſt cum quidam negotium expendiſſent, & comperiſſent Religioſum hunc nec a Cardinali Priorem declaratum fuiſſe, neque ab Epiſcopo Diœceſano, qui hujus Abbatiæ immediatus ſuperior eſt, confirmatum, de ejus jure, & validitate omnium actuum, quos ediderat defuncto Abbate Regulari, a quo Prior nominatus fuerat, dubitare cœperunt. En eorum rationes.

Ajunt 1. Veriſimile eſſe officium ab Abbate collatum per ejus mortem vacare, & reipſa vacante Abbatia Commiſſarium ab Epiſcopo Superiore immediato miſſum nominaſſe eumdem Priorem, & alios Religioſos ad temporalem & ſpiritalem adminiſtrationem, commiſſionem autem ceſſare, ſtatim ac Abbatialis ſedes occupata eſt, & nulla amplius auctoritate pollentibus Collegis Priori additis, poſtquam novus Abbas poſſeſſionem adivit, Priorem ipſum omni jure excidere, novamque facultatem accipere debere, ut in officio perſiſtere poſſit, electionem & nominationem accipiendo a Cardinali recens ſuffecto, & quoniam id non præſtitit, non cenſeri amplius Priorem eſſe, & proinde omnia, quæ hoc titulo egit, Inveſtituras, Profeſſiones, Abſolutiones, Confeſſariorum Approbationes &c. nulla eſſe.

Addunt ſecundo loco, mandatum ab Epiſcopo receptum ad Abbatiam in ſpiritalibus adminiſtrandam vacationis tempore ſatis oſtendere eum non amplius Priorem fuiſſe; ſi enim fuiſſet, ejuſmodi mandato minime opus habuiſſet.

Ad extremum dicunt, cum idem Cardinalis aliam Abbatiam in eadem Diœceſi obtineret, ejus Abbatiæ Priorem rurſus ab Epiſcopo confirmatum fuiſſe, tradita facultate ad regimen neceſſaria. Id ergo omnino requiritur, quod cum in eo, de quo conſulitur, deſideretur, efficit, quicquid egit, ſaltem maxime dubium, cum poteſtatis defectus ſit longe graviſſimus.

Magnus Prior in ſui gratiam repoſuit.

I. Electionem ſuam in capitulo peractam eſſe coram Abbate, qui eidem præerat, nec unquam vel ante, vel poſt ejus mortem reſciſſam eſſe; id vero annorum viginti poſſeſſionem ſibi conferre.

II. Abbate e vivis ſublato, nullam proſus electionem factam fuiſſe; cum ſiquidem, qui officium obtinet, in adminiſtratione perſtitiſſe.

III. Prioris nominationem non ab Abbate ſolum, ſed ab Abbate ſimul, & Congregatione pendere; ac ſi Abbatis Cardinalis loco Abbas Regularis creatus eſſet, eum nec Prioris poteſtatem ſibi renovare, nec ſine juris cauſis adimere potuiſſe. Denique ſi Regularis Abbas nuper defunctus Magnum Abbatiæ ſuæ Priorem ad alium Prioratum tranſtulit, id ea de cauſa factum fuiſſe, quod hic Magnus Prior, cui cum Abbate minime conveniebat, id probavit, ac vero voluit.

IV. Si vacante Abbatiali Sede, Commiſſarius Epiſcopi Priorem nominavit, ut iis præeſſet, qui a ſpiritalibus ſunt, id eum feciſſe ad plenitudinem quamdam juris, quod cum neceſſarium omnino non ſit, juri jam acquiſito derogare non poſſe; peculiari quippe conſuetudine alicujus Diœceſis, cujus Epiſcopus Miniſtros nominat, aliqua vacante Abbatia, Prioris jus Tridentinæ Synodi decreto firmatum tolli non poſſe. Horum enim Miniſtrorum nominatione Prioris officium re ipſa non vacare, nec vero vacare cenſeri, niſi cum Prior illud abſolvit, aut ab eo removetur, aut cum Abbatiæ præficitur Regularis Abbas, qui defuncto ſubſtituitur; cum enim eorum ſen-

tentia, qui Cardinales ad omnes Ordines pertinere putant, Magni Conſilii auctoritate proſcripta ſit, cjuſdem Conſilii vi oportere, ut in Monaſterio Prælatus exiſtat, qui ſpiritalium curam habeat, quod in Cardinalem omnino non cadit.

V. Demum licet his omnibus rationibus nihil ineſſet ponderis; poſſeſſione annorum viginti neceſſario ratum, & validum fieri, quicquid Prior, ut Prior, egit; Priorem ipſum ea de re nunquam dubitaſſe, Religioſos, & Epiſcopum nihil oppoſuiſſe: quinimmo ſemper Superiorem habitum fuiſſe.

Id cum ita ſe habeat, quæritur.

I. An hujus Religioſi in Magnum Priorem electio ab Abbate, & Capitulo canonice facta, & quæ nunquam revocata eſt, poſt Abbatis Regularis mortem perduret: cum Epiſcopi Commiſſio, ut Prior vacationis tempore Abbatiam adminiſtraret, dubio procul non amplius ſubſiſtat, nec Cardinalis, qui Abbatiam poſſidet, Priorem hunc aut rurſus nominaverit, aut confirmaverit.

II. An quod ab eo factum eſt Prioris titulo, ratum, validumque ſit.

III. An, ut ſe prorſus in tuto ponat, novam electionem petere debeat: quod non vacaret incommodo, atque in cauſa eſſe poſſet, cur juniorum Religioſorum aliqui haud ſua ſorte contenti Profeſſionis ſuæ validitatem in dubium revocarent; an vero non ſaltem opus eſſet Epiſcopum Magni Vicarii facultatem eidem conferre, ut eam re ipſa illi clam contulit, poſtquam hæc controverſia agitari cœpta eſt.

IV. Denique quid Conſcientiæ Conſilium e re eſſe judicet in hoc negotio ad animorum tranquillitatem, & Monaſterii bonum.

Quod attinet ad exemplum, quod affertur, Abbatiæ, cujus Magnus Prior ab eodem Epiſcopo confirmatus eſt, poſtquam idem Cardinalis eſt ejus Abbas; reſpondetur præteritum Priorem Abbatiæ ſuæ Prioratu ſeſe abdicaſſe, ut alium occuparet, & a Religioſis ſolummodo electum fuiſſe, eaque de cauſa ad Epiſcopum ventum eſſe, ut ejus electio confirmaretur, & quidem abſque Cardinalis auctoritate; quod omnino in hac facti ſpecie locum non habet, cum Prior, de quo quæritur, ab Abbate, & Religioſis canonice congregatis electus fuerit.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet in propoſita facti ſpecie.

I. Magnum Priorem, ut dicitur, Abbatiæ, de qua agitur, nihil habere juris eo titulo ad temporalem, & ſpiritalem Abbatiæ curam; neque enim de hoc Priore idem prorſus judicium ferendum eſſe, ac de Prioribus, quos Conventuales, & Clauſtrales vocant, quorum electio ſuffragiorum majori parte peragitur, & deinde a Superiore confirmatur. Non hic ad examen revocatur ratio, qua Prior idem electus eſt, tametſi ab Abbate Regulari potius, quam a Religioſis electus eſſe videatur: ſed cum Fagnano duo Priorum genera diſtinguuntur; *aliqui ſunt Priores Conventuales, qui a Capitulo canonice eliguntur, & a ſuperiore confirmantur; & hi non removentur niſi ex cauſa, & juris ſervato ordine. Alii vero ſunt Priores minores, qui per electionem canonicam non creantur, ſed Abbas committit eis adminiſtrationem; & tales ſunt ad nutum ipſius Abbatis amovibiles.*

Fagnan ad caput cum ad Monaſterium de ſtatu Mon. num. 24. & ſeq.

II. Non ſolum primi generis Priores canonice electi juriſdictionem ſuam ab Abbate non recipiunt, ita ut, ſi ille e vivis excedat, aut munere defunctus ſit, ſuam facultatem retineant, cum eam habeant a jure; ſed etiam apud Religioſos id vulgo moris obtinet, ut Abbatis vita functi omni prorſus auctoritate gaudeant, niſi exiſtat peculiare jus Ordinis, per quod ea priventur, ut animadvertit Tamburinus: *Quando autem Monaſterium Prælatum Conventualem non habet, puta quia vita functus eſt, vel ſuum munus abſolvit, vel ab eo amotus fuit, aut alias a Monaſterio abeſt; tunc Prioribus Clauſtralibus hujuſmodi tota comparatur auctoritas, & juriſdictio, qua Abbates præſentes potirentur, niſi aliud per particulare jus Religionis, puta per ejus Conſtitutiones, aut Superioris præceptum habeatur: ita enim communiter fere in Religionibus obſervatur.*

Tamburinus Tom 1. Diſp. 1. Q. 4. n. 5.

III. Idem de hoc ſuppoſito Magno Priore dici poteſt, propterea quod in ejus Abbatia peculiare jus obtinet, quod omnem ei poteſtatem adimit, ſtatim atque Abbas occubuit, & quamdiu Sedes vacat. Tunc enim omnis auctoritas ad Epiſcopum A... tanquam ad Superiorem immediatum devenit, ita ut receptum jus habeat, cujus poſſeſſione gaudet, inſtituendi Miniſtros omnino quatuor, qui in temporalibus, ac ſpiritalibus Abbatiam adminiſtrent.

IV. Nihil refert animadvertere in hujus Magni Prioris gratiam, vivente Abbate Regulari nullum alium Priorem electum fuiſſe; poſtquam ab Abbate Commendatario Sedes occupata eſt, eum ſemper in officio, quod annorum viginti ſpatio poſſidet, perſtitiſſe, quin fuerit revocatus; ex quatuor Religioſis, quibus ab Epiſcopo A..... Abbatiæ cura commiſſa eſt, eum Commiſſariis præfuiſſe; atque ejus poteſtatem Abbatis Regularis morte ſublatam non fuiſſe.

Ad hæc enim reponitur, quia munia Prioris obiit utriuſque Abbatis tempore, inde tamen neceſſario concludi non poſſe, id in eo muneris eſſe perpetuum, & irrevocabile; quod ſi Abbates illum in officio retinuerunt, quin alium eligendum curarent, id vero ea de cauſa factum, quod iis ita viſum eſt. Prior hic omnino nequit ex annorum viginti poſſeſſione titulum ſibi arrogare, quo in officio permaneat, atque illud ſibi adimi non poſſe contendat; certum enim, atque indubitatum eſt, quod actus prodeuntes a facultate, qua licet uti pro libito, conſuetudinem ea non utendi, aut diuturnum tempus, quo nullus ejuſdem uſus extitit, ei minime derogare. *Ampliatur concluſio ſuperius firmata*, inquit Fagnanus, *ut locum habeat, non obſtante quod Priores manuales non ſolent revocari; quia cum hoc ſit in facultate Abbatis, ſi non eſt uſus tali facultate, conſuetudo non inducitur, cum in actibus mere facultativis non inducat conſuetudo.* Ex quo fit conſequens, Priorem hunc, licet amovibilem, potuiſſe utriuſque Abbatis tempore in Sede relinqui; ſed facta hypotheſi illum ad nutum amovibilem non fuiſſe, videtur ſaltem propter jus, quod habet Epiſcopus A.... nominandi, qui vacationis tempore Abbatiam adminiſtrent, hujus Prioris poteſtas poſt Abbatis mortem ceſſaſſe.

Fagnanus ut ſupra.

Quod ſi Prior inter eos primum locum tenet, quos Epiſcopus, quem diximus, nominavit ad Abbatiam, quoad Sedes occuparetur, regendam, non inde tamen conficitur, in hoc Priore jus eſſe ad hoc regimen officii ſui vi; immo vero commiſſionem ab Epiſcopo, perinde atque alii Deputati, ad regendum accepit; in Commiſſione autem nihil occurrit, quod ſuppoſitum ejuſmodi jus innuat; omnis auctoritas tunc devenit ad Epiſcopum A..... tanquam ad Superiorem, ut Abbatiam tam in ſpiritalibus, quam in temporalibus adminiſtrandam curaret: Si autem Prior ſibi jus eſſe putat, ut eam cum Epiſcopo, qui imme-

diatus Superior eſt, adminiſtret, jus hoc aliquo legitimo titulo firmare debet; quod hactenus minime præſtitit.

V. Quicquid in ſui gratiam Prior affert ſive ex Conciliis, ſive ex Auctoribus, ponit tanquam certum, ne allata teſtimonia ad trutinam revocentur, ejus Prioratum eſſe Prioratibus aliis Clauſtralibus ſimilem, & nullum eſſe peculiare in Religione firmatum jus, quo Prioris poteſtas per Abbatis mortem tollatur. Jam vero illud eſt omnino certum, hoc in caſu penes Epiſcopum A..... Abbatiæ regendæ jus eſſe, qui proinde ad ejus tum temporalem, tum ſpiritualem curam Religioſos nominat; quod firmo argumento eſt, Prioris juriſdictionem tunc ceſſare. Et ſane Prior hanc Commiſſionem recepit, non ſecus ac alii; quod ſi tanquam Prior ad Abbatiæ regimen jus habuiſſet, Commiſſionem reſpuere debuiſſet, quemadmodum reſpuit Magni Vicarii litteras, quæ ab Abbate Commendatario eidem oblatæ fuerant, affirmans ſe minime iis indigere. Ait ſe Commiſſionem hanc recepiſse ad plenitudinem quamdam juris: potuit igitur ob eamdem cauſam etiam Magni Vicarii litteras acceptare. Sed cum has quidem rejecerit, illam vero abſque ulla obteſtatione acceptarit, Epiſcopi Commiſſionem ad Abbatiæ regimen neceſſariam ſibi viſam eſſe ſatis oſtendit.

VI. Quoniam Abbas Commendatarius, qui Abbatis Regularis Sedem occupat, ſeu quoad ſpiritalia, ſeu quoad temporalia nullam in Religioſos poteſtatem habet, ut conjici licet ex Magni Conſilii Reſcripto, quod inter Abbatem, & Religioſos interfuit; conſequens fit, Abbatiam, ad hanc rem quod attinet, vacare cenſeri, ac penes Epiſcopum A... ejus adminiſtrationem eſſe, ſemperque futuram, quoad Regularis Abbas creetur; neque enim Religioſi Capite carere debent: Sed Epiſcopus A.... tenet Abbatis locum, quoniam Abbatiæ Superior eſt; ad quem proinde Religioſi in ſuis negotiis confugere debent. Prior porro Magni Conſilii Decreto, quo in ſuis juribus, & prærogativis retinetur, adverſus Epiſcopum A... uti nequit, quia ſine illo factum fuit.

His omnibus poſitis, ad ſupplicis Libelli quæſita reſpondetur.

Ad primum. Non temere aſſeri hujus Magni Prioris juriſdictionem, aut poteſtatem Abbatis Regularis morte ceſſare: ita ut vere abſque nova electione Prioris perſonam gerere nequeat, præſertim cum non dicatur, id ei juris per Epiſcopi Commiſſionem ſervatum cenſeri.

Ad ſecundum. Quicquid hac in parte Quæſiti proponitur, ab hoc Priore valide factum cenſendum eſſe, non ſolum quia is egit vi tituli colorati, eo fundamento, nixi, quod ii quidem, ad quos novam electionem inſtituere, aut petere ſpectabat, illum ad hoc uſque tempus in munere perſiſtere voluerunt: verum etiam, quod eſt longe firmius, quia quicquid hic Prior egit, ſpectari debet tanquam factum vi Commiſſionis Epiſcopi A..., quæ nondum ceſſavit, quia vacatio etiamnum durat, duratbitque uſque ad electionem Regularis Abbatis, cui ſoli competit tanquam capiti Religioſorum adminiſtratio tum in ſpiritalibus, tum in temporalibus Abbatiæ.

Ad tertium. Poteſt hic Magnus Prior in ejuſdem Abbatiæ adminiſtratione retineri, ſed ut Epiſcopi delegatus.

Ad quartum. Quemadmodum Epiſcopus A.... poteſt unum, aut plures ad Abbatiam vacationis tempore adminiſtrandam deputare; ita poteſt id omne muneris Priori tantum conferre, ſi ita illi placeat, ac judicet expedire, quoad Abbas Regularis eligatur, qui tum demum videbit in hujus Prioris negotio, cum ne retinere debeat, an alium eligendum curare.

G. *Fromageau*.

ABBAS.

NOn agitur in ſubſequentibus Caſibus, niſi de Abbatibus Regularibus, quo nomine donantur Societatum Monachorum Antiſtites, quos Græci dicunt Archimandritas. Atque Abbates hi, ut etiam eorumdem Monaſteria juxta Chalcedonenſis Concilii ſanctionem tam in Oriente, quam in Occidente Epiſcopis ſubjecti erant. Ad Orientem quod attinet, hujus Concilii canon quartus hac de re legem ſanxit; & quoad Occidentem, idem occurrit in Aurelianenſis primę Synodi canone 21. Concilii Epaonenſis 19. Concilii ſecundi Aurelianenſis 22. Capitularibus Caroli Magni, & can. *Monaſteria* 18. *Quæſt.* 2. Sed omnes hi canones nihil impediunt, quominus tunc temporis extiterint Monaſteria ab Ordinariorum Juriſdictione prorſus exempta; atque ex Carthaginenſi Concilio, quod ab Archiepiſcopo Bonifacio an. 525. habitum eſt, licet intelligi, in Africa Monaſterii Fundatorem, ſi ſacris Ordinibus initiatus non eſſet, Archiepiſcopo Carthaginenſi, aut alii cuivis Epiſcopo, prout ipſi libuerit, illud ſubdere potuiſſe, Diœceſano Epiſcopo vel repugnante. Concilium etiam Arelatenſe an. 455. celebratum Monaſterii Lirinenſis exemptionem ab Epiſcopi Forjulienſis juriſdictione confirmat. Poſtea Abbates aliqui & ſibi, & Abbatiis ſuis exemptiones ab Ordinariis obtinuerunt. Ac pronunciari poteſt his temporibus Abbates fere omnes ab Epiſcoporum juriſdictione liberos eſſe per exemptiones, quas iis conceſſere Romani Pontifices; quibus exemptionibus Concilia Lateranenſe, Viennenſe, Conſtantienſe, ac Tridentinum modum imponere ſtuduerunt.

Abbatis titulus tanto in pretio haberi cępit, ut non defuerint Reges, ac Principes, qui vellent eumdem ſumere. Reges duo Philippus I. & Ludovicus VI. deinceps Aurelianenſes Duces dicti ſunt Abbates Monaſterii S. Agnani Aurelianenſis, ut liquet ex hujus Eccleſiæ hiſtoria, quam Hubertus tenuit. Duces Aquitanię Abbatum S. Hilarii Pictavienſis Co-

mites Andegavenſes Abbatum S. Aubini, & Comites Veromanduani Abbatum S. Quintini titulum ſumpſere. Mos hic uſque ad priores tertii generis Reges obtinuit; itaque Monaſteriorum bona Principes ſibi vindicarunt, atque ex Religioſis elegerunt, qui Decani titulo aliis prę-eſſet. Huic incommodo totis viribus ſe Clerus oppoſuit; atque an. 892. Rhemenſe Concilium Provinciale coegerunt Galliarum Pręſules, in quo cenſuras Balduino Belgii Comiti minitati ſunt, qui Abbatiam Vigonienſem in Diœceſi Atrebatenſi ſibi uſurparat, ſumpto Abbatis titulo. Verum quidem eſt Laicos ab harum Abbatiarum poſſeſſione ſubſecutis temporibus receſſiſſe: ſed Clerici Sęculares eas in Commendam petierunt, & Romanis quoque Pontificibus aſſentientibus obtinuerunt. Hę Commendę ſuapte natura eſſe non debent niſi ad certum tempus; ſed eas perpetuas reddidit conſuetudo; quę quidem adeo communis evaſit, ut Abbatiarum pleręque Commendę ſint, nempe Clericus ſęcularis gaudet Abbatis titulo, & tertiam fructuum Abbatię partem poſſidet, tanquam Abbatis Regularis loco, quin ullam tamen auctoritatem, aut juriſdictionem in Monachos habeat. Vi Concordati Abbates Commendatarii nominantur a Rege, non deſunt tamen Abbatię, quę per Bullas Pontificias Commendę evaſerunt.

Hinc illud fit conſequens, Abbates aut Regulares, aut Commendatarios eſſe. Ex Regularibus alii ſunt Ordinis Capita, alii a Pręlato pendent. Ordinis Pręlati ſunt: Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Pręmonſtratenſis, Grandemontienſis, Abbas Vallis Scholaſticorum, S. Antonii Viennenſis, Trinitatis, ſeu Mathurinenſis, Vallis Braſſicarum, qui omnes ſunt electivi; eodem privilegio gaudent Abbatię quatuor Ciſtercienſium Virginum, nempe Pontiniacum, Firmitas, Claravallis, Morimontium. Abbates Regulares ſunt ii, qui regulę magis minuſve gravi ſubjecti ſunt. Nec deſunt Abbates, qui ad ſęcularem formam redacti ſunt, & quorum Abbatię evaſerunt Cathedrales, aut Collegiales. Abbatię alię *actu* Conventuales ſunt, & a Monachis occupantur; alię ſunt Conventuales *habitu* tantum, h. e. earum Conventualitas jampridem ſublata eſt, atque in iis tamen adhuc recipi, & certis ſedibus collocari Monachi poſſunt. Intereſt autem multum inter Abbatias Conventuales *actu*, & Conventuales *habitu* tantum: quippe ad has obtinendas ſatis eſt ętas annorum quatuordecim; pręterea Abbates Conventuales *actu* Bullis opus habent; Abbatibus autem *habitu* ſolum ſatis eſt obſignatio ſimplex cum hujuſmodi formula, *habitu, non tamen actu a quadraginta annis, & ultra Conventuales*. Exceptis Abbatibus Pręlatis Ordinis, & Virginibus Ciſtercienſibus, Rex omnes alios Abbates, qui in ejus Regno ſunt, nominat; nominat etiam Abbatiſſas, quę ſunt perpetuę; quę vero ad certum tempus in officio perſiſtunt, Religioſarum ſuffragiis creantur. In Abbatibus electivis requiritur ętas annorum viginti trium. Abbates Regulares debent eſſe Presbyteri, aut intra annum ad Presbyteratum accedere. Debent inſuper eſſe legitimi, aut a Principe natalibus reſtituti, aut a ſummo Pontifice diſpenſati. Si Rex de natalium defectu cognoſcat, in eo per ſolam nominationem diſpenſat. Abbatum autem Regularium electio debet a Superiore confirmari.

Mandat. Bleſenſe Artic. 9. Ant. Aug. Epi Tom. juris Lib. 4. tit. 43. cap. 3. c. 38. de Simon. extr.

CASUS II.

1 *Abbas, qui, ut eligeretur, Electorum ſuffragia ſollicitavit, eſt reus ambitus; ſi promiſſis corrupit, ſimoniæ reus eſt.*

2 *Deponi debet, & indignus declarari, qui Abbatiam hanc obtineret.*

3 *Tenetur fructus, quos inde percepit, reſtituere.*

4 *Si promiſſa præſtitit, excommunicationem incurrit.*

QUÆSITUM.

IN quodam Monaſterio electio peracta eſt, electuſque in Abbatem fuit, qui valde anxiis, atque urgentibus litteris ad Confratres ſuos votorum obtinendorum gratia datis dignitatem hanc affectaverat. Ejus deinde confirmata electio eſt. En ſenſa litterarum, quarum extant exemplaria.

I. Potes iis dicere, te mihi ſuffragium dare, quod alium me digniorem non agnoſcas.

II. Potes tua poſtrema ſuffragia in perſonas ineptas conferre, ſcilicet in hunc, & in illum; & non omnino in eos, qui concurrunt.

III. Salutem dico Fratri N..... tecum, tibique gratias habeo, quod in conſilio permaneas, & bonum erga me animum ſerves, tibique perſuadeas, velim, me eſſe &c.

IV. Salvere jubeo Fratrem N...., ac pro certo habeat nos votorum noſtrorum damnatos eſſe; me ſibi ſummopere devinctum ſciat, & promiſſa præſtiturum; illius

enim

enim erga me voluntatem tuæ, ſimilem puto.

V. Spero me in electione locum inter primos eſſe habiturum, dummodo Frater N..., cui vale dico, a nobis ſit, ut eum, per quem litteras miſimus, certum reddidit.

VI. Legi epiſtolam tuam, ex qua intelligo mutatos præcedentium animos: te rogo, obteſtorque, ut conſtans ſis, perinde atque ego, dum vivam. Amicum detegit occaſio; me probe noſti, atque adeo amplius noris; ego nunquam tibi deero; hac de re altum ſilentium eſto.

VII. Spero me certo victoriam reportaturum præſidio tuo, & Fratris N....

VIII. Ego veſtra ipſorum ope nunc quidem indigeo; fac, ſis, ut ego, tranquillo, lætoque animo.

IX. Frater N.... mihi refragatur cum Fratre N...., ſed ego ſubſidio veſtro nixus eos flocci facio. *Exemplum Epiſtolæ ab eo, qui Abbas electus eſt, ad unum ex ſuis Confratribus datæ, qua eum rogat, ut in ſui gratiam ſcripto Suffragium mittat.*

X. A.... die 26. Maii 1676. Domine, & dilecte Confrater. Situum mihi ſuffragium Scripto largiri cupis, potes illud ad Dominos Commiſſarios a Rege nominatos ad electionem Abbatis N..... ad N... obſignatum mittere, ad eos ſcribens in hunc modum: „ Domini, quia nobis non „ licet ex Hiſpaniis egredi, ut noſtra ſuf„ fragia in eum ex Confratribus conferamus, quem ego quidem ex animo di„ gniorem judico, & Abbatiæ noſtræ bo„ no magis idoneum; mihi viſum eſt id „ ſcripto exequi, vos enixe orans, ut a „ me quidem electam perſonam Dom. N.... „ Præpoſiti, & Receptoris ejuſdem Abba„ tiæ probare velitis, affirmans in verbo „ Sacerdotis manu pectori appoſita, eum „ digniorem eſſe, qui pro bono, & utili„ tate Familiæ in Abbatem eligatur. In „ cujus rei fidem ego has litteras obſigna„ vi hac die 26. Maii 1676.

Si tibi placet duos alios deinceps nominare, potes id facere, cæterum ut lubet, ac ſi forte cognoſcas etiam Dom. N...., cui ſalutem dico, aut alios a meis partibus certo ſtare; poteris eorum animos tantiſper explorare, ut idem præſtent; aliter alte ſileas, ne conſilia noſtra detegantur. Valeat, quantum poteſt; id nihil damni afferet, eoque nomine ego me tibi, iiſque ſummopere devinctum profitebor, daturus certo vobis ſingularia grati animi ſigna, ſi id ad exitum perducatur. Libere dico, quod ſentio, veniam rogo, facio te permittente, meque tibi ſingulari obſervantia, ſummaque neceſſitudine obſtrictum ſcias. Te non latet omnes fere Aulæ Proceres mihi favere; inde boni exitus mihi ſpes eſt. Tu potes obſignare Dom. N.... degentem N....

XI. Præter has litteras, Electorum unus depoſuit, affirmavitque Abbatem electum ſolicitaſſe obſecrationibus, litteris, atque adeo promiſſis, pollicitum, ſi eligeretur, fore ut eum in officio confirmaret, & a Monaſterio abeſſe pateretur, teſtatum præterea ſe executurum, quod promiſerat Fratri N:..., eique exemptionem ab Abbatiæ reſidentia conceſſurum, cum certæ quotannis ſolutionis promiſſione.

XII. Alius etiam depoſuit, aſſeruitque eumdem Abbatem ſuffragium a ſe extorquere conatum eſſe, pollicitum ſe facturum, ut ad Presbyteratum promoveretur.

XIII. Tertius quoque depoſuit, Abbatem ipſum eadem erga ſe ratione ſeſe geſſiſſe, ac præterea ſpopondiſſe, ſe illi diſpenſationem a Romana Sede impetraturum, ut ante ſtatutam ætatem Sacerdotium iniret, ac pronunciaſſe ſe ad Ordines non promoturum eos, quorum ſuffragia non habuiſſet. Addidit Abbatem in ea ſollicitatione ſibi poculum porrexiſſe, ac rogaſſe, ut amicorum ſuorum ſuffragia ſibi conquireret.

XIV. Quartus expoſuit ſe ab eo ſollicitatum facta eadem promiſſione obtinendæ a Pontifice diſpenſationis, ut in Presbyterum ordinaretur abſque ullo diſpendio.

His omnibus poſitis tanquam certis, quæritur, utrum ejuſmodi electio valeat, utrum confirmatio locum habeat; utrum Abbas ita electus ſit deponendus, & quænam ei pœnæ injungendæ.

R e s p o n s i o.

Doctores Theologi Facultatis Pariſienſis putant, electionem, de qua agitur, ambitus, & Simoniæ culpæ obnoxiam judicandam eſſe; eumque, qui rationibus adeo pravis Abbas electus eſt, a Sede, quam uſurpavit, deponendum eſſe Judicum auctoritate, niſi ipſe ad bonam mentem rediens, & Eccleſiæ bonum reputans e re eſſe judicet ſe ultro abdicare; cum nullum pactum, & nulla conventio in electionibus eſſe debeat; atque hunc Abbatem qui eam dignitatem non niſi variis pollicitationibus occupavit, juxta canones eodem privandum eſſe, cum ad eam non perveneri niſi in dedecus, & damnum Eccleſiæ; Ambitus enim, & Simonia ex allatis litteris adeo patent, ut neminem latere poſſint. Conſtat ex jure Canonico Religioſum quemdam in Abbatem electum depoſitum fuiſſe Pontificis auctoritate, & ad ſimplicis Religioſi conditionem redactum ob eam cauſam, quod illam dignitatem ambierat; & Monachos obtinere non potuiſſe facultatem eum deinde eligendi, niſi omnibus innotuiſſet, Religioſum illum ab eo crimine, cujus inſimulatus erat, ſeſe purgaſſe, & omnino non curaſſe, ut rurſus eligeretur. En ipſiſſima Supremi Pontificis verba: *Nos autem conſultationi tuæ reſpondemus, quod cum ex bis, quæ in continenti ſubſecuta ſunt, quod talis taliter non poſſit eligi in Abbatem virum poſtquam fuerit in regula competenter inſtructus.... purgatione recepta, poterit in Abbatem aſſumi. Quia ex hoc præſumitur, quod turpiter, & ex conventione ſit electus; quod eſſe non debet.* Itaque electio hæc abrogata eſt, utpote ambitus, & Simoniæ ſuſpicione non carens. Abbas Panormitanus hanc Sententiam confirmat in hæc verba: *nota ibi purgationem, & tene, quod inductus ambitione Prælaturæ ad Monachatum, vel Clericatum non poteſt de jure eligi ad aliquam Prælaturam. Nam Papa non patitur hic iſtum aſſumi in Abbatem, niſi prius ſe purgaverit, quod ambitione Prælaturæ non fuit inductus ad Monachatum.* Deinde hunc textum affert: *fugientibus, & non deſiderantibus conferendæ ſunt dignitates.*

C. Pactiones extra de pactis.

C. Officiis extra de electione, & electi poteſt.

Innocent. IV. ad hoc Caput cit.

Si ergo a Monachis in Abbatem electus juſſus eſt pro Monaſterii bono ſeſe abdicare, quod ſolummodo præſumeretur ambitione quadam Abbatiam affectaſſe; ac ſi iidem Religioſi non potuerunt novam ejus electionem inſtituere, niſi gravi neceſſitate permoti, ac certiores facti eum haudquaquam ambitione moveri: quid de eo ſentiendum, qui non paucis promiſſionibus ſimoniacis, pactis, minisque ad extorquenda Electorum ſuffragia omne ſuum ſtudium, & ſollicitudinem contulit? Videri poteſt in hoc negotio Urbani VIII. Conſtitutio ad Regularium Reformationem articulo 35. ad omnem ambitioſam cupiditatem ablegandam. *Quicumque*, inquit, *ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra*

ejuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur. Super quo cum eis diſpenſari a nemine poſſit, niſi a nobis, vel Succeſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro ſupradictas omnes pœnas ad complices, & ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus. Hæc cum ita ſe habeant, qua pœna plectendus eſt Religioſus, qui, ut jam animadvertimus, adeo execranda ratione ſe geſſit, ut ſe eligendum curaret?

Jam vero ſi machinæ, quas impendit, ejus tum electionem, tum confirmationem efficiunt nullam, invalidamque, ut proinde merito Abbatis titulo privandus ſit; multo magis Simoniæ crimen, quod in hoc negotio immiſcuit, idem evincit, ut notatur in Jure Canonico, cujus en verba: *per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas ſimoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus perſonalibus, officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ periculo ſit aſtrictus.* Verum quia in facti expoſitione non declaratur omnino, an electus Abbas conventiones executioni mandaverit, necne, ac veri nominis ſimonia utrinque locum habuerit, quo in caſu excomunicationem incurriſſet, ut & Complices, & propterea ad poſſidendum Beneficium ineptus evaſiſſet; monendi ſunt Conſultores, Abbatem hunc ad retinendum Beneficium non ideo minus inhabilem eſſe, quod pollicita non præſtiterit; Siquidem ex eorum ſaltem parte, quibus promiſſiones factæ ſunt, realis Simonia locum haberet, cum nonniſi eorum ſuffragiis Abbas electus fuerit.

In cap. Deteſtabile extravag. Com. de ſimonia.

Ex C. cum ſuper extra de confeſſis.

Id liquido apparet ex Jure Canonico capite *cum ſuper*, ubi quidam Betlehemi Canonicus ab omni Eccleſiaſtico officio remotus dicitur, quod propter conſenſum alterius electioni præſtitum certæ pecuniæ obligationem recepiſſet. En Gloſſæ animadverſionem ad hoc caput: *ſic ſola talis obligatio ſimoniam inducit, licet non receperit id, quod venit in obligatione, quia in talibus nulla pactio, vel conventio debet intervenire; immo ab his obligationibus, & promiſſionibus tantum abhorret Eccleſia, ut etiam invalidam velit electionem illius, qui eam ignoret, niſi eo animo a promittentibus facta ſit, ut ei noceret, ut habetur in capite, nobis fuit extra, de Simonia. Conſultationi tuæ breviter reſpondemus,* inquit Celeſtinus tertius, *quod niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui malitioſus erat, id malitioſe feciſſe, quamvis promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio tanquam Simoniaca pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda.* Et Pius IV. in Bulla, quam ad Pœnitentiæ reformationem edidit, loquitur in eumdem modum, ut inſequentia verba ſignificant: *caveat etiam Pœnitentiarius,* inquit, *ne in abſolutionibus a ſimonia reali, vel conventionali etiam occulta unquam concedat, ut ipſi Simoniaci Beneficia, ſuper quibus ſimoniam, ſeu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus exinde poſt commiſſam ſimoniam perceptos in toto, vel in parte retinere poſſent: quin immo in abſolutionibus hujuſmodi apponatur clauſula, quod uterque ad beneficium, ſuper quo fuit commiſſa ſimonia, perpetuo inhabilis exiſtat.*

Pius IV. in Bulla reformat. officii Pœnitentiarii, quæ eſt conſtitut. 85. §. 13.

Ex his momentis omnibus Doctores Pariſienſes, qui calculo ſuo ſententiam firmarunt, concludunt, deciduntque, Abbatem hunc Simoniæ reum eſſe, & Beneficium illicitis rationibus occupaſſe, ſi quidem, quod eſt expoſitum, veritati conforme ſit; & quod inde conſequitur, pœnis in Simoniacos, & Beneficia ambientes inflictis plectendum eſſe; videlicet deponendum, declarandumque indignum, qui Abbatia potiatur, ita ut obligandus ſit ad reſtitutionem fructuum inde perceptorum, qui in Abbatiæ commodum applicentur. Ac ſi realis eſt ſimonia, præter has pœnas, quæ reali, & conventionali ſimoniæ communes ſunt, creditur dictus Abbas excommunicationem incurriſſe.

Ita declaratum Pariſiis in Sorbona die 10. Auguſti an. 1679.

Auguſtinus *de Lamet.*

CASUS III.

ABBAS REGULARIS.

Ejus electio, & confirmatio.

Abbatia S. Remigii Lunævillenſis ex earum eſt genere, quæ origine electivæ dicuntur, & ſemper Abbatem Regularem Profeſſum habuit a Religioſis canonice electum ad annum uſque 1620. quo Magninus Abbatum Regularium poſtremus ei renunciavit in favorem Caroli Lotharingiæ Abbatis Gorzienſis, qui ad eam Bullas obtinuit hac reſervatione . . . . . *teque cedente, vel decedente, ſeu Monaſterium prædictum quomodolibet dimittente, vel omittente, illud ulterius non commendetur, ſed in priſtinam tituli naturam revertatur, ac & de perſona regulari, & idonea provideatur, ac ſi nunquam commendatum fuiſſet.*

Nihilominus idem Carolus an. 1649. eam reſignavit in favorem Caroli Nicolai Leopoldi, Sixti Lotharingiæ, cui Bullæ cum eadem reſervatione conceſſæ ſunt.

Id tamen nihil impediit, quominus ille an. 1661. ei cederet in favorem Chriſtophori Hordali, qui Bullas impetravit ſub iiſdem reſervationibus jam allatis, & præterea peculiari hac clauſula: . . . . . *pro hac vice tantum, ita quod non tranſeat in exemplum, auctoritate Apoſtolica commendamus.* Et infra . . . . *præterea etiam volumus, quod te excedente, vel decedente &c.*

Hic Chriſtophorus Hordalus occubuit die 29. Junii an. 1695. Religioſi ſibi jus eſſe crediderunt Abbatem Regularem eligendi juxta reſervationes in laudatis Bullis productas, atque illi quidem uſi eſſent jure ſuo, niſi obſtitiſſent conſilia Aulæ Gallicæ, quæ nullam voluit habere rationem libelli ab ipſis oblati eo animo, ut ſecundum reſervationes in aliorum Abbatum, & præſertim poſtremi Commendatarii Bullis expreſſas placeret Majeſtati ſuæ electionem illis permittere: quod iis negatum fuit, & Rex Abbatiam Commendam dedit Domino Sevenſi, qui ejus poſſeſſionem iniit Magni Conſilii Mandato, cui ſe Religioſi oppoſuerunt.

Sevenſis Dominus cum probe noſſet titulum canonicum ſibi deeſſe, propterea quia Romana Sedes ei Bullas concedere renuerat ad nominationem Regis, de cujus jure in Lotharingiæ beneficia non conveniebat, in Regis manu ſeſe abdicavit.

Id Religioſi intelligentes miſerunt ad Aulam, & rurſus obtulerunt libellos, quibus jura ſua exponebant, ſed fruſtra; & Rex ad eamdem Abbatiam nominavit Dominum Torniellum, qui cum Bullas obtinere non potuiſſet, Abbatiam inivit Magni Conſilii Mandato, quod æque atque

aliud

aliud in Domini Sevenſis gratiam editum Religioſi impugnarunt.

Magno Lotharingiæ Duce ditioni ſuæ reſtituto, Rex ad Abbates, quos in Lotharingia nominaverat, obſignatas litteras miſit, inter quas unam ad Dominum Torniellum expeditam fuiſſe vulgaris ſama eſt, quamquam utrum illi, ut aliis Abbatibus exhibita fuerit, eſt in incerto; illud eſt exploratum, aliquanto poſt eas litteras in Lotharingiam delatas ab ejuſdem Ducis Conſilio Œconomum Sæcularem fuiſſe inſtitutum ad regimen, & adminiſtrationem bonorum, & fructuum Abbatialis Menſæ, qui quidem œconomus etiamnum officium exercet, atque ex eo tempore Torniellum regimine, & adminiſtratione eorumdem bonorum ſpoliatum fuiſſe.

Cum Œconomum Principis auctoritate creatum viderent Religioſi, atque inde concluderent, dubio procul datas eſſe ad Torniellum litteras, quibus ejus nominatio revocaretur, petierunt a Principe, ut ſibi liceret electionem inſtituere, quod præſtiterunt, ne ei diſpliceret, ſi de electione certior factus non fuiſſet: ſed iis remiſſa eſt ſupplicatio abſque decreto, & nullis dictis, & non obſcure ſignificatum fuit, ut paulo ante, & quotieſcumque de inſtituenda electione verba fecerant, Principi viſum eſſe eam a Romana Sede in Tornielli favorem petere.

Porro cum viderent illi ſe peragendæ electionis veniam obtinere non poſſe, ſupplicationem aliam obtulernnt in eum finem, ut pars fructuum, quæ ad Œconomum ſpectabat, in Eccleſiæ, quæ pluribus ad Divinum officium pertinentibus indigebat, ornamentum adhiberetur, quoad Torniellus Bullas ad eamdem Abbatiam obtineret; & decreto diei 14. Auguſti an. 1698. ſtatutum fuit, ut ad Ordinarii tribunal accederent. Illud eſt notatu dignum, ex hac ſupplicatione innoteſcere, Magnum Ducem Abbatis electionem Religioſis permittere noluiſſe, quod de eorum Abbatia diſpoſuerat, aut diſponere volebat.

Denique Religioſi adhuc perſuaſum habentes ſe Abbatis eligendi jus retinere, propterea quod poſt Chriſtophori Hordali mortem plena, & integra libertate frui non potuiſſent, ut ex ſupra allatis conſtat, & ex eo etiam, quod Papa renuiſſet eorum Abbatiam in Commendam concedere vi decreti de Revertendo in titulum, die 28. Januarii ad novam electionem canonice devenerunt, de qua Magnus Dux certior factus mandavit, ut ad Reverendiſſimum Patrem Generalem darentur litteræ, quibus ad reddendam facti rationem citaretur; qui quidem diſerte aſſeruit, quod res erat, electionem illam ſe inſcio factam eſſe, neque omnino illius ſe participem fuiſſe. Juſſus itaque eſt Religioſis ſuis præcipere, ut ſuam voluntati Principis electionem ſubjicerent, ne eadem aliter, quam eo annuente uterentur (quod electus jam antea fecerat, ut id equeretur, quod ab eo requirebatur): Generalem Congregationis Procuratorem deputavit, qui Religioſos, & Capitulum adiret, acceptum ab Aula mandatum indicturus; quod in cauſa fuit, cur Religioſi, & Capitulum, ne ſe, aut Superiorem ſubjicerent incommodis, atque iis omnibus, quæ poſſent accidere, ſi renuiſſent, actum ad electionis inſtrumenti calcem poſitum ederent, cujus ea eſt ſententia, ſe conſcios factos electionem a ſe peractam Principi diſplicuiſſe, & volentes ſummæ erga ipſum ſubjectionis ſpecimina exhibere, palam edicere, nolle ſe electione hac uti, niſi eo probante, ſe etiam velle omni pondere illam carere, ſi cui illius juri repugnaret. Electus, & Capitulares actum ſubſcriptione firmarunt, adverſus quem eadem die obteſtati ſunt.

Hujus Abbatiæ Religioſi eumdem actum ad Principis Deputatos deferentes ſignificarunt unum e ſuis Confratribus Profeſſum ejuſdem Familiæ eamdem Abbatiam tanquam vacatione devolutam petiiſſe, ejuſque ſupplicationem obſignatam fuiſſe die 5. Februarii proxime elapſi, octava poſt electionem die. En verba ſupplicationis: *Beatiſſime Pater, cum Monaſterium &c. commenda ceſſante adhuc eo, quo ante Commendam ipſam vacabat, modo vacaverit, & vacet ad præſens, & per Conventum, & per Monachos ejuſdem Monaſterii nulla ſaltem legitima pro proviſione eidem Monaſterio facienda, infra tempus ad id præfixum, & modo elapſum electio facta fuerit, propterea illius diſpoſitio ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta exiſtat &c.*

His omnibus ponderatis, quæritur.

I. An poſt Chriſtophori Hordali poſtremi Commendatarii per Bullas inſtituti mortem ſatis impedita fuerit electio.

II. An Capitulum, quia poſt ratihabitionem permutationum, quæ in Riſvvicenſi pace factæ fuerant die 13. Decembris 1697. electionis jure uſum non fuerit, exciderit jure ſuo, ſiquidem illud habuit ad id uſque tempus, quamvis poſt eam ratihabitionem menſes ſex excurrere paſſum fuerit uſque ad priorem libellum, quo electionis venia petebatur, oblatum: favet id Capitulo, non videri ſcilicet ei liberum fuiſſe jure ſuo per id tempus uti, quia Commendatarius a Rege nominatus vi ſuæ nominationis in poſſeſſione perſiſtebat, quam impugnare auſum non fuiſſet, tum quia non ignorabat Principi in animo eſſe illum in Abbatia retinere, quem Rex nominaverat, tum quia in pacis conventione firmatum erat, ut Beneficiarii a Rege nominati in Beneficiorum ſuorum poſſeſſione retinerentur. Eorum ſex menſium ſpatio nondum innotuerat etiam Dominum Torniellum accepiſſe revocationis litteras, certum quoque omnino non erat, ei ullam ejuſmodi epiſtolam fuiſſe exhibitam, ſed ſuſpicionis tantum alicujus cauſam præbuit Œconomi a Principe facta inſtitutio ad Abbatialis Menſæ adminiſtrationem, excluſo Domino Torniello, qui jam ea ſpoliatus fuerat. Porro ſtatim ab Œconomi inſtitutione Religioſi allatam ſupplicationem obtulerunt.

III. Facta hypotheſi jus electionis Capitulo reſervatum fuiſſe adductis de cauſis, quæritur 1. utrum Religioſi, quibus jus id competit, ii ſint, quibus conſtabat Capitulum, quo tempore Hordalus obiit. 2. utrum ii tantum eligere debeant, an una cum iis, ex quibus in præſentia Capitulum coaleſcit. 3. ſeu poſtremo an mutationes, quæ fiunt in Ordine, ut in quovis alio Religionis Corpore, prout Familiarum, aut ſingularum perſonarum ratio exigit, impedimento non ſint quominus priores electioni interſint, & eam peragant, an vero excluſis illis, omne jus devolutum ad eos fuerit, quibus nunc Capitulum componitur, & ad quos tantum ſpectat omnia alia Familiæ acta ſtatuere: quod videtur rationi conformius; quoniam fieri potuit poſt adeo longum tempus, ut Religioſi, qui in vivis erant, cum Abbas eſt mortuus, occubuerint, ut reipſa nonnullis contingit, & Capitulum mori nunquam poteſt.

IV. An electio facta die 28. Januarii proxime elapſi vim habere non debeat in devolutum, quod non eſt impetratum, & in ſupplicationem, quæ illud confirmat, ſignatam die 5. Februarii inſequentis.

V. An electi confirmatio non ſpectet jure communi, ut idonei Auctores docent, ad

ad Generalem Ordinis Superiorem, propterea quod cum Abbatia, de qua agitur, nondum in Congregationem abiiſſet, nec conſtitueret corporis partem, Tullenſes Epiſcopi ordinaria auctoritate electiones confirmabant, ut demonſtrant acta duo, quæ apud eos extant; & an devolutum poſtea impetratum debeat, & poſſit eſſe ſufficiens ratio, quæ impediat, quominus Superior Generalis confirmet, ſi id illi aliunde competat.

VI. Quod in præſenti negotio Generalem debet ad confirmandum movere, illud eſt, quod, cum Lotharingienſis Aula edixerit nolle ſe impoſterum Devolutarium firmare, abſque Titulari Abbatia remaneret; quæ quidem ratio juri communi congruens videtur Superiorem Generalem ad confirmandam electionem ſatis permovere, præſertim cum eam Aula valere voluerit adverſus devolutum, cui aſſentiri omnino noluit. Adverſus electum objicitur ſtatutum Ordinis, quo mandatur, ut, cum de Abbate eligendo agetur, Capitulum, aut loci Superior ea de re Superiorem Generalem certiorem faciat, ut ipſe ad electionem accedat, ſi ita ei libuerit, aut ex ſuis adſiſtentibus aliquem deputet, quem idoneum eſſe cognoverit; ſtatutum porro non declarat omnino oportere Abbatem vel ipſum intereſſe, vel ſuo nomine deputare. Non eſt Abbati de hac electione nunciatum, niſi poſtquam peracta fuit. Sed Capitulares non ideo ita ſe geſſerunt, quod independentiæ quadam prurigine moverentur ad Superiorem celandum de capto conſilio, quod in aliis circumſtantiis ei patefacere non omiſiſſent, quodque alio quidem tempore non niſi eo probante, & permittente executioni mandaſſent: neque etiam in ſtatuti contemptum ita factum eſt; ſed aliis de cauſis, quas illi ſatis eſſe crediderunt, ut id facerent, quod fecerunt, quodque ea, quæ ſubſecuta ſunt, jure factum declararunt.

VII. Quæritur, an hic admonitionis defectus ſit eſſentialis, tantique momenti, ut electionem cæteroqui canonicam reddat invalidam, nec licuerit particulari Capitulo ſtatutum ad univerſum Ordinem ſpectans in hac facti ſpecie æquitate quadam benignius interpretari; ac ſi defectus hic eſſentialis cenſendus eſt, an Superior ei ſupplere ſua tantum auctoritate non poſſit. Aliud etiam objectum adverſus electum proponitur, ſed illud adeo infirmum, ut ipſe ab eo producendo abſtineret, niſi ſibi propoſuiſſet id omne proferre, quod contra dicitur, ut tranquilliore animo impoſterum eſſe poſſit; nempe ipſum ſe ineligibilem reddidiſſe propter miſſum ad Romanam Sedem Expeditionarium, qui Abbatiam Devoluti titulo peteret: primum enim eam non petiit eo titulo, niſi facta hypotheſi Capitulum eligendi jure carere; poſſet ſe ſua tueri epiſtola, ſi haberet præ manibus, ac Miniſtri reſponſio huic rei fidem facit; ab eo quippe certior eſt factus, Capitulo adhuc adeſſe jus eligendi: deinde eſto Abbatiam Devoluti titulo petierit, potuit deinde in earum rerum cognitionem venire, quibus ad priora conſilia retractanda moveretur. Quamvis autem hæ nugæ ſint, ut tamen cenſoribus ſatisfaciat, Theologos obteſtatur, ut dicant, quod ſentiunt, doceantque, an abſolute loquendo aliqua perſona ſe ipſam activa, & paſſiva voce ad Beneficium privet, ſtatim ac tanquam devolutum illud petiit.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat.

Quoad primum. Religioſos impeditos fuiſſe, quominus eligerent, a Galliarum Aula poſt Hordali mortem; quoniam Rex non ſolum noluit Abbatis eligendi veniam ipſis concedere, quam oblato libello petierant, ſed e converſo ipſe alium nominavit, Abbatem Sevenſem ſcilicet, iidem Religioſi etiam a Lotharingiæ Duce ad dictionem ſuam reverſo rejecti ſunt, dum ab eo petierunt, ut ſibi liceret ſuum Abbatem eligere. Jam tempus, quod electionis juri conceſſum eſt, non iis currit, quibus non eſt permiſſum eligere, cum id poſtularint. *His, quibus interdictum eſt*, inquit Gregorius IX. *ut abſque Superioris licentia eligere non præſumant, tempus a canone currit, ſi illi in mora fuerint licentiam hujuſmodi poſtulandi.* (Cap. fin. de elect.)

Verum quidem eſt, Religioſos, licet Principe ſemel atque iterum repugnante, crediſſe ſe Abbatis eligendi jure potiri; quod executi ſunt die 28. Januarii proxime elapſi; ſane illi altera vice rejecti die 14. Auguſti 1698. videntur ſerius, quam fortaſſe par erat, electionem peregiſſe. Sed reſpondetur 1. Religioſos ideo ſolum tamdiu diſtuliſſe, quod non auderent a Rege nominatum Commendatarium impugnare, & quod etiam perſuaſum haberent, Magni Ducis eam mentem eſſe, ut eumdem in dignitate retineret; ſed ſtatim ac cognoverunt eum regimine, & adminiſtratione fructuum Abbatiæ privatum eſſe, & œconomum eſſe inſtitutum, haud ita multo poſt ad electionem coiviſſe. 2. etiamſi nulla adhuc electio ab iis facta fuiſſet, non ideo tamen futurum fuiſſe, ut eligendi jure caderent; vere enim aſſeri poteſt, ſemper eos impeditos fuiſſe, ut ex iis, quæ adverſus electum in præſentia contingunt, liquido conſtat.

Ad alterum. Huic quæſito ſatis eſt factum iis, quæ dicta jam ſunt.

Ad tertium. Electionem hanc ad eos omnes ſpectare, qui Profeſſi ſunt, & ad Familiæ corpus pertinent, qui quidem vi juris, & conſuetudinis ad ſuperiorem eligendum ſunt convocandi, ita ut Religioſus, qui in vivis erat, quo tempore Hordalus obiit, & qui ad Abbatis electionem, ſi facta fuiſſet, ſuffragii jus habuiſſet, ſi deinde ad Familiam aliam, aliumque Superiorem migraſſet, non amplius hujus Monaſterii, ſed alterius membrum cenſeretur. Et ſane ſi Profeſſi tantum Religioſi, qui vacationis tempore extiterant, & non ii quoque, qui electionis tempore adſunt, gauderent jure ſuffragii, illud inde conſequeretur, Religioſum Familiæ, qui non eſt Profeſſus, & proinde non eſt Membrum Monaſterii niſi poſt Abbatis mortem, & ante electionem, eo jure carere: quod tamen ſecus ſe habet: *ſicut etiam ſi quis tempore vacationis Profeſſus non eſſet*, inquit Tamburinus, *poſtea vero tempore electionis profeſſionem emiſiſſet, ad ſuffragium ferendum in ipſa electione admitti deberet: ex jure enim non eſt neceſſarium, quod profeſſio certo aliquo tempore debeat electionem præcedere, ſed tantum ut facta ſit*. (Tom. 1. Diſput. 5. q. 8. num. 9.) In eamdem *ſententiam* Pyrrhingus loquitur. Satis eſt igitur Religioſum, ut jure electionis gaudeat, quod monet Pyrrhingus, (1. Decret. tit. 6. ſect. 8.) re ipſa Profeſſum eſſe, & membrum Communitatis, de cujus ſuperiore creando agitur: *ut quis habeat jus eligendi, ſatis eſt, quod ſit vere membrum Religionis, ita ut perpetuo ſubjectus eſſe debeat Prælato, ſicut reliqui*, modo aliunde aliquo impedimento obſtrictus non ſit.

Ad quartum. Illud ex hactenus dicti ſequitur, cum Capitulum ſemper impeditum fuerit, quominus eligeret, non potuiſſe Devoluti titulo Abbatis Regularis ſedem peti tanquam vacantem. Præterea ſi facta electio valida eſt, ut videtur, Devolutarius, qui Beneficium poſtulavit, multo minus illud petere potuit, quia Sedes occupata cenſetur.

Ad

Ad quintum. Abbatis a Religioſis electi confirmatio ad Epiſcopum ſpectat, cum illi eidem ſubjecti ſunt; ſed cum ab ejus juriſdictione ſunt exempti, ad Generalem, cui Monaſterium proxime ſubjectum eſſe ſupponitur, pertinet electionem, de qua ſermo eſt, confirmare. Docet id Tamburinus diſertis verbis: *Abbates autem Regulares, quia olim ab Epiſcoporum juriſdictione exempti non erant, poſtquam a Monachorum conventu eligebantur, ab Epiſcopis, quibus proxime Monaſteria erant ſubjecta, confirmationem accipiebant. Sed poſtquam Religiones SS. Pontificum indultis ab Epiſcopis exemptæ fuerunt, factum eſt, ut Abbates, & Prælati Regulares inferiores, ſive locales a Generalibus uniuſcujuſque Congregationis reſpective confirmarentur.*

Tamburinus loco paulo ante cit. Diſput. 6. Quæſt. 2. num. 1. & 2.

Hinc illud inferre licet, ſi Devolutum, quod electionem eſt ſubſecutum, omnino impedire non potuit, quominus Superior Generalis eamdem confirmaret Epiſcopi loco, qui antequam hi Religioſi Congregationem componerent, eo jure fruebatur: idem Devolutum minus ſane timendum eſſe, ita ut Devolutarius minus poſſit electione niti, poſtquam Aula eidem adverſari videtur, & peractæ electionis confirmationem expoſcere.

Ad Sextum. Si Religioſi conſilium ſuum Generali non ſignificarunt, antequam electionem peragerent, cenſendi ſunt id graviſſimis de cauſis feciſſe, cum non ignorarent ſe ad id obligari. Utut res habeat, ſtatutum, quod admonendum Generalem præcipit, omnino non explicat, electionem, ſi id omittatur, ipſo facto nullam eſſe; fortaſſe Generalis eam poſſet abrogare, vel ideo quia deſit hæc admonitio, vel ideo quia Religioſis electus minus dignus ſit, qui eam Sedem occupet. Idem quippe dici poſſet in hoc negotio de Generali, quod de aliquo, ſeu pluribus Capitularibus, qui ad aliquam electionem jure ſuo poſſent intereſſe Capitulo, nec tamen fuerint convocati; de jure electio poſſet invalida declarari, niſi forte pro bono pacis, aut alia gravi de cauſa Canonici neglecti electioni ſine ipſis factæ conſenſerint. *Quod ſi conſtiterit eos vocatos non fuiſſe, ſed contemptos, electio ſine ipſis celebrata infirmanda erit, niſi ipſi poſtea propter bonum pacis conſentire velint.* Generalis quoque poſſet electionem jam factam deinde confirmare: Siquidem non apparet, quo fundamento electio de jure nulla eſſe dici poſſit; præſertim cum non animo independentiæ aut ex contemptu Religioſi de electione Generalem haud commonefecerint; nec poteſt in dubium verti, eos in aliis circumſtantiis ejus favorem, & veniam fuiſſe petituros, aut ne eum in aliquod diſcrimen conjicerent, ab admonitione abſtinuiſſe.

C. 28. Quod ſicut de elect.

Ad ſeptimam, & ultimam interrogationem reſpondetur, in Jure nihil occurrere, quod evincat, perſonam petentem Beneficium rationibus ab Eccleſia permiſſis, quoad idem Beneficium activa, & paſſiva voce privari, ut neque eligere, neque eligi poſſit. Eſt quidem in Capite 46. *poſt petitam de elect.*, infirmari electionem perſonæ, quæ electioni ſuæ aſſenſum præbuit, antequam eligeretur, quia hoc in caſu præſumitur ex ambitioſa cupiditate officium petiiſſe, ut explicant Tamburinus, & Barboſa ad hoc caput. Sed hæc Decretalis non efficit hanc electionem ipſo facto nullam. Itaque ſive Beneficio Devoluti rationem quiſpiam tribuat, quia perſona, quæ illud poſſidet, incapax eſt, ſive Beneficium ut Devolutum obtineat, quia illi, ad quos ſpectat nominare, aut eligere ad Beneficium, neglexerunt ei providere intra tempus ipſis a jure conceſſum, Devolutarius non redditur incapax, aut indignus eodem Beneficio quoniam in utroque caſu Eccleſia illum ſuſtinet. Ex quo ſequitur, Eccleſiæ ipſi perſuaſum non eſſe eum alicujus eſſe peccati reum, aut inhabilem ea de cauſa, quod Beneficium ut Devolutum petierit. Neque enim hoc in caſu cenſetur ille Beneficium ambitione obtinuiſſe, quo proinde merito privetur; quia nimirum, niſi Ordinis, aut Monaſterii, de quo agitur, peculiare ſtatutum adſit, quo Devolutarii activa, & paſſiva voce priventur, ab eo non excluduntur ipſo facto, præſertim ſi a Devoluto recedentes in electionem conſentiant.

De Jure Abb. Tom. 1. Diſp. 5. q. 22. n. 7.

Deliberatum hac die Maii 1700

ABBAS REGULARIS,

Qui nondum profeſſionem emiſit.

CASUS IV.

1 *Abbas, qui a Rege, & a Pontifice permiſſionem obtinuit, ut Abbatiam ſuam in officio contineret, & ſuum Tirocinium hujus permiſſionis accelerandæ gratia intermiſit, vota ſua poteſt edere paucis poſt receptum habitum diebus.*

2 *Melius tamen ſe geret, ſi Tirocinium ab exordio repetat, ut probe vocationem ſuam, ſuaſque vires exploret.*

QUÆSITUM.

Abbas in commendam Abbatia potitus cum animadverteret in gravia incommoda Abbatiam incidiſſe, ejus reformationem inſtituendi conſilium cepit. Ut id facilius obtineret, e re eſſe judicavit Religionem profiteri, quo Abbatiæ bono conſuleret. Conſenſit Rex ea conditione, ut Abbas eidem exhiberet Breve, quo Summus Pontifex aſſentiretur poſt ejus mortem Abbatiam in Commendæ naturam reverti. Nummularii Expeditionarii in Aula Romana, quos ille ſuper hoc negotio conſuluerat, certum eum reddiderunt Pontificem Breve conceſſurum, promittentes etiam ſeſe Bullas trium menſium ſpatio cum Brevi miſſuros. Ei quoque auctores fuerunt, ut, dum hæc Acta duo expedirentur, Religioni nomen daret, & Tirocinium inchoaret, quo profeſſionem emitteret, acceptis Bullis, in quibus futura eſſet clauſula, qua profeſſio permitteretur, *etiam anno non expleto.*

Hæ promiſſiones in cauſa fuerunt, cur Abbas habitum Religioſum ſumeret, & Tirocinium exordiretur: ſed poſt conductum trium menſium ſpatium intellexit ex Nummulario Pontificem nolle omnino Breve, prout Regi placebat, expedire. Generalis Ordinis ei auctor fuit, ut cum Religioſo habitu negotii quantocius conficiendi cauſa Romam peteret. Eo profectus Abbas, licet omnem moviſſet lapidem, Bullas tamen cum conditione, quam Rex requirebat, obtinere nunquam potuit. Generalis de negatione certior factus Abbati conſilium dedit, ut Religioni nuncium remitteret, & in Gallias reverteretur quo puram, ac ſimplicem Abbatiæ in officio continendæ veniam a Rege obtineret; cum enim, qui a Regis itinerantis latere diſcedere fortaſſe non poſſet, inepte Religionis habitum retenturum, propterea quod cum deferentibus ad Regem accedere vix liceret. Generali dicto audiens Abbas habitum Religioſum depoſuit. Sed ut negotium urgeret, aliquorum adhuc annorum ſpatio Romæ moratus eſt, & tandem a Pontifice indultum obtinuit, quo ei permittebatur Abbatiæ reformatio, licet Commendæ titulo, ea conditione, ſi Rex con-

conſentiret. Itaque in Gallias rediit, & poſt integri anni preces Abbatiæ ſecundum indultum adminiſtrandæ veniam a Rege impetravit.

Hic Abbas quærit, utrum ſibi liceat profeſſionem emittere tribus, quatuorve diebus poſt receptum Religionis habitum, Generali aſſentiente; idque ideo quia jam eumdem habitum quatuordecim menſium ſpatio detulerit, & quia Indultum ei permittit profeſſionem emittere *anno non expleto*. Quod cum dubium reddit, illud eſt, quod per annos fere quatuordecim habitum ſæcularem geſtaverit, occupatus in ſollicitando aut Pontificis, aut Regis animo ad Abbatiam cum reformationis facultate obtinendam. Putat autem eſſe diſcrimen inter Tirocinium ſimplicis Religioſi, & Abbatis; ita ut Abbas per Reſcriptum Regis, & Pontificis Bullas jam in Abbatia ſit veluti receptus, & in ea non recipi nequeat, quam a Romana Sede impetravit. Non eadem eſt ſimplicis Religioſi ratio; quandoquidem Familia, ubi ſe præſentat, de Poſtulantis moribus, & vocatione cognoſcendi jus habet; atque id quidem Tirocinium adeo neceſſarium efficit, ut Tirocinii annus dicatur annus probationis, ſcilicet ut ſi iis minime perſeveret, aut minus idoneus judicetur, egredi poſſit, aut rejici.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſita vidit, & expendit, putat Abbatem conſulentem re ipſa poſſe trium aut quatuor dierum ſpatio poſt receptum Religionis habitum profeſſionem emittere, & deinde benedictionem petere; cum habitum non depoſuerit, niſi accedente Generalis Ordinis voluntate, & ſemper in Religionis profitendæ conſilio perſtiterit, ut ex univerſa ratione, qua ſe geſſit, evidenter elucet.

Quoad dubitationem inde ortam, quod inter Tirocinium, ac Profeſſionem ſimplicis Religioſi, & Tirocinium, ac Profeſſionem Abbatis a Pontifice renunciati diſcrimen intercedat: reſpondetur, ſimplicis Religioſi, & Abbatis eamdem prorſus rationem eſſe, quod attinet ad ſtatum in ſe ſpectatum, qui æque utrumque obligat, tam naturali, quam divina lege, ut ſui periculum illi faciant, ſuam vocationem expendant, cognoſcantque, ſatiſne virium habeant ad exequenda Religionis officia, & ſuſtinendas ejus duritias, ad hæc enim non minor eſt Abbatis, quam Religioſi ſimplicis obligatio; atque adeo aliquo in ſenſu major eſt, quoniam Monaſterio ſuo debet exemplum præbere, atque eſſe Fratrum ſuorum exemplar. Quocirca Abbas ne inconſulto ſe gerat, nihil omittere debet eorum, quibus certo quoad fieri poterit, intelligat ſe in propoſito perſtiturum: porro ad id aſſequendum eo nihil eſt aptius, quod ſuis Sanctis Decretis Eccleſia conſtituit in Jure Canonico. Videndus Genſaldus 19. *Quæſt.* 3. *cap. Monaſteriis Leg.* 3. *Decretal. Greg. IX. de regul. & trans. c. ad Apoſtolicam in Sexto ad eumdem Titulum cap. non ſolum*, ad quod Gloſſa recenſet, & congerit rationes, quæ præſto fuerunt Eccleſiæ, cur Tirocinium inſtitueret, quæ quidem rationes æque Abbates, ac ſimplices Religioſos officiunt, quoniam Abbates ad ſuam dignitatem omnino vocati non ſunt, ſi ad ſtatum Religioſum antea vocati non fuerint. *Erant*, inquit Gloſſa, *nonnulli mendicantes, qui quadam levitate ducti faciebant profeſſionem ſuæ religionis intra annum probationis; qui annus probationis fuit introductus in favorem utriuſque; videlicet in favorem Monaſterii, ut Monaſterium cognoſcat mores intrantis, & ipſe videat, an ipſe poſſit ſuſtinere duritias religionis*. Ita ut Abbas, licet ei canonum parti, qua dicitur, *ut Monaſterium cognoſcat mores intrantis*, minime ſubjiciatur, & Monaſterio non liceat conſultare, admittendusne ſit ad profeſſionem, a canonum tamen decreto non eximatur hac alia de cauſa, quia ſe probare tenetur, *ut ipſe videat, an poſſit ſuſtinere duritias religionis*. Jam vero id aliunde innoteſcere fere non poteſt, quam ex experimento, quod ſui ipſius quiſpiam facit, ut ſe confirmet, quoad licet, adverſus imbecillitatem humanæ naturæ, quæ ſibi perſuadet ſe haud difficulter exequi poſſe, quod re ipſa non poteſt, & adverſus quam Tirocinium tanquam remedium adhibendum eſſe judicavit Eccleſia juxta Capita, *ad Apoſtolicam, & non ſolum* quæ jam in medium allata ſunt. *Diſtrictius inhibemus ante annum probationis elapſum (qui eſt maxime in remedium fragilitatis humanæ inſtitutus) quemquam ad profeſſionem veſtri Ordinis, ſeu renunciationem in ſæculo faciendam recipere*. Hac de cauſa Conſilium ſubſcriptum Abbatem conſulentem etiam atque etiam hortatur, ut ſeſe ad Profeſſionem comparaturus longius tempus inſumat, quam propoſuit, ſperans fore, ut eam Deus magis magiſque ſuo favore proſequatur, ſi ſub Tirocinii initium ſe confirmare conetur, & fervoris jacturam, quam in ſæculo fortaſſe fecit, reparare, ſeque dedat conſilio ſapientis, prudentis, atque ingenui Viri, qui tempus, quo ſua vota emittat, eidem definiet. Ita compenſabit, quidquid humanis paſſus eſt prioris Tirocinii tempore quo vix fieri potuit, ut animo non magnopere perturbaretur per itinera, ac ſollicitudines, quibus neceſſario diſtentus fuit, quæque maxime pugnant cum pace, ac tranquillitate, quæ omnino requiritur, dum ſerio Deo auſcultare volumus, ad ejus circa nos conſilia cognoſcenda.

Itaque præcipuum diſcrimen inter ſimplicis Religioſi, & Abbatis Profeſſionem poſitum in eo eſt, quod Religioſus ut ad Profeſſionem admittatur, a Monaſterio, & Abbate pendet, atque etiam ut excludatur, ſi ita videatur expedire: quod in uſu non eſt, cum de Abbate agitur: quoniam vi nominationis a Rege factæ, Pontificis auctoritate inſtitutus eſt. Id vero eſt, cui repugnari non poteſt, niſi adſint in jure expreſſæ rationes, ut pravi mores, & prava doctrina. Tunc enim Religioſi poſſent de nominatæ perſonæ inhabilitate Regem, & Pontificem certiores facere.

Deciſum in Sorbona hac die 8. Oct. 1675.

A. *de Lamet*.

CASUS V.

1. *Abbas Regularis probatæ fidei, qui vult ſe abdicare, non debet ullam ſibi retinere penſionem, ſi velit perfectius ſe gerere.*
2. *Si ſtricte loqui volumus, ejus retinendæ jus habet, & omnino non peccat, ſi ea ſe indigere putet, ut ſibi conſulat in incommodis, quibus ob ætatem, curas, & morbos ſubjectus eſt. Sed ejus veniam a Pontifice petere debet.*

QUÆSITUM.

Abbas Regularis, cujus Abbatia decem mille circiter libras Gallicas quotannis refert, vellet eam dimittens quingentarum librarum penſionem ſibi reſervare, infirmæ valetudinis cauſa: annos ſexaginta natus eſt; in regimine ſe valde accura-

curate geſſit, quaque potuit, meliore ratione: Succeſsor, quem elegit, eſt Regularis; ſed veritus, ne ea omnia ſubſidia ſibi præſtentur, quibus ſuæ valetudini conſulat, vehementer ſcire cuperet, poſſitne tuta conſcientia penſionem eam retinere; quæ quidem eſt adeo tenuis, ut facile appareat, ipſum ad eam petendam cupiditate non duci.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, fore multo perfectius, magiſque profitendæ paupertatis animo conſentaneum, ſi Abbas abſque ulla penſione officio cederet; ei quippe graviſſima momenta ſuppetunt, cur in animum inducat credere, fore ut, ſi ſe committat & Succeſsoris ſui probitati, cujus merita non ignorat, & charitati Monaſterii, cui tanta cum utilitate obſecutus eſt, utrinque ſibi ſubſidia ſuppeditentur in indigentiis, ad quas ſuis ægrotationibus redactus eſt. Id ei eſset magni apud Deum meriti cauſa, ſi nempe hoc voluntariæ paupertatis, atque in Providentiam fidentiæ exemplum ſuæ Congregationi relinqueret; & ſane videtur ille poſt adeo accuratam in Abbatia adminiſtranda vitæ rationem debere ita ſe gerere.

Si tamen ſtricti juris facultate uti velit, penſionem, quam proponit, ex Abbatia exigens non peccabit omnino; ſed in eum finem a Pontifice diſpenſationem obtineat neceſse eſt non ſolum propter paupertatis votum, quod Religioſum quemlibet ad penſionem ineptum efficit, ſed etiam quia ſolus Pontifex in hac facti ſpecie poteſtate pollet imponendæ penſionis Abbatiæ, de qua quæritur. Videri poſſunt Tamburinus *de Jure Abbat. Tom.* 3. *diſp.* 9. *q.* 25. *n.* 6. & Pelizarius *Tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 2. *n.* 202.

Deciſum hac die....

G. Fromageau.

ABBATISSA.

QUemadmodum Abbatis nomen Monachorum Superioribus inditum eſt: in eumdem modum Religioſarum, & Canoniſſarum Regularium Superiores Abbatiſſę dictę ſunt; atque eę quidem non ſunt Abbatibus ſyncronę, tametſi ex priorum Eccleſię ſęculorum monumentis conſtet extitiſſe Societates Deo devotarum Virginum, quę quarto tantum ſęculo Monaſteria inſtituere cęperunt, licet Eccleſias proprias omnino non haberent, atque una cum ſuis Superioribus ad Cathedrales, aut Parochiales Eccleſias divini Officii gratia convenirent: Gregorii ſolum Magni tempore iis Eccleſię conceſſę ſunt. Ex iis, quę longius vitę tempus in Religione decurriſſent, eligebatur in Superiorem una, & Abbatiſſę quidem titulo, eique benedictionem Epiſcopus conferebat. Ex Tridentina Synodo certum fit, oportuiſſe, eam, quę in Abbatiſſam, Prioriſſam, Superiorem eligeretur, annos quadraginta natam eſſe, atque octo a profeſſione annis laudabili vitę genere prętitiſſe. Addit Concilium, niſi in eodem Monaſterio reperiatur, quę his dotibus prędita ſit, eam ex alia ejuſdem Ordinis Familia peti poſſe; ac ſi Superior, qui electioni præeſt, in ea quoque detexerit, quod non probet, de Epiſcopi conſenſu eligi unam poſſe ex earum numero, quę annos triginta ſint pretergreſſę, quęque poſt emiſſam Profeſſionem per annos ſaltem quinque in eadem Familia probatam, accuratamque vitę rationem tenuerint. Hęc ſunt verba Synodi, quę eodem Capite 7. Seſſ. 25. Abbatiſſam unam ad duplicis Monaſterii regimen proponi vetat.

Ex his omnibus certum fit Abbatiſſas electivas eſſe, atque eligi Congregationis ſuffragiis. Sed in Galliis pene omnes Virginum Abbatiſſas Rex nominat, qui quidem poſt Concordatum in hac poſſeſſione permanſit; quamquam Pontifex in Bullis, quas in Regię nominationis conſecutionem concedit, id ponit tanquam certum, Abbatiſſam eligi per ſuffragia ſecreta a tertia ſaltem parte Communitatis canonice congregatę. Quia porro non defuerunt Abbatiſſę, quę ampliorem, quam par erat, juriſdictionem ſibi vindicarent, arrogantes jura quę ipſis minime congruebant, ut in Clericos Dominandi, pronunciandi cenſuras, abſolutionem impertiendi, atquè adeo Religioſarum ſibi ſubditarum confeſſiones audiendi; certis veluti cancellis earum facultatem concludi libuit, ita ut impręſentiarum admodum exigua ſit.

An Abbatiſſa ad clauſuram teneatur.

CASUS I.

1 *Abbatiſſæ non poſſunt abſque culpa e Monaſteriis ſuis egredi, ut ſua prædia inviſant, ſolutionem a debitoribus exigant, lites urgeant &c.*

2 *Poſſunt quidem inde egredi, earum Epiſcopo permittente, ſi graves, cur id fiat cauſæ ſubſint.*

3 *Peccant illæ, cum abſque probabili neceſſitate Sæculares in Monaſteria ingredi patiuntur.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

QUædam Abbatiſsa clauſuræ fervore ducta tanquam animo infirmior traducitur, quod Sæculares in ipſius Monaſteria ingredi nolit, atque ægre admodum tulerit quempiam ea clanculum ſubjiſſe. Audit etiam a neſcio quo quemdam Magnum Vicarium ab ea nominatum illi ingenue profeſsum eſse, profanos homines quoad Religioſarum clauſuram tantopere deterreri, ne frequentius ad eas ingrediantur, atque ut illæ liberentur incommodis, quibus eſſent obnoxiæ, ſi facilis aditus permitteretur: ſed ſi res introſpiciatur, hæc omnia non aliud, quam nugas eſſe, digniorefque perſonas Religioſarum clauſtra ſubeundi libertate privandas omnino non eſſe. Cum Abbatiſſa hæc ad ſuum Conſcientiæ Conſilium hac ſuper re confugiſset, eidem reſponſum eſt, eam loquendi rationem repugnare Conciliorum, Pontificumque decretis, conformibus Patrum, & Doctorum Catholicorum Sententiis, ſtatutis Provinciarum Bleſenſium, & Synodi Melodunenſis, expreſſo demum voto, quo illa, ejuſque Religioſæ ſe Deo devinxerunt, perpetuæ clauſuræ ibidem ſervandæ.

Eamdem Abbatiſſam nonnulli de ipſius Monaſterii bono ſolliciti vehementer hortati ſunt, ut ad ſua prædia inviſenda, præcipienda ea, quibus opus eſſet, augendos reditus, lites urgendas egrederetur. Itaque Conſcientiæ Conſilium, ad quod confugit, eidem reſpondit, id totum per Procuratorem confici poſſe. Bonifacium enim VIII. in Bulla a Tridentino Concilio confirmata Seſs. 25. c. 5. ejuſmodi egreſſionibus acerrime repugnare, & D. Franciſcum Saleſium ad quamdam Abbatiſſam die 5. Novembris anno 1610. ſcribentem diſerte aſserere eas populis ſcandalo eſse, & Religioſis magnopere pernicioſas &c.

A Dominis Sorbonæ Doctoribus ſuppliciter quæritur, quid ſuper hoc duplici capite ad clauſuram ſpectante ſentiant, definiantque, & quid, ad hoc quod attinet, Abbatiſsæ conſulenti liceat, quidque non liceat. Indicabunt, ſi ipſis libuerit, pœnas a Canonibus inflictas in Abbatiſsas, quæ nulla urgente neceſſitate aut Sæculares in Clauſtra ingredi, aut Religioſas e Monaſterio egredi patiuntur; & cujuſmodi ſit neceſſitas, quæ legitimos faciat Sæcularium aditus, & Religioſarum exitus.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut duplici interrogationi jam expoſitæ ſatis fiat, perſuaſum habet ſequendam eſſe Tridentinæ Synodi mentem *Seſſ. 25. cap. 5. de regul.* æque in eo, quod de Religioſarum e ſuis Monaſteriis egreſſu præcipit, ac dum quarumlibet Perſonarum in eadem ingreſſum prohibet: niſi adſint eæ conditiones, quas notat: nimirum Eccleſia dum clauſuram inſtituit, eam ſpectavit tanquam aliquid ad regularem diſciplinam ſervandam, & Religioſas in ſuæ Profeſſionis officio continendas neceſſarium; ex verbis ſane, quibus utitur Synodus, perſpici poteſt hujus Sancti Conventus ingens illius retinendæ ſollicitudo; quod non obſcure ſignificat, quanti eam ponderis eſse judicaverit. Et ſane Concilium Epiſcopos urget, obteſtaturque tum divini judicii formidine, tum æternæ maledictionis minis, ut ne a Virginibus Religioſis ſeu exemptis, ſeu non exemptis ulla ratione clauſuram violari ſinant: *univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis &c.*

Cum igitur Religioſæ arcta clauſuræ ſervandæ obligatione teneantur, Abbatiſſa non poteſt egredi vel ad Monaſterii bona procuranda, vel propter cauſas alias in expoſitione notatas, cum id omne perſonæ prudentis, & fidelis, in eum finem electæ miniſterio commode fieri poſſit; hæc eſt juris mens *c. Periculoſo §. verum de S. Regul. in 6.* atque unanimis Auctorum ſententia. Porro illæ, de quibus ſermo eſt, eo magis hac lege tenentur, quod de cuſtodienda clauſura peculiare votum emittunt.

Jam ad pœnas canonicas quod ſpectat; Religioſæ, quæ abſque legitima cauſa, & abſque venia exeunt e Monaſterio, in excommunicationem incurrunt reſervatam in Bulla octava Pii V. quæ incipit: *Decori, & honeſtati*, an. 1569.; & quamvis non ſit æque certum Religioſas in eamdem pœnam incidere, cum in clauſtra ſine neceſſitate ingreſſum permittunt, plures tamen Canoniſtæ ita ſentiunt, ut monet Pelizarius *T. 2. tr. 10. Sect. 3. q. 4. n.* 90. Quod attinet ad caſus, in quibus Religioſæ, & Abbatiſſæ poſſunt e Monaſteriis egredi, aut ſinere alios in eadem ingredi, videri poſſunt graves Auctores, qui hanc materiam pertractant.

Deciſum in Sorbona hac die 5. Nov. 1696.
G. *Fromageau*.

Dominus *de Sainte Beuve* 3. Vol. caſu 142. pag. 143. ait hanc Bullam in Gallia omnino receptam non eſse. Videndus *Eveillon* de Excommunicationibus, qui contra ſentit pag. 180. 185. & *Bouchel* in pactis pag. 165.

An Abbatiſſa ſupellectiles ſuas alienare poſſit in ſuorum conſanguineorum egentium ſubſidium.

CASUS II.

Abbatiſſa acceptam a ſuis argenteorum vaſorum ſuppellectilem vendere nequit ad opem præſtandam aliquibus ſibi ſanguine conjunctis in neceſſitate conſtitutis.

QUÆSITUM.

NObili genere nata Virgo Profeſſionem emiſit anno 1623. in rurali Monaſterio; aliquanto poſt inde eſt educta, ut alibi Abbatiſſæ titulum ſumeret; poſtea domicilium rurſus mutavit, & in alio Monaſterio Abbatiſsæ munere functa eſt.

Jam inde a priore illo tempore Conſanguinei, qui ſpectabili genere erant, ei dono dederunt argenti vaſarium ad quatuor mille circiter Gallicas libras.

Illa viginti ab hinc annis, aut circiter, Abbatia dimiſſa, vitam degit in poſteriore Monaſterio, cujus Abbatiſſa fuit, quod numero quartum eſt; eo detulit ſuam argenti ſuppellectilem, quæ quovis Matronam hanc ſecuta eſt.

Quæritur, an eam alienare poſſit, venditione, aut alia ratione, omnino, aut ex parte, ut nonnullis ſuis affinibus ſubſidium afferat, qui gradum obtinent, & gravi neceſſitate premuntur.

RESPONSIO.

Conſcientiæ conſilium ſubſcriptum, quod ea expendit, quæ modo ſunt expoſita, putat, Abbatiſſam, de qua quæritur, cum argenteæ ſupellectilis a ſuis acceptæ proprietatem non habeat, eam alienare non poſſe; ſed penes ipſam nonniſi illius uſum unquam eſse potuiſſe: Abbatiſſæ perſonam

nam , quam antea geſſit , nihil ei juris ad id conferre . Paupertatis votum , quo obſtricta eſt , ei perinde ac ſimplici Religioſæ impedimento eſſe ; & re vera quicquid ea acquirit , non ejus eſſe , ſed Familiæ , ad quam pertinet ; ita ut in ejus poteſtate omnino non ſit elargiri bonum , quod ad ipſam non ſpectat : ad ſummum hujus ſupellectilis uſum habet , ſed ejus proprietas Familiæ eſt .

Dijudicatum in Sorbona die 25. Martii 1682.
Auguſtinus *de Lamet*.

Abbatiſſa , quæ vult ſibi fundum conſtituere.

1 *Abbatiſſa, quæ vult ſuum Monaſterium deſerere, non poteſt tuta conſcientia ſibi fundum ſtatuere, ut inde alibi vivat, ex muneribus, quæ a ſuis accepit, quæque ea mente ſervavit.*

2 *Quicquid accepit, ad Monaſterium pertinet, eique cedere debet.*

QUÆSITUM.

Religioſa ex Ordine S. Benedicti quadraginta ab hinc annis Ordinis ſui Familiam fundare cœpit , Abbatiæ titulo : ii , quibus orta eſt , ſunt illius Fundatores , qui quidem multum tum pro ſua ipſorum liberalitate , tum impetratis a Principe largitionibus ad id contulerunt . Magnos executioni conſilii ſui offendit obices Virgo hæc , præſertim in plurium ſuarum Religioſarum animis ; non ſemel illæ turbarum cupidæ , & rerum temporanearum illecebris irretitæ eam ab inceptis deſiſtere coegerunt.

In hac rerum conſtitutione non vulgaria accepit a ſuis ſubſidia , quorum partem ſuæ Communitatis præſidio eſſe voluit , cæteris caute ſibi reſervatis , providens fore , ut ocius, aut ſerius ad recedendum adigeretur.

Hac in re quæritur I. an argenti reſervati pondus in fundum ; quod ſibi bono ſit , converti minime liceat , in receſſu , ad quem illa ſe redactam videt.

II. Qua via incedendum , ut hæc argenti in fundum converſio legitima , & firma ſit : poſsetne conſanguineis reddi , qui bonum illius uſum facerent in ejus utilitatem ?

III. Cum illa eo ſit animo, ut argentum hoc in Communitatis bonum aliquando vergat, poteſtne in anteceſſum eodem uti in ſubſidium Religioſæ , cui tenetur opitulari ; ejuſque conſanguinei poſſentne id exigere per contractum conſtitutionis , quam facient de ſumma, quam apud eos illa deponet ?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Religioſam, de qua quæritur, non debere munera , quæ a ſuis accepit , tanquam res ad ſe pertinentes ſpectare : hæc eſt definitio Tridentinæ Synodi *ſeſſ. 25. cap. 2. de Regularibus*, quæ ſtatuit , quicquid acquirunt Religioſæ, in Conventus bonum cedere ; igitur hæc Virgo non poteſt, argentum , quod habet , pro libito impendere , nec Parentibus reddere, ut ex eo fundum in ejus utilitatem inſtituant , quandoquidem pro arbitratu id inſumere non poſſumus , quod ad nos minime ſpectat . Summus Pontifex Clemens VIII. id rotundis verbis docet in ea Conſtitutione, qua rationes omnes recenſere ingreditur, quibus regulares poſſunt acquirere, inter quas refert munera , quæ affines Religioſis ſibi affinibus tribuunt ; eſt in Conſtitutione ſexta relata Tomo tertio Bullarii : *quo Tridentini Concilii decreta*, inquit Clemens VIII. *de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſerventur, præcipitur , ut nullus ex Fratribus , etiamſi Superior ſit , bona immobilia , vel mobilia, aut peculiares proventus , cenſus , eleemoſynas , ſive ex concionibus , ſive lectionibus , aut pro miſſis tam in propria Eccleſia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore ; & cauſa , & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum , aut piorum largitiones , legata , aut donationes fuerint , tanquam propria , aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit , ſed ea omnino ſtatim Superiori tradantur , & Conventui incorporentur*. Juxta hanc regulam , quæ a Tridentinæ Synodi decreto minime diſcrepat , conſanguineorum ſubſidia in Virginem conſulentem collata ad Monaſterium ſpectant , ſtatim atque ei traditio facta eſt , licet illa ſemel atque iterum Superioris dignitate potita ſit : verum quidem eſt , penes illam , quamdiu præeſt , adminiſtrationis jus eſſe , ſed cum tollatur id omne jus, dignitate ſublata, ea nullo prorſus modo poteſt illis uti , ſi a Monaſterio recedat ; niſi fuerit Beneficium , quod ipſa dimiſerit cum reſervatione penſionis a Romana Sede conſtitutæ ; ſed cùm id in hac facti ſpecie locum non habeat, nulla apparet juſta cauſa, propter quam Religioſa hæc poſſit in ſuum commodum ex argento fundum conficere. Quia porro rationes in expoſitione propoſitæ doloſæ ſunt, & malæ fidei , eæ proinde probari , aut uſui eſſe minime poſſunt.

Quod ſi Abbatiſſa hæc nequit eo argento uti ad fundum ſibi ſtatuendum , multo minus poteſt illud in alterius Religioſæ ſubſidium conferre, antequam ad Conventum, ad quem pertinet tanquam proprium, revertatur.

Deciſum in Sorbona die 8. Auguſti 1682.
Auguſtinus *de Lamet*.

Abbatiſſa , quæ ſuis Conſanguineis cedit aliquot ſuæ penſionis annua.

CASUS IV.

1 *Abbatiſſa non poteſt Familiæ ſuæ remittere penſionis fructus , qui ſibi debentur.*

2 *Regulæ Eccleſiæ in hac materia.*

3 *Beneficiarii de bonis Eccleſiæ nihil conſanguineis donare poſſunt, niſi pauperes ſint.*

QUÆSITUM.

Cum Religioſæ duæ Sorores annuam penſionem detulerint ad Monaſterium, cujus una poſt aliam Abbatiſſæ fuerunt : earum Familia iis debet aliquot annua . Quæ in vivis eſt , quærit , an ſibi liceat hanc penſionem Conſanguineis ſuis remittere , propterea quod commodis , quæ conſuetudine permittuntur , renunciaverit , cujuſmodi eſt Rheda &c. in ſimplicis Religioſæ modum vitam trahens abſque ullo diſcrimine.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat , Abbatiſſæ non licere ullam remiſſionem facere præteritorum penſionis fructuum , qui eidem à Familia debentur ; eam , cum Abbatiſſæ dignitatem obtineat, debere tanquam bonam Matrem familias , & fidelem bonorum Monaſterii Diſpenſatricem ſeſe gerere , ac ſi Monaſterio Conſanguineos præferat , graviter peccaturam eſſe. Hac quidem in re nullam ei habendam eſſe Familiæ rationem , eoque modo cum ea agendum eſſe , quo cum extraneis Monaſterii ſui debitoribus ageret : *non ſecundum affectum* , ut loquitur Clemens VIII. in Bulla diei 20. Martii 1601. quæ incipit : *nullus omnino , ſed juxta charitatis regulam velati bonus diſpenſator provideat* . Ei ſer-

ſervandam eſſe in hoc negotio Tridentinæ Synodi regulam, prohibentis Eccleſiaſticis ſecundum antiquos Canones aliquid ſuis conſanguineis donare de bonis Eccleſiæ, niſi pauperes ſint: *omnino vero interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent eorum cauſa; immo quam maxime poteſt, eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga Fratres, Nepotes, Propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam Sæcularia, quam Regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſervari, ſed ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.* Cæterum Abbatiſſa non poteſt remiſſioni, quam Familiæ ſuæ facere in animo habet, præſidium quærere ex privatæ vitæ ratione, ſiquidem religioſæ conditioni repugnaret, ſi faſtum, comitatumque retineret, qui nonniſi ambitione niteretur, quique æque adverſaretur paupertati, quam illa vovit, & moderationis, religioſæque virtutis exemplo, quod ſuis ſororibus exhibere tenetur; legat illa, quod S. Benedicti Regula de Abbate habet; ad Fundatores alios, & priorum temporum Superiores oculos, animumque convertat.

Id in cauſa fuit, cur Clemens VIII. in Bulla jam laudata præciperet, ut Superiores ad eamdem cum ſuis Religioſis menſam aſſiderent, abque ullo habitus diſcrimine, cellulam haberent in Dormitorio, nec mobilibus pretioſioribus uterentur; atque audeo dicere, videri portento ſimile, Succeſſores tantorum Sanctorum, Sanctarumque, qui Superioris munere primum functi ſunt, his temporibus abuſu execrando ſibi arrogare jus diſtinctionis a ſuis Fratribus, ſuiſque Sororibus, in remiſſione, ac mollitie.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 12. Octobris 1690.
Auguſtinus *de Lamet*.

An Religioſa valetudinaria poſſit eſſe Abbatiſſa.

CASUS V.

1 *Religioſa, quæ ob ſuas ægritudines ſe ineptam cognoſcit ad ſervandum grave caput Regulæ S. Benedicti, cujuſmodi eſt abſtinentia a carnibus, non debet omnino ad poſſidendam Abbatiam, in qua adamuſſim Regula cuſtoditur, eligi.*

2 *Regulæ benignius in ejus favorem interpretandæ nulla alia cauſa eſſe poſſet, quam non mediocre bonum tum quoad ſpiritale Familiæ, tum quoad temporale.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Religioſa S. Benedicti, quæ in Familia laxiore Profeſſionem emiſit, poſſit tuta conſcientia Abbatiam, aut aliud officium acceptare in Familia reformata, ubi Magna Regula cuſtoditur, cum ipſa ſibi conſcia ſit, ad eam ſervandam ſe ſatis virium non habere ob ſuas ægritudines; ſatiſne eſt eam in animo habere ſe naviter effecturam, ut in Familia regularum cuſtodia ſervetur, & temporalia redigantur ad normam ſubſidiis, quæ ſibi ſperat præſto fore a Conſanguineis, ſuaque in negotiis dexteritate?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, perſonam ad præcipuum aliquod ex capitibus Regulæ S. Benedicti ſervandum ineptam non debere in Superiorem eligi in Familia, ubi ea cuſtoditur; hanc perſonam, ut Religioſa ſimplex in hujuſmodi Familia eſſe poſſet, opus habituram diſpenſatione, atque hanc quidem citra graves cauſas eidem negandam eſſe; cum ii tantum ſint admittendi, qui ita comparati ſunt, ut regulam cuſtodire, & cæterorum more vivere poſſint; ac difficultas major evadit, cum Religioſa ſuæ Profeſſionis Familiam deſerit, ut in alia ſtrictiore Superioris titulum ſumat; neque enim ſatis eſt, in ea eſſe nonnullas ex iis dotibus, quæ in Superioribus requiruntur: univerſas, & ſingulas eſſe neceſſe eſt, ut loquitur Tridentina Synodus *Seſſ. 23. cap. 4. de Ref. nec aliis impoſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoſcantur; aliter ſit irrita proviſio.*

Diſerta eſt in hanc rem Clementis VIII. ſententia in Bulla, *Nullus n. 60. §. 23. ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipue eligantur, qui poſſint, & conſueverint Regulæ Ordinis, & Conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad officium Chori, ac veſtitum, & victum communem*.

Urbanus VIII. Decretum hoc novavit, & confirmavit in Bulla, *Sacra Congregatio n. 28.* Sane Superioris exemplum magni ponderis eſt ad addendos Religioſis animos, iiſque inſpirandum zelum, & fervorem, ut regulam exequantur: quamobrem D. Cæſarius in epiſtola ad Abbatiſſam relata *c. 7.* Concilii primi Aquiſgranenſis *Tom. 7. Concil.* Labbæi an. 816. & apud Baſſæum *Tom. 2. V. Abbatiſſa*, oportere eam docet, ut ad exactam diſciplinam Sorores ſuas pertrahat, exemplo præire, veſci cæterarum more, nihil in menſa ſingulare quærere, nec ſecum in ullo ſuorum munerum diſpenſare: *par ſis in communi cibo, cum quibus uteris pari menſa. Abſtinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces, vel vicinus ſtomachus ſentiat; ne forſitan ſubditæ audientes, tacitis cogitationibus dicant: o quam pulchre nobis abſtinentiam prædicat plenus venter! Et in omnibus his, cæteriſque hoc tibi noveris convenire, ut per anguſti callis itinera, per quæ Socias admones gradiendum, prior ipſa gradiaris.*

Non deſunt Ordines, quorum Conſtitutiones præcipiant, eum, qui in Superiorem electus eſt, electioni ſuæ renunciare, ſi abſtinentiam ſervare, & Choro intereſſe non poſſit. Antonius a Spiritu Sancto ita ſtatutum eſſe teſtatur in tertia parte *Can. 1. n. 8.* Conſtitutionum Carmelitarum Diſcalceatorum: *Nam de jure noſtro*; inquit, *qui ratione alicujus ægritudinis non poſſunt continuo Choro adeſſe, & ab eſu carnium abſtinere, eo ipſo manent inhabiles ad officium Superioris, & ob prædictas cauſas, jam electi, a ſuis officiis removeri debent.* Monialis porro, quæ abſtinentiam cuſtodire nequit, quia infirma eſt, in aliis fortaſſe non paucis ad regulam pertinentibus ob eamdem cauſam deficiet; quo in caſu ejus in Antiſtitam electio nulla foret, Tamburini ſententia *Tom. 1. Diſp. 5. q. 21. n. 15. & 44. de Jure Abbat. Qui eligendi ſunt in Abbates, & Præfectos Eccleſiaſticos, propter curam Dominici Gregis ea valetudine corporali debent pollere, quæ de jure naturæ videtur neceſſaria ad exercendum proprium officium decenter; ita ut ſi talis valetudo non reperiatur, electio nulla erit.*

Ex his omnibus concludamus, Monialem, de qua ſermo eſt, cum in mitiore Familia profeſſionem ediderit, tuta conſcientia nec Abbatiam, nec ullam aliam Præfecturam in ea Familia, in qua ſtricta Regula cuſtoditur, acceptare poſſe, ſi nec valeat, nec vero velit ægritudinum ſuarum cauſa a carnibus abſtinere. Ambitione forſan, aut aliqua humana ratione abrepta futurum putat,

ut per ſe eadem Familia tum quoad ſpiritalia, tum quoad temporalia in ordinem redigatur; verum ipſa ſibi in hoc negotio magnopere diffidere debet.

Si tamen Superiori, qui ſane adeundus eſt, videretur, neceſſarium, vel apprime utile eſſe, ut ea Monaſterii hujus adminiſtrationem ſuſciperet, eidemque nulla alia ratione proſpici poſſe; tunc quidem illa regimen acceptare poſſet; non tamen id vel expetere ipſa deberet, vel ſibi amicorum gratia conquirere; eos enim in Eccleſia gradus quæri non licet; ſed ſolum Deo vocante; & ex obedientia ſuſcipienda ſunt ejuſmodi munera: *Tunc præcepit ei Dominus, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum*, ut de Saule dicitur in Libro primo Regum *c.* 13. *n.* 14. Quæ verba ponderans Gregorius Magnus ita pronuntiat: *Electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, ſed coacti perducuntur*. Monialis ergo noſtra ſe debet in hoc negotio Superiorum conſilio conformare, iiſque rectam, quam ſibi quidem adeſſe putat, intentionem ad examen revocandam ſubdere, tum vero, quod ſibi præſcribetur, id omnino perficere.

Deciſum hac die 6. Octobris an. 1693.
G. *Fromageau*.

Abbatiſſæ adverſus Superiorem querelæ.

CASUS VI.

1 *Epiſcopo, qui Abbatiæ Monialium Superior eſt, temporalium æque, ac ſpiritualium rationem exigendi jus competit.*
2 *Jus hoc præſcribi non poteſt.*
3 *Poteſt ille viſitationis tempore nova ſtatuere, ſtatutiſque Moniales obſequi debent.*
4 *Abbatiſſa debet eum, ſiquidem ita præceperit, in omnibus conſulere: quod ſi facere negligeret, ab eodem puniri poſſet.*
5 *Poteſt ipſe Abbatialem menſam, & peculiarem culinam ei interdicere. Quos pravos effectus producat abuſus hic.*
6 *Recte ſe gerit, dum neceſſitudines, & amicitias peculiares ſub gravibus pœnis prohibet. S. Baſilii doctrina ſuper hoc negotio.*
7 *Charitas, & prudentia id poſtulant ab Epiſcopo, ut ea, quæ præcipere in animo habet, Abbatiſſæ, ac Monialibus acceptanda proponat.*

QUÆSITUM.

IN Abbatia N..... Ordinis S. B.... contenditur Epiſcopum, qui ejus Superior eſt, jus habere viſitationis quoad ſpiritalia, non item quoad temporalia, niſi forte Abbatiſſa iis abutatur. Qua in re animadvertendum venit, I. ab annis viginti quatuor Epiſcopos nec per ſe, nec per ullum Delegatum hujus Abbatiæ viſitationem inſtituiſſe. Hac de cauſa putat Abbatiſſa Familiam ſuam id juris contra Epiſcopum præſcripſiſſe. Jure ne?

II. Facta hypotheſi id ita non eſſe, quæritur, an Abbatiſſa tum quoad temporalia tum quoad ſpiritalia juxta prudentiæ, & œconomiæ leges ſuam Familiam adminiſtrante, jus habeat Epiſcopus de temporalibus cognoſcendi, rationes exigendi, ac definiendi; quod quidem nunquam poſt reformationem factum eſt, cum tamen biennio ante factum fuerit, vacante Abbatia?

Quæritur III. poſſit necne Abbatiſſa huic temporalium examini ſe ſe ſubducere, Abbatiſſæ, quæ præceſſit, exemplo?

IV. An Reformationes, quas vacationis tempore jam edidit Epiſcopus, Abbatiſſam, quæ præeſt in præſentia, ejuſque Moniales obligare poſſint? Dubitandi ea ratio eſt, quod editæ fuere, quin ei, utpote nondum nominatæ proponerentur, & ſine Communitatis conſenſu.

V. An non Abbatiſſa, & Moniales iis conſtitutionibus ſtare poſſint, quæ reformationis tempore editæ fuere, quaſque ejus ætatis Epiſcopus ratas habuit, Succeſſorum nemine novas proponente, eo excepto, qui nunc præeſt? An vero iis ſtatutis ſe ſubdere debeant, quæ necdum edita ſunt, nec Profeſſionis tempore ſibi ſignificata fuere?

VI. Quærit Abbatiſſa hæc, jure ne Epiſcopus prohibere poſſit, ne ipſa in ſuis ædibus Abbatialibus menſam, & culinam habeat; id quod omnibus Abbatibus, & Abbatiſſis per Regulam licet?

VII. An ipſa Familiæ ſuæ Miniſtras inſtituere, & mutare poſſit, inconſulto Epiſcopo, Regula quidem id minime præcipiente?

VIII. An non ipſa Monialibus ſuis ægrotantibus ea ſolatia concedere poſſit, quæ charitas præſcribit, & a ſtatutis, quæ cum ipſarum ægritudine pugnant, eaſdem eximere?

IX. Teneaturne Epiſcopum de iis omnibus, quæ ad propriæ Familiæ regimen ſpectant, conſulere: quod ni faxit, ei ne poteſt Epiſcopus negotium faceſſere?

X. Addendum eſt, ab hoc Epiſcopo leviſſimas quaſque peculiares neceſſitudines prohiberi, & id quidem gravibus pœnis impoſitis. De iis porro vel in Regula, vel in Reformatione ne verbum quidem. Moniales hæ a ſæculari commercio ſummopere abductæ interrogant, an in foro conſcientiæ ejuſmodi Statutum obliget, cum amicitiæ rectæ puræque ſunt, nec regularem diſciplinam perturbant?

XI. Contendit idem Epiſcopus ſe, cum ſibi videbitur, Miniſtras ab Abbatiſſa inſtitutas deponendi poteſtate gaudere; econtra poteſtne Abbatiſſa profiteri, ſe, ad hanc rem quod attinet, ejus auctoritate non indigere, nec ab ipſo omnino pendere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, Superiorem, qui Familiam ſibi ſubjectam viſitandi jus habet, id quoque juris habere, ut cognoſcat, quemadmodum temporalia ibidem adminiſtrentur, quia ſpiritualium fundamentum veluti ſunt, ut docet D. Paulus: *prius quod animale, deinde quod Spiritale* 1. *Corinth.* 15. *v.* 46. Fere quod ſpiritale eſt, non niſi per temporale ſubſiſtit.

Si ergo Epiſcopus hujus Abbatiæ Superior eſt, & quoad ſpiritalia viſitationis jure gaudet, conſequens fit, de Jure communi penes eum eſſe poteſtatem cognoſcendi de temporalibus: eſt hæc Polizarii ſententia *Tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 10. *ſect.* 1. *n.* 58. *ſect.* 2. *n.* 146. Baſſæus *Tom.* 2. *v. Abbatiſſa n.* 22. & Tamburinus *Diſp.* 32. *q.* 13. *de jure Abbatiſſ.* contendunt etiam, Abbatiſſæ, licet temporalium adminiſtratione gaudeat, non licere tamen abſque Superioris, a quo pendet, licentia ullam haud ita mediocrem impenſam facere. Eſt hæc prope communis in Abbatiis omnibus conſuetudo, horum Auctorum judicio: quod ſi ita ſe habet, Epiſcopi poteſtas exigendæ temporalium rationis non debet ad eum ſolum caſum reſtringi, ſi nempe Abbatiſſa male eadem impenderet, quoniam ad hoc incommodum avertendum Epiſcopus cognitionis hujus jure pollet. Videndus Gavantus in ſuo Tractatu de Viſitatione Epiſcopali.

Hoc poſito, ut propoſitis quæſtionibus fiat ſatis, dicitur:

Ad primam. Inferiorem adverſus ſuum ſuperiorem omnino non præſcribere, ut eum impediat, quominus poteſtatem exerceat, quæ

quæ ei de jure communi competit. Si Epiſcopus per longum temporis ſpatium hac poteſtate non eſt uſus, ejus legitimi juris deſuetudo non eſt præſcriptionis adverſus ipſum ſufficiens ratio, quoniam ei liberum eſt non uti, atque uti jure ſuo, prout ipſi libuerit: quod ſi per annos octuaginta eo non eſt uſus, fortaſſe ita ſe geſſit, quod Abbatiſſæ, & Religioſarum opera contentus fuit: uno verbo, ne peculiarem rationem aliquam perſequamur, Epiſcopus jure ſuo omnino non excidit, quod illud in Religioſas, de quibus agitur, non exercuerit: nam de Jure Canonico Viſitationis jus non præſcribitur *c. cum ex offic. de præſcript.*

Ad ſecundam. Id ſolurum manet ex iis, quæ modo dicta ſunt, ita ut Epiſcopo rationem temporalium Familiæ in Viſitatione exigenti parendum ſit.

Ad tertiam. Allatæ rationes non eſſent fundamentum ſatis firmum, cur Abbatiſſa repugnaret.

Ad quartam. Epiſcopus in ſua vacantis Abbatiæ viſitatione potuit novas conſtitutiones edere tam quoad ſpiritalia, quam quoad temporalia, ut pro certo ponunt Theologi, & inter alios Polizarius *Tom. 2. tr. 10. c. 10. ſect. 1. n. 38.* Neque abſolute neceſſe fuit, ut eas Capitulo canonice congregato proponeret, niſi id forte ſtatutis, aut conſuetudine requireretur: neque magis oportuit effici, ut eæ conſtitutiones a Religioſis acceptarentur, quoniam eas edendi jus penes Epiſcopum eſſe ſupponitur; ita enim Superiorum poteſtas ſæpe inutilis redderetur: verum quidem eſt, adminiſtrationis ſuavitatem, niſi rationes firmiſſimæ contra ſuaſerint, poſtulaſſe, ut curaret Epiſcopus eas a Communitate probari: denunciandæ quoque fuerunt eæ Conſtitutiones Abbatiſſæ, cum primum electa eſt; non ut eidem illarum cognitionem ingereret, quoniam eas utpote ſcriptas ignorare non potuit, ſed ut cum ea tanquam Monaſterii Capite ageret honorificentius.

Ad quintam. Quoniam Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. cap. 1. de Regul.* mandat Epiſcopis, ut Religioſarum Familias viſitent, etiamſi exemptæ fuerint, conſequens fit in iis eſſe jus ſtatuta condendi, quibus Religioſæ ad ſuorum votorum, ſuarumque Conſtitutionum cuſtodiam, juxta earumdem ſtatus rationem, & vocationis ſanctitatem, extimulentur: igitur inutile videtur aſſerere, Epiſcopos longo temporis ſpatio nihil novi ſtatuiſſe, ut propterea Religioſæ reluctari poſſint iis, quæ nunc temporis proponuntur. Satis eſt Epiſcopum eſſe Abbatiæ Superiorem, ut jure polleat ea ſanciendi, quæ ad Abbatiæ bonum, & utilitatem tam in ſpiritalibus, quam in temporalibus conferre judicaverit: experientia quippe compertum fuit, quoties Religioſæ ad Epiſcopum confugerunt occaſione temporalium, quorum malum uſum Abbatiſſa faciebat, ejus ſanctiones apprime utiles fuiſſe. Itaque quocumque modo negotium ſpectetur, conſtitutiones per hujus temporis Epiſcopum editæ reiici nequeunt, quin commune jus, quod ei hanc facultatem tribuit, violetur. Hæ conſtitutiones licet novæ, tamen, ut pro certo ponitur, ad Religioſas excitandas, ut ſua vota cuſtodiant, & ad proprii ſtatus ſanctitatem perveniant, accommodatæ non præſentes modo Religioſas obligant, ſed eas quoque, quæ in Abbatia deinceps excipientur.

Ad ſextam. Poſſunt graves cauſæ ſubeſſe, quamobrem Epiſcopus Abbatiſſæ Abbatiali menſa interdicat: re vera cum hujuſmodi menſæ permiſſæ fuerint, ut hoſpitalitas exerceretur, & peregrini, quos Abbas ad ſuam menſam admittebat, exciperentur, quod animadvertit Haſtenus *lib. 11. tr. 3.* id autem Religioſæ præſtare nequeant, proinde abolendæ ſunt. Cæterum ejuſmodi menſæ, & culinæ peculiares graviora ſecum afferunt incommoda, quam ut tolerari poſſint. Etenim ne illud expendatur non mediocre temporalium diſpendium magnis Abbatiſſæ ſumptibus fieri, ei anſam præbent ſecum agendi mollius, quam Religioſa conditio patitur, quin interim videat, bene ne Religioſæ, an male alantur. Hinc obtrectationes, & zelotypiæ, cum Abbatiſſa Religioſas quaſdam, aliis neglectis, ad menſam vocat; quod proinde inter eas diſſidii, & ſchiſmatis cauſa eſſe poteſt. Hinc concludit Tamburinus *Tom. I. Diſp. 26. q. 4.* e re fore, ut hæ menſæ Abbatiales inhiberentur, & Abbates in communi Triclinio veſci juberentur: uno verbo ſatis eſt Epiſcopum credidiſſe ſibi graves cauſas eſſe, cur ita ſe gereret in Monaſterio, de quo ſermo eſt, ut in ejus favorem præſumptio ſtet.

Si quæ Abbatiſſæ menſas, & culinas proprias habent, propterea habent, quod fortaſſe non ita in ordinem redactæ ſunt, ut illa, de qua conſulitur. Fieri poteſt, ut Epiſcopus hanc remiſſionem patiatur, cum ipſi ſe occaſio præbebit, emendaturus. Sed utcumque ſit, cum Abbatialis menſa, & culina peculiaris plerumque ſit abuſus, hoc abuſu tanquam exemplo Abbatiſſa, de qua quæritur, legitime niti non poteſt, ut iis, quæ Epiſcopus hac in re eidem præcipit, reluctetur. Quod ſi ea jus ſuum, ſuamque auctoritatem ab Epiſcopo in hac parte lædi putat, ad Superiorem confugere poteſt, ſed interea obſequi debet.

Ad ſeptimam. Abbatiſſa poteſt eas, quæ officia obeunt, mutare, quantum ejus Conſtitutiones patiuntur: cum enim ſit Monaſterii Mater, illius perinde ac Mater Familiæ ſuæ adminiſtratione gaudet: debet illa omnium optime Religioſas ſuas intus, & in cute noſſe, ut eas ad munia, quæ ipſis congruunt, promoveat, & ab iiſdem, ſi ſuo illæ muneri deſint, removeat: ſed ex eo quod inſciente Epiſcopo nequeat id facere, nihil læditur ejus auctoritas, & ſignificatur ejus ſubordinatio, & ſubjectio, quam eidem ut Religioſæ præſcribit Eccleſia, & a qua ſe nequit eximere, quin violetur obedientiæ votum, quo illa ſe eidem devinxit.

Ad octavam. Poteſt quidem Abbatiſſa Religioſis ſuis infirmis ſolatia concedere, & ab aliquibus Regulæ conſtitutionibus liberare, non tamen proprie diſpenſationis jure, cum ſpiritalis juriſdictionis incapax ſit, ſed tantum declarans illas ad eas non teneri. Si tamen Epiſcopus gravibus cauſis ductus judicet expedire, ſe de Religioſarum ægrotationibus certiorem fieri, poteſt id præcipere. Superioris enim jus, quo gaudet, ſatis momenti habet, ut inferiores ſuos ad ſibi parendum obliget.

Ad nonam. Ex hactenus dictis ſequitur, Abbatiſſam ſubjectam, quæ Epiſcopi ſui ſtatutis non ſtaret, merito dignam fore, cui negotium importaretur, quæque pro inobedientiæ gravitate puniretur.

Ad decimam. Epiſcopus jure optimo affectiones, & amicitias peculiares inter Religioſas prohibuit, quoniam mutuæ charitati, perfectæque concordiæ, quæ in earum Familia vigere debet, illæ opponuntur: præfertur ut plurimum amica cæteris, ſectus eſt animus, neque eadem ratione ſpectantur omnes, quibus Communitas conſtat; quapropter dici non poteſt, in eo Monaſterio, in quo hæ peculiares amicitiæ tolerantur, non eſſe niſi cor unum, & animam unam, ut D. Lucas loquitur de primis Chriſtifidelibus cap. 4. Act. Apoſt. *erat multitudinis credentium cor unum, & anima una.*

D. Ba-

D. Baſilius in Oratione de Vita Monaſtica damnat omnino has amicitias, & Societates peculiares, utpote concordiæ, atque unitati communi, quæ in Monaſterio eſſe debet, maxime oppoſitas: *porro in hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas coiri ſeorſum, aut amicitias, aut ſodalitates: ſiquidem nullo modo fieri poteſt, quin affectiones iſtæ, quæ in hanc magis, quam in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ.*

Unde deducit neceſſe eſſe, ut Superior eum puniat, qui aliquem e ſuis Fratribus majore, quam cæteros, amore proſequitur, utpote qui veræ, & ſinceræ charitati injuriam irroget: *quod ſi quis inventus fuerit, qui majore quadam animi propenſione Monachum Fratrem, vel quemvis alium quavis de cauſa videatur diligere, hunc caſtigare oportebit, ut injurium publicæ charitati, ſiquidem in eo quod quis aliquem unum plus diligit, facile indicat reliquos ſe in amore inferiores habere.*

Hinc S. Pater concludit, imperfectum hunc Religioſum, ut pœnam errori ſuo reſpondentem ſubeat, privandum eſſe communibus bonis Chori, Communionis, Triclinii: *iis autem, qui aliqua culpa deprehenſi fuerint, ad magnitudinem delicti pœnæ etiam modus accommodatur, videlicet ut vel in communi cum cæteris Pſalmorum decantatione intereſſe prohibeantur; vel in adorationis Communionem neutiquam admittantur, itemque a Communione arceantur.*

Præterea non eſt, quod quiſpiam miretur, Auctores, qui de vitæ Monaſticæ officiis agunt amicitias inter Religioſos mutuo, & Religioſas tantopere vituperare. Videri poteſt, quod ait Polizarius *Tom. 2. tr. 10. c. 10. ſect. 3. n.* 303. Zelotypiæ, muſſitationes, temporis diſpendia, negotia, rixæ ſæpe numero conſequuntur has amicitias; itaque quantumvis Religioſæ, de quibus agitur, regulam ſervent, quamtumvis innoxiæ ſint earumdem privatæ neceſſitudines, omnino impediendæ ſunt; ita ut, cum non ſatis caveantur incommoda, quæ ex iis derivari poſſunt, Epiſcopus eas vetare poſſit etiam magnarum pœnarum formidine, ut, quoad fieri poteſt, impediat, ne abuſus hic altas radices agat in Monaſterio, ubi exacta reformatio locum habet.

Ad undecimam, ac poſtremam interrogationem reſpondetur, Abbatiſſam regendæ Abbatiæ jure gaudere; ita tamen ut ſemper a Superiore ſuo pendeat, qui poteſt ejus errata corrigere, ſi de ipſius regimine querimoniæ ad eum deferantur; ita ut poſſit eas, quæ miniſteria obeunt, deponere, ſi ad ea exequenda ineptæ ſint, poſtquam Abbatiſſam, ut eas removeat, admonuerit; id autem poteſt non ſolum Viſitationis generalis tempore, ſed etiam quoties de ipſarum inhabilitate eidem conſtabit.

Additur ad extremum, expedire Monaſterii bono, & Religioſarum inſtitutioni, in hujuſmodi caſibus, & aliis omnibus Superiorem cum Abbatiſſa concordem eſſe; & quemadmodum prudentia, & charitas requirunt, ut ne ſemper is omnem ſuam, quam late patet, auctoritatem impendat; ita ſubjectio, & obſervantia, qua Abbatiſſa ejus ſtatuta proſequi debet, poſtulant, ut ne ſemper ille ſuas querimonias producat, licet eas juſtas putet; multa enim ferenda ſunt, ne majori malo præbeatur occaſio; quoad novas Conſtitutiones, quas edit Superior, debet curare pro viribus, ut a Communitate probentur, quo iis, quas utiles eſſe ſibi perſuaſerint, Religioſæ libentius obtemperent. Quoad fieri poteſt, expugnet oportet animos ratio, & corda facilitas.

Deciſum die 8. Octobris 1701.
G. *Fromageau*.

Quomodo Abbatiſſa ſua penſione uti debeat.

CASUS VII.

1 *Abbatiſſa non poteſt penſionem ſuam Fratri remittere.*
2 *Hujus deciſionis rationes.*

QUÆSITUM.

CUm Epiſcopus N...... abrogaſſet penſiones annuas in Monaſterio N...... ut in commune bonum cederent, hæc conſtitutio vim habuit. Quæritur, utrum B. in hujus Conventus Abbatiſſam electa poſſit penſionem ſuam Fratri remittere. Nititur illa rationibus, quæ ſequuntur. 1. alienum fore ab Abbatiſſæ dignitate penſionem recipere, quæ nihil eſt aliud, quam eleemoſyna. 2. Abbatiſſas, quæ præceſſerunt, id præſtitiſſe. 3. eas penſiones a Tridentino Synodo prohiberi. 4. eas non tribui, niſi quamdiu Monaſterium indiget.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, B. quæ ſui Conventus Abbatiſſa evaſit, omnino non poſſe ſuo Fratri remittere penſionem annuam, ad quam fuit hactenus obligatus. Hæc enim penſio ad Monaſterii bonum confert, non modo poſtquam Epiſcopi decreto ad ærarium commune penſiones redactæ ſunt, ſed etiam propter tritum illud: *quicquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*. B. hoc in caſu de Communitatis bono diſponeret; penſionis quippe remiſſio eſſet alienatio, aut donatio reditus Familiæ; quod illa facere nequit, quin juſtitiæ leges adverſus Monaſterium violet, & graviter peccet adverſus paupertatis votum, quo illa tenetur, etiamſi Abbatiſſæ titulum obtinuerit.

Nec refert aſſerere, ab Abbatiſſæ dignitate alienam eſſe penſionem, quæ eleemoſyna tantum eſt: eadem enim de cauſa oporteret Eccleſiam, quicquid boni poſſidet, remittere, cum id habeat a liberalitate Fidelium, qui in eleemoſynam contulerunt; quoad exemplum ab aliis Abbatiſſis deductum, abuſus eſt, quoniam illæ ſuas penſiones diſponere tuta conſcientia non potuerunt ob rationes, quæ in medium productæ ſunt; ad Concilium Tridentinum quod attinet, tantum abeſt, ut B. faveat, ut potius e converſo ſtatuat *Seſſ. 25. cap. 2.* quicquid Religioſæ collatum fuerit, aut ab ea quocumque pacto acquiſitum, Monaſterii bono tanquam communis ærarii partem accedere: *quovis modo acquiſita Conventui incorporentur*. Ex quo ſequitur, eam nihil omnino poſſe diſponere abſque Monaſterii conſenſu.

Denique ſi B. graves ſibi putat cauſas eſſe, ut Fratri penſionem reddat, nihil tamen debet in hoc negotio conſilii capere, antequam eas cauſas Capitulum legitime congregatum ſedulo expenderit, & Religioſæ Superiores probaverint juxta Bullam vigeſimam octavam Clementis VIII. *Religioſæ*, anni 1594. *niſi in Capitulo generali, aut alia Congregatione, re mature diſcuſſa unanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu, cauſa approbata fuerit.*

Deciſum in Sorbona die 13. Septemb. 1692.
G. *Fromageau*, A. *Chevillier*,
Th. *Durieux*, C. *De Precelles*.

Abbatiſſę ſine Bullis quænam poteſtas eſt?

CASUS VIII.

1 *Rex longa poſſeſſione poteſt præſcribere jus ad Abbatiam nominandi, quod Fundatoribus competit.*

2 *Abbatiſſa, quę Regis nominatione contenta eſt, nec Bullas accipit, adminiſtrandę Abbatię ſuę jure caret. Bullas obtinere quamprimùm debet.*

3 *Profeſſiones tamen, quas recepit, ſuſtinentur in utroque foro.*

QUÆSITUM.

IN Religioſarum Monaſterio trecentis abhinc annis erecto ab egregio Viro, Abbatiſſæ duorum ſæculorum ſpatio a Fundatore nominatæ ſunt, & a Romana Curia Bullas obtinuerunt.

Sed ab octuaginta circiter annis Abbatiſſæ tres confugerunt ad Regem, a quo deinceps nominatæ ſunt.

Fit veroſimile, Succeſſores Fundatoris Abbatiæ hujus de ſuo nominationis jure ignoraſſe, tum quia Abbatiæ cenſus nonniſi quadrigentarum librarum eſt, tum quia eorum domicilium leucis prope centum quinquaginta ab eadem diſtat.

Hoc poſito, quæritur, an Abbatiſſa, quæ octodecim, aut viginti ab hinc annis hoc Beneficio fruitur per Regis nominationem, debeat rurſus proviſionem a Fundatore petere, atque an ſimplex ſchedula ſuo nomine data ſufficiat ad ejus animum tranquillandum?

II. An Abbatiſſa Regis Breviculo ſine Bullis nominata, Bullas accipere teneatur.

III. An Profeſſiones, quas per hoc tempus recepit, coram Deo, & coram hominibus validæ ſint.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ Subſcriptum, ut quæſitis tribus in allata expoſitione contentis ſatisfaciat, exiſtimat.

I. Ut alias res plures, ita jus Patronatus præſcribi poſſe: Si enim jus ad Beneficium eligendi præſcriptione acquiri poteſt, ut dicitur in Capite tertio *de cauſ. poſſ. & propr.*, videtur idem poſſe de Patronatus jure ſtatui. Ita ſentit *de Roye* in Tractatu, quem hac de re edidit, ita etiam Canoniſtæ, modo adſit legitima poſſeſſio cum titulo vero, aut præſumpto tali.

Hoc cum ita ſe habeat, videtur Rex ad Abbatiam, de qua agitur, nominare potuiſſe; ejus nominationis Acta tria, cum annorum fere centum poſſeſſione, ſatis roboris habent, ut jus Patronatus ad eum pertinere judicetur; longa poſſeſſio veri tituli præſumptionem inducit. Hæc eſt ſententia Barb. in caput 3. *cum Eccleſia n. 11. §. verum: ex qua diuturna quaſi poſſeſſione inſurgit præſumptio tituli præcedentis, & ex illa juſtificatur poſſeſſio eligendi.* Eadem pariter eſt ſententia Cabaſſ. *l. 6. c. 21. n. 7.* qui pro certo ponit juxta communem opinionem *l. fin. Cod. de præſcript. long. temp.* inter præſentes cum titulo per annos decem, per viginti inter abſentes, & ſine titulo per annos triginta præſcribi *l. ſicut c. de præſcript. 30. vel 40. ann.* Rationem affert a Jure Civili ductam: *dictum enim tricennium ſupponit probabilem, aut apparentem titulum.*

Itaque Abbatiſſa poteſt tuta conſcientia Abbatiam ſuam retinere, Regii Breviculi auctoritate; Fundatoris favore omnino non indiget; nec tenetur eum de jure, quod ipſi competere putat, certiorem facere: ex eo enim, quod aliquando id juris habuerit, etiamnum habere non ſequitur, quoniam fieri potuit, ut illud Majeſtati ſuæ cederet per contractum, aut alia ratione; atque eſto ita non eſſet, Rex illud præſcripſit. Utcumque ſit, negotium hoc ad Regem, & Fundatorem ſpectat, ad Abbatiſſam vero non videtur omnino ſpectare.

II. Sed illa peccavit graviter, neglecta Bullarum impetratione; nec potuit unquam, neque adhuc poteſt Abbatiæ adminiſtrationem ſuſcipere. Solum Regis Breviculum minime titulum canonicum affert, nec poſſidendi Beneficii jus tribuit: illud nihil eſt aliud, quam ad Beneficium obtinendum præparatio. Videndus *Pinſon de can. inſt. paragr. 2. n. 67.* Regis nominatio locum tenet electionum poſt Concordatum. Ut porro electæ Perſonæ jus compleatur, & ſortiatur effectum ſuum, obtinenda eſt a Superiore inſtitutio, aut confirmatio. His temporibus Pontifex confirmationem, & inſtitutionem tribuit. Ejuſque Bullæ nominationi Regiæ complementum; atque ultimum effectum conferunt: *nominationi Regiæ addenda Pontificia inſtitutio, ſive confirmatio: cum enim nominationem Regiam in locum electionum intraſſe dixerimus; patet electionem ipſam ex ſe non cenſeri canonicum titulum, ſed tantum præparationem ad conſequendum.*

Conſtat etiam ex jure veteri *cap. avaritiæ de elect. in 6.* prohiberi, ne electus ante confirmationem ad Beneficii adminiſtrationem accedat: *Nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur in ſpiritualibus, vel temporalibus per ſe, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos, qui ſecus fecerint, jure, ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos.* Atque in Decretalibus *cap. qualiter de elect. & elect. poteſt.* Innocentius tertius Epiſcopi electionem irritam declarat, propterea quod nonnullorum Clericorum & Laicorum jusjurandum receperit, antequam ejus electio confirmaretur: *verum quoniam electus a vobis ante confirmationem adminiſtrationi Epiſcopatus ſe irreverenter immiſcuit &c. Electionem de ipſo factam duximus irritandam, & quidquid ex ea, & ob eam factum eſt, denunciamus penitus non tenere.*

Provinciæ Bleſenſes *art. 5.* mandant, ut ad Regis Breviculum is, qui nominatus fuerit, Bullas, & Proviſiones intra novem menſes obtineat, aut ſaltem oſtendat ſe in eum finem curas ſuas contuliſſe: aliter excidat nominationis jure, quin alia declaratione opus ſit. Edictum Melodunenſe anni 1606. *n. 12.* hunc Provinciarum Bleſenſium articulum confirmavit; atque addit, a Rege nominatos, qui Bullas intra novem menſium ſpatium non obtinuerint, ad reſtitutionem fructuum, quos per id tempus perceperint, obligari, qui quidem in alimoniis, inſtaurationibus, piiſque operibus impendantur, ſicut per Capitula, & Conventus monerentur Subſtituti Procuratorum, quos Generales appellant.

Videtur Abbatiſſa, de qua agitur, ad juris, & conſtitutionum caſum pertinere; itaque excidit jure nominationis Regiæ, niſi Rex in ſui favoris continuationem concedat illi eam veniam, ut a Romana Curia Bullas petat, quod illa ſine mora facere debet; nam Clementina, *attendentes de ſtat. Monach.* ponit tanquam certum Abbatiſſam confirmatam eſſe oportere, ut de aliis Prælaturis paulo ante dictum eſt.

III. Profeſſiones Religioſarum in hujus Abbatiſſæ manu emiſſæ validæ ſunt: primum quia ſatis eſt, ſi Abbatiſſa hæc a Conventu tan-

tanquam Superior habita fuerit, atque ipſa, & Communitas Profeſſiones has acceptaverint; Profeſſionis quippe acceptatio non juriſdictionis, ſed Superioritatis actus eſt: effectus eſt æconomicæ poteſtatis, cui Religioſarum congregatio ſe ſuapte ſponte ſubjecit. Igitur Abbatiſſa ſatis habuit facultatis, ut Religioſas, quæ in ejus manu Profeſſionem emiſerunt, Communitati tanquam membra corpori adjungeret; & ratione habita Communitati harum recentium Religioſarum curam imponeret. Id quod præſtat omnis Superior, qui recipit Profeſſionem. 2. non poteſt omnino recipi profeſſio, cui Superior Eccleſiaſticus non aſſentiatur. Eidem adſiſtit ipſe per ſe; aut alii perſonæ adſiſtentiam committit *cap. ſtatuimus* 20. *q.* 2. Ita ut ſi quid ex parte Abbatiſſæ defuerit, per Superiorem Eccleſiaſticum, aut per illum, qui eum repræſentat, ſuppleri potuerit: ad extremum ut ex harum Religioſarum animo, quæ in Abbatiſſæ haud Bullis munitæ manu Profeſſiones ſuas emiſerunt, ſcrupulus eximatur; confirmari poterunt ab Abbatiſſa, poſtquam Bullas receperit; ut enim ſecundum plures Canoniſtas, ſi privata Religioſa abſque mandato Profeſſionem acceptarit Superioris nomine, ſufficeret Superioris confirmatio; potiori jure in hac facti ſpecie ſufficeret. Sed quoniam id abſolute neceſſarium non eſt, & poſſet in cauſa eſſe, cur aliquæ Religioſæ de ſuis ipſarum Profeſſionibus dubitarent, non eſt ab eo recedendum, quod ſupra ſtatutum eſt, nempe ad earum validitatem Bullas neceſſarias omnino non eſſe.

Peliz. tom. 2. tr. 10. c. 3 ſect. 2. q. 4. n. 7. Sanchez l. 5. Mor. c. 4. n. 78.
Bonacin. tom. 1. de clauſ. q. 2. diſt. 6. p. 10. §. 6. n. 3. Tambur. de Jure Abbat. diſp. 6. q. 5. n. 1.
Poliz. l. c. n. 5.
Sanchez lib. 5. Mor. c. 4. n. 80. citant plures Auctores.
Bonac. l. c. n. 90
Negat Suarez tom. de Relig. l. 6. 11.

Decisum hac die 13. Februarii 1693.
G. *Fromageau*.

Quam late pateat in Abbatiſſa præcipiendi poteſtas.

CASUS IX.

1 *Abbatiſſis, aut aliis Virginum Superioribus non competit proprie dicta poteſtas præcipiendi ſub pœna inobedientiæ, & in virtute ſanctæ obedientiæ, cum id ſpiritalem requirat facultatem, cujus illæ capaces non ſunt.*

2 *Non poſſunt eæ pro arbitratu, ac levitate quadam his jubendi formulis uti in levibus, ac frivolis rebus.*

3 *In dubio inferiores obedire tenentur. Extra dubium non tenentur omnino.*

4 *Si Religioſa Superior nolit a ſuſcepta ratione recedere, Religioſæ ſuas querimonias ad ſuum Superiorem deferre debent, ut ad id adigatur.*

QUÆSITUM.

Abbatiſſa, cujus adminiſtrationis ratio Religioſis eſt durior, & quæ alioquin de regularitate non videtur valde ſollicita, innumeras leges ſancit ſub pœna inobedientiæ, & in virtute Sanctæ obedientiæ ob res leviſſimas, ex c. ne liceat florem colligere &c.

Quæritur 1. An Abbatiſſa jus habeat hæc præcipiendi?

2. An Religioſæ animadvertentes Abbatiſſam momentis prope ſingulis, & in rebus ad regulam haudquaquam ſpectantibus ejuſmodi præcepta imponere, eorumdem rationem habere teneantur?

3. An Religioſæ graviter peccent, ſi in iis caſibus non obediant, propterea quod iis præcipiatur in virtute Sanctæ obedientiæ?

4. Quomodo Religioſæ ſe gerere debeant, ut ſe ab hac ſubjectione liberent, quam quidem ut intolerabilem ſpectant, quæque re ipſa in Monaſterio querelas, & turbas ciet?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, antequam expoſitis interrogationibus ſatisfiat, duo notanda eſſe.

Primum quidem, intereſſe diſcrimen inter præceptum nixum promiſſione, quam Religioſa edit, Abbatiſſæ ſuæ obtemperandi, & præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ; hoc enim poſterius juxta communem Auctorum ſententiam, & juxta conſuetudinem eſt effectus ſpiritalis poteſtatis, cujus Abbatiſſa fere non eſt capax; illud vero conſequitur æconomicam tantum facultatem, qua nimirum pollet Materfamilias, ut ſuos filios, ſuamque Familiam inſtituat: atque ea facultas Prælatæ, atque Abbatiſſæ convenit.

Alterum vero, Prælatum non debere levia jubere in virtute ſanctæ obedientiæ, aut ſub inobedientiæ pœna; quia enim tunc cenſetur præcipere de plenitudine ſuæ poteſtatis, ea, quæ jubet, gravia ſint, oportet, & lethalis peccati materia.

His ita ſe habentibus, reſpondetur:

Ad interrogationem primam, hanc Abbatiſſam in virtute ſanctæ obedientiæ jubere non poſſe; nam juxta conſuetudinem hæc illi facultas non convenit: cum illa eo modo præcipit, ita eſt accipiendum ejus præceptum, ut, quod poteſt, præcipiat in virtute ejus obedientiæ, quæ ipſi debetur; ſane non videtur Abbatiſſa, de qua quæritur, poſſe ſub pœna inobedientiæ jubere levia, cujuſmodi eſt florem colligere; ſiquidem fere ejuſmodi præcepta nonniſi in gravi materia verſantur.

Ad ſecundam. Aliquid leve videri poteſt, quod tamen ſpectato fine, quem ſibi Superior proponit, ad bonum non mediocre Religioni, & Religioſis peculiaribus afferendum eſſet accommodatum: ut ad Religioſam aliquam in praxi virtutis obedientiæ, cujus indiget, detinendam; tunc enim parendum eſt etiam in rebus, quæ leves viderentur, perinde atque in dubio, quia ſemper in Superioris favorem præſumi debet; ſi tamen ratione finis, & circumſtantiarum res videretur aperte frivola, aut regulæ cuſtodiendæ vix utilis, præceptum irritum eſſet, prout quidem in inobedientiæ pœnam impoſitum, ut ex iis ſequitur, quæ dicta ſunt: ita ut, ſi ſtricte loqui velimus, Religioſæ non tenerentur obtemperare, earumque inobedientia notabilis omnino non eſſet, niſi Superioris, ut Superior eſt, contemptus adeſſet: Si enim ita eſſet, graviter peccaretur, quia tunc Superioritas, ſine qua Monaſterium ſubſiſtere non poſſet, contemneretur, atque auctoritas ad vitæ Religioſæ eſſentiam pertinens, quæ jubendi, & obedientiam exigendi poteſtas eſt, impeteretur. Eſt hæc unanimis Auctorum ſententia.

Quamvis autem præceptum ſuapte natura nullum eſſet, tamen parendum eſſet, quoad Superior aliter ſtatuerit, & rationem, qua ſua auctoritate uti debet, Abbatiſſæ præſcripſerit; idque in bonum exemplum, ne Religioſæ inde anſam arripiant in gravioribus non parendi.

Peliz. t. 1. tr. 4. c. 4. ſect. 5. n. 152. Tamburin. l. c. q. 2. n. 5.

Ad tertiam. Religioſas lethaliter non peccare, modo allatis de cauſis.

Ad quartam. Poſtquam Religioſæ, qua par eſt, obſervantia querimonias ſuas Abbatiſſæ patefecerint, ſi nolit a ſuſcepta regiminis ratione recedere, nec deſiſtat ab iis præceptis, quæ nonniſi ad turbas in Monaſterio excitandas, & Religioſarum animos agitandos comparata ſunt; debent illæ coram Superiore ſibi conſulere, ut Abbatiſſæ poteſtatem in ordinem redigat, ejuſque uſum eidem præſcribat.

Decisum hac die 14. Julii 1698.
Germanus *Fromageau*.

AB-

ABDICATIO.

Beneficii Abdicatio nihil eſt aliud, quam reſignatio pura, & ſimplex, quæ hoc quidem modo fit. Beneficiarius pure, & ſimpliciter ſuo ſe Beneficio abdicat in manu Ordinarii, vel ejus, qui collationis jus habet, ut illud pro ſuo ipſe arbitratu diſponat; & Beneficium tum cenſetur vacans, cum abdicatio admiſſa eſt. Demittendi Beneficii ratio hęc eſt apprime canonica, ejuſque in antiquis monumentis occurrunt exempla plura. Illius tamen veniam Epiſcopi non ita facile concedebant; expendebant enim, an qui Eccleſiaſtica munia, quę obibant, abdicare volebant, ſatis juſtas cauſas haberent, cur id facerent; ac ſi cauſę legitimę non apparerent, abdicationes reſpuebantur. Hę porro cauſę Eccleſię bonum, & utilitatem, atque abdicantis ſpiritalem progreſſum ſemper ſpectare debent. Monet id Innocentius III. ſcribens ad quemdam Epiſcopum, qui ſuum Epiſcopatum abdicare volebat; meminerit, inquit, ſi ſine legitima cauſa facit, quę quidem Eccleſię utilitatem, bonumque reſpiciat, id ſibi non licere. Hę cauſę numero ſex in Canonibus recenſentur, & rediguntur ad corporis infirmitatem, ad ſcientię defectum, ad vitam criminoſam, ad irregularitatem, ad odium populi, & ad ſcandali ceſſationem. Has ipſas cauſas aſſignat Pius V. in ea Bulla, quę incipit: *Quanta Eccleſiæ Dei*, in qua Sanctus hic Pontifex occurrere volens incommodis, quibus ob frequentes Beneficiorum abdicationes obnoxia erat Eccleſia, prohibet, ne Epiſcopi, aliique Collatores eorum demiſſiones ratas habeant, qui eas pręſtiterint abſque legitimis cauſis, cujuſmodi ſunt, inquit ille, gravis ſenectus, aut infirma valetudo, crimen, cenſura Eccleſiaſtica, vel denique retinendi Beneficii inhabilitas, ex eo verbi cauſa proveniens, quod aliud Beneficium impetratum fuerit. Sed hac de re fuſius in titulo de Reſignatione.

Vide (BENEFICIA.
(CANONICI.
(RESIGNATIO.

Simoniaca Beneficii abdicatio.

CASUS.

1 *Si Collator recipiens Beneficii abdicationem, ſe illud in eum collaturum promittat, quem Titularis abdicans ipſi proponit, ſimoniæ reus eſt.*

2 *Si quo ſigno innuat ſe in animo habere ejus voluntati obſequi, id vero tacitum pactum eſt, quod collationem ſimoniacam reddit.*

3 *Haud debet ille hoc Beneficium ei tribuere, qui duo alia poſſidet pluſquam ſufficientia. Tridentina Synodus hanc pluralitatem proſcribit.*

QUÆSITUM.

Titius Religioſus ad Mævium Clericum ſæcularem derivare volens unum ex Beneficiis regularibus, quibus fruitur, cumque id per reſignationem in Pontificis manu factam perficere nequeat: quærit, poſſitne ad Abbatem Commendatarium, qui ejus Collator eſt, accedere, eique abdicationem puram, & ſimplicem exhibere, ſignificans ſe illud in votis habere, ut ejuſmodi Beneficium Mævio tribuatur. Quod hac in re mali ſuſpicionem ingerit, illud eſt, quod conſuetudo, & quædam æquitas, quæ vulgo obtinet, Abbati perfectam, qua pollere debet, libertatem adimet, cui voluerit, conferendi; quamvis enim Titii inſinuatio pacti ſtricto modo ſumpti rationem non habeat, vim tamen quamdam habet obligationis, cui Abbas pro ſuæ fidei dignitate deeſſe non poſſit. Neque illud omittendum, Mævio jam duo Beneficia ſuppetere, ac tertium hoc ad vivendum, ut Clericum decet, ei neceſſarium non eſſe.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut hoc in capite genuinas Eccleſiæ regulas explicent.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Titium, ſiquidem Beneficii ſui canonicam, atque irreprehenſibilem demiſſionem facere vult, eam præſtare debere pure, ac ſimpliciter, quin in alterius favorem cum Collatore loquatur, ut ita is certus ſit ſibi omnino integrum relinqui, in quem ſibi videbitur, Beneficium conferre.

Verum in propoſita facti ſpecie non ita res ſe habet. Titius loquitur, agitque, tanquam qui velit Beneficium, quo ſe abdicat, in Mævium conferri, quique aliter non abdicaret; ideo quippe in Mævii favorem cum Abbate verba facit, ante factam abdicationem; & nonniſi poſt hujuſmodi verba Abbatem orat, ut puram, & ſimplicem abdicationem ratam habeat, in eum ſcilicet finem, ut Abbas conſentiens æquitatis cujuſdam in ejuſmodi caſu ſervari ſolitæ jure teneatur Beneficium in Mævium conferre. Si Abbas in Titii ſententiam deſcenderit, & hujus inſinuationis vi Beneficium in Mævium contulerit: erit id utrinque pactum tacitum, quod ad collationem ſimoniacam reddendam ſufficiet; & enim eſt Juris regula, conventionem omnem in re Beneficiaria Simoniacam eſſe *cap. quæſitam de rerum permutatione: Pactio præmiſſa, quæ fit circa ſpiritualia; vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ.* Id vero tum certius eſt, cum pactum expreſſum adeſt, videlicet ſi Abbas promiſerit firmiter Titio ſe ad ejus abdicationem Beneficium Mævio collaturum.

Hinc

Hinc ſequitur, Abbatem, ne Simoniæ periculum ſubeat, dum Titii abdicationem recipit, reſpondere non debere ſe collaturum Beneficium Mævio, nullumque hujus voluntatis ſpecimen exhibere. Si ille ita ſe geſſerit, non erit particeps conſiliorum Titii, volentis ipſum ad amici ſui nominationem adigere. Verum independenter ab hac præpoſtera cupiditate Abbati ſatis juſta ratio præſto eſt, ne Mævium nominet; habet enim ille duo Beneficia, quæ ei ſuppeditant, unde vivat, ut Vericum decet; porro ex Tridentinæ Synodi mente *ſeſſ. 24. c. 17. de reform.* Clericus duo Beneficia retinere non poteſt, cum ejus congruam ſuſtentationem alterutrum ſufficit. Quamobrem ad Titii Beneficium Mævio tribuendum illud neceſſe eſſet, ut ea Mævius dimitteret, quæ jam poſſidet, ſi tertium hoc ad ejus honeſtam ſuſtentationem ſufficeret. Sed præſtat ab ipſo ea duo, quibus gaudet, retineri, & Titii Beneficium in idoneum virum, qui Eccleſiæ ſervitium exhibeat, ab Abbate conferri.

Deciſum in Sorbona hac die 25. Januarii an. 1698.

G. Formageau.

ABSOLUTIO.

TRibuitur Abſolutionis nomen Actui, quo Sacerdos remittit Pœnitentibus eorum peccata, vi facultatis, quam ſuis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Chriſtus conceſſit, ligandi, & ſolvendi peccata, quique ex Sacerdotis parte continetur certis verbis, quæ ſuper pœnitentem pronunciat, quæque dicuntur Sacramenti Pœnitentiæ forma, quæ triplicis generis diſtingui poteſt; Forma Indicativa, ea nempe, qua his temporibus Sacerdotes utuntur, dicentes: *Ego te abſolvo* &c.; Forma Imperativa, ut ſi quis diceret: *eſto abſolutus*; & Forma Deprecatoria, perinde ac ſi poneretur in certis quibuſdam precibus, quibus a Deo peccatorum venia poſtulatur. Theologorum plures contendunt, Abſolutionem, quam late patet, ad decimum uſque ſæculum apud Latinos in precibus ſitam fuiſſe: quod confirmant ex Tertulliano *cap.* 10. *lib. de Pœnitentia*, S. Cypriano in Tractatu *de Lapſis*, S. Ambroſio *lib.* 3. *de Spiritu Sancto cap.* 18. S. Auguſtino pluribus locis, S. Leone, qui Epiſtola 82. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum Pœnitentiæ formam appellat *Supplicationes Sacerdotum*. Idem conſtat ex pluribus Sacramentariis Gelaſii Papæ ſæculo quinto, & S. Gregorii Magni. Quod Pater Morinus fuſius probat.

A Decimo ſæculo ad decimum tertium hæc Deprecatoria forma adhuc in uſu fuit, quoniam in Ordine Romano, quem nobis exhibuit Hugo Menardus, vix occurrunt alterius generis formæ, & Guillelmus Pariſienſis, qui in Pariſienſi Univerſitate florebat an. 1230. cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ ait Confeſſarium, non ut Forenſes Judices ſolent, pronunciare: *abſolvimus te*; ſed ſuper Pœnitentem Precatione uti, ut Deus ei concedat abſolutionem, & remiſſionem cum gratia ſatisfactionis: *non more Judicum Forenſecorum pronunciat Confeſſor, Abſolvimus te: ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem, & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat*. Poſſent in medium afferri plures alii ejus ætatis Auctores, ut D. Bernardus, Petrus Cellarius, Petrus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis. Sed negari non poteſt, Indicativam formam eodem tempore inductam fuiſſe, & a ſæculo tertio decimo duas ſimul conjunctas fuiſſe, Deprecatoriam, & Indicativam, ita tamen ut deinceps vera, & legitima forma poſterior habita fuerit, quæ proinde ſubſecutis temporibus uſurpari conſuevit, & etiamnum uſurpatur in hæc verba: *ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Apud Grecos tamen ſemper in uſu fuit, atque etiam nunc eſt Deprecatoria, ut oſtendit Morinus, quamvis apud Arendium occurrant teſtimonia, quæ videntur oppoſita.

Eccleſia prioribus ſæculis quoad Abſolutionem cum peccatoribus durius egit, eam negans morti proximis, qui integra valetudine pollentes reconciliationem non poſtulaſſent. Oſtenditur id ex S. Cypriano *Epiſt.* 52. *ad Antonianum*, & Innocentio I. *Epiſt.* 3. *ad Exuperium*. Sed illa quarto ſæculo ſeveritatem hanc molliit, morientibus Abſolutionem tribuens, eam licet in vita nunquam petiiſſent, ut ſtatuit Concilium Quartum Carthaginenſe canone 76. & Arauſicanum primum canone tertio; ideo porro tribus primis ſæculis ita ſe geſſit Eccleſia, quod Patres de pœnitentia, quę uſque ad mortis articulum differretur, magnopere dubitarent. Quod in cauſa fuit, cur S. Auguſtinus diceret, concedi quidem

pœni-

pœnitentiam; non tamen pœnitentem de ſalute certum fieri: *fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia bene hinc exit. Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Vis te dubio liberare? Pœnitentiam age, dum ſanus es. Tene certum, dimitte incertum.* Eſt id in Homilia 41. ſeu *Serm.* 393.

Quamquam in quibuſdam Eccleſiis ne mortis quidem tempore graviſſimis quibuſdam ſceleribus, ut adulterio, idololatriç, inceſtui, aliiſque Abſolutio concedebatur, ut liquet ex pluribus canonibus Concilii Illiberitani, & Sardicenſis, in quo Oſius animadvertens incommoda, quæ ex Epiſcoporum translationibus in Eccleſiam redundabant, hujuſmodi Epiſcopis jamjam morituris Communionem Laicalem negandam propoſuit; cui Patres una voce reſponderunt: *placet*; habetur id in canone primo ſecundum Iſidori verſionem. Non videtur tamen in Eccleſiis majoribus, atque inſignioribus propter idololatriam, homicidium, atque adulterium negata Abſolutio. Huic rei fidem facit Adoleſcenti cuidam inſigni Latroni a Joanne Apoſtolo conceſſa reconciliato. Idem tradit Hermas in Libro, qui inſcribitur Paſtor. D. item Dionyſius Corinthius in Epiſtola ad Amaſtrianos, quam refert Euſebius *lib.* 4. *cap.* 23. Sanctus Irenæus *lib.* 1. *cap.* 9. Tertullianus *lib. de Pœnitentia cap.* 7. S. Dionyſius Alex. apud Euſebium *lib.* 6. *cap.* 36. & Canones Apoſtolici, quorum quinquageſimus primus deponi jubet Epiſcopum, aut Presbyterum, qui peccatori ad bonam frugem redeunti reconciliationem negaverit: *ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter a peccato revertentem non recipit, ſed dejicit, deponatur: quia Chriſtum contriſtat dicentem, gaudium erit in cœlo* &c.

Sed in antiqua Eccleſia nonniſi poſt publicam ſatisfactionem admodum longam, duramque hæc Abſolutio Pœnitentibus concedebatur, & uſque ad ſæculum ſeptimum non conſtat extra caſum neceſſitatis eam fuiſſe conceſſam, niſi pœnitentia omnino peracta; octavo ſæculo concedi cœpit poſt aliquot ſatisfactionis annos; & pro diſciplinç varietate non requiritur in præſens, ut pœnitentia ſecreta peragatur ante receptam Abſolutionem, quamvis Confeſſariis liberum ſit eam differre, quoad eorum prudentiæ, atque æquitati viſum fuerit, ut melius ſuorum Pœnitentium periculum faciant, eoſque aptius ad recipiendam Sacramenti gratiam comparent. Fit inde neceſſaria conſecutione, non eſſe omnino abſolvendos eos, qui peccati mortalis affectum retinent; qui ſæpe in eadem crimina, quæ pluries confeſſi ſunt, relabuntur; qui in peccati mortalis occaſione verſantur; qui renuunt uti remediis ad iteratos caſus evitandos neceſſariis; alioſque, de quibus in Inſtructionibus D. Caroli ad Confeſſarios. Difficilius dictu eſt, quid conſilii capiendum, ſi quis apoplexia correptus nullum pœnitentiç ſignum dare poſſit, neque antea ullum peccata confitendi deſiderium exhibuerit. Communior ſententia eſt, ejuſmodi hominem, ſi publicus peccator ſit, puta gladiator, concubinarius &c., omnino abſolvendum non eſſe; at ſi probus vir, & moderatus ſit, Theologi certant, & adhuc ſub judice lis eſt; ex iis, qui primas tenent, alii negantem, alii affirmantem partem tuentur.

Fere mos obtinebat remittendi publicis Pœnitentibus partem temporis eorum pœnitentiæ prçſcripti, quç proprie Indulgentiarum origo fuit, iiſque Abſolutionem impertiendi, pœnitentia nondum expleta, cum hoc beneficium magno animi fervore, aliiſve de cauſis promeruiſſe viderentur. Romanç, & fere omnium Occidentalium Eccleſiarum conſuetudine concedebatur Abſolutio Pœnitentibus Feria Quinta Majoris Hebdomadç, cui proinde nomen diei Jovis *abſolutæ*, ſeu generalis Abſolutionis. In Hiſpanica, & Mediolanenſi Eccleſia tribuebatur publica Abſolutio Feria Sexta in Paraſceve, atque in Oriente eadem die, aut proxime ſequenti Sabbato, Vigilia Paſchatis. Primis temporibus Abſolutionem Pœnitentibus impertiri ad Epiſcopum pertinebat; ſed deinceps id muneris Presbyteris commune factum.

Exiſtit Abſolutio ab Excommunicatione, quç differt ab Abſolutione a peccatis, quçque nihil eſt aliud, quam Juriſdictionis Actus in externo Eccleſiç foro.

Eſt

Eſt & ea, quę dicitur in Jure *Abſolutio ad cautelam*, quę confertur homini excommunicato per ſententiam, a qua appellavit, ut apud Superiores Judices ſe tueri poſſit. Inditum eſt etiam Abſolutionis, aut potius generalis Abſolutionis nomen orationi, quę recitatur ad calcem cujuſque Nocturni, & Horarum Canonicarum, & orationibus pro Defunctis.

Vide (CENSURAS;
(EXCOMMUNICATIONEM;
(CASUS RESERVATOS.

Abſolutio iis collata, qui peccati habitu detinentur.

CASUS I.

1 *Abſolutio Sacramentalis, & Communio non eſt omnino iis concedenda, quos voluntarius peccati habitus tenet.*

2 *Confutatio Libri Patris Falconii Religioſi Ordinis de Mercede in hoc negotio.*

QUÆSITUM.

Suppliciter petitur a Dominis Sorbonæ Doctoribus, ut ſuper Excerptione Libri, quem Pater Falconius Religioſus B. M. V. de Mercede ſuper Abſolutione, & Sancta Communione compoſuit, ſuam ſcripto ſententiam tradant.

Excerptio Capitis 29. in qua Auctor ſatisfacere contendit rationibus, quas nonnulli afferunt, ne quotidie communionem permittant.

,, Audiendi non ſunt, qui aſſerunt, eum, qui poſtridie ſe relapſurum prævidet, a communione abſtinere debere, perinde atque illum, qui momentis ſingulis in innumera errata incidit; indulget iræ, adhibet imprecationes, juribusjurandis utitur, aliiſque levitatibus, atque infirmitatibus ſubjectus eſt; neque enim ſpectandum eſt id, quod in more habet, quodve ſe poſtridie facturum percipit, ſed ſpectanda diſpoſitio, quæ in præſentia in eo reperitur. Si hoc temporis puncto eſt probe confeſſus, firmumque concepit propoſitum cum divino auxilio nulli peccato aſſentiendi, poteſt abſque ulla difficultate ad communionem accedere, licet ex ſua imbecillitate conjiciat, ſe mox in eadem errata relapſurum. Ratio in promptu eſt, quia cum de Sacramentis adminiſtrandis agitur, non eſt omnino de futuris rebus, ſed tantum de præſentibus judicandum: exemplo res digito tangitur. Si quis modo confiteatur edito veræ contritionis actu, & a Confeſſario Abſolutionem accipiat, licet Deus certo ſciat hunc hominem horæ ſpatio denuo peccaturum, negabitne propterea Deus ei gratiam Abſolutionis tempore? Minime vero gentium; & quicumque contra ſentiret, magnopere falleretur: Deus enim, ut ſuam gratiam communicet, & quempiam amicorum ſuorum numero adſcribat, nonniſi præſentis juſtitiæ rationem habet, & quamvis peccatum futurum prævideat ſuam gratiam modo non negat. Quis igitur poterit, cum æquitate ſe gerens, contritum probe hominem, confeſſumque a Communione repellere propter peccatum, quod minime perpetravit? Nonne eſt id meridiana luce clarius? Immo vero Sancta Euchariſtia ei eſt adminiſtranda, ut adverſus tentationes, quæ eum aggredientur, valde corroboretur, & remedium obtineat ad ſua vitia ſuperanda, & cupiditates reprimendas accommodatum.

,, Ecquid cauſæ erit, quamobrem communione, & ſacræ Humanitatis Jeſu Chriſti receptione privetur: cum Deus, qui horæ ſpatio peccaturum prævidet, eumdem tamen propter ejus præſentem diſpoſitionem ſuum amicum, filiumque conſtituat, eique ſuam gratiam, amorem ſuum, & Spiritus Sancti ſeptem dona largiatur; ſuæ gloriæ hæredem inſtituat, in ejus animam ingrediens, ei ſe amore conjungens, cum omni ſua Divinitate, & ſuam ibi manſionem faciens cum tribus Divinis Perſonis? Mihi quidem nihil occurrit, quod id ſuadeat; præterea certum eſt, & prorſus indubitatum, ſi peccator, poſtquam quotidie lapſus eſt, toties per Sacramentalem Pœnitentiam ſe rurſus erexerit, quotidie dignum fore, qui Dei gratiam, & amorem recipiat, & ſacro charitatis vinculo uniatur ejus Divinitati, quæ majus quiddam eſt: cur igitur haud dignus erit, qui Sanctam Humanitatem recipiat, quæ aliquid minus eſt?

RESPONSIO.

Doctores Theologi Facultatis Pariſienſis viſas, & ad trutinam revocatas propoſitiones in allata Excerptione contentas putant ad duas commode revocari. In prima quidem Auctor ponit tamquam certum, Abſolutionem concedi poſſe peccatori pravis habitibus irretito, licet poſt horam in idem peccatum lapſurus prœvideatur, aut peccaturus momentis ſingulis, aut relapſurus in errata mille, cujuſmodi ſunt jurajuranda, & imprecationes, quas levitates appellat: modo alia ex parte fuerit bene confeſſus, & firmiter propoſuerit ſe in ullum peccatum minime conſenſurum. In altera vero propoſitione contendit non modo peccatorem hunc, abſque alia probatione, poſſe ad Communionem accedere, verum etiam ei permitti poſſe, ut ad eamdem quotidie ſe conferat: atque hæc in Libro univerſo Auctoris mens eſt.

Hæc cum ita ſe habeant, doctrina in duabus hiſce Propoſitionibus tradita, aſſeritur erronea, temeraria, & diſciplinæ, quam hactenus in adminiſtrandis Pœnitentiæ, & Sanctæ Euchariſtiæ Sacramentis Eccleſia ſervavit, maxime pernicioſa, & quod inde conſequitur, ejuſmodi, ut propugnari non poſſit.

Quod ſpectat ad Pœnitentiam, Auctor id proponit, quod a vero alienum eſt; dum ponit hominem peccati habitu detentum, qui poſt horam relapſurus; aut poſtridie millies peccaturus portenditur, in hoc ſtatu confitentem valide confiteri, ſi firmum habeat emendationis, & peccato non aſſentiendi propoſitum: porro ut verum ſit, peccatorem adeo profligatum abſolute bene confiteri poſſe, cum Deus extraordinariam ei gratiam conferre poſſit: nihilominus ſecundum conſuetas Providentiæ leges id nequaquam contingit: Illud etiam falſo dicitur, ideo quia Deus peccatorem poſt horam relapſurum prævidens ei ſuam gratiam Abſolutionis tempore conferre non renuit, ſi veræ Contritionis, aut Attritionis actum edidit: Confeſſarium quoque ei debere Abſolutionem concedere, ſi bene confiteatur, firmumque

habeat

habeat de cætero non peccandi propoſitum , tametſi prævideat eum paulo poſt erratum idem, aut poſtridie errata innumera patraturum , quæ quidem patrare conſuevit : Siquidem reſpondetur , illud eſſe diſcrimen, quod Confeſſarius Contritionis , aut Attritionis veritatem in peccatore cognoſcere aliunde nequit, quam ex exterioribus ſignis , quæ in eo, qui ex habitu peccat, eaque ratione peccat, qua is, de quo Auctor, fere falſa ſunt; præſertim ſi mox relapſurus prævideatur: at Deus peccatorem intus, & in imo corde cognoſcit ipſe per ſe, & certo judicare poteſt, quin errori obnoxius ſit , & quod inde ſit conſequens , dignoſcere , ſincerusne in eo dolor ſit, an fucatus.

Uno verbo repugnat communi ſententiæ, peccatorem , quem peccandi conſuetudo tenet, abſolvi poſſe, cum poſt horam prævidetur iterum caſurus , ſeu poſtridie relapſurus in innumera errata , ut jurajuranda , & imprecationes , hoc Auctoris principio, non id omnino ſpectandum eſſe , quod peccator facere conſuevit , aut quod poſtridie faciet , ſed præſentis diſpoſitionis habendam eſſe rationem , an nempe recte confeſſus ſit ; ac ſi hæc doctrina recipitur , peſſum eunt diſpoſitiones omnes , quas Concilia , Patres , & Theologi hactenus in Fidelibus eſſe voluerunt, ut digne ad Pœnitentiæ Sacramentum accederent.

Tridentinum Concilium , quod Eccleſiæ doctrinæ a Patribus , & Canonibus de Pœnitentia deinceps traditæ adhæſit , & robur addidit, ait *cap.* 2. *ſeſſ.* 14. Pœnitentiam in cauſa eſſe, cur novam vitæ rationem inſtituamus : ***ad quam novitatem per Sacramentum Pœnitentiæ , ſine magnis gemitibus , & laboribus, divina id exigente juſtitia , nequaquam pervenire poſſumus ,*** ad quem quidem uſum eam laborioſum baptiſma Concilium appellat : ***ut merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a ſanctis Patribus dictus fuerit.***

Capite 8. Concilium afferit veri nominis pœnitentiam nos a peccato vehementer abducere , impedire , ne relabamur , pœnitentes magis inpoſterum cautos reddere, & pravos habitus , quicumque antea radices egerunt , penitus extirpare : ***procul dubio enim magnopere a peccato revocant,*** loquitur Synodus de operibus ſatisfactoriis , ***& quaſi fræno quodam a peccato coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ , cautioreſque , & diligentiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitioſos habitus , male vivendo comparatos , contrariis virtutum actionibus tollunt.***

Jam vero ſi peccator hora poſt receptam Abſolutionem , aut poſtridie labitur, ut ſolet , in errata plurima , ut in jurajuranda , & imprecationes, dum iraſcitur , ſatis oſtendit , ſe dignos pœnitentiæ fructus minime feciſſe , & pravum peccandi habitum in ſe ipſo delere nondum cœpiſſe ; quamobrem Confeſſarius ei, quem mox relapſurum prævidit , Abſolutionem tribuere non debuit, atque etiam minus eam , quam non ſemel tribuit , iterare , quippe qui certa iteratorum ejus caſuum experientia edoctus ſit ; peccator enim, qui ſe omnino non corrigit , indignus eſt , qui hoc recipiat Sacramentum , quod debet in nobis novæ vitæ gratiam producere, quoties cum recta diſpoſitione receptum eſt: ***ad quam novitatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, ſine magnis gemitibus, & laboribus nequaquam pervenire poſſumus,*** inquit Concilium : etenim vix, ac ne vix quidem fieri poteſt , ut peccator , in quo diſpoſitiones a Synodo mox aſſignatæ inſint, identidem adhuc millies peccet , ut volebat : igitur Auctor, qui ponit huic peccatori in his circumſtantiis Abſolutionem concedi poſſe , id perſuaſum habeat neceſſe eſt , peccatorem , qui proxima peccandi occaſione detinetur , aut qui vitæ rationem ne tantillum quidem immutat, abſolvi poſſe, quod eſt contra Concilii mentem , & communem Theologorum ſententiam.

D. Carolus, qui fidelis Interpres fuit Synodi , cui ipſe interfuit , qui ejus mentem eſt aſſecutus, & ſtudioſe curavit , ut Conſtitutiones cuſtodirentur , id quod eæ ſignificant, quas ipſe edidit, monuit Diœceſis ſuæ Confeſſarios, in quarta parte Inſtructionum, quas ad eos direxit pag. 766. Suorum Actuum, editionis Italicæ , ut, quoad emendationem detegant , Abſolutionem differant iis, quos in peccatum relapſuros veroſimile judicaverint, quamvis ſe ad vomitum non amplius reddituros promittant, ac proteſtentur.

Duo hæc Tridentinæ Synodi , ac D. Caroli teſtimonia ſatis evincunt , ab Auctore doctrinam proponi Eccleſiæ doctrinæ contrariam, ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem quod attinet.

De ſancta vero Communione Auctor doctrinam tradit minus ſane tolerabilem ; ſcilicet peccatorem , cujuſmodi eſt is , de quo agitur , poſſe legitime ad Communionem accedere ; quod ſane Patrum , Conciliorum , & Theologorum poſt D. Thomam Sententiæ adverſatur . Ab afferendis omnibus teſtimoniis in re, quæ adeo eſt aperta, ſuperſedemus; ſatis eſt cum D. Ambroſio *Ser.* 4. *Adv.* peccatori pravis habitibus implicito dicere : ***mutet vitam, qui vult accipere vitam;*** cum Tridentino Concilio *Seſſ.* 13. *c.* 7. quod magnam reverentiam , magnamque ſanctitatem requirit , ut Sacroſanctum hoc Sacramentum ſuſcipiatur ; cum D. Thoma *Opuſc.* 21. *alias* 58. *cap.* 15. *& ſeqq.* quoad præparationem , quam Fideles afferre debent , ut ad ſanctum Altaris Sacramentum accedant ; nimirum ut novam vitæ rationem , quæ ſuorum morum correctione continetur , inſtituant : denique illi ipſi Theologi , qui ſeveriores non audiunt , animadvertunt , præter peccatum alia eſſe , quæ impediant , quominus ad ſanctam Communionem quiſpiam accedat , ut pietatis, & ſui ipſius curæ defectum ; & generatim quicquid opponitur decentiæ , qua hoc Sacramentum ſuſcipiendum eſt , impedimento eſſe , quominus ſuſcipiatur ; ut proinde haud ſatis ſit ſimpliciter aliquem recte confeſſum eſſe , ut Communionem accipiat: ***certe quo magis ſanctitas & Divinitas cœleſtis hujus Sacramenti Viro Chriſtiano comperta eſt ; eo diligentius ille cavere debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat.*** Bagot. c. 14. Sect. 1. n. 5. de Pœnit.

Ob hæc ſatis nota principia non eſt ad Communionem admittendus peccator , licet eum probe pœniteat , in quo alia ex parte exiſtat impedimentum, quo hujus Sacramenti ſanctitas, & reverentia lædatur; ac multo potiore jure ab ea eſt arcendus is , qui identidem labitur , aut prævidetur in errata plurima, ut jurajuranda , & imprecationes , poſtridie relapſurus . Qui porro nihilominus contendit eum ad Communionem eſſe admittendum, & præterea docet, eam illi quotidie permitti poſſe, quod ſanctis, & puritate præditis animis, qui ab humanis rebus omnibus abducti ſunt , vix conceditur ; frequentibus profanationibus Sacramentum exponit , & Fidelibus exemplum exhibet ſacrilegia innumera perpetrandi ; doctrinam tradit , quæ vix expoſita pias quaſque aures offendit; proponit ſententiam aperte falſam, temerariam, & praxi , quam hactenus Eccleſia in Sanctæ Communionis adminiſtratione ſervavit , oppoſitam : quapropter quin neceſſe ſit afferre rationes alias ad aſſertionem hanc confutandam , uſurpari in hanc rem poſſet id, quod D. Hieronymus in quadam Epiſtola ſcriptum reliquit de ſimilibus propoſitionibus , quæ ipſæ per ſe Fidelibus horrori

horrori ſunt, quaſque exponere ſatis eſt, quin ad earum falſitatem oſtendendam magno labore opus ſit: *Sententias iſtas prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet prima fronte blaſphemia; non neceſſe habet convinci, quod prima ſtatim profeſſione blaſphemavit.*

Deciſum in Sorbona hac die prima Martii 1696.

Germanus *Fromageau*.

CASUS II.

Abſolutio ſub conditione.

QUÆSITUM.

AN conferri poſſit Abſolutio ſub conditione; exempli gratia, liceatne Confeſſario, ſi quem puerum, in quo nondum ſatis rationis detegit, confitentem audiat, eumdem abſolvere his verbis *ſi es capax* &c. aut etiam ſi quis ſenſum, & rationis uſum propter aliquem morbum amiſerit.

RESPONSIO.

Nihil in antiquis monumentis occurrere, quod hujuſmodi conditionatis Abſolutionibus auctoritatem afferat; quod ſi Confeſſario ſe offert dubitandi cauſa, an puer tantum pravitatis habeat, ut lethaliter peccet, dubitare tamen non poterit eumdem poſſe veniale peccatum committere; atque ita poterit abſque conditione Abſolutionem conferre, ſi hic puer de peccato confiteatur, quod ſuapte natura, aut propter aliquam circumſtantiam in eo, qui ſatis haberet congnitionis, lethale eſſet: ſi porro Abſolutionis materiam non reperiat, ac dubius ſit, an in eo ſint peccata venialia, expedit confitentem moneri, ut tranquillo animo ſit, ſibique perſuadeat Abſolutionis materiam haudquaquam ſubeſſe.

Deciſum Pariſiis hac die 23. Auguſti 1674.

Abſolutionis negatio.

CASUS III.

1 *Quamquam Viduæ uſurarios cenſus reſtituere nolenti negari poſſit Abſolutio, eidem tamen Sacramenta publice negari nequeunt.*

QUÆSITUM.

SUppliciter petitur a Dominis Doctoribus, ut definiant, poſſintne Pœnitentiæ, Euchariſtæ, & Matrimonii Sacramenta recuſari Mulieri, quæ uſurarios cenſus reſtituere renuit, conaturque ſe lite tueri.

Præfectus, in quadam Parochia Regius Judex, morti proximus, ut ſuum tranquillet animum quoad cenſus preceptos magnæ pecuniæ vis ſibi debitæ fœnoris gratia, edito teſtamento ſe ſubjicit ſententiæ, & judicio duorum Presbyterorum, quos nominat, ut expendant, judicent, ac pronuncient, coram Leviro ſuo, potueritne jure, ac tuta conſcientia eos cenſus percipere, ac ſi forte judicent haud potuiſſe; vult, & mandat obligationes onerari, ac deleri, quoad compenſetur id, quod male percepit, quodque tenebitur reſtituere.

Poſt Præfecti mortem cum duo illi Presbyteri ad exequendum defuncti teſtamentum conveniſſent, & negotium expendiſſent, judicarentur, pronunciaruntque, coram dicto defuncti Leviro, eumdem Præfectum, dum in vivis eſset, ejuſque hæredes poſt ipſius mortem teneri in conſientiæ foro reddere, ac reſtituere cenſus annorum duodecim, quos idem Præfectus a ſuis Debitoribus argenti fœnori dati cauſa percepit, editoque atteſtationis actu ſententiam ſuam aperuerunt, ut tuta conſcientia eſſe poſſet: Vidua tamen ejus hæres, nolens Viri ſui teſtamemtum hac in parte exequi, aut cenſus annorum duodecim, hoc quidem judicio, male preceptos reſtituere, præcipuorum Debitorum nomine cittata eſt ad locorum Præfectum, ut ab eo cogeretur ipſis eorumdem cenſuum rationem reddere. Adverſus hanc petitionem animum obfirmat Vidua, quæritque tecnas, & perfugia, ne reſtituat, ac ne Viri ſui voluntatem perficiat: publice edicit, ſe nihil unquam reddituram, ſeque horum duorum Presbyterorum judicium flocci facere: id publicum eſt, perſpectum omnibus, & facti evidentia notorium, non ei ſolum Parochiæ univerſæ, ſed aliis etiam circum omnibus.

Quæritur, an Parochus, aut Parochiæ Presbyteri, qui hujus Viduæ dicti Præfecti hæredis pravam voluntatem norunt ſcientia publica, poſſint admittere ad Communionis, extremæ Unctionis, aut Matrimonii ſacramenta eamdem Viduam, quoad uſurarios eos cenſus reſtituere, & Viri ſui teſtamentum exequi renuerit.

Teſtamenti Clauſula.

Vult, & mandat dictus Teſtator, ab hærede ſua infra nominata aboleri contractum ſummæ ducentarum librarum ſibi debitæ ab hæredibus N. per Actum receptum per N. Notarium ejus loci, die 2. Febrarii 1639, perinde ac ſolutione, & ſatisfactione præſtita, pro perceptis cenſibus, ita ad animi ſui tranquillitatem volens, & inſtituens; ſe quoque ſubjiciens idem Teſtator ob eamdem tranquillitatem quoad cenſus, quos Debitorum ſuorum nomine precepit, judicio Domini N. Presbyteri Superioris Seminarii Urbis præcipuæ Diœceſis, & Domini N. pariter Presbyteri Directoris ſui, ut coram Domino N. Leviro ſuo judicetur, ac pronuncietur, an legitime, ac tuta conſcientie potuerit ſummarum ſibi debitarum cenſus precipere; ac ſi forte judicent non potuiſſe, vult, & ſtatui idem Dominus Teſtator, ut ſtatim obligationes abrogentur, prout videbitur ad reſtitutionem obligari; in quem ſinem contractus omnes neceſſarii penes dictum ſuum Levirum ſirmentur, cui quidem hujus ſuæ voluntatis executionem committit.

Deciſio Dominorum ..... Presbyterorum diei 26. Julii 1679.

Nos N. N. cum viderimus Excerptionem, ut decet, collatam Teſtamenti quondam N. Præfecti Regis in N. die 24. Martii 1679. cumque expenderimus ejus clauſulam ſignificantem, eum ad animi ſui pacem, & purgationem ſubjicere ſe, ſuamque agendi rationem quoad cenſus a ſuis debitoribus perceptos ſummarum ſibi debitarum tum per publicos contractus, tum per privatas obligationes ſimplicis mutui, aut pecuniæ fœnori datæ tum a ſe, tum a ſuo quondam Patre, & Domina ſua Matre, judicio noſtro, ut judicemus, definiamus, ac pronunciemus coram Domino N. ejus Leviro, potuerit ne legitime, & tuta conſcientia precipere dictos harum ſummarum cenſus, volens, & inſtituens, ut, ſi judicaverimus, eum ad reſtituendum, quicquid horum cenſuum precepit, obligari, ſtatim poſt deciſionem noſtram Obligationes, Contractus, Schedulæ abrogentur, prout reſtituendum obligari videbitur, nos dicti N. N. his rationibus fænerandi, & ſummarum ei debitarum cenſus precipiendi ad trutinam revocatis, coram Domino N. defuncti Leviro ſupra dicto, poſt Illuſtriſſimi Epiſcopi ...., & ejus Conſilii ſententiam judicavimus, & judicamus, declaravimus, & declaramus dictum Dominum Præfetum non potuiſſe per annos duodecim percipere, & reti-

retinere tuta conſcientia cenſus alicujus ſummæ fœnori datæ per contractus, aut ſchedulas peculiares, & ab ipſo, ejuſve Parentibus editas, atque hac de cauſa in foro conſcientiæ, atque ad ſuam ſalutem in tuto ponendam obligari ad reſtituendos integros cenſus iis, qui jam ſolverentur, & remittandos poſt annos duodecim iis, qui adhuc debent.

Et quantum dictus Teſtator ſummarum ſibi debitarum cenſus aliquos cumulaverit ex pecunia fœnori data, & ſortem inde conſtituerit, eum ad ſortis, & cenſuum reſtitutionem teneri judicamus.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod id vidit, quod modo eſt expoſitum; in ea eſt ſententia; Parochum, & Parochiæ Preſbyteros Viduæ Præfecti Regii; da qua quæritur, Sacramenta publice negare non poſſe; eſt enim Mulier, quæ a ſolvendo, & Teſtamento exequendo coram Judice ſibi cavet: & quamvis illa id mala fide faceret, & coram Deo graviſſime peccaret, negari tamen non poteſt, eam quoad exterius ſe gerere ſervato juris ordine, cum litem deſerat ad Judices, aut coram iis ſe defendat: præſertim cum ex Aulæ Gallicæ inſtituto uſura ſit *mixit fori*, & Sæculares debeant coram Laicis Judicibus, quemadmodum Clerici coram Eccleſiaſticis diſceptare: ita ut expediat expectare, dum lis definiatur, cujus quidem exitus Debitoribus quondam Præfecti Regii ſiniſter eſſe non poteſt; cum vero Cenſuræ Eccleſiaſticæ in hanc Viduam intendi poterunt, facta hypoteſi eam condemnari; quod tamen non erit neceſſarium, quoniam vi jurisjurandi, quod interveniet, ad Teſtamentum exequendum adigetur.

Nihilominus pro diſpoſitione, in qua quoad Pænitentiæ Scrementum detegetur, ita cum ea agi poterit, ut, ſi ita ſe gerere cognoſcatur in Eccleſiaſticorum Regularum, & Epiſcopalis ſententiæ contemptum, & res certo conſtet, ut eſt expoſita, ei neganda ſit Abſolutio, quippe quæ non ita comparata ſit; ut ejus fructum valeat percipere. Porro quod judicatum eſt, non expenditur, ſed id omne ponitur regulis conſonum eſſe, & quod definierunt Eccleſiaſtici duo, quorum judicio ſe defunctus ſubjecit teſtamento quoad reſtitutionem ſortis, & fructuum, ſi ille ſortem ſtatuerit, congeſtis ſummis ſibi debitis, id certo fondamento niti, firmumque eſſe, ſumma a defuncto cumulatam fuiſſe; niſi enim conſtans eſſet, eum ita ſeſe geſſiſſe, in re incerta ad reſtituendum obligandus non videretur.

Definitum Pariſiis die 15. Decembris 1679
Auguſtinus *de Lamet*,

Abſolutio nulla,

CASUS IV.

1 *Abſolutiones, quaſcumque Presbiter ab Ordinario non approbatus impertiit, nullæ ſunt, etiam Jubilæi tempore, licet Pœnitententium Parocho permittente confeſſiones audierit,*

QUÆSITUM.

AN communis error ad Sacramentorum validitatem ſufficiat.

Sacerdos exercitus Jubilæi tempore anno 1692. tranſiens per Diœceſim L. . . a Parocho rogatus eſt, ut in ejus Parochia confeſſiones audiret: quod præſtitit dictus Sacerdos, licet loci Epiſcopus id non probaverit. Quæritur, an Abſolutiones ab hoc Sacerdote collatæ valide ſint?

Dubitandi ratio eſt, 1. quia hic Sacerdos titulum coloratum videtur habere; quamobrem ejus Abſolutiones ratæ cenſendæ ſunt.

2. Auctores non pauci putant Jubilæi tempore Confeſſarium eligi poſſe, modo ab aliquo Ordinario ſit approbatus; propterea quod minime notatur in Bullam, eum ab Ordinario loci, ubi Confeſſiones audit, approbatum eſſe debere, ſed generatim approbatum ab Ordinario. 3. contraria ſententia animos turbat Fidelium, qui huic Sacerdoti ſua peccata confeſſi ſunt, ſi verum ſit eorum confeſſiones nullas eſſe. Quomodo enim Fideles ſcire poſſunt, an Presbyter approbatus ſit, nec ne? Satis eſt, ſi eum approbatum bona fide credant; quod eos credere oportet, præſertim cum illum ſibi a Parocho aſſignatum vident. 4. hæc opinio a probatis Auctoribus propugnatur contendentibus ejuſmodi confeſſiones valere, nec turbandos eſſe Fidelium animos, nec adigendos eſſe eos ad iterandas confeſſiones bona fide factas, poſtquam cognoverit ſe Sacerdoti non approbato confeſſos eſſe. Inter hos Auctores Baſilium, Poncius, & Sanctius hanc ſententiam tuentur hoc nixi principio, errorem commune ſufficere ad Actum validum efficiendum, nec præterea titulum coloratum requiri, ita ut Eccleſia hoc in caſu juriſdictionem ſoppleat, quæ in Confeſſario non approbato deſideratur: quoniam, inquient Auctores hi, ſi ad acquirendam juriſdictionem titulus requireretur, conſequens fieret eam nunquam comparari poſſe præſcriptione, aut longa conſuetudine; jam vero in præſcriptione; quæmadmodum in conſuetudine minime titulo opus eſt.

Baſil. Ponc. l. 5. c. 10. n. 1. ſanct. in ſelect. Diſp. 44. n. 3. ſub fin.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat hujus Sacerdotis Abſolutiones nullas eſſe: etenim 1. verum non eſt, huic Sacerdoti titulum coloratum præſto eſſe: titulus hic eſt approbatio, quæ a Paracho ipſi conferri non potuit; approbatio hæc ab Epiſcopo pendet. 2. haud ſatis eſt Confeſſarium approbatum eſſe, ut ubique confeſſiones audire poſſit Jubilæi tempore; ut enim optime animadvertit Bonacina, (a) repugnat praxis, & Jubilæi Bulla de Confeſſario ab Ordinario loci, ubi confeſſiones audit, approbato accipienda eſt. 3. a vero alienum eſt, abſque titulo colorato ad actus validitatem ſufficere commune errorem. Auctores, qai in morali Theologia inter Rigoriſtas minime recenſentur, ut Sanchez, (b) Bonacina, Reginaldus, (c) Valerus. (d) Diana (e) hanc ſententiam tuentur, & inter alios poſtremus ait opinionem oppoſitam, licet probabilem, novam eſſe. Auctores hi cum aliis pluribus tria ponunt, ut Actus validus ſit.

1. Requiritur titulus coloratus ab eo collatus, qui vere Superior eſt, aut præſumitur talis.

2. Communionis error non trium preſonarum, quatorve, atque error quidem probabilis, & bonæ fidei, non craſſus, & affectatus.

3. Nullum in Miniſtro ſit, oportet, impedimentum, quod naturali, aut divino juri adverſetur; ut ſi ex c. qui non eſt Presbyter, confeſſiones excipiat.

Hoc fundamento nixus Bonacina (f) putat, Confeſſarii ad annum tantum approbati, anno expleto, confeſſiones minime validas fore; ſed ut ut de hoc peculiari caſu ſentiendum ſit, videtur indubitatum, poſitis iis tribus, Abſolutiones Presbyteri non approbati rectas omnino non eſſe, licet videatur talis, propterea quod ei deeſt titulus coloratus, qui cum errore communi eſt neceſſarius. Ita ſentit Panorm. (g) *nec communis error juvat; ex quo deeſt auctoritas Superioris* ejus verba ſunt.

(a) Bonacina T. 1. diſp. 4. q. 7. punct. 7. §. 1. n. 21.

(b) Sanch. l. 3. diſp. 22. n. 48. 49. de Matrim.

(c) Reginald. T. 1. l. 1. n. 90.

(d) Valerius de diff. utr. v. nullitas diff. 5. n. 1. Ferrius Mauri in Valer. q. 5. n. 15.

(e) Diana p. 2. tract. 16. reſ. 43.

(f) Bonac. T. 1. de Matrim. q. 2. punct. 8. n. 27. 28. 29. p. 251. 252.

(g) Panormit. in cap. nihil de elect. n. 11. in c. dudum 2. de elect. n. 20.

Ca-

(a) Cajet. 11. Confeſſio iter. n. 6.

Cajetanus (a) in ſua Summa idem ſtatuit: *tenent geſta ratione publici officii, propter communem errorum facti cum titulo.*

(b) Henriquez l. 6. de Pœnit. c. 6 in comm. litt. E.

Henriquez (b): *item ſatis non eſt error pœnitentis, aut vulgi, niſi concurrat titulus coloratus: ut quia habetur Parochus, vel quia prius approbatus fuerat, nec ſcitur revocatum fuiſſe.*

(c) Sylveſt. v. Confeſſor 2. n. 29.

Sylveſter (c) idem propugnat.

(d) Declar. 30. Martii 1594.

Denique Congregatio Cardinalium ſuper Tridentino Synodo *Seſſ.* 23. *c.* 15. quæſtionem diremiſſe videtur: en verba Declarationis: (d) *Abſolutio data a Sacerdote vigore facultatis generaliter a S. P. vel ſpecialiter a Parocho conceſſa, ſi ab Epiſcopo is Sacerdos examinatus, & approbatus non fuerit, valida non cenſetur, etiam quoad eos, qui tali Sacerdoti bona fide confeſſi ſunt, rati eſſe approbatum, vel ignorantes approbationem requiri. Congregatio enim Concilii cenſuit abſolutionem eſſe nullam, tametſi confitentes quoad Deum excuſari cenſeantur, ubi tamen reſciverint, reiterandam eſſe confeſſionem, reſpondit eadem Congregatio.*

Facile porro ſolvuntur eorum rationes, qui contra ſentiunt: neque enim verum eſt, præſcriptione, aut longa conſuetudine, abſque titulo juriſdictionem comparari; opus eſt titulo, aut tituli præſumptione. Nec verius dicitur Eccleſia juriſdictionis defectum ſupplere, ne turbentur eorum animi, qui huic Sacerdoti bona fide confeſſi ſunt, idem quippe ſtatuendum eſſet, cum Confeſſarius intentionem non haberet, eſſet omnino rudis, aut aliqua in re ad formæ Sacramentorum eſſentiam pertinente deficeret; hæ rationes ſunt ex earum numero, quæ nimis probant, & ſus deque vertunt principia, quæ ad ferendum de Sacramentorum validitate judicium inſerviunt.

Deciſum Pariſiis hac die 12. Maii 1702.
G. *Fromageau.*

Peccatorum venialium, de quibus nulla adeſt contritio, & peccatorum habitualium Abſolutio.

CASUS V.

1 *Pœnitenti peccata mortalia, de quibus contritionem habet, & plura venialia, de quibus nulla in eo adeſt contritio, accuſanti expedit in praxi Abſolutionem differri.*
2 *Pœnitens, qui peccata venialia tantummodo confitetur, nec de iis ſatis contritionis habet, ſacrilegium committit.*
3 *Non eſt omnino impertienda Abſolutio Pueris, qui in Pœnitentiæ Sacramento minime eruditi ſunt.*
4 *Abſolvendi ſunt Pœnitentes, qui memoriæ vitio de ſuis ipſorum peccatis non meminerunt, modo tamen anteactæ vitæ errata aliqua accuſent, & verum divinæ offenſæ dolorem habeant.*
5 *Neganda eſt Abſolutio Pœnitenti, qui non vult ſe cum Adverſario conciliare.*
6 *Poteſt concedi Abſolutio peccatori, ex habitu delinquenti, cum in ejus vitæ ratione detegitur mutatio, & ſubeſt emendationis ſpes, monenduſque eſt, ne relabatur.*

QUÆSITUM.

I. Pœnitens accuſat plura peccata mortalia, & eodem tempore plura alia, quæ ſcit eſſe venialia; eſt in eo contritio de omnibus peccatis mortalibus, quæ deteſtatur, ſeque evitaturum proponit: quoad venialia vero, quæ accuſat, nullam prorſus contritionem affert, nullumque ea amplius non committendi propoſitum; e converſo in ea relabendi diſpoſitio, & affectio in eo ineſſe dici poteſt, propterea quod ſcit ea non niſi venialia peccata eſſe: hæc affectio, aut hæc diſpoſitio vitiatne aliqua ex parte Sacramentum?

II. Alius Pœnitens non accuſat niſi peccata, quæ venialia eſſe novit; haud vere ſtatuit ab iis recedere, atque ex ipſa, qua commiſit, affectione eadem proſequitur; a forma tamen Abſolutionis peccatorum recipienda non abſtinet: quid de diſpoſitione, ac ſtatu ejuſmodi Pœnitentis ſentiendum eſt?

III. Pueri octo, aut decem annos nati ad Sacrum Tribunal accedunt; errata aliqua accuſant; ſed nulla apparet in iis contritio, aut diſpoſitio in ipſorum animis ad ſpectandum Deum, tanquam ſuis erratis offenſum, & vere veniam ab eo petendam: ſuntne pronuncianda in hujuſmodi caſibus ſuper his Pueris Abſolutionis verba, an vero uſurpanda ſimplex tantum oratio, ut *Miſereatur* &c. *Indulgentiam* &c. cum benedictione?

IV. Accedunt perſonæ ætate provectæ, interrogantur, ad inſtituendum etiam examen remittuntur, quin tamen ſe accuſent, aut aliquid meminerint, tametſi quatuor, aut quinque menſium ſpatio confeſſionem non ediderint: quomodo cum iis agendum?

V. Petrus provocatus fuit a Joanne, paris conditionis, pluribus noxiis, & injurioſis verbis in eum jactis; ſed e converſo Petrus par pari retulit, atque ita illi ſe invicem laceſſiverunt: Petrus ad confeſſionem accedit; aitque ſe Adverſario ſuo ex animo parcere, induci tamen non poſſe, ut eum alloquatur, aut aliquod exterius pacis, & reconciliationis, atque adeo urbanitatis ſignum eidem exhibeat, propterea quod contendit Joannem, qui ei prior inſultavit, in hujuſmodi officiis ei præire debere, nulla injuriarum, quas ipſe econtra eidem intulit, ratione habita. Dignane eſt Abſolutione hæc animi præparatio?

VI. Perſona, quæ quorumdam mortalium actuum impuritatis, aut mollitiei pravum habitum contraxit, pluries in hebdomada hæc peccata patrare conſuevit, ejus Confeſſarius Abſolutionem ad tres circiter hebdomadas eidem diſtulit; hoc temporis ſpatio in eadem peccata non eſt relapſa, niſi ſemel in menſe; hæc mutatio eſtne ejuſmodi, ut huic Perſonæ debeat, aut poſſit concedi Abſolutio?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ Subſcriptum reſpondet propoſitis caſibus.

I. Sacramentum nullum non eſſe, quoniam Pœnitens poteſt peccata hæc venialia non confiteri; ſed eſſet, ut videtur, expediens, ſaltem alicujus neceſſitatis, aut ſecundum prudentiæ dictamen hunc Pœnitentem ad aliam vicem remittere, præmiſſa cohortatione, ut quoad venialia peccata ſuam pravam diſpoſitionem mutet; & multo magis, quod poteſt errori locus eſſe, ac timori, ne, quod veniale peccatum creditur, mortale ſit, aut ad mortale peccatum inducat; & quia demum ratione habita hujus pravæ affectionis ad hujuſmodi venialia errata iterum perpetranda non eſt verendum, ne Deus hunc Pœnitentem privet iis auxiliis, quæ impedirent, ne in graviora laberetur peccata, unde ejus ſalutis jactura poſſet exiſtere. Hæc momenta, quæ indigitanda ſunt Pœnitenti, cujuſmodi eſt is, de quo agitur, in cauſa eſſe debent, ut ne cum voluntaria affectione ad peccata venialia, & in obfirmatione ad perſeverandum in ipſis confiteatur: uno verbo Sacramentum non eſt ſane nullum abſolute loquendo, ſed eſt, cur timeatur, ut hic Pœnitens in hujuſmodi diſpoſitione ſatis doleat de mortalibus peccatis, quæ confitetur; atque ita ju-

juvat in praxi Abſolutionem ei differri, quoad ejus diſpoſitio mutetur.

II. Ab hoc Pœnitente Sacrilegium committi, quod mortale eſſe communis opinio eſt, quoniam in gravi materia verſatur, id quod Sacramentum nullum efficit: hic Pœnitens illud nullum reddit vitio ſuo, cum in eo non adſit ſufficiens peccatorum contritio, & quod inde conſequitur, materiam impedit ad Pœnitentiæ Sacramentum in hac hypotheſi neceſſariam.

III. Docendi ſunt Pueri hi, quænam diſpoſitio requiratur, ut Pœnitentiæ Sacramentum utiliter percipiatur; & quoad ſatis inſtructi dignoſcantur, dimittendi ſunt, iiſque differenda eſt Abſolutio.

IV. Abſolvendi ſunt hi Pœnitentes, ita tamen ut aliquot præteritæ vitæ peccata confiteantur, dummodo alioquin conſtet, eos vere peccatorum veniam a Deo petere, prout Deo ipſi nota ſunt. Poſſent impoſterum adduci ad confitendum menſibus ſingulis, ad periculum faciendum, utrum peccatorum ſuorum haud recordarentur; præterea ſi ſcirent legere, poſſent ipſis ſuppeditari libri, qui ad examen faciendum, & peccata ſua diſtinctim cognoſcenda eſſent opportuni.

V. Si Confeſſarius Joannem, & Petrum cognoſceret, deberet eos alloqui, & curare, ut convenirent reconciliationis gratia, & tunc confectum negotium eſſet; at ſi is hac ratione ſe gerere nequit; hoc in caſu Petro recuſanda eſt Abſolutio, ſi ſe Joanni conciliare renuit, quia mortaliter deliquit, ut ſupponitur, injuria injuriam repellens, quod minime licet: nec juvat objicere Joannem primum injuriam intuliſſe, quoniam utcumque ſit, Petrus cenſetur graviter Joannem læſiſſe; ex quo ſequitur, ſi Joannes ad reconciliationem non accedit, Petrum id præſtare debere; haud ſatis eſt, ipſum nihil mali in ſe ipſo Joanni velle; ei præterea exhibeat, oportet, externa honoris officia, quæ eidem debet, non ſolum ut Evangelii præceptum impleat, nempe diligendos inimicos eſſe, verum etiam ut impediat ſcandalum, quod Petrus afferre iis poſſet, qui ejus cum Joanne rationem viderent, quique eos alioquin cognoſcentes, ignorare poſſent, quid inter ipſos acciderit, aut arbitrarentur eos ſibi invicem malum velle.

Ad ſextum, & ultimum caſum, hanc mutationem ad Abſolutionis collationem ſufficere, Pœnitente ſemper etiam, atque etiam monito, ut ſua peccata evitet opportunis remediis, quæ ei deſignare Confeſſarius tenetur; eſt tamen, cur timeatur, quod ſæpe ſæpius experientia compertum eſt, ne hujuſmodi perſonæ his impuritatis habitibus irretitæ adhuc fere, quoties ſolebant, relabantur, licet cum Sacramenti gratia nihil non molirentur, ut ſe continerent; ſi iterati hi caſus prævidererentur, ſuſpendenda eſſet Abſolutio, quoad Confeſſarius de ſui Pœnitentis emendatione certior fieret.

Deciſum in Sorbona hac die 11. Maii 1704.

G. *Fromageau*.

CASUS VI.

Quilibet Sacerdos in mortis articulo poſſet abſolvere.

QUÆSITUM.

Quædam Religioſa Ordinis S. Franciſci ad juriſdictionem RR. PP. Minorum pertinens, a Provinciali, qui Superior eſt, Monaſterium, ubi ea degit, viſitante veniam petit, ut ſibi liceat oblata occaſione extraordinarium Confeſſarium arceſſere, quod eo diſerte recuſante, illa, quippe quæ ſe infirmam ſentiret, & imminentem morbum timeret, eum vehementer exorat, ut ſaltem in mortis articulo hanc ſibi gratiam concedat; ut, cum non ita, ut par erat, ordinario Confeſſario fideret, alium vocare poſſet, cui poſtremum animi ſui depoſitum committeret; ad quod Provincialis, qui ei, quicquid antea petierat, rotundis verbis negaverat, nihil reſpondit: abſoluta eſt Viſitatio, & Provincialis orbem ſuum in ſuæ Provinciæ Conventibus eſt proſecutus; per id tempus Religioſa in morbum incidit, eoque ita premitur, ut ſe ad poſtremum vitæ momentum redactam putet, atque id quidem haud dolo malo; illa Confeſſarium extraordinarium a Prælata petit, quæ Vici Parochum, Sorbonæ Bacchalaureum, prudentia, ſcientia, ac ſeveritate in confeſſionis negotio ibidem inter primos eminentem eidem deputat; & quamvis Prælata ſignificaret, ſe ægre adduci, ut illum Confeſſarium ei concederet, propterea quod a Provinciali approbatus non eſſet; tamen arceſſitur, advenit, inquiens ſe hac urgente occaſione id poſſe facere, & ab ægrota totius vitæ confeſſionem excipit: impugnat id, improbatque Confeſſarius ordinarius, qui Presbyter, atque ibi, ubi Monaſterium exiſtit, in Parochorum numero eſt, ſed nullam tamen in Monaſterium juriſdictionem obtinet, niſi tanquam Confeſſarius a Superiore deputatus.

Quæritur, utrum adeo urgente neceſſitate, in qua ſe poſitam putabat Religioſa hæc, quæ ſibi videbatur ad poſtremum vitæ ſuæ momentum redacta eſſe, haud Prælatæ licuerit extraordinarium hunc Confeſſarium admittere, & Superioris Viſitationum ſuarum curriculo remoti intentionem ſupponere; atque utrum eadem Religioſa haud potuerit legitime ei confiteri, & Superioris ſilentium tanquam tacitum conſenſum ſpectare; ac demum utrum confeſſionem peractam iterare teneatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, confeſſionem a Religioſa, de qua in expoſitione, factam validam eſſe; ad id enim ſatis eſt Religioſam ad mortem comparatam, aut in probabili mortis periculo poſitam fuiſſe, ut is Parochus hoc in caſu ad confeſſionem excipiendam, & abſolutionem impertiendam ſatis facultatis habuiſſe cenſeatur.

Re ipſa Tridentinum Concilium *Seſſ.* 14. *c.* 7. *de Pænit.* enunciat in mortis articulo a quolibet Sacerdote quemlibet abſolvi poſſe: *ne quis pereat in Eccleſia Dei, cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pænitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt*. Neque omnino neceſſe eſt, ſecundum communem Auctorum Sententiam, mortis periculum ſemper certum eſſe; in dubio legitimo quivis Sacerdos id obtinet poteſtatis: quod conſentaneum credendum eſt Eccleſiæ menti, quæ tanquam benigna Mater omnino non vult in dubio filiorum ſuorum quempiam in ſalutis diſcrimen adduci.

Verum quidem eſt, ordinarium Confeſſarium præſto fuiſſe, qui acceſſiri poterat ad hujus Religioſæ morti proxime confeſſionem audiendam, ſed omiſſa hac quæſtione, in qua Theologi diviſi ſunt, quod animadvertit Barboſa ad hunc Tridentinæ Synodi locum numer. 12. an videlicet hoc in caſu Confeſſarius alius acciri poſſit: ſatis eſt dicere, hanc Religioſam Confeſſario ordinario nihil prorſus fidentem, eique non niſi admodum ægre confitentem ſpectari poſſe, tanquam cui deſit Confeſſarius. In Monaſterio, ubi ea exiſtit, ita creditum fuiſſe neceſſe eſt, quandoquidem eſt eo acceſſitus Parochus, de quo

quæ-

quæritur, idemque Parochus, qui ſtrenuus habetur, id quoque perſuaſum habuiſſe, cum licet abſque expreſſa Provincialis Minorum ejuſdem Religioſæ Superioris licentia ejus confeſſionem exceperit.

Dijudicatum in Sorbona hac die 16. Julii 1697.
G. *Formageau*.

Vide, CONFESSIO.

CASUS VII.

Abſolutio a Sacerdote irregulari collata.

QUÆSITUM.

AN Sacerdos ſuſpenſus, qui deinde in irregularitatem labitur, poſſit valide Abſolutionem tribuere: iique, quos abſolvit, valide abſoluti ſint?

RESPONSIO.

Sacerdotem ſuſpenſum, qui in irregularitatem incidit, valide abſolvere poſſe, ſi de ejus irregularitate omnino non conſtat, & quos abſolverit, vere abſolutos fore; non vult Eccleſia privare Fideles hominis opera, cujus inhabilitas non eſt omnino perſpecta.

Abſolutio peccatorum habitualium.

CASUS VIII.

Hæc propoſitio, *qui millies, & millies in eadem peccata relabitur, abſolvi poteſt*, falſa eſt.

QUÆSITUM.

I. QUæritur, an ejuſmodi Propoſitio tuta ſit in praxi; atque an Confeſſarius Abſolutionem differre debeat in eadem peccata ſæpiſſime relabentibus; atque an in eadem crimina caſus adeo frequenter iterati ſint nota inconſtantiæ, ac levitatis humani animi potius, quam impœnitentiæ argumentum; & quod inde conſequitur, an Confeſſarius male ſe gerat, Abſolutionem impertiens Pœnitentibus, qui quotidie, atque adeo horis ſingulis ad vomitum redeunt, quoties ad confeſſionem accedunt.

II. Qui ficte, h. e. abſque ulla contritione, aut attritione peccata ſua confitetur, conſcius ſibi neutram adeſſe, nullo præteritorum criminum dolore concepto, nulloque adhibito remedio, ne eadem amplius impoſterum perpetret, declaratis ſolum peccatis, de quibus meminit: Si deinde hic Pœnitens ſatis doloris habet, ut juſtificationem cum Sacramento conſequatur, Abſolutio, quam alias recepit, incipiet nec ne tunc ſuum effectum producere? teneturne eorumdem peccatorum confeſſionem repetere; nec ſatis eſt; ſi ſuam fictionem tantum declaret Confeſſario cuilibet approbato, cui ſe ſiſtit, quicumque ſit?

RESPONSIO.

Doctores ſubſcripti pronunciant, Propoſitionem his verbis conceptam: *Confeſſarius non debet omnino ſuſpendere Abſolutionem iis, qui millies, & millies relabuntur in eadem peccata: atque hi caſus iterati non ſunt omnino ſigna impœnitentiæ, ſed ſolum notæ levitatis, & inconſtantiæ humani animi; atque ita hic Confeſſarius male ſe gerit, ſi non abſolvit eos, qui in eadem crimina momentis ſingulis relabuntur*. Hanc, inquam, Propoſitionem non modo in praxi minime tutam eſſe, ſed etiam eſſe ejuſmodi, ut pœnitentiam ſaluti prorſus contrariam præſcribat. Sane Innocentius XI. aliam proſcripſit huic ſimilem, quæ ſi minus iiſdem verbis concepta eſt, eamdem tamen notionem habet. Eſt numero ſexageſima: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis nulla ſpes appareat; nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem*. Gregorius VII. abuſum animarum ſaluti adeo pernicioſum ætate ſua repreſſum voluit, coacto in Britannia Minore Concilio ann. 1079. ut Binius memoriæ prodidit; atque in peccatis pertinaciter obfirmatos abſolvi vetuit; en Synodi verba: *Frequens erat in Britannia hoc tempore, quod abſque aliqua emendatione peccantes, in iiſdem peccatis perſeverantes abſolverentur. Hoc malum Eccleſiæ Gregorius Papa ſublatum volens, legationem decrevit in Britanniam Minorem, ibique mandavit celebrari Concilium, quo pœnitentia illa, qua populus ſeductus erat, plane proſcriberetur.*

Idem eſto judicium de alia Propoſitione, cum ſcilicet, qui abſque dolore peccata ſua confitetur, & ſe illum non habere probe novit, nec vult habere, ad eadem peccata deinde confitenda non obligari, cum requiſitam dolorem habet. Hæc Propoſitio defendi nequit, & Tridentinæ Synodi Deciſioni pariter omnino repugnat *Seſſ.* 14 *cap.* 5. Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam deſtruit, totiſque viribus a praxi exterminanda eſt.

Deliberatum Pariſiis hac die 13. Februarii 1683.
A. *de Lamet*.

Abſtinentia a carnibus diebus prohibitis.

CASUS I.

1 *Qui ad Catholicam fidem recens reverſis, ſpecie tantum Catholicis inſerviunt, illis tuta conſcientia carnes parare non poſſunt diebus, quibus Eccleſia iis veſci prohibet.*

2 *Si tamen ejuſmodi recuſatio poſſet ipſis non mediocre damnum afferre, citra peccatum iis obſequi poſſent.*

QUÆSITUM.

PEtitur humiliter a Dominis Sorbonæ Doctoribus, ut explicare, ac definire difficultatem velint, quæ ipſis in hac conſultatione proponitur.

Quæritur, an antiqui Catholici famulantes iis, qui recenter Eccleſiæ redintegrati, male converſi, & non niſi ſpecie tenus, & formidine Catholici ſunt, afferre poſſint tuta conſcientia Dominis ſuis carnis fercula, quæ illi ſumere volunt diebus ab Eccleſia prohibitis, cujuſmodi ſunt Feria Sexta, Sabbatum, Quadrageſima, Vigiliæ, quibus jejunium præcipitur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Recentium Catholicorum male converſorum Domeſticos non poſſe tuta conſcientia Dominis ſuis edendas carnes apponere diebus ab Eccleſia vetitis, quia eorum peccati, cui cooperarentur, participes eſſent. Qui contra ſentiunt, hoc principio nituntur, cum aliquid ſuapte natura eſt indifferens, & non niſi abutentis pravitate malum, id ei poſſe abſque illius peccati participatione, aut cooperatione comparari. Porro inquiunt illi, carnem edere, aut non edere, eſt ex earum rerum numero, quæ in ſe ipſis malæ non ſunt, quoniam ejus uſus bonus, maluſve eſſe poteſt; ita ut dum ea quiſpiam veſcitur die vetito, hæc inobedientia oritur ex ejus

prava diſpoſitione, non autem Domeſtici, qui ei nutritionem parat, ex quo concludunt hunc hominem nonniſi ad actionis ſubſtantiam concurrere, ſcilicet ad alimentum, quod ipſum per ſe innoxium eſt, & ad Legis Eccleſiaſticæ violationem, quæ in eo eſt, non refertur omnino.

Huic doctrinæ reſpondet Conſilium, has diſtinctiones inter actionis ſubſtantiam ex una parte, & intentionem, ac circumſtantias ex alia in Metaphyſica admitti poſſe, in Morali non poſſe; has ſubtilitates magis eſſe opportunas ad actionem in theorica; quam in praxi dijudicandam. Itaque licet carnis uſus non ſit malus ipſe per ſe, ſed ejus pravitas omnino pendeat a diei vetitæ circumſtantia, qui tamen ſuum miniſterium exibet alteri, quem eo male uſurum eſſe pro certo habet, cenſetur in praxi actioni malæ, prout generatim, & non prout præciſe de ſubſtantia actionis accipitur, cooperari: ita ut ad cooperandum peccato minime oporteat hominis legem violantis malitiam ob oculos habere, ſed ſufficiat ad id ſcienter concurrere: ſed ut hæc doctrina imprimis utilis in meliore lumine collocetur, duo ſunt in caſu propoſito animadverſione digna.

Primum eſt, cibos Dominis ſuis a Domeſticis paratos, iis diebus, quibus parantur, vetitos eſſe: qua in re intereſt inter cibos certis quibuſdam diebus ab Eccleſia vetitos, & illos, quibus uti iiſdem diebus permittitur, & in quorum uſu peccari poteſt, ut ſi quis immodice iis veſceretur, aut exquiſitiores nimio cum impendio compararet. Domeſtici peccant, dum diebus vetitis prioris generis cibos parant; quia de illorum, qui eos comedunt, peccato certo conſtat; cum e converſo aliorum peccatum non ſit evidens, neque iis quoque competat, qui hos cibos parant.

Alterum eſt, eſſe diſcrimen inter eum, qui exhibet univerſim aliquid, quo bene, aut male uti liberum eſt, & quo prævidet aliquem forſitan eſſe abuſurum, & eum, qui quempiam videns in occaſione proxima, & diſpoſitione actuali eo abutendi, quod eidem offert, ab eo tamen offerendo non abſtinet. Lanius ex. c. ſuas carnes accedentibus quibuſque vendit: ſupponit, ſcit etiam, inter eos, quorum gratia comparantur, non defuturos, qui diebus vetitis iis veſcantur; hic Lanius non eſt omnino eorum peccati particeps, propterea quod id dignoſcere non tenetur, quod difficillimum, ac ſæpe etiam impoſſibile foret.

Ita ſtatuunt Theologi plures, & inter alios M. *Duval 22. tract. de fide quæſt. 7. art. 2. concluſ.* 2. Non eadem eſt ratio Domeſtici, qui Dominis ſuis carnem vetitis diebus edendam exhibet. Non poſſet ab hujus peccati parte excuſari, tum quia interdictos hos cibos parat, tum quia proxime ad actionem concurrit, qua Lex Eccleſiæ violatur. Imitatur Mercatorem, qui cognito alicujus Ethnici actuali conſilio Sacrificium Idolis ſuis offerendi, Bovem, aut Agnum immolandum eidem venderet. Communi ſententia extra omnem dubitationem poſitum eſt, hunc Mercatorem huic idololatriæ cooperaturum, & participaturum eſſe.

Ex his omnibus illud fit conſequens, eos, de quibus conſulitur, non poſſe tuta conſcientia Dominis ſuis carnem parare, quam diebus ab Eccleſia prohibitis comedere in animo habent. Videndus Gabriel *in quartum diſt. 16. q. 3. art. 3. dub. 6.* Silvius *in 22. q. 77. art. 3. q. 1. concluſ.* 5. Comitolas *lib. 7. rep. moral. q.* 50. Baſil. Poncius *l. 5. c. 18. §. 7. n. 48. de matrim.* Tolet. 6. *cap.* 5. *n.* 7. Si tamen eſſet, cur Domeſtici timerent, ne a ſuis Dominis durius exciperentur, aut ſi probabiles cauſæ ſubeſſent iis obtemperandi, id abſque ſcrupulo facere poſſent, quandoquidem Eccleſiæ, utpote benignæ Matris non ea mens eſt, ut præceptis ſuis grave aliquod incommodum iiſdem importet. Aſſerit id Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num.* 5. poſt plures alios: *ob eamdem rationem, non eſt licitum famulo, vel cauponi in Civitate Catholica carnes die interdicto coquere hæretico poſtulanti, niſi gravis neceſſitas, minarum v. 9. urgeat, & abſit ſcandalum, & periculum alterius majoris mali.*

Dijudicatum hac die 23. Aprilis 1697.
G. *Fromageau.*

Vide (JEJUNIUM.
(QUADRAGESIMA.

CASUS. II.

1. *Adoleſcentula Reformata, ſeu Calviniana ad catholicam fidem inſciis Parentibus converſa poteſt a ſuo Epiſcopo, vel a ſuo Parocho veniam petere Quadrageſimali tempore carnes edendi, ad evitanda incommoda, quæ certo ſibi ab iiſdem Parentibus imminerent, ſi ipſis de facta ab ea Religionis mutatione conſtaret.*

QUÆSITUM.

Adoleſcentula converſa, quin id ejus Parentes norint, apud eos degens, & ad eorum menſam comedens, interrogat, poſſitne carnibus veſci, v. c. Quadrageſimalibus diebus, ne perſecutioni ſubjecta ſit, quam illi dubio procul in eam intenderent, ſi Catholicam eſſe cognoſcerent.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum reſpondet, Adoleſcentulam hanc, cujus converſionem Parentes ignorant, ad ſuum Parochum confugere debere, qui poterit in Quadrageſimali abſtinentia cum ea diſpenſare. Melius etiam eſſet, Diæceſanum Epiſcopum conſuli, ut hanc diſpenſationem, poſtquam rem omnem expenderit, ipſe conferret, utque ita huic Neophytæ ab ejus Parentum Calviniſtarum perſecutione caveret. Idipſum Catholici facere conſuerunt in iis locis, ubi minime tolerantur: ſe celant, & aliorum more veſcuntur, ad evitandam perſecutionem.

Deciſum hac die . . . .
Germanus *Fromageau.*

ADULTERIUM.

Adulterii crimen ſemper omnes fere homines, & magis etiam barbari ſunt execrati. Neminem latet hoc vocabulo ſignificari commercium illegitimum cum perſona conjugata, quod in Jure dicitur: *Alicujus tori violatio.* Porro crimen hoc tribus modis patrari poteſt, aut ab homine conjugato cum libera, aut a Fœmina nupta cum libero, aut cum denique uterque matrimonio junctus eſt, atque hoc poſtremum peccatum eſt adulterium duplex. Sacræ litteræ pluribus in locis ejus gravitatem enun-

Can. lex illa 36. q. 1.

enunciant, & inter alia cap. 23. Eccleſiaſtici : *ſic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primo enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit: & ſecundo in virum ſuum deliquit, tertio in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Hæc in Eccleſiam adducetur . . . . derelinquat in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur*. Lex Moyſis lapidibus obrutam voluit Mulierem in adulterio deprehenſam, ut legitur in Levitico *cap.* 10. *ſi quis*, inquit, *abutitur uxore alterius, & mœchatur cum muliere proximi ſui, vir adulter, & mulier adultera ſimul moriantur*. Et licet neque hoc in loco, neque in Deuteronomio clare explicetur, quo mortis genere ſint afficiendi, Judæi videntur id explicare dicentes Chriſto Domino Joan. 8. Moyſem ſibi præcepiſſe in Lege hujuſmodi lapidare. Eccl. c. 3. v. 31.

Non minorem ſeveritatem ad hujus criminis punitionem Ethnici contulerunt. Romuli Lege Viro permiſſum erat uxorem morti tradere, quæ adultera detecta eſſet. Romanæ Leges hac poſteriores hanc occidendæ adulteræ libertatem ſolum penes mulieris patrem eſſe voluerunt; ac ſi vir ſuæ juſtæ indignationis vi ſe abripi paſſus eſſet ad ſuum dedecus violatoris uxoris ſuæ morte ulciſcendum, venia concedebatur, quin aut in ipſum, aut ejus ſervos tanquam homicidas animadverteretur. Juſtinianus mandat Mulierem hoc ſcelere fœdatam flagellis cædi, & in Monaſterio concludi. Athenis mulieris patri, Viro, atque etiam fratri permittebatur, hominem, qui in adulterio deprehenſus eſſet, impune interficerent. Verum ſubſecutis temporibus hæc ſeveritas remiſſa eſt; hodieque in Gallia privatur mulier Dote ſua, iiſque, quæ dotis titulo a viro accepit, atque in Conventum conjicitur, ubi ejus penſionem vir ſolvit. In Reſcriptorum Dictionario plura occurrunt ejuſmodi exempla.

Cum porro inter Caſuiſtas fuerint, qui aſſerere non ſint veriti commercium cum muliere, conſentiente viro, adulterium non eſſe, & ſufficere in confeſſione ſimpliciter dicere fornicationis peccatum commiſſum eſſe: Innocentius XI. hanc propoſitionem damnavit tanquam ſcandaloſam, pernicioſam, erroneam, & pias aures offendentem, iter ſexaginta quinque, quas proſcripſit die 2. Martii *1679*.

Vir Adulter, cujus uxor divortium petit.

CASUS I.

1 *Mulier, cujus vir adulterii crimen pluries commiſit, non tenetur ei conjugale debitum reddere.*
2 *Reſponſio ad Juris textus, quibus ad id obligari videtur.*

QUÆSITUM.

Livia ſe a viro ſejungere in animo habens eum de libidine accuſat. Ait illa, cum novem ab hinc annis, & amplius eum corruptum eſſe ſenſiſſet, eum aliud ſibi malum nominaſſe, quod cognitionis defectu facile credidit. Ab eo tempore ſeu ne cum ea malum communicaret, ſeu ne ei filii naſcerentur, ipſum ſemper de induſtria a perſolvendo conjugali debito abſtinuiſſe teſtatur. Sed cum animadvertiſſet, aliquot ab hinc menſibus, eum denuo corruptum eſſe, is eam de rei veritate certiorem fecit, ſe irquiens eam luem traxiſſe ex Adoleſcentula, quam in Provincia cognoverat; quamobrem conjugalis cum eo commercii omnino ſolvendi conſilium cepit.

Vir ſe a novem annis corruptum negat, aut a ſe unquam patrata in matrimonii uſu ea crimina eſſe, quorum Livia eumdem inſimulat. Poſterius erratum fatetur; ſed cum Confeſſarium adierit, & Abſolutionem obtinuerit, eam ſibi veniam ab uxore concedendam eſſe contendit, quam a Deo impetravit. Addit, a Livia, quippe quæ ſciat eum ſibi a Fœmina temperare non poſſe, charitatem poſtulare, ne ſe repellat, ad ea evitanda peccata, quæ cum aliis patraret, & quorum ipſa cauſa eſſet. Allegat etiam in ſui gratiam canonem: *Quod autem &* quoſdam alios Juris textus. Reſpondet Livia ſe amplius non poſſe Viro in ſuas libidines relapſo indulgere, ſua intereſſe ejus commercium vitare, ne ipſa ejus labe inficiatur: Sibi per Evangelium licere a viro adultero divortium facere, & charitatis ordinem requirere, ut ſe Marito ſuo præferat: ſe a virili conjunctione ſummopere abhorrere, & multo etiam magis ab hujuſmodi viri conſortio, qui eam nefandis incommodis, atque adeo morti reddit obnoxiam.

His de cauſis ad Dominos Sorbonæ Doctores ſibi confugiendum putavit, qui judicarent, an ipſa peccet renuens viro debitum reddere: ſe quidem nulla re adduci pateretur, ut poſitivis actibus ad ejus damnationem concurreret; ſed non oportere credit, ſe iis damnis, quæ proponit, ſubeſſe, ut viri ſui incontinentiæ remedium afferat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, difficultatem generatim, aut cum circumſtantiis, quæ in re propoſita occurrunt, ſpectari poſſe.

Si juris habetur ratio, quod pars innocens acquiſivit ſe ab ea ſeparandi, quæ fidem violavit adulterium committens, certum eſt eam nulla Lege obligari, ut ſe cum noxia conciliet, eique jura reddat, quibus ante peccatum gaudebat, etiamſi ſe correxerit. Ita D. Tomas *in* 4. *diſt.* 35. *art.* 6. *ad* 2. S. Bonaventura in eumdem locum *ar.* 1. 2. *&* 3. & poſt ipſum Theologorum plerique contendunt, licet adulteram fœminam ſummodere pœniteret, (idem de Viro ſtatuendum eſt)

eſt) virum adduci non poſſe, ut eamdem recipiat, eique debitum reddat. *Quantumcumque tamen mulier faciat pœnitentiam, nunquam acquirit jus in virum, ipſo nolente, niſi vir fornicetur: & hoc propter contumeliam, quam intulit matrimonio, quia directe peccavit contra bonum fidei.*

Jus hoc partis innocentis perpetuum eſt. Dicitur enim Matthæi c. 5. v. 32. *omnis qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa.* Ita ut cum divortium Magiſtratus auctoritate firmatum eſt, innocens poſſit religionem amplecti, aut ſacris ordinibus initiari, atque ita ſceleſtæ parti conjugale jus impoſterum ſemper adimere. At ſi infidelitas coram Judice probata non ſit, licet innocenti parti minime liceret divortium facere; ei tamen ſemper in conſcientiæ foro jus competit, infideli parti debitum recuſandi. Neque enim id ei juris acquiritur Juſtitiæ regulis, ſed Rei crimine.

Contendit Ledeſma definitam eſſe quæſtionem a Stephano V. *cap. admonere 33. q. 2.* ubi ait Pontifex a Viro uxorem dimitti poſſe, quæ fidem violarit: id abſolute, ac ſine reſtrictione licere, vel peracta annorum ſeptem pœnitentia.

Juris textus, qui in contrarium proferuntur, doctrinam hanc non evertunt. Primo caput, *Ego dixi 35. q. 1. c. 7. quem ubi extra* ductum eſt ex Hermæ Paſtore, libro apocrypho, & auctoritatis proinde nullius. Videri poteſt, quid de eo ſentiat Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca: deinde caput, *ſi vir de adult.* convenientiæ, & charitatis, non autem neceſſitatis debitum innuit: ita ut mulier, cujus vir adulterium commiſit, poſſit revera ei debitum reddere, ad id tamen penitus non obligetur. Monet id expreſſis verbis Gloſſa in hunc locum, & Gloſſa Barboſæ: *debet debito honeſtatis, non neceſſitatis, quia etiam poſt pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulterio 33. q. 2.* Poſtremus denique textus, qui objicitur, eſt canon, *quod autem 32. q. 1. c. 7.* qui rem hanc non definit omnino. Id ſolum habet, virum injuriam ſibi per adulterium illatam conjugi ſuæ condonare debere, nec malo in eam animo eſſe oportere; non inde tamen ſequitur, eidem a viro reddenda eſſe jura omnia, quibus antea gaudebat.

Sanchez *lib. 10. diſp. 13. n. 18. de matrimon.* Baſilius Poncius *l. 9. c. 19. n. 7.* hos Juris textus explicant in hunc modum, alias etiam eorumdem explanationes afferunt. Hic poſterior plures recenſet antiquos Theologos, ut oſtendat ſententiam hanc communiorem, magiſque probatam eſſe.

Cabaſſutius probe id omne, quod dictum eſt, confirmat his verbis: *Quod vero dicitur cap. ſi vir ſciens de adult. debere a viro uxorem pœnitentem recipi, intellige cum Gloſſa ibi, de convenientia, non de conſcientia, vel obligationis debito: abſolute enim loquendo ſi vir hanc injuriam ſponte non condonet, aut niſi ipſe pari quoque delicto peccaverit, liber in perpetuum a conjugali onere manet: idemque juris habet fœmina innocens reſpectu mariti adulteri; adeo ut re juridice probata, poſſit conjux innocens non modo dimittere conſortem invitum, ſed præterea Religionem ingredi, aut ſacris ſe Ordinibus alligare. Can. Agathoſa 27. q. 2. & cap. Conſtitutus, & cap. Veniens de comit. conjug.*

Verum quidem eſt nonnullos Auctores, ut Layman *lib. 5. tr. 20. q. 3. c. 7. n. 16.* & Eſtium *in 4. diſt. 35. ſ. 6.* aſſerere, licet pars innocens generatim non teneatur ei ſe conjungere, quæ fidem conjugalem violavit, etiam poſtquam reſipuerit, & pœnitentiam egerit, ad id tamen ex charitate teneri in quibuſdam caſibus, ut cum id impedimento eſſe poteſt, quominus rea pars relabatur in crimen, & incontinenter vivat.

Sed cum Auctores hi præcipue nitantur capite, *ſi vir ſciens de adult.*, credendi ſunt id unum iis ſibi velle, quod hoc capite continetur. Animadvertimus porro ibi non de ſtricti nominis obligatione, ſed de conſilio, & ſimplici cohortatione ſermonem eſſe.

Præterea ut horum Auctorum ſententia vera eſſet, in hac certe facti ſpecie locum non haberet. In hac enim pro certo ponitur, Virum relapſum eſſe, & non ſemel fidem uxori debitam violaſſe. Eſt etiam, cur ille credatur infectus, ac ſaltem timeatur, ne ſatis ab infectione vetere convaluerit. Itaque Conjux ei ſe tradens, ſemetipſam in diſcrimen adducit. Pœnituiſſe quidem, ac reſipuiſſe dicitur; ſed id certo non conſtat, atque æger credi poterit, ſi ex præteritis judicetur. Hujus igitur ſuppoſitæ converſionis expectandus eſt exitus, ejuſque veritas apparebit ex ipſius actionibus, ſermonibus, & rationibus, quibus utetur, ut impoſterum ab iteratis caſibus ſibi caveat.

Id expectans Livia poteſt ſe a viro ſejungere, cum ex repetita ipſius infidelitate id juris adepta ſit. Quod ſi addantur circumſtantiæ in expoſitione notatæ, merito dici non poterit ea conjugale debitum renuens a charitate deficere, quæ mulierem cogit eſſe de viri ſui ſalute ſollicitam: ut enim jam dictum eſt, charitas ab ipſa debet incipere; ac ſi ejus deſiderium hac in re illa non perficit, id ipſe ſibi imputet neceſſe eſt, quippe qui vitio ſuo ipſe conjugali jure indignus evaſerit. Poteſt ille præterea aliis uti remediis, ut incontinentiæ ſuæ conſulat. Non eſt ei valde laborandum: probatum Directorem adeat, & quod ille præſcripſerit, exequatur. Is ei rationem indigitabit faciendæ præteritorum criminum pœnitentiæ, & conſequendæ a Deo gratiæ in eadem non amplius impoſterum relabendi.

Igitur ex iis omnibus conveniat neceſſe eſt, Liviam poſſe viro ſuo, quicquid ille in conjugalem fidem peccavit, remittere, eique ex charitate debitum reddere: ſed ad id ſtricto jure non obligari, & a Confeſſario hac de cauſa Sacramentis privari non poſſe.

Deciſum hac die 5. Auguſti 1698.

G. *Formageau.*

In adulterio a viro deprehenſa mulier.

CASUS II.

1 *Confeſſario graves cauſæ ſubeſſe poſſunt, ut virum obliget, ne ſe ab uxore ſejungat, quam in adulterio deprehendit.*

2 *Id ſtricte nonniſi de cohabitatione intelligitur; poteſt enim vir tori divortium facere, ſi nihil aliunde ſit, quod eum cogat in matrimonii uſu cum uxore convivere.*

QUÆSITUM.

Deprehendit vir conjugem in adulterio; eam deſerere, atque ab ejus uſu abſtinere ſtatim conſtituit: huic conſilio repugnat Confeſſarius, eique perſuadere vult, ut illi parcat, & ſe eidem denuo conciliet. Jure ne hic Confeſſarius Marito huic Abſolutionem negat, niſi Conjugi parcat?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat Confeſſarium, qui ad tribuendam uxori veniam, & rurſus ineundam cum ea gratiam virum, de quo conſulitur, adducere in animo habet, poſſe id conſilii capere variis de cauſis. I. ſi norit in eodem genere hunc hominem deliquiſſe; tunc enim vir jure caderet in uxorem animadvertendi, quoniam ipſe violatæ conjugalis fidei reus eſſet, *C. intelleximus,*

ximus, & C. tuas fraternitatis extr. de adulteriis C. ſignificaſti C. ex litteris extra de divortiis. II. poteſt huic Confeſſario ex hujus hominis confeſſione perſpectum eſſe magnis incontinentiæ periculis ipſum ſubeſſe, ſi a conjuge abſtineat, cum de pluribus contra caſtitatem peccatis ſe apud eum accuſaverit; hoc enim in caſu eſſet, cur Confeſſarius crederet hunc hominem ſibi ab uxore temperare non poſſe, quin ob peccata, quæ patraret, de ſalute periclitaretur, ac proinde curandum foret, ne ab ea diverteret. III. facta hypotheſi maritum hunc contra matrimonii fidem nunquam peccaſſe, & a concubitu vacare poſſe, ſi conjugis ſuæ crimen probare nequeat, atque illud conſequi, ut per Eccleſiæ, aut ſæcularium Judicum auctoritatem ſibi liceat ab ea recedere, Confeſſarius perſuaſum habere debuit hujus veniæ faciendæ facultatem ſibi quoque deeſſe, quamlibet Pœnitens de commiſſo adulterio ſe certum putaverit; atque adeo illud ſuiſmet oculis viderit. Hac in re Confeſſarius ducem, ac Magiſtrum ſecutus eſſet D. Thomam *in 4. diſt. 35. qu. 1.* S. Bonaventuram, Richardum Mediæ Villæ *in 4. diſt. 35. qu. 3.*, de Turrecremata *in cap. ſeculares 33. qu. 2.* Quod tamen de ſeparatione quoad habitationem eſt accipiendum; ad conjugale enim debitum quod attinet, vir ad id non amplius tenetur, ſtatim atque ei de conjugis infidelitate certo conſtiterit. Eſt tamen opinio D. Thomæ ſententiæ contraria, quam Paludanus propugnat *in 4. diſt. 35. qu. 1.* art. 4. *concluſ.* 3. contendens, cum alteruter conjugum de alterius adulterio certus ſit, poſſe reo nuncium remittere, licet crimen probari nequeat: hanc ſententiam confirmat etiam Sotus *diſt. 36. q. unica art. 3.* Sanchez *de matrim. l. 10. diſp. 11. v. 12.* & Panorm. *cap. final. de adulteriis*. Poſſet quidem Eccleſia in eum animadvertere, qui accuſationem ſuam probare non poſſet, ſi mulier conquereretur; & cenſuris Eccleſiaſticis eam recipere cogeretur. Ratio eſt, quia ſi hujuſmodi ſeparationes ad ſolam alterutrius conjugum aſſertionem tolerarentur, conjugatorum plures divortiis, & ſejunctioni bus exponerentur, quæ ſæpenumerò fundamento, & legitimis cauſis carerent. Si igitur is, qui conſulit, vellet tori ſeparatione contentus eſſe, nec ſeparandæ habitationis conſilium capere, Confeſſarius ob hanc cauſam ei Abſolutionem negare non poſſet. Neque enim opinione magis recepta niteretur. Quamvis enim maritus uxorem ſuam charitate proſequi teneatur, poſtquam illa ei fidem fregit, non tenetur tamen ei conjugale debitum reddere, eamque a tori conſortio arcere poteſt, quamdiu in animi diſſolutione perſiſtit. At ſi ea reſipiſcat, poteſt cum ea gratiam inire, atque ut antea, convivere.

Deciſum Pariſiis die 20. Februarii 1682.
Aug. *de Lamet*.

Vide (VENDITIO.

Adulterium cum conjugii promiſſione poſt legitimæ uxoris mortem.

CASUS III.

1 *Cum marito, qui aliqua ex ſuis conſanguineis abutitur cum promiſſione matrimonii poſt naturalem uxoris mortem, Epiſcopus ab hoc duplici impedimento diſpenſare non poteſt.*

2 *Debet ad Romæ Pœnitentiariam ſe conferre, ut ab adulterio abſolvatur, & ad Dattariam, ut a conſanguinitate diſpenſationem obtineat.*

QUÆSITUM.

PEtrus matrimonio junctus rem habet cum Joanna ſibi tertio, ſeu quarto conſanguinitatis gradu conjuncta, quæ ei ſe dedit ob eam cauſam, quod eam ſe ducturum poſt ſuæ conjugis mortem eidem promiſerit; & conjux quidem paulo poſt naturæ debitum ſolvit. Joanna ſex menſium fœtum defert; Petrus de ejus connubio ſollicitus ad impetrandam affinitatis diſpenſationem Epiſcopum adit, qui in tertio, aut quarto gradu diſpenſandi poſſeſſione gaudet. Epiſcopus id facere cogitans monitus eſt Petrum cum Joanna adulterii labe pollutum eidem Matrimonii fidem dediſſe, idque alterum impedimentum eſſe, in quo nequit Epiſcopus diſpenſare. Alia ex parte ſi Joannam Petrus in uxorem non ducit, ipſa infamiæ notam ſubibit. Rogantur Sorbonæ Domini, ut definiant, an in his circumſtantiis poſſit Epiſcopus adulterii cum ejuſmodi promiſſione conjuncti diſpenſationem concedere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, cum præter conſanguinitatis impedimentum exiſtat alterum proveniens ex adulterio cum promiſſione ineundi cum Joanna conjugii, Epiſcopum in utroque diſpenſandi poteſtate carere. Quod autem de conſecutura Joannæ infamia objicitur, diſpenſationi, quam Epiſcopus concederet, haud ſatis auctoritatis affert. Vix enim fieri poteſt, ut ne vel poſt matrimonium hæc mulier infamiam ſubeat. Id unum ei reſtat, ut fœtus edendi gratia ſe alio conferat, ab Aula Romana diſpenſationem expectans: ambo enim eo confugiant neceſſe eſt, atque una ſe conferant ad Pœnitentiariam, ut ab adulterio abſolvantur, & ad Datariam deinde, ut conſanguinitatis diſpenſationem obtineant. Ac duplex quidem impedimentum Pœnitentiariæ diſerte exponant, oportet. Hæc facti ſpecies neutri parti ulla ratione eſt favorabilis, immo vero maxime odioſa eſt, ſiquidem adulterium cum matrimonii promiſſione conjunctum ad intentatam cognatorum alicui mortem proxime accedit; quamobrem diſpenſatio non eſt ita facile concedenda; ætas autem infantis, qui eſſet illegitimus, ſi ante initum Petri cum Joanna conjugium naſceretur, nos Dominos minime perſuaſit poſſe Epiſcopum diſpenſationem, de qua agitur, impertiri.

Deciſum hac die 4. Octobris 1697.
G. *Fromageau*.

Proles ex Adulterio.

CASUS IV.

1 *Si cui naſcitur ex nupta proles, cujus ſe Patrem eſſe moraliter certus ſit, compenſare debet eidem injuriam ex adulterinæ Prolis ortu tum ipſi, tum aliis ipſius filiis illatam.*

2 *Si dubia res eſt, debet reus ad filii educationem conferre, prout ad ejus ortum contulit.*

QUÆSITUM.

CUm Petrus prope menſis ſpatio rem habuiſſet cum Maria Joannis conjuge, qui per id tempus eam de more cognovit; Maria concepit, & paucis poſt diebus ante novem menſes a ſuæ cum Petro libidinis exordio filiam in lucem edidit. Semper illa perſuaſum habuit, ſemperque Petro confirmat eam eſſe ejus filiam, tum propter ipſorum commercium, tum quia puellæ oculi mirum in modum Petri oculis ſimiles ſunt.

Poſt id tempus Maria naturæ ceſſit, & Petrus de infantula animi pendens Dominos Doctores rogat, ut edoceant, quid in hoc negotio quoad Deum facere teneatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ſentit, licet ea puella ex viri cum Maria concubitu concipi potuerit, nec præſto ſint notæ prorſus indubitatæ eam ex Petri commercio conceptam eſſe, ſi tamen attentius res expendatur, ipſam Petri eſſe videri longe vero ſimilius. Etenim I. fere novem menſibus poſt primum cum Maria crimen proles in lucem prodiit. II. Maria ſæpius Petro aſſirmavit eum ejus prolis patrem eſſe; hoc autem teſtimonium gravis eſt ponderis, niſi alia ex parte Petro juxta cauſa ſubſit, cur Mariæ fidem non habeat. III. oculorum ſimilitudo nonnullius momenti argumentum eſt, quod iis additum, quæ dicta ſunt, rei veriſimilitudinem auget, perſuadetque Petrum hujus puellæ revera patrem eſſe. Quapropter videtur jure concludi poſſe Petrum ad ea damna ſarcienda teneri, quæ hujus prolis ortus aliis Joannis filiis affert, & impoſterum afferet, cum iis bonorum Patris, & Matris in partem veniens, & propter impenſam, quam ante partitionem Joannes in hujus puellæ gratiam facere cogitur.

Sane plures Auctores, ut Sylvius *in 2. 2. q. 62. art. 2. concluſ.* 4. Bonacina *q. 4. punct.* 15. *n. 8. de matrim.* Baſſæus *v. adulterium n.* 3. adulterum ad ullam reſtitutionem non teneri contendunt, niſi certitudo moralis adſit eum infantis in adulterio geniti patrem eſſe; quod hoc in caſu non ita videtur. Licet enim hæc puella oculis Petrum exhibeat, eique pluries Maria dixerit ipſum illius patrem eſſe, nihilominus Bonacina teſte errori obnoxia ſunt ſigna hæc, nec ad confirmanda Mariæ verba ſatis roboris habent: *Adulter autem dubitans, an proles ſit ſua, poſſidet ſuam libertatem, & pecuniam: & hoc verum eſt, etiamſi cum juramento mater dicat eſſe filium adulteri, & proles ſuſcepta imaginem referre videatur adulteri: nam hæc ſunt ſigna fallacia.*

Conveniat neceſſe eſt horum Theologorum auctoritate ſententiam hanc probabilem reddi; ſed oppoſita ſententia eſt longe probabilior. Si enim utrinque dubitandi cauſa ſit, juxta Molinam *de juſt. & par. tom. 4. tr. 3. diſp.* 103. & Layman *tr. 3. p. 3.* 14 *n. 3.*, Maria fato functa, tenetur Petrus ſaltem quoad partem incommodum reparare, quod hujus prolis ſuſceptio Joannis familiæ importavit, propterea quod verus ejus pater is eſſe videtur. Non me latet, quod vulgo dicitur, in dubio debitorem ad ſolvendum non obligari ecundum illud, *potior eſt conditio poſſidentis*. Scio equidem etiam de filiorum ex adulterio ſuſceptorum nativitate hanc ſententiam intelligi, atque affirmari in dubio patrem, & matrem ad ullam reſtitutionem non obligari. Additur & illud, ſi, an proles legitima ſit, dubitetur, in ejus favorem præſumi, & talem cenſendam eſſe.

Sed reſpondetur. I. ſi prolis nativitas dubia ſit, quia mater duobus hominibus ſui copiam fecit, par eſſe, utrumque pro ſua quemque parte teneri prolis alimentum, & ſuſtentationem ſuppeditare. Quod hic quidem locum habet. Cum enim in foro conſcientiæ certum non ſit Petrum potius quam Mariæ Virum puellæ parentem eſſe, ejus educatio ad utrumque pertinet, nec juſtitiæ conforme eſſet id oneris maritum tantum ſubire.

II. Cum poſſeſſio in dubio favorabilis eſſe dicitur, id de bonæ fidei poſſeſſore accipiendum eſt, quique nihil contra juſtitiam commiſit, quod dubitandi occaſionem præbuerit. Porro Petrus quoad maritum contra juſtitiam peccavit ob commercium cum ejus conjuge, commercium, quod eum maxime reum conſtituit. Non eſt igitur ille ex eorum genere, quorum gratia firmatum eſt illud in jure, *melior eſt conditio poſſidentis*.

III. Inter patrem adulterinæ prolis, quæ naſcitur *durante legitimo matrimonio*, & prolem ipſam diſcrimen intercedit. Favor matrimonii, quo conſtante nota eſt, ejuſque innocentia efficiunt ipſius conditionem maxime favorabilem. Hinc tritum illud Juris in ejus favorem: *is eſt filius, quem nuptiæ demonſtrant*: ita ut vel repugnante adulterio in ſui ſtatus poſſeſſione perſiſtat, & legitimus præſumatur, quoad contrarium aperte ſit demonſtratum.

Non eadem eſt ejus ratio, qui adulterium commiſit; cum enim certo res ſit, & quoad maritum adverſus juſtitiam peccaverit, quoad oſtenderit ex ſuo crimine nullum ei detrimentum fuiſſe importatum, illata extranea prole, ſemper ei ſummopere nocuiſſe, & quantum ad prolis ſuſceptionem contulit, ad compenſationem obligari cenſebitur. Ad hujus doctrinæ confirmationem animadvertendum eſt, haud fore juſtitiæ conſonum, maritum ad infantis, cujus fortaſſe non eſt pater, & eorum, quorum ſe patrem eſſe certus eſt, educationem æque obligari; ſiquidem priorem educans nunquam non timet, ne ſua bona extraneo ſuppeditet. Juſtum eſt igitur, adulterum, qui in id diſcriminis maritum adduxit, ad hujus prolis educationem conferre, quia periculum hoc eſt argenti pretio æſtimabile, debetque ſumma damno, quod inferri potuit, reſpondere.

Ex his omnibus illud conſequitur, Petro cauſam ſubeſſe credendi ſe, quod ei pluries Maria teſtata eſt, hujus puellæ patrem eſſe; id quod aliæ notæ, de quibus dictum eſt confirmare poſſunt: ac teneri ad injuriam, quam ipſe, & Maria marito, aliiſque filiis intulerunt, quoad poterit, reparandam.

Quod ſi Petrus dubitat, an ipſe puellæ ſit pater, debet pro dubitationis damnum ſarcire, prout nos explicuimus.

Deciſum die 20. Auguſti 1700.
G. *Fromageau*.

Beneficiarius Adulterii accuſatus.

CASUS V.

1 *Beneficiarius ad duarum mulierum, quarum mala vitæ ratio, depoſitionem adulterii reus cenſeri non poteſt.*
2 *Liquoris ad abortum procurandum accommodati compoſitio hujus Eccleſiaſtici manu ſcripta ad eum convincendum non ſufficit.*
3 *Contumacia Judici jus non affert eum Beneficio privandi, niſi in quibuſdam caſibus.*

QUÆSITUM.

Beneficiarius apud Officialem ſuum accuſatur; inter teſtes Fœminæ duæ nuptæ deponunt eum ſecum ipſis rem habuiſſe, & ex iis una liquorem ſibi ab eo datum addit, ut, quia ſe fœtu gravatam ajebat, abortum faceret: eo tamen ſe uſam non eſſe ſubjungit, & aliunde ipſam gravidam fuiſſe omnino non innotuit. Fœmina hæc ex proſtitutarum numero eſt, ita vulgo nota, alia vero admodum mala opinione laborat: aliæ depoſitiones poſſunt argumento eſſe, ut Eccleſiaſticus duobus hiſce criminibus obſtrictus credatur; ſed poſitivi nihil occurrit præter harum duarum Fœminarum indicium. Quod impudica mulier aſſeruit, probari poſſet ex eo, quod ejus liquoris conficiendi ratio hujus Beneficiarii manu ſcripta inventa eſt,

eſt, qua in re quæritur, I. an hic Eccleſiaſticus ex harum duarum fœminarum depoſitione adulterii reus, & convictus declarari poſſit, licet ante hoc negotium nunquam de pari crimine accuſatus fuerit?

II. An probato adulterio, Beneficiarius ſuo Beneficio *ipſo facto* privatus ſit?

III. An liquor ejus manu præſcriptus, cujus nullus uſus extitit, ſit argumento ſatis firmo cum duarum mulierum depoſitione ad eum ſuo Beneficio ſpoliandum?

IV. An contumacia, in qua eſt hic Eccleſiaſticus, ipſum eo privandi jus afferat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, I. non apparere ſatis probationum adverſus Beneficiarium accuſatum, ut ſuo Beneficio privatus declaretur, etiamſi poneretur, adulterium ex eorum criminum genere eſſe, quibus inncurritur *ipſo facto* Beneficii privatio; ſi enim harum duarum tantum fæminarum contra ipſum ſtat depoſitio, earum teſtimonium non eſt ejuſmodi, quod recipi poſſit, quoniam in ſimili caſu proſtitutæ mulieres, & malæ famæ, quæ propriam ipſorum turpidinem allegant, rejiciuntur. Eſt etiam, cur eædem credantur ad hujus Eccleſiaſtici extremum dedecus ex condito conſpirare, idque eo magis, quod earum altera ſibi ventrem turgere dixit, quod tamen non ita eſſe compertum fuit; alia ex parte Eccleſiaſticus hic nunquam de ejus generis crimine eſt accuſatus: neque eſt, cur dicatur, ex aliis depoſitionibus judicari poſſe illum reum eſſe, quoniam id ad hominem condemnandum non ſufficit, cum poſitivi nihil occurrat. Porrò liquoris compoſitio, de qua hæc proſtituta ſermonem fecit, quamvis accuſati manu exarata fuerit, haud etiam ſatis probat: verum diligentiori examini occaſionem præbere poteſt.

II. Adulterium non importat de jure Beneficii privationem; plures Auctores, ut Rebuffus *in prax. de modis amitt. Benefic. p.* 227. Paſtor. *p.* 315. & de Murga *de benefic. p.* 691. facta enumeratione caſuum, quibus *ipſo facto* privatio Beneficii, quod poſſidetur, incurritur, inter eos caſus adulterium non refereutur. Itaque ſi is de quo agitur, convictus eſſet ab Officiali in Seminarium aliquod ſolummodo conjici poſſet, ut ibi aliquod tempus pænitentiam peragerct, ac deinde, ſi relaberetur, teneri poſſet diſciplina, quam Tridentina Synodus *Seſſ.* 25. *c.* 14. *de Reform.* contra Concubinarios ſtatuit, ejuſque Beneficium declarari vacans, ſi in turpi conſilio perſiſteret. Poſſet tamen caſus ejuſmodi eſſe, ut ſpectata Beneficii qualitate, puta ſi cum animarum cura eſſet, ſpectatis perſona, loco, ſcandalo, poſſet Officialis delinquentem in Seminarium conjiciens ei in mandatis dare, ut ſe intra certum tempus Beneficio abdicaret, & ni id præſtiterit, ejus Beneficium vacans, & impetrabile declarare.

Hoc poſito reſpondetur ad expoſitionis quæſtiones.

Ad primam. Harum Fæminarum depoſitionem ſpectari non poſſe tanquam ſufficiens teſtimonium ad hunc Eccleſiaſticum condemnandum.

Ad alteram. Non incurrit ille Beneficii ſui privationem, eſto de adulterio, cujus in ſimulatur, convinceretur.

Ad tertiam. Liquor cum aliis probationibus Beneficii privationem omnium non infert; poſſet enim Eccleſiaſticus hic legitime ſe tueri a conſecutione, quæ adverſus ipſum deduceretur ex eo, quod Schedula, quæ ejus compoſitionem explicat, ejus manu ſit exarata. Liquor hic ſolum novæ inquiſitioni occaſio eſſe poteſt.

Ad quartam, & ultima interrogationem. Contumaciam ipſam per ſe privationis cauſam non eſſe; poſſet tamen illa ejuſmodi eſſe, ut poſt juris pænas in accuſatum intentatas poſſet declarari vacans ipſius Beneficium: ut verbo expediam, conſulendæ ſunt Conſtitutiones in caſu contumaciæ, ut intelligatur, quid conſilii capiendum ſit.

Deciſum hac die . . . . . ,
G. *Fromageau.*

ADVOCATUS.

1 *Beneficiarius in conſcientia tenetur Advocati profeſſioni, quæ cum Eccleſiaſtico ſtatu minime convenit, renunciare.*

2 *Debet etiam temporalium cujuſdam Domini negotiorum curam deſerere, quia cura hæc eidem ſtatui Eccleſiaſtico non minus repugnat.*

QUÆSITUM.

Meminerit, ſi ipſi placuerit, Dominus Abbas de Lamet, Octobris menſe an. 1673. conſultationem, ejus, & duorum aliorum Doctorum nomine firmata prodiiſſe, qua ſe in ea eſſe ſententia ſignificavit, Beneficiarium Patronatus Laici Capellas duas ad quadringentas, aut quingentas reditus libras poſſidentem, qui Advocatum agit, & cujuſdam Domini, qui horum Beneficiorum alterum, cujus Patronus, eſt eidem contuli negotia curat, ſub lethalis peccati pænis teneri ſuam Advocati profeſſionem, atque ejuſdem Domini negotiorum curam relinquere.

Beneficiarius tamen hic ſaxum idem volvere nunquam deſtitit, ſeu quia contrariis aliquando aſſertionibus exagitatus eſt, quæ non propterea tamen meliores ei viſæ ſunt; ſeu quia in animum induxit credere Beneficiorum eorum, & patrimonii fructus ſuæ ipſius ſuſtentationi cares non eſſe; quibus addendum, ipſum utpote natum annos circiter 52., cui ſe exercitationi dedat, neſcire, ſi ſe a foro, atque ab iiſdem negotiis abducat.

Illud etiam animadverſione dignum eſt, ab ejus conſulationis tempore, eundem Dominum Pariſiis, ubi degere ſolet, fere ſemper abſuiſſe, & quia nonniſi Pariſiis videtur ille alium invenire poſſe, cui ſua negotia committat; ea de cauſa idem Beneficiarius e re eſſe non credidit ei proponere, ut, dum abeſſet, alium quæreret, multoque minus ejus negotia ſibi eſſe dimittenda, propterea quod id ejus animum exacerbare, ſibique detrimenti aliquid afferre potuiſſe.

Verum quoad incertus eſt ejus Domini Pariſios reditus, quippe qui a Regis voluntate pendeat, cupiens idem Beneficiarius ſuum ſtatum, ſuamque vitæ rationem in ordinem tandem aliquando redigere, interrogat, an in præſens illius negotiis nuncium remittere, in eumque finem ad eum ſcribere in conſcientiæ foro teneantur; an vero expectare poſſit, ac debeat, dum idem Dominus Luteriam redeat, ut ita honorifice ſe ab eo ſejungere, ſua cum ipſo negotia componere, & apochas ſibi neceſſarias obtineret poſſit.

Quærit præterea, quam vitæ rationem inire teneatur, ſi forum, & ejuſdem Domini negotia deſerere neceſſe habeat, cum ætatis annum, ut dictum eſt, 52. pervenerit, nec ſatis firma ſit valetudine?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod hanc Expoſitionem vidit, quodque ſibi reduxit in mentem reſolutionem difficultatibus Octobri menſe an. 1673. propoſitis traditam, aliud modo ſentire non poteſt, quam quod tunc ſe ſentire fuſe ſignificavit reſponſo dato tam juxta Tridentinum Conſilium, quam juxta Bullam Sixti V., Jus Canonicum, & Galliarum Synodos, quæ ſecundum Tridentinam habitæ ſunt; atque ita fidenter aſſerit, omnino neceſse eſse, ut conſulens traditum Conſilium quantocius exequatur, neque ulterius differat executionem diſciplinæ, quæ D. Pauli verbis nititur 2, *ad Timoth. cap.* 2. ex quibus liquet, quantum deceat ab aliorum ſervitio alienos eſse eos, qui in Clericorum album relati ſunt, & ſe Chriſto voverunt, cujuſmodi ſunt omnes Clerici, qui publica, & ſolemni profeſſione Dominum in ſuam partem, & hæreditatem accipiunt: *nemo militans Deo*, inquit hic Apoſtolus, *implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut placeat, cui ſe probavit*; ita ut juxta hanc Doctrinam vere dici poſſit, qui ſæcularia curat, iiſque premitur, Deo nequaquam placere. Hoc textu Alexander III. uſus eſt tanquam fundamento regulæ in Concilio Lateranenſi tertio ſtatutæ, relatæque in Juris corpus titulo, *ne Clerici, vel Monachi*, qui eſt caput, *ſed nec procurationes*. Non eſt igitur id ſpectandum tanquam diſciplina, cui peculiaris facti ſpecies occaſionem præbuerit, ſed tanquam regula a Deo ipſo inſpirata per Apoſtoli miniſterium. Itaque rationi conſonum eſt, eum, qui conſulit, non amplius aures præbere rationibus, quæ eum dimoverunt a ſequenda ſententia, cujus veritatem ei Deus patefecit propriæ conſcientiæ motibus, quibus cum diu reſtiterit, difficile poſset a peccato excuſari.

Et quod attinet ad Domini, cujus negotia agit, abſentiam, non videtur ea ſatis juſta cauſa eſse, quæ impediat, ne ille conſilium ſuum perficiat, & legi pareat; niſi Dominum brevi rediturum ſperaret, quo quidem præſente, quam abſente a negotiis facilius liberaretur; aut vellet eum, ubi degit, adire, ipſique hac ratione humanius, faciliuſque perſuadere captum conſilium ſeſe abdicandi, ut conſcientiæ ſuæ ſatisfaciat: ſed omnino neceſſe eſt, ne longius negotium hoc protrahatur, propterea quod cum ille tempore, quod in Eccleſiæ, cujus bonis potius eſt, ſervitio debebat inſumere, abuſus fuerit, dubio procul oportet, ut quod ei reliqui eſt, id omne ad officium ſuum præſtandum conferre conetur.

Deciſum in Sorbona hac die
7. Februarii 1678.
Auguſtinus *de Lamet*.

ALIENATIO.

Alienationis nomine donatur vendito facta in juris forma aliquorum bonorum, aut officiorum, quæ ad venditorem pertinent. Magna contigit mutatio in bonorum Eccleſiæ alienatione. Prioribus ſæculis licebat Epiſcopis non modo proventibus uti, ſed etiam fundos ipſos vendere, ad Altaris Miniſtros, & Pauperes ſuſtentandos. Quod ab exordio magna cum rectitudine, ac ſinceritate fiebat, quin ullum incommodum oriretur, atque in minoribus Eccleſiis diu perduravit, in quibus non aderat tranſgreſſionis occaſio; cum enim earum bona admodum exigua eſſent, pauca proinde ab Epiſcopis adminiſtrabantur. At in opulentis, & magnis Eccleſiis, ubi proventuum aliquam partem pro arbitratu impendendi anſam Epiſcopis præbebat copia, cæperunt ii moderationis terminos tranſilire, ut proinde remedio opus fuerit.

Eſt lex 14. cod. de Sacroſanctis Eccl. quæ eſt Leonis, & Antemii.

Quia porro inter Eccleſias Romana, & Conſtantinopolitana primas tenebant, ab iis exordiendum fuit. Imperator Leo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ quamvis alienationem prohibuit Edicto anni 470. Et Baſilius Cecina Dux Cuſtodies Odoacris Romæ Regis, Sede per Simplicii Papæ mortem vacante, Decreto in Eccleſia edito inſtituit, ne Romanæ Eccleſiæ bona alienari poſſent; quod ſubſecuti Pontifices tres, Felix III., Gelaſius I., & Anaſtaſius II. præter ordinem factum non judicarunt. Sed Odoacre, atque omni ejus imperio fini tradito, Pontifex Symmachus Ravennæ an. 502. totius Italiæ Conſilium coegit, ubi quam abſonum eſſet, oſtendit, Conſtituitiones a Laico homine in Eccleſia editas eſſe eaſque Concilii ſententia irritas declaravit. Sed ne is crederetur in hujus abuſus continuationem ita ſtatuiſſe, declaravit Synodus Romano Pontifici, aut aliis hujus Eccleſiæ Miniſtris alienare non licere, ſibi eam mentem eſſe ſignificans, ut hoc Decreto nulla alia Eccleſia præter Romanam obligaretur. An. 535. Juſtinianus Edicto generali in omnibus Orientis, Occidentis, & Africæ Eccleſiis alienationes prohibuit, niſi fierent, ut gravi aliqua caritate graſſante Pauperes alerentur, aut captivi redimerentur, quibus in caſibus eas permittebat.

Canon hic refertur a Gratiano cauſ. 12. q. 2. Can. non liceat 20.

Novella 7. cap. 1. tit. 1. coll. 2.

Cum ad Carolum Magnum deveniſſet Imperium, Romanis Legibus auctoritate ſpoliatis, abuſus iterum excitatus eſt; cui ut remedium afferretur, plura Concilia varias conſtituitiones ediderunt, præſertim in Gallia, ubi gravior erat diſſipatio. Sed poſtquam Papæ aliarum Eccleſiarum admini-

miniſtrationem ſuſceperunt, quia generalem prohibitionem vix ullus conſequebatur effectus, Epiſcopis prætextus non omittentibus, ut a communi Lege caſus omnes peculiares exciperent; illi ab anno 1000. ad uſque 1250. plura Statuta ſanxerunt, quibus repreſſionis, atque impedimenti gratia certe quædam ſolemnitatis formulæ præſcribebantur. Innocentius IV. alienationes abſque his conditionibus factas primus nullas declaravit: & Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi an. 1274. ſtatuit ad alienationem præter has formulas etiam Summi Pontificis permiſſionem requiri: id quod obtinuit, atque etiamnum obtinet, nulla his temporibus alienatione permiſſa, niſi evidens adſit utilitas.

Vide can. alienationes cauſ. 12. q. 2. an. 1123.

Cap. 1. de rebus non alienandis in ſexto

CASUS.

Silvanecti Capitulum 273. Silvæ jugera D. Principi alienavit; cui rei ſe D. de Bragelone Decanus oppoſuit. Hæc lignorum horum vendicio quoad formam, & quoad fundum nulla eſſe videbatur. Eſt enim inter regulas, ut Eccleſiæ bonorum alienatio valeat, legitimam ejus faciendæ cauſam exiſtere, atque in ea ſolemnitates a Lege præſcriptas ſervari. Inſtituenda eſt exempli cauſa inquiſitio *ſuper commodo*, *aut incommodo*, quæ quidem eo potiſſimum ſpectat, ut appareat, utilis nec ne ſit venditio. Ii ſunt convocandi, quorum intereſt; & quia Capitulum, de quo quæritur, exemptum eſt, eſt nec ne ad Pontificem confugiendum, ut ejus, aut eorum, quos ſuo nomine *in partibus* deputaverit, obtineatur aſſenſus, quem quidem præbeant, poſtquam alienationem expenderint, atque utilem eſſe judicaverint? Præterea cum hujus Capituli bona temporalia Regis protectione gaudeant, an non ipſius quoque Miniſtrorum favor requiritur? Jam vero Canonici, de quibus agitur, has omnes formulas, aliaſque, quibus opus eſt, ut alienatio valida eſſe cenſeatur, non videntur ſervaſſe.

Neque vero Canonicis hiſce alienationis hujus faciendæ, aut ſua conſenſione firmandæ videtur cauſa legitima præſto fuiſſe; econtra grave inde damnum ſentit Eccleſia; quod ſola facti expoſitione compertum ſit. Capitulum enim 273. jugerum Sylvæ ſectionem quadraginta mille librarum pretio vendit, ita ut hac ſumma in fundi, qui in hujus magni Domini, de quo in expoſitione, ditionibus exſtat, emptionem tradita, magnus hic Dominus quintam quadraginta mille librarum partem, quæ ad eum Sylveſtri jure ſpectat, & Dominationis etiam jura, quæcumque hujus fundi gratia ei deberentur, Capitulo remittat: hac de cauſa Capitulum huic magno Domino 273. jugerum Silvæ fundum relinquet. Ita fit conſequens hunc Dominum octo mille librarum pretio, quæ ſunt quinta pars librarum quadraginta mille, atque ob remiſſa ſuæ dominationis jura, 273. Silvæ jugerum fundo potiri. Atque adeo ſequitur conventionem hanc videri gravem læſionem, atque injuſtitiam, quæ hujus Capituli Eccleſiæ infertur, quoniam hæc Silva pluris eſt, quam jura ſint, quibus renunciari in ejus gratiam contenditur.

Illud convenit hujus magni Domini commendatione apud Regem Canonicos indigere, ut petentes litteras conſequantur, quas obtinere hactenus non potuerunt, ad 273. Silvæ jugerum ſectionem. Sed reſpondetur e Domini Principis dignitate non eſſe ſuam apud Regem gratiam vendere, aut ex urgente, qua Capitulum premitur, anguſtia utilitatem percipere, propoſito ſibi ſundo 273. Silvæ jugerum pretio, quod ejus valori nequaquam reſponderet, cum contra tanti æſtimari poſſet, ut ex Summa in fundum collata magnus quotannis proventus redundaret.

Addi ad extremum poteſt, Canonicos, qui, ut videtur, ad augendum ſuarum Præbendarum proventum huic alienationi aſſentiuntur, non inde commodum, quod ſperant, percepturos eſſe. Licet enim Dominus Princeps ob quadraginta mille libras, quæ in alicujus fundi emptione intra ipſius ditionem inſumentur, exemptionem a quibuſcumque Dominationis ſuæ juribus Capitulo polliceatur, non tamen ille novum hunc fundum tuetur ab omnibus aliis juribus, quæ ſubinde poteſt hujus ipſius fundi occaſione a Capitulo exigere: neque hujus fundi proventus diminutionem, quæ pluribus de cauſis contingere poteſt, ſarcire paratus eſt: Silva hæc, quæ hujus Capituli vetus patrimonium eſt, & fructus, qui ex ea percipiuntur, tam magnis incommodis haud ſubjacent: præterea Canonici de Regis licentia poſſent quotannis ex his 273. Silvæ jugeris excerpere, unde foverentur, & Eccleſias, atque ædificia, quæ a Capitulo pendent, prout poſtularet neceſſitas, inſtaurarent: porro hæc alienatio omnia hujuſmodi commoda Canonicis adimit: ita ut, ſi omnia perpendantur, id quod ex hac venditione Capitulum percipit, non ita eidem utile videatur; ut e converſo ſit ipſi maxime perniciosum. Atque his de cauſis non debet Capitulum huic alienationi aſſentiri, ſed magis opportunum tempus expectare ad obtinendas a Rege patentes litteras, ut ipſi liceat lignorum, de quibus agitur, ſectionem curare.

Responsio.

Sacræ Theologiæ Doctores, his ita ſe habentibus, ad has quæſtiones reſpondent.

I. Cum alienatio horum 273. Silvæ jugerum tum ratione formæ, tum ratione fundi nulla ſit, ut ex expoſitione liquet, conſequens fieri oppoſitionem Capitis Capituli firmo fundamento niti.

II. Cum hujus Capituli Caput magis teneatur hoc quidem titulo, quam quivis alius Canonicus, impedire, ne Eccleſiæ ſuæ detrimentum afferatur, eumdem etiam præterea curare debere, ut errorem reparet, quem patravit huic alienationi exordium præbens, ſignata Procuratione, quæ ad horum lignorum venditionem eidem propoſita fuit. Ei quoque ſubſcribens ſuum potius, quam Eccleſiæ commodum ſpectaſſe viſus eſt; id etiam ſcandali reparet neceſſe eſt. Quamobrem ut reparet, quicquid per ipſum perperam factum eſt, impediatque, quominus adeo Eccleſiæ pernicioſa conventio ſortiatur effectum ſuum, omnes oportet, curas impendat, nihilque non moliatur tum apud Dominum Principem, eumdem, qua par eſt, obſervantia de gravi, quod ex propoſita alienatione in Eccleſiam derivatur, detrimento commoneſaciens; tum apud ſuæ Majeſtatis Miniſtros, ut ab iis obtineat, ne huic venditioni aſſenſum præbeant, quia ne dum Eccleſiæ conditio melior evadat, quod eſſe debet, dum illa temporalium ſuorum bonorum alienationem inſtituit, illa econtra maximum incommodum ſentiat; tum apud Canonicos, iis ob oculos po-

ponens, quid hoc in negotio ipſis facto opus ſit, quæque ipſis hanc alienationem curantibus immineant detrimenta.

Eos excommunicationis pœna ob conſuetudinem contrariam locum non habet, ut ait Sylvius to. 2. p. 367. qui plures in eamdem ſententiam Authores affert.

III. Eos, qui huic alienationi aſſentiuntur, aut eamdem curant, pœnas a Canonibus inflictas ſubire, cujuſmodi eſt excommunicatio. Re ipſa Caput, *Si quis Presbyterorum, de rebus Eccleſ. non alien.* eos excommunicari mandat. Caput *ambitioſæ extravag. eodem* excommunicatos declarat. Buchellus *Tit. 16. de rebus Eccleſ. non alien.* plura in medium producit Galliæ Concilia, quæ eos excommunicant, qui Eccleſiæ bona perperam alienant. Præter excommunicationem Rebuffus *in compend. alien. rer. Eccleſ. numer.* 106. poſtquam dixit alienationem nullam eſſe, ſi contra regulas peccet, alias quoque pœnas recenſet in eos, qui Eccleſiæ bona in eum modum alienant. En ejus verba: *Secunda pœna. Tam is, qui alienat, quam is, in quem fit alienatio, eſt excommunicatus per Bullam Pauli II. quam ſtatim transferibam. Tertia pœna Sacrilegii cap. omnes Eccleſiæ 17. q. 4. ubi ſic dicitur. Omnes Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores a limitibus ejuſdem matris Eccleſiæ anathematizamus, auctoritate Apoſtolica pellimus, damnamus, atque Sacrilegos eſſe judicamus, & non ſolum eos, ſed omnes conſentientes eis. Et cap. Quid ergo 23. q. 4. Quarta. Deponi debet is, qui alienat res Eccleſiæ. Cap. Diaconi ſupra eod. cap. Si quis de Eccleſ. reb. non alien. & ibi Hoſtienſis, & alii. Quinta. Epiſcopo, ſeu Abbati alienanti interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, ut in Bulla patet, & ind. cap. omnes.* Videri poſſunt hoc eodem in loco pœnæ aliæ, de quibus hic Auctor mentionem facit.

Denique ſi hæc alienatio ſuum effectum haberet, Canonici Capituli, de quo agitur, detrimentum, quod Eccleſiæ ſuæ afferrent, reparare tenerentur. Neque enim Domini, aut proprietarii ſunt Eccleſiæ ſuæ, ut eam pro libito adminiſtrent; ſunt ejus ſolum æconomi; ita ut de iis perinde ſentiendum ſit, ac de Tutoribus quoad pupillorum bona, qui ad reſtitutionem obligantur, cum res, aut rei pars ipſorum vitio periit, aut male adminiſtrata eſt.

Deciſum hac die 7. Aprilis 1699.
Germanus *Fromageau*.

AMBITIO.

Ambitio in querendis honoribus, & muneribus.

CASUS.

Non ſemper graviter delinquitur, cum munus ſuſcipitur ob ſolam honoris, qui cum eo conjunctus eſt, cupiditatem. Regulæ D. Thomæ in hoc negotio.

QUÆSITUM.

PEtrus ex mediocri familia ortus cum ingentes opes legitimis rationibus congeſſiſſet, in quodam Senatu ſe Conſiliarium creandum curavit ambitione tantum permotus. Rogantur Sorbonæ Domini, ut definire velint, an Petrus ita ſe extollens, peccatum mortale patrarit, atque an verum ſit ambitionem ſuapte natura non niſi veniale peccatum eſſe, nec evadere mortale, niſi extraneæ circumſtantiæ eidem addantur, quæ in eo, de quo agitur, non occurrunt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, id, cui honor conjunctus eſt, honoris tantum gratia expetere omnino malum non eſſe: ex quo illud conſequitur, ob hanc cauſam de ambitione, aut inordinata honoris cupiditate accuſari neminem poſſe. Vide Baſſæum *v. ambitio*, & Lellium *l. 3. c. 2. dub. 3. n. 22. & de vict. & juſt.* Contendunt Auctores hi honorem, qui cum re bona conjunctus eſt, citra ullam peccati notam optari poſſe, quamvis etiam nullus alius finis proponeretur: *ſi autem honor appetatur moderate ex re bona, nullum erit peccatum, etiamſi nullus alius finis ſpectetur, quia eſt per ſe objectum indifferens, accedens ad rationem honeſti, cum ſit teſtimonium virtutis, ut ex Divo Thoma colligitur 2. 2. q. 131. art. 1. ad 3.*

Verum quidem eſt D. Thomæ ſententia loco laudato honorem, ſi cum modo expetatur, poſſe ad bonum excitare, & a malo abducere: *ad teſtium dicendum, quod per appetitum honoris, quamdiu debito modo appetitur, aliqui provocantur ad bonum, & revocantur a malo.* Non inde tamen, addit S. Thomas, concludi licet eos, qui ita honorem propter honorem quærunt, eſſe virtute præditos, cum nulla veri nominis virtus in iis actionibus locum habeat, quæ ad Deum, tanquam ad ultimum ipſarum finem non referuntur, ut alibi S. hic Doctor cum D. Paulo, & D. Auguſtino definit: *& tamen illi, qui ſolum propter honorem vel bona faciunt, vel mala vitant, non ſunt virtuoſi.*

Hinc concludi licet, abſolute loquendo, ſplendidam, atque excelſam dignitatem abſque peccato comparari poſſe, ſed ambitione, & amore proprio ſæpe illius deſiderium inordinatum evadere. In adeundis enim officiis, quæ ad obſequendum reipublicæ, ac Patriæ ſolummodo comparata ſunt, unice, & principe ſtudio honorem quærere, vanitas eſt, & ambitio, quam damnant Sacræ litteræ. Eſt id ordinem invertere, & principalis loco ponere, quod ſolum eſt acceſſorium: quis porro dubitet, quominus prava ſit ejuſmodi perturbatio, & ambitio, quæ eam producit, magnum peccatum ſit? Docet id loco jam appellato D. Thomas: *tripliciter autem contingit appetitum honoris eſſe inordinatum . . . . . per hoc, quod appetitus ejus in ipſo honore quieſcit, non referens honorem ad utilitatem aliorum, eſt peccatum.*

Nihilominus ſi Conſiliarius, de quo ſermo eſt, non a virtute alienis modis ſuum munus obtinuit, ſi ejus capax eſt, ſi vere in animo habet omnia ejus officia perſolvere, non creditur illud acceptans graviter deliquiſſe. Peccavit quidem certe, cum munus adit ambitione permotus; ſed hoc peccatum in hac facti ſpecie non niſi veniale fuiſſe judicatur. In quo quidem duces, ac magiſtri ſunt Navarrus *in Man. cap. 23. n. 15.* Toletus *l. 8. c. 23.* Baſſæus *v. ambitio*, aliique plures. Si Magiſtratus hic in honore, qui muneri adjunctus eſt, ſuum ultimum finem poneret, graviter profecto peccaret; jam id ita eſſe non videtur ex ratione, qua munus iniit; atque is venialis tantum culpæ reus credi poteſt. Juverit Sylvium in hunc D. Thomæ locum conſuli, apud quem invenientur caſus, quibus ambitio mala eſt, & mortale peccatum evadit.

Deciſum in Sorbona hac die
21. Februarii 1698.
G. *Fromageau*.

ANGLICANUS.

An hujus Eccleſiæ Presbyter, & conjugatus, catholica fide ſuſcepta, poſſit Religioni nomen dare.

1 *Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter, matrimonio junctus, qui Catholicam Religionem amplexus eſt, non poteſt cum conjuge divortium facere, ſi matrimonium eſt conſummatum, niſi Actu ſecundum formas edito ipſa conſentiat.*

2 *Per hunc Actum ab Eccleſiaſtico Judice ſententiam obtinere debet, qua declaretur oportere, ut ſe in perpetuum a conjuge, utpote hæretica ſeparet.*

3 *Poſt hanc ſententiam Anglus hic poteſt Religionem ingredi, aut Presbyteratu initiari, nova a Catholico Epiſcopo ordinatione ſuſcepta.*

QUÆSITUM.

Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter, conjugatus, ex animo catholicam fidem amplexus eſt. Pietate fervet, & ad Eccleſiæ emolumentum ſatis inſtructus eſt, In votis habet ſe divino ſervitio penitus addicere; ſed dubitat, utrum ſua ipſius ordinatio, quamvis illicita, nulla ſit, propterea quod contendant Auctores plures legitimam Angliæ Epiſcoporum ſucceſſionem ad hæc uſque tempora perduraſſe, licet Hæretici ſint, ac Schiſmatici, & quod inde conſequitur, Ordinationes, quas inſtituunt, æque atque eas, quæ in Eccleſia Græca fiunt, invalidas non eſſe. Ejus Conjux in hæreſi, atque in Anglia perſiſtere in animo habens aſſentitur eum ordinari Presbyterum, aut Religionem ingredi in Romana Eccleſia, atque hunc conſenſum in forma ad eum mittere parata eſt.

Itaque Domini Doctores rogantur, ut decidant, I. an cum hoc actu ille ad Profeſſionem in Religioſo quopiam Ordine emittendam admitti poſſit?

II. An Epiſcopus Catholicus poſſit eum ordinare, cum primæ ordinationis validitas incerta ſit?

Forma, qua Anglicanæ Eccleſiæ Epiſcopi utuntur, non nihil differt a noſtra; Sacrorum Vaſorum traditio in uſu non eſt, ſed illi ſola manuum impoſitione contenti ſunt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum judicat plures cauſas eſſe, propter quas conjugati poſſunt ſe ſeparare, ac divortium facere, ut Tridentina Synodus definiit *Seſſ.* 24. *can.* 8. *de reform. matrim.* atque hæreſin inter alias; ita ut ſi pars altera in hæreſim lapſa ſit, pars innocens a mutuæ habitationis, & convictus obligatione jam ſoluta poſſit Religionem ingredi, atque in ea profeſſionem emittere; quod ſi vir ſit pars innocens, ad ſacros ordines accedere poſſit; id quod jure nititur *cap. de illa, de divort. & cap. mulier de everſione conjug.* Qua in re tria notant Auctores: primum, perpetuum divortium pœnam eſſe, qua Eccleſia in hac facti ſpecie Hæreticum punit: alterum, opus eſſe Eccleſiæ judicio, quæ perſonam hæreſis damnet, ut divortium ſubſiſtat, ac proinde perſona innocens Religionem adire poſſit, propterea quod ſecundum Eccleſiæ mentem *cap. cum ſecundum leges de hæreticis in* 6. Eccleſiaſtici Judicis ſententia requiritur, ut perſona iis pœnis affici poſſit, quibus afficiuntur Hæretici: tertium, in eo caſu, quo quiſpiam Religioni nomen dare, atque eam profiteri poteſt, ob eamdem cauſam, atque ob eadem principia eumdem poſſe Sacris Ordinibus initiari. *Gamaches in* 3. *part. de matr. c.* 13. id omne luculenter exponit: *Quod ſi Judicis auctoritate facta fuerit ſemel ſeparatio, poterit tunc conjux innocens ingredi Monaſterium, vel ſuſcipere Ordines, ſi voluerit, etiam poſt matrimonium conſummatum, nec tenebitur alterum unquam recipere, licet forte reſipiſcat. E contrario ubi non intercеſſerit Judicis ſententia, & conjux egerit pœnitentiam, cogitur alter innocentem recipere cap. de illa de divort. ac proinde nec Religionem ingredi, nec Ordines ſuſcipere poteſt: ubi etiam notanda Regula, tametſi in matrimonio rato magnum ſit diſcrimen inter ingreſſum Religionis, & ſuſceptionem Ordinum, quia poteſt Conjux, ſi voluerit, Religioſus fieri, non autem præciſe Ordines ſuſcipere; tamen in matrimonio conſummato nullum eſſe tale diſcrimen ratione divortii, ſed in omni caſu, quo poteſt fieri vir Religioſus, poſſe quoque recipere ſolos Ordines, quamvis non profiteatur Religionem: neceſſaria tamen Judicis ſententia ob allatas rationes, quando matrimonium non fuerit clandeſtinum, ſed in facie Eccleſiæ celebratum, tum enim ſeparatio forum externum reſpicit.* Videri poſſunt Barboſa ſuper his duobus juris Capitibus, & Diana *p.* 6. *to.* 7. *reſol.* 25. Sanchez *de matrim. l.* 10. *diſp.* 15. *n.* 19. Van Eſpen *tom.* 1. *p.* 713. Pirringhus *l.* 3. *tit.* 32. *de converſ. conjug. tom.* 3. Hoc poſito:

Reſpondetur ad interrogationem primam, Anglum hominem, quo de agitur, admitti poſſe ad emittendam in Religioſo Ordine, Profeſſionem, juxta Regulam, & Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, ſi matrimonium conſummatum non fuerit *cap. verum de converſ. conjugat.* At ſi conſummatum fuit, in Actu, quem diximus, declaretur neceſſe eſt hanc fœminam hæreſi infectam velle in Anglia remanere; matrimonium enim pro loci conſuetudine initum rectum, validumque cenſetur. Qua de cauſa ſimplex ejus conſenſus minime ſufficit juxta juris regulas *cap. cum his*, & *cap. conjugatus de converſ. conjugat.* ut propterea, ſi hic homo poteſt hoc in caſu Religioſus fieri, atque ordines ſuſcipere, non id poſſit ex ſolo Uxoris conſenſu, ſed ob ejus hæreſim, & perverſionis periculum, cui poſſet obnoxius eſſe. Hæc unica ratio eſt, quamobrem ille inſtituendi cum ea perpetui divortii jus habet; hic caſus eſt, quo Religioſus, aut Presbyter fieri poteſt, quoque uxor jure cadit, quod ei matrimonium contulerat.

Cum Actum a Conjuge exhibitum, qua par eſt, ratione editum præ manibus Anglus habuerit, tum vero Judex Eccleſiaſticus, cui ſe ſiſtere debet, declarabit, viſo ejuſmodi Actu, divortio locum eſſe, propterea quod ea hæretica eſt; communior enim ſententia eſt hæreſim ſatis eſſe, ut ſeparatio, quæ pœna eſt ab Eccleſia Hæreticis impoſita, locum habeat.

Ad alteram interrogationem quod attinet, uſus obtinet, ut, qui Anglicanæ communionis Presbyteri, aut Epiſcopi creati ſunt, ordinentur, quia Epiſcopatus ſucceſſio apud eos penitus videtur abolita. Id ita eſſe videtur Anglorum Catholicorum teſtimonio, atque etiam in Gallia pro certo habetur jampridem in Eccleſia Anglicana nec Epiſcopos, nec Preſbyteros eſſe. Spectantur ibi tanquam ſimplices Laici. Quamobrem rurſus ordinantur, cum hæreſim abjurant, atque ad Sacros Ordines accedere volunt.

Deciſum in Sorbona hac die 26. Aprilis 1693.
G. *Formageau*.

Annunciatæ Fratribus Minoribus Obſervantibus Subjectæ.

CASUS.

Religioſæ Annunciatæ adminiſtrationi Patrum Obſervantiæ S. Franciſci per ſuam Profeſſionem ſubjectæ, volentes in Familia vivere, quæ a loci Epiſcopo permiſſa non fuit, niſi ea conditione, ut ea Familia ejus auctoritati, & Presbyterorum, quos ipſe committeret, adminiſtrationi ſubjiceretur, poſſunt, Brevi a Romana Curia impetrato, hujus Epiſcopi auctoritati ſe ſe ſubmittere.

QUÆSITUM.

ANno 1644. Archiepiſcopus Rothomagenſis Monaſterium Religioſarum Ordinis Annunciatæ, dicti decem virtutum Beatæ Virginis in Urbe Archiepiſcopali extrui permiſit.

Rex an. 1645. hujus aſſenſus ratione habita, patentes litteras conceſſit, Religioſis Annunciatis veniam tribuens, ut Rothomagi ſuum domicilium ſtatuerent cum officiis, clauſulis, & conditionibus recenſitis in iiſdem patentibus litteris, quarum ſigillo Rothomagenſis Archiepiſcopi aſſenſio ſubjecta eſt.

Has litteras conſecuti ſunt Contractus duo firmati an. 1647. a quadam Auburgi Vidua, quæ duas filias habens Religionis cupiditate flagrantes reditu patentibus litteris ſtatuto Monaſterium dotavit, & deinde ad Rothomagenſe Conſilium Reſcriptum pervenit, fore ut eæ litteræ in Aulæ Regiæ Acta referrentur, quo eædem Religioſæ Annunciatæ ipſarum effectu fruerentur pro earum forma, & tenore; & proinde permitteretur iiſdem Religioſis in eadem Urbe conſiſtere, ad Religionis munia ibidem exequenda, & conditione, ut Vidua Auburgi, ejuſque filiæ octingentas reditus libras conficerent, & vi donarent, quemadmodum contractu diei 25. Junii an. 1647. ſeſe obſtrinxerant.

Ita ad exitum perducta Erectione hac, Filiæ duæ Viduæ Auburgi Profeſſionem ſuam emiſerunt an. 1648. & quidem ratione mox explicanda: neque enim ejus exiſtunt Acta.

Ejuſdem Rothomagenſis Urbis Matrona duas filias habebat Religioſas Profeſſas in Monaſterio Montfortenſi, in quo duæ aliæ Religioſæ receptæ erant novæ conſtitutionis gratia, atque hæc Matrona cupiens ſuas duas filias ſibi propiores eſſe, contractum iniit, quod declarat, propter amorem, quo natura fertur erga ſuas filias, atque ad conſervandam erectionem Annunciatarum Monaſterii, quod Rothomagi conſtruitur vi permiſſionis Regiæ, & cum Domini Archiepiſcopi, & ſuperiorum ejuſdem Ordinis conſenſione, ſe tanquam Benefactricem Filiabus ſuis ad id præſentibus, & acceptantibus aſſignare ipſarum bono, aliarumque, quæ impoſterum recipientur in Familia, & Monaſterio hoc ipſo, cujus extructioni ſtudendum eſt, redimibilis reditus libras 500.

Hæ duæ Religioſæ de Cantello dictæ in novo Monaſterio receptæ, & aggregatæ ſunt eodem an. 1648. ſed quia deſerebant Profeſſionis ſuæ Monaſterium, quod a ſuperioribus Obſervantiæ S. Franciſci adminiſtrabatur, regebaturque, directioni ſæcularium Presbyterorum, quibus Archiepiſcopus novum Monaſterium ſubdiderat, ſe ſe accommodare non potuerunt.

Id in cauſa fuit, ut Matrona de Cantello earum Mater libellum ſupplicem Archiepiſcopo offerret eo animo, ut ratione habita Contractus fundationis librarum 500. reditus a ſe inſtituti in ſavorem & inſpectionem Monacharum Mariæ, & Franciſcæ de Cantello Religioſarum Profeſſarum Familiæ Montfortenſis, cui titulus Annunciatæ decem Virtutum B. Virginis, in ejus Diœceſi, placeret ipſi iiſdem Religioſis permittere, ut in eadem Urbe ejuſdem Ordinis Monaſterium molirentur, extruerentque.

Ad poſtulationem hanc edit Archiepiſcopus Reſcriptum ſuum, quo eam donationem acceptat, conceditque ab iiſdem Religioſis in eadem Urbe Rothomagi eam erectionem curari, atque in eum finem conſtrui, atque ædificari Sacellum, ſeu Eccleſiam, & regularia loca ad ibi vivendum pro ipſarum Inſtituto, atque Ordinis Regula; ſibi tamen reſervato in eadem Familia loco, quo Religioſam, quæ choro intereſſet, collocaret, quoties ipſi placeret, in Archiepiſcopalis ſui juris, & canonicæ ſubjectionis ejus inſtitutioni debitæ argumentum, idque quin auctoritati ſuæ Hierarchicæ, & ſupremæ in ipſius Familiæ rationem, & regimen derogaretur, & poteſtati ſuæ per hujuſmodi Inſtitutorum introductionem detrimenti aliquid afferretur.

In hujus veniæ conſecutionem hæ duæ Matronæ Religioſæ de Cantello dictæ in privata domo ſe receperunt, ubi expectantes, dum decentem locum ad erectionem ſuam inſtituendam invenirent, Sacellum extruendum curarunt, novumque Monaſterium, in quo Annunciatæ, quæ illud erexerant, cum Religioſis, quas, ad Profeſſionem receperant, degebant, deſeruerunt. Hæ duæ de Cantello Sacelli ſui benedictionem obtinuerunt a Magno Vicario Rothomagi, qui ipſis indulſit, ut ibi ſacrum perageretur, eæque ibidem adſiſterent, & communionem ibi reciperent, ea conditione, ut clauſuram ibi cuſtodirent, neque inde egrederentur; id autem omne, donec aliter ipſis proviſum eſſet.

Hic quoque benedictionis Actus eodem an. 1648. editus eſt, atque ita liquido conſtat Monachas de Cantello cum aliis Monachis haud ſex menſium ſpatio perſtitiſſe.

Itaque coortum eſt litigium, extititque Rothomagenſis Conſilii Reſcriptum editum an. 1649. quo ſtatutum fuit, ut Religioſæ omnes in eamdem Familiam redirent.

Reſcriptum alterum ejuſdem Conſilii Matronis de Cantello Actricibus allatum eſt, atque illæ poſtularunt, ut Monacha Anna P. Religioſa itidem Annunciatæ in eadem Urbe Rothomagi conſtitutæ teneatur recipere dictas Monachas de Cantello, quo ibi vivant, quemadmodum etiam Monacha ipſa Anna P. ſecundum dicti Ordinis Regulas, ſub adminiſtratione, obedientia, & directione regulari Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci, aut eadem Monacha Anna P. teneatur novum Monaſterium relinquere, & Montfortium reverti. *Nota. Hæc Monacha Anna P. ſuperior erat novæ inſtitutionis.*

Monacha Anna P. Propugnatrix executionem ejuſdem Reſcripti juxta Inſtitutionis conditiones ſuo nomine poſtulat.

Rector Parochiæ, in qua hæ Religioſæ conſtiterant, Matronarum de Cantello petitioni ſe itidem opponit, & ſuo nomine idem expoſcit.

Animadverſione digna eſt oratio Patroni Monachæ Annæ P. inſerta Decreto Conſilii diei primæ Februarii 1650.

Ait ille, ſe ejus nomine Decreti an. 1649. executionem petere, atque ipſius vi dictis Monachas de Cantello in dictum Monaſterium (a quo ſe ſejunxerunt) regredi oportere, ut ibi aliarum Religioſarum more vivant ſecundum directionem, atque inſtitutionem

nem Domini Archiepiſcopi, qui eas hac tantum conditione, quam canonicam judicavit, in ſua Diœceſi conſiſtere paſſus eſt, atque ideo omnes dictas Religioſas eidem tanquam unico ſuo Superiori, iiſque, quos ille iis præpoſuerit, dicto audientes eſſe debere.

Qua in re Conſilii Reſcriptum extitit, quod ita habet: ratione habita poſtulationum, & concluſionum utriuſque partis, præcipit Reſcriptum ſuum diei 4. Maii 1649. quam late patet, executioni mandari, & propterea dictæ Monachæ de Cantello intra tres prorogationis dies debere a domo, in qua vivunt, recedere, & Monacharum Annunciatæ Monaſterio per patentes litteras in Aula cognitas in eadem Urbe exſtructo ſe ſe redintegrare, ad vitam ibi ducendam ſecundum ipſarum vota, & Regulam ſub ſuorum Superiorum Regularium directione; ea lege, ut dicta Monacha Anna P. eas recipiat, & Reſcripto pareat, aliter, & ni id præſtiterit, ex dicto novo Monaſterio in illud, ubi Profeſſionem edidit, ipſa transferatur, quo in caſu ad alterius Superioris electionem juxta ordinarias,& conſuetas formas devenietur; mandat proinde, ut domicilium, & Sacellum, ubi nunc dictæ Monachæ de Cantello degunt, ſuſpenſum maneat, vetitis ibidem quibuſcumque publicis Religionis officiis.

Conſtitutionem hanc ſubſecuta eſt alia ejuſdem Conſilii eodem anno, cujus hæc vis eſt.

Juxta præcedens Mandatum dictas Monachas de Cantello, adhibita duorum Aulæ Conſiliariorum adſiſtentia, ad novi Monaſterii Annunciatæ limina ſe contuliſſe, i pſiſque reſponſum fuiſſe, Monacham Annam P. e Monaſterio receſſiſſe, & Monacham Margaritam A. coram Parocho earumdem Superiore, & Præpoſito in dicti Monaſterii ſuperiorem electam fuiſſe.

Monacha hæc Margarita a Dominis Conſiliariis Conſilii Comiſſariis petiit, ut ſua præcedenti Decreto oppoſitio reciperetur, quippe quæ de eo certior facta non fuiſſet.

Religioſæ de Cantello ad hanc dicti Decreti oppoſitionem reſpondent, ajuntque illius Decreti vi Monacham Annam P. in ſuæ Profeſſionis Monaſterium transferendam fore; Domicilium, in quo Annunciatæ reſident, ſuſpendendum, prohibitis ibidem quibuſcumque Religionis Conventualis officiis; quo facto, Crucem Domicilii, & Sacelli cum venia peragendi Religionis functiones in eum locum reſtituendam.

Religioſarum de Cantello Patronus poſtulationem ſuam in eumdem modum concludit: qua in re novæ Superioris Patronus declarationem exhibet, quæ conſilii Decreto diei poſtremæ Martii 1650. inſerta eſt. En ejus verba:

Cum Conſiliarii Commiſſarii ad ipſarum Religioſarum Annunciatæ Familiam profecti eſſent, ut Decretum illud diei primæ Februarii præcedentis exequerentur; Monacham Margaritam Superiorem ſe ſe ſtitiſſe, & declaraſſe Decretum utpote nec coram ſe, nec ſe convocata editum non poſſe in ſuum damnum executioni mandari; cœterum ipſam, aliaſque Religioſas tanquam ea lege receptas, ut ab Archiepiſcopo penderent, ſuiſque votis eidem, & magnis ejus Vicariis obſtrictas ab ipſius Juriſdictione removeri non poſſe abſque ejus conſenſu, ac proinde ab iiſdem Dominis Commiſſariis ipſam Monacham Margaritam A. Superiorem, & opponentem recipiendam, & partes ad dictæ Aulæ Audientiam remittendas eſſe.

Sed cum Rex tunc in eadem Urbe verſaretur, partes ad Majeſtates ſuas confugerunt, quibus placuit de hoc diſſidio cognoſcere; ac de conſenſu, & conventione partium, nominarunt illæ Dominum Abbatem Jacinthum Magnum Magiſtrum Oratorii Regis, Patrem Paulinum, qui ei erat a confeſſionibus, Dominum Gaudium Doctorem Sorbonicum, Patrem Dominum Vincentium Auguſtinum Carnutenſem, & Minimorum Superiorem, qui coram Domino Margueriæ Poſtulationum Magiſtro cum ita jubentibus ſuis Majeſtatibus judicaſſent, ſtatuerunt, ut dictarum Virginum Annunciatæ Monaſterium in Domini Archiepiſcopi adminiſtratione perſiſteret, & Monachæ de Cantello ibidem reciperentur, impetrato ipſis, & Monachæ Annæ P. a Romano Pontifice Brevi, quo a Patrum Minorum directione ad Domini Archiepiſcopi regimen transferrentur.

Hoc porro Decretum, & Conſtitutionem Regis tunc ad Generalem Procuratorem ejuſdem Conſilii Rothomagenſis allatum fuiſſe.

Addit Patronus, cum in bonorum Nunciorum Eccleſia Matrona de Cantello dictarum Religioſarum Mater apud Reginam ſe ſe ſtitiſſet, Majeſtatem ſuam ei vetuiſſe, ne amplius dictas Auburgi Monachas, & Religioſas alias lite turbaret.

Interim Patronus hic a Conſilio petit, ut ſibi liceat ab agenda cauſa, quæ non niſi conſulto agenda eſt, abſtinere, quippe qui de Audientia monitus non fuerit, neque ſua acta detulerit, quæ ad dictum Dominum Abbatem Jacinthum miſit, nec poſtea recepit.

Tum vero Patronus Generalis verbum arripiens petiit, ut Conſilii Decretum re ipſa executioni mandaretur.

Proinde Conſilium die poſtrema Martii Reſcriptum vulgavit, quo ſtatutum eſt, ut præcedens Decretum re vera ſortiretur effectum ſuum, atque in eum finem Conſiliarii Commiſſarii in Monacharum Annunciatæ Domicilium ſeſe conferrent, ad id exequendum coram Domino Procuratore Generali, & Superiore Fratrum Minorum ejuſdem Urbis, non obſtantibus oppoſitionibus, appellationibus, & aliis rationibus quibuſcumque.

Matronæ Religioſæ de Cantello hujus Decreti executionem curarunt, & ab eodem Conſilio Decretum obtinuerunt, quo verbali actione ſtatutum eſt, ut eæ Matronæ de Cantello, & Monacha Barbara G. in familia Annunciatæ cum aliis Religioſis reciperentur, ubi a Superioribus Regularibus omnes penderent; & in recuſationis, & impedimenti caſu iis conceditur in domicilio, ubi dictæ Monachæ de Cantello exiſtunt, conſiſtere, quoad iis domus alia aſſignetur, in qua ſe recipiant, & commorentur, & ob hanc cauſam earum Crux rurſus ejuſdem Domicilii, & Sacelli foribus affigetur, ut ibi ſuas functiones obeant, & Sancto Sacramento exiſtente ſuper Altare Sacelli ejuſdem loci, ubi degunt dictæ Monachæ de Cantello, per Superiorem regularem, aut eo abſente per alium Conventus Fratrum Minorum ſeniorem, cum debita, & requiſita reverentia, & ad ejuſdem Familiæ regimen deputabitur Religioſa jampridem profeſſa Monaſterii .... aut alterius, prout dictus Superior regularis monuerit, atque interea inter ejuſdem Urbis dictas Religioſas, apud Regularem Superiorem profeſſas ſenior ejuſdem Familiæ adminiſtrationem tenebit: ſed Monachæ A...... aliiſque Religioſis, quæ dictis Regularibus profeſſæ non ſunt, præcipitur, ut pareant, aliter, & ni paruerint, quibuſcumque debitis, congruiſque rationibus cogentur, ſtatim, omnique interrupta mora in ſuorum domicilia concedere: & quoad Monacham Annam P. cum in dictarum Monacharum A. Familia inventa non fuerit, inde jam egreſſa, eadem Conſilii Aula inhibuit, prohibuitque, ne eam ſecum in dicta ipſarum Familia recipiant, quæ Monacha Anna P. ubicumque ſe receperit, mittetur, duceturque ad Monaſterium G. ubi ſuum Tyrocinium, & Profeſſionem edidit, ut ibi ſecundum vota vitam trahat Superioribus Regularibus ſubjecta, conſequenter, & jux-

& juxta dictæ Aulæ Conſilii Decreta diei primæ Februarii, & poſtremæ Martii 1650. omnino non obſtantibus oppoſitionibus, appellationibus, recuſatione, mandato privato, aliiſque viis quibuſcumque.

Contra Conſilii Decreta tria dictæ Monachæ Religioſæ Annunciatæ ad privatum Regis Conſilium confugerunt, ad deletionem.

Statutum eſt, ut Conſilii Rothomagenſis Procurator Generalis ad ſuam Majeſtatem eorumdem Decretorum cauſas mitteret.

Monachæ Religioſæ A.... Decretum obtinuerunt in Conſilio privato, quo dicti Senatus Decreta abrogantur.

Fama eſt Matronas Religioſas Monachas de Cantello adverſus Decretum hoc redintegrationem ſuam impetraſſe: nihil eſt ſane, quod id evincat; ſed ex eo tamen fit veroſimile, quod utriuſque partis Religioſæ in ſui quæque ſtatus poſſeſſione ſub differentibus directionibus perſtiterunt.

Separationis tempore Monachæ Religioſæ A. ſumpſere patentes litteras an. 1645. ſub quarum Sigillo poſitus eſt Domini Archiepiſcopi aſſenſus, ita ut apud Religioſas de Cantello remanſerit ſolummodo exemplar Decreti Senatus, quod ſignificat fore ut eædem litteræ in Acta referantur; & ex conſequenti curandæ erectionis venia concedatur.

Et quoniam patentes eæ litteræ in ejuſdem Urbis Rationum Cubiculo deſcriptæ non ſunt, ideo Matronæ Religioſæ de Cantello ſæpe ſuorum temporalium bonorum Sequeſtrationibus vexatæ ſunt.

Quod in cauſa fuit, ut ad animorum tranquillitatem humillime a Rege peterent, ut in ipſarum gratiam confirmaret patentes litteras an. 1645. enunciatas, & tranſcriptas in Decreto Senatus an. 1647.

Dominus...... Miniſter, & a Status ſecretis in reſponſis dedit, Regi ſatis notum eſſe, Familiam hanc Religioſarum Annunciatarum C. Archiepiſcopi auctoritati, & juriſdictioni minime ſubjectam eſſe, quamvis quoad originem eſſe debeat, atque ex Profeſſionibus Monacharum A. aliarumque Religioſarum innotuerit patentes litteras an. 1645. omnino abrogatas non eſſe, quoniam exiſtunt in Monacharum Auburgi Religioſarum adhuc viventium poſſeſſione, & Regis eam mentem eſſe, ut Monachæ de Cantello Religioſæ edito Actu Archiepiſcopi Rothomagenſis juriſdictioni, & directioni ſe ſubjectas teſtentur; & cum illæ hunc Actum ediderint, Majeſtatem ſuam litteras, quæ neceſſariæ ſunt, conceſſuram.

Religioſæ de Cantello probe norunt, quo obſequio Regem proſequi debeant, nec ſibi deeſſe volunt; ſed de ejus juſtitia, & benignitate adeo certæ ſunt, ut credant fore, ut ille id unum ab ipſis requirat, quod legitime præſtare poſſunt, quin Dei, rerum omnium ſupremi Domini voluntate repugnent: ſtatuit ille in hoc terrarum Orbe Vicarium, qui poteſt Fidelibus legitima ſui ipſorum ſtatus jura ſervare; a Deo ſcilicet differentium ſtatuum officia ſunt derivata.

Religioſæ Ordinis Annunciatæ habent obligationes per ipſarum Regulam conſtitutas, vota emittunt, quorum vi iis ſubjiciuntur.

Id eas cogit a Dominis Sorbonæ Doctoribus humillime petere, ut cum ipſarum Ordinis Annunciatæ Regulam & Conſtitutiones, quæ libro iis exhibito continentur, æquo animo legerint, cumque rem totam, ut ex Expoſitione liquet, ſane graviſſimam pro merito expenderint, iiſdem Religioſis de Cantello dictis velint ſententiam ſuam patefacere, ac decidere, utrum regimen, & obedientiam Superioribus Obſervantiæ regularis S. Franciſci hactenus exhibitam, cui Sancta Sedes eaſdem ſubdidit, tuta conſcientia poſſint excutere.

Ac ſi iidem Sorbonæ Doctores putent Religioſas id facere poſſe, atque adeo debere, rogantur humillime, ut indicent in reſponſione, qua ratione Religioſæ ipſe ſe gerere debeant, & quid in hoc negotio eas facere oporteat.

Ii porro animadvertent, Religioſas duas Monachas de Cantello, quæ an. 1648. Annunciatæ Monaſterio, quod Rothomagi extruebatur, ſe aggregandas curarunt, jampridem e vita exceſſiſſe, ita ut in ipſarum Monaſterio ab earum nomine Cantellarum dicto, quod illæ poſt Decreta ad exitum perduxerunt Religioſæ tantummodo poſt annos decem Profeſſæ reperiantur.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod ſupra allatam narrationem, nec non librum, qui Religioſarum Annunciatarum decem Virtutum Regulam, & Statuta continet, vidit, & expendit; exiſtimat Religioſas Annunciatas vulgo Cantellas appellatas, Rothomagenſi in Urbe conſtitutas poſſe Domini Archiepiſcopi Rothomagenſis juriſdictioni ſe ſubdere; atque in eum finem e re eſſe, ut ad Romanam Aulam Brevis a ſua Sanctitate impetrandi gratia confugiant juxta ſententiam ſupra editam per Dominos Commiſſarios a ſua Majeſtate nominatos an. 1650. ut ex Expoſitione compertum ſit.

Deciſum in Sorbona hac die 10. Februarii anno 1693.

G. *Fromageau*.

APPELLATIO DEVOLUTIVA.

CASUS I.

Appellatio in diſciplinæ, & correctionis morum negotio non obtinet effectum ſuſpenſivum, ſed ſolummodo devolutivum.

QUÆSITUM.

Quidam Parochus in lite verſatur, occaſione impotentiæ, qua rationum Exactores Parochiæ ſuæ Populum premebant, accipientes impenſas contra jus faſque; voluit impedire, ne eorum quidam ita ſe gereret, qui eum contumelioſis verbis laceſſivit, quare Parochus adverſus ipſum actionis perſonalis Decretum obtinuit. Exactor ſuo nomine contra Parochum negotium exponi curavit coram Legato Regio, qui eum ad ſuum Officialem remiſit; res ita conſtitit, ſed Parochus cum ſe innocentem agnoſceret, rem urgere non deſtitit; quamobrem edita eſt ejuſmodi ſententia: viſis Actis deteximus Joannem Parochum reum, & convictum, quod injuriis, minis, & Sacramentis Philibertum rationum Exactorem læſerit, & ſe negotiis ſæcularibus immiſcuerit; quapropter nos eum damnavimus ad ſe recipiendum in Æde Eccleſiaſtica, ſæculari, aut regulari, prout nobis placuerit, ſex hebdomadarum ſpatio, & remanebit ab omnibus ſuis muneribus interdictus ad menſem, donec ſatisfecerit; eum præterea damnamus in expenſis ad tercentarum librarum ſummam.

Parochus ſententiam hanc contra ſe pronunciatam ex muſſitatione quadam intelligens, antequam ea ſibi denuncietur, appellat, ut ex ſexdecim in hanc rem inquiſitis teſtibus conſtat: quo facto ſua officia proſequitur ex ſui Conſilii ſententia, quæ eſt ejuſmodi: cum non de ſimplici diſciplinæ, & correctionis facto agatur, ſed de ſententia cum expenſis, ſententiæ executionem ejus appellatione impediri. Itaque in eo vertitur quæſtio, utrum Joannes poſt ſententiæ ſignificationem ſuis officiis

ficiis functus irregularitatem incurrerit, ejus appellatione nihil obſtante. Humillime exorantur Sorbonæ Domini, ut velint Deciſionem ſuam huic ſcripto ſubjicere.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Appellatione, quam Joannes Parochus interpoſuit, ab Officialis ſententia, ejuſdem ſententiæ executionem non impediri, quantum attinet ad Cenſuram, quæ ibidem infligitur, & quominus Joannes ſuſpenſus ſit; ita ut, eſto innocens ſit, debeat tamen ſe gerere tanquam ſuſpenſum, & a functionibus abſtinere, quoad ſatisfecerit, aut Judex Appellationis eum innocentem declaraverit.

Ratio eſt, quia appellatio in diſciplinæ, & correctionis morum negotio non producit effectum ſuſpenſivum, ſed ſolummodo devolutivum. Videri poteſt ſupra allata Conſtitutio ſtatuum Bleſenſium *art. 59. cap. ad noſtram de app.* Sayrus *de cenſur. l. 1. c. 16. n. 23.* Fevrettus *l. 1. c. 2. n. 16. de abuſu*, Tridentina præſertim Synodus *Seſſ. 24. c. 10. de reformat.* cujus en verba: *nec in his, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemplo aut ulla inhibitio, appellatis ſeu querela etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquomodo impediat, aut ſuſpendat.*

Fruſtra autem dicitur a Joanne ſignificata appellatio, antequam Officialis ſententia eidem intimata fuerit. I. ſententiæ ſignificatio non eſt eſſentialis conditio, ut quis Cenſuram incurrat *c. 1. de ſent. excommun.* Suarez *de cenſ. diſp. 3. ſect. 13. n. 10.* ita quoque ſtatuit. Satis eſt illam eidem ſignificatam eſſe etiam poſt ejus appellationem: alioquin enim reus appellare poſſet, ſtatim ac ſententiam contra ſe editam ſciret, & prius quam illa ipſi ſignificaretur, atque ita ejus pœnam vitaret; id quod omnem Eccleſiaſticam Diſciplinam everteret, & pravos Eccleſiaſticos in ordinem redigendi facultatem Epiſcopis adimeret: ex quo ſequeretur Appellationem a Jure inductam tanquam impedimentum, ne innocentia opprimeretur, ad improbos in ſua ipſorum iniquitate retinendos accommodatam fore; quod eſt contra Juris mentem *cap. cum ſpeciali §. porro de appell. cum appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum.*

Appellatio, etiam ante judicium, in diſciplinæ, & correctionis negotio effectum ſententiæ non impeditet. Tridentina quippe Synodus hujuſmodi appellationes frivolas declarat, nullamque earum rationem haberi vult: *in cauſis viſitationis & correctionis, ſive habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Epiſcopo ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali ante definitivam ſententiam, ab interlocutoria, aut alio quocumque gravamine, non appelletur, nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi tanquam frivolæ deferre teneatur.*

Porro non agitur ſolum in Expoſitione de expenſis, atque utrum appellatio a ſententia, quoad caput hoc, ſolutionis executionem ſuſpendat; eſt hæc facti quæſtio ad Cauſidicos pertinens, quæ hic non attingitur: verum de diſciplinæ capite præſertim agitur. Accuſatur Joannes Presbyter, & Parochus, quod ira ſe abripi paſſus fuerit, & contumelioſa verba evomuerit; intereſt autem plurimum, ad Eccleſiæ, & Sacerdotii decus, & ſcandali occaſionem a Fidelibus amovendam, impedire, ne Presbyteri, & Parochi adeo impotenter iraſcantur: ſpectat id Eccleſiaſticam diſciplinam, & morum correctionem; quamobrem Regis Legatus debuit, ut fecit, cauſæ cognitionem ad Officialem remittere: Officialis autem antequam Joanni pœnam imponeret, qua ejus erratum repararetur, facta inquiſitione rei veritatem aſſequi debuit; & ſententia ſubinde prolata nihil impedit, quominus ſemper ſtet de Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & correctionis morum capite in hoc negotio actum fuiſſe.

Ex his omnibus conſequens fit, Joannem Presbyterum & Parochum, cum, appellatione non obſtante, ſaltem quoad forum externum, ſuſpenſionem incurrerit, etiam irregularitatem ſuis functionibus exequendis contraxiſſe, & cauſam præbuiſſe, cur ejus Beneficium impetrabile declararetur, ſi oſtendi poteſt ſacrum celebraſſe, præſertim poſt ſignificatam eidem ſententiam.

Deciſum in Sorbona hac die
8. Maii an. 1693.
G. *Fromageau.*

CASUS II.

Appellatio a Sententia, quæ cenſuras imponit.

QUÆSITUM.

DOmini Doctores orantur humillime, ut ſuam ſententiam proferant in hac facti ſpecie, in qua quæritur, I. an Presbyter Curatus, Officialis Epiſcopi ſui ſententia ad Seminarium injuria damnatus, atque ea quidem lege, ut trium priorum menſium ſpatio a Sacerdotali, & Curiali officio ſuſpenſus, atque interdictus remaneat, ſuas functiones obire poſſit, nec ne, poſtquam appellavit, & appellationem ſuam Officiali ſignificavit.

II. An in alia Diœceſi, & locis ab Epiſcopali juriſdictione exemptis poſſit ſacrum facere; & facta hypotheſi Parochum hunc Abſolutione opus habere, quoniam ſuſpenſio in eum pœnam infligit.

III. An Mendicantes, aliive Religioſi privilegiis gaudentes, cujuſmodi ſunt Canonici Regulares Sanctæ Geneveſſæ Pariſienſis, poſſint eumdem abſolvere, ſecundum hanc regulam ab omnibus Doctoribus Canoniſtis receptam, probatamque: *a ſuſpenſione in pœnam poſſunt abſolvere Mendicantes privilegiati, ex conceſſione facta Patribus Societatis a Paulo III.* atque an eos adire poſſit, ut ab eadem ſuſpenſione valide liberetur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Appellationem a ſententia in diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & correctionis morum materia non ſuſpenſivum effectum obtinere, ſed devolutivum: hæc eſt diſpoſitio Statuti Franciſci I. an. 1539. *art. 5.* Regionum Bleſenſium *art. 59.* Juris Canonici *cap. irrefragabili de off. ord.* & *c. ad noſtram de appellationibus*, Concilii Tridentini pluribus locis, ut *ſeſſ. 22. cap. 1 ſeſſ. 24. de reform. c. 10. & 20.* Et ſane ſi appellatio effectum ſuſpenſivum haberet in morum correctionis facto, Epiſcopo difficillimum eſſet, ac propemodum impoſſibile Diœceſim ſuam in officio continere, & in ea diſciplinam inſtaurare; tunc enim fieret, quod ait Papa Alexander III. *in cap. ad noſtram l. c.* ut appellatio tegendæ ejus iniquitati inſerviret, qui a recto tramite aberrans, in ordinem redigi nollet: *quia vero remedium appellationis non ideo eſt inventum, ut alicui a religionis, & ordinis obſervantia exorbitanti debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere, mandamus &c.* Appellatio remedium eſt a jure excogitatum, ut innocentiæ oppreſſio impediatur, non ut, qui deliquit, inde præſidium quærat; quod tamen contingeret, ſi appellatio in diſciplinæ materia ſuſpenſivum effectum haberet: Tridentina Synodus *Seſſ. 13. c. 1. de reform.* id ita eſſe pro certo ponit: *ne remedio ad præſidium innocentiæ inſtituto ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujuſmodi eorum calliditati, ut tergiverſationi occurratur, ita ſtatuit, & decrevi* &c. Id etiam confirmat hujus Regni conſuetudo; quoties enim appellationes in diſciplinæ Eccleſi-

Eſticæ

ſticæ negotio tanquam abuſus extiterunt, Aulæ ſupremæ Reſcriptis ſuis declararunt, iis non niſi devolutivum effectum ineſſe. Videri poteſt, quod ait Fevrettus *l.* 1. *c.* 2. *n.* 16. de abuſu, & videri poſſunt Reſcripta, quæ ille in medium affert. Hoc poſito, reſpondetur:

I. Parochum, qui Officialis Epiſcopi ſui ſententia injuſte ſuſpenſus, aut interdictus fuerit, vere, & coram Deo ſuſpenſum non eſſe, nullamque cenſuram incurriſſe *c.* 1. *de ſent. & re jud. quia æterni tribunal Judicis reum illum non habet, quem injuſte Judex condemnat*; debet ille tamen *habere ſe pro ſuſpenſo*, ad forum externum quod attinet, ne apud eos, qui ejus innocentiam haud norunt, Eccleſiaſticam poteſtatem contemnere videatur; ex quo eſt illud in Decreto 11. *q.* 3. *c.* 1. poſt Divum Gregorium Magnum Homilia 26. in Sanctum Matthæum: *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt*. Hæc D. Thomæ ſententia eſt *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 4. S. Antonini 3. *p. tit.* 24. *c.* 73. & omnium Canoniſtarum, qui contendunt, cenſuram quamvis injuſtam in foro externo obligare; quamobrem Parochus, de quo quæritur, debet ab obeundis Curialibus, & Sacerdotalibus functionibus abſtinere, licet a ſententia, quam injuſtam putat, appellaverit; & licet appellationem ſuam ſignificaverit, atque repoſuerit, quoad Judex, *ad quem*, eum innocentem declaraverit; proinde ſecundum expoſitionem appellatio in hac facti ſpecie non jam ſuſpenſivum effectum obtinet, ſed tantum devolutivum, ut ſupra dictum eſt; ac ſi Parochus ulterius progrederetur, antequam ejus appellatio dijudicata fuerit, poſſet ipſe irregularis pronunciari, & quod inde conſequitur, ejus Beneficium impetrabile declarari. Videri poteſt, hac in re Layman *c.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 3. & Toletus *l.* 1. *c.* 10.

Ad alteram interrogationem, Presbyter, de quo eſt ſermo, haudquaquam poteſt in alia Diœceſi, aut in loco exempto ullam ſuorum Ordinum functionem obire; quoniam Eccleſiaſticus alicubi ſuſpenſus, donec abſolutus ſit, ubique ſuſpenſus eſt, *C. duæ* 19. *q.* 2. Hæc Canoniſtarum ſententia eſt, quam affert Sayrus *de cenſ. l.* 4. *n.* 7. Ratio eſt, quia Eccleſia eſt una, & licet ſuſpenſio, aut alia cenſura a Superiore particulari, qui aut Epiſcopus, aut ejus Officialis eſt, infligatur, effectus tamen, qui eam conſecuntur, derivantur a generali cauſa, quæ jus eſt in univerſa Eccleſia receptum: cenſura ligamen eſt perſonæ adhærens, quod eam quocumque conſequitur.

Ad tertiam; Mendicantes, aut alii Privilegiati, cujuſmodi eſſe poſſent Canonici Regulares Sanctæ Geneveſſæ, &c. Parochum valide abſolvere nequeunt; regula enim, quæ in Expoſitione producitur, quæque vulgo apud Canoniſtas recepta dicitur, poſſet fortaſſe locum habere quoad quamcumque cenſuram *a jure*, modo privilegium, de quo ſermo eſt, authenticum ſit, & ſecundum formam: ſed locum habere omnino non poteſt *in caſu cenſuræ latæ ab homine per ſententiam particularem*, cujuſmodi eſt ea, de qua agitur, in qua juridicis rationibus actum eſt, Inquiſitionibus, Citationibus, & Sententia. Oportet igitur, ut cenſuræ auctor eam tollat, aut Presbyter abſolvatur a Superiore, ad quem appellavit *ad reprimendam de officio ord.* Ita communiter Canoniſtæ, cum agunt *de Abſolutione a cenſuris*.

Hæc quoque Galliarum conſuetudo eſt; & Eccleſia Gallicana in caſibus cenſurarum *ab homine*, quales ſunt excommunicationes, Romanæ Curiæ Abſolutiones omnino non recipit, *inconſultis Epiſcopis*. Videndus Fevrettus *l.* 7. *c.* 2. *n.* 41. de abuſu; & Franciſcus Florentius, qui *tom.* 1. *ad l.* 1. *decr. tit.* 3. *de reſcript. ad cap. ſicut Romana*: *ex quibus*, inquit, *colligitur omnino facile, & temere admiſſe Eccleſiam Gallicanam. excommunicationes ſuas inconſultis Epiſcopis a Pontificibus ſolvi, ut conſtat ex exemplo Benedicti IX. Reperitur inter acta Concil. Lemovic. apud Baron. tom.* 11. *ad annum Chriſti* 1134. *num.* 20.

Ex his omnibus conſequens fit, oportere, ut Parochus coram Metropolitano Appellationem ſuam proſequatur; & quamquam facta hypotheſi eum innocentem eſſe, credi poteſt in peculiari loco celebrare poſſe, quin irregularis evadat, non tamen id eſſet ejus prudentiæ conſonum, ne ſcilicet detegeretur; atque ita in propoſita facti ſpecie tutius eſt a functionibus abſtinere.

Deciſum hac die 7. Martii 1693.

G. *Fromageau*.

Appellatio ab Approbationis negatione.

CASUS III.

1 *Hoſpitalis cujuſdam Sacerdos, qui hoc officium obtinet in Titulo, ad Metropolitanum appellare poteſt ab injuſta negatione, Viſa, quod ab Epiſcopo petit.*

2 *Si hoc officium eſt tantum Commiſſio amovibilis, non poteſt ille ſibi conſulere, adverſus Epiſcopum, qui renuit eum approbare.*

QUÆSITUM.

DE Presbytero quæſtio eſt, cui in Hoſpitalis cujuſdam Sacerdotem electo Epiſcopus B..... confeſſiones excipiendi facultatem concedere omnino non vult, non jam ob habilitatis defectum, ſed ob id tantum, quod in animo habeat ad officium hoc nominandi ſibi jus arrogare; ſed quoniam ab Hoſpitali condito nos ſemper Sacerdotes noſtros nominavimus, exiguum jus hoc retinere nobis in votis eſt. Alia ex parte cum approbationis negatio Presbyteri hujus, qui ita non eſt excipiendus, animum mirum in modum perturbet, noſtrum eſſe ducimus ei patrocinari, & ad Metropolitanum etiam confugere; ſed nihil, niſi vobis ita ſentientibus, aggredi volumus. Te oro, Domine, ut tuam nobis ſententiam aperias, non jam eorum ratione habita, qui tibi noti non ſunt, ſed vi charitatis erga Sacerdotem, qui fori negotium ſubire non vult, niſi illud gravi fundamento nitatur. Attento animo perpendas, quæſo, præcipuum ſupplicationis caput, quod in eo vertitur, utrum Epiſcopus impedire poſſit, quominus Presbyter confeſſiones audiat, atque an ille hac in re ſit Dominus cum Metropolitani detrimento, cum Presbyter eſt capax: ſpero equidem, Domine, fore ut velis ad me nulla interjecta mora ſupplicationem hanc ipſam meo nomine inſcriptam remittere &c.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ſi hoc Sacerdotis Hoſpitalis officium, ad quod nominandi Adminiſtratores jus habent, Titulus eſt, aut Beneficium, eum, qui nominatus eſt, poſſe ad Metropolitanum confugere, ut approbationem obtineat ad recuſationem Epiſcopi ſui, qui facto ipſius examine ei denegat ſuum *Viſa*. Sane appellationes ideo ſunt inſtitutæ, ut Superiorum majorum judicio reparetur injuria, quam inferioribus ſuis quandoque Subalterni Judices inferunt.

Porro Epiſcopus, de quo quæritur, Sacerdoti notabilem injuriam infert, ſi eum injuſte rejicit, ut pro certo ponitur, quoniam ipſi indirecte reale, & perpetuum jus adimit, quod habet ad Beneficium, Adminiſtratorum præſentatione; ideoque appellationi locus eſt, ita ut ſi Metropolitanus inito Presbyteri examine

ne eum dignum invenerit, qui Sacerdotis Hoſpitalis Sedem occupet, poſſit requiſitas formulas ſervans permittere, ut ibidem functiones obeat, aliorum Sacerdotum more, ita tamen, ut poſſit Epiſcopus impedire, quominus hic Sacerdos in officio perſiſtat, ſi impoſterum eo indignus evaſerit.

At ſi hæc Sedes nihil eſt aliud quam Commiſſio, ad quam juxta Hoſpitalis conſtitutionem Adminiſtratores nominandi jure gaudent, non creditur Sacerdos poſſe coram Metropolitano legitime ſibi conſulere, etiam facta hypotheſi eum ab Epiſcopo injuria rejectum fuiſſe; de eo enim ita fere ſentiendum eſt, ut de Vicario, qui a Parocho electus, ut in animarum cura ſibi inſerviret, a ſuo Epiſcopo reprobatus vellet approbationem a Metropolitano impetrare; repugnat id conſuetudini, ac magna orirentur incommoda, ſi Presbyter invito Epiſcopo in ejus Diœceſi confeſſiones excipere, & Sacramenta adminiſtrare contenderet, nominationem prætendens; quæ nonniſi ſimplex Commiſſio eſt, qua pro arbitratu ſpoliari poteſt, quæque proinde eidem permanente ratione minime adhæret: omnes Sacerdotes a Communitatibus, aut a privatis electi idem ſibi vindicarent, & gravis abuſus eſſet, hujuſmodi Presbyteros, favore, aut alia ratione, veniam adminiſtrandi Sacramenta proprii Epiſcopi ingratiis a Metropolitano obtinere.

Hinc ſequitur in hoc poſteriore caſu nihil eſſe, cur apud Metropolitanum præſidium quæratur; quapropter ſi Sacerdos, de quo agitur, nec probatis rationibus, nec cordatorum Virorum opinione Epiſcopo perſuadere poteſt, ut aliorum Sacerdotum more ſe huic Hoſpitali inſervire patiatur, debet ſe continere, ſibique a ſuo Antiſtite illaram perturbationem æquo animo ferre. Peccat is quidem certe, renuens iniqua de cauſa probum Presbyterum approbare: ſed ſi ſtricte loqui volumus, non tenetur ſui Conſilii rationem reddere. Quod ſi Sacerdos in hoc Hoſpitali Sacramentorum adminiſtrationem ad Metropolitani veniam aggrederetur, etiam cenſuris inflictis poſſet id Epiſcopus impedire.

Ut autem certo conſtet, an hic Præſul Sacerdotis nominatiouem ſibi arrogare velit, Adminiſtratores alium nominent neceſſe eſt, qui ex Presbyterorum in Diœceſi approbatorum numero ſit, ac ſi eum a Sacramentis adminiſtrandis impediat, Epiſcopum interpellare poſſunt, ut pronunciet, an Sacerdotem nominare contendat, atque ad ejus reſponſum, jus ſuum tueri poterunt, facta hypotheſi illud firmo fundamento niti.

Deciſum hac die 5. Decembris 1699.
G. *Fromageau*.

Appellatio tanquam abuſus ab Officialis ad dimittendum Beneficium damnantis ſententia.

CASUS IV.

1 *Appellatio a Sententia, quam Officialis protulit, Beneficiarium damnans ad Beneficium ſuum intra dies viginti dimittendum, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, ſententiæ ejuſdem Officialis effectum ſuſpendit, dummodo appellatio non ſit evidenter frivola, omnique legitimo fundamento careat.*

2 *Idem Beneficiarius, ut ſui Superioris auctoritatem ſe revereri ſignificet, ad evitandum ſcandalum, quod iis afferre poſſet, qui ejus condemnationis conſcii, ejuſdem innocentiam perſpectam non habent, debet a conſuetis ſuis functionibus abſtinere.*

QUÆSITUM.

Presbyter tredecim ab hinc annis cura potitus in Diœceſi N....., de ſuo munere ſollicitus, contradictiones, & repugnantiam apud aliquos in ſua Parochia exiſtentes offendit, atque ut eorum aliquos in ordinem redigeret, ad Judices accedere coactus eſt.

Ejus loci Molens, homo pecunia pollens, in vindictam, quod a ſuo Parocho durius exciperetur, eidem in Epiſcopi ſui Curia litem intentavit, quæ plurium annorum ſpatio perduravit, & in qua collatis teſtibus viginti quatuor nihil inventum eſt, quod eidem Parocho vel minimum negotium faceſſeret; argentum tamen ab Adverſario ad Curiam identidem delatum in cauſa fuit, ut ad nova procederetur, inquireretur, & Officiales ad loca deſcenderent. Denique cum nihil Officialibus occurreret, quo ſententiam, quæ Parocho ſatisfacere poſſet, firmarent, ei auctores fuerunt, ut ſe cum Molente componeret, ſeque a tam gravibus moleſtiis liberaret ſoluta aliqua argenti ſumma, qua magnæ, quas ille fecerat, impenſæ ſarcirentur. Fidenter recuſat Parochus, ſeque judicio ſubdit; Molente tamen novis machinamentis ſolutionem repetente, Parochus defatigatus conſilium ab Epiſcopi Officialibus ſibi propoſitum amplectitur, Epiſcopo negotia ſua committendi, pagina ſubſcripta: id præſtitit Octobris menſe an. 1699. ea conditione, ut ne Epiſcopus de ejus vita, & moribus inquireret, ſiquidem nullo crimine convictus eſſet: adornavit ſubſcriptam paginam promiſſione arbitrariæ Epiſcopi ſui ſententiæ ſeſe ſubdendi, etiamſi Beneficii abdicationem præciperet.

Epiſcopus huius ſchedulæ vi eum damnavit eodem Octobris menſe ad 350. libras damni, & fructuum erga Adverſarium, & ad Beneficii abdicationem ante menſem Julii 1700. Parochus hic ægro animo tulit ſententiam hanc, ſe oppoſuit, dixitque ad tranquillitatem ſibi comparandam ſe quidem 350. libras ſolvere paratum eſſe, ſed ad Beneficium commutandum induci non poſſe.

Prælatus, qui lite pendente, ac poſt novum teſtium examen a Parocho rogatus, ut ei ſuam opinionem ſignificaret, admodum humaniter ipſum exceperat, eique profeſſus fuerat ſe probe noſſe, ſceleſtorum hominum ejus curæ concreditorum invidia ſolum, pravaque voluntate ipſi hoc negotium inferri, eumque hortatus fuerat, ut alacri animo eſſe vellet, & conſueta ſua munia proſequeretur, perſuaſum habens ejus ſibi patrocinium erga & contra quoſcumque nunquam defuturum; poſt hanc ſententiam ei expediendum curavit, *exeat*, perhonorificum, in quo teſtatur eum ſemper fuiſſe probis moribus, integra vitæ ratione, & in ſui muneris officiis accurata ſollicitudine.

Cum intra definitum tempus ſe Parochus non abdicaſſet, ei Julio menſe ſignificata eſt Officialis ſententia, qua ad exequendam Epiſcopi ſententiam, & proinde ad Beneficium ſuum dimittendum damnatur ad diem primam Septembris proximi, ſubiturus *ipſo facto* abſque ulteriore monitione ſuſpenſionis pœnam, niſi ad eam diem ſuum Beneficium dimiſerit.

Ante hujus ſententiæ terminum appellavit Parochus ad ſenatum P., recepta porro appellatione, & cauſa in eadem Aula pendente, menſe Septembri Curiales ſuas functiones obire ſe poſſe credidit; ſed ſub menſis initium ad Officialem accitus eſt, ut irregularitatis ſuæ declarationem audiret: enunciat Parochus ſe pedem non referre, & appellationem ſuam tanquam abuſus urgere; nihilo tamen minus Officialis ſententiam profert, qua eum irregularem declarat: itaque quæritur.

I. An interpoſita Appellatio duarum priorum

rum ſententiarum effectum non ſuſpendat, & ab irregularitate Parochum non eximat, cum nonniſi minæ ſuſpenſionis *ipſo facto* ejus appellationem præceſſerint?

II. An Parochus, qui a ſuis functionibus, poſtquam irregularis eſt declaratus, abſtinuit, ad eas repetendas debeat rurſus habilis enunciari, & a quo?

III. An Epiſcopo ſatis gravis cauſa ſubſit Parochiam vacantem *ipſo facto* declarandi, propterea quod Parochum irregularem eſſe perſuaſum habet?

Rogantur Sorbonæ Domini, ut ſuper his tribus quæſtionibus ſuam deciſionem exhibeant,

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ad primam quæſtionem quod attinet; per Appellationem a Parocho, de quo in Expoſitione, interpoſitam ſuſpendi effectum ſententiæ Officialis, jubentis ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto*, ut idem Parochus ad diem primam Septembris ſuum Beneficium dimittat: & ſane in jure, & juxta communem Canoniſtarum Sententiam cenſuræ ſub conditione latæ Appellatio, ante termini, aut conditionis complementum, cenſuræ effectum ſuſpendit; eſt id expreſſum in cap. *præterea de appel.* Ibi enim conſulitur Pontifex, ut innoteſcat, an Sempronius ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto* damnatus ad id, quod debeat, intra prorogationis dies omnino viginti ſolvendum, appellatione ante elapſum terminum interpoſita, vere ſuſpenſus ſit; *utrum ille ſententia tali ligetur*; reſpondet Pontifex ſententiæ effectui hanc appellationem obſtare: *videtur autem nobis, quod hujuſmodi ſententiam appellationis obſtaculum debeat impedire*,

Jam vero Parochus, de quo agitur, ante elapſam primam Septembris diem appellavit; ac proinde Officialis deinceps legitime eum ſuſpenſum declarare non potuit: ideo porro appellatio cenſuræ ſub conditione, ex. c. excommunicationis, ſuſpendit ejus effectum, aut eam irritam reddit, ante conditionem completam, quamvis alioquin ejus inferendæ cauſa ſubeſſet, quia ſpectanda eſt hæc appellatio, inquit Sairus, *l. 1, c. 16. n. 24 de cenſur.* tanquam facta, antequam ſententia lata ſit, aut lata eſſe judicetur: *donec enim dies, vel conditio veniat*, inquit Auctor hic, *excommunicatio lata non cenſetur; unde ante conditionis eventum appellans, ante ſententiam latam appellare cenſetur; & proinde excommunicatio hæc nulla omnino erit*. Sairus de ſuſpenſione diſtinctim diſſerens *lib. 4. c. 9. nn. 14. & 15.* idem tradit,

Verum quidem eſt, ſi appellatio cenſuræ etiam conditione ſuſpenſæ ſit omnino frivola, & quovis legitimo fundamento careat, Judicem, qui eam intulit, poſſe nihil appellationi deferre; ita ut, completa conditione, cenſura locum habeat: hæc communis Canoniſtarum ſententia eſt, ut Sairi *l. 1. c. 16, n. 27. de cenſ.* Pyrring, *l. 2. tit. 28. n. 66.* Doctrina hæc jure nititur *cum inter de elect. & elect. poteſtate*, & in ſexto *cap. cum appellationibus de appell.* Revera appellatio non eſt ſubſidium a jure inventum ad defendendam iniquitatem, ſed ad innocentiam ab oppreſſione tuendam,

Cum Eccleſiaſticus ex. g. eſt *in reatu*, aut alicubi enormis ſcandali cauſa eſt, poteſt executioni mandari, ſecundum juris mentem, lata ſententia, licet appellatio interceſſerit, *cap. pervenit de appellat. ſi vero exceſſus eorum publicus, & notorius fuerit, non obſtante ipſorum appellatione, denunciandi ſunt*; & *cap. conſuluit* eodem titulo: *ſi manifeſtum ſeu notorium ſit, quod aliquis uxorem alterius detineat, vel manus violentas in Clericum injecerit, non eſt ejus appellationi deferendum*. Parochi, de quo quæritur, appellatio non eſt hujuſmodi, ut liquet ex humanioribus Epiſcopi ad eumdem Parochum verbis, ut videlicet in officio de more perſiſteret, certior factus ſe ejus præſidio erga & contra omnes uſurum eſſe; ut conſtat etiam ex formulis, quas in *Exeat*, quod ei conceſſit, adhibuit,

Neque vero objici poteſt, hic de diſciplina ſermonem eſſe, & Parochum, tametſi vir probus ſit, loco tamen, in quo degebat, non reſpondiſſe; neceſſe proinde fuiſſe, ut curam, quam poſſidebat, dimittere cogeretur: illud enim certum eſt, in diſciplinæ facto ſententiæ appellationem ſuſpenſivam non eſſe, ſed cum de negotiis tantum civilibus agitur, ut in hac facti ſpecie, aut cum Parochus ſpoliatur Beneficio, quod ſpectandum eſt tanquam ejus laborum & ſtudiorum fructus, qui momento temporis eidem adimitur; ita ut facta abdicatione, damnum ipſi illatum amplius reparari non poſſit; videtur is puræ puræque diſciplinæ caſus non eſſe, & correctionis morum, aut appellatio, quæ non niſi effectum devolutivum habere debeat.

Præterea dimittendi Beneficii obligatio per Epiſcopi ſententiam huic Parocho impoſita difficile conciliari poteſt cum verbis, quibus Parochum allocutus eſt, cum hominibus ſibi concreditis contendentem, quæque paulo ante prolata ſunt. Ad extremum eſto judicaretur expediens hunc Parochum ſe Beneficio abdicare, non eſſet tamen ad id per ſententiam compellendus, non ſolum propterea quod nonnihil inde infamiæ oritur, ſed etiam quia Epiſcopus ex omnibus veriſimilitudinis ſignis cognoſceret, ſolum ex Officialium conſilio negotii mere civilis arbitrum electum fuiſſe, & in hoc arbitrio eam conditionem poſitam eſſe, ne de ejus vita, & moribus inquireretur; igitur opus eſſet ad hunc Parochum honorificentius excipiendum, ut ei Beneficium aliquod proponeretur, eo etiam melius, quod jubetur dimittere, aut expectaretur, dum aliquod aliud vacaret.

Sed ut magis etiam appareat, appellatione ſententiæ hujus, qua huic Parocho præcipitur, ut ſuum Beneficium dimittat die prima Septembris ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto*, ejuſdem ſententiæ effectum quoad cenſuram ſuſpenſum eſſe: animadvertendum eſt ſuſpenſionem hic non eſſe niſi quaſi acceſſorium, & conſecutionem quamdam obligationis huic Parocho impoſitæ curam deſerendi, quæ quidem obligatio in ſententia principem locum tenet: ſi ergo Appellatio interjecta non modo devolutivum effectum obtinet, ſed etiam ſuſpenſivum quoad Beneficium, concludi poteſt eumdem ejus effectum eſſe quoad cenſuram; quod ſi ita res ſe habet, Officialis legitime declarare non potuit Parochum in ſuſpenſionem incurriſſe,

Ad ſecundam. Licet Parochus reipſa dignus non fuerit, qui ab Officiali irregularis declararetur; cum tamen Officialis eum ſuſpenſum, & alia proinde ſententia irregularem declaraverit, quod Curiales functiones obierit, debebat hic Parochus Superioris ſui auctoritatem veritus quoad exterius & publice ab Eccleſiaſticis functionibus abſtinere, & externa ſpecie ſe tanquam ſuſpenſum gerere; ſiquidem juxta hanc juris regulam, quæ ex S. Gregorio Magno ducta eſt, & refertur 11. q. 3. *Paſtoris ſententia, ſive juſta, ſive injuſta, timenda eſt*. Clericus cenſura vel injuſta irretitus debet ſaltem publicitus ſe continere a ſuis functionibus de more obeundis, ob Eccleſiaſticæ auctoritatis obſervantiam, atque etiam ut ſcandalum evitetur, quod iis afferre poſſet, qui ejus condemnationem cognoſcentes, non tamen ipſius innocentiam cognoſcerent. Videri poteſt hac in re Sairus *l. 1. c. 17. n. 16.* Pyrringus *l. 5. tit. 39.* Layman *l. 1. tr. 5. c. 6. n. 3.*

Exiſtunt caſus, in quibus cum Superior cenſuram infligit, quin formulæ requiſitæ ſerventur, & legitimum fundamentum adſit, cenſura proinde nulla, & invalida, functiones

nes obiri poſſunt, quin peccetur omnino, & in foro etiam externo ulla irregularitas incurratur; neceſſe quidem eſt nullitatem notoriam & manifeſtam eſſe, atque hæc Auctorum, quos nominavimus, aliorumque plurium ſententia eſt.

Epiſcopalis porro ſententiæ nullitas notoria omnino non erat, propterea quia non conſtabat hunc Parochum ob id unum Epiſcopi ſui arbitrio uſum eſſe, ut ille negotia civilia dijudicaret, atque ea conditione, ut ne in hac re de ejus vita & moribus ageretur. Neque etiam innoteſcebat, aut Parochum ab Officialis ſententia ante completum ejuſdem ſententiæ terminum appellaſſe, aut appellationem hanc ejuſmodi fuiſſe, ut ejus effectum ſuſpenderet; ex quo ſequitur Parochum a ſuis functionibus abſtinere debere, atque interim apud Epiſcopi Superiorem ſibi conſulere, ut abſolutionem obtineat *ad cautelam cap. venerabilibus de excomm. in 6.* aut impetrare defenſionis Reſcriptum a Senatu, ad quem erat ejus appellatio tanquam abuſus, atque ita impedire, ne contra ipſum cum appellationis ſuæ detrimento procedatur, & uſque ad litis definitionem rebus omnibus providere.

Cæterum cum Parochus non ita ſe geſſerit, & publice, ſecus ac par erat, ſuo munere functus fuerit, in Eccleſiaſticæ, ut videtur, auctoritatis contemptum, Officialis eum irregularem pronunciare potuit, quoniam tenebatur, ut ſupra dictum eſt, a ſuis functionibus abſtinere, quoad in ejus favorem de ipſius appellatione judicaretur; unde fit conſequens, ob hoc ipſum irregularitatis principium, cum Parochus aliunde non ſibi conſulat, ut ratione aliqua juridica liberetur, curam vacantem declarari potuiſſe.

Solus Pontifex poteſt ab irregularitate Parochum, de quo quæritur, ſolvere; cum ejus opem Parochus imploraverit, nominabit ille Commiſſarios *in partibus*, ut negotium inter Parochum, & Epiſcopum ad trutinam revocent, & deinde ſtatuant, quid juris.

Verum ut videtur veriſimillimum, hi Delegati nihil conficient; donec appellatio tanquam abuſus ſubſiſtet: debet itaque Parochus imprimis curare, ut ejus appellatio, & quidem quantocius dijudicetur, niſi velit apud Eccleſiaſticos Judices ſibi conſulendi facultati renunciare.

Ad tertiam & poſtremam quæſtionem quod attinet, ei ſatis eſt factum per ea, quæ diximus.

Deciſum hac die 4. Decembris 1709.
G. *Fromageau*.

APPROBATIO.

Jus Eccleſiæ Collegialis in judicium vocatum quoad nonnullorum Confeſſariorum Approbationem.

CASUS I.

1 *Soli Epiſcopo jus competit in capite Confeſſarios in ſua Diœceſi approbandi, ac ſi id juris ei contenditur, proviſio eidem eſt adjudicanda.*

2 *Vana & frivola Capituli contentio, Presbyterorum in ſua Eccleſia approbationem ex quodam privilegio ſibi vindicantis.*

QUÆSITUM.

Collegialis Eccleſia jamdudum nonnullis Diœceſanæ Legis juribus gaudet in plures cujuſdam Urbis Parochias, id ſciente Diœceſis, in qua hæc Eccleſia ſita eſt, Epiſcopo, & jam tum ægre ferente.

Inter alia in Confeſſarios approbat Eccleſia hæc Vicarios perpetuos, alioſque Presbyteros in his Parochiis degentes, in quibus tamen ſolus Epiſcopus inſtituit Parochos, quibus animarum curam, atque adminiſtrationem committit.

Eccleſia hæc ipſa jus, quod oſtentat, Confeſſarios hos approbandi, præcipue, atque imprimis repetit ex Senatus Pariſienſis Reſcripto an. 1635. tametſi, ſi verborum notio ſpectetur, ex hoc Reſcripto evincatur id unum, poſſe ipſam de hujuſmodi Vicariorum ſolummodo, atque in iis Parochiis exiſtentium habilitate cognoſcere; quam quidem habilitatis cognitionem a jure, & facultate canonicas approbationes Presbyteris impertiendi ad Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum ſummopere diſcrepare contendit dictus Epiſcopus.

Capitulum hoc ut ſuam retineret conſuetudinem, quam etiam legitimæ exemptionis, cujus tamen nullum validum, & juridicum titulum profert, privilegio nixam eſſe contendit, actum Capitularem in Conſtitutionis formam edidit an. 1698. quo ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto* Presbyteris omnibus tam ſæcularibus, quam regularibus vetuit, ne intra ſuæ juriſdictionis terminos concionem haberent; aut confeſſiones exciperent, quocumque prætextu, niſi mortis periculum adeſſet; & ſub iiſdem pœnis Parochis, Vicariis, aliiſque Superioribus ſæcularibus, & regularibus, ne quem ſinerent in ſuis Eccleſiis ad Populum verba facere, aut confeſſiones audire, abſque ejus approbatione e ſcripto, aut ſacroſanctum Sacramentum ibidem exponere abſque hac ipſa permiſſione pariter e ſcripto.

Epiſcopus ad tuendam e converſo ſuam legitimam conteſtationem, ſibique retinendam facultatem ad ſolos Epiſcopos pertinentem mittendi Concionatores ad Dei verbum miniſtrandum, concedendi veniam exponendi, & publice deferendi ſanctiſſimum Altaris ſacramentum, approbandi Confeſſarios ad conferendum Pœnitentiæ Sacramentum, juxta ſanctorum Decretorum, Ordinationum, Reſcriptorum, & Conſtitutionum Regni formalem præciſamque diſpoſitionem, ſupplicationem ſuam Regi obtulit in privato ejus Conſilio, ut reciperetur Appellans tanquam ab abuſu ab ea illius Capituli conſtitutione, & ab iis omnibus, quæ ejus vi contigerunt; utque interim ejus Conſtitutionis executio prohiberetur, quoad aliter ſua Majeſtas præciperet: atque ad hanc abuſus appellationem editum eſt Reſcriptum die 31. Decembris 1698. quo receptus eſt Epiſcopus appellans tanquam ab abuſu, atque interea Capitularis Conſtitutionis executio vetita eſt, & quicquid eam eſt conſecutum.

In hujus Reſcripti conſecutionem Epiſcopus ad Promotoris ſui ſignificationem die 3. Januarii an. 1699. Mandatum vulgavit, declarans Capituli Conſtitutionem temerariam, ſanctis Canonibus, & Conſtitutionibus Regni contrariam, Epiſcopali auctoritati injurioſam, ſchiſmaticam, utpote eo tendentem, ut ſecundus ordo in priorem inſurgat, ſcandalo obnoxiam, Hierarchiæ pernicioſam, nullam, & ſine effectu; proinde præterea prohibens Diœceſis ſuæ Presbyteris omnibus ſæcularibus & Regularibus, præſertim in ea, de qua agitur, Urbe degentibus, ne conciones habeant, aut confeſſiones audiant abſque ſuo ſcripto edita Miſſione & Approbatione ſub juris pœnis, & aliis gravioribus in inobedientiæ, & contumaciæ caſu; renovans ſuas veteres prohibitiones huic Collegiali, ne quid contra Epiſcopalem juriſdictionem molia-

moliatur, aut ullum Decretum emittat, utpote ſeditioſum, anarchicum, atque ad fictos Paſtores tanquam legitimos intrudendos accommodatum; pronuncians Mandatum ſuum executorium in forma, & tenore, non obſtantibus oppoſitionibus, aut appellationibus quibuſcumque, & ſine præjudicio, quandoquidem de diſciplina Eccleſiaſtica, & de correctione agitur.

Cum Reſcriptum hoc, atque hoc mandatum ſignificatum fuiſſet Epiſcopi nomine tam dictis Parochis, Superioribus ſæcularibus, & regularibus, & perſonaliter etiam aliquibus aliis Presbyteris, Officiali, Canonicis, & Vicariis amovibilibus, dependentibus, & ſtipendio conductis a Capitulo, quam ipſi Capitulo; appellavit Capitulum a Mandato tanquam abuſu, & Reſcripti executioni ſe oppoſuit, oblata Supplicatione privato Regis Conſilio; ſcripſit, produxitque, prorſus ut Epiſcopus: & ratione habita reſpectivarum utriuſque partis poſtulationum, primæ quidem Capituli, eo tendentis, ut ſuæ Majeſtati placeat recipere ſupplicantes ſe opponentes executioni Reſcripti 1698. ad Epiſcopi poſtulationem editi, acceptata eorumdem oppoſitione, haud ſpectato ipſo Reſcripto; præcipere, ut Conſtitutio ab iis facta die 12. Novembris 1698. quoad approbationem Confeſſariorum, & Concionatorum, & expoſitionem Sancti Sacramenti intra ipſorum Territorii terminos, in forma, & tenore executioni mandetur; ſicut etiam recipere ſupplicantes appellantes tanquam ab abuſu a ſcripto ipſis ſignificato die 4. Aprilis 1699., titulo Mandati ejuſdem Epiſcopi, ad diem 5. Januarii 1699., illius executione ipſi prohibita, quod ſpectat ad Supplicantium juriſdictionem, prohibitiſque Parochis, & Superioribus Communitatum ipſorum Territorii, & quibuſvis aliis eam legere, & vulgare, & ſtatuta illius ſuppreſſione, utpote Scandaloſæ, injurioſæ, & pernicioſæ famæ ipſorum Supplicantium; ac ſi vel hactenus, vel impoſterum vulgata fuerit, Reſcriptum, quod ad præſentem poſtulationem edetur, pariter legendum & vulgandum eſſe, ad Scandali, & famæ ſupplicantium reparationem; prohibito Domino Epiſcopo ſimilibus formulis impoſterum uti; & præterea jubere, ut ſuper dicta Appellatione partes intra prorogationes conſuetas, & ad inſtantiam additas ſcribant, producantque.

Ac ponderatis omnibus, Rex in ſuo Conſilio, nulla ratione habita Reſcripti an. 1635. a Capitulo allegati, & unde ſibi tantum præſidii quærit, nec pluris factis quibuslibet aliis ejus productionibus, aut jactatæ juriſdictionis præcipuis titulis in hac inſtantia incidenter allatis, Reſcriptum alterum edidit die 13. Decembris 1700. quo pure & ſimpliciter receptum eſt hoc Capitulum Appellans tanquam ab abuſu, ab Epiſcopi Mandato, haud conceſſis ad ipſius poſtulationem prohibitionibus executionis ejuſdem Mandati; nec recepto ipſo Capitulo ſe opponente executioni Reſcripti 1698. quod interim Capitularis Conſtitutionis executionem vetat; addita Appellatione, & Oppoſitione Capituli ad Inſtantiam principalem; quod poteſt, ut videtur, ac debet quoad Capitulum honeſta rejectio nuncupari.

I. Quæritur, utrum hæc Capituli conſuetudo fundamento tali nixa, ita impugnata, latoque etiam interim adverſus ipſam judicio, ſit adhuc tamen ſufficiens, titulusque legitimus, unde hæc Collegialis Eccleſia jus ſumat dictos Presbyteros approbandi, & ſatis inſtruendi facultate Pœnitentiæ Sacramentum Fidelibus adminiſtrandi licita, validaque ratione, privative Epiſcopo, h. e. quin illi neceſſe habeant Diœceſanum Epiſcopum adire, ut ſuam approbationem ab eo petant?

II. An poſt dicta Reſcripta Conſilii, & Mandatum Epiſcopi, Capitulo ejuſdem Epiſcopi nomine ſignificata, dici poſſit, ac debeat, Secundum ejuſdem Mandati verba, confeſſiones his Presbyteris a Collegiali quidem, non autem ab Epiſcopo approbatis factas, aut deinceps faciendas nullas eſſe; atque an propterea neceſſe ſit utriuſque ſexus perſonas his Presbyteris confeſſas eaſdem confeſſiones iterare, & retexere; atque id quidem a quo tempore?

Rationes Collegialis, ejuſque fautorum, ad proſequendam ipſius conſuetudinem approbandi.

Ratio Capituli, ejuſque Fautorum ad proſequendam, ut fecit, & faciet uſque ad definitivum de omnibus judicium, ſuam conſuetudinem confeſſiones audiendi, & ut audiantur, committendi, per ſuam ipſius tantum, & non Epiſcopi approbationem, ea eſt, quod receptum eſt Appellans ut ab abuſu ab Epiſcopali Mandato, tametſi receptum non fuerit opponens executioni Reſcripti anno 1698. quod eidem Epiſcopo proviſionem confert, & quod alia ex parte ejus appellatio & oppoſitio inſtantiæ principali additæ ſunt, hoc pacto, ejus quidem judicio, veluti revocata proviſione, & non amplius penes Epiſcopum exiſtente; ſed rebus omnibus antiquæ conſuetudini reſtitutis, prorſus ut ſe ſe habebant ante ejus Conſtitutionem an. 1698. ante Reſcriptum an. 1698. & ante Mandatum Epiſcopi an. 1699. ita ut hæc omnia, Conſtitutio, Reſcriptum, & Mandatum, propemodum ſpectanda ſint, perinde ac ſi nunquam facta fuiſſent, aut ſaltem abſque juris partium præjudicio, tum proviſionis, tum principalis ratione; ita ut ejus Appellatio ſuſpenſiva ſit abſolute in hac facti ſpecie.

Rationes, quas Epiſcopus, & Diœceſis Preſbyteri afferunt ex Ordine Hierarchico, ad abrogandam ſaltem proviſionis gratia hanc Capituli conſuetudinem.

Econtra Epiſcopi ratio, ut tollatur, ſaltem in proviſionis modum, conſuetudo, quæ ſpectatur ut verus abuſus, & non ut legitima conſuetudo, ſaltem quoad præſens.

Eſt I. Hoc Capitulum ſuis ſupplicationibus a Conſilio petiiſſe, ut reciperetur opponens executioni Reſcripti an. 1698., & juſſionum executionis Mandati Epiſcopalis, neutrum tamen obtinere potuiſſe.

II. Juſſionibus in Reſcripto an. 1698. contentis ſemper ſubſiſtentibus, jus concedendi miſſionem Concionatoribus, permiſſionem exponendi ſanctum Sacramentum, & approbationem Confeſſariis, proviſionis gratia ſibi eſſe ſervatum.

III. Re ipſa, & juxta formalem diſpoſitionem Sanctorum Decretorum, & Conſtitutionum Regni, jura hæc omnia, & facultates ſolis Epiſcopis reſervari.

IV. Appellationem non eſſe omnino ſuſpenſivam in hac materia, vi Edicti an. 1695. *artic.* 11. quo ſtatuitur rotundis verbis, ut Conſtitutiones ab Archiepiſcopis, aut Epiſcopis editæ, quoad approbationes neceſſarias ad Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum, executioni mandentur, non obſtantibus quibuſvis appellationibus ſimplicibus tanquam abuſus, & ſine præjudicio.

V. Solum Epiſcopum, & cum Capituli excluſione, jure gaudere approbandi harum Parochiarum Rectores, & propterea jure merito eum ſolum, excluſoque eodem Capitulo, facultate pollere approbandi Vicarios perpetuos, alioſque Presbyteros iiſdem Parochis ſubjectos, & dependentes, atque ad eos in Curialibus ipſorum functionibus, & Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtratione juvandos accommodatos.

VI. Denique certum eſſe, in negotio tam gravi, in quo id agitur, ut in tuto ponantur animi, validarum confeſſionum ope, per Presbyteros

byteros

byteros approbatos, qui eas excipiunt; quæque nequeunt eſſe validæ, juxta formalem Sanctorum Decretorum Deciſionem, niſi cum fiunt Presbyteris ab Epiſcopo Diœceſano approbatis ad conferendum Pœnitentiæ Sacramentum: certum, inquam, eſſe, hoc in caſu conſuetudinem, aut poſſeſſionem ad examen non revocari, propterea quod ii, qui approbationes neceſſarias ad confeſſiones audiendas conferre non poſſunt, neque ex conſuetudine, ac poſſeſſione poſſunt id ſibi juris arrogare: jam vero illud eſt indubitatum, facultatem approbandi Presbyteros ad confeſſionem ſoli Epiſcopo competere: eſt hoc jus ab Univerſali Eccleſia in Tridentino Concilio congregata ei tantummodo reſervatum Decreto in hanc rem Edito, quod refertur Capite, *Quamvis Presbyteri Seſſ.* 25. quo ſtatutum eſt expreſſis verbis, nemini licere confeſſiones audire, niſi impetrita Epiſcopi approbatione. Addit etiam Synodus nullam habendam fore rationem privilegiorum, conſuetudinum, & poſſeſſionum, quæ contra ſtare poſſent, *non obſtantibus privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili*. Quod confirmat, conſuetudinem, aut poſſeſſionem in hoc genere eſſe prorſus inutilem, eamque non ſpectari niſi ut arrogationem, & uſurpationem, unde nunquam duci poſſit jus legitimum adverſus Eccleſiaſticarum Legum auctoritatem.

Niſi forte Epiſcopus, qui id probe novit, non queratur omnino, neque impediat, quandoquidem tunc id tacite approbare cenſetur, non autem cum, ut in hac facti ſpecie, Epiſcopus ſub juris pœna prohibet, ne abſque ſua approbatione confeſſiones audiantur, mandatque, ut ſuæ prohibitiones perſonaliter ſignificentur.

His etiam de cauſis in Galliis Capitula, quæ ſibi jus approbandi Confeſſarios intra Eccleſiarum ſuarum terminos arrogarunt, prætextu conſuetudinis & poſſeſſionis, licet etiam exemptionis & juriſdictionis privilegiis ſe gaudere contenderent, damnata ſunt, & eorum Epiſcopis ſervata eſt poteſtas legitima per ſe tantum eas concedendi juxta Sancta Decreta.

Supplicatio Parochorum Urbis, de qua quæritur, ad Dominos Doctores.

Domini Sorbonæ Doctores orantur humillime, Urbis, ubi hæc Collegialis extitit, Parochorum nomine, ut ſcripto de hac re tota quoad conſcientiam aperiant ſententiam ſuam, ſed præciſam, deciſivamque, ut ea tanquam tuta regula utantur iidem Parochi in ſpiritali ſuarum Ovium cura, tum ne temere ſcrupulus, perturbatio, & ſcandalum animis injiciatur, tum ne foveatur malum, profanatio, atque adeo nullitas adminiſtrationis Sacramenti Pœnitentiæ, legitimæ, & ſufficientis approbationis defectu.

Atque eo quidem magis orantur Domini Doctores, ut dicant, quid ſentiant, quod ob Deciſionem quondam Domini *de Saint-Beuve* cap. CXII. ejus Reſolutionum Caſuum Conſcientiæ, ubi ait, ſi hanc Diœceſanæ Legis conſuetudinem Epiſcopus conteſtetur, & Capituli poſſeſſionem, ac ſi hujus Collegialis Presbyteris prohibeat, ne Confeſſiones excipiant, quoad eos ipſe approbaverit: hoc in caſu eos ſibi temperare debere, donec approbationem ſuam petierint, & obtinuerint, juxta caput 15. *Seſſ.* 23. *de reform.* Tridentini Concilii: Confeſſarii loci bifariam ſecti ſunt, contendentibus aliis hanc Deciſionem in præſenti negotio eſſe apprime rationi conſonam, aliis vero contra ſentientibus: quæ quidem ſententiarum diverſitas non mediocrem perturbationem animis affert, cui incommodo occurrere in animo eſt conſultatione hac in ſua ſpecie undique definita.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, controverſiam non attingens, cujus Deciſio in Regis Conſilio pendet, ut appareat, an Capitulum, de quo agitur, veri privilegii Confeſſarios approbandi poſſeſſione gaudeat, ut contendit, exiſtimat, tres imprimis regulas tenendas eſſe, quæ ſolvendo caſui propoſito inſervire poſſunt.

Prima eſt, Epiſcopo jus competere in capite Sacramenta in ſua Diœceſi adminiſtrandi, & quod inde conſequitur, etiam Pœnitentiæ Sacramentum; ex quo fit, Presbyteros, qui in ejus Diœceſi confeſſiones audiunt, debere id eo permittente facere, & ab ejus auctoritate pendere: quod poſtremum generale Concilium nobis innuit *Seſſ.* 23. *cap.* 15. dum Confeſſarios ab Ordinario approbandos eſſe decernit.

Altera eſt, quod de jure communi eſt, quodque univerſim ſervari conſuevit, inferiorem adverſus ſuum Superiorem non præſcribere: nempe præter poſſeſſionem requiritur exemptio probata, & ſecundum formam ejus, qui eam conferre poſſit; ita ut ſi adſit conteſtatio, & de privilegio, atque exemptione dubitetur, proviſio fere ad Superiorem ſpectare debeat.

Tertia eſt, in Conſtitutionum, aut correctionum morum negotio Appellationem etiam tanquam abuſus devolutivam tantum, & non ſuſpenſivam eſſe. Videri poteſt hic in re Fevretus *l.* 1. *c.* 2. *n.* 16. & Edictum an. 1695. *art.* 11.

Hoc poſito, cum privilegium Capituli, de quo quæritur, haud ſatis firmum, & conſtans eſſe videatur ad Confeſſarios in certo quodam territorio approbandos, cumque aliunde Epiſcopus de hac Capituli conſuetudine ſemper conqueſtus fuerit: inde inferendum eſt, conteſtatione inter idem Capitulum, & Epiſcopum excitata, proviſionem approbationis Confeſſariorum debere ad poſteriorem, excluſo Capitulo, pertinere. Illud vero magis etiam hanc proviſionem confirmat, quod in eo ipſo territorio, ubi Collegialis Eccleſia Confeſſarios approbandi jus ſibi vindicat, ſolus Epiſcopus Parochos in iis locis inſtituit, ipſiſque animarum in his Parochiis exiſtentium curam committit: cum porro Ordinarius Parochum inſtituit in ſua Diœceſi, ut animas regat ſive ipſe per ſe, ſive per alium, cum confeſſio ſpiritalis hujus regiminis pars ſit, videtur approbatio ad confeſſiones excipiendas neceſſaria ita ad eum pertinere, ut cuivis alii ſit præferendus. Cum ergo approbatio ſit hujus regiminis conſecutio, ſive conditio, ut hoc jure privetur Epiſcopus, admodum expreſſo, atque authentico privilegio opus eſt.

Sane hoc Capituli privilegium Regis Conſilio ejuſmodi viſum non fuiſſe neceſſe eſt, quoniam Reſcripto ſuo diei 31. Decembris 1698. Mandati ab eodem Capitulo editi executionem prohibet quoad nonnullos articulos, eumque præſertim, qui ad Confeſſariorum ſpectat approbationem, cujus collationis proſecutionem ſibi arrogat: atque e converſo concludi poteſt, Regem eodem Reſcripto, rebus in communi jure relictis, hoc pacto indirecte Epiſcopo proviſionem conferre, aut potius ſignificare eam ipſi competere: id quod ſua Majeſtas videtur etiam confirmare Reſcripto diei 11. Decembris ann. 1700. ut ex expoſitione compertum ſit.

Facile nunc ei expoſitionis quæſtioni ſatisfit, quæ ordine prima eſt: reſpondetur igitur Eccleſiaſticos, qui functiones aliquas impoſterum obire volent, ad quas Superioris permiſſio peculiaris requiritur, ut confeſſiones eo

ipſo in loco, de quo diſputatur, excipere, debere ad Epiſcopum, non autem ad Capitulum confugere, ut approbationem obtineant: conſequitur id rationes paulo ante in Epiſcopi gratiam allatas, quæ ſunt jus commune, Concilia, Conſtitutiones, quæ eidem favent, & Reſcripta, quæ ipſi proviſionem concedunt. Cum porro Capitulum nihil ſatis firmum proferre poſſit, ut hujus proviſionis effectum impediat, aut ſuſpendat, conſequens fit, illud nec licite, nec valide poſſe, ut conſuevit, Eccleſiaſticos approbare, ut Pœnitentiæ Sacramentum Fidelibus Parochiarum, de quibus agitur, adminiſtrent.

Ad alteram. Confeſſiones factæ Presbyteris a Capitulo tantum approbatis ſpectari poſſunt vel ante Epiſcopi Mandata, & Conſilii Reſcripta, vel poſt: in priore caſu confeſſiones validæ cenſeri poſſunt; videtur enim Confeſſariis Actus ſatis firmus præſto fuiſſe, ut eas reciperent; titulus hic ſaltem coloratus eſſe videri poterat. Illud porro convenit, in Reſcripto an. 1635. quo Capitulum nititur, non niſi de jure, quo gaudet, cognoſcendæ Confeſſariorum habilitatis ſermonem eſſe: ſed approbationis quoque privilegium ſupponi, atque unum ex alio derivari creditum eſt; præſertim cum appareat longa poſſeſſio, quam obtinuit idem Capitulum, Confeſſarios approbandi, id vidente, & ſciente Epiſcopo, nec aperte repugnante, quamvis non nihil ſemper conqueſtus fuerit: Confeſſarii poteſtate donati ſunt a Capitulo, quod ejus conferendæ privilegio frui videbatur: quamquam re vera ipſius facultas non eo uſque extenderetur, ut ejuſmodi approbationes inſtituere poſſet. Satis eſt Capitulum hoc pollere viſum fuiſſe, ut dictum fuit, ut cenſeri poſſit, quod videtur, Confeſſariorum titulum fuiſſe coloratum: alia ex parte bona fides tam Confeſſariorum, quam Fidelium hac in re præſto erat: quamobrem Confeſſiones a Fidelibus factæ Confeſſariis a Capitulo tantum approbatis iterandæ eſſe non videntur.

Sed nihil horum in ſecunda facti ſpecie locum habet: Epiſcopus enim huic Capituli molimini ſeſe oppoſuit: conſtat in præſens, Reſcriptum an. 1635. non ſupponere privilegium Confeſſarios approbandi, ſed de eorum habilitate cognoſcendi: proviſio in favorem Epiſcopi conceſſa eſt Conſilii Reſcriptis; ita mutata eſt rerum facies: quare non amplius exiſtit communis error, aut bona fides in Confeſſariis, & Fidelibus, qui confitentur: Capituli jus non adeo firmum amplius videtur, ac proinde non amplius adeſt titulus coloratus; ita ut veroſimillimum ſit Confeſſiones Confeſſariis ſolum a Capitulo approbatis factas poſt Epiſcopi Mandatum, & Conſilii Reſcripta nullas eſſe, atque apud Confeſſarios ab Epiſcopo approbatos eſſe iterandas.

Deciſum hac die ... Maii 1701.
G. *Fromageau*.

Reſcriptum Conſilii Regis Editum die 18. Auguſti 1703. adverſus S. Quintini Capitulum. Rex ibi præſens, omnia proſpiciens, ſervavit, & ſervat dictum Epiſcopum Noviodunenſem in jure, & poſſeſſione plenæ, & integræ juriſdictionis criminalis, etiam incidentis in juriſdictionem civilem Capituli, tam in hoc Capitulum univerſim, quam in dictos Decanum, Canonicos, & Capitulum, Vicarios perpetuos, nec non in novem Parochiarum Clericos; prohibet ſua Majeſtas huic Sancti Quintini Capitulo, ne ibidem eumdem Dominum Epiſcopum turbet.

Sua Majeſtas pariter cuſtodivit, & ſervavit, cuſtodit, & ſervat iis, quos eximus, de S. Quintini Capitulo jus & poſſeſſionem juriſdictionis civilis, mere contentioſæ in dignitates, membra, & ſubſtitutos ejuſdem Capituli, & in Clerum Parœciarum novem, de quibus ſupra; mandatque, ut appellationes a Conſtitutionibus, & Sententiis, quas in memoratis negotiis civilibus idem Capitulum, ejuſque Officialis ediderint, directe non niſi ad dicti Noviodunenſis Epiſcopi Officialem deferri poſſint; ac propterea præcipit eadem Majeſtas, ut judicia Romanorum Pontificum Honorii III. & Gregorii IX. an. 1216. & 1231. pronunciata, Sententia arbitraria Petri Rothomagenſis Archiepiſcopi an. 1237. edita, Tranſactio ann. 1298. & Patentes Litteræ, Sententiæ, & Reſcripta eatenus tantum executionem obtineant, quatenus iis, quæ ſupra ſunt dicta, conſenſerint, compenſatis impenſis.

ARCHIDIACONUS.

Archidiaconi vocabulum græcum eſt, inſtitutumque ad eum ſignificandum, qui inter Diaconos primas teneret, quamquam Acoſta in Tractatu de re Beneficiaria concinnato contendit olim Archidiaconum dictum eſſe, qui cæterorum prudentiſſimus, atque optimus Œconomus haberetur. Aliam quoque alii nominis originem ſtatuunt; aderat, inquiunt, in quaque Diœceſi Catalogus, in quem Eccleſiæ Miniſtri pro ſuorum quiſque Ordinum ratione referebantur; Presbyteri quidem primo, tum vero Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, & ſic porro. Inter Presbyteros qui ſenior eſſet, Archipresbyter, qui vero inter Diaconos, Archidiaconus appellabatur. Sed non amplius hic ordo ſervatur, jamque Archidiaconus Eccleſiæ Miniſter, & Archiepiſcopi, vel Epiſcopi Vicarius eſt, qui Diœceſis Parochias intra Archidiaconatus fines poſitas viſitat, qui, quo tempore Ordinatio peragitur, Ordinibus initiandos Prælatos præſentat, eoſque idoneos eſſe dignoſque teſtatur; itaque Epiſcopi oculus nuncupatur. Parochialium Eccleſiarum Titularibus fere ubique poſſeſſionem tribuit, & Archiepiſcopo, vel Epiſcopo præſentat electos ab iis, qui ad certa quædam Beneficia præſentandi jus habent. Cuſtodiebat olim diſtribuebatque Eccleſiæ theſaurum, & juriſdictione gaudebat tanquam Præſulis Officialis, atque adeo viſitationes inſtituens de negotiis proviſionis gratia, & ex tempore cognoſcebat. Porro non eadem ſunt in quibuſque Diœceſibus Archidiaconi munia. Alicubi ſcilicet Eccleſias omnes vacantes contentioſaſque adminiſtrat; alibi vero una cum Archiepiſcopo vel Epiſcopo Parochias tum per ſe, tum per alios regendi, earumque fructus percipiendi jus obtinet, quod *deportationis* dicitur. In nonnullis Diœceſibus, ut in Carducenſi ſecundum locum poſt Epiſcopos, & ante Decanos Archidiaconi primas tenent; id quod olim in Anglia quoque in more poſitum erat.

Suus erat antiquis temporibus Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus; ac Gelaſius quidem II. ea dignitate inſignitus fuerat, antequam ad Summi Pontificatus apicem eveheretur. Sed

eam,

eam, Panvinio referente, Gregorius VII. abrogavit, eidemque Cubicularii, qui Romanæ Eccleſiæ Theſauri cuſtos eſſet, officium ſubſtituit. Ex Hiſtoriæ tamen Eccleſiaſticæ monumentis licet intelligi Urbani quoque II. Innocentii II. & Clementis III. temporibus ibidem Archidiaconos extitiſſe. Ad Archidiaconos Cardinales quod attinet, ii quidem non ex eo nomen traxere, quod Romanæ Eccleſiæ Cardinalium titulo exornati eſſent, ſed ex *Cardinalis vocabulo*, quod *Principalem* ſignificat. Animadvertit Pater Morinus antiquorum temporum Archidiaconos, quippe qui Eccleſiæ temporalia procurarent, poteſtatem longe maximam, labentibus annis, obtinuiſſe, Diaconoſque, e quorum numero Archidiaconi ſeligebantur, eo arrogantiæ progreſſos eſſe, ut ſe Presbyteris antecellere contendentes, Presbyteratum ipſum contemptui ducerent. Deflet id in ſuorum temporum Diaconis D. Hieronymus, ita ad Evagrium ſcribens: *audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt Epiſcopis* (Presbyterorum quippe nomen Epiſcopis æque ac puris putiſque Sacerdotibus iis temporibus tribuebatur) *anteferret*. Adeo nimirum Diaconorum animos inflaverat ingens auctoritas, qua tunc Archidiaconi in Romana præſertim Eccleſia pollebant. Cum porro Diaconi numero pauci, Presbyteri vero plurimi eſſent, ideo primum ſibi locum Diaconi vindicabant: *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit*, hæc quoque D. Hieronymi verba ſunt.

Monet P. Morinus his temporibus Archidiaconi titulum in nonnullis Eccleſiis inutilem evaſiſſe, eaſque proinde ejuſmodi dignitate facile carere poſſe. Eorum quippe præcipuum munus, inquit, in eo poſitum eſt, ut Eccleſiaſticorum proventuum ſumptus expendant, temporalibus earum negotiis invigilent, a Parochiarum Curatoribus rationes exigant, caveantque, ne quid in cenſibus adminiſtrandis præter ordinem fiat; quod Epiſcopi, inquit, aut Vicarii Generales viſitationis tempore præſtare poſſunt. In Eccleſia Conſtantinopolitana Magnus Archidiaconus ex Officialium numero eſt, ut ex Officialium ejuſdem Eccleſiæ Catalogo, quem Pater Goar publici juris fecit, licet intelligi; legit ille ex officio Evangelium, vel alteri legendum committit, Liturgiam celebrante Patriarcha.

An Archidiaconus ad reſidentiam teneatur.

CASUS I.

Archidiaconus, qui nullam propriam functionem obtinet, cujuſque Beneficium Perſonatus potius, quam Archidiaconatus eſt, nec reſidere, nec divino Officio intereſſe tenetur.

QUÆSITUM.

Titius Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis B.... Deceſſores ſuos ex immemorabili tempore nullam in Diœceſi viſitationem inſtituiſſe, nullumque juriſdictionis actum exercuiſſe teſtatur, Epiſcopo ejuſmodi viſitationibus obſiſtente, nec eas æquo animo laturis Parochis, ut proinde Archidiaconatus hic tanquam Perſonatus ſpectari poſſit. Poteſt quidem idem Archidiaconus Ordinationibus, ſi voluerit, adſiſtere, & verba in Pontificali præſcripta ſuper eos pronuntiare, qui ſe ſiſtunt Ordines ſuſcepturi; poteſt, inquam, non tamen tenetur, ejuſque adſiſtentia tanquam pura putaque cæremonia ſpectatur. In Occitania & Vaſconia Archidiaconorum eadem prorſus eſt ratio. Cum tamen Titius reſidere ſtatuiſſet, a nonnullis piis Viris, quibuſcum Pariſiis in Seminario degebat, admonitus, an chori ſervitium præſtare teneretur, expendendum propoſuit Doctori Sorbonico, a quo cum alii duo Confratres, iidemque apprime idonei conſulti eſſent, Archidiaconum hunc a Chori ſervitio liberum eſſe reſponderunt.

In præſentia Titius e Diœceſi egredi in animo habens interrogat, an reſidere, & Choro intereſſe teneatur.

Quæ eum exemptum ſuadent, rationes ſunt; I. Archidiaconi ad Epiſcopalem juriſdictionem in campeſtribus Parochiis exercendam, non autem ad ſervitium Choro præſtandum inſtituti fuere; erant olim Epiſcoporum Generales Vicarii, adeoque eorum oculi vocabantur. Titius quidem viſitationes obire paratus eſt, accedente tum Epiſcopi permiſſione, tum Parochorum conſenſu; ſed utrinque rejectus, a cæteris, quippe quæ ad ejus Beneficium non pertinent, officiis ſe immunem putat; cum porro omni munere vacet, cur reſidere debeat, omnino non videt.

II. Qui pietate ac rerum peritia in Diœceſi cæteris præſtant, eum nec Chori ſervitio, nec reſidentia obſtrictum judicant; hæc omnium unanimis ſententia eſt, ſemperque hoc Beneficium eſt habitum plurimi, tum quod non mediocris ejus proventus eſſet, tum quod nullum perſonale ſervitium requireret.

III. A centum & amplius annis Anteceſſores, quorum tamen non pauci idonei, probique viri fuere, non reſiderunt; eorumque poſtremus, Archidiaconatum ſuum ut ſimplex Beneficium ſpectans ne Capitulo quidem adſcribi voluit. Reſidebat quidem, qui proxime præceſſerat, propterea quod Epiſcopi Officialis, & Vicarius Generalis eſſet, ſed Choro tamen non intererat, & Epiſcopo fato functo, in proximam Diœceſim conceſſit, ibique per annos plures Officialis, & Vicarii Generalis functiones obiit.

IV. Epiſcopi Diœceſis, in qua hic Archidiaconatus exiſtit, quamvis de divino cultu valde ſolliciti, nunquam tamen Archidiaconos reſidere coegerunt. Quæ porro duplicem, de qua ſermo eſt, obligationem firmare videntur, ejuſmodi ſunt.

I. Tridentinæ Synodi *cap. 3. ſeſſ. 21. de reform.* hæc verba ſunt: *Statuit Sancta Synodus in Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum ..... ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros divinis intereſſentes ..... dividantur; & cap. 3. ſeſſ. 22. de reformat. Epiſcopi ..... ex fructibus & proventibus quibuſcumque omnium dignitatum ..... tertiam in diſtributiones ..... dividere poſſunt; ut ſcilicet qui eas obtinent, ſi perſonaliter competens ſibi ſervitium quolibet de ſtatuto non impleverint, illius diei diſtributionem amittant.* Videtur Tridentina Synodus id ponere tanquam certum, Archidiaconos non modo ad reſidentiam, ſed ad Chori quoque ſervitium teneri. In iis quidem locis, in quibus tertia pars fructuum ex Dignitatibus provenientium in diſtributiones collata non fuit, Archidiaconi non deſervientes nihil amittunt;

at ſaltem ex allatis Concilii verbis Choro deſervire tenentur.

Clarius etiam mentem ſuam aperit laudata Synodus *§. præterea cap.* 12. *Seſſ.* 24. *de reform.* dum ita loquitur: *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, ... non liceat vigore cujuſve ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*; in eos deinde, qui ultra tres menſes abſuerint, pœnas præſcribit, & id quidem ad reſidentiam quod attinet; adſiſtentiam autem choro præſtandam his verbis declarat: *Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, percipiant; reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant.*

II. Neque vero dici poteſt Tridentinum Concilium in Gallia quoad diſciplinam receptum non eſſe: Imprimis enim non alia de cauſa Synodus ita ſanxit, niſi quod perſuaſum haberet dignitates naturalis juris vi Eccleſiæ ſervitio addictas eſſe juxta tritum illud: *Beneficium propter Officium*; quippe cum juſtum, & rationi conſonum ſit Titulares in Cathedrali inſtitutos ibidem reſidere, & ſervitium aliquod exhibere; deinde vero Tridentina Synodus, quod attinet ad caput hoc, dubio procul in Gallia recepta fuit; ſi enim obiter Provincialia Concilia deinceps habita percurrantur, in iis dignitates ad reſidentiam & ſervitium adactas eſſe compertum fiet. Bituricenſe quidem Concilium an. 1584. celebratum; quod Tridentini compendium eſt, non id tradit expreſſis verbis, ſed dignitatum tamen reſidentiam ſupponit: *In ſingulis Eccleſiis Cathedralibus*, inquit cap. 7. tit. 34. *& Collegiatis, in quibus Canonicus Theologus inſtitutus fuerit, tenebitur bis aut ſemel ad minus in hebdomada prælegere ...... Concionanti autem illi & prælegenti teneantur adeſſe omnes dignitates ... ſub pœnis indicendis.* Verba hæc dignitatum reſidentiam tanquam certam aperte ponunt. Hæc quoque ejuſdem Synodi verba ſunt canone quinto: *cum ad conſervandam & augendam Eccleſiaſticam diſciplinam inſtitutæ ſint Eccleſiarum, præſertim Cathedralium dignitates.* Id porro quomodo eædem dignitates aſſequi poterunt, ni reſideant? Quod ſi propriæ juriſdictionis uſu diſciplinam tueri ac propagare non poſſint, exemplo ſaltem, chori frequentatione, quæ ſuapte natura ex earum functionibus una eſt, aliiſque rationibus, quas vera pietas animis de Dei gloria, Eccleſiæque ſervitio ſollicitis inſpirabit, id obtinere contendant.

III. Non ideo ſolum inſtituti fuere Archidiaconi, ut Epiſcopalem juriſdictionem in ruſticanas Parœcias exercerent, verum etiam ad Eccleſiarum Cathedralium dignitatem atque amplitudinem, atque ut ibidem divinum Officium celebrantes, Deique laudes canentes, ſiquidem Diœceſis viſitationibus diſtenti non fuerint, Deum glorificarent: *cum pſallendi gratia ibidem conſideant, muta, aut clauſa labia non teneant, ſed omnes (præſertim qui majore funguntur honore) in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.* Ita loquuntur Turonenſis Concilii Patres titulo *de Capitulis, Dignitatibus, & Canonicis.*

Igitur ex Doctoribus ob has rationes, aliaſque, quas ipſi ſubdent, quæritur;

I. An Archidiaconus, de quo agitur, reſidere teneatur?

II. An Divino Officio adſiſtere debeat?

III. Quod ſi debeat adſiſtere: quota anni parte, novemne menſium ſpatio, prorſus ut Canonici, hac adſiſtentiæ lege obligetur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum minime cenſet Titium, qui puro, putoque Archidiaconi titulo inſignitus eſt, nullamque Præbendam obtinet, in Eccleſia, cujus Archidiaconus eſt, ſeu reſidere, ſeu choro intereſſe teneri; niſi cæteroquin ex Beneficii fundatione aut ob aliquam aliam peculiarem rationem id præſtare teneatur, id quod in libello ſupplici non eſt expoſitum.

Nullam ſane Titius Beneficii ſui functionem edit; ſed nimirum id ei non eſt integrum; ipſe quidem ſuo munere fungi paratus eſt, ſiquidem Epiſcopus id pati voluerit; Epiſcopus porro ſuorum ex immemorabili tempore Deceſſorum exemplum ſecutus repugnat, atque adeo Parochi ſe ab eo viſitari nolunt; is ergo nullam rationem Deo redditurus eſt.

Quod autem ex Tridentino, aliiſque Conciliis in medium affertur, ad eos Archidiaconos minime ſpectat, qui, quemadmodum Titius, omni juriſdictione, & officio vacant, & quorum proinde Archidiaconatus potius perſonatus cenſendus eſt, quam veri nominis dignitas, quæ aliquam ſere functionem adjunctam habet.

His addi & illud poteſt, quod publice notorium eſt, non paucos ſcilicet Archidiaconos, eoſque doctrinæ, & pietatis laude præſtantes nec reſidere, nec choro intereſſe, qui quidem eo ſe tuentur, quod puri putique Archidiaconi ſit.

His ita ſe habentibus, nullus amplius cæteris propoſitis quæſtionibus locus eſt.

Deciſum in Sorbona hac die
4. Junii an. 1703.
G. *Fromageau.*

Archidiaconi Obligationes.

CASUS II.

1 *Ex præſenti Eccleſiæ conſuetudine Archidiaconus nulla alia adſtringitur obligatione, quam ut proprii Archidiaconatus viſitationem inſtituat, ejuſque rationem Epiſcopo reddat.*

2 *Si ingenio valeat, & Eccleſiæ prodeſſe poſſit, recte ſe geret, ſi in Diœceſi reſideat, ad id tamen non obligatur.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Archidiaconus in propria Eccleſia reſidere teneatur, atque an peractis viſitationibus, & Epiſcopo ratione reddita, quod reliquum eſt, anni ſpatium Pariſiis tranſigere poſſit, ut patri ac matri ætate gravibus, & valetudinariis ſolatium & opem afferat? Cæterum Archidiaconus hic, utpote qui vitæ integer eſt, & Epiſcopo perutilem operam navare poteſt, maximam Diœceſi, ſiquidem in ea conſiſteret, utilitatem afferret.

RESPONSIO.

Si varia ſpectentur officia, quibus a prima inſtitutione & antiquis temporibus Archidiaconi addicti erant, cujuſmodi quidem recenſentur in Jure *de off. Archid.* & a Barboſa in Tractatu, quem in hunc eumdem titulum edidit, ac ſi ad litteram ſervetur id, quod Tridentina Synodus *ſeſſ.* 21. *c.* 3. *& ſeſſ.* 22. *c.* 3. *de Reform.* Capitulorum dignitatibus præcipit: Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Archidiaconum non modo reſidere, ſed & integro fortaſſe Officio intereſſe debere. Quemadmodum tamen Archidiaconorum poteſtatem magnopere tempus imminuit; ita obligationes quoque decurſu temporis decreverunt, ut proinde hoc quidem tempore eorum munia & obligationes ad ſingularum Eccleſiarum conſuetudinem exigantur. Jam vero in Eccleſiis pleriſque univerſa Archidiaconi obligatio in eo verſatur, ut Archidiaconatus ſui fines viſitatione perluſtret, viſitationis verbales ſententias exerat, & Epiſcopo tradat. Vide Tridentinam Synodum *ſeſſ.* 24. *c.*

3. *de*

3. *de Reform.* & Fevretum *l.* 4. *c.* 3. *n.* 22. *de abuſu*. Extra viſitationem nulla ipſe juriſdictione poſſet, nec aliam neceſſariam functionem obit, quæ ejus in Diœceſi reſidentiam requirat.

Hoc poſito, reſpondetur, Archidiaconum, de quo agitur, ſtricte loquendo Archidiaconatum ſuum retinere poſſe, dummodo obligationes omnes, quæ ejus Eccleſiæ conſuetudini præſenti reſpondeant, accurate expleat, in eo poſitas; ut ſuas ipſe per ſe viſitationes obeat, in iis neceſſarium temporis ſpatium inſumat, & Epiſcopo earumdem rationem reddat. Tum vero Pariſiis apud Parentes, quorum & ſenectuti, & ægritudini perutilis eſt, commorari poteſt.

Si ille, dum dignitatem obtinuit, non promiſit ſe in Diœceſi, manſurum, ſuamque operam Epiſcopo ibidem exhibiturum; quæcumque demum bona ex ejus exemplo, inſtructionibus, & conſiliis futura ſint, reſidentiæ legibus non adſtringitur, niſi eam Dei voluntatem eſſe Divino inſtinctu afflatus intelligat.

Optime ſane ſe gereret, quoniam Diœceſi utilem operam navare poteſt, & paſſim in iis innumeris propemodum negotiis Epiſcopo ſolatio eſſe, quibus ille nonniſi admodum ægre poteſt ſatisfacere; verum reſidentiæ obligatio eidem injungi nequit.

Hinc illud conſequitur, Archidiaconum, peracta viſitatione, reliquum anni ſpatium Pariſiis apud Parentes ſuos tranſigere poſſe, adeoque Epiſcopum non peccare, ſi annuat. Cœterum Archidiaconus ipſe Diœceſis negotia, quæ Pariſiis quidem extiterint, procuranda ſuſcipiens, ſuæ erga propriam Eccleſiam ſollicitudinis, & charitatis argumenta præbebit.

Deciſum hac die 10. Decembris anno 1694.

G. *Fromageau*.

Utrum Archidiaconatum peti liceat?

CASUS III.

1 *Filiusfamilias Archidiaconi dignitatem poſtulare non debet, ut Patri, a quo fortaſſe lucri animo ad eam poſtulandam adducitur, obſequatur.*

2 *Si dotibus ad Archidiaconi perſonam cum dignitate ſuſtinendam neceſſariis ſe deſtitutum intelligat, in eam irrepere non debet.*

3 *Non poteſt ſine præſumptionis nota ſe dignum credere, pioſque ac doctos viros conſulere debet, ex quibus, quid ſibi facto ſit opus, intelliget.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Clericus, patre ſollicitante, Archidiaconatum petere poſſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, filiumfamilias, de quo quæritur, Archidiaconatum tuta conſcientia poſtulare non poſſe, præſertim ſi ei dignitati animarum cura conjuncta ſit, facta hypotheſi nullam aliam rationem eidem ſuppetere, quam ut patri Beneficium illud vehementer optanti gratum faciat. Etenim 1. Quemadmodum clericali militiæ nomen dandum non eſt carnis & ſanguinis impetu, ita neque ob ſolam Parentum voluntatem Beneficia adeunda ſunt. Filius ad implendas Clerici obligationes iis qualitatibus opus habet, quas a Deo tantum obtinere poteſt.

2. Archidiaconatus, qui animarum curam adjunctam habet, peculiares qualitates expoſtulat, quas alia non pauca Beneficia non requirunt; ut proinde qui eam dignitatem peteret, qua ſe dignum arbitraretur, ob hanc præſumptionem peccaret, atque ita indignus efficeretur, ut monent S. Bernardus, & S. Thomas, præſertim ſi ad eam ipſe ſuapte ſponte, ac ſine piorum, doctorumque Virorum conſilio contenderet. Uno verbo nec Canonica, nec apud probos homines in uſu poſita ratione is occupat ejuſmodi Beneficia, qui petit, atque adeo impedit, quominus in eum conferantur, qui meliorem Eccleſiæ operam in tam gravi officio navaret. Quamobrem qui conſulit, cum præter hæc generalia, alia quoque peculiaria, ut ipſe in expoſitione declarat, ejus perſonam afficiant, nullam proinde directam, vel indirectam rationem inire debet, ut ejuſmodi Archidiaconatum obtineat.

Cauſam is ipſe, qua repellatur, adducit, ſe ſcilicet intra annum Sacerdotem inſtitui non poſſe. Verum enimvero id unum ſatis non eſſet; niſi forte in Eccleſia, ad quam Archidiaconatus hic ſpectat, vel ex peculiari ſtatuto, vel ex conſuetudine Sacerdotii gradus in Archidiacono requiratur; id enim nec in Jure, nec a Tridentina Synodo præceptum eſt; quin potius ex Jure Archidiaconus nonniſi Diaconus eſſe debet, *C. ut Abbates de æt. & qualit. præfic. Abbates, Decani, & Præpoſiti, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant. Qui Archidiaconatus tenent, Diaconi: qui vero Archipresbyteratus, Presbyteri, aut amittant honorem.* Teneretur porro, ſi Beneficii vi Sacramenta adminiſtrare deberet.

Henricus IV. in Edicto an. 1606. edito articulo primo mandat, ut Eccleſiarum Cathedralium Archidiaconi Presbyteri ſint; ſed quoniam Edictum hoc non in omnibus Curiis receptum eſt, hac in re cujuſque Eccleſiæ conſuetudini ſtandum eſt; ea quidem optima in hoc negotio regula eſt, cum Archidiaconorum jura, & officia nec definita, nec eadem ubique ſint. Hac de cauſa Innocentius III. *c. ad hæc de offic. Archid.* loquitur in hunc modum: *quod ad officium Archidiaconi, & in quibus per ipſum cura Epiſcopalis ſollicitudinis debeat relevari, & nos, prout poſſumus, reſpondemus.*

Deciſum in Sorbona hac die 29. Novembris an. 1692.

G. *Fromageau*.

ARCHIPRESBYTERI.

Archipresbyteri nomen ex duobus græcis vocabulis conflatum Eccleſiaſticæ dignitatis titulus eſt, quo olim in Epiſcopali Eccleſia primus inter Presbyteros inſigniebatur. Ejus officium in eo poſitum erat, ut Sacerdotum & Clericorum moribus invigilaret, Miſſam abſente Epiſcopo celebraret, viduarum, orphanorum, & egentium peregrinorum curam gereret, ut Archidiaconus. His quoque temporibus in nonnullis Cathedralibus Eccleſiis, ut Veronenſi, Peruſina, aliiſque poſt Epiſcopalem hæc dignitas primas tenet. Archipresbyteri deinde titulus præcipuis Diœceſis Parochis, vel Parochorum Decanis tributus eſt; hinc extitit Archipresbyterorum in Urbanos, & Ruſticanos bipartita diviſio; illi quidem Parochi ſunt in Urbibus, hi vero Parochorum ruri degentium Decani ſunt. Ad hos ſcilicet Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Mandata mittuntur, ut ea deinceps ad Eccleſias intra Archipresbyteratus terminos poſitas dirigant. Duo

Pariſiis etiamnum extant Archipresbyteri, nempe S. Magdalenæ & S. Severini Parochi, quorum Parochiæ in Diœceſi cæteris præſtant, ut ipſi reliquos Parochos antecedunt; ſed quoniam prælatio hæc in controverſiam adducta eſt, Archiepiſcopus Pariſienſis hujus Urbis Archipresbyteros, perinde ac Vicarios Generales & Officialem in omnibus congregationibus gradu inſignivit. Animadvertit Simon, cum olim ex Epiſcopi Clero Parochi ducerentur, & alii aliis ſubordinati eſſent, eum, qui primus erat, Archipresbyterum dictum fuiſſe, qui quidem re ipſa inter cæteros Presbyteros, aut Parochos eminebat.

Quamvis porro Archipresbyteri vocabulum græcum ſit, non ejuſmodi tamen in Eccleſia Conſtantinopolitana Archipresbyter erat, cujuſmodi nunc in Eccleſia Latina eſt. Henricus Valeſius in Hiſtoria Socratis *l. 6. c. 9.* animadvertit Epiſcopis licuiſſe, iis primos in Clero gradus tribuere, quos hoc honore dignos credidiſſent. Hi dicebantur Archipreſbyteri, qui vero Archipresbyteri officium, cujuſmodi quidem apud nos in more poſitum eſt, obtinebat, is *Protopapa*, hoc eſt primus inter Presbyteros appellabatur, cum ſimplex Presbyter, æque atque Epiſcopus *Papa* nuncuparetur. Ex Officialium Conſtantinopolitanorum Catalogo liquet, Officialem Patriarchæ, & viciſſim Patriarcham Officiali Communionem adminiſtrare, eumque in Eccleſia primas tenere, atque adeo abſentis Patriarchæ vices agere. P. Goar in ſuis in eumdem Catalogum animadverſionibus ait Archipresbyterum apud Græcos in veterum Chorepiſcoporum locum quodammodo ſuffectum fuiſſe, eumque in Inſulis Venetorum Dominio ſubjectis Lectores ordinare, & in cauſis Eccleſiaſticis judicem ſedere. Extat in Decretalibus titulus *de officio Archipresbyteri*, in quo Archipresbytero Archidiaconus antefertur, quia nempe, quamvis Ordinis vi contra ſe res habere debeat, Archidiaconus Juriſdictione pollet, non item Archipresbyter.

Archipresbyteri qui, & Parochi.

CASUS.

1 *Collegiatæ Eccleſiæ Decanus, qui cujuſdam Parœciæ Archipresbyter, & primitivus Parochus eſt, ob hunc duplicem titulum non alia jura poſſidet, quam ex locorum conſuetudine, vel ex tranſactionibus annexa.*

2 *Ex eo duplici titulo non eidem facultas provenit conciones habendi, Sacramenta adminiſtrandi, Eccleſiaſtica inſignia benedicendi abſque Epiſcopi licentia & approbatione.*

QUÆSITUM.

Collegiatæ Eccleſiæ Decanus in cujuſdam Diœceſis Parochia Archipresbyter eſt; primitivus Parochus præterea eſt in Parochia, quæ in Vicariatum perpetuum erecta eſt. Ibidem præcipuis quatuor anni diebus feſtis, feſtoque Patroni die Officium peragit, & id quidem vi tranſactionis, qua ille dictis diebus Parochiales functiones dicitur obiturus. Quærit igitur, an non ipſe ob eas qualitates duas, Archipresbyteri ſcilicet, & Parochi primitivi, conciones habere, confeſſiones audire, a reſervatis caſibus abſolvere, & ſacra inſignia benedicere poſſit intra Diſtrictus ſui terminos, quin ab Epiſcopo licentiam petat, atque an ejuſmodi jura adnexa non ſint Archipresbyteri & Parochi primitivi titulis, quibus gaudet?

Rogat ille Sorbonæ Doctores, ut id ad examen revocent, quod ipſe ſibi vindicat tum ex Canonibus, qui Archipresbyteris juriſdictionem tribuunt, tum ex actis non paucis, in quibus Epiſcopus, ejus Vicarii Generales, & Parochiæ, cujus primitivus Parochus eſt ſibi Parochi titulum impertiuntur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Decanum, de quo in libello ſupplici ſermo eſt, ob primitivi Parochi titulum non eo jure gaudere, ut Sacramenta adminiſtret, aliaſve Parochiales functiones, quæ in eodem libello recenſentur, exerceat. Cum enim in ea Parochia Vicarium perpetuum inſtitui Decanus aſſenſus eſt, ſuam omnem Parochi poteſtatem, ſuumque jus omne ipſe in eumdem Vicarium tranſtulit, & id unum ſibi reſervaſſe cenſetur, quod Regis Declaratione die 30. Junii anno 1690. edita Parochis primitivis conceditur, ut nempe quatuor anni Feſtis Majoribus, & Patroni die feſto functiones obeant. Alia quidem jura primitivis Parochis ſuppetere poſſunt, ut animadvertit *du Bois* in ſuis regulis Juris Canonici titulo de Parochis & Vicariis perpetuis pag. 140. ſed id abuſu & conſuetudine omnino pendet.

Neque vero magis, ut Archipresbyter, Parochialis officii jure gaudet in Parochia, de qua quæritur, quamvis inſtituendæ ibidem viſitationis jus habeat.

Archipresbyteri, juxta Canones, juriſdictio nec certa eſt, nec eadem ubique gentium, ſed ea quidem ad praxim & conſuetudinem his temporibus eſt exigenda. Jam vero ex libello ſupplici non apparet, Decanum, ut Archipresbyterum poſſeſſione gaudere Parochialia munia obeundi, Sacramenta adminiſtrandi, &c. Peragit ille quidem intra ſuos fines viſitationem, ex qua id juris acquirit, ut, an Parochi, aliique Eccleſiæ addicti ſuo quiſque munere fungantur, inquirat, ut aliquid obiter ſtatuat, quod non ita magni momenti ſit, & ſuper Eccleſiarum ſtatu verbale judicium Epiſcopo ſignificandum inſtituat; nihil præterea; ut proinde viſitationis jus nullam ei facultatem tribuat Sacramenta adminiſtrandi, conciones habendi, cæteraſve functiones Parochorum proprias obeundi.

Id unum Decanus hic tanquam Parochus primitivus ſibi legitime arrogare poteſt, ut Parochiali officio fungatur iis diebus quinque, qui memorati ſunt, quoſque ipſe ſibi in eadem Parochia reſervavit vi Concordati, quod die 2. Maji an. 1665. editum fuit, quodque Epiſcopus expendit, confirmavitque, quin in eum finem peculiari licentia opus habeat; & alio quovis tempore Decanus tanquam Parochus primitivus, & Archipresbyter nullum jus habet adminiſtrandi Sacramenta, &c. niſi Epiſcopi approbatio, & permiſſio peculiaris acceſſerit; idemque de caſibus reſervatis, ſacrorumque inſignium benedictione ſentiendum eſt.

His in hunc modum conſtitutis, nihil eſſe videtur, cur rationibus a Decano in expoſitione in medium allatis ſingillatim ſatisfiat, cum iis per ea, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis jam ſuperque factum fuerit.

Deciſum in Sorbona die prima Maji an. 1701.

G. *Fromageau*.

Aſſociatio Virginis in Monaſterio.

CASUS.

1 *Monaſterium aſſociare non poteſt virginem ſæcularem, quæ Religionem haud profeſſa promiſerit ſe tria vota, ac regulam ſervaturam, quantum ſibi per valetudinis imbecillitatem licuerit.*

2 *Deciſionis hujus momenta.*

QUÆSITUM.

PUella, quæ mundo nuntium remittere in animo habet, nec præ valetudine S. Benedicti regulam ſervare poteſt, contractum cum hujus Ordinis Monaſterio ineundum proponit, quo in ſe ipſa recipiat ſe ibidem aſſociatæ titulo ad mortem uſque victuram, & caſtitatem, paupertatem, obedientiam, denique Regulam, quoad ipſam Antiſtitæ valere crediderint, ſervaturam. Abbatiſſa, & Communitas eam ſe aſſociatæ nomine recepturas, & Monialis loco habituras eſſe promittunt, ea conditione, ut illa nec habitum deferat, nec ſuffragii jure in Capitulo gaudeat. Ne porro ipſa Monaſterio ſit oneri, ejuſdem Puellæ conſanguineus ſpondet coram Notario ſe penſionem annuam, de qua inter Communitatem ipſumque convenit, ſoluturum. Rogantur Doctores, ut definiant, an ea conventio quicquam contineat, quod Eccleſiæ legibus adverſetur. Porro contractus ejus, de quo in expoſitione mentio fit, ejuſmodi exemplum eſt.

Coram Notariis, &c. adfuere N.... Abbatiſſa.... & N.... Moniales ejuſdem Abbatiæ Communitatis nomine ex una parte, & Puella.... ex duobus annis in eadem Abbatia commorans, ex alia: quæ Puella ſuapte ſponte, & cogente nemine, ex animo mundum contemnens, & ingenue cupiens ſe Deo omnino dedere in eadem Communitate & Abbatia Ordinis S. Benedicti, ubi ipſa biennii ſpatio perſiſtens Moniales in omnium virtutum praxi ſibi exemplo præire conſpexit; ſed ob corporales ægritudines, & haud ſatis firmam valetudinem ad ſolemnem Profeſſionem inepta, Abbatiſſam, & Moniales per hæc orat, obteſtaturque, ut ſe ſanctæ ipſarum Communitati, quoad vixerit, aſſociatam velint, quo ibidem ad mortem uſque paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſancte cuſtodiat, ejuſdemque Communitatis diſciplinæ ſeſe conformet, prout eadem Abbatiſſa, vel aliæ, quæ ejus locum tenuerint, pro ſua ipſarum prudentia, & æquitate rationi conſonum, ejuſque viribus congruum exiſtimaverint; ſe ipſa demum omnino ſubdens tum quoad ſpiritalia tum quoad corporalia bono earum prudentique conſilio, nunquam ſe, quacumque de cauſa, receſſuram promittit. His acquieſcentes eædem, Abbatiſſa, & Moniales conceſſerunt, conceduntque per hæc eidem Puellæ..... ut Communitati quoad conditiones propoſitas aſſocietur, eamque ex hoc tempore, & ad mortem uſque omnium orationum, bonorumque operum, quæ in eadem Abbatia diu noctuque peraguntur, participem eſſe volunt, promittens ei ſe nunquam defuturas, utcumque valuerit, toto vitæ tempore, perinde ac ſi ex ejuſdem Communitatis Monialibus una eſſet, quin tamen eadem Puella ſuffragii jus ſibi vindicare, & Monialium Profeſſarum habitum deferre poſſit, brevi tantum habitu, alboque velo contenta, ſiquidem ita expedire viſum fuerit; quod, perinde ac cætera, de quibus ſupra, coram Notariis ſubſcriptis unanimis partium conſenſus firmavit.

Eodem momento temporis comparuit N... qui nomine proprio (vel procuratore munitus) ultro ac ſponte, reputans pium Puellæ..... conſilium ſe Deo devovendi, & Abbatiſſæ, ac Monialium humanitatem, quæ eam ut ſuæ ipſarum Communitati aſſociatam excipere paratæ ſunt, grati animi ſignificatione complectens: ne ipſa iis oneroſa ſit, promiſit & promittit ſe dictæ Abbatiæ ſoluturum quotannis ſummam..... penſionis annuæ, quoad Puella in vivis fuerit, & ſolvendæ &c..... cui hypothecæ loco ſtatuit nominatim...... & generatim omnia ſua bona, &c. obligans, renuntians, &c.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum in ea eſt ſententia, ut putet conventionem hactenus expoſitam executioni mandandam non eſſe, quia nonnihil Eccleſiæ regulis oppoſitum præſefert.

1. Dum iis conditionibus, quæ declaratæ ſunt, ea Puella recipitur, in eo Monaſterio tertius Puellarum ordo inſtituitur, quæ cum nec Profeſſæ ſint, nec Novitiæ, ea tamen percipiant emolumenta, quæ utriſque conveniunt, id quod decurſu temporis perturbationi eſſe poteſt, cum contra puellarum, quæ per vota eidem Monaſterio addictæ ſunt, eadem mens, atque eadem vitæ ratio eſſe debeat.

2. Quamvis porro non inde tam gravis exiſteret in Familia varietas; ejuſmodi tamen ſtipulationes Eccleſiæ regulis adverſantur; neque enim Eccleſia patitur ſæculares perſonas in Regularibus Domiciliis poſt certum temporis ſpatium degere. Quamobrem ex Declaratione Congregationis Cardinalium diei ultimæ Auguſti an. 1575. quam refert Tamburinus *de jure Abbatis diſp.* 1. *q.* 1. *n.* 6. Puellæ ultra viceſimum quintum ætatis annum in Monaſteriis recipiendæ non ſunt.

3. Puella, de qua quæritur, aut Novitia eſt, aut ſæcularis; ſi Novitia, elapſo probationis ſpatio, vel profeſſionem emittere, vel egredi debet. Ita ſtatuit Tridentina Synodus *Seſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regul. Finito tempore novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e Monaſterio ejiciant.* Non probat Synodus ejuſmodi perpetuos Novitios, qui per omne vitæ tempus egredi poſſint. Quod ſi ſæcularis eſt, non ei licet totum ſuæ vitæ tempus in Monaſterio tranſigere. Ita definivit Cardinalium Congregatio, referente Zerola v. Moniales *q.* 7. *c.* 4. Bullam, quæ incipit *Cura paſtoralis*, quæque refertur in ſeptimo Decretalium *lib.* 3. *tit.* 19. *c.* 2. edidit Pius V. in qua ad clauſuram in omnibus Regularibus Domiciliis ſtatuendam prohibet Pontifex, ne ibidem Puellæ impoſterum recipiantur, quæ ſolemnia vota non edant, ac proinde pro libito abire poſſint. Quod ſi quæ rurſus receptæ fuerint, ita pronunciat: *Receptiones irritas decernimus & nullas, prout etiam præſenti decreto irritas facimus, & annullamus.*

Itaque Bonacina *Tom.* 1. *de clauſura Monial. q.* 1. *p.* 2. *n.* 4 ait: puellas in Communitate verſantes, quæ regularem vitam ſibi propoſuerunt, ad edenda vota ſolemnia incitandas eſſe, ut ita clauſuræ legibus teneantur; quod ſi facere detrectaverint, non amplius puellas in Communitate recipi poſſe. Ita, inquit, Pius V. præcepit.

In hac omnino ſpecie Puella, de qua ſermo eſt, verſari videtur; ſe quippe tanquam Religioſam in Monaſterio, cui adſcribitur victuram proponit; Antiſtitæ præſenti ac futuræ obedientiam promittit; recipitur his conditionibus; Monaſterium ei, quoad vixerit, ſe devincit; ipſa tamen interea pro arbitratu recedere poterit, quippe quæ votis, quæ quidem ſolemnia videantur, ligata non ſit. Idipſum ſcilicet refertur in caſu Extravagantis Pii V. prohibeturque rotundis verbis.

Quamobrem id quod hæc Puella proponit,

probari nequit tum ob ea, quæ hactenus dicta ſunt, tum quia non immerito timendum eſt, ne in conventionibus initis, quod temporale eſt, plus æquo ſpectatum ſit, ac ne quid ei intentionis puritati atque integritati defuerit, quam in hujuſmodi negotiis, in quibus ſpiritalia temporalibus mixta ſunt Eccleſia requirit.

Deciſum die 15. Februarii an. 1696.

G. *Fromageau*.

BAPTISMUS.

INſtitutus eſt Baptiſmus a Chriſto Domino, qui ſuis Apoſtolis præcepit, ut per univerſum mundum proficiſcerentur ad Populos erudiendos & baptizandos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; adjiciens eos omnes, qui crediderint, & baptizati fuerint, ſalvos fore. Ad hominis igitur Salutem inſtitutum eſt hoc Sacramentum, ad eum ſcilicet a peccato, atque ab æterna morte, quæ peccati pœna eſt, liberandum. Id quod argumento eſt peccati reum & damnationi obnoxium quemque naſci. Baptiſmus igitur eſt Sacramentum, atque adeo primum, quod a Chriſto inſtitutum fuerit, & in quo per corporis ablutionem aqua peractam, additiſque verbis a Servatore præſcriptis, is, cui confertur, ab originali peccato, iiſque omnibus, quæcumque patraverit, interius purgatur, recipitque ſpiritalem regenerationem, gratiam nempe Sanctificantem, qua Corpori Eccleſiæ Chriſti Domini, qui ejus eſt Caput, tanquam vivum membrum conjungitur.

Ablutio hæc neceſſario fieri debet aqua naturali, quæ Sacramenti materia eſt, noſtris quidem temporibus per infuſionem, olim vero per immerſionem, eo ſcilicet aqua immerſo, qui baptizabatur; atque Eccleſiæ auctoritas nos docet baptiſma ab Hæreticis collatum validum eſſe, dummodo præſcripta utantur forma, his nempe verbis: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quamobrem non eſt credendum aliquando baptiſmum in ſolo Jeſu Chriſti nomine collatum fuiſſe, quia legitur in Actis Apoſtolorum cap. 8. nonnullos tantum in Chriſti nomine fuiſſe baptizatos; hæc enim verba de Jeſu Chriſti auctoritate ſunt accipienda, perinde ac ſi Divus Lucas dixiſſet hos cathecumenos Jeſu Chriſti auctoritate baptizatos fuiſſe, atque ut Jeſu Chriſti Religionem amplecterentur. Putant Auctores nonnulli præter eas duas conferendi baptiſmatis rationes, per infuſionem ſcilicet, atque immerſionem, illud aliquando per aſperſionem collatum fuiſſe, cum nempe maximus erat eorum numerus, qui ad ſuſcipiendum baptiſma accedebant: ut conſtat ex Actuum Apoſtolicorum ſecundo capite, ubi dicitur: uno die tria hominum millia in Jeſum Chriſtum credidiſſe, & baptiſmum ſuſcepiſſe; atque alio die quinque millia.

Quamquam, ſi proprie loqui volumus, unum eſt baptiſma, quemadmodum una fides eſt: poteſt illud tamen in tria dividi, quæ, ut ait D. Thomas, aquæ baptiſmate continentur; ut enim ea vera ſint, debent verum ſuſcipiendi baptiſmatis deſiderium ſupponere. Primum eſt aquæ baptiſma, de quo loquimur: alterum eſt baptiſma ſanguinis, cum nempe vita ob tuendam fidem expenditur, & Martyrium perfertur: tertium eſt animi ſeu deſiderii baptiſma, tum ſcilicet cum propter Dei perfectum amorem maximus adeſt patratorum ſcelerum dolor, & ſuſcipiendi baptiſmatis ſincera voluntas. D. Auguſtinus productus in Canone *Baptiſmi de conſecr. diſt.* 4. veritatem & efficaciam horum trium baptiſmatum ex eo probat, quod S. Cyprianus doceat tolerantiæ eumdem ac baptiſmatis effectum eſſe, boni Latronis exemplo. Et Divus Ambroſius de Valentiniani Imperatoris, qui baptiſma non ſuſceperat, quamvis illud vehementer optaverit, morte verba faciens, videtur de ejus ſalute minime dubitare.

Ut Baptiſmi cognoſcantur effectus, inter infantes, & Adultos diſtinguendum eſt, & ad poſteriores quod attinet, inter eos, qui diſpoſitiones neceſſarias habent, & eos, qui non habent. Effectus baptiſmi, quod ſpectat ad infantes, ſunt originalis culpæ remiſſio, a Dæmonis tyrannide liberatio, & titulus filii Dei regenerati & redempti. Eorum Sanctificatio poſita eſt in Spiritus Sancti gratia, quæ in ipſorum anima infunditur; ita ut Spiritus Sanctus, inquit D. Auguſtinus, eos interna operatione ſuum Templum efficiat. In Adultis præter effectus, qui in infantibus deteguntur, remittit etiam Baptiſmus omnia eorum actualia peccata, quæ antea commiſerint, & quoad culpam, & quoad pœnam: ut proinde Chriſtianus, qui ſtatim a ſuſcepto Baptiſmate moreretur, ſalutem certo conſequeretur, ut docet Eugenius Papa IV. in Decreto pro unione Armenorum. Sed hi Adulti, neceſſe eſt, ut bene ſint diſpoſiti, & Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere ſaltem incipiant, ſecundum Tridentinum Concilium, ſecus ii characterem tantum recipient.

Suſcipiendi Baptiſmatis voluntatem in Adulto non ſemper actualem eſſe neceſſe eſt, ſatis eſt eam ejuſmodi fuiſſe: ſi enim Adultus hic poſtquam baptiſmum expetiit, furore, ſeu ſtupore corriperetur, aut lethargo opprimeretur, poſſet hoc in ſtatu ei baptiſma conferri. Neque vero poſtulatio expreſſa requiritur, ſatis eſt eam jure præſumptam eſſe, quemadmodum in iis omnibus præſumitur, qui in ſtatu Cathecumenorum ſunt, qui quidem pro ipſorum ſtatu baptiſmum expoſcunt. Ita hanc facti ſpeciem dijudicat D. Auguſtinus in ſuo primo libro *de adulterinis conjugiis cap.* 26. *num.* 33. Atque adeo ſi eorum voluntas incerta eſſet, ſanctus hic Doctor eos baptizandos eſſe reſpondet, quia ſatius eſt ei baptiſma conferri, qui ejus ſuſcipiendi voluntatem non habuerit, quam ei recuſari, qui illud optarit.

Pronunciat D. Thomas Hæreticorum infantes eſſe baptizandos, vel invitis eorum parentibus, propterea quod Eccleſiæ ſubjecti ſunt; ſed hoc in caſu ab horum ipſorum parentum poteſtate ſunt ſubtrahendi. Quoad Infidelium infantes non ita res habet; & licet Judæi quandoque baptiſmum ſuſcipere coacti ſint, Eccleſia tamen factum improbavit, tanquam oppoſitum Legi, quam natura nobis indidit, & cujus vi pueri ſub ipſorum pa-

trum

trum & matrum poteſtate ſunt, donec ad rationis uſum perveniant. Jam ex hac regula, & ex eo, quod Eccleſia ne tantillum quidem naturalia jura violat, vel ad ſalutem procurandam, facile concludi licet Infidelium infantes repugnantibus ipſorum parentibus baptizari non poſſe.

Miniſter proprius Sacramenti Baptiſmatis Epiſcopus eſt aut Parochus, quia id ad eos pro ipſorum officio pertinet. Alias Epiſcopus pleraque Baptiſmata celebrabat, quoniam fere non conferebatur hoc Sacramentum niſi Sabbatis Paſchatis, & Pentecoſtes. Igitur Presbyter ordinis ſui vi ordinarius Baptiſmatis Miniſter eſt, ut ne Diaconis quidem illud conferre liceat, niſi abſentibus Epiſcopo aut Presbytero, cum id facere extrema neceſſitate cogantur; quo in caſu Laicis ipſis baptizare permiſſum eſt, ne quis e vivis excedat, quin remedium ad ſalutem adeo neceſſarium receperit. Illud tamen inter Diaconos & perſonas alias diſcrimen intereſt, quod abſente Presbytero poſſunt illi Solemniter baptizare, ut ait Gloſſa *in can. Diaconos*, id quod Clericis inferioribus & Laicis minime licet. Baptiſmus a Judæo aut Infideli, qui baptizati non ſunt, collatus omnino validus eſt; idemque ſentiendum, ſi ab Hæretico conferatur, dummodo formam ab Eccleſia præſcriptam adhibeat. Deciſio diſputationis, quæ olim extitit inter Pontificem Stephanum, & Sanctum Cyprianum, cui non Africani ſolum, ſed plures etiam Orientales Epiſcopi ſubſcripſerant, id certum reddidit; & Concilia definierunt, ab Hæretico collatum Baptiſma valere, ſi cum Trinitatis invocatione collatum fuerit.

Maxima cum reverentia Baptiſmi ceremoniæ ſervandæ ſunt tanquam nota unionis noſtræ cum antiqua Eccleſia, quæ eas uſurpavit, noſtræque ſejunctionis ab horum temporum Hæreticis, qui eas temere rejecerunt. Ceremoniæ, quæ præcedunt, ſunt exorciſmi, ſigna crucis in fronte & in pectore baptizandi, ſal benedictus in ore poſitus, ſaliva in naribus, & auribus, Patrini, & Matrinæ, unctiones ad pectus, & humeros, & fidei profeſſio, quam infantes quidem per ipſorum Patrinos & Matrinas, Adulti vero per ſe ipſos edunt. Ceremoniæ, quæ comitantur, ſunt interrogationes, nominis impoſitio, trina aquæ infuſio in crucis ſignum peracta. Eæ denique, quæ ſequuntur, ſunt pacis oſculum, unctio in capitis vertice, cereus accenſus intra baptizati manus, & veſtis alba, ſignum innocentiæ, qua ipſe rurſus induitur, quamque omni vitæ ſuæ tempore ſervare debet.

Hæc autem quoad Baptiſmum ſtatuta ſunt in generali Cleri Conventu habito Meloduni menſe Septembri an. 1579. nemini licere infantes in domibus, aut in peculiari loco baptizare, niſi urgeat neceſſitas, atque hoc in caſu eligendum eſſe potius Presbyterum aut Eccleſiaſticum, quam Sæcularem, & Virum potius, quam Mulierem. Patrinos non ob humanas rationes eligendos eſſe, & vitanda eſſe vanitatem, tripudia, exceſſus, ut cum ſpirituali lætitia tam ſacer dies celebretur. Puerperas, qua primum die domo egredientur, ad perſolvendas Deo gratias, & benedictionem a Parocho accipiendam proficiſci debere. Infantis Parentibus munera a Patrinis conferenda non eſſe, niſi pauperes ſint. Nullum profanum aut ridiculum nomen, & nulla Judæorum nomina in baptiſmo imponenda eſſe. Nullum Patrinum adhibendum eſſe, qui ſit Hæreticus, excommunicatus, uſurarius publicus, concubinarius, aut qui Dei & Eccleſiæ præcepta non ſervent, aut ignorantes, qui ne Fidei quidem Symbolum calleant, aut Monachos, Religioſos, & Religioſas. Et Ludovicus XIV. in Declaratione an. 1666. conſtituit, ut Miniſtri Religionis vulgo reformatæ Baptiſmata, & Matrimonia, quæ ab ipſis celebrarentur, in Acta referrent, atque ea tertio quoque menſe in Ditionum & Præfecturarum ipſorum juriſdictionis Tabulariis deſcriberent.

CASUS I.

De Baptiſmo Sylveſtrium.

QUÆSITUM.

AN Sylveſtrium Infidelium infantibus, qui quidem rationis ætatem nondum attigerint, baptiſmus conferri poſſit?

Ad hanc controverſiam dijudicandam ſcire juvat loca quædam exiſtere, in quibus ob extremum frigus, aut potius ob magnam incolentium inopiam infantium plerique ante rationis uſum moriuntur: eſſe etiam loca alia, in quibus infantes non occumbunt, ut priores, ante rationis uſum. Pro affirmante parte ſunt hæc; I. experientia compertum eſt, pleroſque ſine baptiſmate morituros, niſi omnes & ſinguli promiſcue baptizentur, eorum domibus & tuguriis magnopere invicem diſſitis; imprimis hiberno tempore Miſſionarius unus quovis eundo impar eſt.

II. In eorum, qui minime moriuntur, poteſtate eſt erudiri, & ſecundum Chriſtianam Religionem vitam ducere; quoniam Miſſionarii induſtriæ ſuæ nervos omnes intendunt, ac ſi id illis non prodeſt, ipſi ſibi imputent.

III. Parentes filiis ſuis liberum relinquunt, quam velint, Religionem amplecti, eſtque in eorum voluntate poſitum Chriſtianæ fidei dogmata diſcere, atque in iis vivere.

Contra ſtant momenta hæc.

I. Sacra Congregatio conſulta, liceretne Sinenſibus pueris Baptiſma conferri, eoſdemque apud infideles parentes relinqui, declaravit non licere omnino. II. licet Sylveſtres minime ſuos filios cogant ſuperſtitioſos ritus amplecti, eos tamen in iiſdem educant, atque in iiſdem erudiunt, eorumque plerique eoſdem ſecuntur, ubi adoleverint. III. infantes nunquam ſatis edocti ſunt, quia non amplius ad Miſſionarium ſe conferunt. IV. nulla ibi nota præſto eſſe poteſt, qua infantes baptizati ab iis, qui minime baptizati ſunt, diſtinguantur.

Altera quæſtio eſt, an per infuſionem ſint baptizandi? Quoniam hæc ceremonia infantes terret, ſatius ducitur aqua manum aſpergi, eaque illorum frontem leviter ablui, aut etiam ſpongia baptizantur.

Tertia eſt, an in Miſſionibus ſervandæ ſint Baptiſmatis ceremoniæ, ubi nondum exiſtit Eccleſia? In uſu omnino non ſunt unctiones, aliæque Baptiſmatis ceremoniæ: poſſuntne illæ omitti?

Quarta eſt, quid Conſilii capiendum eſſet Miſſionario, qui omnes ſuæ Miſſionis infantes,

tes, quorum parentes adhuc infideles eſſent, minus prudenter baptizaſſet?

Quinta eſt, an Adulto, antequam baptizetur, explicanda ſint omnia noſtra myſteria, & noſtra Lex univerſa, præſertim ſi ille morti proximus ſit? Enim vero id ejus animum perturbaret: nonne ſatis eſſet eum cohortari, ut, cum convaluerit, ea ſe melius percepturum promitteret, quæ ipſi tenenda proponentur?

Sexta eſt, an Euchariſtiæ Myſterium eidem ſit explicandum?

Septima eſt, an ab Adulto baptizando Contritionis aut Attritionis actum elici adeo oporteat, ut abſque eo nequeat baptizari, etiamſi efficeretur, ut divini amoris Actus ederet, & præterita peccata non amplius ſe patraturum proponeret? Eſt ſane facilius Miſſionarium, qui linguam diſcere incipit, obtinere, ut ille duos poſteriores Actus eliciat, quam priorem, cum difficillime effici poſſit, ut ille doloris peccatorum ſuorum cauſam exprimat, ſcilicet quia ea Deo diſplicent, quia Deus bonus eſt, quia timetur Inferorum pœna &c.

Octava eſt, an Sanctum Viaticum, atque Extrema Unctio conferri debeant Adultis jam jam morituris, qui fere Baptiſmatis quidem, non autem Communionis, aliorumve Sacramentorum capaces cenſentur?

Nona eſt, baptizarine poſſit Sylveſter Adultus morti proximus, plures uxores habens, a quo obtinetur promiſſio ſe una tantum impoſterum contentum fore, ſi convaluerit; ſed qui tamen nollet alias domo abdicare? Eſtne cogendus definire, quamnam ex iis omnibus velit ſibi conjugem fore, ſi priſtinam recuperet valetudinem; an vero ſufficit eum promittere ſe unam tantum eſſe habiturum, atque abſolvi ne poteſt inter has omnes uxores relictus?

Decima eſt, an Baptiſma tribui poſſit Sylveſtri Adulto, qui patitur, atque adeo cupit Medicos, ſuoſque conſanguineos ad ipſius curandam valetudinem ſuperſtitioſis quibuſdam ceremoniis uti, quæ ſaltem vanæ ſunt, & inutiles, ſed quas tamen cum Chriſtiana Religione ex diametro pugnare nondum in comperto eſt? Poteſtne Miſſionarius ejus baptiſma differre, donec perſpectum habuerit, quid hæ ceremoniæ ſignificent, & quorſum ſpectent?

Undecima eſt, poſſitne Miſſionarius adminiſtrare Baptiſmum, & alia Sacramenta ægrotanti, cui Religionis myſteria jam ipſe explicuit, quique ſe præcepta ſervaturum eſſe promiſit; ſed quem tamen Miſſionarius moraliter certus eſt, id ob eam tantum cauſam, ne ipſum contradiceret, promiſiſſe? Multæ ei cauſæ ſubſunt dubitandi, ſatiſne ille ſit inſtructus, propterea quod linguam ſolummodo ex parte callens non niſi ſuperficie tenus eidem potuit explicare myſteria ſupra Sylveſtrium capſum eminus poſita, & licet ſe ea probe aſſequi moribundus affirmet, ejus tamen externa ſpecies, & irreverentia probabili argumento eſt eum gratificandi ſolum gratia aures præbuiſſe, & ita eſſe aſſeruiſſe; ita ut ſi quis ei forte diceret, quæcumque percepit, eſſe figmenta, pariter obſequendi cauſa aſſentiretur; quod quidem duplici ex capite repeti poteſt; primo quia ille, quod ei dictum eſt, non comprehendit omnino; deinde quia tanta eſt ejus animi levitas, ut tum quidem, cum ait, ita eſt, credo, perficiam, re ipſa credat, & velit id facere, ſed ob minimam quamque rationem ſententiam mutet; conveniat tamen neceſſe eſt, Sylveſtrem moribundum nolle in altera vita Inferorum pœnas ſubire; atque ita ejus affirmatio poſſet eſſe vera & ex animo: ſed certo ſcire, Deumne Inferoſque ille credat, an vero id audiat tanquam hiſtoriæ narrationem, quæ vera & falſa eſſe poteſt, hoc opus, hic labor eſt.

Duodecima eſt, an Miſſionarius, cujus Miſſio ob regionum amplitudinem eſt difficillima, id conſilii capere nequeat, ut inviſendi cujuſque loci tempus diſtribuat, ut cauſa exempli menſibus ſingulis; atque extra viſitationis ſuæ tempus eo ſe minime profecturum conſtituat, etiamſi certior fieret ægrotum in extremis laborare; atque id quidem, tum quia quotidiana experientia compertum habet, Sylveſtres ob minimam ægritudinem arceſſere ſolitos eſſe, tum quia labor hic nimis eum delaſſaret, ejuſque vires excederet: ſi hoc in caſu infantes, aut Adultos abſque Sacramentis e vita excedere pateretur, peccaretne ille mortaliter, aut etiam venialiter?

Decima tertia eſt, an in diſſitis his regionibus abſque vini gutta in duabus ablutionibus celebrari Miſſa poſſit, atque an ſatis eſſe poſſit Epiſcopi diſpenſatio, an vero ad Sanctam Sedem ſit confugiendum?

Decima quarta eſt, an Adultus rudis & ſtupidus, cujuſmodi poteſt eſſe Sylveſter, baptizari nequeat aſſecutus tantummodo cognitionem Dei, & nonnullorum ejus Attributorum, præſertim Juſtitiæ, quæ præmia & pœnas pro meritis tribuet, ob hæc S. Pauli verba, *accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus remunerator ſit*. Ex quo concluditur Sylveſtrem Adultum, præſertim ſi gravis neceſſitas urgeat, baptizari poſſe, quin explicitam in Jeſum Chriſtum fidem habeat.

Decima quinta eſt, an Miſſionarius Sylveſtribus Adultis baptizatis, aut baptizandis omnia Legis poſitivæ Divinæ præcepta enunciare teneatur; atque ea imprimis, quibus conſtat Sylveſtres baptizatos, aut Baptiſmum poſtulantes ægre ſe ſubjecturos, ut illi in conſcientia tuti ſint, etiamſi, quæ ignorant præcepta, non ſervent; idque propter hoc Juris principium, Leges non obligare, niſi promulgentur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat quoad primam difficultatem: in iis regionibus, in quibus ante rationis uſum infantium plerique moriuntur, ipſis baptiſma conferri poſſe, quia inde animis majoris momenti bonum provenit, quam poſſet eſſe Sacramenti profanatio: præterea Infidelium regionum harum non eadem, atque aliorum eſt ratio; in his enim regionibus Genitores in Religionis negotio filiis ſuis nullam vim inferunt: ut proinde his infantibus, qui morte non præripiuntur, liberum ſit a Miſſionariis erudiri, cum ad rationis uſum pervenerint, & ſecundum Chriſtianam fidem poſt ſuſceptum baptiſmum vivere.

Denique ad periculum antevertendum, ne infantes hi ſuorum parentum ſuperſtitiones imitentur, debet Miſſionarius quiſque, quantum in ipſo fuerit, Sylveſtri alicui Chriſtiano id muneris demandare, ut inſtruat baptizatum, cum rationis uſum attigerit, ſi ejus Parentes Chriſtiani non fuerint.

In regionibus dulcioribus & mitioribus, ubi infantium pauci moriuntur ante rationis uſum, iis Baptiſmus eſt differendus, donec ratione polleant, ejuſque recipiendi capaces judicentur, niſi morti proximi ſint; quoniam jure timendum eſt, ne Sacramenti profanatio hoc in caſu ſit majus malum, quam bonum, quod inde in animis redundaret; ut enim pro certo ponitur, infantes hi, cum adoleſcunt, ſuorum parentum ſuperſtitiones plerumque ſequuntur.

Cum igitur Sacra Congregatio conſulta declaravit Infidelium infantes, qui quidem cum ipſorum parentibus vivere permittuntur, baptizari non poſſe, id eſt accipiendum non de regionibus, ubi infantes plerumque moriuntur tam propter frigoris vim, quam propter ma-

gnam

gnam populorum ibidem exiſtentium egeſtatem, ut in priore facti ſpecie; ſed de regionibus aliis, ubi parentes filiis ſuis quoad religionem minus libertatis relinquunt, eoſque in ſuis ſuperſtitionibus educant, quibus infantes fere addicti remanent.

Ad alteram, quoad Baptiſmatis adminiſtrationem Diœceſis ritui ſeu conſuetudini ſtandum eſt: ad Baptiſmi validitatem non requiritur infuſio; ad id ſatis eſt, ut manus aqua aſpergatur, & deinde baptizandi frons abluatur; aut etiam ſpongia in eum finem adhiberi poteſt. (*a*) Comitolus *lib.* 1. *q.* 12. *ſuarum reſponſorum moralium* ait ſe interrogatum, an in caſu neceſſitatis; in quo fœmina digito aqua tincto ſignum deinde crucis in fronte moribundi infantis impreſſit, legitime formam pronuncians & proferens, Baptiſmus valeret, ſe ita judicare reſpondiſſe: *percunctabatur mulier quædam, num baptizatus eſſet infans, quem moribundum ſigno crucis impreſſo in fronte digito aqua madefacto abluerat; illud mihi judicatum eſt integrum fuiſſe baptiſma, ſi legitime formam proferente muliere, frons pueri, vere in ea parte, quæ facta eſt, irrigata fuit.*

(*a*) Paſquali gus de. il 75. eſt ejuſdem ſenſus & c t plur. Auct idem ſen tient.

Regula, quam in hoc negotio Theologi vulgo tradunt, ea eſt, quoniam ablutio eſt proxima Baptiſmi materia, ad id propterea aqua opus eſſe, ut exempli gratia frons abluta cenſeatur: ac proinde non ſatis eſt, ut una tantum aquæ gutta partem contingat, ſed aliquibus aquæ guttis mutuo ſuccedentibus eam tangi neceſſe eſt: *aliquot guttæ aquæ*, inquit Iſambertus, *diſp.* 3. *art.* 5. *de Baptiſm. n.* 6. *quæ ita tangant caput, ut partes iſtarum guttarum id præſtent cum aliqua ſui diviſione, & partium ſucceſſione*, quemadmodum fieri conſuevit, cum plures perſonæ per aſperſionem baptizantur.

Ad tertiam, ſervandæ ſunt in Miſſionibus, quoad licuerit, Baptiſmatis ceremoniæ: Congregatione *de propaganda fide* ſub Innocentio X. an. 1645. referente Vericellio *q.* 118. *ſ.* 5. *v. Baptizare*, interrogati, an Sinarum Miſſionarii, baptizantes Fœminas, aut puellas Sinenſes ſervare debeant omnes Baptiſmatis ceremonias, veriti, ne Sinenſibus magna ſuarum mulierum, & puellarum zelotypia laborantibus eæ ſcandalo futuræ ſint? Reſponderunt Cardinales ſervandas eſſe omnes Baptiſmatis ceremonias, & ſingulos baptizandos antea harum ceremoniarum rationem & finem docendos eſſe, ne inde ſcandali occaſio iis præbeatur: *utrum in prædicto regno Miniſtri Evangelici pro nunc ſaltem in Sacramento Baptiſmi, poſſint abſtinere ab imponendo mulieribus oleum Sanctum Cathecumenorum, ſputum in auribus, ſal in ore, quia magno zelo ducuntur erga uxores & filias, & alias mulieres; & ſcandalum ſument ex hujuſmodi actionibus. Cenſuerunt Sacramentalia in Baptiſmo mulierum eſſe adhibenda; curandum ergo, ut tam ſalubris ritus, & ceremoniæ introducantur, & obſerventur, ut Miſſionarii tali circumſpectione illa miniſtrent, homineſque talibus inſtruant documentis, ut ab omni ſuſpicione inhoneſtatis liberentur.* Quæ autem in hac interrogatione affertur ratio, ſcilicet ibi nondum Eccleſiam exiſtere, non ſatis probat; ſolum enim ob ineluctabilem neceſſitatem poteſt in his ceremoniis diſpenſari: præterea Congregatio abſolute loquitur, nec diſtinguit, utrum Baptiſmus in Eccleſia, an alibi conferatur.

Congregatio ſub Alexandro Papa VII. die 23. Martii an. 1656. idem reſponſum dedit, prout refertur pag. 27. Libri Conſtitutionum Apoſtolicarum: illud verum eſt eodem loco pag. 30. Congregationem Miſſionariis permittere, ut, dum Sinarum Mulieres baptizant, aliquas Baptiſmi ceremonias omittant, atque etiam ne Extremæ Unctionis Sacramentum iiſdem licet poſtulantibus adminiſtrent ad evitanda futuræ, ſi illud concederent, perſecutionis incommoda: *Sacra Congregatio juxta ea, quæ ſuperius propoſita ſunt, cenſuit ex gravi neceſſitate poſſe omitti quædam Sacramentalia in Baptiſmate fœminarum, ac etiam poſſe omitti Sacramentum Extremæ Unctionis.*

Sane in aliquibus praxibus Miſſionariorum Sinenſium, nempe Dominicanorum, Franciſcanorum, & Jeſuitarum, quæ in eodem Libro pag. 30. commemorantur, memoriæ proditur, propter maximam, qua Sinenſes Feminæ ducuntur, pudoris curam, ita ut, quicquid etiam ſpecie tenus vel tantillum eidem opponitur, ſummopere averſentur, eos omnes Miſſionarios, ne ulla ratione a Chriſtiana Religione amplectenda eaſdem averterent, in id conſpiraſſe, ut in iis baptizandis aliquas Baptiſmatis ceremonias omitterent, puellis quidem recens natis exceptis: *cum ſexus muliebris apud Sinas, præ cæteris orientalibus nationibus, ſingularem præ ſe ferat pudicitiæ ſpeciem, cui ab omni vel levi umbra metuere videtur, ne ejus rei cauſa a Chriſtiana Religione ſuſcipienda ipſæ terreantur mulieres, vel earum conſanguinei illas ab ejus ſuſceptione prohibeant, jam ab initio Miſſionis viſum fuit Patribus, in uſu ſacrarum ceremoniarum aliquam adhibere circumſpectam moderationem, quorum veſtigiis inſiſtentes in Sacro Baptiſmo conferendo, puellas tantummodo infantes, non vero mulieres Adultas oleo Cathecumenorum injungimus, eadem de cauſa a Sacro Salivæ ritu abſtinemus, ne ſuis ab infidelitate converſis, vel convertendis, horrorem, nauſeamque pariat.*

Hæ ſententiarum varietates apparentes aut veræ illud ſaltem evincunt, ad cognoſcendum, quid conſilii in propoſita facti ſpecie capiendum ſit, ad Romanam Sedem eſſe confugiendum, videlicet ut Pontifici explicentur rationes, ob quas hæ Baptiſmi ceremoniæ omittendæ videntur, & petenda cenſetur a Sancta Sede diſpenſatio, ſi quidem eæ legitimæ viſæ fuerint: uno verbo abſque Pontificis diſpenſatione ceremoniæ, quas Eccleſia præſcripſit, quæque ibidem in uſu ſunt, omitti non poſſunt.

Ad quartam, ſi infantes hi, qui baptizati ſunt, pertinent ad eam facti ſpeciem, de qua mentio eſt in Propoſitionum Latinarum duodecima, & in priore hoc loco, ſi nempe horum infantium plerique fere moriuntur, antequam ad rationis, & pubertatis ætatem perveniant, & ſi aliunde nullum prorſus contra ſtat Romæ decretum; Miſſionarius hic acquieſcere debet; ſed quoniam pro certo ponitur in caſu, de quo agitur, hunc Miſſionarium omnibus promiſcue ſuæ Miſſionis infantibus Baptiſma contuliſſe: reſpondetur, ſi hic Miſſionarius eos baptizavit, quin ſecum ipſe reputaret, defecturine eſſent a fide, nec ne, aut ſi eos in rationis ætate poſitos baptizavit, quin baptiſmum expoſcerent, aut quin ipſe eos antea erudierit, cum graviter deliquiſſe. In utrovis caſu peragenda eſt ei pœnitentia, prout Epiſcopus ipſi præſcripſerit, aut Confeſſarius prudens, & ſciens indicaverit; invigilare debet, quantum poterit, horum infantium rationi, ſingularem ſumens eorum curam, ſi ipſi licuerit.

Ad quintam, omnia Religionis Myſteria Adulto explicanda ſunt, antequam baptizetur, quicquid nimirum ille neceſſitate medii credere debet, cujuſmodi eſt Dei in tribus perſonis unitas, noſtræ Redemptionis Myſterium, vitam aliam, eamque æternam exiſtere, in qua bonis prœmia, & pariter malis pœnæ rependentur; eſt etiam in iis erudiendus, quæ neceſſitate præcepti credere debet, qualia ſunt ea, quæ Symbolo continentur, exiſtere Sacramenta ſeptem, & præſertim quæ ſit Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ vis & ratio; inſtruendus eſt etiam Decalogi, Eccleſiæque præceptis; (*b*) qua in re videri poteſt Gamachius in ſuo Tractatu de fide c. 16. qui hanc communem eſſe contendit Theologorum ſen-

(*b*) Vericelli de Miſſion Apoſt. v. 120.

ſententiam; quod porro ad alios fidei articulos ſpectat, ſatis eſt ea generatim Adultum credere.

Si, qui baptizandus eſt, ſit morti proximus, ab eo ſaltem explicitæ diſtinctæque fidei Actus eſt exigendus quoad ea, quæ neceſſitate medii credere debet, & univerſim quoad alios articulos fidei, ſi eidem explicari omnino nequeant. Putat etiam Gamachius in ſuo Tractatu de Baptiſmo *quæſt.* 65. *c.* 3. *pag.* 291. ſi mors immineat, nulluſque moræ ſit locus, ægrotanti hoc in ſtatu poſito, qui, cum baptiſmum petierit, ſtatim rationis uſum amiſerit, baptiſmum abſque ulla inſtructione conferri poſſe. En hujus Auctoris verba de Adultorum Baptiſmo: *requiritur ſufficiens Doctrinæ Catholicæ notitia, antequam admittatur ad Baptiſma, niſi forte in anguſtiis mortis peteret Baptiſmum, nec tamen moram ullam pateretur; aut denique petito Baptiſmo repente obmuteſceret, ac privaretur uſu rationis.* (*a*) Vericellius quoque ita ſentit, pluresque recenſet Auctores, qui eamdem ſententiam propugnant, *q.* 120.

(a) Vericellius 16.

Ut ut de horum Auctorum aſſertione ſentiendum ſit, concluditur in Expoſitionis caſu ab hoc moribundo requirendum eſſe, ut explicitæ fidei Actu teſtetur ea, quæ neceſſitate medii eidem credenda ſunt; & ad Articulos alios quod ſpectat, ab eo generatim fidei Actum exeri ſatis eſt, ſi nihil amplius obtineri poſſit, ea tamen conditione, ut ſe melius erudiendum curet, ubi convaluerit, & quæ perceperit, exequatur.

Ad ſextam, videtur ex dictis Euchariſtia ex præcipuorum Myſteriorum claſſe non eſſe, prout Sacramentum, quod non quidem medii, ſed ſolum præcepti neceſſitate ſciendum & credendum ſit; ejus explicatio differri poteſt, quoad expedire videbitur, gravibus de cauſis, atque ad Adulti inſtructionem opportunum tempus expectare licet; quod etiam potiore jure de morituro ſentiendum eſt; actus fidei in univerſum, qui ex eo requiretur, hujus Myſterii, atque aliorum omnium, de quibus tunc quidem is inſtrui non poterit, credulitatem firmabit.

Ad ſeptimam, Theologi poſt Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 6. *c.* 6. (*b*) ſtatuunt inter diſpoſitiones, quæ Adultorum Baptiſmum debent antevertere, oportere aliquod peccatorum ſuorum odium & deteſtationem in iis eſſe, quæ quidem eſt pœnitentia, quæ ante Baptiſmi ſuſceptionem requiritur: *moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem*, ſunt hæc Synodi verba, *hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*. Uno verbo formalis peccatorum dolor, antequam ſuſcipiatur baptiſma, requiritur. Videri poteſt ſuper hoc Sacramento Sylvius *quæſt.* 48. *art.* 4. qui etiam *quæſt.* 86. *art.* 9 *q.* 1. ubi de Pœnitentia diſſeritur, docet, quamvis ad obtinendam peccatorum remiſſionem formalis contritio ſit neceſſaria, aliquando tamen Actum amoris Dei ſatis eſſe; & ſane actus amoris Dei actum contritionis, & doloris peccatorum virtualiter, ut ajunt, aut eminenter continet.

(b) Bonacin. de Sacram. Pœnit. diſp. 5. q. 5. p. 3. n. 2. p. 190. Iſambertus pag. 275 Sylvius pag. 433 de pœnit p. 9 ſupplementi.

Hujus porro Miſſionarii, de quo in hac interrogatione agitur, caſus ex eorum genere videtur eſſe, qui ſunt excepti, quandoquidem a Barbaris obtinere non poteſt, ut actum doloris peccatorum edant, eique eſt multo facilius actum amoris Dei ab iiſdem obtinere. Fit igitur conſequens Miſſionarium, priuſquam ipſos baptizet, eo contentum eſſe poſſe, tum ſolum, cum Baptiſmum differre nequit; ſed ſatius eſſet Adultis perſuadere de iis dolendum eſſe, quæ huic Summo Deo, quem ex toto corde diligunt, diſplicent.

Ad octavam, Vericellius *tit.* 8. de Euchariſtia *q.* 141. *n.* 2. probat ex D. Thoma ad S. Communionem eum eſſe admittendum, qui rationis aliquem uſum habet, dummodo fidem ſuam erga Sacramentum hoc aliqua devotione teſtetur; Theologi, quos Auctor hic laudat, id non niſi mortis aut Paſchatis tempore (alio autem raro) licere contendunt, facta hypotheſi nullum ſubeſſe irreverentiæ periculum, & eos poſſe hunc cæleſtem & ſpiritalem panem a communi diſcernere; ex quo licet inferri, dummodo moribundus obſequium ſuum erga hoc Sacramentum oſtenderet, neque aliunde ullum grave incommodum exiſteret, eidem Euchariſtiam negari non debere, atque adeo minus Extremam Unctionem; idque eo magis, quod in aliquibus caſibus, quos Theologi recenſent, hæc Sacramenta primam gratiam conferre poſſunt, quod moribundo præſidio magno eſſe poteſt.

Eſſet etiam explicanda hæc inhabilitas, de qua in Expoſitione dictum eſt, quæ Adultum hunc jam jam moriturum horum Sacramentorum minus capacem efficit, licet baptiſmatis incapax omnino non ſit; ſiquidem juxta nonnullis Miſſionariorum Sinenſium praxes, quæ referuntur in Libro Conſtitutionum Apoſtolicarum *pag.* 33. *num.* 15. memoriæ proditur Paſchatis tempore, & in mortis articulo minime requirendum id eſſe, quod ſtricto jure requiri poſſet, quoad diſpoſitiones ad Euchariſtiam neceſſariis: *Paſchali tempore propter præceptum, & in mortis articulo propter neceſſitatem non ſunt exigendæ cum rigore omnes diſpoſitiones neceſſariæ; ſed ſufficit conſcientiæ puritas per Pœnitentiæ Sacramentum, & ut diſcernat Neophytus cibum ſpiritualem a corporali cognoſcendo, & credendo in Sacra Hoſtia realem Chriſti Domini præſentiam.*

Ad nonam, in hujus Sylveſtris, ut ſupponitur, moribundi ſtatu, in quo proinde non ſatis rationis eſt compos, quod morti proximis paſſim contingit, ſatis eſſe, ſi unam tantum ex ſuis Uxoribus tanquam legitimam atque unicam ſe retenturum promittat, quin ex eo quæratur, quam demum ſit electurus, ob ſpem fore, ut ille ſaluti reſtitutus eas uxores omnes excludat, una contentus; ut enim pro ſtatu, in quo hic moribundus ſupponitur, timendum non eſt, ne uxorum multiplicitas offendendi Dei eidem occaſio ſit; prudentia requirere videtur, ut apud hunc moribundum tam grave negotium ſilentio prætereatur, poſſet enim id illum diſpoſitione privare, eoque adducere, ut amplius baptizari nollet, id quod ejus damnationis cauſa eſſet; quod ſi per morbum liceret expendi, an ante ſuſceptum baptiſma ſuas uxores dimittere cogendus eſſet, ad Miſſionarii prudentiam ſpectat judicare, an harum fœminarum præſentia eidem eſſet peccati occaſio proxima, nec ne.

Poteſt Miſſionarius illud animadvertere, quo ipſi uti licet in ratione, quam in hac facti ſpecie inire debet, nempe Clementem IX. in ſuo Decreto diei 13. Junii, quod refertur in Libro Conſtitutionum Apoſtolicarum *pag.* 31. concedere facultatem Heliopolitano Epiſcopo in Tuchino Regno Vicario Apoſtolico diſpenſandi Infideles & Gentiles converſos, ut ex iis uxoribus, quas ante Baptiſmum habebant, unam retinendam ſeligant, ſi ea quoque Chriſtianæ Religioni nomen det, niſi illa, qua cum primo contractum inierunt, Chriſtianam fidem amplecti vellet: *Diſpenſandi cum Gentilibus & Infidelibus, ut poſt converſionem & Baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi etiam illa fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti.*

Pius V. in ſuo Decreto diei 2. Auguſti 1571. in Indorum gratiam edito, relato in Libro appellato *pag.* 1. quod incipit in hæc verba: *Romani Pontificis æqua & circumſpecta prudentia*, &c. antea ſtatuerat Indos baptizatos aut baptizandos poſſe legitima ea conjuge uti, quæ cum ipſis baptizata eſſet, aliaſque dimittere, ut proinde inter eos veri no-

nominis matrimonium exiſteret : *volentes, ut Indi, ſicut præfertur, baptizati, & in futurum baptizandi, cum uxore, quæ eum ipſis fuerit baptizata, & baptizabitur, remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimiſſis auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus Matrimonium hujuſmodi inter eos conſiſtere*. Pius V. hoc loco omnino non dicit primam conjugem potius quam aliam ab Infideli abſolute retinendam eſſe ; quod autem ſupra dictum eſt, ſupponit horum Infidelium matrimonium abſolutum eſſe, ita ſcilicet, ut ſolvendum non ſit, non autem eſſe conditionatum, nempe ſolvendum, ſi ſimul tranquille vivere nequeant; in hoc enim poſteriore caſu, quoniam illud haud verum matrimonium eſſet, ſed concubinatus, ex uxoribus, quam mallent, ſeligere poſſent, eam nihilominus præferentes, juxta Pontificum mentem, quæ fidelis fieret.

Ad decimam, Miſſionarius hunc Sylveſtrem baptizare omnino non debet, quin antea expenderit, an hæ ceremoniæ ſuperſtitioſæ ſint, nec ne; ſi facto hoc examine eas ſuperſtitioſas detexerint, ab eo baptizando abſtineat oportet : etiamſi de ſuperſtitione dubitet, hoc Sacramentum ei conferre non debet: ſi enim non licet id facere, quod mortale peccatum eſſe dubitatur, propterea quod exiſtit periculum Divini Numinis graviter offendendi; eodem jure ſi ſuperſtitio ſuapte natura lethale peccatum eſt, non poteſt ei Sacramentum adminiſtrari, qui cernitur addictus rei, quam ſuperſtitioſam eſſe dubitatur, quia ſacrilegio perpetrando obnoxius redderetur, & Sacramenti hujus Miniſter alia ex parte peccaret: ſed ut id clarius intelligatur, notandum eſt ſuperſtitionem eſſe præpoſterum cultum, qui creaturæ tanquam Divinitati, aut vero Deo, prout ipſi minime convenit, exhibetur: primi generis cultus lethale peccatum eſt, docente Toleto *l.* 4. *c.* 14. & 16. non ſemper autem ejuſmodi eſt alterius generis cultus: exiſtit ſuperſtitionis quædam forma, poſita in vano uſu mediorum, quæ ad producendos effectus, propter quos adhibentur, ſuapte natura nullam vim, nullamque rationem habent, vanus hic uſus tacitam fere Dæmonis invocationem continere cenſetur: hæc enim Theologorum poſt D. Thomam 2. 2. *q.* 96. regula eſt, cum res, quæ ut cauſa uſurpatur, ad edendum effectum nullam naturalem vim habet, ſuperſtitionem exiſtere, quæ tacitum cum Dæmone pactum includit: *quotieſcumque cauſa adhibita*, inquit Sanchez *l.* 2. *Moral. cap.* 40. *n.* 44. *nequit effectum naturalem producere, eſt ſuperſtitio, & ad tacitum cum Dæmone pactum pertinet; hancque reddit D. Thomas rationem, quod talis cauſa non adhibeatur, tanquam producere non valeat, & proinde neceſſarium eſt eam adhiberi ut ſignum, non divinum, quia non eſt Sacramentum, nec Sacramentale; ergo ut ſignum pacti cum Dæmone*.

Porro ceremoniæ ad ægrotum hunc incolumitati reſtituendum adhibitæ, non videntur poſſe natura ſua hunc effectum producere; ſunt igitur ſuperſtitioſæ, vanique ritus ſunt, qui tacitum cum Dæmone pactum continent; atque ita Miſſionarius, de quo quæſtio, dubitare minime poteſt; ac ſi dubitaret, ſuperſtitioſum remedium adhibere, aut ejus uſum permittere juxta principium aliud minime licet, cum tacitam Dæmonis invocationem eo contineri dubitatur: *non eſt licitum uti remedio ſuperſtitioſo*, inquit Leſſius *l.* 2. *c.* 44. *n.* 46. *de juſt. & jure, de quo dubium eſt, an contineat tacitam Dæmonis invocationem*; eamque rationem affert, quod manifeſtum exiſteret ſuperſtitionis committendæ periculum: *hoc enim eſt ſe exponere manifeſto periculo ſuperſtitionis, niſi id fiat cum expreſſa voluntatis contrariæ proteſtatione*. Nititur Theologus hic hoc, ut videtur, principio, quod vulgo receptum eſt; nec ſolummodo conſilium eſt, ſed præceptum: *in dubiis tutior pars eſt eligenda*; ut oſtendit Gonzales Societatis Jeſu Generalis in ſuo Tractatu de probabilitate *diſp.* 7. *§.* 9.

Hoc poſito reſpondetur, ſeu certum, ſeu dubium ſit ceremonias has ſuperſtitioſas eſſe, huic Miſſionario minime licere ſylveſtrem hunc vel moribundum baptizare, ſi eum ab hujuſmodi ceremoniis, quas ille peragi cupit, & ſpectat, tanquam quæ ſibi incolumitatem afferre valeant, deterrere non poſſit.

Ad undecimam, ut baptizetur Adultus, debet inſtructus eſſe, & cognoſcere obligationem, quam per ſuum baptiſmum contrahit, & ſubjectionem, quam Eccleſiæ profiteri debet: aliter non cenſetur in Chriſtianæ fidei profeſſionem conſulto & libere conſentire; atque hac de cauſa ſecundum Legem naturalem, divinam, & Eccleſiaſticam baptizandus debet eſſe Cathecumenus, nempe fidelis: *ex præcepto naturali, divino, & Eccleſiaſtico*, inquit Vericellius *q.* 119. *tract.* 6. *de Bapt. n.* 8. *inſtructio debet præcedere Baptiſmum, quia baptizandus debet deliberare, & prudenter conſentire in profeſſionem fidei, quam per Baptiſmum profitetur, & in ſubjectione Eccleſiæ, cui tum obligatur, & ſubjicitur: ignorans autem præcipuos fidei articulos, & Eccleſiæ præcepta, nequit prudenter & deliberate conſentire: quare &c.*

Ex hac diſputatione conſequitur, cum Infidelis inſtruitur, atque adeſt moralis certitudo ob id ſolum eum promiſiſſe ſe catholicæ Eccleſiæ præcepta ſervaturum, quod nolit Miſſionario reluctari, Deo & Eccleſiæ ſubjectionem ſe profeſſurum ipſum ex animo non promiſiſſe, ac proinde indignum eſſe, qui Baptiſmum ſuſcipiat.

Si dubitetur, an hic moribundus ſatis inſtructus ſit, atque an ſerio & firmiter promittat, quod promittit, in hoc extremi diſcriminis ſtatu, poteſt ei tamen ſanctum Baptiſma conferri; præſtat enim Sacramentum periculo exponi, in hujus Infidelis ſtatu, quam ipſius ſalutem in diſcrimen adduci, quoniam eidem differri Baptiſma nequit, ut certius ejus diſpoſitio cognoſcatur, & melius edoceatur; re ipſa, ut ait Leſſius *l.* 2. *c.* 2. *dub.* 4. in dubio, quod ad perſonas ſpectat, fere in ipſarum gratiam eſt judicandum, eaſque ingenue loqui pro certo habendum eſt: *dubia de perſonis ſunt in meliorem partem interpretanda*. In quo quidem differunt dubia, quæ ad res pertinent: *dubia de rebus non ſunt in meliorem partem interpretanda*. Hanc autem Theologus hic rationem affert: *quia in judicio rerum id agitur unum, ut attingatur veritas, nec timetur, ne injuria cuiquam inferatur. Perſonarum ita quæritur veritas, ut maxime cavendum ſit, ne proximo injuria irrogetur, & de poſſeſſione famæ in re dubia depellatur*. Hæc regula poteſt ſaltem in ſimili facti ſpecie, & in hac, de qua agitur, locum habere.

Ad duodecimam; facta hypotheſi hunc Miſſionarium non poſſe aliter ſe gerere, quin perbrevi immodicis laboribus opprimatur, & exequendo ſuæ Miſſionis officio in regionibus ipſi concreditis impar evadat: tunc minime peccaret, ſi, ut rationem teneret, quam ſibi ipſe præſcripſit, quæque in hac interrogatione proponitur, ægrotum inviſere recuſaret, etiamſi diceretur eſſe morti proximus, ac proinde abſque adſiſtentia moriturus: etenim I. caſus, qui præter ordinem in vita contingunt, cenſentur effectus per accidens, quorum non eſt reddenda ratio, quoniam ignorari cenſentur, nec prudentiæ videtur eſſe eos prævidiſſe: porro Sylveſtris hominis mors ſine Sacramentis quoad hunc Miſſionarium extraordinarius caſus judicaretur: quoniam experientia compertum eſt horum Sylveſtrium id moris eſſe,

ut leviſſime quaque de cauſa Miſſionarium arceſſant; ex quo ſequitur hunc Miſſionarium amiſſæ hujus Sylveſtris ſalutis reum haudquaquam fore. II. hic Miſſionarius eum tenens ordinem, quem ipſe ſibi in ſua Miſſione præſcripſit, id curat, quod generale eſt, & publico bono conſulit: id quod licet etiam cum aliquorum privatorum hominum detrimento, præſertim cum adeſt timendi cauſa, ne hæc Miſſio deſeratur, ſi Miſſionarius præ nimio labore mortem occumberet, neque alius in ejus locum ſubſtitui poſſet.

Si tamen interrogato eo, qui Miſſionarium moniturus accederet, eſſet, cur timeretur, ne hic Adultus, aut hic infans ſine Sacramentis moreretur, Miſſionarius deberet hoc in caſu ordinem prætergredi, quem ſibi præſcripſit: ut enim modo propoſitus ſermo in theorica verus eſſet; durum tamen videtur in praxi, Miſſionarium, cum hominis in extremo vitæ diſcrimine poſiti, atque opem petentis, quam cæteroquin ab alio obtinere non poſſit, damnationem impedire valeat, eidem haud præſto eſſe, atque ita hunc morientem damnari. Miſſionarius e converſo accurrens merito ſperaret fore, ut Deus in hoc extraordinario labore ſibi præſto eſſet, & pariter Miſſioni in hac regione, quippe quæ ejus opus eſt, & ad ipſius gloriam ſuſcipitur: ex quo concluditur, oportere, ut Miſſionarius hunc Adultum, aut hunc infantem adeat opem præſtiturus.

Ad decimam tertiam; reſpondetur, ad Pontificem confugiendum eſſe hujus diſpenſationis obtinendæ gratia; eſt hæc Gavanti ſententia *p. 2. titulo* 10. *de Rubricis Miſſæ*: *nec abſtemi debent ſine vino purificare Calicem*; *Papa inconſulto*, *ex Romanâ praxi*. Innocentius III. *cap. ex parte de celebr. Miſſ.* mandat; ut purificatio cum vino fiat; hæc generalis eſt Eccleſiæ conſuetudo, in qua proinde Epiſcopus diſpenſare non poteſt; re ipſa Miſſionarii Sinarum, Tuchini, & Cochinchinæ ad Sanctam Sedem confugerunt, ut diſpenſationem obtinerent, quæ ipſis a Congregatione conceſſa fuit die 13. Januarii 1665. in hæc verba, quæ referuntur in Libro Conſtitutionum Apoſtolicarum p. 1. *Petente tam ſuo*, *quam aliorum Miſſionariorum*, *& Vicariorum Apoſtolicorum nomine*, *an Sacerdotes in China*, *Cochinchina*, *Tunquino*, *attenta penuria vini in dictis Regnis*, *poſſent ad manuum caliciſque purificationem inter Miſſarum ſolemnia uti dumtaxat aqua non commixto vino*; *& humiliter petenti dictam licentiam*, *ſacra Congregatio affirmative reſpondendo benigne conceſſit*.

Ad decimam quartam, & decimam quintam difficultatem reſpondetur, ad ſalutem haud ſatis eſſe cognoſci Deum, ejuſque divina attributa, inter alia juſtitiam remunerantem & ulciſcentem; ſed explicite & neceſſitate medii credi oportere præſertim Myſterium Sanctæ Trinitatis, & Myſterium Incarnationis, per quam Jeſus Chriſtus nos a peccatis noſtris redemit; & quoad articulos in Symbolo & Decalogo contentos, ii credendi ſunt explicite, & cognoſcendi: quoniam vero hi articuli non ſunt niſi de neceſſitate præcepti, ignorantia bonæ fidei poſſet aliquando excuſare, ac proinde poſſet aliquis ſalutem conſequi, quin eos calleret, & quin eos explicitæ fidei Actu teſtaretur; ſed Actus fidei in univerſum ſufficeret: id quod affertur *ex capite* 11. *v.* 6. *Epiſtolæ ad Hebræos*: *accedentem ad Deum credere oportet*, *quia eſt*, *& inquirentibus ſe remunerator ſit*, evincit quidem ante Chriſti adventum neceſſitate medii ita oportuiſſe, & ſatis ad ſalutem fuiſſe diſtincte credere Deum exiſtere, itemque aliam vitam, in qua mali puniuntur, & boni præmio afficiuntur, (*a*) ſed id minime poſt Incarnationem ſufficere. Videri poteſt, quod ait hac in re Vericellius *tract.* 1. *q.* 4. *ſect.* 4. quoad Fidem & credulitatem Myſterii Incarnationis & Redemptionis, & *q.* 6. *ſect.* 4.7. Ad Trinitatis Myſterium quod ſpectat, illud explicite credendum eſt neceſſitate medii & præcepti; ut docet Gamachius in ſuo Tractatu de Fide *q.* 2. *pag.* 511.

(a) cum fides implicita in Redemptorem tunc ſufficeret.

Sunt igitur enuncianda Sylveſtribus ad baptiſmum ſuſcipiendum accedentibus omnia divinæ Legis præcepta, ut ſupra dictum eſt *n.* 5. excepto mortis periculo, in quo differri poteſt perfecta Inſtructio cum promiſſione quamprimum ea diſcendi, & ſervandi.

Germanus *Fromageau*.

CASUS II.

Infantes, *qui inveniuntur expoſiti*, *ſub conditione ſunt baptizandi*.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Baptiſma ſub conditione ſit necne conferendum Infantibus recens natis, qui aliquando inveniuntur expoſiti ad januam Hoſpitalis ruri exiſtentis, ubi pauperes homines, qui ſuos filios exponunt, minus quam in Urbibus ea callent, quæ ad Baptiſmi Sacramentum ſpectant; quoniam etiam hoc Hoſpitale propter infantes expoſitos non eſt inſtitutum, ideo Juſtitia Parentes cogit eoſdem recipere, ſi cognoſcantur; ex quo oritur præſumptio, eos, qui ſuos filios ad hujus Hoſpitalis januam exponunt, veritos, ne detegantur, id quam maxima poſſunt celeritate & fide facere, ac proinde quin eos baptizaverint, aut cum eos præcipitanter, & fortaſſe cum alicujus rei ad eſſentiam ſpectantis omiſſione baptizandos curaverint, aut ipſi baptizaverint.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat baptizandos eſſe infantes expoſitos, quos baptizatos eſſe certo non conſtat: *Quando non eſt certum eos eſſe baptizatos*, inquit ſexta Synodus habita Conſtantinopoli in Trullo *can.* 84. aut ut loquitur Concilium quintum Carthaginenſe *can.* 6. qui refertur *c. placuit de conſecrat. diſt.* 4. *Quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes*, *qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur*. Eſt hæc communis Theologorum ſententia, quorum auctoritates & rationes Comitolus *l.* 1. *q.* 1. *Reſponſ. moral.* in medium adducit.

D. Carolus in ſuis Actis *l.* 2. *tit. de Bapt. n.* 26. baptizandos ait infantes expoſitos, etiamſi eorum collo appenſa eſſet ſchedula, quæ ipos baptizatos eſſe ſignificaret: *infans expoſitus*, *licet appenſum collo ſcriptum habeat*, *quo ille baptizatus ſignificetur*, *ſi tamen re diligenter perquiſita*, *quemadmodum Catechiſmo Romano eſt expreſſum*, *adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe*, *ea conditionis formula baptizetur*: *ſi non es baptizatus* &c.

Sane licet adſit hæc ſchedula, eſt fere dubitandi locus, utrum infans expoſitus ſit legitime baptizatus; neque enim liquet, eum, qui baptizavit, ſatis calluiſſe, quæ ad Baptiſmum adminiſtrandum eſſentialiter requiruntur, aut iis omnibus uſum eſſe; quod in cauſa fuit, ut in pluribus locis, referente Vericellio *tract.* 6. *q. un. ſect.* 4. *n.* 31. *§. reſpondeo qq. moral.* infantes in neceſſitatis caſu ab Obſtetricibus baptizatos ſub conditione baptizandos eſſe in Ritualibus ſtatueretur.

Nec refert afferere ſchedulam infanti expoſito in eum finem appendi, ut is minime rebaptizetur: etenim reſpondetur oportere perſpectam eſſe bonam illius fidem, qui cum ſcheuula eumdem expoſuit, illud quoque exploratum eſſe, perſonam, quæ baptizavit, ea, quæ ad Baptiſmi eſſentiam requiruntur, calluiſſe, & nihil eorum penitus omiſiſſe. Præ-

terea

terea in horum infantium expoſitorum caſu eorum, qui exponunt, timor, ne detegantur, & alia ex parte de celeri depoſitione ſollicitudo ſæpe in cauſa ſunt, ut negotium temere fiat, neque omnis neceſſaria in baptizando cura impendatur; quamobrem eſt fere, quod de hujuſmodi baptiſmi validitate dubitetur, ac proinde infantes hi ſub conditione ſunt baptizandi, ne eorum ſalus in diſcrimen adducatur.

In peculiari facti ſpecie, de qua agitur, eſt etiam, cur magis de Baptiſmi validitate dubitetur, propterea quod ii, qui ad dicti Hoſpitalis januam infantes exponunt, ſunt agreſtes homines prope Sylvas degentes, qui minus quam in Urbibus ea callent, quæ ad Baptiſmi Sacramentum ſpectant.

Hic denique mos eſt, qui infantium inventorum ratione Pariſiis ſervatur; baptizantur fere ſub conditione, licet ſchedulam habeant, ex qua eorum baptiſmi ratio innoteſcat: quod argumento eſt fere dubitandi locum eſſe, quod attinet ad infantium expoſitorum baptiſma, & ſatius eſſe eos ſub conditione baptizari; quam eorum ſalutem haud repetito baptiſmate periculo exponi.

Deciſum hac die 6. Septembris 1694.
G. *Fromageau*.

CASUS III.

Diaconus, qui baptizat, contra Eccleſiæ regulas facit; nihilominus in irregularitatem non incidit, agens bona fide.

QUÆSITUM.

An ſcilicet Diaconi baptizare poſſint.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, antequam propoſitæ quæſtioni ſatisfiat, tria eſſe animadvertenda.

Primum eſt, ſolius eſſe Epiſcopi, aut Presbyteri *ex officio* baptizare; hæc eſt conſtans propoſitio Theologorum poſt D. Thomam 3. *p. q.* 67. *art.* 2. eſt etiam Florentini Concilii, & Juris Canonici *c. Diaconus, diſt.* 93. *c. conſtant. diſt.* 4. *de conſecrat.* Diſertus eſt in hanc rem S. Clemens, & ſingillatim monet Diaconos baptizandi facultate prorſus carere *l.* 3. *c.* 11. *Sed neque relapſos Clericos baptizare permittimus, ſed ſolos Epiſcopos, & Presbyteros, miniſtrantibus illis Diaconis*, & *l.* 8. *cap.* 2. Sanctus hic Pater de Diaconis idem repetit: *nam nec Diaconos fas eſt offerre ſacrificium, vel baptizare*. D. Thomas loco citato ejus rei rationem affert.

Alterum eſt; licet Diaconus ordinis ſui vi non ſit ordinarius Sacramenti Baptiſmi Miniſter, tamen ipſius ordinationis vi jus habet, vel ut alii Theologi loquuntur, capacitatem proximam, ut, cum id poſtulat ratio, ab Epiſcopo, aut Paſtore delegetur ad Baptiſmi Sacramentum adminiſtrandum, id quod in aliis Clericis inferioribus non reperitur: & ſane Gloſſa in cap. *Diaconos* (a) modo laud. *v. neceſſitas*, monet Diaconum, urgente neceſſitate, uti jure ſuo, cum baptizat: *nota, quod ubi neceſſitas exigit, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus etiam jure ſuo baptizare, & Corpus Chriſti erogare infirmis.*

(a) Suarez l. laud.

Tertium eſt; cum Pontificale Romanum de Diaconi ordinatione verba faciens eum debere ait baptizare, & orare, id de jure accipiendum eſt, quod ei competit tanquam Presbyteri Miniſtro, ut aliis omnibus Clericis delegatione præpoſitus ejus defectum ſuppleat in adminiſtrando exempli cauſa Baptiſmate.

His ita ſe habentibus reſpondetur Diaconum, de quo quæritur, apud Parochum conſanguineum ſuum, qui ad audiendam hominis ſibi concrediti rure magnopere diſſito confeſſionem accitus fuerat, exiſtentem, qui eo abſente infantem ſolemniter baptizavit, perſuaſum habens ſe apud Parochum, quem in reditu delaſſatum iri prævidebat, gratiam initurum, feciſſe quidem contra Eccleſiæ regulas, quippe qui ſatis veniæ ad baptizandum non haberet: in irregularitatem tamen non incidiſſe; irregularitas enim hoc in caſu pœna eſt, quæ delictum grave ſupponit; jam vero Diaconus hic bona fide videtur egiſſe. (b)

(b) Suarez tom. 3 diſput. 23. q. 67. ſect. 1

Præterea irregularitas, cui quiſpiam ſubditur, quod illegitime baptizaverit, ſupponit id temere factum eſſe, ſcilicet repugnante propria cognitione conferendi Sacramentum, cujus adminiſtratio ſuperiori ordini, quo ipſe caret, addicta eſt, *propter temeritatem abutatur*, inquit Canon 1. *ſi quis baptizaverit de Cler. non ordin. min.* Quoniam igitur ex expoſitione conſtat Diaconum, de quo dictum eſt, præſumptionis & temeritatis animo egiſſe non videri; conſequens fit eum minime irregularem eſſe, quod in caſu, de quo agitur, baptizaverit.

Deciſum hac die 22. Maii 1696.
G. *Fromageau*.

CASUS IV.

Chriſtianus anno quindecim natus, qui infantem Judæum annorum duorum baptizat, graviter peccat: Baptiſmus ab hoc Chriſtiano juvene huic infanti collatus validus eſt, & Eccleſia de infantis ſalute debet eſſe ſollicita.

QUÆSITUM.

Juvenis Chriſtianus ætatis anno decimoquinto videns infantem Judæum annorum duorum, qui prope rivum erat, eum rite baptizavit: aliquanto poſt eum Inquiſitio ſuſcepit, & in eum utpote baptizatum jus ſibi eſſe contendit: reponunt Judæi Baptiſma nullum eſſe, cum collatum fuerit *invitis parentibus*. Ad hæc infans, quippe qui rationis uſu careat, iis eripi nequit: qua in re quæritur.

I. An valeat Baptiſmus hic, qui collatus eſt *invitis parentibus*.

II. Facta hypotheſi baptiſmum valere, poteritne infans abduci? Orantur Domini Doctores, ut reſolutionis ſuæ momenta in medium offerant.

RESPONSIO.

Doctores in Sacra Theologia ſubſcripti, qui ſupra allatam expoſitionem viderunt, quoad priorem interrogationem exiſtimant. I. Chriſtianum juvenem, qui infantem Judæum duorum annorum baptizavit, graviter deliquiſſe: primo quia infantem baptizandum ſuſcepit, nulla urgente neceſſitate: deinde quia infantem Judæum baptizavit, invito Patre; quod ex adverſo repugnat regulis & conſuetudini Eccleſiæ, ut conſtat ex D. Thoma *p.* 3. *q.* 68. *art.* 10. *in arg. ſed contra*, ubi Concilium quartum Toletanum in medium adducit in hæc verba: *Sed contra eſt, quod in Decreto eſt diſt.* 45. *ex Concilio Toletano, ſic dicitur de Judæis. Præcepit nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ*. Hinc S. Doctor *in corp. art.* cum principia poſuiſſet, ut oſtenderet injuſtitiam committi baptizato infidelis infante, qui nondum rationis uſum haberet, ipſius Patre repugnante, ita ſtatuit: *& ideo contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur: ſicut etiam ſi aliquis uſum rationis habuerit, baptizaretur invitus. Eſſet etiam periculoſum taliter filios*

Infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo, quod filii Infidelium invitis parentibus baptizentur.

Hæc generalis praxis Eccleſiæ, Judæorum aut Infidelium infantes ipſorum parentibus repugnantibus minime baptizandi, evidenti argumento eſt hanc ejus mentem ſemper fuiſſe; neque enim credibile eſt Pontifices & Epiſcopos, quorum magna ſemper auctoritas fuit apud Imperatores, & Reges, poſtquam illi ſe Religioni ſubdiderunt, ea uſuros non fuiſſe, ut Parentibus infidelibus infantes baptizandos e manibus extorquerent, niſi ex traditione compertum habuiſſent, rationes has in Eccleſiam homines compellendi Deo nequaquam probari. Videmus etiam jampridem Siſebutum Gothorum Regem in Hiſpaniis edita lege ſtatuiſſe gravium pœnarum minis, ut Judæi, qui ſuo Imperio ſubjecti eſſent, Chriſtianam Religionem amplecterentur, ſuoſque infantes baptizandos curarent, eoſque omnes, qui ab ipſis penderent, ut liquet tam ex hujus Regis lege, quæ ad nos pervenit, quæque refertur in Libro duodecimo Legum Wiſigothorum, quam ex Concilio Toletano quarto, quod hanc Legem abrogavit, oſtendens ex Sacris Litteris ſuſceptam rationem cum juſtitia pugnare; ita ut ab eo tempore ea lex nullam vim in Hiſpaniis obtinuerit, & Concilii conſtitutio viſa fuerit adeo rationi conſona, ut univerſa Eccleſia eam legis loco deinceps habuerit.

II. Licet Chriſtianus hic juvenis id facere auſus, quod Eccleſiæ regulis adverſatur, graviſſime peccaverit, Baptiſma tamen, quod huic infanti contulit, non eſſe circumſtantiam, quæ impediat, quominus ille Sacramentum receperit, I. Quia in Sacris litteris, ac traditione nihil apparet, quod nobis innuat Judæorum, aut Infidelium infantes, qui nondum rationis uſu pollent, ob ſolam Parentum voluntatem hujus Sacramenti capaces eſſe. II. D. Thomas videtur id pro certo habere loco jam appellato, ubi ait, ſi Infidelium filii invitis Parentibus baptizentur, propter affectionem erga ipſos natura inditam periculum eſſe eos ad infidelitatem facile rédituros: *eſſet periculum taliter filios Infidelium baptizare; quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes*. Cur enim D. Thomas ita de his infantibus loqueretur, *ad infidelitatem redirent*, niſi eos ab ipſis per Baptiſmum abductos eſſe perſuaſum habuiſſet? III. D. Auguſtinus huic ſententiæ ſubſcribit in Epiſtola 23. ad Bonifacium Epiſcopum data, in qua expreſſis verbis eum monet, ne putet oportere pueros a parentibus ad Baptiſmum offerri, ut gratiam & peccati ab Adam contracti remiſſionem inde recipiant; *illud autem nolo te fallat*, inquit hic Pater, *ut exiſtimes reatus vinculum non aliter poſſe diſrumpi, niſi parvuli ad percipiendam Chriſti gratiam a parentibus offerantur*. Qua in re juvat animadvertere Sancti Auguſtini propoſitionem generalem eſſe, ipſumque inter parvulos Chriſtifidelium ex una parte, & Judæorum atque Infidelium ex alia minime diſtinguere; ſed quod ejus mentem in hoc negotio patefacit, illud eſt, quod ad veritatem hanc amplectendam Bonifacii animum præparat, eum in anteceſſum commonens non tam eorum habendam eſſe rationem, qui parvulos præſentant, & offerunt ad Baptiſmum, quam Societatis Fidelium, qui eos præſentant; ut ita ſignificet parentum voluntatem non poſſe infanti nocere, aut Sacramenti effectum impedire: *offeruntur quippe parvuli ad percipiendam gratiam non tam ab iis, quorum geſtantur manibus, quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni Fideles ſunt, quam ab univerſa Societate Sanctorum atque Fidelium ..... tota ergo mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit; quia tota omnes, tota ſingulos parit.* Divus Auguſtinus ſe ſibi conſtare ſignificat Tractatu 80. in Joannem, ubi peccati originalis in infantibus remiſſionem Baptiſmati, Eccleſiæque ſolummodo acceptam referendam eſſe declarat, quin Patris Judæi aut Infidelis voluntati gratiam ſubjiciat, quamcumque ejus infans in Sacramento perceperit; *hoc verbum fidei*, ait Pater hic, *tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem non valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.*

Poteſt etiam confirmari Sententia hæc ex Miſſionariorum ad Infidelium converſionem incumbentium praxi, qui clam baptizare ſolent pueros recens natos, quos in extremo vitæ periculo deprehendunt; qui quidem ſi nihilominus convaluerint, & rationis uſu potiti velint Chriſtianæ Religioni adhæreſcere, nequaquam iterum baptizantur; quod argumento eſt prius hoc Baptiſma veri nominis Baptiſma fuiſſe, licet contra parentum voluntatem, atque ipſis inſcientibus collatum fuerit.

Quoad interrogationem alteram, cum tenellus puer ad Eccleſiam per Baptiſmum pertineat, Eccleſiam ipſam de ipſius ſalute ſollicitam eſſe oportere, perinde ac ſi juxta ejus regulas baptizatus fuiſſet; quoniam vitium, quod contigit, ad eſſentiam non ſpectat: ex quo ſequitur ipſam omni ſua auctoritate uti debere, ut hujus pueri Judæi, qui ejus filius eſt, jacturam impediat; quod ea præſtare non poteſt, niſi cum a Patre ſejungat, ne is ipſius juventute abuti, atque eum a recto tramite deflectere poſſit, ut ſane faceret, ſi ſibi relinqueretur, ipſum alio deferens, atque hac ratione Eccleſiæ cognitioni ſubducens; expreſſa eſt regula in Concilio Toletano quarto; & refertur in Decreto *diſt. 45. c. de Judæis*, qua quidem ſtatuitur, ut deinceps Chriſtianæ Religionis gratia Judæis vis non inferatur; qui vero per vim, & repugnantiam Chriſtianæ Religioni nomen dederint, in fide per vim neceſſitatemque ſuſcepta vivere debeant, ne forte nomen Dei blaſphemetur, & ſuſcepta fides contemptui ducatur: *qui autem jam pridem*, inquit hæc Synodus, *ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus Religioſiſſimi Principis Siſebuti, quia jam conſtat Sacramentis Divinis aſſociatos, & Baptiſmi gratiam percepiſſe, & Chriſmate unctos eſſe, & Corporis Domini, & Sanguinis extitiſſe participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Divinum blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperunt, vilis & contemptibilis habeatur.* Unde fit conſequens, ut ii omnes, *qui Sacramentis Divinis aſſociati ſunt, & Baptiſmi gratiam ſuſceperunt, fidem, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur*. Infans igitur, de quo agitur, ob hanc regulam huic obligationi obnoxius eſt, quoniam Baptiſmum recepit, recepit fidem, & blaſphemaretur Dei nomen, Fideſque contemneretur, niſi in Chriſtiana Religione, cui per Baptiſmum nomen dedit, perſiſteret: *ne nomen divinum blaſphemetur, & fides, quam ſuſcepit, vilis & contemptibilis habeatur*. Verum Synodus ulterius progreditur. Conſtituit capite 60. Judæorum infantes, qui baptizati fuerint, ab ipſorum parentibus abducendos eſſe, & Chriſtianorum fidei committendos, ut ex iis Religionem doceantur, & in ipſorum moribus erudiantur; ita enim loquitur: *Judæorum filios vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, deputatis aut Monaſteriis aut Chriſtianis viris ac Mulieribus Deum timentibus, ut ſub eorum converſatione cultum Fidei diſcant, atque in melius inſtituti, tam in moribus, quam in fide proficiant.* Itaque Doctores ſubſcripti perſuaſum habent, Infantem Judæum annorum duorum

rum a Chriſtiano juvene annos quindecim nato baptizatum Patri reſtituendum non eſſe, ſed potius ab eo ſubducendum eſſe, ut juxta Concilii Conſtitutionem alicujus Chriſtifidelis Religionis noſtræ ſatis periti fidei concredatur; ita tamen, ut id omne fiat ſecundum auctoritatem Legum, quæ in loco, ubi id contigit, ſervantur.

Deciſum Pariſiis hac die 1. Novembris an. 1674.
Auguſtinus *de Lamet*,

BAZOCHIUM.

QUod hoc loco dicitur Bazochium, non eſt ea Juriſdictio, quæ inter Palatii Clericos exercetur, inter quos qui ætate cæteros antecedunt, ſunt Officiales, & qui aliis præeſt, Cancellarius nuncupatur, ubi cauſæ tantum inter Clericos dijudicantur, aut eæ, in quibus adverſus Artificem aut Mercatorem propter datas merces aut facta opera Clericus Advocatum aget. Bazochium de quo agitur in ſequenti caſu, & quod etiam Baccalaureatum appellatur, eſt Societas Adoleſcentum Urbem incolentium, qui ab iis omnibus, qui matrimonium contrahunt, pro ipſorum facultate certam pecuniæ ſummam exigunt, ſtatuendæ taxationis hujus ſibi ipſis jus eſſe contendentes. Videtur hæc conſuetudo coæva eſſe Urbibus, in quibus viget; atque ob antiquitatem adeo vulgo probatur, ut Juvenes homines perſuaſum habeant, ea nihil eſſe juſtitiæ conformius.

Bazochii jus quadam in Urbe inveteratum.

CASUS.

1 *Conſuetudo ejus, quod appellatur Bazochium, ſeu Baccalaureatum, injuſta eſt, & contra bonos mores.*

2 *Non eſt reſtituendum id, quod ſumptum, aut receptum fuit per id tempus, quo hæc conſuetudo permitti credita eſt; ſed impoſterum, quod acciperetur, reſtituendum eſſet.*

QUÆSITUM.

SUper jure Bazochii, quod quadam in Urbe obtinet, ubi plures conjunctis viribus eos, qui conjugium ineunt, certam taxationem ſolvere cogunt, eamque tam violenter exigunt, ut ſolvere renuentes ſequeſtrent. Atque hac quidem ratione a Patre in filium repetitur hæc taxatio. Juvenum corona corpus conſtituit, cui aggregandus eſt, quiſquis privilegiis eidem ab ea adſcriptis frui voluerit, & aggregari cupiens univerſam multitudinem muneribus afficiat, neceſſe eſt, quo facto Baccalaureus creatur.

Ab hoc Corpore Caput eligitur, cujus eſt pecuniæ ſummam taxare, & recipere, prius adhibito ſuorum Sociorum Conſilio; ipſis enim inconſultis nihil decidi licet.

Caput hoc, aut alius ejus nomine delegatus jus habet adeundæ Sponſæ, ad Miſſam ducendæ, & reducendæ ad ſonum tympani, ejus caterva comitante.

Ii, qui in hoc Corpore recipiuntur, ab hac taxatione exempti ſunt, ea conditione, ut iis, qui illud conſtituunt, munera largiantur.

Mos obtinet taxandi pauperes & divites pro ipſorum facultatibus, & cum quiſpiam obfirmato animo ſolvere non vult, ab eo ſolutio extorquetur, aut per ejus detentionem in Eccleſia Miſſæ tempore, aut per Mobilium ipſius bonorum ſubtractionem. Atque hæc quidem fere Bacchanaliorum tempore peraguntur: tunc Juvenes perſonam induunt, poſtquam in cauponam ad id accommodatam convenerint, atque armata manu ad tympani ſonitum eos adeunt, qui ſolvere renuunt, eorumdemque bona mobilia vendunt, niſi ab iis redimantur.

Ex his licet intelligi Societatem hanc jus ſuum legitimum eſſe contendere, atque hanc agendi rationem a Majoribus, & conſuetudine confirmatam in cauſa eſſe, ut omnes & ſinguli volentes nolentes obſequantur, quo vim evitent.

Pecunia ex his taxationibus proveniens cedit in commune prandium, & cum ſumma ingens eſt, paratur grande convivium, ad quod univerſa Urbs incitatur, quod quidem ſæpe contingit.

Juvenes hi prædeceſſorum ſuorum memoriam tanta in veneratione habent, ut redeunte Cinerum die quotannis ad ipſorum animarum requiem ſolemne ſervitium peragendum curent, ad illud convocantes quam plurimos poſſunt, Presbyteros.

Ex eo etiam ſuam illi conſuetudinem firmari putant, quod eorum nonnulli, a quibus per vim extorta ſolutio eſt, cum ad Magiſtratus confugiſſent, nullam ſatisfactionem impetrare potuerunt.

Quæritur primo, an jus hoc ſit æquitati conſonum, atque an tuta conſcientia exigi poſſit, ac ſi injuſtum ſit, quæritur, an qui illud hactenus exegerunt, ad reſtitutionem obligentur?

Quæritur præterea, an hujus Societatis Caput magis quam alii ad id obligetur, cum non ſit niſi ut *primus inter pares*, nihilque abſque univerſæ Societatis deciſione aggrediatur?

Quæritur demum, an in ſolidum ſit reſtituendi obligatio? Agitur de Urbe a praxi, quam conſuetudo firmavit, ſubducenda, & qui Doctorum ſententiam expoſcunt, in animo habent iis obſequi, atque eorum deciſioni ſubſcribere.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod vidit, & expendit id, quod ſupra expoſitum eſt, exiſtimat, quod propter Bazochium, ſeu Baccalaureatum in uſu eſt in Urbe, quæ conſulit, nec poſſe nec debere cenſeri tanquam conſuetudinem laude dignam, & quæ legis vim habeat. Hæc arrogata conſuetudo eſt abuſus, nec poteſt legitimi juris fundamentum eſſe, cum in jure nihil ſit, quod a juſtitia non ſit prorſus inſeparabile ſecundum Ulpiani doctrinam *l. 1. de juſtitia, & jure: eſt autem a juſtitia appellatum; nam (ut eleganter Celſus definit)* jus eſt ars boni, & æqui. Jam vero quid minus habet juſtitiæ ſpeciem, quam univerſam Urbem Juvenum cohorti ſubjectam eſſe, nullumque matrimonium inire poſſe, quin ea inde tributum recipiat, quod in conviviis & tripudiis impenditur? Ad conſuetudinis perinde ac legis eſſentiam pertinet, ut reipublicæ ſit utilis, & nihil habeat, quod bonis moribus adverſetur. Porro quæ tan-

tandem utilitas in Urbem redundat ex taxatione a Juvenibus facta, quæ licentiæ, & vis ipſis occaſio eſt, adeo ut illi Eccleſiam carceris loco habeant, ubi eos retinent, qui ſolvere renuunt?

Nonne id ex diametro bonis moribus opponitur, perinde ac dum hi homines perſonati coeunt bona mobilia e domibus deportaturi, eademque vendunt auctoritate propria, cum non redimuntur?

Hanc agendi rationem nemo putaverit juri conſonam; quod eſt, ut dictum eſt, *ars boni, & æqui*. Cæterum præterquamquod matrimonium eſt Sacramentum, quod ſummo obſequio ſacris rebus debito dignum eſt juxta illud D. Pauli: *Honorabile connubium*; eſt etiam inter omnes contractus momenti graviſſimi, & Reipublicæ maxime neceſſarium; atque ita violentiis, atque exactionibus indebitis impugnari non licet. Crimen eſt igitur tributum inde percipere, quod ne dum Reipublicæ proſit, ei eſt ſummopere perniciosum, quoniam exponit eos, qui matrimonium contrahunt, Juvenum procacium licentiæ, qui fictionem cum vi conjungunt, ut pecuniam percipiant, & in choreis impendant, quibus diſſolutio permiſceri conſuevit.

Itaque eæ in caſibus minus, quam hic ſit, vituperabilibus Regum Conſtitutionibus prohibitæ ſunt, & abolitæ.

Quoad interrogationem alteram, Conſilium haud putat id reſtituendum eſſe, quod hactenus perceptum eſt, quia bona fides locum habuit, & perſuaſum fuit exactiones has ob longam conſuetudinem permiſſas eſſe, & quia nemo inde ditior evaſit; at ſi deinceps detecta veritate ab iis ceſſatum non fuerit, quicumque ad eas operam ſuam contulerint, teneri in ſolidum reſtituere, ſalvis ipſorum perfugiis contra alios participantes.

Deciſum Pariſiis die 14. Junii an. 1681.
Aug. *de Lamet*.

BENEDICTINI.

Benedictini Congregationis S. Mauri,

CASUS.

An Benedictini non poſſint fructus concedere niſi quoad Benedictinorum non reformatorum Beneficia Clauſtralia.

QUÆSITUM.

SUper eo, quod Benedictini Congregationis S. Mauri pluribus abhinc annis vulgarunt, in ipſorum Congregatione Bullam eſſe, qua ipſis privilegium concedebatur aſſignandi penſiones in totum in Beneficiis, quæ ipſis reſignata fuerint.

Hujus Bullæ bona fide, Dominus Liſanius Prior commendatarius Prioratus Veignenſis an. 1691. ad Benedictinos P. P. Abbatiæ Cormeryenſis profectus eſt, eiſque Prioratus ſui reſignationem cum penſione propoſuit, qui quidem ipſi confirmarunt ſe ea Bulla gaudere; & poſt plures collationes cum eo convenerunt, eique dixerunt ſe ei centum & mille penſionis libras daturos, aliamque tercentarum librarum continuaturos in eodem Prioratu conſtitutam in favorem Domini *Deodeau* ejuſdem Abbatiæ Religioſi veterani; quæ duæ penſiones hujus Prioratus proventum propemodum exequant, officiis perſolutis.

Die 14. Februarii ejuſdem anni ratam eſſe voluerunt ejus procurationem *ad reſignandum* in favorem Domini Dionyſii de Sancta Martha, Religioſi ejuſdem Congregationis, ea lege, ut ejus penſio ab omnibus decimis tam ordinariis, quam extraordinariis, atque etiam ab omnibus Clericatus taxationibus factis, faciendiſque eſſet exempta; contractus quicumque, aut Concordata cum Rege contigerint, aut contigent, & non obſtantibus quibuſvis clauſulis, quæ in iis inſerantur, & exempta etiam a reparationibus, quibus idem Prioratus indiguerit, quemadmodum declaratum eſt in ejus Procuratione *ad reſignandum*, & fuſius in cautionis actu Communitatis Cormeryenſis, quæ ad ipſius penſionis ſolutionem firmandam intervenit.

Religioſi, quos diximus, hanc procurationem *ad reſignandum* receperunt, ut a Romana Curia tam proviſiones dicti Domini Dionyſii de Sancta Martha, quam creationem dictæ penſionis expediendas curarent, quibus expeditis, in dicti Domini Liſanii manibus poſuerunt obſignatam dictæ penſionis creationem, cujus vigore eam bona fide poſſedit uſque ad annum 1696. atque etiam 200. libras redemiſſet ex gratia Romani Pontificis, quin eam expenderit, cum eam legere non poſſet ob ſcriptionis difficultatem, & abbreviationum in ea contentarum ingentem numerum, idque eo potiore jure, quod illa ipſi maximo bono fuerat, cum minime dubitaret, quin ea Canonica eſſet propter arrogata privilegia conceſſa in Bulla, quam eidem illi allegaverant.

Sub initium anni 1697. dicti Religioſi litem in eum intentandam cenſuerunt, ut eum ad taxationum Clericalium pro ipſius parte ſolutionem adigerent, prætendentes Contractus cum Rege initos; adverſus quam ſolutionem dictus Dominus Liſanius ſibi præſidium quæſivit ex clauſulis in ejus procuratione *ad reſignandum* exiſtentibus; atque ad propoſitas ejus defenſiones Judex conſtituit, ut conventionis cum iis initæ exemplum exhiberet, id quod in cauſa fuit, ut idem Liſanius obſignatam hanc penſionis creationem ſibi dictandam curaret per Actuarium Inſinuationum Diœceſis Turonenſis, in quo proſpexit magna cum admiratione expoſitum fuiſſe in ſupplicatione ſuæ ſanctitati exhibita, ne duæ penſiones fructuum dicti Prioratus dimidium excederent, quod erat veritati oppoſitum, quoniam illæ ſolutorum officiorum rationem omnem propemodum exæquabant.

Quod quidem dicti Domini Liſanii animo ſcrupulum injecit, eique anſam præbuit credendi, ſe, cum ejus penſio ſtatuta eſſet ea tantum conditione, ut ne cum alia tercentarum librarum dimidiam ejus fructuum partem excederet, ea frui tuta conſcientia amplius non poſſe.

Expoſuit ille Religioſis querimonias ſuas, ab iiſque petiit, ut eam clauſulam in Romana Curia reformandam curarent, obtinerentque, ut in ea insereretur penſiones duas fere toti æquales eſſe, aut ipſi ſuum ſane Prioratum reſtituendum curarent, aut ſaltem eam, qua ſe gaudere dictitabant, oſtenderent Bullam, quæ ipſis ejuſmodi penſiones aſſignandi privilegium concedebat, cum ille Prioratum ſuum iis non ceſſiſſet, niſi hujus Bullæ bona fide, plurium Beneficiariorum, pariter Sorbonæ Doctorum, ex. c. Domini quondam Gerbazii hac in re ſecutus exemplum, qui hujuſmodi tractatus cum iis inierant, ejuſdemque generis penſiones ſibi reſervaverant, cumque

idem

idem Dominus Liſanius dimidia tantum Prioratus ſui parte contentus eſſe non poſſet, quippe qui nihil præterea poſſideret, atque ære alieno ſe obſtrinxiſſet novemdecim annorum lite cum Domino Principe *de Guymené* ad Prioratus ſui jura propugnanda, probe ſciens ſe Sanctis Eccleſiæ Canonibus & ordinariis regulis adhærentem non poſſe niſi tertiam, aut ad ſummum dimidiam fructuum partem ſibi penſionis loco retinere.

Sed cum ii Religioſi ejuſdem Liſanii querelas flocci feciſſent, eique jactatam Bullam oſtendere noluiſſent, ajentes eam confirmationis & erectionis ipſorum Congregationis Bullam eſſe, in eaque aliquid ſingulare contineri, quod in vulgus edi nollent.

Liſanius tantam oſtendendæ Bullæ difficultatem in iis perſpiciens aliquid ſuſpicandum ratus eſt, eamque longo admodum ſpatio temporis inquiſivit, & tandem poſt plures perquiſitiones inventa Urbani VIII. Bulla, in qua privilegia illa expreſſa eſſe contendunt, intellexit hanc Bullam & hæc Privilegia non extendi niſi ad Beneficia regularia a veteranis non Reformatis poſſeſſa, & non ad Beneficia in Commendam, ut ipſi extendunt, & ſummum Pontificem id unum in animo habuiſſe, ut antiqua aboleret, & in omnibus ipſorum Monaſteriis reformationem inſtitueret.

Id animadvertens dictus Dominus Liſanius, poſt plures apud eos factas querimonias, coactus eſt in jus vocare Domnum Dionyſium de Sancta Martha reſignatarium ſuum coram Dominis Præfecturæ & Sedis Præſidialis Turoni, & efformare contra ipſum ſuam petitionem ad regreſſum, niſi ille ſatius duceret curare, ut obſignata dictæ penſionis creatio in ipſius gratiam reformaretur.

Hujus inſtantiæ tempore plures extitere compoſitionis propoſitiones, una inter alias Turoni Vigilia proxime elapſa Pentecoſtes, quo directa fuit formula tranſactionis, in qua dictus Domnus Dionyſius de Santa Martha ſe explicuit ſuper iis privilegiis, quæ etiam per Patrem Domnum Joannem Pronſtium, Religioſum Abbatiæ Sancti Germani Pretenſis, allata fuerunt, impreſſa Libro in Quarto, in qua tranſactione dictus Domnus Dionyſius de Sancta Martha dictam creationis penſionis obſignationem reformandi curam ſuſcepit, cujus propoſitionis dictus Liſanius petiit exemplum ſuo Conſcientiæ Conſilio ſignificandum, quod Patris Celerarii Abbatiæ S. Juliani Turonenſis manu ſcriptum ad eum miſſum fuit.

Verum quoniam ea propoſitio non ejuſmodi inventa eſt, cujuſmodi eſſe par erat, a Liſanii ipſius Conſcientiæ Conſilio, quod in ea poſuit nova aliquot verba, quæ dicti Religioſi acceptare noluerunt, dicta tranſactio ad exitum minime perducta fuit; conſtat id omne ex Domni *Debit* Procuratoris Communitatis Cormeryenſis interrogatorio. Ab eo tempore injectus eſt dicto Domino Liſanio ſcrupulus alius, nempe juſſus eſt animadvertere in ſuæ penſionis creatione exponendas fuiſſe Pontifici reparationes conſuetas in procuratione *ad reſignandum*, & fuſius in dicto cautionis actu, qui pariter ſuæ Sanctitati exponi debuerat, cum porro eſſe defectum canonicum ex parte reſignatarii, aut dictorum Religioſorum, qui dictam obſignationem in Aula Romana expediendam curarunt, qui minime purgatus eſt, cum ea expediri debuerit juxta dictam procurationem *ad reſignandum*.

Cum denique cauſa prope eſſet, ut componeretur, Reſignans & Reſignatarius compromiſſum inierunt, ejuſque incundi fidem dederunt de ſententia Dominorum Decani, & magni Cantoris in dignitate Eccleſiæ ſancti Gatiani Turonenſis, ſignandi etiam omnes tranſactiones per eos directas & conſtitutas ſub pœna librarum mille, quarum dimidium in Hoſpitalis generalis, & aliud dimidium in Acquieſcentis bonum cederet.

In hujus compromiſſi conſecutionem Domini Arbitri Partibus obtulerunt tranſactionem, in qua congeſta erant facta a lite, quæ componenda erat, aliena, & in qua omiſſa erant eſſentialia, relicto ſpatio vacuo, quod poſt obſignationem, atque adeo abſentibus Partibus repletum fuit.

Dictus Dominus Liſanius tranſactionem hanc hoc modo ſe habentem ſubſcripſit, cum ei ſimplex ejus lectio facta eſſet altiore ſono, ut nihil prope intelligeret, & quin eam ponderare poſſet, eamque ſubſcripſit obſervantia tantum & fide permotus erga dictos Dominos Arbitros, qui eidem quoque explicuere rationem, qua compoſitionem ſtatuebant, quæ tamen diverſa detegitur.

Sed dictus Dominus Liſanius obſtupuit eam a dictis Dominis Arbitris perinde propoſitam fuiſſe, ac ſi inter Partes de ea conveniſſet, quin tamen voluerint Notarium ſignificare illam de ipſorum ſententia inſtitutam fuiſſe; eſt autem inauditum Arbitros unquam recuſaſſe id exprimendum curare in tranſactione, cujus ſunt Judices.

Non potuerunt illi tamen, quin in eadem tranſactione exprimerent, ut dictum Dominum Liſanium arctius obligarent, & ad eam ſervandam adigerent, eam executioni mandandam fore ſub compromiſſi pœnis, licet executio nulla extiterit, cum minime appareruit eam ab ipſis ſtatutam fuiſſe; e converſo ſuum nomen in ea exprimi noluerunt, quod certiſſimo argumento eſt eos aliquid in ipſa detexiſſe regulis minime conſentaneum.

Per hanc tranſactionem efficitur, ut dictus Liſanius a ſua actione ad regreſſum in dicto Prioratu deſiſtat, & Reſignatarium ſuum in tranquilla ejus poſſeſſione retineri & ſervari aſſentiatur, ſperans ſaltem fore, ut Reſignatarius ipſe a Romana Curia diſpenſationem obtineat, per quam ſua penſione canonice frui poſſit. In his circumſtantiis dictus Dominus Liſanius quærit:

I. An cum ejus penſio detegatur nequaquam canonice creata propter defectus in ea exiſtentes tam in expoſitione ſuæ Sanctitati facta, quam ob defectus, de quibus ipſe celatus eſt, atque ob privilegia eidem a Religioſis venditata, minime jure gaudeat Reſignatarium ſuum adigendi ad Prioratum ſuum ei reſtituendum?

II. An poſt hanc tranſactionem tuta conſcientia frui poſſit penſione in eo ſtatu, in quo eſt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Domini Liſanii cum Religioſis conventionem, de qua in expoſitione dictum eſt in negotio Prioratus, quem ipſis reſignavit, non potuiſſe abſque Simonia locum habere, aut executioni mandari, niſi omnes articuli, qui ejus conditiones efformant, diſtinctim expreſſi fuerint Pontifici, ad quem ſpectabat id purgare, quod Eccleſiæ regulis in hac conventione repugnabat. Obligatio ex. c. quam ſuo Reſignatario Reſignans imponit ipſi aſſignandæ penſionis tantæ, quantus fere eſt Beneficii proventus, & præterea ei ſtatuendæ cautionis ad ejuſdem penſionis ſolutionem firmandam: onus, quod Reſignatarius ſuſcipit, liberandi Reſignatarium ſuum a Prioratus reparationibus, ad quas de jure tenetur; omnes hæ Clauſulæ erant extraordinariæ, erant ſimoniacæ, & proinde omnes explicandæ erant in Romana Curia, ſecus reſignatio nulla erat, & Beneficium impetrabile, propterea quod ſimonia Beneficii titulum ex utraque parte vitiaverat.

Hoc poſito, ad interrogationes reſpondetur:

Ad primam, cum Titius Religioſus nullum

lum habeat in ſuo Ordine privilegium, quo fructus omnes Beneficii reſignati concedat, ut veroſimile ſit, poſtquam Dominus Liſanius ei ſæpius inſtitit, ut ſibi aliquam Bullam oſtenderet, quæ huic rei fidem faceret: inde conſequens fieri, penſionem, quam Dominus Liſanius percipit, omnium fructuum, aut pene omnium, nullam eſſe, quia Pontifex expreſſis verbis indicat in actu creationis penſionis, eam dimidia fructuum parte majorem non fore. Si ergo reſignatio facta non eſt niſi ſub hac omnium fructuum conditione, quam Titius ajebat ſe poſſe concedere, & quæ alioquin abſque ea conditione facta non fuiſſet, dicta reſignatio cenſenda eſt nulla, & perinde ac non evenerit, ita ut Dominus Liſanius poſtulandi ad ſuum Prioratum regreſſus jure gaudeat. Eſt hæc communis doctrina, ſuper qua videri poteſt *Brodeau* in Louet epiſtola *B. §.* 13. *n.* 19. Pyrringus l. 1. ſuper Decretalibus *tit.* 9. *n.* 100. & Flaminius Pariſius *l.* 1. *q.* 3. *nu.* 44. 73. & 78. qui de reſignationibus conditionatis loquens hæc habet: *Quarto infertur, quod reſignans reſervata penſione, ſi penſio ei non reſervetur, reſignatio eſt nulla, & jus non abdicatur a reſignante, ac ſi facta non eſſet, ut fuit pluries concluſum.* Aut ſi Titius Reſignatarius nolit ſuum Reſignantem ſuo Prioratui reſtitui, ad Romanam Curiam mittere debet, ut penſionis creatio revalidetur; aliter quippe Reſignatarius ex fraude, qua Reſignantem ſuum circumvenit, eum Beneficio ſuo ſpolians, commodum reportaret, eumque alia ex parte relinqueret abſque legitimo titulo, quo penſione, quæ ipſi promiſſa eſt, frui poſſet.

Ad ſecundam, Dominus Liſanius minime peccavit, a ſuo Reſignatario petens liberationem a reparationibus, quoniam ſuper iis non convenit, niſi de Pontificis beneplacito. Verum eſt hanc clauſulam ſimoniacam fuiſſe, propterea quod res hæc erat pretio æſtimabilis, & ad quam Reſignatarius minime tenebatur. Quamobrem in Romana Curia exprimenda erat hæc clauſula extraordinaria, ne reſignationem vitiaret; itaque Dominus Liſanius eam in ſua procuratione *ad reſignandum* expreſſe potuit, ex quo ſequitur, ſi ea Pontifici diſtinctim explicata non eſt, id non ipſius culpa contigiſſe, ſed potius Reſignatarii.

Ad tertiam, neceſſe pariter fuit, ut Reſignatarius, qui ob reſignationem, quæ ipſi fiebat, Prioratus ad Romanam Aulam mittebat, peculiariter explicaret penſionis cautionem, quam ejus Reſignans ab ipſo petebat; hæc enim clauſula a reſignatione aliena erat, & ad eam Reſignatarius de jure non tenebatur, quoniam Reſignanti ſatis erat, quo de penſione ſibi ſolvenda certus eſſet, privilegium in fructus Prioratus, quo ſe abdicabat; erat ea proinde ſimoniaca conditio, cujus defectum a Pontifice purgari oportebat, ut Reſignatarius poſſet legitime Prioratu frui, & Reſignans pariter ſua penſione.

Ad quartam, ſi præſumi potuit Reſignatarium in Prioratus de quo quæritur, poſſeſſione trium annorum ſpatio bona fide perſtitiſſe, poſſet fortaſſe Beneficium hoc retinere per Regulam *de pacificis*, eoque legitime frui. Sed credi nequit aut Reſignatarium, aut eos, qui ejus cauſam egerunt, ignoraſſe de ſimonia, quæ in hac reſignatione continebatur, propter clauſulas, quas includebat. Ignorare illi non poterant a Reſignante poſtulari fructus omnes Prioratus, exemptionem a reparationibus, & cautionem Communitatis Religioſorum ad penſionis ſuæ ſolutionem in tuto ponendam: ob oculos habebant Actus, in quibus hæ clauſulæ diſerte declarabantur, ut ad Romanam Curiam mitterentur. Non poſſunt igitur uti Regula *de Triennali poſſeſſore*, cum bonæ fidei poſſeſſores eſſe non videantur. Non alius apparet titulus, quo Reſignatarius niti poſſit ad Prioratum, de quo agitur, retinendum. Illud etiam magis ſuſpicionem parit, quoad Dominum Liſanium rationem parum rectam initam fuiſſe, quod Bulla, cujus uſus ſuppoſitus eſt ad ei perſuadendum concedendi fructus omnes Beneficii reſignati jus per ipſam exiſtere, re ipſa non pertinet ad eam facti ſpeciem, de qua agitur, ut ex Bullæ hic additæ lectione compertum ſit.

Ad quintam, videtur Dominus Liſanius in bona fide fuiſſe uſque ad tempus illud, quo creationis ſuæ penſionis vitia detexit; licet enim ſuum creationis penſionis titulum præ manibus habuerit, ejus tamen legendi occaſio ei nunquam ſe obtulit, tum quia nunquam de illorum probitate dubitavit, qui ſecum egerunt, ob fundamentum laudatæ modo Bullæ, quæ ipſis facultatem tribuebat, ut ajebant, remittendi proventum univerſum Beneficiorum, quæ ipſis reſignabantur, tum quia hujus tituli penſionis ſcriptio erat lectu difficilis, ut fere ſunt hi Actus, quorum characterem explicare, & ſenſum aſſequi pauci ſciunt: igitur concludi poteſt Dominum Liſanium bona fide uſum eſſe penſione ſua, quoniam de illius invaliditate ei nulla unquam dubitatio aut ſuſpicio ſuborta eſt uſque ad tempus in expoſitione ſignificatum; ex conſequenti ad nullam omnino reſtitutionem obligatur, idque eo magis, quod ex ea ditior non evaſit, cum nihil præterea poſſederit, unde ſubſiſteret, ut ex expoſitione liquet.

Ad ſextam, ex eo, quod ad interrogationem quartam dictum eſt, inferri poteſt, Reſignatario Prioratus, qui ipſi reſignatus eſt, nullum veri nominis titulum ſuppetere, quia cum conventionis conditiones ſint ſimoniacæ, & Pontifici, ut decebat, explicatæ non fuerint, reſignationem nullam eſſe conficitur: id enim Simoniæ proprium eſt, ut nullum, & effectu carens efficiat id omne, quod hac ratione fit, & titulum vitioſum reddat, ut videri poteſt toto titulo tertio Libri quinti Decretalium de Simonia: ut propterea Reſignatarius de jure teneatur ad fructuum reſtitutionem, etiam antequam ulla exiſtat ſententia, qua ad id damnetur.

Ad ſeptimam, tranſactio diei 4. Maii poſterioris hic allata Reſignatario minime præſidio eſſe poteſt, econtra ea videtur novum defectum iis addere, qui in Prioratus, de quo quæritur, reſignatione propoſita occurrunt, quique illam infirmant. Hæc nova ſimonia eſt, quam committit Titularis, qui revera dat 400. libras dicto Domino Liſanio, quem aliunde conſtat ære alieno laborare, in eum finem, ut a ſua actione ad regreſſum deſiſtat, quam quidem intentare in animo habebat, quoniam reſignationis conditiones impletæ non fuerunt. Verum quidem eſt in hac tranſactione prætendi libras has 400. eo ſpectare, ut dictus Dominus Liſanius ære alieno levetur, quo in urgenda lite adverſus Dominum Ducem Montbazonii ſe obſtrinxit; ſed reſpondetur hac ſpecie tectam fuiſſe veram cauſam, propter quam dicta ſumma 400. librarum Domino Liſanio tradita eſt; niſi enim illud præcipue propoſitum fuiſſet, ut ille a ſua actione ad regreſſum deſiſteret, poterat facile Reſignatarius ab omni ſolutione immunis eſſe, inquiens, ut notatur in tranſactione, ſuum Conſilium cenſere a lite ceſſandum eſſe.

Utut res ſe habeat, hæc tranſactio non potuit omnes hujus reſignationis defectus tegere, aut clauſularum, quæ ejus fundamentum extiterant, ſimoniam tollere: in expoſitione dicitur hæc tranſactio perſonarum Eccleſiaſticarum in dignitate conſtitutarum arbitrium fuiſſe. Hac de re in dicta tranſactione ne verbum quidem; nec ſane ita ſe res habere videtur. Reipſa ſi ejuſmodi

Viri

Viri inter Dominum Liſanium ejuſque Reſignatarium electi fuiſſent, ut in lite, quam ad Beneficium ſuum repetendum Dominus Liſanius intentaverat, ipſos componerent, profecto reſignationis clauſulas non ignoraſſent, pariter non ignoraſſent, penſionem, de qua convenerat, & qualis dicto Liſanio ſolvebatur, in Romana Curia ſtatutam non fuiſſe, & exemptionem reparationum, & cautionem ad ſolutionem firmandam probatas itidem non fuiſſe, propterea quod nominatim expreſſæ non fuerant, atque ita reſignationem eſſe ſimoniacam, aut potius titulum Reſignatarii nullum eſſe: id cum ita ſit, oportuiſſe, ut defectus hi purgarentur, & Titularis rurſus habilis declararetur: id quod Arbitri præſtare non poterant, Ex quibus concludi poteſt, aut Arbitros non fuiſſe, cujuſmodi dicuntur, aut non ſatis expendiſſe, cujuſmodi negotium eſſet, cujus Arbitri electi eſſent; & proinde Reſignatarium hac tranſactione, aut hoc arbitrio uti minime poſſe, quacumque tandem ratione illud ſpectari placeat.

Ad octavam, ſi Flaminius deſtitit a ſuſcepto conſilio petendi, ut ſuo Beneficio contra ſuum Reſignatarium reſtitueretur, & ſuus titulus creationis penſionis iterum firmaretur, verendum eſſet, ne Beneficio Devoluti titulus imponeretur; hic enim Prioratus tanquam de jure vacans a Romana Curia facile poterit impetrari ob ſimoniam, quæ in reſignatione locum habuit, quæque ex Actis inter Partes editis facile oſtendi poterit; conſulendi ſunt igitur quamprimum Advocati hoc de capite, ac de rationibus, quæ ad Devolutum præveniendum ineundæ ſunt. Dictus Flaminius, ut tranquilliore animo ſit, poteſt hac de re Advocatorum conſilium petere, ſi ita expedire judicaverit.

Ad nonam, & ultimam interrogationem, reſpondetur Reſignatarium ad omnes revalidationis impenſas teneri, tum quod ad Prioratus ipſi reſignati titulum ſpectat, tum ad creationem penſionis Reſignantis quod pertinet; propterea quod dicti Reſignatarii culpa factum eſt, ut ne reſignationis clauſulæ Pontifici, ut par erat, explicarentur. Hoc in ſenſu revalidatio non ſolum Reſignatarii, ſed etiam Reſignantis nomine inſtituenda eſt, cum Reſignatarius tam ſibi, quam Reſignanti revalidationem petere debeat.

Deciſum die 17. Septembris 1700.

A. de Lamet,

BENEDICTIO.

Benedictionis nomine veniunt hoc loco certæ quædam preces cum Crucis ſignis conjunctæ, quas Epiſcopus aut Presbyter ſuper iis rebus inſtituunt, quæ ad Divinum cultum & Sacrificium pertinent, cujuſmodi ſunt Eccleſiæ, Altaria, Ornamenta Sacerdotalia, quæ Miſſæ inſerviunt, Calices, Lapides, & ejuſmodi alia. Lapides ſacri ſuam benedictionem, vel ut melius loquamur, conſecrationem amittunt, cum locus, ubi Reliquiæ continebantur, mutatus, aut fractus eſt, ut ſi etiam Lapidis contigit notabilis fractio, ita ut ille commode inſervire nequeat, ſi pars, quæ eſt rupta, tollatur. Etiam Altare fixum ſua conſecratione ſpoliatur, cum non mediocriter fractum eſt, & cum ex uno in alium locum transfertur juxta Canonem, *Motum*; quod eſt intelligendum, ſi Altari tranſlato ſejunctus eſt Altaris lapis ab eo, quod eum ſuſtinebat, quoniam Altaris conſecratio proprie ſita eſt in lapidis Altaris conjunctione cum eo, quod eumdem ſuſtentat.

Quatuor ſunt Caſus, in quibus Eccleſia benedicta ad uſum profanum redigi poteſt, ita ut reconcilianda ſit, quo in ea poſſint Sancta Myſteria celebrari. Primus eſt, cum in Eccleſia aliquod homicidium, aut aliqua non mediocris ſanguinis effuſio facta ſunt; quo in caſu Eccleſia neceſſario rurſus benedicenda eſt aqua, vino, & cinere benedicto per Epiſcopum, propterea quod ille ſolus pollutam Eccleſiam reconciliandi facultate pollet. Si tamen homicidium forte fortuna accidit, ut ſi petra e ſuo orbe ruens hominem concuſſerit; profanatio locum omnino non habet, quia mors hæc rixæ cauſa, aut prava voluntate non accidit. Alter caſus eſt, cum in Eccleſia adulterium committitur, item pollutio voluntaria, actus itidem conjugalis Virum inter & Conjugem: ſed ſi hæc occulta ſint, non propterea Eccleſia reconcilianda eſt. Tertius Caſus eſt, cum Excommunicatus denunciatus ut talis in Eccleſia ſepultus eſt. Denique quartus Caſus, cum Eccleſia benedicta eſt ab Epiſcopo, qui publice excommunicatus erat. Si Eccleſia non quidem conſecrata, ſed ſolum benedicta ſit, ſimplex Presbyter eam poteſt reconciliare juxta deciſionem Gregorii IX. capite *ſi Eccleſia*.

Ornamenta Miſſæ celebrationi inſervientia benedicenda ſunt neceſſitate præcepti, Sancti Antonini judicio; & canon Altaris monet minime licere ad profanos uſus transferri ornamenta hæc, ſi Eccleſiæ ſervitio inepta evaſerint, ſed comburenda eſſe, & cineres in Piſcina, aut in pariete, aut in aliquo Eccleſiæ foramine collocandos eſſe, ne incedentium pedibus conterantur, propterea quod nefas eſt ea, quæ Altari inſervierunt, profanis uſibus accommodari. Jam vero Ornamenta hæc benedictionem ſuam amiſiſſe cenſentur, cum adeo perfracta ſunt, ut ſi ejuſmodi fuiſſent, habita eſſent benedictione prorſus indigna, neque amplius celebrationi inſervire poſſint, puta ſi Albæ ſeu linteæ tunicæ Sacerdotalis tota manica, aut pars ſuperior diſrupta ſit, & tunc hæc Ornamenta ſuam benedictionem amittunt. Quod ſi admodum levis eorum fractio eſſet, ita ut non impediret, quominus hoc in ſtatu benedicerentur, & Miſſæ celebrationi inſervire poſſent, ſuam benedictionem ea non amitterent. Ita cingulum reparari poteſt, cum inibi eſt, ut diſrumpatur, antequam rumpatur omnino, quin ſua benedictione privetur, quoniam ejus benedictio ceſſat, cum reſarcitur, poſtquam omnino fractum fuerit, quia tunc inſervire non poſſet. Faciunt hæc omnia ad inſequentis Caſus intelligentiam.

De Ec-

De Eccleſiarum Benedictionibus.

CASUS.

Si Eccleſiæ a Presbytero ſint benedictæ, aut ſi conſecratæ ſint, profanatio ab Epiſcopo inſtituenda eſt, propterea quod quibus cauſis aliquid fit, iiſdem diſſolvitur.

QUÆSITUM.

Quæritur, quid de Eccleſiarum deſtructione Jus doceat. An locus conſecratus Oratoria, Monaſteria ad Sæcularem habitationem, & profanos uſus redigi poſſint, perinde atque Hoſpitale. An diruto Monaſterio, tigna & ſaxa in dormitorii, aut alicujus honeſti loci, etiam culinæ conſtructione impendi poſſint, liceatque ex lignis ignem accendere?

RESPONSIO.

Petrus Paluda. 19. q. 3. c. quæ ſemel 23. diſtinct. c. Vaſa &c. Sacratas.

Doctores ſubſcripti cenſent Monaſterium, Eccleſiam, & Hoſpitale ſolummodo benedicta, non autem conſecrata, & erecta Epiſcopi auctoritate minime debere Sæculari domicilio inſervire. Corporalia non modo in profanos uſus converti non poſſe, ſed ne abſtergi quidem Sæcularium, fœminarum, & Religioſarum manibus; propterea quod Canon docet eas omnino non debere pallam, aut vaſa ſacra contingere, & quæ id devotionis animo faciunt, præſumptuoſas habendas eſſe. Conſuetudo non excuſat Religioſas; quæ puſificatoria, & Corporalia lavant. Vaſa, quæ Eccleſiæ inſerviunt, & calices fracti vendi poſſent in quibuſdam caſibus, de quibus convenit.

c. Quoniam 10 q. 3. gloſſa in cap. quæ ſemel 19. q. 3. extra & tanquam ff. de contrahend. emp. C. quoniam 19. c. 3. ad hæc de Relig. Dom. Barboſa de jure Eccleſ. tom. 2. l. 2. c. 3. n. 14.

Ad interrogationem, an Eccleſiæ deſtrui poſſint, & in profanos uſus converti, reſponſio negans eſt, ut animadvertitur in Capite *Quoniam*, licet juxta Gloſſam in c. *Quæ ſemel*, tigna, & lapides in dormitorii, Religioſorum Capituli, atque etiam Monaſterii culinæ erectione adhiberi, & ligna comburi poſſent; ſed alio in loco dicitur, ſi forte Eccleſia, aut Monaſterium exciderint, ligna & ſaxa in alterius Eccleſiæ, aut Monaſterii extructione collocanda eſſe, ejuſque fundum nonniſi Epiſcopi auctoritate vendi poſſe. Et quia dubitari poteſt, an Viſitatori, aut etiam Epiſcopo liceat deſtructas Eccleſias profanare propter loci indecentiam; reſpondetur id fieri poſſe, ita tamen ut abjectis & turpibus uſibus minime ſubjiciantur. In pluribus magnorum Archiepiſcoporum Urbibus contigit, ut ob legitimas cauſas Eccleſiæ profanarentur, & fundorum emptores ibi domos, & alia, prout ipſis libuit, extruenda curarent. Porro Sacra Congregatio declaravit Ordinario non licere ſine cauſa Sacella profanare; ac ſi id fecerit, Eccleſiæ, a qua hæc Sacella pendebant, materiali applicanda eſſe. Refertur hæc declaratio in Tridentino Concilio; & dirutarum Eccleſiarum uſus Ordinario definiendus relinquitur, dummodo id decenter fiat, quod etiam de impendenda materialium, & fundi venditione ſentiendum eſt.

Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. de Reform.

Si cujus Parochiæ Incolæ Eccleſiam jamjam collabentem reparare nolint, eamque omnino dirui patiantur, nonnulli Canoniſtæ in ea ſunt Sententia, ut ſi hujus Eccleſiæ reditus ſit admodum tenuis, ea poſſit in uſus profanos, ſed decentes converti; erecta Cruce in loco, ubi hæc Eccleſia erat, translatoque reditu ad Eccleſiam præcipuam, ubi extruatur Altare eodem invocationis titulo, ea lege, ut Titularis hebdomadis ſingulis ibi ſacrum faciendum curet. Poſſunt etiam antiqua cœmeteria profanari, defunctorum ibi ſepultorum oſſibus in novum, quod factum eſt, translatis. Poteſt item Epiſcopus Altarium & Eccleſiarum dirutarum Saxa vendere, impediens tamen, ne ea ab Emptoribus in vilibus uſibus impendantur. Urbanus VIII. ſua Bulla diei 23. Junii 1633. *Cum ſicut nobis n.* 2. generali Minimorum Correctori facultatem concedit, cum ipſorum Ordinis Conventus & Eccleſiæ tenuioris proventus fuerint, bona vendendi, & Eccleſias profanandi, cum hac tamen clauſula; ut Eccleſiæ Confratrum Societatibus, aliiſve piis locis ſubjectæ remaneant; itemque ſi conſecratæ ſint, profanatio per Epiſcopos inſtituatur, ſi vero benedictæ tantum ſint, per Prælatos regulares.

Barboſa in loc. concil. Trident. 25. idem de poteſt. Epiſc. tom. 3. alleg. 64. n. 14.

Exiſtit benedictio rei ſacræ conſtitutiva, qua nempe res ſacra conſtituitur, ut calix, altare, corporale; eſt & alia benedictio invocativa, per quam res non efficitur ſacra; talis eſt benedictio menſæ, novi ignis, domicilii, aliarumque ejuſmodi rerum, quæ non ut ſacræ ſint, benedicuntur, & nullam proinde conſecrationem habent; propterea quod in eum tantum finem adhibetur invocatio, ut aliquod peculiare præſidium obtineatur, ut docet Cardinalis Cajetanus. Hinc concluditur nulli Prælato, ac ne ipſi quidem Pontifici licere calicem, altare, Eccleſiam, aut rem aliam benedictione conſtitutiva ſacram, & in ſuo ſtatu, ac forma permanentem profanare, aut vero ad profanos uſus transferre, ut notatur in cap. *Comperimus*, quia id divino & naturali Jure vetitum eſt. Navarra de lignis, & ſaxis Eccleſiæ dirutæ verba faciens, interrogat, an domui conſtruendæ inſervire poſſint? Et reſpondet, licet id Jure prohibitum videatur, tamen Eccleſiarum collapſarum, everſarumque ligna, ſe vidente, in Hiſpaniis abſque Ordinarii licentia plus offerenti vendita fuiſſe. Eccleſiæ præſertim conſecratæ deſtrui nequeunt niſi Superioris & Epiſcopi auctoritate juſta de cauſa; ac ſi deſtruantur, ligna & lapides peculiaribus Laicorum uſibus inſervire non poſſunt, quamvis poſſint ad Eccleſiam aliam ſtruendam adhiberi. Ratio, quæ affertur, ea eſt, quod res ſemel Deo dicata & conſecrata ad ſæculares uſus amplius transferri non poteſt. Videndus Cariſius ſuper hac Regula, in qua Monaſteria Epiſcopi auctoritate erecta complectitur. D. Carolus Eccleſias & Altaria profanandi modum præſcripſit, docetque, fundum, in quo Eccleſia extructa erat, ſi neceſſitas urgeat, & ſacrorum vaſorum materiam vendi licere.

Cajetan. 22. q 88. art. 12.

C. Comperimus 14. q 6 Navar. t. 1. in cap. Non liceat. q. 2. de ſpoliis Cleric. §. 18. n. 10. C. Ligna 38. diſt. 1. de conſecrat. c. ad hæc 4. de Relig. Dom. Pyrrhing. t. 3. l. 3. tit. 48. n. 24. de Eccleſ. ædific. & reparat.

S. Carolus l. 4. p. 222. tit. de profan. Eccleſ.

Tradunt Cajetanus & Navarra nulli Prælato, ac ne ipſi quidem Pontifici licere rei ſacræ effectæ benedictione, quæ dicta eſt conſtitutiva, venditionem, aut ad profanos uſus converſionem permittere, ex. c. Calicis, ut eo quis ad hibendum utatur, ſaltem niſi adſit extrema neceſſitas. Ratio, quam D. Thomas affert, ea eſt, quod Divinum & naturale Jus exigit, ut Sancta ſancte & cum reverentia tractentur. Jam vero Calix conſecratus, quoad integritatem ſuam retinet, conſecrationem ſuam non amittit, atque ita ejus profanatio Juri naturali repugnat: verum hæc ratio difficultate non caret; ut enim Calix quamdiu eſt integer, conſecrationem ſuam ſemper ſervare cenſeatur, ab Eccleſiaſtico jure pendet; id autem mutare, aut in eo diſpenſare Pontifex poteſt. Reipſa quemadmodum conſecratio ex Eccleſiaſtica tantum auctoritate provenit, ita profanatio ex eadem pendet auctoritate. Quamobrem mallem equidem loqui in ſenſu compoſito, poſita ſcilicet Eccleſiaſtica Regula, in qua Pontifex diſpenſare non ſolet, licet abſolute poſſit, propterea quod res per benedictionem conſecrata, ut Calix, altare, Eccleſia, Cœmeterium ſuam conſecrationem retinet, donec in

S. Thom. 2. 2. q 100. art. 4. ad 3. & q. 88 art. 11

ſua

ſua integritate perſiſtit : conſequens fieri ſupremum Pontificem non poſſe permittere, ut ad profanum uſum conſecrata res transferatur, cum nulla neceſſitas adeſt, propterea quod ſi id fiat, re integra permanente, irreverentia committitur.

Quæritur; quis uſus partium ſeparatarum rei conſecratæ, cum ea deſtructa eſt, eſſe debeat, an vendi, & in exſtructione domus inſumi poſſint. Ad quod primum cum Navarra reſpondeo id optime fieri poſſe cum Summi Pontificis venia; quia cum hæc materia ſuam conſecrationem amiſerit, ad profanos uſus eam adhiberi Divino Jure non eſt vetitum; idemque ſentiendum de pluribus aliis rebus, quæ piis uſibus inſervierunt, cujuſmodi ſunt Religioſorum Monaſterium, Hoſpitale, Eccleſiæ ſupellex, quæ in profanos uſus cum Papæ diſpenſatione converti poſſunt. Ajo ſecundo loco cum eodem Navarra & Sylveſtre, de jure ordinario hanc permiſſionem ab Epiſcopo concedi non poſſe, quia Sancti Canones & Decreta Patrum vetant, ne Eccleſiarum ligna Laicorum uſui permittantur; & in capite *ad hæc* Urbanus Papa III. reſpondet huic uſui ſubdi omnino non poſſe aut Hoſpitale pauperum levamini deſtinatum Epiſcopi auctoritate, aut vaſa lignea, aut ſuppellectiles, quæ cultui Religionis inſerviunt, quemadmodum antiqua conſuetudo Patrum judicio firmata ſemper ſervavit. Putat tamen Ludovicus Miranda in neceſſitatis caſu, & ob rationabilem, atque urgentem cauſam poſſe Eccleſiam aut Monaſterium pro derelictis haberi, deſtrui, & profanis uſibus applicari; quod de ſaxis & lignis eſt accipiendum, poſita Cruce, in loco, ubi erat Eccleſia. Emmanuel Sa ait abſolute loquendo Epiſcopi permiſſionem ad hunc uſum ſufficere; & ſententia hæc probabilis eſt, ſi materialia ejuſmodi ſint, ut nullum veſtigium appareat ea Eccleſiæ conſtructioni inſerviiſſe.

Ut colligitur ex cap. ligna 2. de conſec. in c. Ad hæc de Relig. Dom.

Lud. Miranda t. 1. Man. Prælat. 4. 4.

Emman. Sa v. Eccleſ. n. 2.

Inſtitut. de empt §. Loca ſacra 73. ff. de contrah. empt a i:h de alien. & empt. §. Tit. quoniam cognovimus c. ſi quis objecerit 7. 1. q. 1 c. querelam 25. de Sim. & 16. DD. ad cap ad quæſtion 6. de re perm.

Quod attinet ad materialem Eccleſiam divini ſervitii celebrationi deſtinatam, non auſim aſſerere eam vendi poſſe, & de ea perinde ac de Sacris vaſis ſentiendum puto; idque eo magis, quod in jure nulla hujuſmodi venditionis occurrit mentio vel in caſu neceſſitatis. Et quamvis aliquando res Sacras vendi ob quaſdam pietatis cauſas liceat, non idem tamen de Eccleſiis ſtatuendum eſt, quia hæc auri & argenti vaſa, ſi fundantur, profanis uſibus inſervire, & ob hanc cauſam certo pretio æſtimari poſſunt: at Eccleſiæ collapſæ materies eumdem uſum habere nequit, ſi Canones conſulantur; atque ita non videtur, quamobrem Eccleſia quoad materiam, qua conſtat, ſaxa ſcilicet & ligna, vendi & æſtimari poſſit. Servanda eſt igitur hæc regula, ut, ſi res ipſa per ſe ita ſit conſecrata, ut ſejuncta materies in profanarum rerum numero poni nequeat, nullus venditioni ſit locus.

Cap. ad quæſtiones 6. de rerum perm. L. Æde ſacra 73. ff. de contr. empt. in eo capite una Eccleſia permutetur cum alia & ſi ratione poſſeſſionum una ſit majoris pretii altera, duo debent ſeparati contractus celebrari, nec miſceri, unus permutationis, alter circa compenſationem pretii.

Eccleſia poteſt Eccleſiæ Calicem vendere, quia prior pretio, quod inde perceperit, alium emet; idemque contingere poteſt Eccleſiæ ſtruendæ ratione: cauſa exempli Religioſi ſuam Eccleſiam deferentes, ut aliis eam cedant, poſſunt inde pecuniam recipere, non quidem tanquam rei pretium, ſed ut id, quo ipſi ad aliam erigendam Eccleſiam utantur, poſita Superioris auctoritate. Fundus pariter, aut Sedes alicujus Eccleſiæ dirutæ, quæ omnino reſtituenda non ſit, licet fere nequeat aut vendi, aut profanis uſibus deſtinari, poteſt tamen hoc modo inſumi, Superioris permiſſione accedente. Idem ſtatuendum de aliis conſecratis rebus, de Religioſorum indumentis, de lignis, de vaſis, & id genus aliis Deo conſecratis, quæ quandiu conſiſtunt, profanis uſibus inſervire non debent, niſi ſuam formam amiſerint, nullumque conſecrationis, aut benedictionis veſtigium ſuperſit, ut ſi in partes ſecta fuerint, aut fuſa vaſa ſacra. Aquæ Sextienſis quædam Synodus ann. 1685. Epiſcopos ait curare debere, ut Eccleſiæ, ſive curam adjunctam habeant, ſive non, Sacella, Oratoria collapſa, & ſolo æquata ſarciantur, aut alio transferantur juxta Regulam in Tridentino Concilio præſcriptam. De materialibus idem judicium eſto.

Ex Concil. Toloſ. c. 117. c. 18 an. 1590.

Sæpe fit, ut in Eccleſiis frumenti & fæni vis collocetur, & inde cumulus ſtatuatur: quod omnino vetandum eſt ut id unum in his Eccleſiis exiſtat, quod ad divinum cultum refertur, cujuſmodi ſunt habitus Eccleſiaſtici, vaſa Sacra, libri: ne ſi ſecus fiat, id immineat, quod Jeſus Chriſtus Judæis exprobrat in Evangelio, *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam Latronum*. Nulla prorſus collapſæ Eccleſiæ, Cœmeteriorum, aliorumque Sanctorum locorum inſtituenda eſt profanatio abſque Epiſcopi mandato, cum cæremoniis in his caſibus ab Eccleſia præſcriptis, in profanato loco elata Cruce.

S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. Bonac. de Simon. diſp. 1. qu. 4. §. 1 1. n. 2. Navarr. Manual c 3. n. 99. in fine.

In poſtrema difficultate quæritur, an vaſa Sacra, Altaria, Eccleſiaſticæ veſtes, & Eccleſiarum ædificia vendi poſſint. Ad quod reſpondetur id licere quoad vaſa, veſtes, & Altaria, quia hæc omnia materialia ſunt ratione ſubſtantiæ, & tantum in anteceſſum ſpiritalibus rebus connexa ſunt, modo pretium & intentio ad id unum referatur, quod materiale eſt, nulla conſecrationis, aut benedictionis, quæ non niſi aliquid acceſſorii ſunt, habita ratione. Itaque poſt D. Thomam, Bonacinam, & Navarrum id licet. Verum non ita de Eccleſiis ſentiendum; & licet par videatur utrinque ratio, quia Eccleſiæ materia conſtant, & acceſſorium eſt conſecratio, aut benedictio: Jus tamen Canonicum de Eccleſiis loquens expreſſis verbis ait eas nec vendi, nec emi poſſe, ut videri poteſt in Capite *querelam de Simonia*. Si res attentius inſpiciatur, detegetur diſcrimen in eo poſitum, quod Calices, Altaria Mobilia, Coronæ, Imagines benedictæ, quibus aliquæ Indulgentiæ annexæ ſunt, poſſunt aliquorum privatorum dominio ſubeſſe, & ad eos tanquam propria ſpectare, cum contra Eccleſiæ ſemel dedicatæ publicæ ſint *cap. Noverint* 10. *q.* 1. *& l. intentum §. Sacra D. de rerum diviſ. & §. Ædes Sacræ D. de contrah. empt. & inſtit. de rerum diviſ. §. locus*.

Deciſum Pariſiis ....
G. *Fromageau*.

BENEFICIUM.

Beneficii nomen eſt terminus, qui olim in uſu fuit ad ſignificandos fundos Militibus aſſignatos tanquam præſtiti ſervitii compenſationem; atque hi milites appellabantur *Milites Beneficiarii*. Id nominis deinceps ad Eccleſiaſticos translatum eſt, quibus, ut ſubſiſterent, ſimiles fundi conceſſi ſunt; & vera eorum origo non altius videtur, quam ab octavo ſæculo repetenda, cum facta eſt bonorum Eccleſiæ diviſio; unde novum proinde jus extitit in hoc negotio, cujus cognitionem ſibi Pontifices reſervarunt. Ut id generatim verum ſit, non deſunt tamen aliqua Beneficiorum veſtigia ab anno 500. Pontificis Symmachi ætate; ſed id ordinarium non erat. Ab eo tempore Clerico de Eccleſia bene

merito

merito tribuebatur ager, aut fundus, quem poſſideret, & unde haberet, quo ſubſiſteret. Occurrunt præterea in quodam Concilii primi Arauſicani canone fundationis Beneficiorum, & juris Patronatus tam Eccleſiaſtici quam Laici quædam veſtigia. Subſiſtebant antea Eccleſiaſtici bonorum Eccleſiarum proventibus, & Fidelium oblationibus; quas iis Epiſcopus in capita partiebatur. Caroli Magni temporibus Parochi, aliique Eccleſiæ Miniſtri ſtatutis certiſque reditibus fruebantur, & decimas percipiebant; atque hæc conſuetudo per univerſum occidentem obtinuit. Tunc verò Eccleſiaſtici tituli appellati ſunt Beneficia, & ſinguli Clerici reditum proprio titulo adjunctum habere cœperunt. Atque in his quidem exordiis Beneficia hæc ſæcularia aut regularia annexam functionem habebant, & ad reſidentiam obligabant; ſed ſubſecutis temporibus hæc Beneficia in Commendam tradita ſunt, & nuncupata Beneficia ſimplicia, propterea quòd ea poſſidentes ad nullam peculiarem functionem ſe teneri putabant.

Glosſa in c. ſi Beneficior. de decimis In Clement. verbo, ſi beneficiorum.

Eſt igitur nunc temporis Beneficium ſpiritale munus certo proventu ditatum, quod in hominem tonſuratum, aut Ordinibus initiatum confert Eccleſia, ut Divino ſervitio vacet. Pontificis aut Epiſcopi auctoritate jus ſtatuendum eſt, quia ut monet Gloſſa, quicquid Beneficii titulum præfert, ab aliquo Prælato inſtituatur, erigatur, approbetur neceſſe eſt. Ex quo fit, ut Obitus, & Capellæ, licet perpetua ſint, tamen Beneficia non cenſeantur, ſed potius ſtipendia, & eleemoſynæ illorum bono dedita, qui iis deſerviunt, niſi ab aliquo Prælato approbata comperiantur: idque propterea quod ſola Prælati approbatio in cauſa eſt, ut bona hæc evadant ſpiritalia, & inter bona Eccleſiaſtica referantur. Beneficiorum fructus ſunt bona Deo dicata; quod argumento eſt hæc bona tantummodo ad Dei ſervitium, & Jeſu Chriſti pauperum ſubſidium ſpectare. Ut enim inquit S. Thomas, qui Eccleſiæ Prælatis bona præſtiterunt, non iis ipſis, ſed pauperibus præſtiterunt, non Epiſcopis, ſed pauperibus; neque enim tribuuntur Prælatis bona niſi tanquam œconomis, & diſpenſatoribus bonorum, quæ ad pauperes pertinent. Denique hi fructus ſpiritalis alicujus Officii ratione conceſſi ſunt, quia nullum exiſtit Beneficium, quod aliquam obligationem adjunctam non habeat, juxta Tridentinum Concilium, cujuſmodi ſunt Miſſæ celebratio, concio, Officii recitatio, & id genus alia, ut conſtat ex Jure Canonico, & ex eo, quòd Papa Bonifacius VIII. ait Beneficium Eccleſiaſticum tribui propter Officium.

S. Thom. in Ep 2. ad Corinth. c. 12. lect. 5.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de reform. c. quia per ambitioſum de reſcriptis in ſext.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2 10 de reformat. & c. 10.

Beneficia dividuntur in Sæcularia & regularia. Illa Clericis Sæcularibus conferenda ſunt ſecundum Tridentinum Synodum, iis nempe, qui nullam peculiarem Regulam profitentur; hæc ſecundum eamdem Synodum iis tantum conferri poſſunt, qui in aliquo peculiari Ordine ſua vota ediderunt. In Galliis ſatis eſt aliquem inibi eſſe, ut ſuum tirocinium exordiatur, ut recipiendi regularis Beneficii ſit capax.

Idem ſeſſ. 23. de reform. c. 6. & ſeſſ. 24. c. 12.

Beneficia ſæcularia tribui poſſunt in Beneficia, quæ animarum curam habent, & Beneficia ſimplicia. Priora Sacramentorum adminiſtrandorum obligationem adjunctam habent, poſteriora non item, quia carent onere perſonarum, de quarum conſcientia ſit habenda ſollicitudo. Tridentina Synodus ullum Beneficium ſimplex poſſideri vetat ante ætatis annos quatuordecim; quæ animarum curam habent, ante annos viginti quinque inceptos; & juri canonico placet annorum triginta completorum ætas, ut quis Epiſcopus eſſe poſſit. Eſt tamen animadvertendum, in Gallia eum, qui viginti ſeptem annorum ætatem attigerit, Epiſcopum eſſe poſſe, vi Concordati in Concilio Lateranenſi, Leone X. Pontifice. Ad Canonici titulum in Eccleſiis quidem Cathedralibus annos quatuordecim completos requiri, at in Collegialibus completos annos decem ſufficere; & abſolute loquendò, Beneficium ſimplex poſſideri poſſe, etiam inchoato octavo ætatis anno. Ut quis Beneficium poſſideat, neceſſe eſt, ut eo Ordine ſit inſtructus, qui ad ejus functiones obeundas requiritur, aut ſaltem ut hujus Ordinis ſit capax, quo anno aditur poſſeſſio. Ac Tridentina Synodus Epiſcopis prohibet, ne quem Eccleſiaſticum ad ullam Dignitatem, Canonicatum, aut aliud Beneficium admittant, qui eo Sacro Ordine, quem hæc Beneficia poſtulant, initiatus non fuerit, aut ſaltem ad hunc Ordinem recipiendum tempore ſtatuto a Jure, atque ab eadem Tridentina Synodò, quæ illud ad certum tantum annum, ut dictum eſt, retulit, neceſſariam ætatem non habeat.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 12.

Alia eſt etiam Beneficiorum diviſio in Beneficia in Titulum, & Beneficia in Commendam. Priora ſunt ea, quorum quiſpiam Titularis eſt; & poſteriora ſunt ea, quæ ſunt Regularia, & quæ Pontifex Clericis ſæcularibus confert, quin eorum tamen natura mutetur, quod proinde efficit, ut illi proprie Titulares non ſint, ſed potius Adminiſtratores, ut dicitur in Canone *Qui plures* 21. q. 1. Juriſconſulti aſſerunt præterea plures Beneficiorum ſubdiviſiones: ea tribuunt ex. c. in Beneficia majora, quæ annexam dignitatem, & juriſdictionem contentioſam habent; & Beneficia minora, quæ neutram habent; in Beneficia Sacerdotalia, quorum nempe inſtitutio requirit Beneficiarium eſſe Presbyterum, talia ſunt Curata, quæ poſſideri nequeunt niſi ſuſcepto Presbyteratu anno ipſo initæ poſſeſſionis; porro Tridentinæ Synodi ſuper his poſterioribus Beneficiis terminatio nos dubitare non ſinit, quin Præſentatores, Electores, & Patroni rei ſint acceptationis perſonarum, quoties Beneficium animarum curam habens digno quidem homini conferunt, ſed cum alii etiam digniori præferunt. Videri poteſt hoc in negotio Pii V. Pontificis Conſtitutio 32. de collatione Eccleſiarum Parochialium. Et Innocentius XI. damnat hanc propoſitionem, quæ eſt numero 47. inter 65. quas an. 1697. proſcripſit, *cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc, digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto*

com-

comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minus propria ponit dignores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus. Ex quo ſequitur, digniorem ſemper eligendum eſſe. Id quod etiam ad Beneficia ſimplicia, quæ omni animarum cura vacant, Doctores, & Canoniſtæ plures extendunt.

Ad extremum ſunt Beneficia, quæ Conſiſtorialia dicuntur, ſuntque magna Beneficia, ut Epiſcopatus, Abbatiæ, & Dignitates aliæ fundationis Regiæ, & in quibus ante Concordatum electio locum habebat. Donantur hoc nomine, quia Pontifex eorum Proviſiones confert poſt initam in Cardinalium Conſiſtorio Deliberationem. Tribuitur id nominis in Gallia Dignitatibus, quarum nominatio vi Concordati ad Regem ſpectat. Sed hoc Concordato ſolummodo renovatum eſt jus, quo Galliarum Reges jam inde a Regni exordio pollebant. Apud Sanctum Gregorium Furonenſem, Aimonium, & noſtros Hiſtoricos veteres innumera occurrunt exempla, ex quibus apparet Epiſcopatus a noſtris primæ Stirpis Regibus diſpoſitos fuiſſe. Utebantur illi hac loquendi formula: *talis Epiſcopus ordinatus eſt juſſu, aſſenſu, aut Decreto Regis*. Atque ita quidem porro in altera Stirpe. Lupus Abbas *de Ferrieres* memoriæ prodit Zachariam Pontificem aſſenſum eſſe, ut Pipinus Rex ad magnas Dignitates Eccleſiaſticas nominaret, quoſcumque Regni ſui bono utiliores foret judicare. Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, & Flodoardus de hujuſmodi nominationibus in eamdem ſententiam loquuntur. Conſtat id etiam ex ſecundo Aquiſgranenſi Concilio Ludovici Pii tempore. Reges, quos Hugo Capetus ſucceſſores habuit, eodem jure uſi ſunt. Fulbertus Carnatenſis Epiſcopus, qui undecimo Sæculo vivebat, Roberti Regis ætate, id in ſuis Epiſtolis paſſim teſtatur. Sæculo duodecimo plures Pontifices abſolute hæc Beneficia contulerunt: Sed Philippi Auguſti tempore, ineunte Sæculo decimo tertio, electiones in uſu fuerunt, ita tamen ut eas Rex approbaret. Concordatum Regi conceſſit jus nominationis ad magna Beneficia quod quidem ajunt nonnulli ad Regem ſpectare titulo Regis, quia Prælatorum electio ad Regni conſervationem non parum confert, & quia is eſt primus Eccleſiarum Regni ſui Patronus & Protector. Cæteri Reges, & ſupremi Principes pari jure gaudent; atque hæc nominatio in Pannonia, Hiſpania, Belgio, Venetorum Dominio, & Sabaudia, locum habet. In Anglia quoque, & Scotia ante Schiſma ea in uſu erat. Conſuli poteſt hac in re M. Pithou in ſuo Tractatu de Libertate Eccleſiæ Gallicanæ. Fevr. tract. de abuſu l. 12 c. 8.

Cum Rex ad aliquod Beneficium in Gallia nominavit, nominatus Breviculum ab Epiſtolarum Regis Magiſtro notatum habere debet, ut ex iis litteris agnoſcat Pontifex Principis voluntatem Breviculo conformem eſſe. In hoc Breviculo mentio fit nominis, cognominis, & mortis illius, in cujus locum facta eſt a Rege nominatio. Expediatur neceſſe eſt hoc Breviculum ob Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, Prioratum Conventualem morte vacantem, deturque perſonis, quæ requiſitis dotibus prædita ſint. Romam mittitur hoc Breviculum ad Regis Oratorem; & omnibus deinde rite perpenſis, ſuas Bullas aut Proviſiones Pontifex mittit, quæ omnia in Tractatu de Abuſu Fevretus enucleate perſequitur.

Beneficia reſignantur; & reſignare eſt ſponte cedere jus, quod ad ea habetur, eademque ponere in ejus manibus, qui conferendi jure gaudet. Reſignationum duo ſunt genera, ſunt aliæ tacitæ; expreſſæ aliæ. Tacita eſt ea, quæ ex Jure, & non ex vi verborum Reſignantis provenit; ut cum cauſa exempli in aliqua Religione Profeſſio fit, cum matrimonium contrahitur, aut cum alterius Beneficii incompatibilis initur poſſeſſio: Expreſſa illa eſt, quæ Beneficiarii volentis juri cedere, quod ob aliquod Beneficium habet, expreſſa voluntate perficitur; atque hæc poſterior tribuitur in reſignationem puram ac ſimplicem, cum videlicet citra ullum pactum ſuum Beneficium ei quiſpiam dimittit, quod illud conferre debet, ut id pro arbitratu diſtribuat; & reſignationem conditionatam, quæ dicitur *in favorem*, cum nempe Beneficium reſignatur ea conditione, ut Collator illud ei tribuat, in cujus gratiam dimittitur, & hæc reſignatio *in favorem* poteſt ea quoque dividi in reſignationem, quæ in mortis periculo fit, nuncupaturque *reſignatio cauſa mortis*; & reſignationem, quæ fit abſque mortis formidine: & demum in reſignationem, quæ inſtituitur *cauſa permutationis*. Reſignationes *in favorem* nunquam a Jure permiſſæ ſunt, nullumque earum exemplum in Decretalium & Clementinarum Voluminibus uſpiam occurrit; earum uſus abuſus erat, cujus utpote repugnantis canonibus, qui a Beneficiariis ſibi ſucceſſores eligi non patiuntur, ut proſcriptionem peterent, ſuis in Tridentino Concilio Oratoribus in mandatis dedit Rex Carolus IX. ann. 1563. Spectandæ ſunt igitur ejuſmodi reſignationes tanquam tolerantiæ paulo poſt in Eccleſiam inductæ quædam ſpecies, & veluti conſuetudo, quæ licita eſſe non poteſt, niſi cum magnum ſervitii Dei & Eccleſiæ commodum conjunctum habet, & cum Pontifici nominatur perſona, quæ dignior cognoſcitur, quæ omnia Beneficii munia exequatur, nulla carnis & Sanguinis ratione habita. Notatu dignum eſt reſignationes *in favorem* intra Ordinarii manus fieri non poſſe ſecundum Bullam Pii Quinti, ſed ſemper ad Pontificem confugiendum eſſe, propterea quod ille ſolus poteſtate gaudet in jure Eccleſiaſtico diſpenſandi, cum id Eccleſiæ expedire judicaverit; quod impedit, quominus Beneficium ſit impetrabile. De Beneficiorum pluralitate nihil addetur, quia de iis in caſibus inſequentibus fuſius agetur.

Quomodo Beneficium adeundum ſit.

C A S U S I.

1 *Nullum Beneficium adiri poteſt abſque ingenua voluntate in ſtatu Eccleſiaſtico Deo inſerviendi: & qui illud adiret in animo habens ab hoc ſtatu deficere, & matrimonium contrahere, teneretur illius dimiſſi fructus, quos percepiſſet, reſtituere.*

2 *Adiri poteſt tenue Beneficium, ac dimitti; obtento meliore canonicis rationibus, animo vivendi, prout Clericum decet.*

Q U Æ S I T U M.

QUæritur, an egeſtate preſſus homo poſſit acceptare Canonicale Beneficium admodum tenue, quod ipſi offertur, quin in animo habeat illud reliquo vitæ ſuæ tempore retinere, ſed ſolummodo expectato meliore, cum conſilio omnibus muneribus perfungendi?

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod vidit & expendit id, quod modo expoſitum eſt, judicat non poſſe ſalva conſcientia ab eo Beneficium recipi, qui in Eccleſiaſtico ſtatu perſiſtere ex animo non propoſuerit: atque ità hominem, qui per matrimonium aut alia ratione ad ſæculum redeundi voluntatem haberet, alienum fore a diſpoſitione, quam ad Beneficii poſſeſſionem Eccleſia requirit; ita ut nemini liceat, niſi Deo vocante, ad Eccleſiaſticum miniſterium accedere. Quapropter perſona, quæ conſulit, tuta conſcientia Beneficium modici reditus, quod ipſi offertur, acceptare non poſſet, ſi in animo haberet eo frui, quo facilius, & cum minore incommodo ſucceſſionem aliquam utilem expectaret, aut temporale aliquod bonum, cujus poſſeſſione ad Sæculum repetendum, & po ſeſſionem Eccleſiaſticam deſerendam compararetur: eſt hæc Hoſtienſis, & Panormi doctrina *in cap. relatum de Clericis non reſidentibus, l. 3. Decretal. Gregor. IX.* Poſterioris verba ſunt hæc: *Quiſquis, ut ait Apoſtolus, debet eſſe contentus vocatione, qua vocatus eſt: unde non debet in animo aliud gerere, ſed quemadmodum contrahens matrimonium carnale debet habere animum perpetuo reſidendi cum uxore .... ſic acceptans Eccleſiam; nam quodammodo contrahit cum Eccleſia. Dicit tamen Hoſtienſis, quod hoc peccatum ambitionis tollitur per pœnitentiam. Vult dicere, quod non eſt neceſſarium ad purgandum hoc peccatum dimittere Beneficium, ſicut in eo, qui promovetur per Simoniam. Et nota hoc ultimum dictum, quia poteſt practicari in multis caſibus, maxime in juvenibus, qui aſſumunt Beneficia: non quod habeant animum Clericandi, ſed ut ex iis vivant in juventute: nam ſi pœnitentia ducti volunt vere Clericari, non tenentur dimittere Beneficia, ſed ſatis eſt, quod ſatisfaciant Deo de prava intentione, agendo pœnitentiam.* De horum duorum illuſtrium Canoniſtarum ſententia dubitari non poteſt; quoniam cenſent, eos, qui ob temporalem ſolum cauſam, & abſque animo in Eccleſia perſiſtendi Beneficia hæc acceptarunt, oportere pœnitentiam agere, ut ſe a perpetrato peccato liberent.

Confirmat etiam Sententiam hanc Caput *Commiſſa de elect. in Sexto.* Licet enim ibi tantum de Parochialibus ſermo ſit, quorum reſtituendi ſunt fructus, ſi cum intentione ad Presbyteratum non accedendi ſuſcepta ſint; multi tamen Auctores magni nominis id ad omnia alia Beneficia generatim accommodant, cum ſuſcipiuntur animo tantum iis fruendi, abſque conſilio ſtatus Eccleſiaſtici retinendi; eorum autem ratio ex ea deſumitur, quæ Pontificem ad ita ſtatuendum impulit; eos nempe Eccleſiæ fucum facere, & cum ea fraudulenter agere, quippe cum certum ſit, eam illis ſedes has conceſſuram non eſſe, ſi ei prava ipſorum intentio perſpecta eſſet: quod ſane in cauſa eſt, ut illa hos Parochos obliget ad id omne reſtituendum, quod ex Beneficiis ſuis perceperunt: *Ceterum ſi promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parochialem receperis Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum recipias: ipſam poſtmodum dimiſſurus (niſi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter.*

Si ergo hi Parochi Parochiarum ſuarum fructus reſtituere tenentur, quamdiu Presbyteratum non ſuſcipiant in animo habentes hæc Beneficia dimittere: idem judicium de iis ferendum eſt, qui alia Beneficia, ut Canonicatus inierunt, ſi, dum ea ſuſceperunt, idem ipſorum conſilium fuerit: ita ſentit Gabriel Biel in 4. Sententiarum *diſt.* 15. *quæſt.* 8. *art.* 3. qui quidem ſeſe explicat in hunc modum: *Decretalis illa ſpecificat Eccleſiam Parochialem, ideo eſt; quia Beneficium ſimplex non requirit Sacerdotium infra annum aſſumendum. Sed videtur, quod idem eſt de Beneficio ſimplici: ſi non intendit in eo ſervire: ſed poſt tempus aliquod dimittere, & Laicare: quia eſt utrobique eadem ratio; nam iſte ſicut & ille recipit fructus fraudulenter.* Contendit Auctor hic, eum, qui ab Eccleſiaſtico ſtatu deficere in animo habet Beneficium poſſidens, cenſendum non eſſe ei ſervitium præſtare velle; atque ita licet præſtet, coram Deo eſt veluti pſeudo-miniſter, qui Eccleſiæ bonis potiri non debet, niſi eum de præpoſtera voluntate pœnituerit.

Verum ſi is, de quo agitur, velit ex animo Eccleſiæ ſe dedere, nec de repetendo ſæculo cogitet, tenue aliquod Beneficium recipere poſſe creditur, quippe qui ſibi propoſuerit muneribus accurate perfungi, atque etiam Ordines huic Beneficio reſpondentes ſuſcipere juxta Eccleſiæ Canones; & veroſimile ſit eum eſſe diſpoſitum ad hunc modici reditus Canonicatum retinendum, ut eum dimittat, ſi ipſi melius Beneficium rationibus canonicis oblatum fuerit; non quidem ut ex miniſterio Eccleſiaſtico divitias quærat, ſed ſolum ut inde habeat, quo honeſte vivat: illud enim convenit Beneficium recipi non poſſe cum intentione in eo minime ſerviendi, ſed illud permutandi, habendique mercis loco, quod ſane eſſet fraudulenta ratione agere cum Eccleſia, cujus non ea mens eſt, ut ſuis Beneficiis eos ditet, quibus eadem tribuit, ſed ut Miniſtros eligat, qui ſibi juxta ſuam ipſius generalem, & Fundatorum intentionem deſerviant; ita ut qui alio animo Beneficium reciperet, faceret contra Canonum mentem, qui nunquam cupiditatem & avaritiam fovere poſſunt, eorum præſertim, qui aliis facem præferre debent.

Deciſum in Sorbona die 13. Decembris 1680.

A. de Lamet.

Beneficium Parochiale per Simoniam impetratum.

C A S U S II.

Pontifici remittendum eſt Beneficium, cujus collatio ad eum ſpectat, cum ejus obtinendi gratia anni reditus obtinenti promiſſus eſt, propterea quod hæc conventio eſt ſimoniaca.

QUÆ-

QUÆSITUM.

PArochiæ cujuſdam collatio pleno jure ad Pontificem pertinebat; quippe in regione vacans, in qua viget obedientia, & uno ex menſibus ad eum ſpectantibus; ut illud obtinerem a Pontifice, ad quemdam in Romana Curia Expeditiolnarium profectus ſum, qui, ſi anni reditum ſo verem, ſe illud mihi impetraturum promiſit; aſſenſus ſum. Illud Expeditionarius obtinuit, mihique ejus proviſionem obtulit; tum inter nos de certa ſumma convenit, in cujus fidem ego illi ſolutionis ſchedulam dedi, ſi mihi hujus Beneficii poſſeſſio ſtetiſſet.

Quod me ſollicitum habet, illud eſt, quod equidem reor haud licere promittere, & quod inde conſequitur, ſolvere ſummam ei, qui in Romana curia Beneficii impetrationem urgeat, & ſatis eſſe impenſas, & ſtipendia ejus laboribus debita ſolvere, propterea quod quicquid ulterius tribueretur, non niſi Beneficii ratione tribui poſſet.

Re ad exitum nondum perducta, magnopere ſcire aveo, ulteriuſne progredi debeam, an vero Pontifici Beneficium remittere.

Me totum ſubdo Conſilio, ut eidem obſequar: quia ſi mihi in hoc negotio peccatum eſt, ignorantia peccatum eſt, neque id ſuſceipſſem, ſi ab honeſtate alienum putaſſem.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitum vidit, exiſtimat conventionem inter Exponentem & Expeditionarium ſimoniacam eſſe; ac ſi perfecta eſſet, Exponentem Beneficio privatum iri, & Expeditionarium pecuniæ, quam percepiſſet, reſtituendæ obligationi obnoxium fore. Subderetur etiam uterque pœnis in Extravaganti Pauli II. & in Bulla Pii V. inflictis, a quibus eos bona tantum fides poſſet eximere.

Negotium hoc in eo eſt Simoniacum, quod Expeditionarius initæ conventionis vi debet annuum Beneficii reditum percipere, ea conditione, ut ille ab Aula Romana, ejus proviſiones obtineat in Exponentis favorem, atque hic quidem in eo ſervetur. Poteſt quidem Expeditionarius earum impenſarum, quas Beneficii conſecutio requirit, ſolutionem recipere; non autem earum, quas facit, ut gratiam ineat, & amicos captet apud Collatorem; quia tunc non agit ut Expeditionarius, ſed ut Interceſſor, & Mediator ejus, qui compenſationem promittit, ut ob ejus gratiam id, quod petit, obtineat.

Jam vero Mediator in hoc rerum genere ſubditur juxta Extravagantem Pauli II. *Cum deteſtabile de Sim. §. ſtatuentes*, pœnis in Simoniacos inflictis: *ſtatuentes prætera quod qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat, Mediatores extiterint, ſententiam excommunicationis incurrant*, &c. At ſi Expeditionarius vi conventionis annua recepiſſet, peccaſſet etiam contra Bullam Pii V. *Intolerabilis*, in Confidentiarios, *§. denique: ſi quis pro conceſſione alicui facta, quacumque auctoritate de Beneficio Eccleſiaſtico per ſe, vel per alium in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus Beneficii de facto etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit tales*, &c.

Ex his omnibus ſequitur:

I. Conventionem inter Exponentem & Expeditionarium nullam eſſe, quia eſt *de re illicita, & prohibita*.

II. eas tantum expenſas, ſi ſtricte loquimur, ſolvendas eſſe, quæ Expeditionario debentur ob ejus legitimas curas, non autem id, quod ipſe Pontificis Miniſtris tribuit; quia coram Deo ad id unum tenetur, quod Expeditionarius ſolvere potuit, quin conſcientiam ſuam inquinaret.

III. oportere, ut Exponens in Pontificis manu Beneficium reponat, quoniam vacationis tempore ad eum collatio ſpectabat, & quoniam pravis rationibus illud obtinuit.

Deciſum hac die 24. Januarii 1693.

G. *Fromageau.*

Beneficium fraudulenter impetratum.

CASUS III.

Eccleſiaſticus, qui de Beneficio contendens, illud Privilegiato fraudulenter impetrandum curavit, ut negotium a Judicibus, apud quos pendebat, abduceret, eum, quem ita vexavit, indemnem ſervare debet, ac ſi ejus jus ratum non eſt, Beneficium, & quoſcumque percepit, fructus ei reſtituere.

QUÆSITUM.

SImon permutatione Beneficium ſimplex obtinuit: Compermutante vita functo, Arnoldus ſe ad illud nominandum curavit, & vi juris, quo ſe ad id gaudere putabat, ejus poſſeſſionem adivit; itaque litem aggreſſi ſunt, eamque ad Senatum detulerunt, ubi magnas neceſſitudines, atque adeo affines habebat Arnoldus: Simon veritus, ne in hoc Senatu cauſa caderet, Privilegiato auctor fuit, ut ipſe Beneficium hoc obtineret, & Arnoldum, atque ipſum coram Privilegiorum Cuſtode accerſendum curaret, atque indemnitatem ipſi promiſit. Ab eo tempore Arnoldum inter & Simonem inita concordia eſt, & convenit, ut Simon Beneficium retineret. Eo deinceps per annos viginti potitus eſt: ſed quærit, an hac ratione illud adire tuta conſcientia potuerit, & facta hypotheſi eum ad illud non recte acceſſiſſe, quomodo ſe gerere debeat, ut errorem ſuum reparet?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, cenſet Simonem graviſſime contra juſtitiam peccaſſe, cum Arnoldum a Senatu avocavit, ope Privilegiati, qui Beneficium, de quo quæritur, dolo malo petiit & obtinuit: re ipſa Judices Privilegiati non fuiſſe Simonis Judices, quoniam negotium totum agebatur Privilegiati nomine, qui nonniſi in Simonis gratiam agebat: Simonem ad eas omnes impenſas teneri, quarum ipſe Arnoldo cauſa fuit eum abducens a Tribunali, quod ejus cauſam dirimere debebat. Si etiam cognoſcit Simon jus ſuum ratum non eſſe, ſibique per compoſitionem ab Arnoldo factam fuiſſe Beneficii ceſſionem, ſolum ut ſe negotiis, quæ Simon ipſi faceſſebat, liberaret, tenetur hic ad reſtitutionem omnium fructuum, quos a poſſeſſionis exordio percepit: at ſi ratum eſt Simonis jus, ſi ipſe bona fide illud ejuſmodi credidit, & ſi Arnoldus ultro ac libere in Arbitrium conſenſit, Beneficium retinere poteſt, ea tamen lege, ut omnibus ſatisfaciat impenſis, quas Arnoldo attulit, coram Judicibus Privilegiati, qui nonniſi in Simonis favorem agebat, ut ex Expoſitione judicari poteſt, intentata lite.

Deciſum Pariſiis die 10. Febr. an. 1680.

Aug. *de Lamet*:

Beneficium Parochiale a Religioſo acceptatum Superiorum ſuorum ingratiis.

CASUS IV.

Religioſus non poteſt Beneficium recipere, ejus Superioribus contra ſentientibus.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Religioſus Profeſſus poſſit tuta conſcientia, & ſine gravi culpa Beneficium cum animarum cura ſuſcipere, quod ad eum deveniat aut ratione dignitatis, aut ex Indulto, aut ſuorum cauſa, aut aliqua imperata reſignatione, licet expreſſe repugnet ejus Superior generalis, qui eum ad illud ineptum judicat aut ob defectum virtutis, aut ob ſcientiæ defectum?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, magnæ præſumptionis reum fore Religioſum, qui de ſuis ipſe viribus judicans Beneficium cum animarum cura ſuſciperet aut ſi gradus ratione, aut per Indultum conſanguineorum ope impetratum, aut per aliquam imperatam reſignationem, ejus Superioribus, qui eum intus & in cute norunt, ipſum eo indignum judicantibus ob defectum virtutis aut ſcientiæ; quia in his circumſtantiis ſi ipſe ſibi de ſe judicium arrogaret, & apud ſe ſtatueret Beneficium cum animarum cura ſuſcipere contra ſuorum Superiorum ſententiam, faceret contra vocationis regulas, in quibus tamen ſecum diſpenſare non poteſt juxta D. Pauli doctrinam ad Hebræos *cap. 5. nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*: Ex quo intelligimus judicium de dignitate ad ineundum Parochiale Beneficium neceſſaria ferendum non ad eum pertinere, qui ad illud eligi poteſt; propterea quod cum non in eo ſolum poſita ſit dignitas, ut rerum Theologicarum nonnullæ definitiones & diviſiones perſpectæ habeantur, verum etiam in prudentia, & intellectu, quo moralis ſcientiæ regulæ ad praxim redigantur, & in virtute, quæ iis exemplo eſſe poſſit, qui debent eſſe adminiſtrati; nos ipſi de nobis ipſis minus recte judicamus, quam alii, qui nos attentius inſpiciunt, & vitia noſtra melius dignoſcunt, quam nos ipſi, præſertim Superiores, quorum officium & cura eſt Religioſorum ſuorum vitæ rationem expendere, & quas ad res ſint idonei, videre: quam ob cauſam D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad tertium ait eum, qui Parochiale Beneficium petit, ſe indignum reddere: *ſi vero aliquis*, inquit S. Doctor, *pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus; & ſic preces fiunt pro indigno*. Itaque Religioſus, qui Beneficium cum animarum cura ſuſciperet, ſecus ac ſentiret generalis ejus Superior, qui ipſum funditus noſſet, & judicaret indignum propter ſcientiæ, prudentiæ, virtutiſve defectum, aut qui per Superiores, qui ei præfuiſſent, in ejus notitiam deveniſſet, abſque gravi culpa non poſſet id facere, niſi eum acciret Epiſcopus, qui de hujus Religioſi aptitudine privatim certus aliter judicaret, atque ejus Superiores Regulares: quod tamen difficillimum factu eſſet; cum minime ſit veroſimile Religioſos exiſtere, qui temere velint de ſuo Confratre minus honorifice judicare, ejuſque electioni, quem Beneficii capacem exiſtimarent, repugnante ſua ipſorum conſcientia reluctari.

Deciſum Pariſiis hac die ...... Martii an. 1676.

A. *de Lamet*.

Beneficia a Religioſis poſſeſſa.

CASUS V.

1 *De Monaſterio, cujus Religioſi votum emittunt nullum Beneficium recipiendi niſi de ipſorum Superioris mandato.*
2 *Hujus voti quæ vis.*
3 *Quomodo ſe gerere debeant in Beneficiis, quæ iis conferuntur.*

QUÆSITUM.

Canonici Regulares Abbatiæ N...... poſt ſolemnem profeſſionem in Eccleſia emiſſam, ſingillatim in capitulari loco in Abbatis manu coram Religioſis omnibus promiſſionem edunt Sacramento firmatam, cujus hæc eſt Formula: *Ego Frater N. Religioſus profeſſus B. Mariæ de N. promitto Deo omnipotenti coram ejus Virgine Matre; & tota Curia cæleſti, & omnibus circumſtantibus, & coram P. Reverendo N. Abbate N..... nunquam me acturum vel præſenturum, ne indirecte quidem, ut eligar & promovear ad aliquam Eccleſiaſticam Dignitatem vel Beneficium, cujuſvis generis ſit, ſive dependens ex hac Abbatia, vel non dependens; niſi injunctum fuerit a Superiore. Promitto inſuper ſi quando acciderit, ut hac ratione ad Beneficium aliquod promovear, me reverſurum ad prædictum Monaſterium, & in omnibus ſicut alii Religioſi Superiori me pariturum ut prius, ſi ſummo Pontifici placuerit illud Beneficium per Vicarios temporaneos adminiſtrari, ſic Deus me adjuvet, & hæc Sancta Evangelia an. Domini &c.* Subſcripta hæc formula a Dominis Duvallio, Iſamberto, & Gamachio miſſa eſt, cujus gratiæ ſequentes difficultates proponuntur.

1. An in Canonicorum Regularium Societate conſtitui lex poſſit, cujus vi fiat ea promiſſio cum jurejurando; ita ut quicumque Profeſſionem ediderint, eam ingenue & ex animo facere teneantur, non autem ea mente, ut ab ea aliquando ſe eximant ob eam cauſam, quod id præſtiterint oretenus tantum & ut Communitati gratificarentur, non vero ut ſibi novum jugum imponerent, & ſe jure Canonicorum Regularium Ordini annexo privarent?

2. An facta hypotheſi editam eſſe promiſſionem hanc nullius acceptandi Beneficii abſque Superioris, coram quo facta eſt, juſſu ea violari non cenſeatur, ſi Beneficium de Diœceſani Epiſcopi mandato acceptetur, quoniam dum ea præſtita eſt, eorum, qui illam requiſierunt, & ejus, qui præſtitit, intentio, niſi maxime doloſa ſit, ea eſt, ut ipſe hac in re ab Abbate, aut alio Superiore ipſius locum tenente pendeat?

3. An qui Beneficia dependenter a ſuo Superiore aut aliter acceperunt, haud ea dimittere teneantur, ut ad Clauſtra redeant, ſi Superior id ipſis præceperit; atque an ipſis Beneficia ſua deſerere nolentibus, obtinenda ſit a Pontifice diſpenſatio, ut eorum beneficia per Vicarios amovibiles adminiſtrentur?

4. An qui promiſſionem hanc jurejurando firmarunt, & Superiorem propter importunitatem, & reliquo corpore vix annuente, ad aſſentiendum impulerunt, ut ipſi Beneficium reciperent, aut qui etiam de hujus voti nullitate cogitantes ineunt Beneficium, conſcientiæ ſecuritate, & Sacramentorum capacitate gaudeant: atque an Religio eos reverti volentes recipere teneatur, an vero poſſit a ſe repellere, quippe qui eam ipſi antea deſeruerint?

5. An qui integerrime promiſſionem hanc ediderunt, diſpenſationem a Pontifice obtinere poſſint nulla alia fortaſſe de cauſa, quam quia Religionis tædio capti in ea minime ſancti fiant, ſeque putent extra illam ob exteriorum negotiorum curam a concepto faſtidio liberos fore, & Deo ſervitium libere præſtituros; atque an facultas a Pontificibus in Jubilæis conceſſa in Votis diſpenſandi, nonnullis exceptis, quæ recenſent, quoad hanc promiſſionem ſuum effectum habere poſſit, licet ea cum jurejurando, de quo in Jubilæis altum ſilentium eſt, facta ſit?

6. An Religioſus Beneficiarius vitæ morum-

rumque ratione a Religioſis obligationibus liber ſit; ut proinde ad inſtar aliorum ſæcularium Eccleſiaſticorum cum vivere ſatis ſit, qui quidem ad Religioſas obligationes non tenentur omnino, an vero ſub peccati pœna debeat ea exequi, quæ in ipſius Religione ſancte ſervantur, quippe quæ cum ipſius Muneris functionibus minime pugnant, atque ejus progreſſui inſervire, eidemque ad ſuſceptum munus exercendum auxilia plura afferre poſſunt; cujuſmodi ſunt, Mulieres prorſus arcere ſua ipſius domo, ſuorum neminem pati ſecum vivere abſque ſui Superioris approbatione, Adventus tempore & ſingulis feriis ſextis jejunare, quotannis in Monaſterio ſpiritali exercitationi vacare, quotidie horæ ſpatio orationi, ſui ipſius examini, atque id genus aliis operam dare?

7. An Superior Regularis poſſit ejuſmodi exercitationes Beneficiariis Regularibus in ipſorum Presbyteriis, prorſus ut in Religione, obeundas proponere, & Statuta ad Religionis animum in iis ſovendum accommodata edere, eademque accurate ſervandi votum ab iis exigere, qui Beneficia adire velint, modo majus bonum ea non impediant?

8. Quoniam non deſunt Beneficiarii, qui in Monaſteriis re ipſa degunt, cum ea intra ipſorum Parœcias exiſtunt: quæritur 1. An hi Religioſi poſſint tuta conſcientia a Communitate recedere, ut aliud ſibi domicilium ſtatuant, ſive eo ipſorum Anteceſſores uſi fuerint, ſive non? 2. hi Religioſi in Monaſterio reſidentes tenenturne ad Religionis regulam, ut ad Officium in choro, ad hebdomadarii munus, ad Orationem, ad examen, ad ſpiritalem cum aliis receſſum, an vero ab iis Beneficiariorum titulo exempti ſunt, licet horum pleraque cum hoc ipſo titulo conſtare poſſint?

9. Quomodo hi ipſi Beneficiarii in Monaſterio degentes quoad ſua vota ſe gerere debeant: exempli cauſa quoad paupertatem; ſuntne ipſi ita ſuorum proventuum Arbitri, ut eos non ſolum impendere Beneficii bono, ſed etiam in alios arbitrarios uſus transferre poſſint: cauſa exempli ſuis affinibus, aut amicis munera, & liberalitatis ſigna exhibere, ſibi quidpiam comparare, quod aliis Religioſis nequaquam conceditur, ſive alimenti, ſive indumenti, ſive mobilium bonorum gratia, ſive ut reparationes non neceſſarias inſtituant? Quoad caſtitatem; poſſuntne e Clauſtris pro lubidine egredi, & Fœminas alloqui, licet id Monaſterii Conſtitutionibus expreſſe vetitum ſit? Quoad obedientiam; ſuntne in ea diſpenſati; & poſſuntne in Religione vivere ut Penſionarii, qui nonniſi urbanitate quadam a Patrefamilias pendent?

10. An Parochi Regulares in Religioſis Domiciliis verſantes, aut tam prope, ut nullo prope negotio acciri poſſint, ſuffragii jure gaudere debeant, an vero eodem carere, quippe qui non amplius Communitatis pars cenſeantur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod ſupra allatam expoſitionem vidit, exiſtimat, quod ſpectat ad interrogationem primam; in Canonicorum Regularium Communitate legem edi poſſe, ut fiat promiſſio, cujus formula in medium adducta eſt; ita ut qui huic Abbatiæ nomen dant, & tirocinii tempore ea didicerunt, quibus Religioſi ſubdantur neceſſe eſt, ut in hac Abbatia Profeſſionem emittant, huic Regulæ conformari debeant, quæ ipſis indigitata eſt, quæque ipſis attentius expendenda erat, antequam ſe eidem dederent, & deinde ingenue & ex animo edenda erat promiſſio, prorſus ut in formula continetur, non autem ea mente, ut ab ea aliquando ſe liberent, prætendentes lingua tantum ſe promiſiſſe, ut Communitati obſequerentur, non vero ut novum ſibi jugum imponerent, & ſe jure Canonicorum Regularium Ordini adnexo privarent. I. quia ore tantum, & ſine obligationis juxta prolata verba ſuſcipiendæ conſilio promiſſionem hanc edere non poſſent, quin graviſſime mentirentur, & Dei nomen contemptui ducerent, ei promittentes expreſſis verbis fore, ut nullum unquam Beneficium ambiant, aut quærant, aut demum acceptent, niſi ad illud nominentur, atque id quidem ob Superioris ſui voluntatem. II. quia id, quod in ſe recipiunt, eſt bonum ipſum per ſe, & ad hujus Abbatiæ Religioſos contentionibus, præſumptione, avaritia, perturbatione liberandos maxime accommodatum; illi enim per hanc Religioſorum votorum obligationem, & promiſſionem Deo factam majoribus tentationibus acrius reſiſtunt. III. quia per curam hanc jus non amittitur, quo D. Auguſtini Ordo fruitur, exhibendi ſervitium Eccleſiæ in functionibus Hierarchicis, eique Paſtores, & Parochos ſuppeditandi. Neque vero Abbatia, de qua agitur, Patronatus jure cadit; ac ſi Religioſi ſinguli ea ſe lege obſtringunt, ut ne petant Beneficia, ſunt tamen animo comparati ad ea recipienda, ſi vocati fuerint, & eorum vocatio, cujus ipſi judices eſſe nolunt, recta & verax a Superiore declaretur, in quo nihil occurrit non ſanctum), & non ſacrarum litterarum & Patrum regulis ſuper vocatione traditis conſentaneum; illi enim eorum humilitatem, qui animarum curam effugiunt, neque id oneris niſi a Superioribus juſſi ſuſcipiunt, laudibus extulerunt; quod in cauſa fuit, ut D. Paulus Epiſtolæ ad Hebræos cap. 5. diceret, ad obtinendam dignitatem neceſſe eſſe tanquam Aaron a Deo vocari: *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Et S. Gregorius Magnus in ſuo Paſtorali l. 1. c. 6. *ſunt nonnulli, qui ſola humilitate refugiunt, ne eis, quibus ſe impares exiſtimant, præferantur; quorum profecto humilitas ſi cæteris virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera eſt, cum ad reſpuendum hoc, quod utiliter præcipitur, pertinax non eſt*. Et paulo poſt eodem capite: *ſed divinis diſpoſitionibus ſubditus, atque a vitio obſtinationis alienus, cum ſibi regiminis culmen imperatur*. Non eſt verum hujus Abbatiæ Canonicis Regularibus quicpiam ademptum eſſe, quia nihil ipſis collatum eſt, niſi juxta vocationis vim, *& in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia*; e converſo per ejuſmodi votum hi Religioſi ad utilius Eccleſiæ inſerviendum ſe comparant, quoniam ab animarum cura, niſi vocentur, ſubeunda ſibi cavent, & cum hæc lex per legitimam poteſtatem huic Monaſterio impoſita fuerit, eam illi tanquam grave & difficile jugum ſpectare non debent, quandoquidem illud ferentes ad majorem perfectionem ſibi viam ſternunt, dum ſibi facultatem adimunt abutendi juribus ipſorum Ordini annexis, quæ ad unum referuntur commodum & ſervitium Eccleſiæ, cujus plurimum intereſt efficere, ne Paſtoralia officia inconſulto, & cupiditatis animo ſuſcipiantur. IV. promiſſionis hujus violatio magni ſane in Eccleſia ſcandali cauſa eſſe poſſet; haberetur enim tanquam voti contemptus, & tanquam perjurium: porro votum abſque gravi culpa violari nequit ſecundum D. Auguſtini ſententiam *de bono viduitatis*, c. 2. *Cum enim*, inquit hic Pater, *non reddit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vovit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi neceſſitatem*. Neque vero Fideles minus ſcandalum paterentur, cum jusjurandum in re ſacra editum a Religioſis violari cernerent; quamobrem illi peccatum patrarent, quod omnibus horrori eſt, ut idem Pater teſtatur *Serm.* 28. *de verbis Apoſtoli*, cujus hæc verba ſunt: *da alium, qui dicit falſum eſſe*, vide-

videris, quam iſta deteſtanda ſit Bellua, & de rebus humanis exterminanda, quis enim hoc fieri velit? Omnes talia deteſtantur. Videri poteſt etiam, quod ait hac in re D. Thomas 2. 2. *q. 98. art. 3.*

Ad interogationem alteram. Superiorem, qui in Religioſum præcepti jure gaudet, eum eſſe, cui ille ſubjectus eſſe debet, cum Beneficium acceptari jubet, itaut ſi Diœceſanus Epiſcopus Abbatiæ Superior ſit, & Religioſo jubere poſſit, ut dignitatem, aut Beneficium, ad quæ ipſum eligit, recipiat, parere teneatur; tunc enim ille Superioris vocabulo in promiſſionis formula poſito profecto comprehenditur, votumque emiſſum ad Superiorem localem coarctari non poteſt, ſed eos etiam omnes, qui præcipiendi jus habent, complectitur, atque hoc in ſenſu accipienda ſunt verba hæc: *niſi mihi injunctum a Superiore*; verum ſi Epiſcopus Diœceſanus nequeat hac ratione Religioſo præcipere, & Monaſterii ſuperior non ſit, nec poteſt etiam, nec debet Superioris nomine comprehendi; quia huic Religioſo, qui ad nullum Beneficium, niſi Superiore ſuo præcipiente, accipiendum ſe voto obſtrinxit, ejuſmodi præceptum imponendi jure caret.

Ad interrogationem tertiam. Eos, qui Beneficia in titulum inierunt, quæ quidem ſimplices adminiſtrationes non ſunt, aut Beneficia, quæ manualia nuncupantur, idque dependenter ab ipſorum Superiore, ea, quæ in formula præſcribitur, ratione, non teneri ea dimittere, ut ad Clauſtra redeant, cum Monaſterii Superior id ipſis præceperit; cum enim Beneficium tanquam conſtans & fixus titulus collatum fuerit, ab ejuſdem Superioris poteſtate non pendet, quippe qui in hunc Religioſum, prout hujus Beneficii poſſeſſor eſt, id tantum juris habet, quod Canones eidem tribuunt: ii porro nullam ei tribuunt auctoritatem eum ab ipſius Beneficio amovendi, ſed curam tantum & juriſdictionem concedunt in perſonalem ejus tanquam Religioſi vitæ rationem: at ſi Religioſus Beneficium ſibi conferendum curaſſet; ſecus ac Deo promiſit, non poſſet illud contra ſuum votum tuta conſcientia retinere; ſed hoc in caſu ad Monaſterium ſuum reverti deberet, vocationis ſuæ defectum adeo evidenter cognoſcens; & probe conſcius ſe contra Dei voluntatem, qui vota & promiſſa ipſi facta compleri vult; egiſſe.

Ad interrogationem quartam. Eos, qui ita Deo cum jurejurando promiſerunt, & qui Superiorem propter importunitatem impulerunt ad aſſentiendum, ut Beneficium reciperent, aut qui etiam illud receperunt ſecum ipſi cogitantes votum illud nullum eſſe, conſcientiæ ſecuritate non gaudere, ac proinde ſacramentis indignos eſſe, propter rationes in reſponſione ad interrogationem primam allatas. Ipſos ad Religionem redire volentes ei redintegrandos eſſe, neque ab ea repelli poſſe, licet eam illi priores deſeruerint. Id expreſſe traditur in *cap. Ne Religioſi, extra de Regularibus*; ibi enim Superiores jubentur ſollicite quærere Religioſos ſuos profugos, eoſque, qui ab ipſorum ſocietate, aut gradu amoti fuerint, quos appellant *ejectos: ſtatuimus, ut Præſidentes Capitulis celebrandis ſecundum ſtatum Concilii generalis, ſeu Patres Abbates, ſeu Priores, fugitivos ſuos & ejectos de Ordine ſuo requirant ſollicite annuatim. Qui ſi in Monaſteriis ſuis recipi poſſunt, ſecundum Ordinem Regularem; Abbates ſeu Priores eorum monitione prævia per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ad receptionem ipſorum, ſalva Ordinis diſciplina..... Si vero hujuſmodi fugitivos vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Eccleſiarum Prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipſorum humiliter revertantur.*

Apud Faganum in 2. part. 3. Decretal. ad c. Ne Religioſi, pag. 121.

His addi poteſt Congregationis Decretum Urbano VIII. Pontifice editum die 21. Septembris an. 1624. quod hanc Decretalem confirmat: illud porro certum eſt, Religioſos, de quibus quæritur, inter eos referri non poſſe, qui dicuntur *ejecti, & fugitivi*; atque ita in Monaſterio, cum ad illud redire voluerint, recipiendos eſſe: *ſalva Ordinis diſciplina.*

Ad interrogationem quintam. Eos, qui ex animo promiſſionem hanc ediderunt, in ea ſibi diſpenſationem obtinere non poſſe, quod Religionis tædio capiantur; & per externorum negotiorum curam ſe concepto faſtidio liberandos, & Dei ſervitio libere operam daturos ſperent: hanc enim diſpenſationis cauſam maxime periculoſam eſſe, & iis omnibus, qui irrequieto animo ſunt, a Monaſteriis recedendi anſam præbere; propterea quod ob id ipſum, quod recedere ſe poſſe confiderent, eorum faſtidium augeretur: libertatem porro, quam concedunt Pontifices in Votis diſpenſandi Jubilæi tempore, ad forum externum non ſpectare, & in ea facti ſpecie, de qua agitur, cum Votum publice factum ſit, ſiquidem diſpenſatio locum habeat, eam, quæ Jubilæi vi impetrata eſſet, nequaquam ſufficere.

Ad ſextam interrogationem. Haud ſatis eſſe, Beneficiarium Religioſum tanquam bonum Eccleſiaſticum Sæcularem vivere, ſed eum Religionis obligationibus, quæ cum ipſis Beneficii functionibus cohærere poſſunt, adhuc obnoxium eſſe; probe diſtinguendas eſſe Regulas & Conſtitutiones, quarum fere vix ullæ ſunt, quæ ſub peccati pœna obligent, tum præſertim, cum omiſſio ſcandalum non affert, aut in contemptum omnino non fit: id autem pro varia Inſtitutorum ratione judicandum eſſe; cæterum quod in interrogatione propoſitum eſt, magnopere optandum eſse, verum e re eſſe in hujuſmodi rebus, licet rectis nihil tentari; niſi commodis, incommodiſque perpenſis, quæ in uſu contingere poſsent; & ad felicem exitum expedire Epiſcopos conſuli, quorum ſane eſt judicare, quid iis eſse debeat utilius, qui Religioſis his Beneficiariis concrediti ſunt.

Ad interrogationem ſeptimam. Licere quidem Superiori Regulari earum rerum compendium, & Synopſim inſtituere, quarum praxis ad ſuos Religioſos Beneficiarios in vitæ ſanctitate continendos aptior eſse crederetur, atque ad eas res fideliter cuſtodiendas ipſos cohortari: non tamen expediens exiſtimari, ut ii rebus iiſdem addicantur peculiari voto, quodque omnibus ad Monaſterium pertinentibus commune non ſit; id autem eo magis, quod religioſiores Viri Beneficia acceptare nollent, nec vero cogi poſſent, quia nemo ad edendum votum adigi poteſt; ſed illud voluntarie, & libere edatur neceſſe eſt: itaque Superior Religioſum ſuum obligare non poſſet ad ſibi imperanti, ut Beneficium, ad quod ipſum elegerit; acceptet; obtemperandum; ita ut aptiores Viri hac ratione a Beneficiis avocarentur, quia ſatius ducerent in ſolitudinis pace vitam ducere, quam proximi ſervitio ſe ſubdere, novam ſubeuntes obligationem; quam per votum contraherent.

Ad interrogationem octavam. Nullam curam eſſe, in qua non Presbyterium exiſtere neceſſe ſit, & ſicubi non exiſtat, eos, qui e Parochia ſunt, ad Domicilium Parocho aſſignandum obligari poſſe; ſatius eſſe, ut Religioſus Curam poſſidens, intra quam ejus Monaſterium exiſtit; in Presbyterii domo ſe recipiat, quia Parochi domus iis juvandis, qui ipſi concrediti ſunt, ſemper patere debet, quod in Monaſterio fieri non poteſt, ubi difficiles aditus ſunt, poſtquam Communitas ſeſe recepit, & januæ clauſæ ſunt; quia

quia vero ſæpe ſæpius eſſent recludendæ fores, turbaretur Monaſterii quies, præſertim quidem nocturno tempore, atque ita mora & difficultas adeundi Parochi non parum detrimenti afferrent iis, qui ipſius fidei concrediti ob hanc cunctationem poſſent abſque confeſſione mortem occumbere.

II. Facta hypotheſi Parochum in Monaſterio degere, non eſt in ejus poteſtate poſitum regulæ munia exacte ſervare, quoniam non eſt ſui temporis dominus; ſervitium, quod ſuæ Eccleſiæ præſtare debet tam quoad temporalia, quam quoad ſpiritalia; ſolatium, quod ægrotantibus, & afflictis exhibere tenetur; ſacramenta, quæ debet adminiſtrare, cum id Ovium ſuarum ratio requirit; ſtudia, ad quæ incumbere opus habet, ut eaſdem erudiat, & ſe ad ſuum Miniſterium recte obeundum comparet, nihil ſunt aliud quam impedimenta legitima, quæ eidem regulam accurate ſervare volenti adverſantur; & ſane videmus Parochos in Capitulis exiſtentes cenſeri præſentes Officio, licet abſentes ſint, ob rationes allatas: plura ſunt Reſcripta Principum, quæ id ita definierunt.

Ad interrogationem nonam. Beneficiariis Religioſis, qui vivunt in Monaſteriis, paupertatis votum adamuſſim ſervandum eſſe; ſed illud tamen ab iis non violari, cum ipſi per ſe ſui Beneficii reditus adminiſtrant: Eccleſia quippe ad id ipſos inſtituit, iis titulum tribuens; atque ita Beneficiorum ſuorum bona in eos uſus conferre debent, quos Eccleſia requirit, videlicet ad pauperum levamen, ad Eccleſiarum ſuarum decus, atque ornamentum, atque ad ipſorum quoque proventuum augmentum, ſi id ad Dei honorem utile eſſe judicent, ut ſæpe quidem optandum eſſet Beneficiarios curam habentes ditiores eſſe; ad id denique, quod pro tempore & occaſione ad divinam gloriam magis accommodatum eſſe crediderint; uno verbo ad ſuam adminiſtrationem quod attinet, eadem poteſtate gaudent, qua Beneficiarii Sæculares; eſt hæc Navarri doctrina *de Regularibus comment. 2. n. 10. de Ritibus Eccleſiaſticis q. 1. mon. 8. n. 2. mon. 33. n. 2. mon. 35. n. 1.* Quod ſpectat ad ſuos conſanguineos, tenere debent Tridentinæ Synodi Regulam *Seſſ. 25. de Reformat.* c. 1. quæ his verbis concepta eſt: *ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant; cum Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant.* Ad proprios uſus quod ſpectat, eos Eccleſiæ bonis tantum pro ipſorum ſtatu uti debere; eorum functiones cum vita Monaſtica nequaquam congruere; propterea quod Parochus facile debet ſui copiam facere, nec vero expedit negotia non pauca Superiori ab eo pateferi; at vero Beneficiarius Religioſus debet cum Mulieribus valde prudenter agere; ut cum hi Beneficiarii in Paſtorali miniſterio Superiori Regulari minime ſubjecti ſint, facta hypotheſi eos in Monaſterio degere, ipſis proinde plura præter jus ſunt concedenda, quæ in cauſa ſunt, ut Conſilium ſubſcriptum aſſerat ſatius eſſe eos in Parochi domicilio, quam in Monaſterio conſiſtere.

Ad interrogationem decimam. Religioſum, cum Communitatis partem non amplius conſtituat, regulariter loquendo, ad Capitulum, cujus pars non eſt, minime vocandum eſſe; at ſi agatur de Superiore eligendo, cui ipſe quoque, licet ad Conventualem Menſam nequaquam ſpectet, ſubjici debet, ipſum in hac electione ſuffragii jure gaudere, atque ita ad hoc negotium quod pertinet, convocandum eſſe, juxta hanc regulam, quod nempe ad Communitatem ſpectat, de eorum conſenſu faciendum eſſe, qui eamdem conſtituunt; ejuſmodi tamen res a locorum uſu & conſuetudine valde pendere.

Deciſum Pariſiis die 13. Septembris 1677.

A. *de Lamet.*

Beneficia ſub eodem tecto.

CASUS VI.

1 *Eccleſiaſticus nequit abſque diſpenſatione poſſidere duo Beneficia ſub eodem tecto, cum ad ejus ſuſtentationem alterutrum ſufficit.*

2 *Qui ſine diſpenſatione poſſedit duo, tenetur alterum dimittere, & fructus omnes, quos inde percepit, reſtituere, niſi ea poſſederit bona fide, perſuaſum habens cordatorum virorum judicio id licere; quo in caſu id unum reſtituere deberet, unde evaſiſſet locupletior.*

QUÆSITUM.

Eccleſiaſticus in Eccleſia Cathedrali N.... Capellam cum Canonicatu poſſidet, quæ fere dicuntur duo Beneficia *ſub eodem tecto*.

Capellaniæ cenſus annuus, utcumque res ceſſerit, eſt quinquaginta librarum circiter, Canonicatus vero initio quidem proxime accedebat ad ſcuta centum, nunc autem aſcendit ad tercenta.

Cum Eccleſiaſticus, de quo agitur, Canonicus nominatus eſt, conſuluit probatos Viros, requireretur necne diſpenſatio ad Beneficia hæc duo retinenda; quorum alii requiri dixerunt, negarunt alii: quod in cauſa fuit, ut ne de ea obtinenda ſollicitus eſſet; itaque duo hæc Beneficia bona fide retinuit: ſed aliquot poſt menſibus cum de hac re verba faciendi occaſio ſeſe obtuliſſet, injecti ſunt ei ſcrupuli, quibus Romam ſcribere coactus eſt, ut intelligeret, an hac diſpenſatione opus eſſet, & quanti conſtare poſſet; & reſponſum fuit primo loco ſolius Componendæ gratia ſolvendas eſſe duas tertias partes omnium fructuum, quos Eccleſiaſticus ipſe ex poſteriore Beneficio percepit, ex Canonicatu ſcilicet, & ſecundo loco obtinendam eſſe diſpenſationem, ne ipſe ad integram eorumdem fructuum reſtitutionem obligaretur.

Quod quidem eum maxime ſollicitum habet, & cogit ad Dominos Doctores accedere, ut ex iis quærat, I. an hæc Beneficia ſine diſpenſatione tenere potuerit? II. poſito non potuiſſe, teneaturne reſtituere, & quinam?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, viſo, quod modo eſt expoſitum, ad quæſtionem primam putat Eccleſiaſticum duobus Beneficiis *ſub eodem tecto* abſque diſpenſatione frui non potuiſſe; unicam difficultatem, qua id ſuſpendi poſſet, fore in eo poſitam, utrum hæc diſpenſatio a Pontifice petenda eſſet, an vero Epiſcopum adiri ſufficeret; ſed in præſentia non agitari hanc controverſiam: præterquamquod Auctores, qui cenſent Epiſcopum hujus diſpenſationis concedendæ facultate pollere, unanimi ſententia ſtatuunt id tum ſolum ita eſſe, cum Beneficium alterum ad Beneficiarii ſuſtentationem non ſufficit, quod in hac facti ſpecie locum non habet, quoniam Præbenda 300. ſcutorum eſt; habita loci ratione, hanc ſummam ad honeſtam Eccleſiaſtici hominis ſuſtentationem ſatis, ſuperque eſſe; eamque omnium ſententiam eſſe, etiamſi poſterius Beneficium ſatis non eſſet, prius retineri ſine diſpenſatione non poſſe; itaque per tranquillam Præbendæ poſſeſſionem, & fruitionem Capellania vacavit, quia duo Beneficia ſunt *incomparabilia ſub eodem tecto* juxta omnium Canoniſtarum ſen-

tentiam, quæ nobis etiam evidenter ſignificatur in Cardinalium Declaratione, quæ refertur ad quartum Caput de Reform. Seſſ. 7. Concilii Tridentini.

Nec deeſſe plures Auctores, qui ſecundum eamdem Synodum putent hoc in caſu duo Beneficia vacare; ſed ea tamen Synodus diſciplinam confirmat in Concilio Lateranenſi ſtatutam, quæ producitur Libro tertio Decretalium *cap. de multa de præbend. & dignitat.* videtur autem Lateranenſis Synodus eos tantum duobus Beneficiis privare voluiſſe, qui formiter moniti prius dimittere recuſarent, ut licet intelligi ex Gloſſa in hoc Caput, dum explicat verbum, *contenderit*, ubi expreſſe dicitur, *id eſt in jure contentioſo retinere voluerit. Si enim ante litem conteſtatam deſtiterit, non privabitur utroque*. Præterea ad intelligendum C. *de multa* id unum ſpectandum eſt, quod Innocentius III. conſtituit cap. *Litteras de conceſſ. præb.* ubi Bremenſis Præpoſitus duobus ſuis Beneficiis non ſpoliatur, ſed ſolum priore, quod in hac Eccleſia poſſidebat. Quapropter aſſeri poteſt Tridentinum Concilium, quod veterem tantum diſciplinam Canonis *multa* renovare voluit, eodem ſenſu accipiendum eſſe. Itaque Eccleſiaſticus noſter amiſit Capellaniam tantummodo, quæ eſt Beneficium prius, quod in Eccleſia N .... poſſidebat, ex quo fit conſequens eam quamprimum ab ipſo in Collatoris aut Patroni manu dimittendam eſſe, quia eam diſponere nequit, quippe qui jure exciderit.

II. Ad fructus omnes reſtituendos tenetur, quos poſt tranquillam Canonicatus poſſeſſionem percepit. Si tamen bona fides, quam prætendit, nixa fuiſſet idoneorum Virorum judicio, qui dubitationem omnem ex aliorum diſpenſationem neceſſariam eſſe aſſerentium ſententia eidem ingeſtam ex ipſius animo removiſſent; hoc in caſu teneretur id unum reddere, quo ditior evaſiſſet: cæterum hæc reſtitutio in favorem pauperum, aut Eccleſiæ loci, ubi Capellania exiſtit, facienda eſt.

Deciſum Pariſiis die 31. Maii 1678.
Auguſtinus *de Lamet*.

Opinio Advocati Nancejenſis in hac ipſa facti ſpecie.

Sorbonicorum Doctorum Opinio diei 31. Maii 1678. durior mihi eſſe videtur; re enim vera Beneficiorum incompatibilitas ſecundum *c. de multa* &c. *de præb.* ad ea tantum Beneficia refertur, quæ animarum curam, & reſidentiæ obligationem adjunctam habent; non autem ad Capellaniam ſimplicem, quæ nihil habet ejuſmodi, & quæ proinde cum quovis alio Beneficio ſtare poteſt; & cum dicitur *ſub eodem tecto*, ut incompatibilia reddantur, id de Beneficiis univocis, quæ idem ſervitium habent, eſt accipiendum; Garzias quidem videtur mihi laudare plures Auctores, qui cenſent hoc in caſu Epiſcopum diſpenſare poſſe, cum alii diſpenſationem neceſſariam eſſe inficientur. Ad Conſcientiam quod attinet, eſt prorſus inuſitatum contendere Beneficiario, unde vivat, habenti, quicquid ſupereſt, eſſe dimittendum; Caſuiſtarum eſt id decidere, verum in foro externo haud equidem judico ex hac incompatibilitate devolutum ullum oriri poſſe.

Nancæji die 10. Junii 1678.
Subſcriptus F. *Guinet*.

RESPONSIO.

Doctores in Theologia Facultatis Pariſienſis, qui ad quæſtiones ſupra propoſitas reſponderunt, haud durius locuti ſunt, quam ſuper Tridentina Synodo Congregatio Cardinalium, qui judicarunt Beneficia, quæ *diſformia* nuncupantur, quæque in eadem Eccleſia exiſtunt, incompatibilia eſſe, ſed ea tamen per Epiſcopi diſpenſationem poſſideri poſſe, ſi id rationi conſonum ſit, ut cum Beneficiorum duorum alterum ad Titularis ſuſtentationem non ſufficit; eſt id ſuper *cap.* 4. *de reform.* ſeſſ. 7. ad verbum *incompatibilia Beneficia. Congregatio Concilii cenſuit Epiſcopum ex cauſa poſſe diſpenſare, ut quis poſſit obtinere duo Beneficia difformia ſub eodem tecto, dummodo quodlibet per ſe non ſit ſufficiens ad ſuſtentationem proviſi*. Hinc liquet Doctores ſeverius hanc controverſiam non diremiſſe, quam Cardinales, qui hanc Declarationem ſequentes locuti ſunt in eumdem ſenſum, & ſecundum eadem principia; explicantes 17. caput *de reform. ſeſſ.* 24. ejuſdem Concilii. Ita enim loquuntur: *Capellania, cui adjunctum eſt onus deſerviendi in Choro, obtineri non poteſt cum Canonicatu per hoc Decretum, etiamſi haberet tantum onus celebrandi Miſſam; cum enim eſt ſub eodem tecto, opus eſt diſpenſatione*: Garcias hanc Declarationem affert, aliter, atque exiſtit in Synodo cum Declarationibus typis edita, videturque nitidior eſſe, prout ab ipſo producitur. En ejus verba: *Capellania, cui adjunctum eſt onus deſerviendi in Choro, obtineri non poteſt cum Canonicatu per hoc Decretum, non autem ſi haberet onus celebrandi Miſſam, niſi eſſent ſub eodem tecto, & tunc poteſt cum diſpenſatione*. Quod ad id recidit, quod Cardinales dixerunt ad c. 11. ſeſſ. 7. Hinc facile intellectu eſt, eorum Congregationem accepiſſe caput hoc non ſolum de Beneficiis animarum onus, & reſidentiam neceſſariam habentibus, ſed generatim de Beneficiis omnibus, cujuſcumque rationis extiterint, *ſub eodem tecto*. Non igitur ſatis apte Doctores in ſua deciſione ſeveriores fuiſſe dicuntur, præſertim cum Garcias, cujus auctoritate Advocatus nititur, allata hac Declaratione, ita concludat *num.* 244. *Unde cum ex ſententia S. Congregationis talia Beneficia ſint incompatibilia, conſequenter dicendum eſt primum ipſum vacare*. Quod ne latum quidem unguem a Doctorum conſultorum reſponſione diſtat. Azorrius *p.* 2. *l.* 3. *c.* 11. *q.* 18. communis juris eſſe docet duo Beneficia in eadem Eccleſia obtineri non poſſe. En ejus verba: *reſpondeo jure communi non poſſe, quoniam duo Beneficia ſive ſimilia ſive diſſimilia, in eadem Eccleſia, ſine Romani Pontificis auctoritate & indulgentia, haberi nequeunt cap. Litteras de conceſſ. præbend.*. His addi poteſt hanc doctrinam eam eſſe, quæ in Romana Curia obtinet, & Cardinalium Congregationem Romanæ praxi adhæſiſſe, quæ quidem vim legis habere debet, potius quam nonnullorum Auctorum opinio, quæ cum Congregatione ad Tridentinæ Synodi explicationem inſtituta non eſt comparanda; præterquamquod cum hæc conſuetudo communi jure nitatur, Doctores non putarunt eſſe dubitandum, nec vero peculiaria jura quærenda eſſe, quæ ſuper conſuetudine ſtatuta ſunt, nihil in expoſitione animadvertentes, unde ſuſpicio oriretur exiſtere conſuetudinem in Eccleſia T ....., quæ id tenendum ſuaderet, quod cum communi jure pugnaret. Ut diſciplina in conſuetudinem vim legis habentem abiiſſe cenſeatur, neceſſe eſt, I. ut hic uſus juri naturali aut divino minime adverſetur; II. ut conſtans ſit; aliter quippe peculiare jus inde ſtatui non poteſt; e converſo communi juri, & diſciplinæ ordinariæ ſtandum eſt.

cum diſpenſatione Epiſcopi vide Gloſ. unicum c. 1. de conſuet. in 6 ſine ulla diſpenſat. v. Solierus l. 3. tit. 15. pag. 297. Garcias 11. p. c. 5. n. 235. Rebuf. in concor. tit. §. 1. de mand. Apoſt. v. ita tamen ut, nota.

Quod ſpectat ad deciſionem alteram, in qua dicitur, ad reſtituendos Beneficii fructus, qui abſque titulo recepti ſunt, ſatis eſſe in gratiam Eccleſiæ, aut pauperum loci, ubi exi-

exiſtit Beneficium, id reddere, quod utilitati fuit, penſatis diſpendiis, quæ cum ob reparationes, tum ob munerum executionem facta ſunt, nihil difficultatis occurrit.

Interrogationi tertiæ eadem reſponſione, qua primæ, ſatisfit, cum utraque difficultas iiſdem regulis finienda ſit.

Pariſiis die 3. Auguſti 1678.
Aug. *de Lamet*.

Beneficium vi graduum fraudulenter impetratum.

CASUS VII.

1 *Eccleſiaſticus, qui alium impulit, ut ob ſuos gradus Beneficium requireret, eo animo, ut illud ſibi ipſi conferendum curaret, quippe qui eo indigeret, ut ſuis negotiis conſuleret, graviter deliquit.*

2 *Qui ob ſuos gradus illud obtinuit, licet non eos inſinuandos curaverit eo anno, quo Beneficium vacavit, eſt etiam graviſſimæ culpæ reus.*

3 *Si Graduatus, cui ademptum eſt hoc Beneficium, ſuos gradus inſinuandos curavit, & ſi alias iis omnibus dotibus, quas jus requirit, inſtructus fuit, prioris Proviſio nulla eſt, & Beneficium ac fructus reſtituere tenetur.*

QUÆSITUM.

Thomas & Petrus ſunt duo fratres, Thomas eſt Graduatus, & Petrus eſt Beneficiarius: vacat Parochiale Beneficium Graduatorum menſe. Petrus cogit ſuum fratrem Thomam inſinuationem ſupponere, cum minime inſinuaverit hoc anno, ſed præcedentibus; & quoniam anno, de quo agitur, ſedes vacabat, & plures aderant Vicarii generales occaſione conteſtationis inter duo Capitula, Petrus ſibi perſuaſit ſe ibi inventurum amicum aliquem, qui ſuo fratri *Viſa* concederet; & deinde eos a negotio avocaturum, qui jus ad Beneficium haberent: re ipſa cum Thomas ſe ſe ſtitiſſet, unus ex Vicariis generalibus ei Titulum expediit, & inſinuationis defectum licet ſibi perſpectum relinqui fecit. Aliquanto poſt Petrus, qui Beneficia poſſidebat, alia quidem ſimplicia, alia vero Parochialia, egit cum Thomæ ſui fratris fautoribus, qui ad Beneficium vacans jus habebant, iiſque, ut ſervarentur indemnes, non mediocria contulit Beneficia. Cur Petrus hoc Beneficium optaret, non ea cauſa fuit, ut pinguius obtineret, ſed ſolum ut ſe a vexatione liberaret, cui propter aliud, quod juſto titulo poſſidebat, obnoxius erat, quodque proinde aut conferre aut permutare cogebatur. Petrus id omne pluries confeſſus eſt, & nominatim Jubilæi tempore apud eum, quem præcipuam partem putabat, qui nempe ipſi ſuum jus omne conceſſerat. Quidquid ei hoc in capite præſcripſerunt Confeſſarii, religioſe perfecit; ſi quid tamen adhuc requiri poteſt, a Dominis Doctoribus inſtrui ſuppliciter petit ad ſatisfactionem animo comparatus. Totum id contigit viginti ab hinc annis & amplius.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, I. Petrum, qui Thomæ Graduato auctor fuit, ut Beneficium requireret, eo conſilio, ut a Thoma illud adepto ſibi reſignaretur, quo poſſet eo ſe abdicare, cujus gratia vexabatur, egiſse contra mentem Eccleſiæ nolentis alio animo, quam ut ei ſervitium præſtetur, Beneficium acceptari; atque ita hos duos fratres quoad caput hoc graviter deliquiſse. II. ratio, qua Thomas ſe geſſit Beneficium petens ob ſuos gradus, quos eo anno inſinuandos non curaverat, eſt maxime vituperanda; quoniam e regula eſt, ut gradus inſinuentur Quadrageſimali tempore ejus anni, quo Beneficium requiritur; ac ſi Beneficium ipſi collatum fuit *tanquam graduato, nominato, inſinuato, & debite qualificato*, hæc Proviſio regularis & legitima non fuit, utpote eo ipſo anno non inſinuata, quoquidem anno qui Præbendam conteſtabatur, æque Graduatus ſuos Gradus inſinuandos curaverat; ſi enim conteſtans Graduatus non fuiſſet, & ſibi hoc Beneficium alio titulo vindicaret, Thomas ſatis firmo fundamento niteretur, ſi alii Graduati tempus prætergredi paſſi eſſent, quo petendum eſt: ſed facta hypotheſi eum, qui contendebat, Graduatum fuiſse, & alias requiſitas dotes habuiſse, Thomæ proviſio nulla fuit, quoniam fraude ac dolo facta fuit, fraus porro & dolus, ſi in Proviſionibus occurrant, eas nullas reddunt, ut animadvertit Rebuffus Titulo *de cauſis reſignationem irritantibus & primo de dolo*; & præſertim *num.* 5. ubi hæc habet: *Ad hæc jus canonicum abhorret præcipue vitioſum ingreſſum c.* 1. *& per totum de eo qui mittitur in poſſeſſionem in ſexto, ſed non poteſt eſſe deterior ingreſſus, quam doloſus, ideo recipi non debet. Nam Juriſconſultus ait in lib.* 1. *ff. de doli exceptione, quod ideo hanc doli exceptionem propoſuit, ne cui dolus ſuus per occaſionem juris civilis contra naturalem æquitatem proſit.* Quare Petrus negotio cum ſuis fautoribus compoſito, Proviſionibus per Thomæ reſignationem impetratis ſtare non debuit, licet ipſos indemnes ſervaverit, & de re tota certiores fecerit, quia prioris Proviſionis hic titulus nullus fuit; ſed jure a ſuis fautoribus in ſe tranſlato novam proviſionem obtinere neceſſe habuit, & ſi forte id nondum fecerit, quamprimum faciat neceſſe eſt; cum porro bona fide poſſederit, ad reſtitutionem obligatus non creditur; at ſi jure a ſuis fautoribus conceſſo nixus ſine novo titulo in poſſeſſione perſiſteret, fructus, quos perciperet, reſtituere teneretur.

Deciſum Pariſiis die 11. Februarii an. 1680.
Auguſtinus *de Lamet*.

Beneficium, quod quis Seminario unire in animo habet.

CASUS VIII.

Qui Beneficium reſignat eo animo, ut Seminario illud uniat, poteſt permittente Pontifice integrum ejus proventum toto vitæ ſuæ tempore percipere, & a Familia Congregationis, quæ Seminarium hoc adminiſtrat, ſibi cautionem quærere.

QUÆSITUM.

Petrus Beneficium, quod poſſidet ſeptingentarum librarum reditu expletis officiis omnibus, Seminario unire vult, ipſis ſeptingentis libris ſibi penſionis titulo reſervatis; & ne penſio hæc deficere poſſit, exigit, ut præcipua Familia Congregationis, quæ huic Seminario præeſt, ſeptingentorum librarum ſolutionem ſecuram reddat.

Orantur Domini Sorbonæ Doctores, ut velint edicere, an tuta conſcientia cautio hæc præſtari poſſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod hanc expoſitionem vidit, exiſtimat, regulariter loquendo penſionem eſſe debere *ex fructibus beneficii*, non autem ex alia Eccleſia aut Beneficio, quam quod reſignatum eſt, peten-

petendam eſse: Nihilominus cum hic agatur de Beneficio Communitati Eccleſiaſticæ uniendo, id quod hujus Beneficii bonum cum Communitatis bono confundet; poteſt ex hac Communitate peti penſio, donec, ut vere loquamur, hujus Beneficii titulus aboleatur, ipſamque Beneficii naturam amittat. Ita bonis his ad Communitatis bonorum maſsam accedentibus, penſio ex bonis ad eam pertinentibus creari poteſt.

Si tamen unio, de qua agitur, non ad Communitatem aut Congregationem refertur, ſed ſolum ad peculiarem hujus Congregationis Familiam, cujus bona ab aliarum Familiarum bonis differunt, major difficultas occurrit. Quia tamen Congregationis Familiæ magna fere cognatione, & bonorum Communione junguntur; par eſse creditur Familiam unam pro alia fidejubere, ſi qui Beneficium ſuum reſignat unionis animo, vereretur, ne ſine cautione, quam proponit, penſio ſatis eſset in tuto poſita. Ita ſibi perſuadet Pyrrhus Corradus *Praxis Beneficiariæ lib. 5. cap. 2. num.* 14. contendens, ſi ad penſionis reſervatæ inſtitutionem non ſufficiat Beneficium unum, poſſe etiam illam alterius ſubſtitutione firmari. Sed conventiones hæ non cenſentur fore canonicæ, niſi Sanctæ Sedis auctoritate nitantur, nihilque ejuſmodi ſuſcipiendum, cujus omne vitium, quod ſecundum Eccleſiæ Leges exiſteret, a Pontifice expurgatum non fuerit.

Deciſum Pariſiis die 23.
Aprilis an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Super præcedente Reſponſo.

Tradita reſolutio difficultatem aliquam pati videtur.

I. Nulla fiet confuſio proventuum hujus Beneficii cum bonis aliis Communitatis, cui unietur; non apparet etiam, quamobrem propter unionem factam Beneficii titulus non amplius exiſtat; Communitas unionis gratia Titularis erit, & officio fungi, atque obligationes Beneficio coævas ſolvere tenebitur; Beneficium abibit in ſervitium, retinebit tamen ſemper naturam ſuam, ſemperque aliquam bonorum Eccleſiæ partem percipiendi jus aderit, ſpiritalis officii ratione.

II. Familiæ, cui Beneficium hoc uniri contenditur, bona non ſunt alii Familiæ, quæ ad certam reddendam penſionis ſolutionem requiritur, communia.

III. Facta hypotheſi Sanctam Sedem in ſervandorum ſuorum Canonum obligatione diſpenſare poſse; diſpenſatio hæc erit ſaltem illicita, niſi ex cauſa juſta ſit, & qui eam obtinuerint, eadem uti tuta conſcientia non poterunt; quæ porro juſta cauſa eſse poteſt, quamobrem hic Beneficiarius cautionem hanc exigat, & Beneficii reditibus, aliiſque bonis Familiæ, cui facienda eſt unio, contentus non ſit? Nulla fortaſse legitima cauſa eſt, cur penſio Beneficii proventibus æqualis contra Canones exigetur.

IV. Ejus penſio erit longe tutior, quam Beneficii proventus; præterea eſt valde probabile Beneficii proventum ſeptingentarum librarum non eſse; fere enim multum de ſumma, quam Beneficii ſui proventui reſpondere Reſignans dictitat, detrahendum eſt; ſed eſto proventus hic ſeptingentarum librarum eſset, ad eum percipiendum pluribus opus ſudoribus, curis, impenſis; res eſt cum Villicis, qui ſæpe permale ſolvunt; iis eſt remittenda pars, ut alia obtineatur; contingunt adverſæ tempeſtates, quibus non parum diminutionis faciendum eſt; augentur Decimæ, atque alia jura; ad hæc Reſignans liberatur omnibus obligationibus beneficio adnexis &c. Ac certum eſt ſexcentarum, atque adeo ſeptingentarum librarum penſionem ſatis tutam eſse potiorem, atque hujus Beneficii proventui anteponendam. Ex quibus omnibus conſequens fit Beneficiarium ex Beneficii ſui dimiſſione temporale commodum percepturum, & lucraturum eſse, quod Simonia eſset contra divinum & naturale jus, in quo Sancta Sedes diſpenſare omnino non poteſt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod difficultates modo propoſitas vidit ſuper reſponſo facto die 23. Aprilis hujus anni, ut ad eaſdem difficultates ſolvendas accedat, animadvertendum exiſtimat Canoniſtas paſſim docere per extinctionem tituli Beneficii uniti unionem fieri. Garcias loquitur in hæc verba *de Beneficiis part.* 12. *cap.* 2. *num.* 12. *unio unius Beneficii facta alteri acceſſorie operatur extinctionem & ſuppreſſionem nominis & tituli Beneficii uniti, ita ut amplius Beneficium dici non poſſit, ſed judicatur ut prædium ejus, cui fit unio*. Ei prævit Rebuffus in ſua Praxi beneficiali Titulo *de forma novæ proviſionis, Verbo, cum annexis: Beneficium unitum perdit nomen Beneficii, nec debet dici Beneficium ſicut ante unionem, ut docent Do. de Rota deciſ.* 371. *in Antiq. refert & ſequitur Joann. Baptiſt. in tract. de union. art.* 80. *quæſt.* 11. *& ſequenti*. Fevretus Tractatu de abuſu *part.* 1. *cap.* 4. hanc uniti Beneficii extinctionem approbat, licet Garciæ opinioni, quam Doctorum plerique ſecuntur, non omnino ſubſcribat. Pyrrus Corradus in ſua Praxi Beneficiaria in eamdem ſententiam deſcendit *l.* 2. *cap.* 8. *num.* 7. & *l.* 1. *cap.* 6. *num.* 362. Ita enim ſe explicat libro primo, occaſione proviſionis Beneficii: *cum ageretur de Beneficio unito .... Collatio fuit nulla ipſo jure; nam cum per dictam unionem titulus Beneficii eſſet extinctus, non poterat conferri*. Tamen in comperto eſt uniones non deeſſe, quæ ſine tituli extinctione fiant, atque has quidem uſitatiores non eſſe. Conſilium ſubſcriptum pro certo poſuit rem, ut aſſolet, caſuram eſse; præterquamquod inutile judicatur quoad rem, quæ in manibus eſt, hoc peculiare caput accuratius expendendum ſuſcipi, quia conſuetudine conſtans eſt Beneficii, quod poſſidetur, unioni cum penſionis reſervatione aſſenſum præberi poſſe, perinde ac propter reſignationem, quæ privatæ perſonæ fieret, hujus Beneficii, licet juri repugnet Beneficium cum penſione reſignari ſecundum regulam, Beneficia tribuenda eſſe *ſine diminutione*: verum interpoſita Sanctæ Sedis auctoritate, quicquid vitii poſſet exiſtere, expurgari, ut etiam fructus, qui reſervantur; quod pariter confirmatum cernitur Bullis, quæ Religioſis Ordinibus conceſſæ ſunt, ut de Inſtituti ſui Beneficiis agerent, fructus omnes eorumdem Beneficiorum poſseſsoribus impertientes; ſed quoniam juxta Canoniſtarum regulam hæ Pontificis permiſſiones a peccato non tuentur eos, qui ejuſmodi gratiis ſine legitimis & ſufficientibus cauſis utuntur: is, de quo agitur, in tuto poſitus creditur, quippe qui ad congruam ſuſtentationem Beneficii ſui fructibus indigere ſupponitur; atque ita a Pontifice peti poſset, ut ipſi reſervaret ſeptingentarum librarum ſummam, ſiquidem ei ad ſubſiſtendum ſit neceſsaria, dummodo Beneficii ſui dimiſſionem non quærat ob privatum commodum, ſed ob utilitatem, quæ ex Seminarii inſtitutione in Eccleſiam redundabit, aliter ſuum Beneficium non dimiſsurus; hæc autem penſio ipſi erit *per modum Beneficii*, & ut a jactura, quam faceret, ſi eam non haberet, indemnis ſervetur. Hæ porro penſiones extraordinariæ abſolute prohibitæ dici nequeunt; quoniam niſi juſta eſse poſset earumdem cauſa, penitus exularent a Ro-

mana

mana Curia, quæ ſemper pro certo habet his penſionibus locum eſſe, quas probat, & creat.

2. Non creditur Beneficiarius hanc penſionem poſſe percipere, ſi aliunde ſatis haberet, unde honeſte viveret, neque ei licere hanc regulæ diſpenſationem petere, qua uti non poſſet, niſi illud tanquam certum poneretur penſiones aliquando permiſſas eſſe, cum indubitatum ſit ab Eccleſia avaritiam & bonorum ſuorum abuſum foveri non poſſe, quoniam ea non agit niſi *in ædificationem*, & non *in deſtructionem*.

3. Conſilium ſuſpicari non potuit Beneficii proventum ſeptingentarum librarum ſummæ parem non eſſe; ſemper enim qui conſilium petunt, id ingenue facere cenſendi ſunt, nec commentitia facta ſupponere, ex quibus nihil aliud quam ipſorum perditio conſequeretur.

4. Reſponſum ſuper cautione datum nititur 1. Suppoſitione, Beneficiario non aliunde ſuppetere, unde ſatis ſecurus omnino reddatur. 2. praxi & uſu Romanæ Curiæ in quibuſdam caſibus, poſita aliquando penſione ſuper pluribus Beneficiis, atque ſuper Beneficio tertii, ut ex eo licet intelligi, quod tradit Pyrrus Corradus in Praxi Beneficiaria *l. 5. cap. 2. n.* 14. cujus auctoritas in priori reſponſo adducta eſt, en ejus verba: *ſi Beneficium, quod reſignatur, incapax erit penſionis, vel non totam capiat, reſervari conſuevit penſio, vel ſaltem una pars ſuper Beneficio reſignato, & altera ſuper altero Beneficio; & aliquando ſuper Beneficio tertii, ut alias diximus; licet quandoque non admittatur propter fraudes, quæ deſuper committi poſſunt.* Ita ut, ſi penſio ex Beneficii fructibus ſatis tuta reddatur, Beneficiarius eam aliunde conquirere debere non cenſeatur; nec poteſt penſio hæc Beneficii proventum excedere, ita ut exceſſus hic ad juris naturalis ſimoniam tenderet, in qua diſpenſari non poteſt. Cæterum hæ pactiones, & conventiones ſola Pontificis conceſſione, & gratia ad exitum perduci poſſunt.

Deciſum Pariſiis die 5. Maii an. 1680.
A. *de Lamet*.

CASUS IX.

Beneficium Parochiale reſignatum cum functionum reſervatione.

QUÆSITUM.

PResbyter, cui facta eſt reſignatio Parœciæ, cujus poſſeſſionem adivit, tuta conſcientia pati non poteſt ſuum Reſignantem, perinde ac ſi adhuc Parochus eſſet, functiones obire, ne Fidelibus ſibi concreditis, & Epiſcopo reſignatio innoteſcat. Orantur Domini Doctores, ut dicant, de ſequentibus quæſtionibus quid ſentiant.

Prima eſt, an Parochus reſignata ſua cura alteri, qui ejus poſſeſſionem iniit, ſemper adhuc abſque culpa Parochi perſonam gerere, & ſpeciem præſeferre tum quoad Fideles ſuos, tum quoad Epiſcopum, Reſignatario id pariter aſſentiente, poſſit?

II. An Reſignatarius actualem in hac Parochia reſidentiam ſervans ſe pati poſſit pro Vicario tantum haberi, & talem videri in Sacramentorum adminiſtratione, in Synodis, aliiſque Congregationibus, & actionibus publicis, atque an poſſit hoc nomine Baptiſmata, Matrimonia, Funera, & generatim omnia alia Acta ſubſcribere, quin ſuo Parochi titulo deroget?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Parochum, qui Beneficium Parochiale per reſignationem obtinuit, ejuſque poſſeſſionem iniit, veri nominis Titularem, & veri nominis Paſtorem eſſe; eumque proinde in conſcientia teneri ejus functiones obire, & talem apparere tam Epiſcopi, quam Fidelium ſuorum ratione; neque eos de titulo, quem poſſidet, celare debere, quoniam Epiſcopus jure gaudet eum cognoſcendi, qui ſibi ſubjectus eſt, & Fideles etiam Paſtorem ſuum cognoſcere debent; propterea diſſimulatio, quæ fieret tum ex parte Reſignantis, tum ex parte Reſignatarii, firmo fundamento niti non poſſet, nec culpa vacaret. Præterea hæc agendi ratio, ſi forte detegeretur, ſcandalum afferret, atque anſam præberet credendi præpoſteram aliquam conventionem inter hos duos Presbyteros initam eſſe, & reſignationem ea conditione factam eſſe, ut Reſignatario titulus reſervaretur defuncto Reſignante, qui interea Beneficio potiretur non obſtante Reſignatarii proviſione, & poſſeſſionis titulo: ex quo locus eſſe poſſet devoluto, quod non careret eventu, ſi hæc omnis agendi ratio diſtinctim cognoſceretur.

Atque hac quidem reſponſione ſatis eſt factum quæſtioni alteri, cum ex poſitis principiis liquido appareat, Reſignatarium aſſentiri non poſſe ſuum Reſignantem Parochum exiſtimari.

Deciſum Pariſiis die Pentecoſtes ann. 1680.
A. *de Lamet*.

Beneficium, quod uniri non poteſt.

CASUS X.

1 *Beneficium, quod ab origine Conventuale eſt, & in quo Conventualitas renovari poteſt, Seminario uniri non poteſt.*

2 *Prior Commendatarius, qui Conventualitatis monumenta & ſigna ex eo ſuſtulit, in conſcientia tenetur ea reſtituere.*

3 *Religioſi, a quibus hoc Beneficium pendet, pati non debent illud uniri ſeminario, ſi idem in priſtinum ſtatum reſtitui poſſe clare perſpiciant.*

4 *In hanc unionem conſentire poſſunt, ſi ejus reſtituendi nulla ſatis gravis cauſa ſubſit; & tunc ad Pontificem confugiendum eſt, ut unio firmior exiſtat.*

QUÆSITUM.

PRioratus Conventualis Ordinis Sancti Benedicti a privata perſona in Commendam poſſidetur; Prioratus actu quidem Conventualis non eſt, cum Religioſos non amplius habeat; ſed eſt tamen ab origine, & ut dicitur, *habitu* Conventualis; Prior nihilominus omnia ab eo ſuſtulit Conventualitatis ſigna, & tanquam Prioratum ſimplicem reſignavit, ut Seminario uniretur.

Epiſcopus Diœceſanus & Abbas Prioratus collator in unionem conſentiunt; Religioſi vero Abbatiæ, a qua pendent, aſſentiri vix poſſunt ob cauſas plures, & ob id imprimis, quod Tridentina Synodus loquens de Beneficiorum unionibus ad Seminaria, Beneficia tantum ſimplicia recenſet: *Beneficia aliqua ſimplicia*. Hoc porro eſt ab origine Conventuale, nec ejuſmodi eſſe deſtitit niſi Prioris culpa, illud Seminario unire volentis. Religioſi ſe poſſe non putant hujus Conventualitatis extinctioni aſſentiri contra Fundatorum mentem, & Tridentinæ Synodi diſpoſitionem. Quocirca ii Dominos Sorbonæ Doctores orant, ut ſuam ipſis ſententiam & neceſſariam hac in re explanationem exhibeant, decidentes, an ipſi, quin ſuam conſcientiam inquinent, unioni propoſitæ poſſint candide & ſimpliciter aſſentiri.

RES-

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ſuper expoſitione ſentit hunc Prioratum Conventualem juxta Tridentinam Synodum Seminario uniri non poſſe; Synodus quippe uniones has quoad ſimplicia tantum Beneficia permittit; illud porro, de quo agitur, ſpectari non debet tanquam ſimplex, cum ſit *habitu Conventuale*, & Commenda nihil omnino Beneficii rationem mutaverit; ſed e converſo ad ſuum priſtinum ſtatum redire debeat, ſi Commenda ceſſarit. Præterea ſi verum ſit, quod in expoſitione dicitur, Commendatarium ædificia & monumenta Conventualitatis de medio funditus ſuſtuliſſe, ac ſi ejus reſtituendæ facultas concedatur, tenetur in conſcientia eadem redintegrare, quoniam per hanc deſtructionem huic Beneficio maximum attulit detrimentum, ſuumque errorem alia ratione purgare non poteſt; ac propterea non potuit illud tanquam ſimplex reſignare, neque unio hoc prætextu facta valida eſt, quippe quæ falſa hac tantum ſuppoſitione nitatur, hoc Beneficium ſimplex fuiſſe. Itaque ab ea tanquam ab abuſu appellari poteſt. Illud etiam inde conficitur, ſi Religioſi, a quibus hoc Beneficium pendet, poſſint in eo inſtaurare Conventualitatem ea ratione, quæ aſſertur in Declaratione Regis diei 6. *Maii an.* 1680. in Magnum Conſilium relata die 21. Junii ejuſdem anni: ipſos teneri nihil non agere, ut illud in ſuo ipſorum Ordine retineant, modo velint ex animo Conventualitatem ibi reſtituere juxta Sancti Benedicti Regulam, & Fundatorum voluntatem, qui illud ea mente inſtituerunt, ut ibidem ſecundum hujus magni Patriarchæ conſilium cultus Deo præſtaretur.

At ſi Conventualitas reſtitui nequeat, & Religioſi judicent utilius Eccleſiæ fore, ſi illud Seminario uniatur, poſſunt in id conſentire, quia Concilium, quod uniones has inſtituendi veniam concedit, pro certo ponit eas utpote ob majus bonum, & majorem Eccleſiæ utilitatem factas Fundatorum intentioni minime repugnare, qui ſibi nihil aliud, quam Dei gloriam propoſuerunt. Porro illud in controverſiam vocari poſſet, liceretne unionem hanc ab Epiſcopo inſtitui, propter regulam Romanæ Curiæ allatam a Barboſa ad 23. ſeſſ. Tridentinæ Synodi cap. 18. n. 39. in hæc verba: *Beneficia regularia ſive dentur in titulum, ſive in commendam, non poſſunt Seminario uniri; ſecus vero ſi ſtatum mutaverint. Sol. d. cap.* 10. *n.* 23. *ubi aſſerit reſolutum in caput* 26. *Julii* 1586.

Nititur Regula hæc principio apud Gallos noſtros Auctores recepto, Beneficia Beneficiis ejuſdem generis unienda eſſe, ſæcularia ſæcularibus, & Regularia Regularibus; hujus principii vi Romam eundum eſſet, præſertim quia de abolenda Conventualitate agitur, quæ vere ac re ipſa reſtitui poteſt, quæque adhuc ſubſiſtit *habitu*, quamvis non amplius *actu* ſubſiſtat.

Deciſum in Sorbona die 27. Octobris an. 1687.
Aug. *de Lamet*.

Beneficium, quod vi Reſcripti poſſidetur.

CASUS XI.

1 *Abbas, qui Abbatiæ ſuæ reditibus fruitur tantummodo vi Decreti Magni Conſilii, legitimum iis fruendi titulum non habet.*

2 *Bullas obtinere debet, aut Abbatiam Regi renunciare.*

QUÆSITUM.

Titius quadraginta ab hinc annis & amplius tenuem Abbatiam Mævio reſignavit ea conditione, ut ſibi 300. l. penſionem ſolveret. Regis aſſenſum obtinuit Mævius, & ſtatim eam reſignationem & Breviculum Romam miſit, Bullas obtinendi gratia, quas tamen obtinere non potuit, acerrime licet inſtaret, Romanæ Curiæ Miniſtris ingentes ſummas ob expeditionem contra Gallicanæ Eccleſiæ privilegia poſtulantibus. Recuſationem hanc fovit Titius, qui Romæ degebat, & quantum in ipſo fuit, ſuæ reſignationis effectum impediit. Mævius a Magno Conſilio proviſionem obtinuit, & ad Expeditionarii atteſtationem Reſcriptum impetravit, quo ipſi permittebatur, ut poſſeſſionem adiret ad ſua jura ſervanda, ea lege, ut Bullas identidem flagitare non deſiſteret; offerret propterea 40. nummos aureos Papæ Miniſtris, & poſtquam Bullas recepiſſet, novam poſſeſſionem iniret. Poſt hoc Reſcriptum Mævius pluries Expeditionariis impoſuit, ut rurſus ejuſmodi Bullas obtinere conarentur, offerrentque cuidam Miniſtro 40. ſcuta aurea in Decreto poſita, atque etiam amplius, quandoquidem ipſas centum & mille libras exhibuit; ſed hi Miniſtri a poſtulandis majoribus ſummis non deſtiterunt vel a Titii morte, quæ contigit an. 1665. ſummas eas inde requirentes, quod cum Prioratus duo Parochiales Abbatiæ additi eſſent, per hanc plura in anteceſſum annua deberentur; at Mævius exhibens annua poſt reſignationem ſibi factam debita, renuit ea ſolvere, quæ a ſuis Anteceſſoribus debebantur, quia ea ad librarum tria millia proxime accedebant, & quia id tuta conſcientia ſe præſtare non poſſe credidit. Tenuit Abbatiam Mævius ab an. 1655. ex qua librarum tria circiter millia percepit. Ad Parochias, quarum vacatio contigit, nominavit. In præſentia orat Sorbonæ Dominos, ut indigitent, quid ad Bullarum, quas obtinere non potuit, defectum purgandum ſibi facto opus ſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum negat Abbatiæ, de qua quæritur, reditus Reſcripti vi percipi poſſe; ſola quippe inſtitutio Eccleſiaſtica Beneficii fructus percipiendi, ejuſque poſſeſſionem ineundi facultatem conferre poteſt; & quidem merito; ut enim Beneficia ad Eccleſiam pertinent, ita neceſſe eſt ab Eccleſia tribui jus ea poſſidendi, iiſque fruendi.

Sane in Beneficio duo continentur, titulus, qui ſpiritalis eſt, & fructus, qui tanquam aliquid temporale ſpectari poſſunt; unum principale eſt, & alterum acceſſorium; hoc poſterius ſine Eccleſiæ auctoritate a priore ſejungi nequit: *Beneficia ſine diminutione conferantur*; ita ut id, quod in Beneficio temporale eſt, vendi, aut emi non poſſet, tituli tribuendi, aut acquirendi animo, quin ipſe titulus vendi, aut emi cenſeretur; quod citra ſimoniam eſſe non poſſet; licet fructus ipſi per ſe temporales ſint, quia tamen titulo, qui eſt ſpiritalis, annexi ſunt, quodammodo ſpiritalitatem participant. Quamobrem huc refertur Papæ Paſchalis regula relata cap. *ſi quis abjecerit*, 1. q. 3. *quiſquis horum alterum vendit, ſine quo alterum non provenit, neutrum invenditum relinquit*. Ex arcto vinculo, quo temporale Beneficii cum titulo conſociatur, facile apparet poſſidendorum fructuum jus haberi non poſſe, quin titulus, qui ſitus eſt in Superioris Eccleſiaſtici proviſionibus, habeatur. Quod ſi ſæculares Judices in Galliis de Beneficiorum poſſeſſorio judicant, non id præſtant, ut titulum conferant, ſed ut con-

teſtationes, quæ poſſeſſorii occaſione poſſent occurrere, moderentur.

Hinc illud conſequitur, Mævium ſupplicationibus & commendationibus tam apud Cardinales quam apud Pontificem de obtinendis Bullis ſollicitum eſſe oportere; ſed facta hypotheſi, tum quoad Bullarum conſecutionem, tum quoad taxationum, quæ ab ipſo exiguntur, remiſſionem ejus conatus irritos fore, debet Abbatiam ſuam in Regis manu dimittere, aut quas Romana Curia requirit, ſummas ſolvere. Cum porro Mævio nullus legitimus titulus præſto fuerit, cur hujus Abbatiæ fructibus frueretur, ſi nolit id, quod percepit, reſtituere, debet ad Romanam Sedem confugere, ut ob cauſas, quas allegabit, a reſtitutione liberetur; tum vero Bullas ſumet, aut ſe Abbatia abdicabit.

Deciſum hac die 10. Julii 1698.

G. *Fromageau.*

Beneficium ſimoniace inſtitutum.

CASUS XII.

1 *Non licet Beneficium ſimplex inſtitui, eo animo, ut qui illud obtinuerit, idem cum Canonicatu permutet.*

2 *Permutationes contra Eccleſiæ mentem ſunt, niſi propter ejus utilitatem, & ob majus bonum fiant.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Pater in ſui filii favorem Beneficium ſimplex inſtituere poſſit, ea mente, ut cum Canonico, qui eidem ſuum Canonicatum tribuet, hoc Beneficium ipſe permutet? Creditur id licere, quia per Beneficii ſimplicis inſtitutionem Divinus cultus augebitur. Nihilominus ne quid ſcrupuli ſuperſit, orantur Sorbonæ Domini, ut dicant, hac de re quid ſentiant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, id ea ratione, quæ in Schedula propoſita eſt, citra ſimoniam, & quin violentur Eccleſiæ Regulæ, fieri non poſſe.

I. In eo occurrit Simonia, quod inter hunc futurum Capellanum, & Canonicum jam tractatus intercedit, & convenit, ut permutandi Canonicatus gratia, prioris Pater Capellaniam, quæ Canonico conferetur, inſtituat. Jam vero cum de Beneficiis agitur, quælibet conventio eſt Simoniaca: *omnis pactio circa ſpiritualia aut connexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ*, inquit Urbanus Papa III. *cap. Quæſitum de Re permut.* Præterea Capellania in eum tantum finem fundatur, ut qui eam inierit, ad recipiendum Canonicatum eadem utatur. Quamobrem re vera Fundator Eccleſiæ pecuniam tribuit, ut ejus filius per hoc temporale bonum Capellaniam, & ex conſequenti Canonicatum acquirat, quæ duo ſpiritalia ſunt. Id omne Simoniacum eſt, damnatumque ab Innocentio III. in Capite *Tua nos de Simon.* ubi eum arguit, qui Eccleſiæ munus exhibet, *ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci*. Nec dicere juvat Beneficii fundatione Divinum cultum augeri, quia Deus pravis rationibus honorandus non eſt: *non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona*.

II. Aliud etiam in hoc negotio vitium exiſtit, in eo poſitum, quod Cappellanus hanc, de qua ſermo eſt, Capellaniam ſuſcipiet, ut eam cum Canonicatu permutet; neque enim Beneficium ſuſcipi licet abſque illius retinendi conſilio. Univerſim permutationes Canonibus adverſantur, & tum ſolummodo tolerantur, cum fiunt ob Eccleſiæ majus emolumentum.

Deciſum hac die 7. Januarii an. 1700.

G. *Fromageau.*

Beneficia Incompatibilia.

CASUS XIII.

1 *Sacriſtæ Munus erectum in titulum in Eccleſia Collegiali cum reſidentiæ obligatione eſt incompatibile cum animarum cura ad Eccleſiam aliam ſpectante.*

2 *Hujus Sacriſtiæ Patronus debet Titularem ad optandum adigere, aut alium ad hoc officium nominare.*

QUÆSITUM.

EREcta eſt in quadam Eccleſia Capellania in Sacriſtæ gratiam, cui quidem ipſe per ſe tenetur deſervire, & ter per hebdomadam ſacrum facere. Tenetur etiam, prout Sacriſtæ perſonam gerit, ipſe per ſe functiones huic officio annexas obire, ornamentorum curam gerere, Canonicis eadem parare, æra campana pulſare, Eccleſiæ nitori ſtudere, &c.

His obligationibus ipſe ſe ſubdit in ſuæ receptionis actu, ac ſi quis Sacriſta ab iis aliquando liber extitit, id conſentiente, atque adeo expreſſe permittente Capitulo factum eſt.

Qui porro in præſentia hoc munere fungitur, non mediocrem in Urbe curam poſſidet, Eccleſia vero, cujus ipſe Sacriſta eſt, in Suburbio exiſtit. Super hac re quæritur:

I. An hæc duo Beneficia ſimul conſtare poſſint? Parochus, qui hanc Sacriſtiam obtinet, eorum incompatibilitatem adeo perſpectam habuit, ut ejus ſervandæ gratia Romam confugerit, Pontifici exponens Parochiæ proventum ad ipſius ſuſtentationem ſatis non eſſe, propterea quod in hac Parochia duo Parochi exiſterent; ſed cum duorum titulorum unio facta fuerit, hic prætextus non amplius ſubſiſtit; ac nunc quidem temporis ſatis magno proventu gaudet.

II. Quæritur, an qui Sacriſtæ Capellaniam Devoluti titulo petiit, male ſe geſſerit?

III. An Patronus poſſit nihil innovare, nec teneatur Sacriſtam ad optandum adigere, aut ad id muneris alium nominare, aut Devolutario patrocinari?

IV. An Canonici ſuper reſidentia cum Sacriſta diſpenſare potuerint, nec requirere teneantur, ut ipſe eas omnes Miſſas, quas debet, in ipſorum Eccleſia celebret?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet huic Sacriſtæ minime licere Capellaniam ſuam retinere cum Parochia, de qua in expoſitione dictum eſt. Conſtat enim ex inſtitutione Capellanum hunc ad tres Miſſas ſingulis hebdomadis in Collegiali Eccleſia celebrandas, & Sacriſtæ functiones ibidem obeundas obligari. *Fundavit unam Cappellaniam de tribus Miſſis in Eccleſia Collegiata qualibet hebdomada perpetuo celebrandis. Qui quidem Capellani & eorum ſinguli hujuſmodi Capellaniam obtinentes tenebuntur in officio Sacriſtæ in dicta Eccleſia Collegiata deſervire.* In alio fundationis loco dicitur Presbyter, cui nomen Rodulpho *le Corin*, dotem auxiſſe, annua Miſſarum quindecim celebratione Titulari, ejuſque Succeſſoribus impoſita. *Poſtmodum Rodulphus le Corin quondam Presbyter dedit & legavit Guillelmo Ferrand Presbytero antedicto Sacriſtæ Sacriſtiæ dictæ Eccleſiæ & ejus Succeſſoribus in dicta Sacriſtia pro celebrando ab ipſo Sacriſta quolibet anno quindecim Miſſas in dicta Eccleſia.*

Illud hac in re animadverti poteſt hunc Presbyterum, quæ Fundatoris mens fuerit, probe noviſſe, dum miſſas quindecim, quas fundabat, per Capellanum ipſum, & non per alium celebrandas inſtituit; ex quo conficitur, de tribus aliis Miſſis, quas Sacriſta ipſe ejuſdem fundationis vi celebrare tenetur, idem ſentiendum eſſe.

Verum Sacriſtam ad has Miſſas per ſe ipſum celebrandas in Eccleſia Collegiali obligari certius fit ex reſidentiæ ibidem ſervandæ obligatione, quæ ex Sacriſtæ titulo ducitur. Et ſane Sacriſtæ officium & functio eſt Eccleſiæ ſuæ ornamenta cuſtodire, eadem parare; atque ea omnia generatim perficere, quæ cum ipſius munere conjuncta ſunt, & recenſentur in Jure *l. 1. titulo 26. & 27. de Off. Sacriſtæ & Cuſtodis*; ex quo inferri poteſt, ab eo, cum in Sacriſtam electus eſt, requiſitum fuiſſe perſonale ſervitium, quod ipſi per alium præſtare non licet; cui quidem propemodum ſimile in veteri Teſtamento Levitarum miniſterium erat. Quamobrem a Templo minime diſſiti erant, & per vices ad Domini Domum accedebant, ut refertur *l.* 1. Paralipomenon *c.* 9. *veniebant ſabbatis ſuis de tempore ad tempus in oſtiis Domus Domini & in Tabernaculo vicibus ſuis*. Ipſorum erat Templum claudere & aperire; illi rerum omnium, quæ in eo erant, curam gerebant. Samuel & David eos inſtituentes de ipſorum, quos elegiſſent, fide atque aptitudine cogitabant: *hos conſtituerunt David & Samuel videns in fide ſua*. His Sacriſtæ in eo ſucceſſerunt, ut eorum omnium, quæ ad ipſorum ſpectant officium, curam gerere tenerentur.

Concilium Toloſanum an. 1590. celebratum, cujus meminit Buchellus in ſuo Libro de Decretis Eccleſiæ Gallicanæ *l.* 4. c. 112. ſtatuit, ut: *qui Sacriſtiæ præerit, is ætate gravis, Eccleſiaſticæque diſciplinæ peritus ſit*. Ex quibus verbis liquet, cum quis in Sacriſtam eligitur, expendendum eſſe, an vir induſtrius & capax ſit, quod argumento eſt ejus perſonalem curam requiri. Nihil enim referret eas dotes in eo requiri, niſi ipſe in ſuo officio reſidere teneretur. Uno verbo in actu, quo in Collegiali Eccleſia receptus eſt, ſe per ſe ipſum Sacriſtæ functiones obiturum promiſit.

Hoc poſito, reſpondetur:

Ad interrogationem primam, Capellaniam & Parœciam eſſe duo Beneficia incompatibilia, non ſolum quia munia, quæ cum Parœcia conjuncta ſunt, reſidentiam requirunt, atque adeo impedimento ſunt, quominus Sacriſta ipſe per ſe ſuæ Capellaniæ muneribus perfungatur; verum etiam quia Parœcia in præſens ejuſmodi eſt, ut congruæ Presbyteri ſuſtentationi par ſit; atque ita is, de quo ſermo eſt, ſuam Capellaniam retinere non amplius poteſt; plura quippe Beneficia poſſideret, quod prohibet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de Ref.* Ex quo ſequitur, diſpenſationem, quam Sacriſta impetravit, ei in præſentia inutilem eſſe.

Ad ſecundam, devolutum hoc ſatis firmo fundamento niti videtur.

Ad tertiam, ex iis omnibus, quæ dicta ſunt, neceſſaria conſecutione fit, Patronum curare debere, ut Sacriſta optet, ac ſi forte renuat, alium nominare, aut Eccleſiaſticum in officio, quod Devoluti titulo a Romana Curia obtinuit, confirmare.

Ad quartam, Canonicos non poſſe, niſi gravis ratio præſto ſit, in reſidentia cum Sacriſta diſpenſare, ſed oportere eos efficere, ut ille reſideat, & ipſe per ſe in ipſorum Eccleſia Miſſas in fundatione præſcriptas celebret.

Deciſum hac die 30. Aprilis an. 1700.

G. *Fromageau*.

Beneficii cum conditione præſentati dimiſſio.

CASUS XIV.

1 *Non poteſt abſque ſimonia Collatori præſentari Beneficii dimiſſio a moribundo facta, ea conditione, ut illud ei conferat, qui ipſi nominatur.*

2 *Quandonam Collatori liceat exigere, ut qui jam Beneficium poſſidet, illud dimittat, ut aliud ſuſcipiat, quod ei conferre Collator in animo habet.*

QUÆSITUM.

CUm Laicus Canonici morti proximi Beneficium ſuum in Ordinarii manu dimittentis procurationem puram ac ſimplicem detuliſſet: Magnus Vicarius procurationis latori dixit ſe dimiſſionem non acceptaturum, nec Beneficium ejus filio collaturum eſſe, niſi filius ipſe in ejus manu Canonicatum, quem in Collegiali Eccleſia poſſidebat, antea pure ac ſimpliciter dimiſiſſet.

Quæritur, an Vicarius Generalis hanc dimiſſionem exigere potuerit, quin ullam pœnam ſubiret; ac ſi ſubiit, an procurationis lator eamdem participet, an valeat filii proviſio, & an hic aliquam cenſuram incurrerit, cum ſit admodum juvenis, & tantum quia pater voluit, ſuam dimiſſionem ſubſcripſerit; ac ſi is peccavit, quo remedio opus ſit?

Quæritur II. an Procurationis puræ & ſimplicis in Ordinarii manu factæ lator poſſit eum prius adire, & cum ipſo convenire, ut certæ perſonæ Beneficium conferat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, cenſet quoad interrogationem primam I. Vicarium Generalem homini Laico, qui Canonici jamjam morituri Beneficium ſuum in Ordinarii manu dimittentis puram ac ſimplicem Procurationem ad eum detulit, animi ſui ſenſa patefacere non debuiſſe, eumque propterea contra id deliquiſſe, quod ſtatuit Pius V. in ſua Conſtitutione 58. quæ incipit: *Quanta Eccleſiæ*. Quod ſi Laicus eidem propoſuit, ſe hanc dimiſſionem in ejus manu remiſſurum, ea conditione, ut ipſe ejus filio Beneficium conferret, ei reſpondere debuit, hanc propoſitionem ejuſmodi eſſe, ut eam audire non poſſet, nedum executioni mandare; ac ſi hujus conventionis vi ejus filio, aut alii cuipiam Beneficium conferret, ſe in ſimoniæ crimen lapſurum eſſe, quemadmodum etiam alios, qui conventionis participes fuiſſent; omneſque pro ipſorum ſtatu obnoxios fore pœnis in Simoniacos inflictis in Beneficii negotio: *Pactiones*, (inquit Gregorius IX. *c. Pactiones extr. de pactis*) *factæ a vobis pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis nullius momenti ſunt. In ſpiritualibus enim omnis pactio illicita ſeu conventio debet omnino ceſſare*. Et Gloſſa in cap. *v. ceſſare: in Spiritualibus enim omnis pactio illicita ſeu conventio debet ceſſare. ut 1. quæſt. 1. quam pio. Et ill. de Simon. tua & ill. tit. proxim. præterea & cap. ſuper eodem & ill. ut Eccleſ. Beneſic. ut noſtrum, quia hujuſmodi pactiones ſimoniam inducunt, ut in eo cum pridem, tacite etiam vel expreſſe c. 16. q. 7. per Laicos*. Quod diſtinctius, & aptius ad rem, quæ in manibus eſt, explicat Sanctus Antoninus *in Summ. p. 2. tit. 1. c. 5. §. 11. Si quis renunciat*, inquit S. Doctor, *Beneficio, ea intentione, ut detur nepoti vel alteri, nulla tamen facta pactione vel conventione, nullam incurrit ſimoniam. Renunciare autem Beneficio, ut detur alteri, eſt ſimoniacum, quia prohibitum eſt ex jure poſitivo; ſed non eſt prohibitum ſimpliciter, ſed ſecundum iſtum mo-*

dum

ctum. Ejuſdem ſententiæ ſunt Angelus *v. Simonia* 111. *num.* 39. Panormit. in *cap. non ſatis de Simon.* & Navarra Manual. *cap.* 23. *numer.* 107. qui hanc materiam pertractans, aliorum, quos ſequitur, optime eamdem enucleat: *Ad decimum dico primo, quod renunciatio facta in favorem alterius, id eſt adjecto modo ut conferatur illi vel illi, eſt Simonia; niſi fuerit in manibus Papæ, ſecundum ſtilum Curiæ a multis ſæculis ſervatum*. Quamobrem Vicarius generalis Laicum monere jure optimo potuiſſet, ſi is ipſi propoſuiſſet ſe hujus morientis Beneficium in ejus manu dimiſſurum, ea conditione, ut illud ipſius filio deinde conferret; ſi tamen Laicus hanc conditionem exigere non contendit paratus ſine ea dimiſſionem ſibi commiſſam remittere, ſimoniam, ad eum quod attinet, extitiſſe non judicatur ob teſtimonia modo in medium allata.

Ad Vicarium generalem quod ſpectat, cum ex pluribus Canonibus didicerit Clerico non licere plura Beneficia poſſidere, eamque Conſtitutionem in Tridentina Synodo confirmatam eſſe probe noverit, contra Eccleſiæ Regulas egiſſe non videtur, ſi, cum hoc Beneficium Laici filio conferre poſſet, eidem ſignificavit ſe nolle in hujus junioris filii perſona huic pluralitati favere; atque ut ab ea ſibi caveret, ex eo petiit, ut Præbendam, quam in Collegiali Eccleſia poſſidebat, dimitteret, ea mente, ut hac ratione impediret, quominus ille cum aliquo conventionem iniret, ut Beneficium aliud adipiſceretur, atque ita cum Eccleſiæ diſpendio diteſceret, aut cum patrimonii Jeſu Chriſti diſpendio ſuæ Familiæ bona augeret. Nec deſunt Epiſcoporum doctrina & ſanctitate præſtantium exempla, qui hoc conſilio ducti ab Eccleſiaſticis, quibus eam curam imponerent, in qua ipſos Eccleſiæ profuturos crederent, Beneficiorum, quæ poſſiderent, dimiſſionem petierint, ut ea conferrent in alios, qui ipſorum Diœceſanis cum fructu regendis idonei eſſent; exiſtimantes ſibi non minorem eorum curam habendam eſſe, a quibus Paſtorem amovebant, alium aſſignantes, per quem ii tuti eſſent, quam eorum, ad quos mittebant priores hos, ipſorum dignitatis cognitione permoti. Itaque Vicarius generalis nullam cenſuram creditur incurriſſe, ſi diſciplinæ zelo, & Regularum Eccleſiaſticarum amore ductus ab hoc Laico petiit, ut Collegialis Eccleſiæ Canonicatus dimitteretur; tametſi, ut paulo ante dictum eſt, in eo probari non poſſit, quod ſibi ex ore verba præcipitanter excidere paſſus fuerit, nec expectare potuerit, dum morituri Canonici dimiſſionem præ manibus haberet.

III. Quod ſi Vicarius hic generalis id a Laico poſtulavit, eoque ipſum adegit, ut Collegiatæ Præbendam a ſuo filio pure ac ſimpliciter dimittendam curaret, idque ſuo ipſius privato commodo, aut alterius: Simoniæ reus, & omnium ejus pœnarum particeps pro ipſius ſtatu judicatur, perinde ac Laicus, qui ad hanc pravam actionem contulit. Infans porro cum ea nondum ætate ſit, ut inter bonum & malum diſcernere valeat, nulli pœnæ putatur obnoxius; ejus tamen proviſionem aſſeritur nullam eſſe. Pater creditur teneri dare operam, ut filius puram & ſimplicem hujus Beneficii dimiſſionem in Collatoris & Patroni manibus præſtet, nulla inde, quæcumque ea ſit, utilitate percepta, fructibuſque, quicumque percepti fuerint, neceſſario reſtitutis; hunc autem infantem pro ætate ſub Patris poteſtate eſſe pro certo ponitur.

Ad interrogationem alteram ſatis reſponſum eſt per ea, quæ ſupra dicta ſunt. Illud unum addendum creditur cautionem excerpendi ab Ordinario verba vituperatione maxima dignam eſſe, & conditionem ſimoniacam ſecum afferre. Cum enim non verbo ſolum, ſed etiam conditione, quæ intentionem indicet, ſimonia contrahatur: cautio hæc, utpote conditionis, qua ſit ſtipulatio, maximam ſpeciem præſeferens, crimi noſa cenſenda eſt, eoque magis, quod juxta Pii V. regulam Ordinarius explicare non debet, quid facere in animo habeat; cui ſane maxime opponitur fides, quæ poſtulatur; atque ita hæc agendi ratio non poteſt graviſſima culpa vacare.

Deciſum Pariſiis die 28. Octobris ann. 1679.

Auguſtinus *de Lamet*.

Beneficium ſine intentione ei deſerviendi acceptatum.

CASUS XV.

1 *Cum Beneficium abſque ipſius retinendi, Eccleſiæque inſerviendi intentione acceptatur, ut inde compoſitio ſuis facultatibus reſpondens obtineatur, fructus omnes in conſcientia ſunt reſtituendi.*

2 *Non potuit in reſignatione reſervari penſio & quicquid perceptum eſt, Titulari reſtitui debet.*

3 *Reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ Beneficii, aut loci pauperibus.*

QUÆSITUM.

Honeſto vir genere, ad cujus conſanguineum pinguium Canonicatuum collatio ſpectabat, Canonicatus duos in duorum ex ſuis tenera adhuc ætate filiis natu majorum gratiam ab eo obtinuit; minime tunc quidem reputans, an illi Eccleſiæ nomen daturi eſſent, nec ne, dubitanſque de ſua ipſius, atque illorum diſpoſitione. Neuter Clericalem ſtatum amplexus eſt; nulla veriſimilitudo eſt primogenitum ei ſtatui adhærere voluiſſe; ſed in votis fuiſſe, ut ei natu minor adhæreret, magna præſumptio eſt.

Hæc illi Beneficia diu retinuerunt, omiſſa Divini Officii recitatione; ea deinde reſignarunt, reſervata penſione, quæ per aliquod tempus ſoluta fuit, & deinde redempta. Pater ſemper ſuorum filiorum nomine pecuniam recepit, omneſque conventiones perfecit, cum ii per ætatem ipſi per ſe ſtipulari non poſſent.

Quæritur I. an propter Divini Officii omiſſionem, & intentionis defectum Pater pecuniam omnem ex his Beneficiis perceptam, quandiu ejus filii eorum Titulares fuerunt, reſtituere teneatur?

II. Niſi facienda ſit in integrum reſtitutio, quota pars reſtituenda ſit?

III. Sintne reſtituendæ penſiones, & quicquid ad eas abolendas collatum fuit?

IV. An reſtitutio horum Beneficiorum Eccleſiæ facienda ſit, nec ſatis ſit, ſi in eleemoſynis, aut aliis bonis operibus impendatur?

V. Si horum Beneficiorum Eccleſiæ facienda eſt reſtitutio, diſtinguendum nec ne ſit inter id, quod iis Titulos poſſidentibus perceptum eſt, & id, quod poſt reſignationem penſionis nomine receptum eſt, quoniam nullum tunc quidem inde damnum Eccleſiæ importatum videtur, per idoneos Miniſtros occupatis, exercitiſque Præbendis?

VI. An quod huic Eccleſiæ reſtituendum judicabitur, poſſit in aliquarum Eccleſiarum Parochialium ab ea pendentium inſtaurationem atque ornamentum ex parte conferri?

VII. An pater poſſit ad Romanam Sedem confugere, ut ſuper his reſtitutionibus compoſitionem obtineat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, expenditque, quoad interrogationem primam exiſtimat, Breviarii omiſ-

omiſſionem ſatis juſtam cauſam eſſe, quamobrem Pater quicquid hujus omiſſionis tempore ex his Beneficiis percepit, reſtituere teneatur ſecundum Concilii V. Lateranenſis conſtitutionem Seſſ. 9. §. *Statuimus* : *Statuimus quoque, & ordinamus, ut quilibet, qui habet Beneficium cum Cura vel ſine Cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio, divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſione recitationis officii & temporis, ſed eos tanquam injuſte perceptos, in fabricas ejuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia pertinaciter permanſerit, legitima monitione præcedente Beneficio ipſo privetur, cum propter officium detur Beneficium; intelligatur autem officium omittere, quoad hoc, ut Beneficio privari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit: Deo tamen ultra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura Beneficia reiterabilis ſit; quoties contra facere convincentur*. Hanc recitandi Officii Regulam Eccleſiæ omnes amplexæ ſunt; ut ea proinde nemo impugnare poſſet, quin novum ſibi jus arrogaret omni robore, ac fundamento deſtitutum contra uniformem Fidelium praxim, ac mentem.

Quoad intentionem, quæ neceſſaria eſt, & debet exiſtere, ut quis Beneficiorum fructibus frui poſſit, ea melius nequit intelligi, quam ex *C. Commiſſa de elect. in 6.* licet enim in eo de Beneficiis tantum Parochialibus ſermo ſit, quorum reſtituendi ſunt fructus, ſi Presbyteratus minime ſuſcipiendi animo poſſeſſa ſint, probati tamen Auctores bene multi aliis omnibus Beneficiis id generatim accommodant, quoties ea dimittendi, & ad Sæculum redeundi conſilio ſuſcipiuntur, & poſſidentur; id illi evincunt ex eo, quod ratio, quam Pontifex adverſus Parochos affert, adverſus alios Beneficiarios, qui volunt a Clericali ſtatu deficere, eamdem omnino vim habet: *cæterum*, Decretalis verba ſunt, *ſi promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parochialem receperis Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum recipias, ipſum poſtmodum dimiſſurus (niſi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter*. Porro ſi Parochus hic fraudulenter ſe geſſit Eccleſiam ſuam deſerens, ne Sacerdotium ſuſciperet, videlicet ne Beneficio deſerviret, atque id ſolum in animo habuit, ut nempe fructus reciperet: nonne par in his Juvenibus, iiſque, qui ipſorum curam gerunt, fraus detegitur, cum in eum finem iis Præbendæ obtentæ ſint, ut inde fructus perciperentur, ut deinde ab ipſis hæc eadem Beneficia repetendi ſæculi gratia dimitterentur? Ita ſentit Gabriel Biel in Librum quartum ſententiarum *diſt.* 15. *quæſt.* 8. *ar.* 3. En ut ſe explicat: *Decretalis illa ſpecificat Eccleſiam Parochialem; ideo eſt, quia Beneficium ſimplex non requirit Sacerdotium infra annum aſſumendum; ſed videtur, quod idem eſt de Beneficio ſimplici, ſi non intendit in eo ſervire, ſed poſt tempus aliquod dimittere, & laicare, quæ eſt utrobique ratio; nam iſte ſicut & ille recipit fructus fraudulenter*. Neque eorum reſponſio, qui contra ſentiunt, quicquam roboris habet, nempe hoc in Capite pœnam ſolum in Parochos pronunciari, quia ratio, propter quam pronunciatur, omnibus communis eſt; conſtans eſt enim, ac firmum neminem ex ſua fraude ac dolo commodum percipere poſſe, quam quidem regulam, ac legem ſequitur Pontifex, dum reſtitutionis obligationem imponit; & quod inde conſequitur, qui Beneficia non Parochialia fraudulenter ſibi comparant, animo & conſilio ea deſerendi, dicendi ſunt ad fructus perceptos reſtituendos obligari, ſi reipſa ab Eccleſiaſtico ſtatu defecerint, ipſum amplexi cum ejus non ſervandi conſilio; atque ad has quidem regulas is, cujus negotium dijudicandum proponitur, ſe debet exigere.

Ad interrogationem alteram, facta hypotheſi eum in animo non habuiſſe, filios ſuos in Eccleſiaſtico ordine perſiſtere, ipſum teneri, fructus, quos percepit, reſtituere.

Ad tertiam, cum ad Beneficium nihil juris præſto ſit, ſi filiis voluntas non fuit in Eccleſia conſiſtendi, cumque ipſi hunc ſtatum reliquerint, injuria perceptam fuiſſe penſionem, quæ ſine cauſa reſervari non poteſt; cum igitur hæ penſiones nulla canonica cauſa firmatæ fuerint; id omne reſtituendum, quod ſeu pater, ſeu filii perceperunt.

Ad quartam, penſiones reſtituendas eſſe Beneficiorum Titularibus, qui eaſdem ſolverant, & a quibus eæ in conſcientiæ foro exigi non potuerunt juxta Turonenſis Concilii Regulam in Jus relatam, in qua non licet abſque canonico titulo diſpenſari: *Beneficia ſine diminutione dentur*; quod ſi proviſionem hanc conceſſit Pontifex, id ſe cum cauſa facere pro certo habens, hæc gratia obreptitia dici poteſt, & quod inde fit conſequens, omnis omnino roboris expers eſt.

Ad perceptos porro fructus quod pertinet, eorum reſtitutionem fieri poſſe aut Beneficiorum ipſorum Eccleſiis, ut Lateranenſe Concilium ſupra laudatum ſtatuit, aut Pauperibus, ubi Beneficia ſunt, exiſtentibus.

Interrogationi quintæ ſatis eſt factum præcedentibus reſponſionibus.

Ad ſextam reſpondetur, Eccleſiarum præcipuarum, quæ cæteris præferendæ ſunt, neceſſitatem, atque indigentiam expendi oportere; ad earum quippe fundos peculiares bona percepta pertinent. Quod ſi hæ Eccleſiæ iis non indigeant, hæ perceptorum fructuum reſtitutiones, quamdiu quidem pueri in poſſeſſione perſtiterunt, in aliarum Eccleſiarum Parochialium inſtaurationem conferri poſſunt, prout locorum Epiſcopo videbitur.

Quod ſi pater non niſi gravi cum incommodo valeat reſtituere, poterit ad Romanam Sedem confugere, ut compoſitionem obtineat, eidem exponens ſuas indigentias, & ſuæ poſtulationis cauſas admodum candide, atque ingenue, prout eum decet, qui, quod ipſius conſcientia requirit, perficere in animo habet.

Deciſum in Sorbona die 8. Auguſti an. 1681.

A. de Lamet.

Beneficium Parochiale, cujus Titularis mors celatur.

CASUS XVI.

Presbyter, qui celavit, aut celandum curavit Parochi corpus, qui ſibi Beneficium reſignavit, ut interim reſignatio Romam perveniret, & illud iniit hac fraude, ad id coram Deo nihil juris habens, debet ab ea recedere, eamque reſignare non poteſt.

QUÆSITUM.

Titius jampridem Curam poſſidens, ſe morbo preſſum ſentiens Cajo nepoti ſuum Beneficium reſignat, qui & ipſe quindecim abhinc annis & amplius Parochia fruitur; ſed cum Titius admodum longævus eſſet, antequam proviſiones in Romana Curia expedirentur, e vivis exceſſit; quia tamen paulo ante, ſcilicet tribus, aut quatuor omnino diebus priuſquam eæ admitterentur, id contigit, Titii Reſignantis, & Reſignatarii Conſanguinei per eos dies Titii mortem celarunt; ita ut proviſionibus admiſſis, Cajus, qui eas recepit, potuerit a ſuo Epiſcopo *viſa* petere, & hujus Curæ poſſeſſionem adire; ſed cum aliam poſſideat, & non niſi infra annum optare poſſit, in animo habet alterutrum nepoti ſuo reſignare.

Qua in re notandum eſt, quemdam Ariſtum nomine, qui ſui Beneficii vi jure gaudet obeundi curas, quæ intra ſuos fines per mortem vacant, veniſſe Titii domum, ut de ejus morte cognoſceret. Ne ille rediret, utque incommoda, quæ inde oriri poſſent, evitarentur, Reſignatarius de centum librarum ſumma cum eo convenit propter jura lectiſternii, ſuperpellicei, & alia, quæ ad ſe ſpectare contendebat, quæ quidem Reſignatarius ei ſe ſoluturum promiſit; & ſane ſolvit; quod profecto non tam facile præſtitiſſet, niſi timuiſſet, ne ille de Titii morte certior fieret, eamque vulgaret, cum certus non eſſet, ea, quæ petebat, ad ipſum ſpectare.

Illud etiam non omittendum, Titium, cujus celatum eſt corpus, mortuum eſſe Graduatorum menſe, qui rigoris appellatur, nec ei pulſata ſunt tintinnabula niſi poſt hujus menſis finem, & ſubſequentis initium: qua in re quæritur:

I. An Cajus, qui fraudem, qua Titii mors occultata eſt, diſſimulavit, poſſit legitime Parochiam, quam ei Titius reſignavit, poſſidere; an vero *ipſo facto* utraque Parochia ſpoliatus remaneat?

II. An Cajus, cui Titius reſignavit, poſtquam hujus poſterioris curæ poſſeſſionem adiit, poſſit eam Fauſto nepoti ſuo reſignare, aut aliam ſaltem, quam antea poſſidebat?

III. An Fauſtus tuta conſcientia poſſit a Pontifice proviſiones ad harum Parochiarum alterutram petere vi procurationis *ad reſignandum* avi ſui Caji, poſtquam de totius negotii ratione certior eſt factus?

IV. An cum Simoniæ labe necne cum Ariſto Cajus egerit, ut impediret, quominus ille ad ſuum Avum rediret, & in ejus mortis cognitionem veniret.

V. An injuria Graduato, ad quem hoc Beneficium ſpectabat, illata ſatis necne gravis extiterit, ut Caji proviſiones nullas efficeret?

VI. An qui Titii mortem celarunt, id faciendum conſuluerunt, aut approbarunt, ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici cenſuram ullam incurrerint.

Rationes quæ contra ſtant.

Super Quæſtione prima.

Non videtur Cajus, cui Titius moriens reſignavit, legitimus eſſe poſſe ſuæ Parochiæ poſſeſſor, quia cum mors ante admiſſam reſignationem contigerit, hoc Beneficium ratione irregulari, & ab exordio corrupta, ſcilicet occultata Titii morte ad Cajum devenit; eodem accedit, timendum eſſe, ne Cajus ob fraudem, qua hoc Beneficium ſibi comparavit, inhabilem ſe ad illud reſignandum reddiderit, prout docet Bonal. *cap.* 20. *pag.* 263. nempe Beneficiarium, qui celandæ ſui Reſignantis morti operam dedit, ſuum jus in Beneficium reſignatum amittere; atque ita verendum eſt, ne Canones & Decreta Summorum Pontificum Cajum ambabus ejus Parochiis, eaſque reſignandi jure privatum declarent; videndus Rebuffus *de infirmis reſignationibus Benef. Gloſſa* 1. *fol.* 253.

Super Quæſtione altera.

Ex eo, quod in prima quæſtione dictum eſt, conſequens fit, Cajum utpote poſſidendæ Parochiæ ſibi reſignatæ legitimo titulo deſtitutum eam legitime aut valide Fauſto reſignare non poſſe.

Super Quæſtione tertia.

Fauſtus proinde ad harum Parochiarum neutram poteſt a Pontifice proviſiones petere; ſi enim Cajus omni jure caret, nec ignorat Fauſtus, quemadmodum ſe res habuerit, ſi denique libræ centum ſolutæ fuere, potius ut Titii mors celaretur, quam ut propoſitis juribus ſatisfieret: quomodo poſſet quiſpiam tuta conſcientia reſignatione uti, quam in ipſius favorem Intruſus faceret?

Super Quæſtione quarta.

Conventio, cujus vi Cajus centum libras Ariſto dedit, ſimoniæ vitio laborare videtur, quoniam ille id unum propoſitum habuit, ut impediret, ne hic fraudem, qua omnibus illudebatur, detegeret, & in lucem emitteret, quod indirecte Simoniacum eſt, cum detur temporale, ut obtineatur ſpiritale, pecunia nempe pro Cura.

Rationes pro parte affirmante.

Videtur mihi, ut his omnibus quæſtionibus ſatisfiat, Cajus, cui Titius Parochiam ſuam reſignavit, licet conniverit, conſuluerit, approbaverit ſui Reſignantis mortem celari, adhuc tamen valido & ſufficienti titulo gaudere, quia Pontifex poſuit in proviſionibus, *etiamſi per obitum*; præterea ſi collatio nulla eſt, poteſt ad Pontificem tuta conſcientia confugere, a quo quidem vel novam proviſionem impetrabit, vel ad reſtituendum obligabitur. Quamquam cui tandem reſtituet? Graduatone, an Collatori? Ille quidem hac in re conſilium expoſcit. Quod attinet ad Simoniam, quæ in librarum centum conventione cum Ariſto inita ponitur, nulla eſſe videtur, cum ille nullum Beneficia conferendi jus habeat; hoc illud eſt, quod dicitur, *removere* impedimentum.

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod præſentem expoſitionem vidit, exiſtimat Cajum, qui ad Titii Reſignantis ſui mortem occultandam contulit, minus valide Beneficio potiri, licet Pontifex illud ei tanquam morte vacans contulerit; occultatum Titii cadaver eidem eſſe obſtaculum ineluctabile, atque ejuſmodi, ut eum hujus Beneficii minus capacem reddat, etiamſi ante Titii mortem admiſſa eſſet reſignatio, ut docet Rebuffus, qui videtur contendere pœnas inflictas *Cap. Deteſtand. Extravag. commun. de Sepulturis* ad eos extendi, qui cadavera occultant; ita ille in Tractatu ſuper Conſtitutione *an.* 1539. qua cadaverum Beneficiariorum occultatio prohibetur ſub pœnis contra Eccleſiaſticos privationis omnis juris poſſeſſorii ad Beneficia ita vacantia; quod ipſe probat non ſolum ex *Cap. Deteſtandæ* modo adducto, verum etiam ex conſtanti Civilis Juris doctrina; ac demum in Gloſſa quarta ad eamdem Conſtitutionem rotundis verbis quæſtionem definit *n.* 15. in hunc modum: *& ſic per iſta patet celantem cadaver, ut Beneficium impetret a Papa, nullum jus habere ex illa proviſione, tum quia eſt ſubreptitia: nam ſi Papa ſciviſſet illum celaſſe mortuum, ut præveniret, ei non contuliſſet: tum quia præventio eſt fraudulenta, & ideo nulla, & quia falſarius eſt, & ſic inhabilis, & aliis præmiſſis rationibus, nullum jus in Beneficio habet, & ſic non poterit agere petitorio, poſtquam ſuccubuit in poſſeſſorio; & ſi ageret, poſſet appellari tanquam ab abuſu: quia abutitur, poſtquam notorie patet nullum jus habere*. Quibus addi poteſt, eos, qui celant cadavera, fraudulenter agentes cum eorum incommodo, qui jus haberent ad Beneficia, quæ defunctus vitæ ſuæ tempore poſſidebat, ex ſua fraude commodum reportare non poſſe: *quia fraus & dolus, non debent patrocinari c. Sedes & ſeq. de reſcript. in pœnam perverſitatis nullum debet ex impetratione commodum conſequi*, *ib.* ut refertur ab eodem Rebuffo Tractatu citato.

Videtur igitur Cajum nullum ſibi jus arrogare poſſe ad Titii Beneficium, quod modis indirectis obtinuit, quodque ei Pontifex non conceſſiſſet, ſi ejus perverſitatem cognoviſſet; ac proinde non potuit ille eo Beneficio frui, aut ejus poſſeſſionem adire, aut vero illud Fauſto ſeu cuipiam alteri reſignare, quoniam ad illud nullum jus habuit; verum quoad alterum Beneficium, quod jam tenebat, reſignatio, quam ejus inſtituit, nulla fuiſſe, aut ipſe

ipſe priore ſuo Beneficio privatus eſſe non videtur propter occultatum Titii cadaver; cum Conſtitutio ipſa eos, qui occultationis cadaverum Beneficiariorum rei fuerint, incapaces declaret Beneficiorum, quæ quidem eorum morte, quorum ii cadavera celaſſent, vacaviſſent, ut ex ejuſdem Conſtitutionis verbis conſtat: „ Vetamus occultationem corporum „ deceſſorum ante dictam revelationem, ſub „ pœna confiſcationis corporum, & bonorum „ contra Laicos, qui hujus rei detecti ſunt; „ & contra Eccleſiaſticos, privationis omnis „ juris poſſeſſorii, quod ſibi vindicari poſſent „ in Beneficia ita vacantia „: ita ut Cajus potuerit ſuum prius Beneficium in favorem Fauſti diſponere, dummodo Fauſtus occultationis cadaveris Titii conſcius non fuerit, nec ſibi hac ratione Caji Beneficium reſignandum curaverit; ſi quid enim ad eam contuliſſet, fraus, cujus eſſet particeps, ei favorabilis eſſe poſſe non cenſeretur, aut proviſio, quam a Romana Curia obtinuiſſet, ei tribuiſſe jus ullum in conſcientiæ foro ad Beneficium hoc poſſidendum.

Hanc eamdem ob cauſam ſentiendum eſt non poſſe a Cajo novam proviſionem ad Titii Parochiam obtineri, eamque, ſi obtineretur, non plus roboris eſſe habituram, quam primam; niſi ipſe ſuum crimen ingenue confiteretur, eamque Pontifex illi concederet cum impedimenti, quod is celato Titii cadavere ſubiiſſet, cognitione; ſe quippe indignum, & incapacem reddidiſſet falſarii crimine. Ita ſentit idem Rebuffus, qui *n.* 9. ejuſdem Gloſſæ ita loquitur: *Præterea celans teſtamentum, vel inſtrumentum pœna falſi tenetur* 1. *Paulus.* §. *de falſ. Bart. in l.* 3. §. *Si quis dolo Verſ. & poſſe, de tab. extr. & falſarius eſt ad Beneficia inhabilis c. Ad audientiam, c. Licet, & c. Falſariorum de fal. itaque cum celando mortuum falſi crimen commiſerit, quod Papæ non prædixit; igitur ſaltem ſua impetratio erit ſubreptitia, & ſic nulla; & licet falſitas ſit commiſſa in acceſſoriis, tamen etiam privat.* Quamobrem Cajus tam ob Juris Romani Regulas, quam ob Conſtitutionem & Jus Canonicum ad Secundum hoc Beneficium recipiendum ineptus eſt, niſi ſuam culpam exponat, factaque Pontifici expoſitione ejus veniam obtineat; quod quidem conſilio ſubſcripto videtur in hac facti ſpecie fieri non poſſe, propterea quod jus Graduato acquiſitum eſt, cui verum damnum allatum eſt occultato cadavere, quia quominus Beneficium hoc obtineret, impeditus eſt, quod animadverſione dignum eſt; reſtitutio quippe facienda eſt Graduato, qui jure acquiſito gaudebat.

Deciſum die.... Novembris an. 1686.

A. de Lamet.

Beneficium, quod quis vult cum conditione dimittere.

CASUS XVII.

1 *Non licet agi cum Collatore, ut promittat ſe collaturum eſſe Beneficium perſonæ, quæ ei commendatur, & in cujus favorem ſit in ejus manu hac conditione ipſius Beneficii dimiſſio.*

2 *Permutationes permiſſæ ſunt, modo nulla in iis inſeratur conditio vitioſa aut Simoniaca.*

3 *Qui per Reſcriptum Capellaniam Ordini Sancti Lazari redintegratam amiſit, neceſſe non habuit in Supplicatione, qua novum Beneficium a Pontifice poſtulabat, ejus mentionem facere.*

Prima difficultas.

1. IN duobus Capitulis Canonicatus hac ratione conferuntur.

Certis anni menſibus nominatio ad Regem ſpectat; cæteris menſibus ad Capitulum, Canonicis ſingulis per vices nominantibus.

Prima menſis dies ad Decanum pertinet, altera ad eum, qui proxime ſequitur, & ſic porro; atque ita Canonicus quiſque Beneficii aſſignata ſibi die vacantis eſt Dominus.

Cum Canonicus alicui ſuum Beneficium conferre vult, expectat unum ex Capituli menſibus, & diem unius ex Canonicis ſibi amicitia conjunctis, cui ſe fidere poſſe putat. Eum prævenit, & honeſte adigit ad id, quod vult: cum porro perſuaſum habet ſe votorum damnatum iri, pure & ſimpliciter apud Notarium Canonicatum dimittit in manu Capituli, quod eum nominat, qui ipſi per Canonicum, ad quem pertinet, præſentatur.

Cordati Viri hanc commercii ſpeciem damnant, & propterea pluribus ex horum duorum Capitulorum Canonicis Scrupulum injiciunt, his nixi rationibus.

Ajunt illi hanc eſſe veri nominis reſignationem *in favorem*, quæ Collatori adimit eligendi libertatem, qua frui debet: jam vero omnis reſignatio in favorem in aliorum quorumvis, quam in Pontificis manu facta, eſt Simoniaca.

Oſtendunt autem reſignationem hanc eſſe *in favorem* ex eo, quod Reſignans, qui fere eſt morti proximus, non reſignet niſi animo Beneficii ſui ſuo Conſanguineo aut amico ſuo comparandi; ac ſi ipſi conſtaret Canonicum nominantem cuipiam alii Beneficium conferre velle, minime reſignaret, ſatius duceret ſinere, ſuum ut Beneficium vacaret; & cum Canonici titulo mori; vere igitur dicitur non reſignare niſi hac conditione, *nec alias, nec aliter*.

II. Pene nunquam fit hæc reſignatio, exhibeturque Capitulo, niſi Canonici, cujus eſt nominatio, perſpectus ſit animus, certumque ſit eum perſonam, quæ ipſi præſentabitur, nominaturum.

III. Ex loci conſuetudine Canonicus hic nominans non eſt liber; ſi enim nominaret alium, quam cui Reſignans ſuum Canonicatum conferre vult, haberetur in ſua Societate improbus, & furcifer.

IV. Cenſent Canonici, ſi Canonicus hic fidem falleret, & alium nominaret, poſſe eum, quem nominaſſet, a Beneficio removeri; illud etiam addunt præſto eſſe in hanc rem ſententiam Senatus N..... ubi per Reſcriptum ei adjudicatum fuit Beneficium, quem Reſignans ſibi Succeſſorem inſtituere in animo habuerat, iſque rejectus eſt, quem Canonicus, ad quem ſpectabat, contra datam fidem nominaverat.

Præterea contenditur, hanc praxim non facile damnandam eſſe, 1. quia immemorabilis conſuetudo loci videretur præſcripſiſſe contra Legem, quæ hujuſmodi conditiones damnat. Hæ reſignationes, ſi bene penitus inſpiciantur, puræ ſunt, ac ſimplices; etenim in Canonici nominantis poteſtate, abſolute loquendo, poſitum eſt, quem voluerit, nominare; conventiones porro, quæ cum eo ante reſignationem ineuntur, non ſunt niſi preces, quibus minime deferre tenetur.

Difficultas hæc definita videtur in Gratianopolitana Theologia *tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. Verum ſeverior dicitur hæc Theologia.

Exquiritur ergo Doctorum Sorbonicorum ſententia ſuper hiſce quæſtionibus. I. an hic mos ſit abuſivus?

II. Si eſt abuſivus, eſtne ſimoniatus, quique ita promoti ſunt, ſuntne male promoti?

III. Si male promoti ſunt, quid ipſis, ut ſuam conſcientiam in tuto ponant, faciendum eſt? An Pontificem adire debent?

IV. Bona fides, quæ hactenus locum habuit, excuſat necne tum eos, qui ita nominarunt, tum eos, qui ita ſunt nominati?

Secunda Difficultas.

Quæritur, an permutatio in Capituli exempti manu facta Præbendæ cum Capellania inter moribundum & Capellanum valeat, nec ei detrimentum afferat, qui per vices jus collationis acquireret?

In his duobus Capitulis, de quibus dictum eſt, Canonicus cupiens ſuum Beneficium ad ſuum conſanguineum, aut amicum ſuum, aut pietatis cauſa ad eum, quem ipſe dignum putat, devenire, ne ſe ſalebroſo reſignationis negotio ſubdat, cum Capellania ſuum Canonicatum permutat; & cum plerumque Capellania exiſtat in eadem Eccleſia, permutatio fit in manu Capituli, quod proviſiones concedit.

Duo ſunt, quæ improbantur in hac conſuetudine.

I. Aſſeritur, permutationes fieri non poſſe niſi in Pontificis, aut Epiſcopi manu; ſed reſpondetur, I. His Capitulis exemptis Ordinarii titulum juſque competere. II. permutationes ab Epiſcopo tolerari. III. ejuſmodi conſuetudinem in his Eccleſiis immemorabilem eſſe, ac proinde vim legis obtinere.

II. Affirmatur has permutationes doloſas eſſe, eoque tantum ſpectare, ut nominandi jure ſuo privetur Canonicus, ad quem nominatio ſpectaret; ſed in promptu eſt reſponſio, eas tum ſaltem damnari non poſſe, cum fiunt, ut de idoneo Miniſtro Eccleſiæ provideatur. II. Capitulum ipſum hanc induxit conſuetudinem, atque ita nulla ei infertur injuria.

Rogatur præterea Conſilium, ut has quoque duas objectiones expendat, & declaret, an peccet, qui hac ratione ſibi ſucceſſorem eligit, dummodo eum non eligat, niſi ut Eccleſiæ dignum Miniſtrum comparet.

Tertia Difficultas.

Petrus Capellaniam poſſidebat, quam Ordo S. Lazari ſibi redintegravit. Ei lis antea fuit coram Judicibus ad hanc rem a Rege nominatis. Petrus ejuſque anteceſſor de hoc negotio ſolliciti non fuerunt, quia duorum nummorum aureorum non eſt Capellaniæ proventus. II. quia cum gravioribus Adverſariis res erat. Reſcripto Capellania hæc Ordini S. Lazari reſtituta eſt; hoc quidem Reſcriptum Petro ſignificatum non eſt, ſed decem, aut duodecim anni ſunt, ex quo tempore ille ex hoc Beneficio nil percipit.

Non ita multo poſt Beneficium aliud a Romana curia Petrus obtinuit; expoſuit Pontifici quam maxima potuit, ſimplicitate Beneficia, quæ poſſidebat; ſed cum de hac Capellania non amplius cogitaret, nullam ejus mentionem fecit. Verum cum deinde eam cuipiam reſignaſſet, quem credidit a S. Lazari Ordine eamdem repetiturum: monitus eſt ſe Beneficii, quod nulla Capellaniæ facta mentione obtinuit, legitimum poſſeſſorem non eſſe. Petrus reſpondet,

I. Se admodum ingenue feciſſe, cum Beneficium hoc petiit.

II. Valde ſperat, fore ut is, cui hanc Capellaniam reſignavit, a Sancti Lazari Ordine eamdem vindicet.

III. Pro ſe adducit Cancellariæ Regulam *de triennali poſſeſſore*, quæ eſt tertia Papæ Innocentii X.

Illud porro in dubium vertitur, an hæc Regula ad internum perinde atque externum forum pertineat: id ut definiat rogatur Conſilium.

Ad primum Caſum reſponſio.

Concilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod vidit & expendit omnes quæſtiones, & difficultates in Expoſitione contentas, exiſtmat quoad primam difficultatem: id quod in Capitulis, de quibus fit mentio, in uſu eſt, ut ad eos Beneficia deveniant, qui a Canonicis morti proximis electi ſunt, anticipatis Canonicis iis, quorum eſt nominare, prorſus abuſum eſſe, & in jure prohiberi, ut conſtat ex *C. nulla* ducto ex Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. & relato *extra de conceſſ. præbendæ: nulla Eccleſiaſtica miniſteria*, inquit Concilium, *ſeu etiam Beneficia, aut Eccleſiæ tribuantur alicui, ſeu promittantur, antequam vacent: ne deſiderare mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium ſe crediderit ſucceſſurum.* Hæc Juris prudentia confirmatur Capitibus *ex tenore relatum*, & *Atcedens*, eodem titulo, & a Pontifice Bonifacio VIII. *de conceſſ. Præbendæ c. deteſtanda in 6*. Et quoniam Lateranenſe Concilium ſui Decreti rationem affert, illud in conſcientia ſervandum eſt; hæc porro ratio in horum Capitulorum morte locum habet, ubi morientis hominis Beneficium promittitur, quod nunquam aut petenti aut promittenti permiſſum eſt. Nullæ ſunt ejuſmodi collationes ex *C. Deteſtanda*, ex Lateranenſi Concilio, ex Papa Innocentio III. C. *ex tenore*, in quo Pontifex homini Beneficium ſibi ab Abbate promiſſum petenti ſilentium imponit: *nos igitur attendentes, quod promiſſio illa non tenet, utpote contra ſtatuta Lateranenſis Concilii, ſuper hoc ſilentium imponentes, ab impetitione ipſius, dictos Abbatem & Monachos abſolvatis.*

Cum porro Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. in Galliis receptum ſit, non apparet, quo fundamento nitatur eorum opinio, qui putant Juriſdictiones, quæ aliam Juriſprudentiam ſequantur, exiſtere, & Collatoris aut Præſentatoris Beneficii nondum vacantis promiſſione jus ad Beneficium conferri; quibus illud addendum cenſet ſubſcriptum Concilium: quod ſi promiſſio eſt conditio, per quam Beneficium in Collatoris manu remiſſum eſt, ut illud ei conferat, qui ipſi deſignatur, exiſteret ſimonia, Collatore demiſſionem hac conditione factam acceptante, licet ea pura & ſimplex eſſe videretur; & Collator, Proviſus, & omnes, qui hujus negotii participes fuerint, conditionis quidem conſcii, quæ tanquam pactum ſpectanda eſt, pœnis in Simoniacos inflictis obnoxii eſſent, Beneficium vacaret, nec ejus fructus Proviſus percipere poſſet. In quo ſane durior non eſt Gratianopolitana Theologia, cum nitatur Jure *C. Pactiones extra, de pactis*, & Gloſſa *in eodem C. &c. Tua nos extra, de ſimon.* & Gloſſa: *nota, quod in ſpiritualibus adipiſcendis nulla conditio vel pactum debet intervenire*. Si ergo Beneficium Collatori cum conditione remiſſum eſt, licet ea non exiſtat in Actu, vitioſa eſt & nulla proviſio; quod non ita eſſet, ſi quis Beneficium ſuum reſignare volens expectaret, dum ad amicorum ſuorum aliquem per vices collatio deveniret, ſperans fore ut ille certæ perſonæ gratificaretur, nulla tamen poſita conditione, quemadmodum declaratum fuit in Conſultatione Caroli Mulini, & plurium illuſtrium Advocatorum Senatus Pariſienſis, ut refert Auctor Definitionum Juris Canonici, quas Caſtellus expendit, „ titulo, Reſignatio, „ qui addit, non ita ſentiendum fore, ſi probaretur pactum inter Collatorem & Reſignantem initum fuiſſe, aut reſignationem ea conditione factam fuiſſe, ut Beneficium conferretur Titio, & non alteri “. Verum ſi Auctor hic animadvertit hanc proviſionem a Judicibus rejiciendam: nos quoque concludamus neceſſe eſt eam coram Deo, qui res novit, ut ſe habent, criminoſam fore, & conditione, quæ ſimoniam ſaperet, proviſionem nullam reddendam fore. Quo in caſu confugiendum eſſet ad Pontificem, cujus tantum eſt inhabilitati, quæ contracta eſſet, remedium afferre.

Re-

Reſponſio ad ſecundum Caſum.

Ad interrogationem alteram reſpondetur, permutationem, & reſignationem, utpote ad Beneficiorum diſpoſitionem in Eccleſia toleratas, dummodo juris conditiones adjunctas habeant, in uſu eſſe poſſe, ut Beneficium ad eum deveniat, qui ejus digne occupandi capax eſſe cenſetur, & in hac Eccleſiæ de qua ſermo eſt, conſuetudine nihil a Regulis alienum occurrere; at ſi permutatio Regulis non congrueret, ſi fraudulenter facta eſſet, ſi quid eorum defuiſſet, quæ Jus requirit, ea in uſu eſſe non poſſet. Capitulum utpote collationis jure gaudens vim permutationi afferre poteſt; eſt hæc Galliarum Juriſprudentia, ut monet Caſtellus de definitionibus Juris Canonici ſub finem paginæ 577.

Reſponſio ad tertium Caſum.

Ad interrogationem tertiam, quoad Capellaniam Ordini Sancti Lazari redintegratam, reſpondetur, cum de hac redintegratione Reſcriptum exiſtat, non cenſeri eam amplius in foro exteriori ad Petrum ſpectaſſe; atque ita ſi in ſupplicatione ad novum obtinendum Beneficium Pontifici oblata eamdem ſilentio præteriit, non propterea proviſionem ipſi conceſſam nullam evadere, aut eidem quicquam incommodi afferri, quoniam ea per Reſcriptum ſpoliatus fuit. Verum ſi ille, cui Capellaniam hanc ipſe reſignavit, eamdem obtinuit abolito Reſcripto Sancti Lazari, & per Petri reſignationem ad ejus poſſeſſionem admiſſus fuit, non eſſet præſumptio in ſua ſupplicatione bona fide Petrum egiſſe. Stat in foro conſcientiæ proviſio, cum nulla ſunt occulta impedimenta, quæ hominem Beneficio indignum efficiant, cumque in eo reperiuntur omnia, quæ jus requirit, ut ejus proviſio nihil vitioſi contineat.

Deciſum Pariſiis die 6. Martii 1687.
Aug. *de Lamet*.

Beneficia ad conſanguineorum commendationem collata.

CASUS XVIII.

Capitulum, quod conferendorum Eccleſiæ ſuæ Canonicatuum jure gaudet, eos, qui per Titularium mortem aut demiſſionem vacant, conſanguineis, quos ii commendaverint, conferre non debet, quin eidem conſtet ipſos dotibus ad exequenda ſua officia neceſſariis præditos eſſe. Praxis oppoſita abuſus eſt, quem Canones damnant.

QUÆSITUM.

Canonicus ægrotans Capitulo Collatori ordinario puram & ſimplicem ſuæ Præbendæ demiſſionem exhibet; at eodem tempore Capitulum duos Canonicos eidem deputat, qui ex eo audiant, cuinam ipſe ſuum Beneficium conferri malit, atque ille quidem nepotem, aut aliquem ex ſuis conſanguineis plerumque proponit. Tum conſanguineus hic deſignatus demiſſionis Actum ad Capitulum defert, & Beneficium petit, quod ſane nunquam non obtinet, licet indignus judicaretur; præſertim vero ſi ante mortem afferatur demiſſio, deſignati rejectio fidei violatio cenſeretur.

Nititur hæc praxis pacto tacito, quod ſtatuti loco habetur, & plurium Capitulorum conſuetudine & uſu adeo firma eſt, ut Canonicus ſuo ſe Beneficio abdicans certus ſit fore, ut illud ei Capitulum conferat, quem ipſe commendaverit.

Orantur humillime Domini Doctores Facultatis Theologicæ Pariſienſis, ut ipſis placeat ſuper hac conſuetudine ſuam ſententiam proponere, atque utrum hæc collationis ratio ſit legitima, definire.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod vidit, expenditque præſentem expoſitionem, cenſet praxim conferendi Beneficia Capituli, de quo quæritur, Juris Regulis adverſari, quibus ſtatuitur, ut Beneficia dignis tantummodo conferantur, quod conſtat ex C. *Cum in cunctis*, *extra de electione*, & c. *Grave nimis de Præbend. & Dignitat.* nempe hanc collationis rationem utpote ab ejus, qui demittit, ejuſque, quem is ſibi in Succeſſorem eligit, voluntate pendentem Eccleſiæ Regulis maxime repugnare; quamobrem Capitulum hoc nequit in ejuſmodi abuſu perſiſtere, ac ſinguli Canonici in conſcientia curare tenentur, ut eradicetur tanquam damnatus a Sanctis Canonibus, qui præcipiunt, ut Synodus Provincialis, quæ Collatores hujus abuſus reos detexerit, eos collationis jure privet, ſi bis moniti, ut ſe corrigant, minime reſipuerint, atque in tam gravi negotio carnis tantum & ſanguinis rationem habere pergant: *Grave nimis & abſurdum, quod quidam Eccleſiarum Prælati, cum poſſent Viros idoneos ad Eccleſiaſtica Beneficia promovere*, inquit Innocentius III. *aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Eccleſiæ damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſiis velint & valeant gratum impendere famulatum; fiatque de hoc in Provinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim: ita ut qui poſt primam & ſecundam correptionem fuerit repertus culpabilis a Beneficiis conferendis per ipſum Concilium ſuſpendatur, inſtituta in eodem Concilio perſona provida & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in Beneficiis conferendis. Et hoc ipſum circa Capitula, quæ in his deliquerunt.* Ita quidem ſtatutum eſt in Concilio inter ea, quæ habita ſunt in Eccleſia, celebratiſſimo, cui præfuit Innocentius III. ita ut, cum in hoc Decreto Capitula nominentur, Capitulum conſulens huic Decreto ſtare teneatur, nec Beneficia, quæ ſeu Titularium morte ſeu dimiſſione in ſua poteſtate habet, conferre debeat, niſi prius noverit, eos, qui ipſi proponuntur, requiſitis dotibus ornatos eſſe, nulla conſanguinitatis, aliarumque cauſarum, quæ a carne & ſanguine derivantur, ſed Eccleſiæ tantum utilitatis ratione habita.

Deciſum in Sorbona die 30. Septembris an. 1686.
Aug. *de Lamet*.

Beneficii demiſſio cum ejus, qui deſignatur, nominandi promiſſione.

CASUS XIX.

1 *Canonicus moriens non poteſt Beneficii ſui dimiſſionem ad eum mittere, qui ad illud nominandi poſt ejus mortem jus habet, extorta ab eo promiſſione verbali ſe illud ei collaturum, quem moriens ipſi deſignat.*

2 *Capitula, in quibus id moris obtinet, ab eo utpote Legibus omnibus oppoſito recedere debent.*

QUÆSITUM.

Paulus Canonicus in extremis conſtitutus Canonicatui ſuo Petrum deſtinat; in hunc finem ei, cui per vices competit nominatio, mentem ſuam ſignificandam curat, tum ad eum ore-

oretenus pollicitum, ſe illum Petro collaturum, dimiſſionem ſuam mittit.

Quæritur, an hoc officium, atque hæc exacta promiſſio, quorum alterum dimiſſionem, alterum ejus miſſionem præcedit, ſint licita, nulloque pacto ſint ſimoniaca? Rogatur Conſilium, ut hanc controverſiam definiat, quia Dominorum Sorbonæ Doctorum deciſio eſt abſolute neceſſaria, ut conſuetudo jam inde a pluribus ſæculis in loco, de quo conſulitur, inveterata tollatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, & ad trutinam revocavit, Capituli, de quo quæritur, conſuetudinem Eccleſiæ Regulis repugnantem, rotundiſque verbis damnatam judicat in Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. relato in Jus Canonicum c. *Nulla extra de conceſſione Præbendæ*, cujus hæc verba ſunt: *Nulla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam Beneficia, vel Eccleſiæ retribuantur alicui, ſeu promittantur, antequam vacent: ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium ſe crediderit ſucceſſurum*. Quod etiam confirmatur ab eodem Pontifice c. *Relatum* eodem titulo, qui appellationes, quæcumque *in hoc negotio contingerent, rejiciendas*, floccique faciendas declarat.

Eamdem Regulam firmat Innocentius III. capitibus *Ex tenore*, & *Accedens*; in quorum primo ſilentium indicit ei, qui ex Abbatis promiſſione Beneficium ſibi vindicabat: *nos igitur attendentes, quod promiſſio illa non tenet, utpote contra Statuta Lateranenſis Concilii attentata; mandamus, quatenus memorato Clerico ſuper hoc ſilentium imponentes, ab impletione ipſius dictos Abbatem & Monachos abſolvatis*. Et quoniam Lateranenſe Concilium ſuæ conſtitutionis *rationem affert*, ei ſtandum eſt in omnibus caſibus, in quibus hæc ratio locum habet; hæc autem ratio locum habet, quoties morti proximus Beneficium dimittit ſucceſſorem proponens, cui petit, ut conferatur; tunc enim juſta ſemper cauſa ſubeſt timendi, ne is, cui fit hæc promiſſio, vehementius, quam par ſit, ad proviſionem aſpiret, & Reſignantis mortem deſideret. Ab his igitur conventionibus omnino abſtinendum eſt.

Hinc neceſſaria rerum conſecutione fit Collatorem ſollicitari non poſſe, ut quoad Beneficium nondum vacans alicui gratificetur, cum nunquam liceat, hominem ad id faciendum, quod Lege prohibitum eſt, invitari; atque ita liquido apparet, Capitulum, de quo conſulitur, jampridem in gravi abuſu verſari, atque ab eo recedere debere, præſertim cum ut animadvertitur in C. *Nulla* ex Lateranenſi Concilio: *cum enim in ipſis legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam gentiles condemnare curarunt*. Cui addi poteſt c. *Deteſtanda de conceſſ. Præbendæ in 6.* in quo Bonifacius VIII. omnes ejuſmodi promiſſiones univerſim proſcribit: *nos malis hujuſmodi*, inquit hic Pontifex, *& animarum periculis occurrere cupientes, promiſſiones eaſdem & alias quaſcumque ſub quovis modo & forma verborum de cætero faciendas, per quas directe vel indirecte aperiri via valeat ad Beneficia vacatura, auctoritate Apoſtolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes per eas vel ipſarum aliquam ad providendum alicui nullum deinceps quemlibet obligari.*

Deciſum Pariſiis in Sorbona hac die 10. Octobris an. 1686.
Auguſtinus *de Lamet*.

Beneficium, quod Conventuali Menſæ quiſpiam unire vult.

CASUS XX.

1 *Abbas nihil percipere poteſt ex fructibus Beneficii, quod Titularis Conventuali Menſæ unire vult, niſi ejus peculiaris res agatur in unionis cauſis.*

2 *Si is ad unionem promovendam ei, quo gaudet, ad hoc Beneficium nominandi juri renunciat, poteſt Pontifex aliquam fructuum partem ipſi concedere, qua quidem ille tuta conſcientia frui poteſt.*

QUÆSITUM.

Religioſus Sancti Benedicti, Titularis Prioratus Ordinis vult eum reſignare Monaſterio, a quo pendet, ea conditione, ut menſæ Conventuali in perpetuum uniatur; ut hanc unionem obtineat Abbatis, qui ejus Patronus eſt, conſenſu opus habet. Aſſentitur Abbas ea conditione, ut Communitas unionem ſervet, & ipſe tanquam Abbas Beneficii recens uniti parte fruatur.

Quæritur I. an Abbati liceat tuta conſcientia aliquid ſibi vindicare ex hujus Beneficii fructibus; poſtquam illud unitum fuerit?

II. An Religioſi poſſint id ei petenti aſſentiri? I. quia per hanc unionem Abbates ad hoc Beneficium nominandi jure in perpetuum privantur. II. quia ille de Abbatiæ bonis unitis aut traditis jure ſuo cum Religioſis participat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut Expoſitionis quæſtionibus ſatis fiat, illud fundamenti loco ſtatuendum cenſet, nunquam inſtituendas uniones eſſe, niſi adſit neceſſitas, aut utilitas juxta *C. Expoſuiſti extra de præbendis*. Hinc fit, ut uniones non niſi cauſa cognita fieri debeant; poſſet enim appellari tanquam ab abuſu, ſi ſecus fieret, ut animadvertit Rebuffus in ſua praxi beneficiaria *tit. de unionibus nn.* 4. 45. 46. & 47. *Praxis Gallorum eſt, ut ſoleant appellare tanquam ab abuſu, & iſtæ uniones ſine cauſa factæ præſumuntur ſubreptitiæ, ut fuit in Concil. noviſſimo Tridentino 7. Seſſ. dictum, hodie ergo in hoc regno Franciæ poſt Concilium Conſtant. nullæ recipiuntur uniones factæ in favorem perſonarum, vel ſi ſint factæ, ab eis appellatur tanquam ab abuſu: & Senatus eas abuſivas & irritas pronunciat*. Hoc poſito ad interrogationem primam reſpondetur, aut Abbatis Menſam a Religioſorum ſuorum Menſa ſejunctam eſſe, aut ſejunctam non eſſe. Si ratio, propter quam unio facta eſt, ad Abbatem ſpectat, par eſt eum hujus Beneficii fructuum participem fore, licet ejus Menſa ſejuncta eſſet; at ſi cauſæ, quæ Pontificem aut Superiorem ad unionem inſtituendam impulerunt, nequaquam ad Abbatem pertinent, ſecundum conſcientiæ regulas nullum jus habet petendi proventuum partem, propterea quod in Eccleſiæ mente, *Non datur Beneficium, niſi propter Officium*, præſertim vero in unionis negotio, cum ea non admittatur in Galiis, niſi Eccleſiæ utilis ſit, rejicianturque hæ gratiarum uniones tanquam abuſivæ ſecundum omnium Auctorum noſtrorum ſententiam, & Tridentinæ Synodi conſtitutionem; ne ipſe quidem Pontifex in Galliis eximitur a formulis, quæ ad utilitatem, quam ex unione Eccleſia percipit, cognoſcendam ſunt neceſſariæ: nimirum Abbas rationum, quæ hanc unionem ſuadent, minime particeps, non poſſet tuta conſcientia proventum Monachali menſæ unitum imminuere, aut contra Eccleſiæ voluntatem ex eo quicquam decerpere.

II. Cen-

II. Cenſetur, Abbatem in hujus Beneficii unionem conſentire non debere niſi propter bonum, quod inde ejus Religioſi percipient, cum ob eorum tantum utilitatem Eccleſia ipſam permittat, neque ei aſſentiri ipſe debeat majoris proventus ſpe; poſſet interim negotium Pontifici exponi, ac ſi ei aliquam Beneficii partem conceſſerit Sancta Sedes, ut Patronatus jus, quo ipſe ſe in ſuæ Communitatis favorem privat, ſarciatur, poteſt ea ipſe frui, nec non ejus Succeſſores, & Religioſi huic Pontificis conſtitutioni parentes a recto virtutis tramite non deflectent.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 26. Junii ann. 1687.
A. de Lamet.

Beneficium Regulare cum penſione reſignatum.

CASUS XXI.

1 *Eccleſiaſticus Beneficii regularis reſignationem recipiens non poteſt promittere ſe ſoluturum penſionem Reſignanti, qui Beneficii ejuſdem officio functus non eſt, & ſe in Familiam reformatam non eſſe ingreſſurum.*

2 *Non poteſt ipſe iiſdem conditionibus illud reſignare.*

3 *Cum hæc conventio ſit vitioſa & Simoniaca, Beneficium de jure vacat, & Patrono ſine conditione a poſſeſſore remittendum eſt.*

QUÆSITUM.

Reſignatur Beneficium ſimplex & regulare hac duplici conditione; prima eſt hæc, ut Reſignanti penſio ſolvatur; altera eſt hæc, ne Ordini reformato Reſignatarius nomen det.

Hic quidem duas has conditiones amplectitur, ſed aliquanto poſt cum ſatius haberet Beneficium amittere, quam in Ordinem reformatum, ad quem ſe a Deo appellatum putabat, non ingredi, Reſignans ei proponit, ut beneficium remittat, & cum iiſdem conditionibus alteri tribuat.

Quæritur, an id tuta conſcientia facere poſſit?

I. Dubitatur, an in Reſignantis favorem poſſit exigi penſio, quia ipſe creditur nunquam deſerviiſſe, ac ne poſſediſſe quidem beneficium, quod adhuc eſt ſub Judice.

Quod ſpectat ad conditionem alteram, ne ſcilicet Ordini reformato nomen detur, is, pro quo conſulitur, haud ſe poſſe putat eamdem exigere, ſeu ad Eccleſiæ Regulas, ſeu ad ſui ſtatus officia animum referat, cum ipſe quoque in Ordine reformato verſetur.

Præterea quæritur, an ob familiæ rationes poſſit hic Religioſus renunciare juri, quod habet, Succeſſorem eligendi in ejus favorem, qui ipſi præſentabitur conditionibus modo propoſitis; Exponentis animum turbat fides, quam ſe dediſſe putat ſe ita uſurum jure ſuo. Ita quoque ſe geſſit a ſua familia exſtimulatus, hortantibus iis, quos ipſe magni facit, quibuſque gravis inferretur injuria, ſi aliud conſilium ſuſciperet. Quamobrem Dominos Doctores rogat, ut ipſum edoceant, & aperte ſignificent, quomodo in his circumſtantiis ſe gerere debeat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod præſentem expoſitionem vidit, expenditque, putat poſſeſſorem beneficii, de quo quæritur, quocumque prætextu non poſſe renunciare juri, quo gaudet, eligendi perſonam obeundis ejus officiis idoneam, cum illud per reſignationem vult dimittere, non vero in Collatoris ordinarii manu; ipſi in hoc negotio eligendum eſſe dignum, atque adeo plurium Auctorum ſententia digniorem, atque in tam gravi re nihil aliud, quam Eccleſiæ bonum, atque utilitatem ei præ oculis habendum eſſe. Ratio eſt, quia Præſentatorum aut Collatorum ordinariorum obligationibus obnoxius efficitur. Eccleſia quippe reſignationes *in favorem* indulgentia quadam permittens nunquam eo animo fuit, ut reſignantes liberaret obligatione Præſentatoris titulo adnexa eos eligendi, qui beneficiorum ſervitio utiliores, aptioreſque eſſent; alioquin perſonarum acceptionem, quæ ſuapte natura mala eſt, & Divino Jure prohibita, ipſa probaret. Hæc eſt D. Thomæ Doctrina *2. 2. q. 63. art. 2. arg. ſed contra* D. Jacobi, & D. Auguſtini auctoritate firmata; atque in articuli quidem corpore obligationem digni eligendi, qua Eccleſiæ Miniſtri tenentur, oſtendit habita ratione beneficiorum, & bonorum ſpiritalium, quæ ipſi curare debent. Ex quo illud conficitur Exponentem id ſibi oneris imponere non potuiſſe, quocumque prætextu, ut perſonam, quæ ipſi a Familia præſentaretur, reciperet.

Conditio Reſignatario impoſita, ne reformatum Ordinem ingrederetur, utpote mala & perfectioni contraria, nunquam in ſtipulationem cadere potuit, atque hic Religioſus beneficio potitus illud hac conditione reſignare non poteſt.

Reſignans, qui ejus officia non obiit, non poteſt illud cum penſionis onere reſignare, quia Eccleſia, dum ad Beneficii fructus jus tribuit, aut præſtandum, aut jam præſtitum ſervitium ſpectat ſecundum tritum illud, *datur Beneficium propter officium*; itaque penſionis exigendæ nulla rationabilis cauſa ſuppetit Reſignanti, non ſecus atque illi, qui in præſentia poſſeſſione gaudet, cum ejus officia neuter obierit. Conventio hæc eſſet Simoniaca, nec veriſimile eſt, fore, ut eam Pontifex, ſi res, ut ſe habet, eidem exponeretur, probare vellet.

Negotium hoc generatim & cum ſuis omnibus circumſtantiis inſpectum vitii plenum eſt, & tanquam Simoniacum ſpectari poteſt in facta reſignatione, licet etiam Pontifex penſionem creaverit, propter adjectam conditionem, ne ſcilicet Ordinem reformatum Reſignatarius ingrederetur; eam enim in ſupplicatione expreſſam fuiſſe creditu difficillimum eſt. Quare quamvis ea conditio obligationem non inducat, cum ex earum genere ſit, quæ *turpes* appellantur, cum tamen una exstiterit ex præcipuis cauſis reſignationis, quæ ſine ea facta non fuiſſet, reſignatio hæc eſt omni robore deſtituta, & Simoniaca; beneficium de Jure vacat, Præſentatori pure & ſimpliciter remittendum eſt; eſt etiam a Romana Curia impetrabile.

Deciſum in Sorbona die 16. Aprilis an. 1689.
A. de Lamet.

Beneficium Parochiale cum promiſſione, quæ ad temporale, ſpectat, reſignatum.

CASUS XXII.

1 *Is, cui Avus Parochiam ſuam reſignavit, potuit abſque Simonia, & ſine confidentia Reſignantis Sorori ſcripto promittere ſe paſſurum, ut quoad temporalia Parochiam ipſa adminiſtraret, quia ea ſchedula reſignatione poſterior fuit, neque ad eam ulla prorſus ratione contulit.*

2 *Quoniam tamen eo ſe ſcripto obligare non debuit, ab eo reſilire quamprimum debet, quia poſſet quiſpiam inde occaſionem ſumere eum Simoniæ accuſandi, ejuſque Beneficium Devoluti titulo petere.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

PArochus extrema ſenectute confectus Beneficium ſuum nepoti reſignat; proviſiones a Romana Curia miſſas nepos Avunculo, hic ſorori ſuæ cuſtodiendas tradit; ſeptem poſt menſibus cum nepos ad poſſeſſionem ineundam adigeretur, ei Avia proviſiones reddere recuſat ægre ferens fratrem ſuum Beneficio ſpoliari; ſe tamen eas reddituram ait, ſi ille ſcripto promittat ſe paſſurum, ut ipſa Beneficii proventus recipiat, & rei familiaris curam gerat, prorſus ut ante reſignationem in uſu erat. Nepos re non ſatis diſcuſſa ſchedulam conficit, & poſſeſſionem adit; ſed cum deinde ſcrupulus ejus animum ſubiiſſet, ſchedulam repetit, reſcinditque. Id adeo indignata eſt Amita, tantoque furore exarſit, ut ad ejus animum ſedandum Avus nepotem rogaverit, ut novam ſchedulam ederet. Eam ipſe edidit, adeoque ad Sorbonicos Doctores ſupplex accedit, ut ii definiant, idne ſimoniæ, aut confidentiæ obnoxium ſit? Nota, illum penſionis centum ſcuta Avo ſtatuiſſe.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat quæſtionem propoſitam poſſe ad tria capita revocari, I. an Reſignatarius memoratam ſchedulam edere potuerit, ut Reſignantis ſororem tranquillaret, quæ quidem fratris ſui Parochiæ reditus ſemper adminiſtravit? II. An hac in re locum habeat ſimonia aut confidentia? III. quid Reſignatario ſit agendum, ut expurget, quicquid in hoc negotio vitioſum eſt?

Ad interrogationem primam reſpondetur, ſi res in ſe ipſa ſpectetur, nepotem non debuiſſe ſcripto aſſentiri, ut Avi ſui ſoror pergeret Parochiæ reditus adminiſtrare; illud enim ordo requirit, ut ejus ſit adminiſtratio, cujus eſt Beneficii titulus; alterum ab altero non ſejungitur, quoniam alterum eſt compenſatio & fructus alterius: *Beneficium propter officium*. Præterea a Canonibus alienum eſt, ut Laici Eccleſiaſtica bona adminiſtrent, *cap. ex ratione de æt. & qualit. cap. bene quidem §. Sancta Synodus diſt. 16. cap. 24. Laicis 16. quæſt. 7.* omnino ad rem: *Laicis, quamvis Religioſis, nulla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur attributa facultas*. Itaque Chalcedonenſis Œcumenica Synodus *cap. 25.* vetuit, ne Epiſcopi Laicos in proventuum Eccleſiaſticorum œconomos eligerent, ſed ſtatuit, ut eos de Clero ſumerent: *Placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui diſpenſet res Eccleſiaſticas*. Gratianus teſtimonium hoc refert in ſuo Decreto *16. q. 7. c. Quoniam*, & Gloſſa in hunc locum *v. Epiſcopum* explicat, quid Œconomi nomine ſignificetur: *dicitur autem Oeconomus, cui res Eccleſiæ mandatur gubernanda*. Ratio eſt, quia verendum eſt, ne Laici, cum Eccleſiæ non adhæreant, ejus negotia negligant, ejuſque reditus contra ipſius mentem & regulas impendant, eos denique diſſipent, aut alienent, aut excidere patiantur. Idem Concilium aliam quoque rationem affert: *ut non ſine teſtimonio ſit gubernatio rerum Eccleſiaſticarum, & ex hoc eveniat diſpergi ejuſdem res Eccleſiæ, & Sacerdotali dignitati obtrectatio generetur; ſi vero quis non obſervaverit hoc, divinis ſubjaceat regulis*.

Nihilominus ſi negotium ejus, qui conſulit, ſpectetur, prout propoſitum eſt, & cum ſuis omnibus circumſtantiis, excuſari poteſt, quia ſecundam ſchedulam ea tantum de cauſa edidit, ut ſibi pacem compararet, & Parochiæ per Avi reſignationem ad ſe legitimo titulo pertinentis proviſiones ad ineundam poſſeſſionem neceſſarias ab Avia extorqueret, ſeque a Beneficii amittendi periculo liberaret.

Ad ſecundam; in propoſita facti ſpecie nulla occurrit Simonia, aut confidentia, quoniam Schedula eſt reſignatione poſterior; ſi enim eam præceſſiſſet, confidentia extitiſſet proſcripta in priori parte Bullæ Pii V. *Intolerabilis*, atque adeo ſimonia propter pactum, cujus gratia reſignatio facta eſſe cenſeretur; porro quodvis ejuſmodi pactum in re Beneficiaria eſt ſimoniacum *c. ult. de pact. & cap. Tua nos, de Simon.*

Ad tertiam; Reſignatarius nulla interjecta mora Schedulam ſuam revocare debet, non ſolum quia ad ipſum, non autem ad ejus Aviam ſpectat Parochiæ adminiſtratio, ſed etiam ut Devolutum evitet; licet enim revera hujus ſcripti vi quicquam promittere in animo non habuerit, illudque in reſignationis gratiam non dederit: tamen in foro externo poſſet ita præſumi, & excogitatæ ſimoniæ prætextu ejus Parochia Devoluti jure poſtulari.

Deciſum hac die 24. Julii an. 1689.

A. de Lamet.

Beneficium cum cura reſignatum adoleſcenti, qui ætatem ad Sacerdotium ſuſcipiendum neceſſariam nondum attigit.

CASUS XXIII.

Decanus cum animarum cura Decanatum ſuum Sacerdotium requirentem Juveni annos tantum viginti nato reſignare non poteſt, eo prætextu, impetraturum ipſum a Pontifice diſpenſationem ad ejus poſſeſſionem neceſſariam, quoad ei per ætatem liceat Presbyteratum ſuſcipere.

QUÆSITUM.

ABbas in Epiſcopum eligitur. Cum pinguem poſſideat Decanatum, quem dimittere neceſſe habet, Marchio eum rogat, ut illum ipſius filio reſignet, qui quidem duobus ab hinc annis ſe Clericali militiæ nomen dare velle teſtatur; Epiſcopus, qui ſibi licere cuperet eidem gratificari, interrogat, idne tuta conſcientia facere poſſit. En rationes, quibus ad dubitandum movetur. I. viginti tantum annorum eſt Abbas, & ad Decanatum hunc poſſidendum requiritur ſacerdotium. II. timet, ne Abbas ad Clericalem ſtatum amplectendum ſolummodo Beneficii hujus poſſidendi deſiderio moveatur. Reſpondetur ad difficultatem primam, Expeditionarios aſſerere, licet Abbas decimum nonum ætatis annum haberet, impetrandam tamen facile a Romana Curia diſpenſationem fore ad poſſidendum Beneficium, ea conditione, ut Preſbyteratus Ordinem ſuſciperet, cum vigeſimum quartum annum attigerit; Pontificis autem diſpenſatio debeat Epiſcopum ſcrupulo liberare, ejuſque conſcientiam in tuto ponere.

Ad difficultatem alteram reſpondetur Abbatem ad Clericalem ſtatum ſuſcipiendum non jam cupiditate, & ſpe Decanatus hujus obtinendi, ſed animo Deo ſerviendi, ſuæque curandæ ſalutis moveri; quoniam ſive hoc Beneficium poſſideat, ſive non, hunc ſtatum amplecti ſtatuit.

Illud præterea animadvertitur, cum Dei ſit hominum corda ſcrutari, Epiſcopum nec poſſe nec debere ulterius inveſtigare, præſertim cum mores, & conſilia nihil Eccleſiaſticæ vocationi contrarium indicent.

Additur & illud, ſi quid in hoc negotio timendum eſſet, id ex ejus tantum parte ſe habere poſſe, qui Beneficium reciperet, ſi nempe ſine qualitatibus & diſpoſitionibus neceſſariis ejus poſſeſſionem iniret, non autem ex ejus parte, qui illud in Pontificis manu reſignat, ad quam ſane ſpectat diſpenſationes, quæ ab eo petuntur, concedere, aut negare.

RESPONSIO.

Doctores Theologi ſubſcripti, qui hanc expoſitionem viderunt, diſerte negant ſe poſſe conſulenti Epiſcopo auctores eſſe, ut Abbati, de quo agitur, ſuum Decanatum reſignet, quippe qui nec ætatem, nec ordinem habeat, quem hæc Dignitas expoſtulat. Perſonales hujus Abbatis qualitates non ſatis ipſis perſpectæ ſunt, ut definiant Eccleſiæ expedire, ut in ejus gratiam præter regulas ſtatuatur; & quoniam ex Expoſitione conſtat poni tanquam certum ſolam Pontificis diſpenſationem ad Reſignantis & Reſignatarii conſcientiam in tuto ponendam ſufficere; judicant Subſcripti e re eſſe eos, qui conſulunt, admoneri diſpenſationes apud Deum non valere, niſi cum ad commune bonum, & utilitatem Eccleſiæ referuntur; eſt hæc Theologorum & Canoniſtarum doctrina, in qua ſanctos Patres duces ſecuti ſunt. Divus Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium Pontificem diſpenſationes, quæ regulis adverſantur, diſſipationem atque excidium appellat. Gloſſa in cap. *non eſt l. 3. Decretal. de vot. & vot. redempt. v. adimplere* docet eum, qui diſpenſationem obtinet tuta conſcientia non eſſe, niſi ea juſta cauſa nitatur: *ſi juſta cauſa ſubeſt.... alias non eſt ſecurus quoad eum, cum quo Papa diſpenſat*; & Divus Thomas eam tantum diſpenſationis obtinendæ cauſam juſtam putat, quæ ad publicum bonum eſt utilis. Tradit ille doctrinam hanc 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *ad primum ergo dicendum*, inquit, *quod quando diſpenſatur cum aliquo, ut legem communem non ſervet, non debet fieri in præjudicium boni communis, ſed ex intentione, ut ad bonum commune proficiat*. Canoniſtæ, qui in Romana Curia verſati ſunt, quique proinde ejus regulas & mentem optime norunt, eamdem ſententiam tuentur; ejuſmodi eſt Pyrrhus Corradus *Diſpenſat. Apoſtolic. l. 1. c. 2. fuit diſpenſatio inventa*, inquit Auctor hic, *ut eſſet pars juſtitiæ diſtributivæ; quia cum legiſlator faciat legem communem, omnes comprehendentem, & eveniant multæ cauſæ, propter quas naturalis ratio, & illa extrinſeca veritas facti non animadverſa, nec conſiderata a legiſlatore, ſuadet factum illud non debere comprehendi ſub illa generali determinatione; lex voluit eſſe unum, qui ſecundum terminos juſtitiæ diſpenſaret adverſus tenorem legis; & hic eſt Princeps, quæ eſt viva ratio, & lex animata: unde diſpenſatio reducitur ad cauſam juris; alias enim dicitur diſſipatio*. Theodorus Amydenius monet diſpenſatione ad retinendos duorum Beneficiorum fructus a Pontifice conceſſa Impetrantem quoad forum quidem externum in tuto poni, non vero quoad internum; quod alio ſane fundamento niti non poteſt, quam generali Theologorum & Canoniſtarum principio. Idem ſentit Covarruvias *de Matrim. c. 6. §. n.* 17. &c. Ex quo liquet ad conſcientiam tranquillandam haud ſatis eſſe diſpenſationem obtineri, niſi bonum publicum ejus concedendæ cauſa & ratio ſit.

Quod quidem ei eſt animadvertendum, qui Beneficium reſignare vult, qui perſonæ, in cujus favorem dimiſſionem inſtituit, rationem redditurus eſt, ac proinde debet de ejus ſufficientia & capacitate certus eſſe, prout ſtatuit Tridentina Synodus *ſeſſ. 7. c.* 3. atque antea docuit D. Thomas in ſua 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. in hæc verba: *Ad tertium dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum; nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc ſit propter aliquam cauſam. Quæ quidem ſi pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: ſi vero non pertineat ad negotium, id quod conſideratur ut cauſa, erit manifeſte exceptio perſonæ.*

Subſcriptis viſum eſt Caput hoc paulo fuſius tractandum eſſe, ut qui conſulunt, intelligant, rationes, quæ in Expoſitione allatæ ſunt, a Theologorum & Canoniſtarum ſententia magnopere alienas eſſe, atque ad Beneficia non mediocria expetenda non ſatis eſſe amplectendi ſtatus Clericalis voluntatem habere, ſed habilitatem ad eorum munia exequenda neceſſariam requiri, ut monet Cajetanus *in Summula* v. Beneficium. *Ubi ſcito*, inquit Auctor hic, *quod perſona appetens debet ſe ipſam menſurare per reſpectum ad tria, ſcilicet ad regimen animarum, ne præſumptione ad artem artium elatum ſe inveniat: & ad oves, quibus paſcendis vacaturus eſt, ut tantum diſtet vita ſua ab illis, quantum vita paſtoris a grege, & ad alios, quibus tribui poteſt, aut debet tale Beneficium, ne ſe dignioribus aut æque dignis anteponat*. Id quod cadit in propoſitam facti ſpeciem, quoniam de Decanatu agitur, cujus ſpiritualis juriſdictio non ſolum ad Capitulum ſpectat, ſed ad Urbis etiam populos pertinet.

Deciſum in Sorbona hac die 11. Maii an. 1672.

Aug. *de Lamet*.

Beneficium cum penſione unitum Familiæ Hoſpitalium.

CASUS XXIV.

1 *Regulare Beneficium Religioſarum Hoſpitalium Familiæ ad pauperum ſubſidium uniri poteſt, ſi ſatis illa proventuum non habeat, ut eoſdem ſuſtentet.*

2 *Solus Pontifex unionem hanc inſtituere poteſt, ſervatis formulis in jure præſcriptis.*

3 *Beneficiarius, qui huic Familiæ ſuum Beneficium uniiſſet, ſibi reſervata penſione, non poſſet ejus aut omnino, aut ex parte jacturam facere.*

QUÆSITUM.

Eccleſiaſticus Titularis in Commendam Prioratus Ordinis S. Auguſtini eumdem unire in animo habet Religioſarum ejuſdem Ordinis Hoſpitali, cujus proventus ad pauperibus opitulandum non ſufficit, ſibi tamen reſervata librarum 600. penſione ex hoc Beneficio, cujus annuus cenſus eſt 1200. Hac in re quærit, an hæc unio tuta conſcientia fieri poſſit?

II. An Abbatis & Religioſorum, a quibus Beneficium pendet, conſenſus obtinendus ſit, cum illud Abbatiæ ejuſdem Ordinis pars extiterit, & a Canonicis Regularibus poſſeſſum fuerit?

III. An facta hypotheſi penſionem ipſi non ſolvi, poſſit ad ſuum Beneficium redire, atque an ea aliquando imminui nequeat, eo prætextu, quod æquo major Hoſpitali videatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat conſulentem curare poſſe, ut huic Hoſpitali ipſius Beneficium uniatur, ſi tamen illud bonorum non ſatis habeat, atque alia ex parte nihil reſervare poſſit, ut pauperibus ibidem receptis neceſſarium levamen afferat; etenim ex jure *C. expoſuiſti de præb. & dign.* abſque evidenti neceſſitate aut Eccleſiæ utilitate non eſt abolendus titulus, aut mutanda fundatio.

Quoad interrogationem alteram, petenda eſt ad obtinendam unionem hanc a Romana Curia proviſio. Tunc Pontifex ante ejus conceſſionem committet *in partibus* ad informandum *de commodo & incommodo*, & eos omnes, quorum intererit, arceſſendos mandabit: *vocatis*

catis iis, *quorum intereſt*, inquit Tridentina Synodus *Seſſ. 7. c. 6. de Reform.* Itaque arceſſentur Abbas, & Religioſi, a quibus hoc Beneficium pendet.

Denique ut interrogationi tertiæ ſatisfiat, ſi poſt has, aliaſque Juris formulas, quæ in ejuſmodi facti ſpecie ſervandæ ſunt, Pontifex hanc unionem inſtituit, is, qui conſulit, ſuæ penſionis jacturam, aut imminutionem timere non debet; cum enim unio nonniſi cum penſionis clauſula creanda ſit, eo minus ei quicpiam detrahi poterit, quod cum Beneficii proventum omnem ſibi, quamdiu viveret, retinere potuerit, in pauperum gratiam dimidia ejus parte contentus eſſe maluerit; neque vero de penſionis ſolutione dubitari poterit, ea quippe Hoſpitalis, & Beneficii proventu nixa, ejus proventus evadet certior, ipſiuſque penſio eidem tutior.

Si tamen ob improviſum aliquem caſum contingeret haud ei ſatisfieri, ad ſuum Beneficium regredi, aut ut unio tolleretur, efficere minime poſſet, propterea quod in hujuſmodi unionibus evidens neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas potius, quam privatæ perſonæ commodum ſpectatur. Ita quamdiu rei publicæ intererit unionem ſubſiſtere, ea minime revocabitur; multoque minus hæc revocatio continget eorum judicio, qui Clementinam ſequuntur, *ſi una de reb. non alien.* & Caput *Conſultationibus de Donat.* ſentientes ad hujuſmodi unionem inſtituendam Titularis Beneficii convocationem abſolute neceſſariam non eſſe. Quapropter quoniam non Beneficiarii, ſed Eccleſiæ bonum in unione ſpectatur, ea in privatæ perſonæ gratiam aboleri non poſſet; quamquam etiam unione ſtante rationes aliæ Beneficiario præſto eſſent, quamobrem ſuæ penſionis ſolutionem exigeret.

Deciſum Pariſiis hac die 25. Maii an. 1692.
Germanus *Fromageau*.

Beneficium, cujus ut jura ſerventur, ineunda litigia ſunt.

CASUS XXV.

1 *Non deſunt Caſus, in quibus tenetur Parochus litigare, ut Beneficii, aut Eccleſiæ ſibi commiſſæ jura tueatur.*

2 *Obligatio hæc quandoque cum mortalis peccati pœna conjuncta eſt.*

3 *Reſponſio ad teſtimonia, & exempla, quæ huic deciſioni repugnare videntur.*

QUÆSITUM.

Exiſtit in cujuſdam Parochi Cura Vir nobilis potens & litigioſus, qui eidem plura ipſius Beneficii & Eccleſiæ jura contendit.

Quæritur, an ſub lethalis culpæ pœna Parochus hic ad ſua jura ſarta tecta ſervanda litigare teneatur?

Negant id nonnulli D. Pauli verbis permoti 1. *Cor. 6. Quare non magis fraudem patimini?* 2. Tim. 2. *Servum Dei non oportet litigare*; eo etiam nixi, quod in Sancti Bernardi vita memoriæ proditur *c. 24. p. 1264.* eum nempe decem Monaſteriorum erectionem deficere æquo animo paſſum eſſe, quod litigare nollet, licet id jure optimo facere poſſet. In medium pariter afferunt Sancti Caroli exemplum ejus vitæ cap. 7. qui receſſit a lite proſpero eventui proxima, in qua de Abbatia, cujus duodecim mille ſcutorum annuus reditus erat, agebatur. Ad extremum ſententiam hanc maxime probabilem eſſe contendunt, quoniam conformis eſt deciſioni 68. Collationum Lingonenſium *tom. 3. p. 363.*

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Parochi Beneficio aut Eccleſiæ adeo gravem injuriam inferri poſſe, ut ab ejus juribus coram Judice tuendis abſque mortali peccato ſe ipſe continere non poſſet, quamlibet potens eſſet Adverſarius; neque vero alia ipſi ratio præſto eſſet, qua injuriæ, quæ ſibi intentatur, occurreret. Neque enim ſpectandus eſt Parochus tanquam ſimplex privata perſona, quæ cum bonorum ſuorum dominio gaudeat, ea prout vult, & in cujus gratiam vult, diſponere poteſt. Si Beneficiarius Beneficii ſui proventuum dominus eſt, nullum tamen in jura, quæ ab eo pendent, adeoque minus in Eccleſiæ ſuæ jura dominium habet; eorum potius tutor eſt & defenſor, ut ad ſuos Succeſſores ipſa tranſmittat, quibus, ſi eadem negligeret, non mediocrem injuriam irrogaret, & proinde coram Deo ſe gravis peccati reum exhiberet.

Divi Pauli verba ex priore ejus Epiſtola ad Corinthios cap. 6. v. 7. in contrariam partem adducta nihil probant, quia nimis probant; poſſet enim concludi non ſolum fore perfectius ſemper a litibus abſtinere: *quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini?* verum etiam peccatum fore alterum cum altero judicio contendere; etenim dicitur: *jam vero delictum eſt in vobis, quod habetis judicia inter vos.* Nihilominus litigare non eſt res ſuapte natura mala; oſtendit id Paulus exemplo ſuo, quoniam ipſe ab injuſta perſecutione, quam patiebatur, ad Cæſarem appellavit: *Ad Cæſarem appello*, ut refertur Actuum Cap. 25. v. 11.

Sæpe quidem fit, ut ratione finis, quem ſibi quis in litigando proponit, mediorum, quibus utitur, & plurium circumſtantiarum, quæ comitantur, lites peccato nequaquam vacent; non inde tamen, aut ex Apoſtoli textibus ſequitur nullum unquam caſum exiſtere, quo litem agi permiſſum non ſit, atque adeo neceſſarium. Videantur Interpretes Divi Pauli, & inter alios Eſtius, qui non unum Caſum recenſent, in quo neceſſe eſt jus ſuum propugnari, adeſtque litigandi obligatio: *Certum eſt in aliquot caſibus delicto carere, litigare; imo laudabile, pium, & neceſſarium eſt injuriam judicio repellere: velut ubi quis non ſuum ac privatum, ſed publicum alicujus Communitatis agit negotium; ut Eccleſiæ, Monaſterii, Collegii; maxime ſi ex obedientia, aut ex officio id faciat: ubi quis bona pauperum, pupillorum, viduarum vel ablata, ſeu male alienata repoſcit, vel ne tollantur, obſiſtit.... denique cum adverſarius videtur futurus ad nocendum audacior, ſi non auctoritate Judicis reprimatur.*

Cum Parochus coram Judice ſuæ Parochiæ, aut Eccleſiæ jura contra jus, faſque impetita tuetur, pupilli, cujuſmodi eſt Eccleſia, bono litigat, minus nempe de ſua ipſius, quam de publica utilitate ſollicitus; ac tunc quidem non modo non peccat, ſed peccaret, ſi ea deſereret, quoniam ex officio ad ea ſuſtentanda eſt inſtitutus. Porro Sancti Bernardi, & Sancti Caroli exempla ad rem præſentem tam parum faciunt, quam hoc aliud oraculum Sancti Pauli, quo dicitur: *ſervum Dei non oportet litigare*; & ſane hoc loco Apoſtolus loquitur de verborum contentionibus & conteſtationibus quoad quæſtiones vanas & ineptas, quas Dei Servus vitare debet.

Maximum porro diſcrimen intereſt inter Sanctos Bernardum, & Carolum, quorum alter decem Monaſteriorum erectionem, alter Abbatiæ Scutorum duodecim mille poſſeſſionem recuſarunt, ne litigarent: & hunc Parochum, cujus impetuntur jura legitima, quæ ad ejus Beneficium pertinent, aut qui ſe coactum videt Eccleſiæ ſuæ jura tueri; ad id is obligatur tituli ſui vi; eſt hoc ex præcipuis muneribus ſuo Parochi ſtatui annexis. In his circumſtantiis Divus Bernardus non verſabatur: Monaſteria, quibus renunciavit, in ejus poteſtate non erant, utpote nondum ædificata. Quapropter juri, quod habebat, renunciando ſuum eſſe credidit a negotio alienum animum teſtari, ſatius ducens, perdendo cedere, quam vincere litigando: *Gratulari etiam conſueverat decem circiter Monaſteria, vel ædificandis Monaſteriis loca congrua numerari injuſte ſibi ablata, dum contendere nollet, & magis eum vinci, quam alios vincere delectaret.*

Idem D. Carolo dicendum eſt; nondum enim duodecim mille ſcutorum Abbatiam poſſidebat, quam ei Cardinalis contendebat; & Collegæ hujus amicitiam lucrari maluit, jus ſuum ei cedens, quam ſe negotio implicare, quod ipſius tantum privatum commodum ſpectabat, quodque a divinis rebus, quibus omnino addictus eſſe volebat, facile ejus animum avocare potuiſſet: *ſponte ceſſit*, ait ejus vitæ Au-

tæ Auctor, *ac remiſit, quidquid in ea re poſſet conſequi, motus, quod neque negotiis ejuſmodi volebat ſuum a rebus divinis animum diſtrahi; neque cum Collega judicio diſceptare: omnino quod litem nullam, quæ ad ſe privatim pertineret, in qua eſſet actor, proſequi apud ſe conſtitutum habebat*; & ſubinde de ejus Collega: *cujus animum remittendo ſedare, & ad amorem allicere in manu ſua eſſe videret*. Ex quibus verbis licet intelligi D. Carolum id conſilii cepiſſe, ut ab iis litibus abſtineret, in quibus ipſe actor eſſet, & in quibus de ipſius peculiari bono ageretur; quod ſane exemplum Parocho accommodari non poteſt, qui cogitur ſui Beneficii, aut ſuæ Eccleſiæ jura tueri.

Verum quidem eſt, huic Parocho, ut ſe prudenter & ſecundum regulas gerat, antequam cum Viro nobili, de quo queritur, litiget, Epiſcopum eſſe conſulendum; qui negotium totum, partium jura, litis progreſſus, & periculum cadendi cauſa, ſiquidem ea ſuſcipienda ſit, expendenda committet; tum Parocho rationem, quæ ineunda ſit, præſcribet; atque is eam tenens coram Deo & coram hominibus tutus erit. Verum illud conveniat neceſſe eſt caſus occurrere, in quibus ſine gravi culpa Parochus pati non poteſt, ut jura non levia ad ſuum Beneficium ſpectantia evertantur; & tunc quidem eum litigare debere, ſi ea nonniſi litigando tueri poſſit; illud enim indubitatum eſt, eum, qui jura tertii defendere ex officio tenetur, peccare, niſi id ſua culpa faciat; atque affirmari poteſt, peccati gravitatem ex magnitudine damni, quod ex ipſius negligentia infertur ei, cujus intereſt, penſandam eſſe.

Quod ſi Collationes Lingonenſes contendunt maxime probabile eſſe nunquam Parochum obligari ad Beneficii ſui jura coram Judice ſuſtinenda; ſingularis, omnique fundamento deſtituta eſt ſententia hæc.

Deciſum hac die 2. Martii an. 1702.
G. *Formageau*.

Beneficia Parochialia Regularia.

CASUS XXVI.

1 *Parochiæ, quæ pendent a Canonicis Regularibus, nonniſi a Regularibus poſſideri poſſunt.*

2 *Olim amovibiles erant, neque hi Parochi eligi poterant niſi ex Abbatia, ad quam Beneficia pertinebant.*

3 *In præſens hæ Parochiæ ſunt in titulum perpetuum: ſed vacationis tempore nominandi ſunt Canonici Regulares, ut uſque ad Titularis creationem eas adminiſtrent.*

QUÆSITUM.

EPiſcopus N..... Abbas Familiæ Canonicorum Regularium eos reperit eligere ſolitos in ſua Diœceſi, ut etiam in aliis pluribus, qui teneant regulares curas, quæ ab ejus Abbatia pendent, quoad occupentur. Quæritur, an hæc conſuetudo nitatur Jure, quemadmodum ipſi contendunt, an vero conſenſu tantum Epiſcopi Diœceſani? An id juris ad eos ſpectet lite inter duos Contendentes pendente, ea conditione, ut Religioſus ad Curam nominatus poteſtatem neceſſariam ab Epiſcopo accipere debeat vi Commiſſionis ſuorum Superiorum, quam ei exhibere debet, an vero Epiſcopus ei ſuam approbationem negare poſſit, licet idoneum cognoſcat, & Presbyterum ſæcularem ad deſerviendum eligere?

Canonici Regulares ſuum jus rationibus hiſce confirmant.

Ajunt, I. ſe utpote eſſentialiter Clericos in jure & poſſeſſione Parochiis deſerviendi ſemper extitiſſe, pluresque Bullas in medium afferunt, quibus id juris ipſis tribuitur.

Eugenius III. ut legitur *Tom. 20. Concil. Col.* 1448. confert hoc jus Canonicis Regularibus in ſua Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, in Diœceſi, in qua Abbatia Sanctæ Geneveſſæ Parochias poſſidebat,

Alexander III. idem ſtatuit in favorem Præmonſtratenſium.

Innocentius III. *C. quod Dei timorem*, loquitur in hæc verba: *licet in Lateranenſi Concilio de Monachis caveatur, ne ſinguli per Villas & Oppida per quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias; quia tamen iſtud de canonicis Regularibus non cavetur, duximus, ut exerceant plebani officium.* Bullas has nullus unquam Pontifex revocavit; quod argumento eſt omnes idem ſenſiſſe.

Paſchalis II. expreſſis verbis declarat Canonicos Regulares ſemper functionibus Paſtoralibus addici conſueviſſe: *cum huic Ordini a Patribus diſpenſatio verbi Dei, prædicationis officium, baptiſmus, reconciliatio pœnitentium, ſemper credita fuerint, nos eorum exempla ſecuti Patrum ſanctiones confirmamus.* Quod Innocentius XI. renovavit, confirmavitque in ſuo Brevi an. 1680. ad Canonicos Regulares Gallicæ Congregationis.

II. Certum Beneficiorum numerum Canonicorum Regularium Monaſteriis aſſignatum fuiſſe cum decimis, aliiſque proventibus, ſive ab Epiſcopis, Eccleſiæ primis temporibus, quibus penes illos erat omnium Eccleſiaſticorum bonorum diſpoſitio, ſive a Fundatoribus, cum conſenſu Principis, & Epiſcoporum, qui ea tribuerunt ad eorumdem Monaſteriorum *dotationem*, & ad Communitatis *ſubſiſtentiam*, ut legere eſt in Fundationum titulis, ea lege, ut ſolverentur Beneficii munia, quorum præcipuum eſt ſervitium, ad quod Religioſus a Monaſterio nominandus eſt, quemadmodum diſerte declaratur in hiſce Titulis, *ut in eo deſerviant fratres.*

III. Hæc Beneficia fere occupata fuiſſe per ſimplicem Commiſſionem a Communitate collatam Religioſo, qui revocari poterat, & revocationis vi ad ſuum Monaſterium regredi tenebatur. Teſtatur id Stephanus *de Tournay*, qui fuerat Canonicus Regularis, expreſſis verbis in ſua Epiſt. 119. in qua hæc habet: *Ab exordio ordinis noſtri Parochiales Canonicos noſtros conſuevimus amovere, & ad Clauſtrum reducere.* Abbatia S. Victoris Pariſienſis adhuc hoc jure gaudet, idque in univerſa Italia obtinet.

IV. Jus novum in eo tantum veteri derogaſſe, quod Beneficiarios, qui amovibiles erant, perpetuos reddidit. Quod in cauſa eſt, ut obligatio nominandi ad Beneficia Regulares ex ea Familia, a qua pendent, adhuc vigeat. In Romana quoque Curia nullum Regulare Beneficium Sæculari confertur, niſi ea lege, ut ipſe ſe præſentet Familiæ, a qua illud pendet, ut ibi Religionis habitum ſumat, & per Profeſſionem Religioſam, quæ ſola ipſum ejus poſſidendi capacem reddere poteſt, Communitatis membrum evadat: quælibet oppoſita praxis nonniſi abuſus eſſe poteſt.

Ex his principiis conſecutiones hæ derivantur.

I. Regulares Curas a Canonicis tantum Regularibus obtineri poſſe.

II. Regularem hunc ex Monaſterio petendum eſſe, a quo Beneficium pendet, & non aliunde, niſi deficientibus idoneis perſonis, aut aliis de cauſis Communitas aſſentiatur. Ad ſervandum jus hoc Innocentius XI. Canonicis Regularibus Congregationis Gallicæ Bullam conceſſit, quam in Sanctæ Geneveſſæ Pariſienſis Acta referri ſtatuit, quaque eos omnes, qui hujus Congregationis Religioſi non fuerint, a Beneficiis excludit, quæ quidem ad eam pertinent, niſi per ſuum Procuratorem Generalem ipſa conſenſerit.

III. Hæc Beneficia, quamdiu quidem per Vicarios amovibiles adminiſtrabantur, nunquam, ſi exacte loquimur, vacaviſſe, quoniam Communitati, cujus erat ea regenda curare, annexa erant; itaque Communitas quoad ea proprie erat id, quod dicitur primitivum, Religioſi vero ſolum erant Vicarii amovibiles. Nullus tunc Sæcularis ea poterat in titulum poſſidere. His porro temporibus Regulares ea poſſident hac ratione; atque illi quidem hac de cauſa Parochi nuncupantur, ratione populi, cujus curam habent; Priores, Religioſorum ratione, qui cum iis in Communitate ſub ipſorum regimine aliquando vivebant; & Vicarii, ratione Monaſterii, quod eos mittit, ut ſuo nomine deſerviant.

IV. Si in his Parochiis annui cenſus jus apud Epiſcopum eſſet, cum nonniſi Regularibus ſervi-

tium

tium tribuere poſſe; quandoquidem vi Juris Sæculares ad Paſtoris Sedem ibidem occupandam inepti cenſentur.

Canonicis Regularibus id ſibi vindicantibus opponitur, I. Quemadmodum poteſt Pontifex regulare Beneficium Sæculari in Commendam conferre in perpetuum, ita Epiſcopum poſſe ad tempus idem facere, delegato Sæculari, qui vacationis tempore eidem deſerviat.

II. Per Regis Declarationem, cum Parochia contentioſa eſt, oportere, ut Epiſcopus alii, quam Contendentibus ejus adminiſtrationem committat, donec exiſtat Parochus, qui eo tranquille fruatur.

III. Communitatem carere jure prorſus omni præſentationis ad Beneficia, niſi Abbas, ad quem ea ſpectat, id illi vi Concordati conceſſerit. Ex quo concluditur Deſervientis nominationem vacationis tempore ad illum, non ad Religioſos ſpectare.

Sed Canonici Regulares ad Objectionem primam reſpondent, Commendas has a Pontificibus non concedi, niſi ad Beneficiorum bonum, ut cum ipſi exponitur reparationum & diſpendiorum non parum exiſtere, quibus ex Beneficii proventu perficiendis Religioſus impar eſſet. Verum exceptis his caſibus, quænam utilitas, inquiunt illi, in Regularem Curam redundat, ſi Sæcularis eidem deſerviat, cum in Monaſterio, cui illa aſſignata eſt, exiſtunt Regulares ad ei deſerviendum idonei?

Ad Regis Declarationem reſpondent, eam ad ſæculares tantum Parœcias ſpectare, ac ſi ad Regulares quoque referatur, per eam id unum ſtatui, ut Epiſcopus jure gaudeat Religioſum alium a contendentibus committendi. Ejuſmodi mens eſt Principis, qui valde quidem alienus eſt a detrahendo Abbatiæ jure, quod vi fundationis ad eam pertinet.

Ad id denique, quod objicitur jus præſentandi ad Monaſterii Beneficia Abbati congruere, reponunt, Abbatem hoc jure uti non poſſe, niſi Religioſum nominando; ſed quoniam præſentationis jus ab origine Monaſterio collatum fuit, neque alia de cauſa poſt titulorum inſtitutionem ad Abbates devenit, quam ut Titulares crearent, nempe ut nominatos in perpetuum Beneficiis addicerent: eorum facultas ulterius non progreditur, & per eos adhuc remanet penes Communitatem jus & mos, qui ſemper in ea fuit, aliquem ex ſuis Religioſis nominandi, qui vacationis tempore Beneficio deſerviat.

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ſi Cura Canonico Regulari conſtanter affecta eſt, Epiſcopum non debere, etiam in litis caſu, ejus adminiſtrationem alii, quam Canonico Regulari committere; ita ut eam Sæculari tradere ei minime liberum ſit. Verum ſi de Beneficii natura, atque, an regulare eſſet, controverteretur, liceret Epiſcopo Sæcularem eligere, qui ei deſerviret, dum interim controverſia definiretur. Porro ſi nulla adſit conteſtatio, Canonicorum Regularium Communitati affectum ejuſmodi bonum eſt, quod dotationis partem conſtituit; eſt eleemoſyna, aut fundatio in ejus favorem inſtituta, ut ex Bullis in Expoſitione allatis licet intelligi; ita ut ſi Regulares Canonici præſto fuerint, qui hujuſmodi Beneficiis deſervire valeant, ſint præferendi. Ex quo fit, ut Sæcularium electio nonnihil a juſtitia aliena futura ſit.

Sane hic non quæritur, utrum Epiſcopo ad aliquod tempus liceat Regulare Beneficium in Commendam conferre. Solius quippe Romani Pontificis eſt horum Beneficiorum naturam mutare. Præterea non apparet, quamobrem bonum, quod vi fundationis ad Monaſterium pertinet, ei detrahi, niſi id quidem ad tempus fuerit, atque extraneo conferri poſſit. Aliis duabus objectionibus, quæ contra Canonicorum Regularium jus proponuntur, ſatis in Expoſitione factum eſt.

Quocirca, quoniam demum neceſſe eſt, ut Canonicus Regularis hanc Curam teneat, concluditur oportere, atque utilius fore, ut eligatur in propoſita facti ſpecie Regularis idoneus, qui deſerviat Curam expectans, ut ita Regularis adminiſtrationi Populus aſſueſcat.

In Sorbona hac die 28. Januarii an. 1701.

G. Fromageau.

Adnotatio P. L. V. ad hanc Conſultationem.

In medium afferuntur, I. in Adnotatione Bullæ Eugenii III. Alexandri III. Decretalis Innocentii III. Bulla Paſchalis II. & Breve Innocentii XI. ad id curandum, quod Conſultans proponit. Hæ Bullæ admodum genuinæ ſunt; eas ego ipſe hiſce oculis vidi aut in Exemplaribus, aut in maxime ſinceris Monumentis. Vidi ego Exemplar Brevis Innocentii XI. Vidi exemplum Bullæ Eugenii III. in vetuſtiſſimo Sanctæ Geneveſſæ Chartulario. Decretalis Innocentii III. reperitur in corpore Juris Canonici. Bulla Paſchalis II. exiſtit in eo, quod dicitur Monaſticum Anglicanum.

II. Illud pariter certum eſt omnes veteres Bullas, quæ Abbatiis certum Beneficiorum Parochialium numerum tribuunt, ea in dotationem aſſignare, iiſdemque in has Parochias jus omne conferre, ea tantum impoſita lege, ut officia ſolvant, & Epiſcopo Religioſos iis adminiſtrandis idoneos præſentent. Vidi ipſe plura harum Bullarum exemplaria, ex antiquioribus Abbatiis eruta.

III. Neque illud in dubium revocari poteſt, antiquis temporibus Canonicorum Regularium Beneficia Parochialia nihil aliud fuiſſe, quam ſimplices Commiſſiones ab Abbate Regulari de Diſcretorum, & in ipſius Communitate Seniorum ſententia, & conſenſu revocabiles. Nec minus indubitatum eſt, Sanctum Victorem Pariſienſem jus hoc etiamnum retinere; ac Sanctam Geneveſſam Pariſienſem a Romana Curia obtinuiſſe jus idem, cujus Rex executionem conceſſit, at non iiſdem conditionibus ac Sancti Victoris, & Præmonſtratenſium, qui eodem jure gaudent. Canonicorum Regularium Lateranenſium Congregatio in Italia idem jus obtinet, ſed quibus tandem conditionibus, mihi incompertum eſt.

IV. Certum eſt, ſecundum conſuetas leges Regularia Beneficia Clericis Secularibus a Pontifice non concedi, niſi ea conditione, ut Ordinis habitum ſumant, & ſe votis obſtringant; niſi ob rationes ſupra allatas ea ipſis in Commendam conferat.

V. Poſſum ego fidem facere in pluribus Regni Diœceſibus eam conſuetudinem obtinere, ut Beneficia Regularia vacantia, non ab aliis, quam a Familiarum, a quibus pendent, Canonicis Regularibus adminiſtrentur; & Epiſcopos, ne dum hunc morem præpoſterum putent, eo maxime contentos eſſe, & Superioribus vehementer inſtare, ne harum Parochiarum regimen deferant, ſed illud ſuſcipiant uſque ad novi Parochi Regularis inſtallationem. Abbatia Sancti Joannis Vinearum Sueſſionenſium dubio procul id juris poſſidet, ne patiatur Beneficia vacantia ab aliis adminiſtrari, quam a Religioſis, quos ipſa iis deſtinat, poſtquam recipiendæ miſſionis gratia eos Epiſcopo præſentarit.

VI. Me quidem non latet Innocentii II. Breve, de quo commemoravi, ſed haud mihi comperta eſt ejuſdem Pontificis Bulla, quæ ab Abbatia Sanctæ Geneveſſæ, quæ nunc Congregationis Gallicæ caput eſt, Beneficiis Religioſum quemvis excludit, qui ejus membrum non fuerit. Id ſane in præſentia urgetur in Romana Curia, & ſperatur fore, ut impetretur, nondum tamen deciſum eſt. Beneficia Parochialia Congregationis Gallicæ Præmonſtratenſes identidem obtinent.

Beneficia, quæ Seminario uniri in animo eſt.

C A S U S XXVII.

Seminarium non poteſt emere Collegialem Eccleſiam eum promiſſione ſolvendæ penſionis Canonicis, qui eam vendunt, donec eorum Præbendis unierit Epiſcopus Beneficia ſimplicia, quæ eas æquent Præbendis al-

terius Eccleſiæ Collegialis, cui eos unire in animo habet. Conventio hæc eſt Simoniaca.

QUÆSITUM.

Quæritur a Sorbonæ Dominis, an Seminarium Collegialis Eccleſiæ præbendarum reditus augere poſſit, conſtituta Canonicis annua penſione ob pretium eorum Eccleſiæ, quam Seminario ipſi vendunt?

Placet Epiſcopo Diœceſano, Seminarium huic annuæ penſionis ſe ſubdere, teſtaturque eam perpetuam non fore, quia in animo habet, unire, quamprimum poterit, Beneficia ſimplicia Menſæ Capituli; ad quod hos Canonicos eſt translaturus, ut eorum præbendæ, quæ centum quinquaginta libris conſtant, conſtent tercentis, atque ita hujus Capituli præbendis æquales reddantur.

Ratio, qua Prælatus hic ad hujuſmodi translationem movetur, eſt augmentum Cultus & Servitii Divini in hiſce duabus Eccleſiis; etenim Canonici, quos transferri placet, ſemel aut bis in anno ſolemnem Miſſam celebrant, Matutinum & Veſperas diebus tantum Dominicis & Feſtis recinunt, aliis diebus recitant, & ſæpe una ſolum Miſſa celebratur in hac Eccleſia, proventuum tenuitate cogente Canonicos alio ſe conferre ad ſacrum faciendum, ut retributionem percipiant.

Epiſcopus vult hos Canonicos, qui octo ſunt, ad ſex redigere, & ſex aliis in Collegiata Eccleſia, ad quam eos transferre contendit, ipſos unire, atque ex omnibus duodecim Canonicorum Capitulum componere, qui quidem numerus divino Officio recte obeundo ſatis eſt; ex alia parte Seminarium, quod valde numeroſum eſt, Canonicorum translatorum Collegialem Eccleſiam tenens ibi melius divinum ſervitium cuſtodiet, ibi Miſſam ſolemniter cantabit ſaltem diebus Feſtis & Dominicis; pluresque privatæ Miſſæ ibidem celebrabuntur, divinum Officium ibi quotidie plane & devotæ recitabitur &c. Ita Eccleſia utraque rectius adminiſtrabitur.

Hac in re quæritur a Sorbonæ Dominis, an hanc annuam penſionem Canonicis, qui transferentur, ſolvendam Seminarium ſubire poſſit, propter allatas cauſas, & propter auctoritatem Epiſcopi, qui per has Beneficiorum uniones ipſorum reditus augere conatur; ita ut hæc penſio decreſcat, prout hæ ſex præbendæ per eas Beneficiorum uniones creverint, & penitus ceſſet, ſtatim atque hoc conſilium ad exitum perductum fuerit.

Hinc eſt, ut Seminarii in Diœceſi inſtituendi gratia penſiones Clero generatim, aut Beneficiis pinguibus imponantur, donec Epiſcopus Beneficia ſimplicia æqualis valoris eidem univerit. Id quo utilitate & neceſſitate publica nititur, quæ ſane ſunt fere cauſæ harum unionum, creationum penſionis, & aliarum diſpoſitionum bonorum Eccleſiæ.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, unionem, cujuſmodi quidem propoſita eſt, inſtitui non poſſe, cum pacto uniendi, aut ut uniantur curandi Beneficia Collegiali Menſæ, ut ob Eccleſiam, quam Seminario ceſſerunt, Canonici ſarciantur; ita ut interim penſiones, de quibus convenit, ipſis ſolvantur; hæc enim conventio eſt contra Tridentinum Concilium, & Simoniaca.

I. Ex Jure Præbendis quidem Eccleſiæ, cum eæ tenuiores ſunt, Beneficia ſimplicia Epiſcopus unire poteſt, at non Capitulari Menſæ; eſt hæc diſerta Tridentinæ Synodi diſpoſitio *Seſſ.* 24. *de Ref. c.* 15. quæ ſtatuit, ut hæc unio Præbendis fiat: *ubi frequentes adeoque tenues ſunt præbendæ, ſimul cum diſtributionibus, ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant, liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli, vel aliquot ſimplicia beneficia iis unire.* Barboſa ad hæc poſtrema Concilii verba: *particula* (*iis*) *refertur ad præbendas, ita ut unio fiat ſingulis præbendis diſtributive, non autem Menſæ.* Plures Canoniſtas in eamdem ſententiam laudat, atque id deciſum eſſe teſtatur.

Videndus etiam Cardinalis Corradus *l.* 2. *c.* 8. *nn.* 21. & 56. *in praxi*; Garcias 12. *p. de Benef. num.* 171.

Id cum ita ſe habeat, ad uniones, de quibus in expoſitione dictum eſt, Collegiali Menſæ faciendas ad Romanam Sedem mitti oporteret; ita ſentit Cardinalis Corradus *l.* 2. *n.* 57. quia hic agitur de diſpenſatione in Jure, quæ ad Pontificem ſpectat.

II. Hæc conventio eſt Simoniaca, quoniam rei ſpiritalis oblatione temporale debitum aboletur. Verum quidem eſt Epiſcopum poſſe ei, qui non habet, unde vivat, & quem Eccleſiæ ſuæ utilem fore putat, Beneficium promittere, & uſque ad tempus illud certam quotannis ei ſummam ſolvere; idemque ſentiendum eſt de penſionibus, quas Clerus Seminariis inſtituit, quoad Ordinarius iis Beneficia unire potuerit: hoc in caſu eleemoſyna extinguitur eleemoſyna; datur Seminario, quod pauperibus datur, aut dari debet: at in præſenti facti ſpecie Epiſcopus revera ſolvit aut exequitur debitum temporale, quod ejus Seminarium contraxit cum Canonicis, quorum Eccleſiam emit, per promiſſionem Beneficiorum Canonicorum Menſæ uniendorum; perinde prorſus ac ſi, cum ipſorum Eccleſia empta eſt, Epiſcopus ejus pretio ſolvendo impar promiſiſſet unionem Beneficiorum ad conſtitutæ ſummæ ſolutionem, quod eſt Simoniacum; licet enim Beneficii titulus unione tollatur, &, ut Canoniſtæ loquuntur, fiat velut prædium alterius Beneficii, cui unitur; conventio tamen ſemper eſt Simoniaca, & Beneficium unitum ſemper cenſetur res ſpiritualis, quia id eſſe deſinens, quod prius erat, ejus, cui unitum eſt, naturam & qualitates induit; ut proinde unio hoc modo facta tanquam Simoniace facta revocanda eſſet; eſt hæc Rebuffi ſententia *tit. de revocat. un. in praxi n.* 8. *Quinto revocatur, ſi fuerit facta unio per Simoniam, etiamſi juſta & legitima cauſa fuerit uniendi: unde ſi fuerit per pecuniam datam unienti facta, illa Simonia vitiat.*

Ut hæc evitentur incommoda, & ne Romam mitti neceſſe ſit, ſatius fuerit Epiſcopum unire Beneficia Seminario, non autem Collegiali Menſæ, ut Seminarium habeat, unde ſolvat officia ſua; eſt id conforme Tridentinæ Synodo *Seſſ.* 23. *c.* 18. *de Reform.* quæ ab Epiſcopis Beneficia Seminariis uniri permittit: *ad Collegii fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios ſumptus &c.*

Deciſum in Sorbona die 9. Januarii an. 1693.
Germanus *Fromageau*.

CASUS XXVIII.

Excellens Diſſertatio ſuper Beneficiorum pluralitate, Occurret in ea, quicquid eſt in hac materia pulcherrimum, firmiſſimumque.

QUÆSITUM.

Eccleſiaſticus dignitate, qua inſignitus eſt, in Eccleſia eminens Beneficium poſſidet, cujus annuus cenſus eſt librarum prope 20000. cum nonnullis aliis Beneficiis minoribus. Fruitur prætereа nonnullis penſionibus. Poſſidet hæc omnia bona fide, ſeque in conſcientiæ ſecuritate poſitum putat; primo quia ſui Epiſcopatus proviſiones accepturus, omnia ſua reliqua Beneficia, atque eorumdem qualitates in ſupplicatione ſignificavit; ſecundo quia ei præſto eſt plurium magnorum Virorum exemplum, qui plura Beneficia poſſederunt, atque etiamnum poſſident.

Quæritur, quid conſilii quoad hunc Eccleſiaſticum Confeſſarius inire debeat, atque an ei abſolutionem conferre teneatur, facta hypotheſi, ipſum Beneficiorum, quæ poſſidet, partem reſignare nolle; quod ſi ejus Confeſſarius de hac pluralitate penitus conticeſcat, neganda ne ſit huic ipſi abſolutio, cum ad eam recipiendam acceſſerit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, quoniam ad propoſitas interrogationes reſponſio pendet ab ea quæſtione, *an plura Beneficia poſſideri poſſint*, atque

atque hæc quoque ipſa dirimi nequit, niſi Beneficiorum origo & inſtitutio, atque etiam variæ mutationes, quæ in hoc negotio in Eccleſia contigerunt, antea cognoſcantur, ut definiri poſſit, quænam ſint obligationes Beneficiis annexæ, quandonam Beneficiarius plura Beneficia tenere poſſit, & tandem in Beneficiorum, quæ poſſidet, fructus quid juris habeat: ideo hæc imprimis animadverſione digna eſſe.

I. Fideles ab Eccleſiæ incunabulis ſua bona vendidiſſe, & ad Apoſtolorum pedes eorum pretium detuliſſe, ut illud pauperum ſubſidio, & Eccleſiæ neceſſitatibus inſerviret. Verum Epiſcopi, iique, qui poſt ea priora tempora Eccleſiæ præfuerunt, ſatius eſſe judicarunt reditibus fixis Eccleſiam gaudere, ut certi aliquid haberet, quo Miniſtrorum ſuorum rationi conſuleret. Itaque Fideles bona, & fundos Eccleſiæ aſſignare cœperunt; conſtat id ex Jure Canonico (*a*), & ex Concilio Bituricenſi anno 1584. celebrato (*b*). Panormus (*c*), & plures alii Canoniſtæ id ipſum memoriæ prodiderunt. Ex his bonis, hiſque proventibus Eccleſiæ Miniſtri, & qui eidem addicti erant, pro præſtita quique opera participabant, ut ſtatutum eſt Agathenſis Concilii anno 506. habiti Canone 36. qui refertur in Jure (*d*).

II. Concilii Chalcedonenſis Canon 6. (*e*) Ordinationes abſolutas prohibuit; nempe ſtatuit, ut quicumque ordinaretur, eodem tempore alicui Eccleſiæ addiceretur; in ea ille ſuum titulum poſſidebat, ita ut ei minime liceret altero titulo in alia Eccleſia gaudere, ut liquet ex ejuſdem Concilii Canone 10. (*f*). Jus hoc renovatum eſt in Nicæna ſecunda Synodo Canone 15. (*g*). Concilium Chalcedonenſe Canone 10. conſtituit præterea, ut ſi quis ad Eccleſiam aliam migraret, nihil ſibi arrogare poſſet, ſub depoſitionis pœna; ſane octavo & nono ſæculo in Eccleſia receptum erat, ut in eo quiſque loco, cujus gratia ordinatus fuerat, degere, & deſervire teneretur.

III. Nullum prorſus exiſtit Beneficium, quod ad reſidentiam non obliget; ſiquidem nullum prorſus exiſtit, quod non inſtitutionis ſuæ vi perſonale ſervitium requirat, ut ex allatis Chalcedonenſi & Nicæna ſecunda Synodis licet intelligi. Sane Clerico, cum addiceretur Eccleſiæ, Beneficium conferebatur; quamobrem ut ipſe duabus Eccleſiis inſcribi non poterat, ita facile intellectu eſt, per ea tempora Beneficia incompatibilia fuiſſe, unum tantummodo obtineri potuiſſe, univerſa demum ac ſingula ad reſidentiam obligaviſſe.

Neque in prioribus hiſce ſæculis ullus omnino Canon occurrit, qui hanc Beneficiorum diſtinctionem induxerit, ut alia ad reſidentiam obligarent, alia non item. Decimo ſecundo circiter aut decimo tertio ſæculo diſcrimen hoc inchoatum eſt: ſane eo corruptionis ventum erat, ut qui dignitates aut Beneficia cum animarum cura obtinebant, reſidere negligerent, & Vicarios, qui eorum functiones obirent, ſubſtituerent; ut huic incommodo occurrerent, varias Conſtitutiones Summi Pontifices edere coacti ſunt. Vetuerunt Beneficiorum pluralitatem, & ſuas functiones ipſos per ſe exequi coegerunt. Quoniam vero in Galliis abuſus hic obtinuerat, Alexander III. eum proſcripſit in Decretis, quæ edidit in Concilio Lateranenſi tertio *tit. de præb.*

Verum quia in his Decretis tantummodo de Capitulorum primariis dignitatibus, de Parochiis, ejuſdemque generis Beneficiis mentio facta fuerat, creditum eſt pluralitatem quoad hæc tantum Beneficia vetitam fuiſſe; atque ita Beneficiorum minorum ratione pluralitas perduravit, & vulgo perſuaſum fuit ea per ſe ipſa ad ullum perſonale ſervitium non obligari; quod in cauſa fuit, ut ea cenſerentur Beneficia ſimplicia reſidentiæ minime obnoxia; hinc ortum traxit Beneficiorum diſtinctio in ea, quæ compatibilia ſunt, & ea, quæ non item; quod hactenus impedimento non fuit, quominus Canoniſtæ (*h*) contenderent nullum omnino Beneficium exiſtere, quod communi jure ad reſidentiam non obligaret; propterea quod primigenia inſtitutio ejuſmodi eſt, & non niſi conſuetudine atque indulgentia factum eſt, ut nonnulla eſſent exempta.

Non igitur mirandum eſt, Concilii Nicæni ſecundi tempore, & ſub octavi ſæculi finem penitus ignota fuiſſe pluralitatis, & compatibilitatis Beneficiorum vocabula, tum etiam cum Beneficium unum ad decentem Titularis ſuſtentationem ſatis non erat, quia tunc nondum intelligebatur exiſtere Beneficia, quæ reſidentiæ obnoxia non eſſent. Quod ſi in Canone 15. Nicænæ ſecundæ Synodi declaratum eſt, duabus Eccleſiis inſervire Clericum poſſe, (*i*), id non de hoc ſane Clerico intelligendum eſt, perinde ac ſi id ſtatueretur, ut ipſe ſatis haberet, unde viveret, ſed de hominibus ibi degentibus, quorum tanta pauperies eſſet, ut non haberent, unde Eccleſiaſticum ſuſtentarent. Eccleſia iis quidem temporibus a concedenda Beneficiorum pluralitate maxime aliena erat, quoniam cum Eccleſiaſticus non haberet, quo decenter viveret, minime permittebat, ipſum, cum uni Eccleſiæ addictus eſſet, alteri addici; ſatiuſque ducebat, ut teſtatur Florentius Juriſconſultus (*K*), ea, quibus opus haberet, ab ipſo comparari, honeſtam artem aliquam exercendo, Divi Pauli exemplo, qui Actor. cap. 20. tradit, ſe, ut haberet, unde viveret, manibus ſuis laboraſſe; id quod laudatus Auctor deduxit ex Nicæna ſecunda Synodo can. 15. & in Decretum relatum eſt (*l*).

Antiquis ſane temporibus plures Epiſcopi Eccleſias duas poſſidebant, ſed tum præcipue, cum altera Eccleſia ſui Paſtoris morte vacaret; ut ejus nempe ipſe curam gereret, donec novus Epiſcopus eligeretur; in quo quidem nihil erat non canonicum. Quod ſi deinde plures eorum, quibus ejuſmodi

(*a*) Cap. Videntes 12. q. 1. Videntes plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant Eccleſiis traderent: cæperunt prædia & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere.

(*b*) Concil. Bituricenſe Tit. 36. can. 1. Fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ inter Chriſtianos omnia communia, & projiciebant Chriſtiani pretia rerum ſuarum ad pedes Apoſtolorum; qui mos ad Urbani I. tempora perſeveravit, ſed cum animadverterent prudentes Pontifices, pecuniarum uſum fragilem eſſe, ne Miniſtris Eccleſiarum & pauperibus victus deficeret, Sancto Concilio receptum eſt, ut patrimonia Eccleſiis aſſignarentur, ne dum egeſtate compulſi Miniſtri victum quæritarent, ab Eccleſiæ miniſterio diſtraherentur, quia ſcriptum eſt non eſſe alligandum os bovi trituranti; & ut ait Apoſtolus, dignum eſſe operarium mercede ſua.

(*c*) Panor. in 3. Decr., c. Extirpandæ §. qui vero n. 34 de Præb.

(*d*) 1. q. 2. Clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum per ordinationem Canonum, a Sacerdotibus conſequantur.

(*e*) Concil. Chalc. Can. 6. Neminem ordinari jubemus, vel quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi in Eccleſia ſua poteſtatis; eos autem, qui abſolute ordinantur, decrevit Sancta Synodus, vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere ad injuriam ejus, qui eos ordinavit.

(*f*) Can. 10. Non liceat Clericum in Eccleſiis duarum Civitatum ordinari, ſed in ea, in qua ab initio ordinatus eſt. Si quis vero jam tranſlatus eſt ab una Eccleſia in aliam, nihil habeat commune cum priori .... eos vero, qui auſi fuerint poſt ordinationem hujus Univerſalis Synodi agere, quæ prohibita ſunt, ſtatuit Sancta Synodus cadere de proprio gradu.

(*g*) Nicæna Syn. 2. Can. 15. an. 780. Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Eccleſiis non collocetur: hoc enim eſt negotiationis, & turpis lucri proprium, ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum; ab ipſa enim voce Domini audivimus, non poſſe quemquam duobus Dominis ſervire. Unuſquiſque ergo, ut vox Apoſtolica eſt, in eo, in quo vocatus eſt, debet manere, & in una Eccleſia aſſidere.

(*h*) Guimier in Pragm. de Collat. §. cui rei verb. pluralitatis. Greg. Toloſ. in Syntagm. jur. l. 17. c. 1. n. 12. Gabriel in 4. diſt. 15 q. 8. dub. 2. *qui citat plures Canoniſtas* Fevret. l. 3. fol. 240. VVan-Eſpen 3. p. in Can. 15. Synod. 7.

(*i*) Nicæn. 2. can. 15. cæterum in Villis, quæ foris ſunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

(*k*) Florent. Tom. 2. pag. 212. Ad hujus vitæ uſum ſunt diverſa ſtudia. Ex his ergo ſi quis velit, quæ ſunt corpori ad uſum neceſſaria, comparet; dixit Apoſtolus; mihi vero, & his, qui mecum ſunt, ſubminiſtraverunt manus meæ.

(*l*) Cap. Clericus 21. q. 1.

modi Eccleſiæ commendatæ fuerant, eas toto vitæ ſuæ tempore retinuerunt, turpi avaritia, atque ambitione permoti, abuſus is extitit, quem Pontifices & Concilia paſſim damnarunt. Illud convenit fuiſſe tempus, quo Summi Pontifices ad majora mala, ut perſuaſum habebant, evitanda paſſi ſunt Eccleſiaſticum, quoad viveret, duabus Eccleſiis cum animarum cura potiri, ſcilicet una in titulo, & alia in Commendam; conſuetudo hæc deinde revocata eſt, ut ex Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis compertum ſit; (a) neque hæc diſciplina in Galliis reciperetur, ſi eam ibidem inſtitui placeret, inquit Pinſon (b), quia Regiones Bleſenſes vetuerunt Epiſcopatus duos, aut duas Parochias poſſideri, quæcumque diſpenſatio obtineri potuiſſet (c).

IV. Tridentina Synodus *Seſſione 24. capite 17. de reform.* (d), quicquid hactenus dictum eſt, pro certo habet, atque adeo confirmat; aſſerit enim initio ſtatim hanc fuiſſe primam Eccleſiæ mentem, ne perſona una duo beneficia poſſideret, (univerſim loquitur de cujuſvis generis beneficiis) atque econtra expreſſis verbis tradit Eccleſiaſticum Ordinem inverti, cum unus plurium Sedem in Eccleſia tenet: *cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum.*

Declarat Synodus ſecundo loco, pluralitatem Eccleſiæ auctoritate inductam omnino non fuiſſe, quoniam monet *Sancte Sacris Canonibus cautum fuiſſe, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi*. Addit eadem Synodus, ne dum Eccleſia hanc pluralitatem unquam probaverit, eam e converſo variis prætextibus irrepſiſſe, quos cupiditas & ambitio eorum animis inſpirarunt, qui Beneficia plura quærere, & conſequi non ſunt verecundati: *multi improbæ cupiditatis affectu ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura Beneficia obtinere non erubeſcunt.*

Monet Synodus tertio loco, eum, qui plura Beneficia poſſidet, Eccleſiarum ſibi concreditarum rationibus omnibus providere non poſſe; & ſingularium Eccleſiarum bono regimini repugnare, ut plures uni committantur; unde occaſionem arripit ſignificandi ſe etiam atque etiam optare, ut antiqua Eccleſiæ diſciplina, qua prohibetur pluralitas, reſtituatur, *Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens*. Ad extremum Synodus pro certo ponit, quodvis Beneficium ſuapte natura cum alio ſtare non poſſe dum ſtatuit, ut unum tantum cuique Eccleſiaſtico tribuatur, eo tantum excepto caſu, ſi nempe vivere nequeat, niſi alterum conſequatur: *unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, liceat nihilominus*, &c. Videri poteſt id, quod D. Carolus Concilii mentem penitus aſſecutus de Beneficiorum pluralitate conſtituit. (e)

Ex his omnibus monumentis conficitur dici non poſſe conſuetudinem antiquis Eccleſiæ Canonibus Beneficiorum pluralitatem damnantibus derogaſſe, quoniam hac in re veterem diſciplinam inſtaurare cupit Tridentina Synodus: *Diſciplinam reſtituere cupiens*. Neque vero aſſeri poteſt hunc Synodi articulum in Galliis receptum non eſſe, quandoquidem ut intelligimus ex Hiſtoria, & Monumentis earum rerum, quæ iis temporibus contigerunt, (f) Rex Carolus IX. an. 1563. per ſuos Oratores petendum curavit, non ſolum ut Beneficiorum pluralitas proſcriberetur, verum etiam ne uno amplius ſingulis conferretur, ut ex Articulis tertio, decimo quarto, & decimo quinto, qui Concilio propoſiti fuere, compertum ſit. A Concilio præterea petitur per hos eoſdem Articulos, (g) ut hanc diſtinctionem novam, & Antiquitati prorſus ignotam Beneficiorum compatibilium & incompatibilium, quæ magnum Eccleſiæ incommodum attulit, de medio funditus tollat; ut demum in Presbyteris initiandis nullo habito perſonarum diſcrimine, certæ Eccleſiæ juxta Chalcedonenſe Concilium eoſdem addicat, & qui duo Beneficia poſſederit, brevi temporis ſpatio alterutrum pro ipſius arbitratu dimittere teneatur, ſecus pœnis per antiquos Canones impoſitis ſubjaceat: hæc omnia Galliarum nomine a Concilio petita ſunt.

Articulis hiſce Rex Carolus IX. impedire volebat, ne unus idemque plura Beneficia poſſideret; Hæc quoque Sancti Ludovici mens fuiſſet, (h) ut ex eo liquet, quod morti proximus Filium ſuum Regem Philippum monuit, ut Beneficia dignis tantum Viris, & ex Religioſorum Virorum Conſilio tribueret, iiſque tantum tribueret, qui quovis alio carerent, aut eo, quod poſſiderent, ſe ſe abdicarent, quod ipſe, dum viveret, facere conſueverat, ne Eccleſiaſticis occaſionem præberet Beneficia duo retinendi.

V. Cum Eccleſia Superiore Sæculo animadverteret Beneficiorum pluralitatem ex una parte Canonibus adverſari, & ex alia conſuetudinem plura indiſcriminatim poſſidendi irrepſiſſe, ſive ea reſidentiam requirerent, ſive non: hoc excogitavit temperamentum, quod Tridentini Concilii loco ſupra laudato in medium adducitur, ut videlicet cum Beneficium unum ad honeſtam Titularis ſuſtentationem ſatis non eſſet, ei aliud concederetur, dummodo utrumque ad reſidentiam non obligaret: *Statuit præſenti Decreto, ut impoſterum* &c. quo quidem Decreto Synodus jus novum induxit, (i) aut quod vere dici poteſt, ſaltem jus poſitivum inſtituit, quod nondum in Eccleſia generatim permiſſum erat; atque ita id vetare voluit, quod in inveterato abuſu peſſimum erat, non paucos nempe Beneficiis non paucis reſidentiæ obnoxiis potiri.

Optaſſet ſane Synodus veterem diſciplinam, ad hanc rem quod attinet, in priſtinum reſtituere; ſed quæ tunc erat Cleri ratio, meliorem reformationem inſtitui non licuit, cœpit igitur tanto morbo levioribus remediis occurrere, ſperans fore, ut, cum Eccleſiaſticus Ordo id pati poſſet, fortiora, atque efficaciora Pontifices adhiberent. Hac videlicet con-

(a) Raynald. ad an. 1334. n. 67. & ad 1355. n. 31.

(b) Pinſon c. 3. n. 56. de plural. ben.

(c) Regiones Bleſenſes Art. 11. „ nemo impoſterum poterit duos Epiſcopatus, aut Curas, aut Eccleſias Parochiales tenere, quæcumque diſpenſatio poſthac obtineri potuerit, qua non obſtante, ſecundum antiqua Decreta, & Canonicas Conſtitutiones, Beneficia ad eos pertinebunt, qui ea impetraverint declarata vacantia & impetrabilia.

(d) Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 17. de reform. „ Cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, Sancte canonibus cautum fuit, neminem oportere duobus Eccleſiis conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, ſe ipſos, non Deum decipientes, ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt; Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto quod in quibuſcumque perſonis, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, mandat obſervari, ſtatuit, ut impoſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.

(e) Acta S. Carol. lib. 3. tit. de plur. Benef. „ Beneficium etiam ſimplex obtinenti quod ad vitæ ſuſtentationem ſatis eſt; ſi alterum aut Eccleſia Parochialis, aliudve Beneficium cujuſvis generis conferatur, ubi is alterius Beneficii, cujuſcumque generis illud ſit, poſſeſſionem pacificam adeptus eſt, primum ipſo jure vacare cenſeatur, cui vacanti provideatur. Cum ex Concilii Tridentini ſententia unum & alterum item ab illo ſimul retineri nullo modo liceat.

(f) Fra Paolo l. 7. p. 527. Hiſt. Concil. Trident. Monumenta D. Dupuis p. 368.

(g) Art. 3. Nullus Presbyter ordinetur, cui non continuo ſecundum Concil. Chalcedonenſe detur unum Beneficium, aut Miniſterium: ſic enim ordinationes a priſcis Patribus factæ, qui titulos Presbyterales ſine officio non agnoverunt. *Art.* 14. Ut unum Beneficium uni tantum conferatur, ſublata compatibilium, & incompatibilium, perſonarumque differentia, diſtinctione nova, & antiquis Decretis incognita; quæ Eccleſiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit.

Artic. 15. Qui nunc duo, plurave poſſidet, aut illud tantum retineat, quod intra breve tempus elegerit, aut in pœnas antiquorum Canonum incidat.

(h) Du Cheſne Tom. 2. pag. 392. Guillelmus Nangius in vita S. Ludovic. Beneficia Eccleſiaſtica perſonis idoneis dona ex conſilio ſpiritualium Virorum, & eis, qui non habent aliud Beneficium.

(i) Vide Fagnan. Tom. 2. in cap. cum jam dudum tit. de Præbend. n. 31. Toiet. l. 5. c. 81. n. 2.

conditione Cardinalis a Lotharingia (*a*) hanc Concilii reformationem ratam habuit, ut conſtat ex ejus proteſtatione Galliarum nomine. In ea enim occurrunt plures Articuli, qui majore indigent reformatione, quos inter eſt ille Capitis 17. Seſſionis 24. Concilii, quæ eſt octava inter eas, quæ Pio V. Eccleſiam regente habitæ ſunt, ut monet Spondanus in ſuis Annalibus. Ex quo conficitur, hanc permiſſionem duo Beneficia retinendi, cum unum non ſufficit, tanquam indulgentiam tantum, & tolerantiam in Galliis ſpectatam fuiſſe, dum interim tempus ad majorem reformationem inſtituendam, atque Eccleſiaſticos Eccleſiæ ſententiæ veteri conformandos, ut ſcilicet unum tantum Beneficium teneretur, magis accomodatum adveniret.

VI. Beneficiorum pluralitas non Canonibus modo repugnat, ſed naturali quoque Juri, plurium Theologorum, (*b*) & Divi Thomæ (*c*) Sententia, atque adeo Divino Juri, nonnullorum judicio; & quamquam Sanctus hic Doctor de Præbendis loquitur, pleræque tamen rationes, quas affert, Beneficiorum pluralitatem univerſim impugnant.

Sane, inquiunt hi Theologi, contra Juſtitiam diſtributivam, & conſequenter contra naturale Jus eſſe, plures probos Viros in Eccleſia nihil habere, dum interim alii, qui nihil laborant, divites ſunt, & affluunt, ita ut eorum, qui laborant, meritum minime compenſetur. Quod in cauſa eſt, ut cum illi nullum ſui laboris fructum ſperare poſſint, laborandi animo & viribus deſtituantur. Ad quod incommodum impoſterum evitandum Synodus Aquiſgranenſis (*d*) ſub Ludovico Pio an. 816. illud radicibus extirpandum ſtatuit, quia rationi, Sacris litteris, Sanctis Patribus, & Traditioni repugnat, Eccleſiaſticum minime aut parum Eccleſiæ utilem multo plus tamen conſequi, quam qui ſtrenuam operam eidem navant.

Deinde divino juri repugnat Eccleſiaſticum Altari deſervientem de Altari minime vivere: *qui Altari deſerviunt, de Altari participant*, inquit Divus Paulus, (*e*) *ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, & de Evangelio vivere*.

Ordini naturali contrarium eſt, ut membrum unum maximam ſubſtantiæ corporis partem ad ſe trahat, dum plura alia membra remanent arida & languentia; quod in eos cadit, qui Beneficiis pluribus affluentes impedimento ſunt, quominus alii eadem participent.

Cum Eccleſiæ magna calamitate, inquit Gerſon, (*f*) ac prope excidio fit, ut Beneficiarius unus omnia deglutiat, & reliquis Eccleſiaſticis vix ſuppetat, unde ſubſiſtant; *ſi in corpore Eccleſiæ Superiores fiant ita graves attenuatione ſubſtantiæ, quod inferiores vix poſſint pro inopia ſubſiſtere, hoc eſt ſignum propinquæ ruinæ: de talibus enim ait Dominus*, *Amos* 4. v. 1. *Vaccæ pingues, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, & Amos* 6. v. 1. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, id eſt in Eccleſia*.

Divino Juri repugnat imminui divinum cultum, & Miniſtrorum numerum, qui eidem addicendi eſſent. Quod tum contingit, cum quis in ſe fundos colligit, qui in plures diſtributi divinum ſervitium auguſtius redderent, augerent orationes, & alia ſervitia, quæ Miniſtri frequentiores Eccleſiæ, & Religioni exhiberent. Neque minus vetitum eſſe debet, inquit Sanctus Thomas (*g*) citans Sanctum Chryſoſtomum, ex duobus diſtinctis locis emolumentum percipere, quam fuerit in veteri Teſtamento, quod nihil eſt aliud, quam Novi figura: porro ex Jeruſalem, & ex Bethleem Decimas accipere Levitis in veteri Teſtamento nequaquam permiſſum erat.

Uno verbo naturali pariter & divino juri adverſatur Eccleſiaſticis occaſionem ſuppeditari fovendi ſuam avaritiam, ſuam ambitionem, ſuas libidines, negligendi ſtudium & ſcientias, unde idonei Viri poſſent exiſtere, & Fundatorum, qui ſua bona Eccleſiæ largientes id unum ſpectarunt, ut major Miniſtrorum numerus ad ei deſerviendum, Deumque pro ipſis orandum educaretur, alereturque, voluntatem fruſtrandi.

Pluralitatem hæc omnia incommoda conſequuntur. Illa ex malo principio derivatur, & propterea damnanda eſt; neque enim contendi poteſt eam a natura inſpirari, quippe quæ parvo contenta eſt: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus* (*h*). Id nimirum natura poſtulat. Neque vero ea a gratia, aut a Sancti Spiritus inſtinctu eſt, quoniam inter gratiæ effectus is etiam eſt, ut in nobis hanc vehementem temporalium bonorum cupiditatem extinguat, atque adeo ad omnia relinquenda nos moveat, ut Jeſu Chriſti paupertatem imitemur. Hoc igitur plurium Beneficiorum deſiderium non aliunde profecto oritur, quam ex cupiditate, quæ, ut ait Apoſtolus, omnium malorum origo eſt; ſane experientia compertum eſt eorum pleroſque, qui pluribus Beneficiis potiuntur, Eccleſiæ bonis uti, ſive ut ambitionem ſuam expleant, ſive ut voluptatibus indulgeant.

Valde iniquum & injuſtum eſt, inquit Auctor in Pragmat. (*i*) *quod multi eſuriant forte meliores, & unus forte ebrius, vilis in verbo, & peſſimus in exemplo, unde ob hujuſmodi pluralitatem, inquit quidam Sanctus Doctor, quod medietas Miniſtrorum Dei quaſi reſeratur per hoc genus avaritiæ, quod unus plura Beneficia ſufficientia permittitur habere; ſi enim cuilibet Beneficio permitteretur dari ſuus poſſeſſor, numerus Servorum Dei eſſet duplex, qui modo eſt ſimplex*.

Cum igitur naturali & divino Juri Theologorum, quos ſupra laudavimus, ſententia pluralitas adverſetur, fidenter aſſerimus ex oppoſita conſuetudine præſcriptionem omnino nullam, nullumque Beneficia plura poſſidendi legitimum titulum peti poſſe.

(*a*) Monumenta D. Dupuis. Declarationes, & Proteſtationes Illuſtriſſimi Cardinalis a Lotharingia, de quibuſdam articulis de reformatione publicatis die 11. Novembris in ſeſſ. 8. Cum nudius tertius meam de reformationis articulis dicerem ſententiam, præfatus ſum me etiam valde cupere, ut priſca illa reſtitueretur diſciplina. Sed cum his corruptiſſimis temporibus & moribus, intelligam non poſſe ea, quibus maxime opus eſt, protinus adhiberi remedia; interim aſſentiri, & probare ea, quæ nunc ſunt decreta, non quod ea judicem ſatis eſſe ad integram ægrotantis Reipublicæ Chriſtianæ curationem; ſed quod ſperem his prius levioribus ſomentis adhibitis, cum graviora medicamenta pati potuerit Eccleſia, Pontifices Maximos, & maxime S. D. N. Pium pro ſua inſigni pietate & prudentia diligenter curaturum, ut ea, quæ deſunt, & efficaciora inveniens remedia in uſum veteribus jam abolitis, revocatis Canonibus, & maxime quatuor illorum veterum Conciliorum, quæ, quantum fieri poterit, obſervanda eſſe cenſeo; Vel ſi expedire videbitur, frequentiori Æcumenicorum Conciliorum celebratione, morbum ab Eccleſia propulſans, eam ſuæ priſtinæ reſtituat Sanctitati. Hanc autem meam mentem & ſententiam tum meo, tum omnium Galliæ Epiſcoporum nomine in Acta referri volo, & ut id fiat, a Notariis peto, & poſtulo.

(*b*) Major in 4. diſt. 24. q. 12. concluſ. 2. Gabriel in 4. diſt. 15. q. 8. not. 3. propoſit. 1. & 2. Henric. a Gand quodl. 2. q. 17. Tolet. l. 5. c. 80. S. Thomas quodl. 9. art. 15.

(*c*) Cajetan. v. Beneficium n. 9. Comitol. l. 1. q. 73. Azor. 2. p. l. 6. cap. 10. q. 7. Selva 3. p. q. de Benef. Lælius Zecchus 2. p. c. 77 n. 9. Reginal. l. 30. n. 281.

(*d*) Concil. Aquiſgran. c. 121. Solet in pleriſque Canonicorum Congregationibus irrationabiliter atque indiſcretim fieri, ut nonnulli Clerici, qui divitiis affluunt, aut parum aut nihil utilitatis Eccleſiæ conferunt, majorem cæteris divinum ſtrenue peragentibus officium, annonam accipiant; cum hoc ita fieri debere nuſquam nec in auctoritate ſcripturarum, nec in traditionibus SS. Patrum poſſit quoquomodo ſancitum reperiri. Sed quia hujuſmodi factum nulla auctoritate fulcitur, ſed magis gulæ, imo & avaritiæ cauſa conſtat eſſe inolitum, reſtat, ut falſæ juſtitiæ referetur, & æquitatis cenſura ab eiſdem locis, in quibus fit, prorſus abdicetur.

(*e*) 1. Cor. 9.

(*f*) Gerſon tom. 1. p. 1. in ſerm. in Concept. B. V. in Concil. Conſtant. fol. 202.

(*g*) S. Chryſoſtom. Quod figuræ non fuit conceſſum, rei reor eſſe illicitum: figuræ autem non fuit conceſſum, quod inter Levitas qui capiebat in Bethleem, caperet in Jeruſalem. Ergo cum perfectiores eſſe debeamus, qui capit in Tyro, non capit in Damaſco.

(*h*) 1. Timoth. c. 6.

(*i* Guimier in Pragmat. tit de collat. §. cui rei v. pluralitatis.

poſſe. Nonnullorum porro Virorum magni nominis, qui plura Beneficia tenuerunt, exemplum nihil evincit; aut enim antequam morerentur, ea dimiſerunt, ut Sanctus Carolus, aut non alio animo retinuerunt, quam ut pietatem & Dei cultum in iis inſtaurarent, ut Sanctus Benedictus Aniani, Sanctus Odilonius, aliique plures. Quod ſi qui abſque ulla neceſſitate, atque Eccleſiæ utilitate pluribus Beneficiis toto vitæ tempore potiti ſunt: hæc exempla ſequenda non ſunt; hi magni Viri hac in re non ſunt imitatione digni; Legi potius ſtandum eſt.

Innocentius quidem tertius in Concilio Lateranenſi quarto (*a*) aſſentitur privilegio quodam concedi Viris natalium dignitate, & litteraturæ laude præſtantibus, ut Beneficia plura retineant, ſed *cum ratio*, ut ipſe loquitur, *poſtulaverit*. Viros hos inter alios ipſe diſtinguit, quia illi præ cæteris Eccleſiæ inſervire poſſunt patrocinio, quo ei præſto ſunt, & quo ipſa identidem indiget, & quia ex eorum ſcientia maximum emolumentum Eccleſia percipit, tum ut doctrinæ ſuæ puritatem conſervet, tum ut ipſam adverſus eos, qui eamdem impugnant, ſartam tectamque tueatur.

Quid aliud porro inde concludi poteſt, quam Beneficiorum pluralitatem quantumvis malam, atque adeo multorum ſententia divino juri repugnantem, non eſſe tamen ex earum rerum numero, quæ nunquam permitti poſſunt, ſed eam potius in quibuſdam circumſtantiis, & cum quibuſdam conditionibus a Superiore licitam reddi poſſe, ſive ille vere diſpenſet, ſive declaret jus naturale & divinum in his & his circumſtantiis non obligare. Verum ut hæc diſpenſatio coram Deo rata ſit, legitima cauſa nitatur neceſſe eſt: *cum ratio poſtulaverit*. Id ex principio, quo naturali & divino juri pluralitatem adverſari ſtatuitur, neceſſario conficitur; & confirmatur ex eo, quod Superiores Eccleſiaſtici Eccleſiæ bona tanquam propria diſponere nequeunt, neque eorum domini ſunt, ſed tantum Œconomi ſimplices ipſorum rationem Deo reddituri. Videatur Guimerius in Pragmatica, (*b*) qui plures in hanc ſententiam Auctores citat. Pontificis igitur pluralitatem permittentis diſpenſatio legitimam cauſam requirit, quæ ſane alia eſſe non poteſt, quam neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ, non autem Beneficiarii.

Recenſent Canoniſtæ (*c*) peculiares caſus, in quibus hæc neceſſitas atque utilitas locum habet, ut plurium Beneficiorum poſſeſſio permittatur. Exceptionem novam Tridentina Synodus in Beneficiarii gratiam induxit; ſed id præſtitit potius ex indulgentia, atque ad majus malum vitandum, quam ut abuſus omnes de medio tolleret, atque in hoc capite reformationem inſtitueret numeris omnibus abſolutam; utut res habeat, hoc Concilium Eccleſiæ utile fore credidit permittere, ut Eccleſiaſticus alterum Beneficium obtineat, cum prius ad ejus congruam ſuſtentationem non ſufficit. Verum inde fit conſequens, ut, cum nulla adeſt aut neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, diſpenſatio, qua plurium Beneficiorum poſſeſſio permittitur, re vera nulla ſit; videlicet in foro externo Eccleſiaſticus Pontificia diſpenſatione ſe tueri poſſit, ſed coram Deo nulla veri nominis excuſatio præſto ſit, inquit Hadrianus Papa VI. (*d*). Neceſſe eſt etiam, ut hæc utilitas ad Eccleſiam, non autem ad Beneficiarium referatur. Reginaldus quoque idem ſentit (*e*) contenditque, plurimum licet dignitatis, auctoritatis, litteraturæ, prudentiæ, atque habilitatis quiſpiam poſſideat, niſi tamen hæc ſingula ornamenta Eccleſiæ utilia ſint, legitimam rationem præſto non eſſe, quamobrem ei plurium Beneficiorum poſſeſſio concedatur.

Major aſſerit (*f*) ſolam Papæ diſpenſationem hoc in caſu non excuſare, quia Legi naturali repugnat; præterea, inquit Auctor, Summi Pontificis diſpenſatio valere nequit, niſi quatenus divinæ Legi conformis eſt, aut ab ea ne tranſverſum quidem digitum diſtat; poteſtas enim, quam ille poſſidet, in Eccleſia præſidendi exigenda eſt ad æquitatis naturalis leges, cui ejus diſpenſatio nequaquam opponi debet; aliter diſſipatio ea eſſet, & non diſpenſatio.

Ita ſentiunt plures Theologi; Gabriel (*g*) ait diſpenſationem nullam eſſe, cum ratio, propter quam conceſſa eſt, non eſt legitima, ejuſque cauſa & objectum non eſt commune bonum. Cajetanus (*h*) inquit ejuſmodi diſpenſationem propter publicum Eccleſiæ, non autem privatum obtinentis bonum concedendam eſſe. Selva idem tradit (*i*). Gerſon (K) ad Alexandrum V. verba faciens in Sermone coram eo habito pronunciat neceſſitate, aut utilitate communi diſpenſationem niti debere, ſecus eam fore crudelem diſſipationem, & non juſtam diſpenſationem. Significat deinde Pontifici, diſpenſationes non facile concedendas eſſe, ita ut diſpenſatio lege communior evadat, & exceptio regulam excedat.

Divus Bernardus (*l*) antea aſſeruerat diſpenſationem excuſabilem reddi neceſſitate, & tunc eſſe laudabilem, cum communis, non autem privata utilitas ei cauſam præbet; aliter eam non diſpenſationem eſſe, ſed crudelem diſſipationem: ergone, inquit alibi Pater hic (*m*), ad ſedandos tumultus animi, qui jure conſcientiæ ſtimulis agitatur, diſpenſationem a Pontifice petiiſtis? *O frivolum ſatis remedium!* Eſt id vulnus tegere, non curare. A Sancta Sede bonum conſilium petendum eſſet, addit hic Sanctus Doctor, non autem diſpenſatio; non mali faciendi libertas petenda eſſet, ſed conſulendum, idne fieri poſſet: *Utinam non licentiam quæſiviſſetis, ſed conſilium; id eſt non ut liceret, ſed an liceret*.

Atque ut ſecurius peccaretis, hanc vos diſpenſationem obtinuiſtis? Miranda quidem cautio, ſed magnopere deploranda: *Mira cautela, & ſtupenda providentia*. Denique concludit D. Bernardus, putatiſne quidpiam non amplius malum eſſe, aut evadere minus malum, cum Pontifex illud permiſit? Nonne ſemper malum eſt malo aſſentiri?

Quod vos quoque non immerito timentes, nec ſatis de propria cauſa confidentes, remorſas, ac remordentes conſcientias Apoſtolica conati eſtis definire licentia. O frivo-

(*a*) Cap. De multa de præb. & dign. circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ majoribus Beneficiis ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

(*b*) Guimier in Pragmat. tit. de collat. §. cui rei v. pluralitatis. Comitolus l. 1. q. 73.

(*c*) Pinſon c. 3. de Benef. Gloſſa c. dudum 2. de elect. v. intitulatum.

(*d*) Hadrian. de Sacram. Pœnit. de reſtitut. fol. 58. Diſpenſatus per Papam ad plura Beneficia, ſi ſubeſt Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas communis, tutus eſt, ſi non, apud Eccleſiam militantem habet exceptionem; apud Deum nequaquam habet veram excuſationem.

(*e*) Reginal. 30. 2. notab. nn. 282. 287.

(*f*) Major in 4 diſt. 4. q. 12. concl. 3. ſi excuſarentur hoc eſſe propter R. Pontificis diſpenſationem; ſed hoc non; quia tenere plura Beneficia ſine cauſa rationabili eſt contra legem naturalem, contra quam diſpenſare nequit aliquis mortalis homo, ſicut nullus eſt ſupra legem naturæ. Inſuper non valet diſpenſatio S. Pontificis, niſi ſit conformis legi Dei, & ab ea non diſcrepet. Ipſe enim legem limitatam habet ad præſidendum ſecundum æquitatem naturalem. Propterea ſi quando diſcrepet, non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio.

(*g*) Gabriel in 4. diſt. 15. q. 8. notab. 3. Nulla diſpenſatio niſi habeat reſpectum ad bonum publicum, & ex caſu rationabili.

(*h*) Cajetan. v. Beneficium n. 9. Propter bonum Eccleſiæ commune, non privatæ perſonæ.

(*i*) Selva 3. p. q. 4. de Benef.

(*K*) Gerſon tom. 1. p. 1. Serm. coram Alexand. 5. pag. 229. & contra leges recte latas quantalibet petentium importunitate fatigeris, nunquam diſpenſabis, niſi aut neceſſitas urgeat, aut communis provocet utilitas; alioquin fuerit potius crudelis diſſipatio, quam juſta diſpenſatio. Cavebis diſpenſationem ipſam lege communiorem facere, ne turpe ſit, ſi regulam vincat exceptio.

(*l*) S. Bernard. l. 4. c. 6. de conſid. ad Eug. ubi neceſſitas urget excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas, dico, communis, & non propria; nam cum nihil horum eſt, non eſt fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio.

(*m*) S. Bernard. Epiſt. 7. ad Adam Monach. n. 9.

frivolum ſatis remedium! Quod non eſt aliud, niſi more Protoplaſtorum cauteriatis conſcientiis texere perizomata; videlicet ad velamentum, non ad medicamentum... Apoſtolicam, inquiunt, *licentiam quæſivimus, utinam non licentiam quæſiviſſetis, ſed conſilium, id eſt non ut liceret, ſed an liceret... Hujus tamen patrandi mali quærendam putaſſetis licentiam; ſed ad quid? An ut quanto licentius, tanto ſecurius, & quo ſecurius, eo & periculoſius peccaretis? Mira cautela, & ſtupenda providentia! Numquid ideo aut malum eſſe deſiit, aut minoratum eſt, quia Papa conceſſit? Quis vero malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo?*

Auctor. in Pragmatica (a) ait diſpenſationem plura Beneficia retinendi abſque legitima cauſa in foro interno locum habere non poſſe; non ideo quidem, inquit hic Auctor, quaſi neceſſaria diſpenſandi poteſtate Pontifex careat, ſed quia ejus voluntas deeſt, ſive quia diſpenſatio eſt ſubreptitia, & Pontifex de veritate celatus eſt, ſive quia importunitate fatigatus aſſenſit. Idem docuerat D. Bernardus (b) de diſpenſationibus a Pontifice conceſſis, cum eæ nullæ ſunt; neque enim ſentiendum eſt, ait Pater hic, Pontificem ſemper haud merito feciſſe, cum diſpenſationem ſignat, quæ mala detegitur; ea nulla eſt re ipſa, quia nemo poteſt contra naturale & divinum jus quicquam permittere; ſed excuſandus eſt Pontifex, credenduſque fuiſſe deceptus, aut importunitate devictus.

VIII. Tridentina Synodus ſeſſ. 24. cap. 17. permittit Eccleſiaſtico, ut cui unum Beneficium, quod poſſidet, ad ejus honeſtam ſuſtentationem non ſufficit, aliud obtineat, modo utrumque ad reſidentiam non obliget; ſtatim enim ac unum ſatis eſt, duo tenere non poteſt: *quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.* Itaut Concilii ſententia graviter peccet, qui extra hunc caſum plura tenet Beneficia: *Multi improbæ cupiditatis affectu ſe ipſos non Deum decipientes* &c. inquit Concilium. Ita etiam ſentiunt Auctorum plerique, qui Eccleſiaſticum Beneficia duo poſſidentem, quorum alterutrum ſufficit, gravis culpæ reum putant. Ejuſmodi fuit Facultatis Pariſienſis deciſio (c) in eo celebri conventu edita, qui apud Fratres Ordinis Prædicatorum an. 1238. habitus eſt adverſus Beneficiorum pluralitatem; ibi enim poſt longum examen declaratum eſt abſque peccato mortali duo Beneficia haberi non poſſe, cum ad decentem ſuſtentationem unum ſufficit. Hujus Decreti meminerunt Auctores plures, Navarra illud integrum recitat (d); Guillelmus III. Epiſcopus Pariſienſis idem ſtatuit, prout in Synodico (e) Pariſienſi commemoratur.

Synodus Pictavienſis (f) an. 1284. Cap. 2. ſtatuit Parochum in ſua Parochia Capellaniam poſſidere non poſſe, niſi ejus Parochia honeſto ipſius victui impar ſit. Gloſſa in cap. *Dudum 2. de elect.* (g) ait ſine lethali peccato plura Beneficia retineri non poſſe, cum unum ſufficit. Durandus Mimatenſis Epiſcopus (h) docet Eccleſiaſticum, qui poſſidens Beneficium ſufficiens, ut ſuo ſtatui congruenter, quamvis non laute ac ſplendide vivat, aliud præterea recipit, peccare mortaliter juxta communem Theologorum ſententiam. Gabriel id etiam probat (i) conferentem Beneficium habenti, unde vivat, graviter peccare. Lælius Zecchus (K) contendit eos minime abſolvendos eſſe, qui non ſuorum Beneficiorum partem ſe dimiſſuros promittunt, cum habent, pluſquam eorum ratio requirit. Major (l) concludit ex omnibus allatis rationibus clarum & certum eſſe, Confeſſarium homini plus Beneficiorum, quam opus eſt, poſſidenti merito dicere poſſe: Ego te abſolvere nequeo, niſi mihi promiſeris te uno tantum congruo Beneficio contentum fore, quia donec pluralitate detineberis, in peccati mortalis ſtatu verſaberis, atque a Salutis via aberrabis.

IX. Neque vero in eo vertitur præcipua difficultas, an nempe duo Beneficia teneri poſſint, cum unum ad honeſte vivendum ſufficit; ea quippe de re dubitandi locus nullus ſupereſt poſt Concilii deciſionem, quod in ſuo Decreto Cardinales ipſos complectitur: *in quibuſcumque perſonis, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant.* Opinio, quæ pluralitati patrocinatur, adeo videtur a probabilitate diſtare, ut vix ac ne vix quidem Theologus ullus non contemnendus proferri poſſit, qui auſus ſit eam publice propugnare; hæc verba ſunt Ritualis Aletii (m) a triginta & amplius Archiepiſcopis, aut Epiſcopis approbati, cujus illi ſententiam adoptaverunt.

Præcipua igitur difficultas in eo ſita eſt, ut aſſignentur regulæ, quibus dignoſcatur, quid ſit id, quo ad honeſte vivendum Beneficiarius opus habet, & quandonam Beneficium ſufficiens ſit.

Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 2.* (n) non habenti Beneficium, quod honeſte vivendo ſufficiat, ſacros Ordines conferri vetat: *Nullus ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere.* Illud eſt explicatu difficile, quantus debeat hujus Beneficii proventus eſſe, ut illud ſufficiens cenſeatur. Qua in re alii aliter ſentiunt, aliis plus æquo neceſſarium hoc coarctantibus, aliis vero juſto amplius extendentibus id, quod ad tam decenter vivendum ſufficit, quod Altaris Miniſtro congruit. Univerſim definiendum id eſt ſpectata ſede, quam quis occupat in Eccleſia, & ſpectatis particularibus circumſtantiis, in quibus exiſtit.

Non eſſet ſane juſta regula, quæque legitime poſſet omnibus Beneficiariis accommodari, ut ad id unum redigerentur, quod in Gallia Graduatum complet. Neque ii magis audiendi, qui liberta-

tem,

(a) Guimier in Pragmat. tit. de Collat. §. cui rei v. pluralitatis: & quando facta ſine cauſa diſpenſatio non teneat in foro conſcientiæ non eſt ex defectu poteſtatis diſpenſativæ Papæ in ſe, ſed ex defectu voluntatis, quia fuit per obreptionem, aut importunitatem inductus ad diſpenſandum.

(b) S. Bernard. 16. Quod tamen & ſanctum Pontificem nequaquam feciſſe crediderim, niſi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum; cum divini & naturalis juris prohibitionibus nequit detrahere humana licentia.

(c) Dionyſ. Carthuſ. tract. de plural. Benef. Spondan. tom. 1. an. 1238. Pinſon de Ben. c. 3. nn. 9. & 12. Cantipratan.

(d) Navar. in Man. miſcell. 62. de orat. n. 2.

(e) Synodicon Pariſ. editum anno 1674. pag. 23. Tertius Guillelmus dictus Arvernus a patria vir longe doctiſſimus, qui inter cætera determinavit an. 1238. neminem poſſe duo Beneficia, ſi unum ſufficeret ad eum alendum, obtinere ſine peccato mortali.

(f) Conc. Pictavienſe 2. c. 2. Niſi Parochialis Eccleſia & Capellania in reditibus & proventibus ita ſint tenues & exiles, quod neutrum prædictorum Beneficiorum pro ſe ſufficiat ad congruam Rectoris, vel ſervitoris proprii ſuſtentationem.

(g) Gloſſa in cap. Dudum v. retinere.

(h) Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſ. de mod. celeb. Concil. rubr. 21. n. 7. Theologorum etiam hoc habet opinio, quod ſi unum habens Beneficium, de quo non laute, nec ad elationem & pompam, ſed convenienter & mediocriter valeat ſuſtentari, & recipiat, vel retineat aliud, mortaliter peccat.

(i) Gabriel in 4. diſt. 15. q. 8. prop. 1. 2. 3.

(K) Lælius Zecchus 2. p. c. 77. n. 9.

(l) Major in 4. diſt. 24. q. 12. concluſ. 3. & propterea dicit Gloſſa cap. dudum 2. de electione; quod qui habet plura Beneficia, ubi unum ſuæ ſuſtentationi ſufficit, reliqua cum peccato mortali tenet. Ex hoc, & prædictis, & ratione patet, quod poſſum alicui dicere in confeſſionem, qui habet nimis multa Beneficia & ſuperflua, & hortari, ut aliqua reſignet, & niſi illud voluerit, non eſt in ſtatu Salutis, nec eum abſolvam.

(m) Rituale Aletii pag. 390. ſeu titulo de pluralitate Beneficiorum; an vero nullus magni nominis Scriptor pluralitatem hanc impugnavit? Immo plurimi, ut D. Thomas, D. Bonaventura, Peraldus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, Gerſon, Archiepiſcopus Panormitanus, Dionyſius Carthuſianus, Cardinalis Cajetanus, quibus addi poſſunt ex hujus ſæculi Auctoribus Cardinales duo, Toletus, & Bellarminus. Hi omnes Auctores juxta Facultatis Pariſienſis Decretum locuti ſunt, neque ullus gravis Theologus produci poſſet, qui publice contrarium docere non ſit veritus.

(n) Conc. Trid.

tem, quam Beneficiariis concedunt, adeo amplificant, ut reformatio, quam Tridentina Synodus quoad Beneficiorum pluralitatem inſtituere voluit, inutilis futura ſit, ſi eorum ſententia teneatur.

Ut intelligatur, quid cuique Beneficiario ſatis eſſe poſſit, quicumque tandem ille fuerit, tum perſonæ, tum Beneficii ratione, tanquam prima regula ſtatui poteſt; pluralitatem utpote juri oppoſitam & conſequenter odioſam reſtringendam eſſe: quamobrem ſuperioris ſæculi Scriptor (*a*) aſſeruit, ex una melius eſſe, quam ex alia parte peccare, ſcilicet Beneficiorum minus haberi, quam plus, quam decet, habendi periculo exponi.

Sane animadverſione dignum eſt Beneficiorum bona & reditus eſſe eleemoſynas a Fidelibus Eccleſiæ oblatas, ut dictum eſt num. 1. quæ non modo ignaviæ, & luxui fovendo inſervire nequeunt, ut ait D. Hieronymus, (*b*) *Clerico de Altari vivere, non luxuriari permittitur*, ſed tam large vivendi jus non tribuunt, quam ſi ea bona propria eſſent. Eccleſia bonum confert Eccleſiaſtico, non ut affluat, ſed ut habeat, unde decenter & mediocriter vivat. Ex quo ſequitur, ſolutis Beneficii neceſſariis officiis, oportere, ut Beneficiarius ad ſui ſuſtentationem non tantum ſumat, quantum ſumeret, ſi bonorum Beneficii ſui proprietatem haberet, ſed quantum ad mediocrem victum requiritur, inquit S. Baſilius: (*c*) *& ad mediocritatem magis quam ad faſtum*.

Secundo loco ut cognoſcatur, an Beneficium ſufficiat nec ne, imprimis neceſſe eſt, ut Eccleſiaſticus ambitionis & avaritiæ affectus reprimat, qui ad plura Beneficia congerenda, atque arripienda impellunt; oportet, ut ſecum reputet æternitatem eſſe præcipuam operæ, quam Eccleſiæ præſtat, compenſationem, nec bona temporalia tanquam principem cauſam & rationem laborum ſuorum ſibi ſpectanda eſſe.

Tertio loco Beneficiarius perpendere debet ſe tanquam Eccleſiaſticum magis quam Laicos ad arctam tenendam viam obligari; hoc eſt ad ſuum corpus macerandum debere ſibi ſubtrahere, quæ inſerviunt voluptati, pœnitentiam agere, atque animi ab hujus vitæ rebus abducti exemplum Fidelibus exhibere; Eccleſiaſtici enim majori quam Laici, perfectioni ſtudere tenentur; ſane ut innoteſceret Eccleſiaſticos, eos præſertim, qui ad majora Eccleſiæ munia elati ſunt, a ſæcularium moribus maxime alienos eſſe oportere, Concilium Carthaginenſe (*d*) 4. & poſt illud Tridentinum (*e*) pronunciarunt debere Epiſcopum in bonis mobilibus, in menſa, omnique exteriore habitu ſimplicitatem tantum, & modeſtiam quærere, atque in id incumbere, ut fide, atque integræ vitæ meritis, & non faſtu dignitatis ſuæ auctoritatem tueatur. Hanc eamdem ob cauſam D. Bernardus (*f*) ad Papam Eugenium ſcribens oportere eum monuit ſe reputare Piſcatoris ſucceſſorem eſſe, non autem magni Principis, qui ut obſequium ſibi compareт, magnificentiam & faſtum ſervare debet: *In his ſucceſſiſti Petro, non Conſtantino*.

Quarto loco, qualitatis Eccleſiaſtici & Beneficiarii nulla prorſus habenda eſt ratio, ut ſtatuatur, quid ei ſatis eſſe debeat ad honeſte ex Beneficio vivendum, ſi ejus qualitas & dignitas ad Eccleſiæ bonum minime conſerant: ſed proventu potius, quem percipit, privandus eſt, ſi ſit eidem inutilis, eſt hæc vetus regula Emeritenſis Concilii (*g*), quod jure ponens tanquam certum ex gratia Eccleſiaſticum frui bono, quod ei tribuit Eccleſia, concludit eum, ſi inutilis, aut pernicioſus evaſerit, poſſe Beneficio, quod ei laborandi tantum gratia collatum eſt, jure privari; videtur enim naturæ ordini ac rationi conſentaneum, eum, qui Eccleſiæ parum eſt utilis, haud ab ea tantum accipere, quantum qui valde laborat, eumque, qui nullam præſtat operam, & fortaſſe Eccleſiæ ipſi incommodum affert, nullum ex ea commodum reportare.

Denique non idem univerſis & ſingulis Beneficiariis proventus ſtatuendus eſt; penſanda ſunt hæc, perſonæ qualitas, bonum, quod affert Eccleſiæ, locus, in quo degit, impenſæ neceſſariæ, tum quæ Beneficium, tum quæ Beneficiarium ſpectant, atque aliæ circumſtantiæ. Qua in re Beneficiarius judicio ſuo contentus eſſe non debet; quia identidem nos ipſi decipimus; nec vero magis ille amicis in ipſius favorem præoccupatis fidere debet, multoque minus conſanguineis ſuis, aut iis, qui plura poſſident Beneficia; fere quippe hujus generis homines ad fallendum ſunt tantummodo comparati. Adeundi ſunt ei docti, & a partium ſtudio alieni Viri, qui recto animo ſint, & Deum timeant: uno verbo ſapientes Viri, qui & conſulentem, & conſulentis obligationes optime noverint. Quamobrem Ariſtoteles (*h*) ut virtutem definiret, & ad mediocritatis punctum, in quo ejus eſſentia ſita eſt, cognoſcendum regulas aſſignaret, Virum Sapientia præditum adeundum eſſe pronunciavit: *Virtus & in medietate conſiſtens, prout determinat Sapiens*.

Gerſon (*i*) his omnibus recenſitis, concludit Eccleſiaſticum ambitione, aut avaritia moveri, qui Beneficium duplex accipit, cum poſſit uno contentus eſſe.

Ex his omnibus, quæ dicta ſunt, paucis concludi poteſt Beneficiorum pluralitatem generatim Eccleſiæ menti contrariam eſſe, & quod ad conſuetam Beneficiarii ſuſtentationem requiritur, ſolutis officiis omnibus, mediocre eſſe oportere.

Nunc porro juxta explicata, ſatiſque probata principia facilis ſolutu eſt Doctoribus propoſita facti ſpecies. Ut autem difficultas in meliore lumine collocetur, illud ponitur tanquam certum, Eccleſiaſticum, de quo agitur, Epiſcopum eſſe; quicquid enim de Epiſcopo ſtatuetur, de peculiari ſane Beneficiario verius erit; videlicet ſi plura Beneficia poſſideri minime liceat, id quidem huic poſteriori minus licebit, cui non æque gravia officia obeunda ſunt, nec æque magnæ impenſæ faciendæ.

Reſpondetur igitur Epiſcopum, qui Epiſcopatum poſſidet, cujus viginti mille librarum eſt reditus, plura alia præterea Beneficia, duaſque penſiones jure retinere non poſſe; neque enim id ſibi arrogare poſſet, niſi quia ex ſuo tantum Epiſcopatu non poſſet honeſte vivere, aut quia ſine his omnibus Beneficiis, hiſque duabus penſionibus non poſſet gravibus ſuæ Diœceſis neceſſitatibus providere.

Quod ſpectat ad rationem primam, non eſt credibile Epiſcopum annuas libras viginti mille poſſidentem non habere, unde honeſte vivat, ſi ſibi non blandiens principia tenere velit, quæ num. 9. expli-

(*a*) Major in 4. diſt. 24. Concluſ. 4. fol. 230.

(*b*) S. Hieron. Ep. ad Amandum & refert. diſt. 44. c. 1.

(*c*) S. Baſil. Homil. 22. Homil. circa fin.

(*d*) Conc. Carthag. 4. can. 15. Ut Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam ac victum pauperem habeat & dignitatis ſuæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.

(*e*) Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 1. de reform.

(*f*) S. Bernard. l. 3. c. 3. de conſider. ad Eugen.

(*g*) Conc. Emeritenſe c. 13. an. 1666. Quemcumque Clericum Epiſcopus ad bonum profectum viderit creſcere, per bonam intentionem de rebus Eccleſiæ, quod voluerit, illi largiendi poteſtatem habeat: quidquid ergo de bonis largitur per gratiam, ita in jus habeant, ut ex hoc remedium ſentiant, & rem Deo dicatam ad augmentum perducant. Quod ſi id quod acceperint, per ſuam tepiditatem ad profectum minime perduxerint, aut detrimentum patuerit, Epiſcopus habeat licentiam ſine ullo præjudicio in jus Eccleſiæ rem revocare proprium.

(*h*) Ariſt. 2. Eth.

(*i*) Gerſon t. 1. p. 2. p. 548. Unde ſi quis habeat Beneficium, quo rationabiliter debeat contentari, ſecundum utilitatem, quam affert, aut afferre poteſt Eccleſiæ, & ultra hoc Beneficium aſſumit aliud, ipſe cum hoc peccat, quod per ambitionem accumulat ſibi novum onus adminiſtrationis, quæ nunquam aut vix fit ſine periculo infidelitatis alicujus. Si autem bona alia ſunt data generaliter & indiſtincte alicui Eccleſiaſtico, tam pro ſuſtentatione ſua, quam pro exercitio pietatis, tunc poteſt hujuſmodi Eccleſiaſticus mediocriter uti illis bonis ſecundum decentiam ſui ſtatus. Qualiter vero æſtimabitur hujuſmodi decentia ſtatus, non poteſt ſub univerſali regula definiri, ſed æſtimabitur in certa latitudine, prout Sapiens judicabit. Et quoniam nimis afficimur ad nos ipſos, & extollentiam oculorum noſtrorum: tutius eſt atque ſalubrius cuilibet Eccleſiaſtico declinare ad frugalitatem & parcitatem ſtatus ſui, ut aliquid relinquatur pauperibus.

explicuimus, quoad id, quod Eccleſiaſtici ſuſtentationi debet ſatis eſſe. Inter Epiſcopi onera referri poteſt Seminarii erectio, & aliqua alia pia inſtituto ad ſuæ Diœceſis ſpiritale bonum, ex. c. derelictarum Parochiarum inſtauratio, & Presbyterorum, qui ad eas mittuntur, ſubſiſtentia.

Quod attinet ad Seminarium, & alia pietatis opera, non eſt neceſſe, ut hic Epiſcopus plura Beneficia poſſideat; poteſt aliam quidem partem ad Seminarium, aliam vero ad hæc alia opera, ſi ſint neceſſaria, conferre. Quod pertinet ad Parochias vacantes, aut eæ propter adverſas tempeſtates Eccleſiaſtici honeſtæ ſubſiſtentiæ pares eſſe non poſſunt, aut re ipſa fundis omnino carent.

In priore facti ſpecie, quoniam harum Parochiarum indigentia eſt ad tempus tantum, hæc non videtur eſſe ratio legitima, quamobrem Epiſcopus, ut huic indigentiæ conſulat, toto vitæ ſuæ tempore plurium Beneficiorum titulum retineat. Poteſt ille uni Presbytero duarum Parochiarum adminiſtrationem committere, quod in pluribus Diœceſibus fieri conſuevit, cum illæ ſunt adeo tenues, ut nequeant duos Parochos ſuſtentare; poteſt præterea per ſuam ipſius, aut amicorum ſuorum apud divites & potentes Viros gratiam eleemoſynarum erogationem curare, ut ita temporaneis harum Parochiarum indigentiis occurrat; quod ſi hæ Parochiæ nullum prorſus fundum habent, poteſt Epiſcopus per unionem ſeu Beneficiorum, ſeu fundationum, ſeu aliis rationibus earum egeſtati conſulere. Epiſcopos docet Tridentina Synodus, quid ipſis in ejuſmodi caſibus facto opus ſit. (*a*)

Eſto abſolute loquendo liceret huic Epiſcopo tot Beneficia ſimul cum Epiſcopatu retinere, ut ſuæ Diœceſeos rationibus provideret, præſertim ſi in ejus Diœceſi ſita eſſent; quia videtur potiori jure uti poſſe proventibus eidem annexis, quam in alia exiſtentibus; nihilominus ſpectata eorum multitudine, non eſt ad rem ab illo ea retineri, ne iis ſcandali occaſionem præbeat, qui videntes ex una parte tam magnum Beneficiorum numerum, & ex alia ejus Diœceſis indigentias minime cognoſcentes facile in animum inducere poſſunt eum contra Canonum mentem agere, aut non ita rem malam eſſe plura Beneficia poſſidere; ita ut quo melior, ſapientior, & doctior Prælatus hic haberetur, eo ejus exemplum periculoſius, atque Eccleſiæ pernicioſius deinceps evaderet, quia ipſe plures in hunc abuſum pertrahere poſſet, *quanto eſt doctior*, inquit Major loco ſupra laudato, *& melioris vitæ putatus, gravius Deum offendit, quia alios facto trahit, & excitat ad ſimilia*.

Quoad rationem alteram Diœceſis graves neceſſitates ſpectantem, reſpondetur, Epiſcopum, ut omnia ſua Beneficia, & ſuas penſiones cum Epiſcopatu retineat, eo fundamento niti non poſſe, quod iis opus habeat ad ſuæ Diœceſis neceſſitates, aut omnibus his reditibus ad charitatis opera utatur; ſi enim id licet, poterit Epiſcopus omnia ſuæ Diœceſis Beneficia ſimplicia ob eamdem cauſam arripere; atque adeo Eccleſiaſticus hic ad infinitum uſque Beneficiis potiri poterit, ſcilicet bene iiſdem utendi animo; ſemper enim plures occurrunt urgentes caſus, quibus impendatur, quicquid haberi poteſt, ita ut hæc doctrina, ſi locum habeat, iis omnibus incommodis, quæ n. 6. memorata ſunt, campum aperiat.

Ad hæc dum Tridentinum Concilium de Beneficio loquitur, quod ſit Eccleſiaſtico ſufficiens, nihil aliud ſibi proponit, quam quod honeſtæ ipſius ſuſtentationi inſervire debet: *Unicum tantum Eccleſiaſticum Beneficium ſingulis conferatur; quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens eidem conferri*. Deſignat Concilium perſonalem ipſius Beneficiarii ſuſtentationem, *vitam ejus, cui confertur, ſuſtentandam*, non vero indigentiam, aut ſuſtentationem ejus conſanguineorum, aliarumve perſonarum.

Sane ut dictum eſt numero 4. Beneficiorum pluralitas hoc in caſu a Concilio permiſſa ſpectanda eſt ſolum ut indulgentia, quam credidit neceſſariam ad majus malum vitandum, ut explicatum eſt num. 5. Quod argumento eſt pluralitatem inter res ſuapte natura odioſas eſſe referendam, & quod inde conſequitur, reſtringendam, ne dum ampliandam.

Si omnia perpendantur incommoda, quæ ex pluralitate, quam hic Epiſcopus in caſu, quem proponit, ſibi permittendam contendit, oriri poſſunt, ea longe graviora, atque Eccleſiæ, & Religioni pernicioſiora ſunt, quam ea, quibus remedium parat. Præſtat pauperum aliquos ope carere, quam ad eos juvandos Divina Jura ſuſdeque verti; neque ob hoc opus bonum Eccleſia pluribus Miniſtris, quibus indiget, privanda eſt, aut magnopere imminuendus divinus cultus, plurium ſuſtentatione in unum collata. Cæterum ut omnia ſemper in pejus ruunt, Beneficiarii deinceps ſuorum Beneficiorum fructus rurſus in ſuum privatum uſum convertent; ita ut aperta pluralitati janua, merito timendum ſit, ne piorum operum ſpecioſo prætextu Eccleſiaſtici ea abutantur, atque ad eum deplorandum ſtatum quamprimum redeant, in quo Concilii tempore verſabantur, quod quidem ſapientiſſime malum radicitus extirpare non potuit.

Si quis Epiſcopus non ſatis proventuum ex ſuo Epiſcopatu percipit, ut ſuæ Diœceſis omnibus neceſſitatibus conſulat, omnino ad id præſtandum ratione vetita uti non debet; ad Deum potius, qui pauperum pater eſt, confugiat, eumque viva fide nixus exoret, ut iis opitulandi rationem ſibi demonſtret; humana quoque præſidia quærat, atque eleemoſynas iis comparare ſtudeat, qua apud Viros opibus, & auctoritate præſtantes gratia pollet. Cum Epiſcopus, quantum poterit, apud Deum, hominesque præſtiterit, tranquillo is animo eſſe poterit, quoniam ab ipſo Deus ejus boni rationem non exiget, quod ille non fecerit, quia facere non potuerit. Ad impoſſibile nemo tenetur.

Hinc licet intelligi, quam parum ſoliditatis habeat nonnullorum Auctorum ſententia, qui putant poſſe Beneficia Beneficiis addita, prope dixerim, deglutiri, modo bonus fiat eorum uſus, honeſtuſque finis in iis obtinendis proponatur. Etenim ne ea repetantur, quæ ſupra dicta ſunt, ſi ita eſſet, Tridentini Concilii, cujus is ſcopus fuit, ut pluralitatem damnaret, & Eccleſiaſticos ſingulos ad unum Beneficium ſufficiens redigeret, Decretum inutile redderetur; jam vero ſi pluralitas tunc eſt licita, cum Beneficia eo animo obtinentur, ut eorum proventus recte impendantur, ea ſane damnari vix poterit.

Nec refert in Epiſcopi, de quo agitur, gratiam dicere, cum, cum ad obtinendas Epiſcopatus ſui Bullas Romam miſit, Beneficiorum, & penſionum, quibus fruebatur, ſingularem mentionem feciſſe, atque ita Pontificem, dum Bullas conceſſit, ea quoque omnia Beneficia retinendi diſpenſationem conceſſiſſe.

In promptu quippe reſponſio eſt, hanc diſpenſationem, cum minime videatur legitima cauſa niti, nullam cenſendam eſſe juxta id, quod dictum eſt numero 7. Fit vero ſimile in Epiſcopi ſupplicatione poſitum fuiſſe, cum his omnibus Beneficiis, hiſque penſionibus ad vivendum indigere; aut certe Pontifex permiſſionem concedens plura Beneficia & penſiones retinendi ejuſmodi clauſulam addiderit, modo Epiſcopales reditus, ſolutis officiis, ad ejus honeſtam ſuſtentationem ſatis non fuerint. Porro cum diſpenſationem hanc Pontifex ad expoſitionem falſam conceſſerit, aut cum conditione, quæ cum veritate non cohæret, diſpenſatio nulla eſt, adeoque nullus ejus uſus eſſe poteſt.

De-

(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 3. In Parochialibus etiam Eccleſiis, quarum fructus æque adeo exigui ſunt, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere, curabit Epiſcopus, ſi per Beneficiorum unionem, non tamen regularium id fieri non poſſit, ut primitiarum, vel decimarum aſſignatione, aut per Parochianorum Symbola ad collectas, aut quæ commodior ei videbitur, ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat.

Declarat Alexander Papa III. in tertio Lateranenſi Concilio (*a*), ſi quando ad ſupplicationem, in qua quicpiam neceſſario exprimendum defuerit; mandatum conceſſerit, aut ſi illud ſine ſcandalo executioni mandari nequeat, ſibi pergratum fore, ſi in hoc ipſi non pareatur, quia in utroque caſu hæc minime cenſetur Papæ voluntas eſſe; quod idem de diſpenſatione, cujuſmodi quidem ab Epiſcopo eſt impetrata, ſentiendum eſt: minime cenſetur Pontifex eam concedere voluiſſe, & quod inde conſequitur, ea nulla eſt.

Ex quibus omnibus neceſſaria rerum conſecutione fit, oportere, ut hic Epiſcopus ejuſmodi Beneficia dimittat, ſuo contentus Epiſcopatu, qui libris conſtans viginti mille ſatis eſſe debet, & ut ipſe honeſte vivat, & ut officia ſolvat, & ut ſuæ Diœceſis pauperibus opem ferat. Porro ponitur tamquam certum iis eminentibus qualitatibus eum minime præditum eſſe, quæ aliquando in cauſa ſunt, cur Prælatus ad Eccleſiæ bonum ampliores proventus poſſideat. Ad penſiones quod attinet, eas vero potiore jure tenetur dimittere, præſertim ſi Beneficia, quæ eas ſolvunt, in ejus Diœceſi non exiſtant; atque ipſe ſervitia non vulgaria iis non præſtiterit, quamobrem jure poſſit aliquod inde commodum reportare, quia per has penſiones Titularibus injuriam affert, qui fortaſſe non habent, unde vivant, & ſaltem ea de cauſa impediuntur, quominus pauperibus ibi degentibus, ubi Beneficia exiſtunt, præſto ſint.

Quoniam illud pro certo habitum eſt conſultationem, cui ſatis eſt factum, ad Epiſcopum pertinere, ex declaratis principiis liquido conſtat, Beneficia, quæ poſſidet, cum Epiſcopatu ab ipſo retineri non poſſe. Ad abdicationem hanc animoſe ſuſcipiendam, perficiendamque rogatur, ut ſibi ob oculos ponat exemplum celebris Epiſcopi Pariſienſis ſæculi tertii decimi, qui Abbatiam reſpuens reſpondit referente Auctore in Pragmatic. (*b*): *abſit*, inquit, *ut babeam cum ſponſa concubinam*; e converſo ſi ille hac diſſertatione minime permotus, in conſilio tot Beneficia cum duabus penſionibus retinendi perſtiterit, nihil impedire poterit, quominus eidem accommodetur id, quod olim D. Bernardus (*c*) Canonico contra Eccleſiæ Regulas ſuperflua poſſidenti dicebat: *quidquid ultra victum & veſtitum ſimplicem retines, tuum non eſt, furtum eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.*

Ad hujus Epiſcopi Confeſſarium quod attinet, cum Beneficii unius tantum poſſidendi obligationem probe perceperit, debebit Epiſcopum de ea commonere, eique auctor eſſe, ut excepto Epiſcopatu cætera omnia Beneficia dimittat; quod ſi forte id facere recuſaverit, eum neque audire debebit, neque abſolvere. Ac ſi Confeſſarius ipſe, quod ad eum ſpectat, hoc in negotio præſtare noluerit, is, ad quem confitendi gratia ſeſe contulerit, abſolutionem ipſi negare debebit.

Deciſum in Sorbona die 16. Julii an. 1687.
G. *Fromageau Le Peſcheux, Du Mas, T. Durieux, M. Mortier, Le Breton, Garſon Parochus Sancti Landrii, B. Dugaſſin, Bonnet, Prevoſt, P. Girard, H. Ravechet, Ph. de la coſte, Magiſter Hoſpitalis Pariſienſis.*

CASUS XXIX.

Alia quæſtio ſuper eadem materia ad oſtendendum Beneficiorum pluralitatem vetitam eſſe.

QUÆSITUM.

Petitur ſuppliciter a Domino Fromageau, ut caſum ipſi in præſentia propoſitum dijudicet.

I. Quæritur, an Abbas tuta conſcientia retinere poſſit Abbatiam librarum prope ſex mille cum tribus Prioratibus, quæ plus quam quatuor mille conſtant, non penſatis proventus quatuor mille libris, quas ejus patrimonium eidem reddit? Nititur ille rationibus hiſce. Pluralitas, inquit, cum divino jure non pugnat, & ex conſequenti a Pontifice permitti poteſt. Eam conſuetudo confirmat, atque innumeri honeſti Viri hujus diſpenſationis vi Beneficiis pluribus potiuntur.

II. Hic Abbas valetudine admodum infirma eſt, & magna domeſticorum copia opus habet; non vulgaris eſt conditionis, & curru indiget. Alia Beneficia habere potuit; ſed quatuor iis, quibus fruitur, contentus eſt. Quartam ſuorum omnium proventuum partem in eleemoſynas erogat.

III. Facta hypotheſi eum teneri ſuorum Beneficiorum aliqua dimittere, ne penſiones quidem eleemoſynæ gratia poteſt inde percipere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod vidit, & expendit interrogationes tres in expoſitione contentas, exiſtimat, antequam iis ſatisfiat, tria eſſe animadvertenda. Primo Theologi, ut D. Thomas *quodl.* 9. *art.* 15. Cardinalis Toletus *l.* 5. *c.* 80. & 81. *num.* 5. Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. aliique Beneficiorum pluralitatem ſuapte natura naturali juri repugnare contendunt; ea ſane juſtitiæ diſtributivæ adverſatur, quoniam in diſtribuendis Eccleſiæ bonis inter ejus Miniſtros tantam inæqualitatem conſtituit, ut divinum cultum imminuat, cum nempe Eccleſiaſticus unus plurium ſedem tenet, ut loquitur Tridentina Synodus *Seſſ.* 24. *c.* 17. *de reform. quando unus occupat plurium officia*; ambitioni patrocinatur, multiſque Viris Eccleſiam privat, qui ei utiles futuri eſſent. Quamobrem Tridentina Synodus de hac pluralitate verba faciens, eam vocat Eccleſiaſtici Ordinis inverſionem: *cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur*; Cabaſſutius *l.* 2. *cap.* 26. *num.* 6. incommoda hæc ſingillatim recenſet: *ubi vero ſingula Beneficia ſeorſim ſufficiunt ad decentem victum, ibi ſpectantur diverſæ mali ſpecies, I. quia minuitur Dei cultus, Clericus enim tribus proviſus Beneficiis, non niſi unum quotidianum perſolvit officium, quod a tribus proviſis ſeorſum perſolvendum eſſet. II. Minuuntur Eccleſiaſtici operarii. III. Fundatores ſua fruſtrantur intentione. IV. Fruſtrantur ſubſidio alii pauperes Clerici, & forſan magis idonei, ac Eccleſiæ utiliores futuri. V. Suppeditatur materia avaritiæ, luxus, & ſcandalorum occaſiones, hæc aliaque damna commemorat Extravagans Execrabilis de præb.* Repugnat etiam pluralitas Divino juri, quoniam impedimento eſt, quominus eorum multi, qui Altari miniſtrant, ex Altari quicquam percipiant contra Regulam D. Pauli 1. *Corinth. c.* 9. *Qui deſerviunt altari, cum altari participant*; quia porro pluralitas non ſpectat ad res ſuapte natura malas, quæ quidem nunquam permitti poſſunt, non deſunt caſus, inquit D. Thomas, in quibus eam permittere poteſt Eccleſia.

Et ſane Tridentina Synodus duo Beneficia poſſideri permittit, dummodo alterutrum non ſufficiat, & utrumque ad reſidentiam non obliget; & tunc quidem ambo abſque diſpenſatione retineri poſſunt.

Poſſunt etiam abſque diſpenſatione plura retineri, cum omnia conjunctim ſumpta honeſtam tantum ſuſtentationem conſtituunt. Layman *l.* 4. *n.* 9. Vaſquez *Opuſ. de Benef. c.* 4. *dub.* 6. Sanchez *l.* 2. *c.* 2. *dub.* 6. *n.* 22. *conſil. moral.* Cabaſſutius *l.* 2. *c.* 21. *n.* 15. & *c.* 26. *n.* 5. Congregatio Cardinalium in allatum Concilii locum alias contrarium definiit, ut refert Garcias 10. *p. c.* 5. *n.* 310. ſed id non permovet, præſertim in Gallia.

His poſitis, reſpondetur:

Ad interrogationem primam, diſpenſationem a Pontifice conceſſam plura Beneficia retinendi, cum unum ad Titularis ſuſtentationem ſufficit, conſcientiæ

(*a*) Cap. cum teneamur de præbend. Cum mandatum noſtrum pro alicujus proviſione acceperis, qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commode ſuſtentari: niſi forte in litteris ipſis de hoc mentio habeatur, aut ſi non poteſt ei ſine ſcandalo provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro eo mandatum noſtrum non duxeris exequendum.

(*b*) Guimier in Pragmat. tit. de collat. §. cui rei v. pluralitatis.

(*c*) S. Bernard. Epiſt. 2. ad Fulcon.

tiæ coram Deo tranquillandæ non inſervire, niſi ex legitima cauſa ſit, quia tunc naturali & divino juri repugnat. Doctrinam hanc Cabbaſſutius enucleat: *Quæ tamen mali ſpecies*, de Beneficiorum pluralitate loquitur, *poſſunt cohoneſtari & compenſari quandoque per Eccleſiæ utilitatem ſpectabilem, ut contingit in ſummis dignitatibus, & perſonis illuſtribus, quarum conditio efflagitat aliquem ſplendorem: item in quibuſdam viris ſcientiarum & virtutum dote præcellentibus, & in illis præſertim, qui ſanctiſſime reditus Eccleſiaſticos diſpenſant. Ubi cauſæ iſtæ non exiſtunt, ne juſta quidem, ſed abuſiva eſt diſpenſatio; verum ubi cauſa juſta exiſtit, atque ipſi Eccleſiæ conducibilis ſufficit, ut loco citato docet D.Th. quodl. 9. art. 15. & alii communiter, ipſamet conſuetudo, quæ nullatenus ſufficeret, ubi Eccleſia grave detrimentum pateretur, vel ſcandalum, nequidem adhibita diſpenſatione; quia tunc læderetur jus divinum, contra quod prævalere non poteſt conſuetudo, vel diſpenſatio Eccleſiaſtica.*

Illud ſaltem aſſeri poteſt cum Cardinali Cajetano *v. Beneficium*, *ſ. mortale*, Layman *l. cit. num.* 2. Leſſio *l.* 2. *c.* 34. *de Benef. n.* 52. *dub.* 28. aliiſque Theologis, eſto diſpenſatio a Pontifice conceſſa in caſu, de quo agitur, valida eſſet, Beneficiarium tamen ſine gravibus cauſis ea uti non poſſe; quas quidem cauſas Layman ad tres redigit, ſuntque *neceſſitas Eccleſiæ*, *utilitas Eccleſiæ*, *evidens meritorum prærogativa*. Aliter qui plura retinet Beneficia, cum unum ſufficit, a peccato per ullam diſpenſationem minime eximitur. Ut id bene penitus intelligatur, ſciendum eſt Pontificem Eccleſiæ bonorum diſpenſatorem tantummodo, non vero abſolutum Dominum eſſe, ut communiter aſſerunt Theologi poſt D. Thomam 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 7. Quod quidem Pontificias diſpenſationes nullas & abuſivas efficit, cum contra Regulas & mentem Eccleſiæ conceſſæ ſunt.

Reſpondetur ad interrogationem alteram, ſi ſtatus, & qualitas Abbatis, qui conſulit, Eccleſiæ nequaquam utiles ſunt, aut ſi ipſe, ejuſque Anteceſſores nullum ei ſervitium præſtiterunt, Abbatem ex his Beneficiis id unum retineri poſſe, quod ipſi ad clericalem victum eſt neceſſarium. Debet domeſticorum ſuorum partem dimittere, ut ineat rationem vitæ modeſtæ, ſimplicis, talis denique, qualis Eccleſiaſticum hominem decet altum ſuſtentatumque pauperum bonis, obligatum vi ſui ſtatus ad frugalitatem, ad pœnitentiam, ad Jeſu Chriſti imitationem, atque ad perfectioris, quam Sæcularibus congruit, virtutis praxim.

Ad has Regulas Abbas noſter ſuas impenſas, atque id, quo ad honeſte vivendum opus habet, exigere debet. Eas proponit Tridentina Synodus *Seſſ.* 25. *c.* 1. *de refor. Ita omnes ſuos mores componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nobis tantopere commendat Deus, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint, & modeſta ſuppellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint.* Si noſter Abbas ita ſe geſſerit, ſtatim intelliget ſe plus quam oportet, Beneficiorum habere: laudabilis quidem ejus eſt moderatio, quod quatuor contentus fuerit, cum plura obtinere potuerit; verum non eſt omnino dignus excuſatione, quod tria nondum dimiſerit. Cui enim perſuaderi poterit, Abbatiam quinque mille quingentarum librarum, & patrimonii libras quatuor mille ad ejus omnes indigentias, omniumque ægritudinum ſolatium ſatis non eſſe.

Neque vero propterea ſatis Abbas hic excuſatur, quod quartam partem fructuum ſuorum Beneficiorum pauperibus diſtribuere nunquam deſtiterit. Etenim I. ex eo quod ille Eccleſiaſticorum ſuorum proventuum partem in hunc bonum uſum convertat, non propterea avertuntur incommoda, quæ ex Beneficiorum pluralitate naſcuntur. Videndi Layman, Navarra *c.* 25. *n.* 129. Azorius *tom.* 2. *l.* 6. *c.* 10. 12. *q.* 3. Sanæ hæc diſputandi ratio, ſi admitteretur, longius abduceret, quam par eſt; liceret Eccleſiaſtico Beneficia innumera retinere, modo eorum bonum uſum ſibi proponeret. II. Hæc quarta pars, quam Abbas pauperibus elargitur, evidenter oſtendit, eum Beneficiorum plus habere, quam ad honeſtam ſuam ſuſtentationem indigeat: itaque ſi qua dimiſerit, illuſtrius præbebit exemplum, magiſque aliis proderit, quam ſi eleemoſynas tribuat; hoc etiam conſilium probans Deus fortaſſe ſua gratia præſtabit ut ille cum minore proventu non minores tamen eleemoſynas conferre poſſit.

Ad interrogationem tertiam, Tridentina quidem Synodus *Seſſ.* 24. *c.* 17. *de reform.* de Beneficiis tantum loquitur, earumque pluralitatem vetat; ſed ejus prohibitio ad penſiones quoque videtur extendi poſſe, quia eæ Beneficiorum locum tenent, & conferuntur *loco Beneficii*. Utcumque ſit, illud indubitatum eſt, ſi Abbati, qui conſulit, ad ipſius ſuſtentationem, prout quidem declaratum eſt, ſatis proventuum ſuppetit, eum ex Beneficiis, quæ abdicabit, quicquam penſionis percipere nec poſſe, nec vero debere; quia Pontificis diſpenſatio, utpote ex legitima cauſa non proveniens, coram Deo nulla eſſet, ut pronunciant Cardinalis Toletus *l.* 5. *c.* 83. Cabaſſutius *in ſua Praxi l.* 5. *c.* 7. *n.* 7. & plures alii Theologi: ita ut etiamſi hic Abbas pauperibus ſuas penſiones tribueret, ejus tamen animus coram Deo tutus non eſſet, quia ejus eleemoſynæ de bonis eſſent, quæ ad ipſum minime ſpectant.

Deciſum hac die 16. Septemb. an. 1693.

G. *Fromageau*.

Beneficiorum Pluralitas.

CASUS XXX.

Epiſcoporum Reſidentia.

QUÆSITUM.

ORantur Sorbonæ Domini, ut ſuper expoſitione mox proponenda ſententiam ſuam proferant. Eccleſiaſticus jampridem Abbatiam poſſidens, cujus annuus redditus eſt librarum bis mille, ſolutis officiis, librarum ter mille proventum ex aliis Beneficiis percipit; poſtremo quatuordecim mille librarum Epiſcopatum obtinuit. Debet ad Abbatiam ſuam quamprimum ſe ſe conferre, ibi rogaturus, ut videtur, Priorem, ut ejus confeſſionem excipiat. Quod in cauſa eſt, ut hic ipſe Sorbonicos Doctores conſulat, paratus orare Epiſcopum, ut velit alium Confeſſarium quærere, ſi judicent eam ipſi abſolutionem impertiri non poſſe, niſi Epiſcopatu tantum contentus fuerit.

Supplicans minime dubitat, quin Beneficiorum pluralitatem, cum ad honeſtam Beneficiarii ſuſtentationem unum ſufficit, Eccleſia ſemper improbaverit; ſed quoniam Prælatus hic cum Epiſcopatus ſui Bullis diſpenſationem ad omnia Beneficia, quibus gaudet, poſſidenda neceſſariam a Pontifice obtinuit, quærit Prior, an hæc diſpenſatio ad Epiſcopi, ejuſque Confeſſarii animum tranquillandum ſufficiat. Ea ſubeſt dubitandi ratio, quia cum diſpenſatio nulla ſit, niſi legitima cauſa, ſcilicet Eccleſiæ neceſſitate, aut utilitate nitatur, in Prælato, de quo agitur, ejuſmodi cauſa omnino non apparet, nunquam enim Eccleſiæ aut Regno deſerviit, nec ſpes eſt, fore ut impoſterum unquam deſerviat. Ex quo ſequitur, diſpenſationem, quam obtinuit, nullam eſſe, eumque nulla alia Beneficia retinere poſſe præter Epiſcopatum, qui ad ejus ſuſtentationem ſatis ſuperque eſt.

2. Quæritur, quot menſium ſpatio a ſua Diœceſi Epiſcopus abeſſe poſſit, cum hanc abſentiam nulla negotia ad ipſius Eccleſiæ bonum ſpectantia requirant. Ille quidem e Diœceſi egreditur, propterea quod natalis ſoli deſiderio tangitur, ut Prælatum ſibi neceſſitudine devinctum inviſat, ut ſuos reditus colligat, & ut parſimoniæ ſtudeat, utpote gravioribus impenſis in Epiſcopatu obnoxius, quam in Abbatia, ubi minime inviſitur. Exorantur Domini Doctores, ut præſentem expoſitionem remittant, ad cujus calcem ipſis placuerit indicare Supplicanti rationem, qua ſe cum hoc Epiſcopo gerere debet, quin decipiatur, facta hypotheſi illum confeſſionis gratia ad ipſum ſe conferre, eodemque tempore ne ſuam conſcientiam pravis abſolutionibus inquinet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ut expoſitionis interrogationibus occurrat, exiſtimat,

Quoad primam, cum Eccleſia in Tridentino Concilio *Seſſ.* 24. *c.* 17. *de reformat.* Beneficiorum pluralitatem prohibuerit, tanquam ordini Eccleſiaſtico repugnantem, *cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum*; Pontificem in ea diſpenſare non conſuevisse, niſi quando Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas id requirunt, aut cum Beneficium unum ad honeſtam Eccleſiaſtici ſuſtentationem non ſufficit. Porro quoniam re ipſa Epiſcopus, de quo agitur, ſatis habet, unde vivat ex ſui Epiſcopatus reditibus, atque alia ex parte nec neceſſarium, nec utile Eccleſiæ eſt eum pluribus Beneficiis potiri; liquido apparet, unum tantum ab eo retineri oportere, videlicet Epiſcopatum; habet ille quidem Pontificis diſpenſationem ad plura poſſidenda, ſed illa eum ſupponit in caſu, in quo diſpenſare Pontifex poteſt, ac proinde coram Deo nulla eſt, ſi hic Epiſcopus extra ejuſmodi caſum ſit.

Ad ſecundam, juxta Tridentinum Concilium *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* a ſua Diœceſi trium ad ſummum menſium ſpatio Epiſcopus abeſſe poteſt; *Abſentiæ ſpatium ſingulis annis ſive continuum, ſive interruptum nullo pacto debet duos aut ad ſummum tres menſes excedere.* Atque hoc quidem tempus concedit Synodus ea conditione; ſi nempe ejus præſentia in Diœceſi minime ſit neceſſaria, ſi nihil inde damni Diœceſis percipiat, ſi denique abſentiæ cauſa legitima præſto ſit: *ut id æqua ex cauſa fiat*, & abſque *ullo gregis detrimento*. *Quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore.*

Quamobrem niſi Epiſcopus, de quo agitur, abſolute loca inviſere teneatur, ut ſuos proventus excipiat, aut niſi Prælatum amicum ſuum non reviſens urbanitatem violet; non poteſt a ſua Diœceſi per menſes tres a Concilio conceſſos recedere; eos quippe non concedit Synodus; niſi pro certo habens eum Dei timore, & religionis animo permoveri: *quam timoratam & religioſam fore ſperat.* Porro ejuſmodi Epiſcopus ſectabitur potius pietatis motus, in ſua Diœceſi conſiſtens, ut ei proſpiciat, quam naturæ propenſionem, qua ad ea, quæ parum neceſſaria ſunt, extimulatur.

Hoc poſito Confeſſarius Epiſcopi, de quo agitur, in pœnitentiæ tribunali debet imprimis curare, ut eum quoad Beneficiorum pluralitatem, & quoad reſidentiam ad Eccleſiæ mentem referat. Abſolute obligandus eſt, ut ſuum tantum Epiſcopatum retineat, atque in Diœceſi conſiſtat, donec alias abſcedendi cauſas, quam quæ in expoſitione recenſitæ ſunt, non habuerit; quod ſi ille nolit ita ſe gerere, Confeſſarius ei abſolutionem negare debet, aut rotundis verbis edicere, ſe ejus confeſſionem audire non poſſe.

Deciſum hac die 10. Februarii an. 1695.

G. *Fromageau.*

CASUS XXXI.

Beneficiorum Pluralitas.

QUÆSITUM.

PEtrus Abbatia termille quingentarum librarum, & Canonicatu librarum mille quingentarum potitus ſuper hac Beneficiorum pluralitate ſcrupulo tangitur. Canonicatus quidem proventus ad ejus ſuſtentationem ſatis non eſſet, quippe cui plures conſanguinei pauperes ſint, quorum ſingulis tenuem penſionem aſſignat. Ex Abbatia porro ſatis haberet, ſed veritus, ne Canonicali Officio dimiſſo, quod ſolum ſibi, cum valetudine parum firma ſit, congruere putat, in deſidiam, atque ineptæ vitæ rationem incidat, ſcire cupit, an tuta conſcientia Abbatiam ſimul & Canonicatum retinere poſſit, integrum Canonicatus reditum in pauperes erogans, iiſque exacte tribuens, quicquid ex Abbatiæ reditibus ei ſupererit, poſtquam ſibi ſumpſerit neceſſaria. Quærit etiam, an ad hæc duo Beneficia retinenda diſpenſationem a Romana Curia petere teneatur, cum in Canonicatu poſſidendo non alium ſibi finem proponat, quam ut ſe ſancte exercere, & officii ſingulis horis intereſſe teneatur, cæterum animo comparatus ad Canonicatum & Abbatiam in Regis manu dimittenda pro alio pinguiore Canonicatu, quem ſe ſperat impetraturum in eadem Eccleſia, & qui unus ad perſolvenda omnia ipſius officia ſatis eſſet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Beneficiorum pluralitatem vetitam eſſe, præſertim in Tridentino Concilio *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de reform. Statuit, ut impoſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſufficiens conferri.* Ut proinde cum nullus gravis Theologus poſt hoc Concilium publice contrarium docuerit, aut in pluralitatis gratiam ſcripſerit, concludi poſſit Eccleſiaſticum Beneficiis pluribus potiri non poſſe, eo prætextu, quod ipſe & ad ſuum ipſius bonum, & ad conſanguineorum pauperum ſubſidium iiſdem indigeat. Si enim id liceret, quoniam nullus fere eſt Eccleſiaſticorum, in cujus familia multi pauperes non reperiantur, liceret etiam cuique ad eorum ſuſtentationem Beneficia plurima poſſidere. Itaque dum Beneficiorum pluralitatem Synodus prohibet, ut hac in re antiquam Eccleſiæ diſciplinam reſtituat, Petrus ſua quidem ſententia pluralitati latum campum aperiret, atque adeo ſalutarem, atque ut vere dici poteſt, neceſſariam legem, quantum in ipſo eſſet, inutilem redderet.

Hoc poſito, reſpondetur teneri Abbatem, qui conſulit, ſuum Canonicatum dimittere, ſibique ſedem in Choro reſervandam curare, ut officio, quæ ſanctiſſima exercitatio eſt, intereſſe poſſit.

Poteſt etiam hic Abbas cum meliori Canonicatu Beneficia ſua permutare, & Abbatiam, & Canonicatum, quibus in præſentia fruitur, in Regis manu dimittere, ut hæc permutatio quam primum perfici poſſit. Si enim longum tempus expectandum eſſet, interim Concilii regulæ ſtare deberet alterutrum Beneficiorum dimittens.

Fruſtra porro dicitur hic Abbas exacte pauperibus elargiri, quicquid ex ſuorum Beneficiorum proventibus poſt ſuam decentem ſuſtentationem eidem ſupereſt, reſpondetur enim diuturno fortaſſe tempore opus fore, ut ipſe occaſionem permutationis propoſitæ nanciſcatur; Eccleſiæ porro Lex, quæ pluralitatem prohibet, expreſſa eſt; mala & abuſus, quibus ipſa mederi vult, gravia ſunt, & urgentia; ille igitur parere tenetur, quin differat ultra tempus, quod ſapientes probique Viri, ſi conſulti fuerint, eidem præſcripſerint.

Neque vero ſatis ſe tueretur hic Abbas eleemoſyna, quam ex ſuorum Beneficiorum reditibus in pauperes erogaret, ſi alterutrius abdicationem diutius differret; ſi enim plura Beneficia, ut jam dictum eſt, retineri nequeunt animo conſanguineis indigentibus opitulandi, multo minus poſſideri poſſunt ad eleemoſynas pauperibus tribuendas. Id ſane graviori incommodo obnoxium eſſet; ea quippe de cauſa poſſet Eccleſiaſticus ingentem Beneficiorum numerum poſſidere, eleemoſynas ex iis omnino erogandi prætextu. Tenenda eſt Concilii regula, ſtatuentis, ut Eccleſiaſticus tantum Beneficiorum poſſideat, quantum ad ipſum decenter ſuſtentandum ſufficiat, quarumvis aliarum perſonarum nulla mentione facta: *Ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam*, &c.

Denique quod attinet ad diſpenſationem, quam Abbas a Pontifice poſtulare in animo habet, ut duo Beneficia retineat, cum id Eccleſiæ nec neceſſitas nec utilitas exigat, eam petere nec poteſt, nec debet, quia coram Deo nullius roboris eſſet.

Deciſum... Januarii an. 1699.

G. *Fromageau.*

Intentio in accipiendo Beneficio.

CASUS XXXII.

Juvenis tonſuratus, ſed vitæ, habituſque ratione ſæcularis Beneficium, quod ei offertur, acceptare poteſt, modo ſit animo comparatus ad Eccleſiaſticum ſtatum amplectendum ſi a Deo vocetur, & remittendum Beneficium, ſi poſt ſpiritalem receſſum retinendi ſæcularis ſtatus conſilium inierit.

QUÆSITUM.

ADoleſcens, qui nondum ſtatuit Eccleſiaſticum ſtatum amplecti, licet tonſura ſit initiatus, quærit, an ſibi liceat Beneficium ſine animarum cura, quod ſibi offertur, quodque Presbyteratum requirit, acceptare?

In animo habet hic Adoleſcens ſeſe colligere, ut intelligat, utrum ad hunc ſtatum a Deo vocetur; ac ſi ſtatuerit in Laicali ſtatu perſiſtere, Beneficium reſtituet aut reſignanti, aut cui reſignans illud deſtinat, ſi conſulens non acceperit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ad Beneficium, quod animarum cura vacat, obtinendum, amplectendi ſtatus Eccleſiaſtici propoſitum non requiri: ſatis eſſe ad illud ſine culpa obtinendum, non adeſſe propoſitum aut eum ſtatum non ſuſcipiendi, aut ſuſceptum deſerendi. Jam Adoleſcens tonſuratus, de quo ſermo eſt, non habet in animo Clericali ſtatui nuncium remittere, vult e converſo ſpiritalem receſſum inſtituere, ut quantum in ſe eſt, Dei voluntatem cognoſcat, cum Beneficii, quod receperit, dimittendi conſilio, ſi in ſæculari ſtatu perſeverare ſtatuerit. Igitur neque ipſe Beneficium, quod ſibi reſignatur, accipiens peccat, nec Reſignans ipſe quicquam delinquit, modo perſuaſum habeat hunc adoleſcentem in hoc negotio ex animo ſe gerere, probiſque moribus eſſe: eſſet tamen longe melius, Adoleſcentem, antequam Beneficium accipiat, conſilium capere.

Deciſum in Sorbona hac die 28. Novembris an. 1694.

Subſcripti G. Fromageau, Charton, Bourret, Durieux de la Coſte.

Beneficium, quod Religioſum ſtatum requirit.

CASUS XXXIII.

1 *Presbyter ſæcularis, qui Regularem Curam a Pontifice obtinuit, non tenetur Religioſum habitum ſumere niſi a die poſſeſſionis Beneficii.*

2 *Sed non poteſt tuta conſcientia ei deſervire, ejuſque fructus percipere trium annorum ſpatio nondum inita poſſeſſione.*

QUÆSITUM.

PResbyter Regulari Cura potitus *cum decreto ſuſcipiendi habitum Religionis infra ſex menſes*, quærit, an ſex hi menſes incohentur a die, qua Proviſionem a Romana Curia recepit, an vero a die, qua init poſſeſſionem? Poſſeſſionem autem teneturne inire, ſtatim atque accepit *Viſa*? Neque eam differre poteſt per annos tres, quo ſpatio temporis Romanæ Curiæ proviſiones durant? Presbyter hic expectans deſervit, quæritque, an id omne in foro interiore permiſſum ſit, perſuaſum habens ſe poſſe per annos tres & poſſeſſionem, & habitus ſuſceptionem differre.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, eum, qui Regulare Beneficium obtinuit cum clauſula ſuſcipiendi Religionis habitum, debere bona fide agere, & quamprimum potuerit, habitum ſumere. Si enim trium annorum ſpatio poſſeſſionem differret, præberet anſam credendi, ſe, cum illud Beneficium acceptavit, in animo non habuiſſe Religioni nomen dare, atque in eum tantum finem illud acceptaſſe, ut aliud pinguius obtineret, quo in caſu peccaret, nec Beneficii fructibus frui poſſet, *Cap. Licet Canon, & C. Commiſſa de El. in 6.*

Hoc poſito, reſpondetur Petrum, cui Parochiale Beneficium Pontifex contulit, *cum Decreto ſuſcipiendi habitum Religionis*, non teneri niſi a die poſſeſſionis habitum ſumere; de eo quippe idem ſentiendum eſt, inquit Fagnanus in cap. *cum in Magiſtrum de Elect. n.* 37. ac de Clerico, cui Beneficium confertur Ordinem non habenti, quem Beneficium requirit: *Nam omnino agitur cum eo, prout cum de proviſo de præbenda habente ordinem annexum, qui intra tempus non promovetur; nam peculiariter ſtatutum eſt, ut proviſus de Parochiali niſi intra annum promoveatur ad Sacerdotium, privatus ſit ipſo jure.*

Porro in hac facti ſpecie Clericus ad Parochiam nominatus tenetur Ordinem Regularem ſuſcipere tantum a die pacificæ poſſeſſionis, non autem a die collationis Beneficii, ut docet Barboſa *in cap. commiſſa de Elect. in 6. n.* 12. *Notatur ad hoc, quod ad ordinis Sacerdotalis promotionem, ſtatutum ei, qui Beneficium curatum obtinet, non currit a tempore impetrationis, ſive collationis Beneficii, ſed adeptæ pacificæ poſſeſſionis...... quando autem dicatur quis pacifice poſſidere, tradit Rebuffus in tractatu de pacificis poſſeſſ. n.* 197. Eadem ratio eſt Presbyteri cum ſuſcipiendi habitus obligatione proviſi. Solum a poſſeſſionis die incipit obligatio hæc; debet tamen illum quamprimum poteſt, & ſine affectata prorogatione ſuſcipere. Fere ſuſcipitur intra ſex menſes; ac Pontifex quidem videtur hoc temporis ſpatium in re præſenti ſtatuere voluiſſe, dum ei, de quo quæritur, Beneficium conceſſit *cum decreto ſuſcipiendi habitum Religionis infra ſex menſes*, ut in expoſitione dictum eſt.

Quamobrem non apparet, qui nominatus ad hoc Beneficium trium annorum ſpatio ejus Conditionis executionem differre poſſit, cum Pontifex expreſſis verbis edixerit ejuſmodi habitum ab eo ſuſcipiendum *infra ſex menſes*, & non *infra triennium*: atque ita nihil juvat inquirere, quandonam proviſus poſſeſſionem inire teneatur, quoniam huic Parochiæ actu deſervit, quod poſſeſſionem jam initam eſſe ſupponit, ut tenebatur. Quod ſi nondum præſtitit, quamprimum præſtet neceſſe eſt.

Deciſum hac die 1. Junii an. 1694.

G. Fromageau.

Beneficium, quod Presbyteratus Ordinem annexum habet.

CASUS XXXIV.

1 *Epiſcopus cum juniore Parocho, qui nondum ætatem ad Presbyteratum ſuſcipiendum neceſſariam habet, diſpenſare poteſt in Regula, qua ad Presbyteratum infra annum ſuſcipiendum obligatur.*

2 *Dum eum in Presbyterum ordinat, poteſt cum ipſo ad aliquod tempus in reſidentia diſpenſare, ſi hac diſpenſatione opus habeat, ut neceſſariam capacitatem acquirat.*

3 *Nihil eſt in utroque caſu, cur junior hic Parochus Devolutum timeat.*

QUÆSITUM.

ECcleſiaſticus, qui nondum ſacris Ordinibus initiatus eſt, Parochia proviſus Seminarium ingreditur, optatque infra annum Presbyteratum ſuſcipere, ſed quia tunc ad officia ſua recte obeunda aptus fore non videtur, & diutius in Seminario morari neceſſe habet, ut ſe in ſcientia & virtute confirmet, propterea quæritur:

I. An juxta *C. Cum ex eo de elect. & electi poteſt, in* 6. liceat Epiſcopo Diœceſano propter allatas cauſas in Presbyteratu infra annum ſuſcipiendo cum eo diſpenſare?

II. An facta hypotheſi ei non licere diſpenſatio-

rem hanc ipſi concedere, poſſit, cum eum in Presbyterum ordinaverit, cum eo ad tempus aliquod in reſidentia diſpenſare juxta *C. Licet canon de elect. & electi poteſt. in* 6.

III. An hic Eccleſiaſticus poſſit, ut plures Auctores docent, biennio poſt a die poſſeſſionis ad Presbyteratum accedere; atque an verum ſit anni ad Sacerdotium recipiendum eidem conceſſi initium a die pacificæ poſſeſſionis eſſe repetendum juxta *C. Comiſſa de elect. & electi poteſt. in* 6. in Gallia demum non cenſeatur quis pacificus Beneficii poſſeſſor, niſi poſt anni poſſeſſionem, monente *Rebuff. tit. de non promotis per annum n.* 43. & 44.?

IX. An ſuadente Conſilio, aut Epiſcopo mandante, ut plus quam anni ſpatio hic Parochus a Sacerdotio ſuſcipiendo abſtineat, ejus Parochia Devoluti titulo peti poſſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet non eſſe committendam Parochiam ei, qui tempore in Jure præſcripto ei deſervire non poſſit; ſi tamen Ordinario juſtis de cauſis viſum eſt ſibi licere eam ipſi conferre, neceſſe eſt ad negotium tutius reddendum, atque omnia vitanda incommoda, ut Epiſcopus eidem conferat Presbyteratum infra annum, & reſidendi diſpenſationem, quoad ipſe aptitudinem ad perſungendum ſuo munere neceſſariam adipiſcatur, quam quidem diſpenſationem poteſt Epiſcopus in hac facti ſpecie concedere, quin canones violare cenſeatur, quoniam canones ejus potius concedendæ facultatem Epiſcopo tribuant. *C. licet can. §. Super de elect. in* 6. *Super reſidentia vero, ut præmittitur, facienda poſſit Ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcit.*

Hæc cum ita ſe habeant, ut quatuor propoſitis interrogationibus ſatisfiat, ad primam quod attinet, reſpondetur Epiſcopum poſſe cum Parocho, de quo quæritur, diſpenſare ratione jam declarata juxta *Cap. Cum ex eo de elect. in* 6. Barboſa *de Paroch. c.* 5. *n.* 11. affert Cardinalium Declarationem, quæ huic ſententiæ ſuffragatur: *Pœna Canonis præſcripta ei, qui intra annum a die adeptæ poſſeſſionis pacificæ, vel infra tempus comparuit, & ſe promoveri petiit, offerens ſe, quantum in eo erat, ad ſuſcipiendum Sacerdotium, ſed Ordinarius noluit eum propter illitteraturam, vel aliam cauſam promovere.* Re vera ſi Devolutarius ei negotium faceſſere vellet, ſui Epiſcopi Mandato ſe tueri poſſet; quod ſane legitima cauſa eſt, ut hujuſmodi devoluti effectus impediatur.

Alteri interrogationi ſatis eſt factum iis, quæ initio dicta ſunt.

Quoad tertiam, ex Ultramontanis quidem, & Gallis etiam Auctoribus nonnulli fuere, qui permoti Capite *Commiſſa de elect. in* 6. crederent Parocho ad Sacerdotium ſuſcipiendum duos annos concedi; ſed hic uſus minime receptus eſt in Pariſienſi Senatu, ut videri poteſt t. 2. Ephemeridum Aud. *l.* 4. *c.* 34. & conſtat ex Reſcriptis Domini Presbyteri *p.* 703. Articulus 9. Bleſenſium Conſtitutionum duos annos ad Presbyteratum ſuſcipiendum concedit, ſed in hoc articulo nonniſi de Prioratibus & Abbatiis Conventualibus ſermo eſt.

Ut quartæ fiat ſatis, nulla apparet timendi cauſa, ne hic Eccleſiaſticus a ſuæ Parochiæ poſſeſſione deturbari poſſit Epiſcopi diſpenſatione fretus; quod ex iis conſtat, quæ ſupra dicta ſunt.

G. *Fromageau.*

Jus ad Beneficium, cujus cauſa quis vexatur.

CASUS XXXV.

Vindicandæ vexationis facultas deeſt, cum jus ad Beneficium non eſt perfecte acquiſitum, abſque Superiorum conſenſu.

QUÆSITUM.

IN Diœceſi N.... Paulus Parochiale munus obtinuit ab Epiſcopo, qui illud contulit *pleno jure*. Ejus iniit poſſeſſionem, eique deſerviit, cum Joannes intelligens hanc Parochiam a Prioris N... nominatione pendere, intra ſex menſes ad eam ſe nominandum curavit; & ſe ſiſtit Ordinario, ut *Viſa* reciperet, ſed incaſſum. Sumit hujus negationis Actum, poſt quem Paulus ante intentatam litem proponit Joanni compoſitionis rationem; aſſentitur ille, & cum Paulo rem tranſigit his conditionibus. Paulus ſibi reſervat Parochiæ reditus per id tempus perceptos, quo ei deſerviit, & impenſarum omnium, quas fecit, itinerum, *Viſa*, initæ poſſeſſionis, & donorum, quæ ſe dare debuiſſe teſtatur, compenſationem a Joanne poſtulat: horum ſumma conſtabat libris ſexaginta ſex. Acquieſcit Joannes, præſtat Paulo ſolutionis partem, aliamque promittit, quam deinde ſolvit. Joannes Ordinarium de inita conventione certiorem facit, ſed obliviſcitur eum monere integram ſolutionem præſtitam non eſſe, & ſe quod ſupereſt, ſolvere promiſiſſe. Conventionem hanc approbat Ordinarius, concedit *Viſa*, cujus vi Joannes poſſeſſionem adit, qua jam fruitur a decennio.

In præſentia Joannes nonnullis ſcrupulis agitari ſe ſentit veritus, ut canonice proviſus fuerit. I. quia quo tempore ſtipulatus eſt, habebat tantummodo *jus ad rem*, & ſolutio quidem ratio fuit, cur acquireret *jus in re*. II. quia impenſæ compenſatæ partim ſolutæ, partim promiſſæ fuerant, antequam lis intentaretur, eæque ad Pauli bonum ſpectabant. III. quia non ipſi venit in mentem Ordinario declarare ſolutionis partem nondum præſtitam eſſe, cum *Viſa* recepit, cum hic Ordinarius credere potuerit ſolutionem univerſam factam fuiſſe.

Joannes harum omnium difficultatum enodationem petit, quæritque, an hujus conventionis defectus omnes Ordinarius expurgare potuerit. Eam ſane conventionem iniit ipſe auctoritate & conſilio ſapientum, doctorumque Virorum, qui ei dixerunt, eum, cum jus omne ipſi præſto eſſet, agere poſſe tuta conſcientia, ut ſe ab injuſta vexatione liberaret. Præterea auditione acceperat conventionis uſque ad quinquaginta ſcuta purgandæ facultate Ordinarium pollere. Joannes denique poſſeſſionem mala fide non adiit, quoniam Ordinario, quantum quidem meminiſſe potuit, fideliter compoſitionem expoſuit; identidem tamen ex hoc capite ejus animum pungunt conſcientiæ ſtimuli. Verum quidem eſt eum oblivionis cauſa non explicuiſſe nondum omnino ſolutum eſſe; ſed vitium hoc videtur ab Ordinario purgatum fuiſſe, cum ipſe Joanni *Viſa* concedens dixerit expreſſis verbis id ſe facere de plenitudine ſuæ poteſtatis.

Orantur Domini Doctores, ut ſi forte Joannis poſſeſſio non ſatis canonica ſit, quamprimum dicant, quid ſentiant, & quæ Joanni ſit ineunda, rationem indigitent.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Joannem & Paulum, ut egerant, agere non potuiſſe; vel enim Joannes Pauli compenſavit impenſas, ut per ſimplicem compoſitionem Parochia potiretur, vel compoſitionem hanc Joannes iniit, ut ſe a Pauli vexatione liberaret. In prima hypotheſi explorati juris eſt *c.* 21. *niſi eſſent de præb.* non licere partibus ullam conventionem inire, niſi iis, quibus ſe ſubdunt, annuentibus; multo vero minus abſque ipſorum conſenſu negotium conficere; aliter conventionem ſimoniacam fore.

Quod ſi Joannes aliquid temporale tribuens voluit vexationem redimere, quoniam ſola Patroni præſentatione abſque *Viſa* tunc ipſe gaudebat, nondum ad Parochialem curam jus habebat, ac proinde redimendæ vexationis jure carebat; ad jus enim redimendi requiritur jus in re, ſcilicet jus acquiſitum in Beneficium; porro Joannes, ſi ſtricte loqui volumus, eo nondum fruebatur, quoniam eum nondum Ordinarii proviſiones accepiſſe pro certo ponitur. Adeſt igitur timendi cauſa, ne quid in hac conventione ſimoniace factum fuerit. Videantur ſupra laudati Pyrringhus *lib.* 5. *nu.* 94. & 111. *de ſimon.* & Bonacina *diſp.* 1. *q.* 6. *p.* 5. *n.* 5. & 8. *de ſimonia*. Quod ſi ut exiſtat ejuſmodi jus, horum

horum Auctorum ipſorum judicio poſſeſſio requiritur, multo ſane minus Joannes cum Paulo agere poterat, ut ſe a vexatione redimeret.

Sed facta hypotheſi Joannem ad ſuam Parochiam veri nominis jus habuiſſe, Simoniacus tunc Paulus fuit, & Epiſcopus eum obligare debuit, ut id, quod a Joanne acceperat, reſtitueret. Quia porro de Beneficio cum cura ſermo eſt, debet Joannes a Romana Curia rehabilitatem expoſtulare; id ſaltem eſt tutius ad plenam cumulatamque conſcientiæ tranquillitatem.

Deciſum in Sorbona.
Germanus *Fromageau*.

BENEFICIARII.

Beneficiarius, qui ſe demittit, & reſignat.

CASUS I.

1 *Beneficiarius, qui ſuum Beneficium reſignavit, propterea quod ſtatum Eccleſiaſticum deſerere vult, poteſt ejus fructus percipere, donec poſſeſſione privetur.*

2 *Si tamen Reſignatarius ad longum tempus proviſiones ſuas non poſſet accipere, dimiſſio pura & ſimplex in Collatoris manu Reſignanti facienda eſſet.*

QUÆSITUM.

Junior Canonicus cujuſdam Cathedralis Eccleſiæ Beneficium ſuum in Romana Curia reſignavit, propterea quia Eccleſiaſtico ſtatu relicto, Laicalem amplecti vult. Reſignatarius poſt anni ſpatium proviſiones ſuas obtinere non potuit, quia in Gallias a Dataria nihil expeditur. Adoleſcens hic Canonicus, & reſignans quærit, an Eccleſiæ deſerviendi gratia ad ſtudia non incumbens adhuc jure gaudeat poſſidendi, ac percipiendi ſuæ Præbendæ magnos reditus, quos ejus Capitulum ipſi concedit, propterea quod Lutetiæ Pariſiorum ſtudiis vacat.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Adoleſcentem, qui Beneficium, de quo agitur, obtinuit, cum Eccleſiaſticum agere in animo haberet, illudque reſignavit, poſtquam Status Eccleſiaſtici retinendi voluntatem mutavit, adhuc ejus ingentibus proventibus potiri debere, dummodo ipſius obligationes exequatur, donec poſſeſſione privatus fuerit.

Ita ſentiunt Navarra & Sanchez, ille *in Manuali cap.* 21. *n.* 52. hic *l.* 7. *q.* 45. *n.* 19. Putant Auctores hi hominem Beneficio ſimplici frui poſſe, licet Status Eccleſiaſtici deſerendi conſilium inierit; ſane nihil eſt in jure naturali, divino, aut humano, quo ille fructus percipere prohibeatur, aut ad reſtituendos, quos perceperit, obligetur.

Ratio eſt, quia Adoleſcens, de quo ſermo eſt, ipſe ſolus Beneficii titulum poſſidet, nec per eum ſtat, quominus ejus Reſignatarius proviſiones obtineat, & poſſeſſionem ſuſcipiat. Adhuc igitur ipſe Beneficii fructuum Dominus eſt.

Si tamen Reſignatarius adhuc ad longum tempus proviſiones ſuas obtinere non poſſet, quoniam Reſignans ſe amplius Eccleſiaſticum agere nolle pronunciat, in Ordinarii manu pura, & ſimplex dimiſſio facienda eſſet; cum enim Beneficia in eum tantum finem in Eccleſia ſint inſtituta, ut ejus Miniſtri haberent, unde ſubſiſterent, obeuntes functiones iiſdem annexas: inverteretur ordo & diſciplina, ſi Beneficium retineretur, ejuſque fructus perciperentur ab eo, qui ad Laicalem ſtatum redire, & Eccleſiæ ſervitium deſerere conſtituiſſet. Quod quidem non vacaret a culpa: *quia negari non poteſt eſſe aliquam debiti ordinis ſubverſionem*, Sanchez verba ſunt.

Deciſum in Sorbona die 14. Januarii an. 1700.
Subſcripti G. *Fromageau*, *Bouret*, *Charton*, *Blampignon*, *Cordeller*, *de la Brie*.

Beneficiarius, qui tenetur fidei profeſſionem emittere.

CASUS II.

1 *Eccleſiaſticus, qui Canonicatus poſſeſſionem inivit non emiſſa fidei profeſſione in Epiſcopi, aut Vicarii Generalis manu, non poteſt ejus fructus percipere, ſuoſque facere, niſi poſtquam eamdem emiſerit.*

2 *Nec Epiſcopo, nec Magno Vicario licet cum ipſo inea diſpenſare, quia ſtrictæ obligationis res eſt a Tridentina Synodo, & Regiis Conſtitutionibus inſtituta.*

QUÆSITUM.

Eccleſiaſticus, qui per obedientiam petiit Devoluti titulo Canonicatum per confidentiam impetratum, & *Viſa* recepit a Vicario Generali, quem Epiſcopus commiſit *ad hoc*, ſcrupulo agitatur, propterea quod in *Viſa* dicitur, illud conceſſum eſſe *poſt juramentum præſtitum*, licet Magnus Vicarius nec jusjurandum, nec fidei profeſſionem ab eo petierit. Oritur ejus ſcrupulus,

I. Ex eo, quod Tridentina Synodus *Seſſ.* 24. *c.* 12. non ſolum propter Beneficia quævis animarum curam habentia coram Epiſcopo, aut ejus Generali Vicario, ſed etiam propter Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum dignitates, & Canonicatus in Capitulo fidei profeſſionem edi præceperit: *Alioquin fructus omnino non faciant ſuos.*

II. Ex eo, quod Vicarius Generalis ei *Viſa* concedens pronunciavit ſe ab eo jusjurandum non poſtulare, quod de ejus fide minime dubitaret, eamque puri putique ſtili rationem eſſe judicaret; eum tamen rogavit, ne id Epiſcopo ſignificaret.

III. Ex eo, quod Capellania tantum in alia Diœceſi potitus fidei profeſſionem edere coactus fuit a Generali Vicario, qui ei *Viſa* conceſſit.

Nihilo tamen ſecius cur hic Eccleſiaſticus ſe timere putet, ubi nulla timendi cauſa, faciunt momenta hæc.

I. Generalis Vicarius, qui *Viſa* tribuit Canonicatus devoluti, perinde atque ejus Conſilium in ea ſunt ſententia, jusjurandum hoc nihil aliud, quam ſtili formulam eſſe.

II. Ipſe jusjurandum edere non recuſavit, quod ab eo poſtulatum non fuit.

III. Epiſcopus cenſeri videtur facere, & approbare, quod ejus Generalis Vicarius facit.

IV. Licet hic Eccleſiaſticus ad Diœceſim, in qua Canonicatus exiſtit, minime ſpectet, Epiſcopus tamen ejus ſe negotiis immiſcuit, ita ut Confidentiarium vehementer perſequeretur informationibus, &c. nihilque reliqui faceret, quo conſulentem in ſuum Capitulum cooptaret ob egregia teſtimonia a Viris pluribus, qui eum probe noverant, ſibi exhibita.

V. Quoniam ipſe, ſi proſperum litis exitum conſequatur, jusjurandum præſtare tenebitur in manu Capituli, videtur hoc jusjurandum prioris vicem ſupplere poſſe.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Fidei Profeſſionem, quam Tridentina Synodus exigit, non jam ſtili rem eſſe, ſed ſtrictæ potius obligationis. Præcipit illa *Seſſ.* 24. *c.* 12. *de Reform.* omnibus Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, ut eam edant coram Epiſcopo, aut ejus Generali Vicario, & Canonicis Eccleſiarum Collegialium, ut idem præ-

ſtent in Capitulo. Status Bleſenſes articulo 10. quibuſvis Canonicis, aliiſque Beneficiariis idem præſcribunt nullo habito diſcrimine; ut proinde juxta ſententiam Garciæ *3. p. c. 3. n. 53.* & Barboſæ *Alleg. 61. de poteſt. Epiſc. n. 33. & de Can. c. 17.* minime liceat Epiſcopo pœnam remittere, quam Concilium hiſce verbis, *alioquin fructus non faciant ſuos*, illis imponit, qui intra bimeſtre ſpatium ſuam fidei profeſſionem haudquaquam præſtiterint; quod argumento eſt Epiſcopo, multoque magis Vicario ab edenda Fidei Profeſſione Canonicum eximendi facultatem deeſſe. Si hæc profeſſio a Canonico, de quo agitur, petita non eſt, id evincit quidem ex una parte ipſum eam omittentem minime deliquiſſe; ſed alia ex parte ille excuſari nequit, quod proviſione uſus fuerit, in qua exiſtit fictio, videlicet in qua ipſe dicitur ſuam Profeſſionem Fidei præſtitiſſe, quamvis haud præſtiterit. Quam porro in Capitulo præſtare debet, ei ſupplere non poteſt, quam coram Epiſcopo, aut ejus Generali Vicario præſtare debet; ita ſentiunt Auctores modo laudati, ac plures alii, qui contendunt Canonicum, qui alias alterius Beneficii occaſione profeſſionem ediderit, debere rurſus eamdem edere, ſi novum Beneficium obtineat.

Si vera eſt eorum opinio, qui aſſerunt, Canonicos, qui fidei profeſſionem non ediderunt, Beneficiorum ſuorum fructibus potiri non poſſe, atque hanc privationem, quam Concilium imponit, pœnam eſſe, quæ incurritur *ipſo facto*, quin ulla ſit opus ſententia, quæ ipſos ad reſtitutionem obligatos declaret, ut Garcias, aliique plures docent: Canonicus, de quo quæritur, in magnum diſcrimen ſe conjicit, unde evadere non poterit niſi fidei præſtita profeſſione; & quamvis non deſint, qui contra ſentiant, ut Barboſa in Tridentinæ Synodi locum jam appellatum, id et tamen præſidii ſatis non aſſeret, ut ſcrupulos ſibi penitus ex animo evellat.

Id cum ita ſit, quoniam hujus Canonici proviſiones in re ad eſſentiam pertinente veritatem non continent; præterea non ea Epiſcopi intentio eſt, ejus Generalem Vicarium *Viſa* concedere, quia Fidei Profeſſionem exigat; denique nec Epiſcopo, nec vero Generali Vicario ab ea licet eximere: ut huic defectui ſuppleatur, atque is, de quo agitur, abſque ſcrupulo ſui Beneficii fructibus potiatur, ad Generalem Vicarium edendæ profeſſionis gratia ipſe redeat, neceſſe eſt; ac ſi Epiſcopum adeat, cum Generali Vicario debet agere, ne eos implicet, quod facile contingeret, niſi ipſe in hoc negotio magna prudentia uteretur.

Deciſum hac die 8. Octobris an. 1697.
G. *Fromageau*.

CASUS III.

Beneficiarii in Univerſitatibus ad ſtudia incumbentes.

QUÆSITUM.

DOmini Doctores Facultatis Pariſienſis rogantur humillime, ſequentibus ut quæſtionibus ſatisfaciant.

I. Moderator debetne Beneficiarios, qui in ejus Collegio litteris operam navant, ad deferendam brevem, modeſtamque comam obligare?

II. Debet necne eos etiam adigere, ut Eccleſiaſticum habitum gerant, atque impedire, quominus coloratas veſtes faſciolis, aut tæniis aureis, argenteiſque exornatas ferant?

III. Beneficium cum centum quinquaginta librarum reditu obligatne ad Breviarium recitandum, & Clericalem habitum deferendum?

IV. Ii, qui Laicos agere ſtatuerunt, tenenturne ſua Beneficia dimittere?

RESPONSIO.

Nos ſubſcripti Doctores in Theologia Facultatis Pariſienſis exiſtimamus,

I. Omnino neceſſe eſſe, ut Moderator Beneficiarios in ipſius Collegio ad ſtudia incumbentes cogat modeſtam comam deferre, ut a Laicis per eam diſtinguantur.

II. Eumdem ab iis exigere debere, ut Eccleſiaſticum habitum gerant, atque impedire, ne Laicorum more induantur, tam quoad colorem, quam quoad ornamenta, cujuſmodi ſunt faſciolæ, ac tæniæ aureæ, atque argenteæ.

III. Centum & quinquaginta librarum Beneficium ad Breviarium, atque habitum obligare.

IV. Eos, qui ſtatuerunt, ſtatum Eccleſiaſticum non amplecti, ad ſua Beneficia abdicanda obligari.

Deciſum Pariſiis die 11. Maii an. 1656. Subſcripti,

T. Hennequin Decanus Profeſſorum Doctor Sorbonicus.

Tallon Parochus S. Gervaſii, & Generalis Vicarius Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis, Doctor Sorbonicus.

Pereyret Generalis Magiſter Navarræ, & Theologiæ Profeſſor.

Du Freſne de Minee Parochus Goneſiæ, Doctor Sorbonicus.

Cornet, jam Syndicus Facultatis, Doctor Navarræ.

Chapellas Parochus S. Jacobi Lanienæ, Doctor Navarræ.

N. Pignay Theologiæ Profeſſor.

De Breda Parochus Sancti Andreæ Arcuum, Doctor Sorbonicus.

Le Moine, Monachus, Theologiæ Regius Profeſſor, Doctor Sorbonicus.

Du val Theologiæ Regius Profeſſor, Doctor Sorbonicus.

Le Noir, Niger, Parochus S. Hilarii.

Mazurius Parochus S. Pauli, Doctor Sorbonicus.

De Sainte Beuve Regius Theologiæ Profeſſor, Doctor Sorbonicus.

Grandin Theologiæ Profeſſor, Doctor Sorbonicus.

Grenet Parochus Sancti Benedicti, Doctor Sorbonicus.

Du Hamel Parochus Sancti Mederici, Doctor Sorbonicus.

T. B. *Chaſſebras* Parochus Sanctæ Magdalenæ, Doctor Sorbonicus.

Queras Doctor Sorbonicus.

Beneficiarius Excommunicatus.

CASUS IV.

Beneficiarius Excommunicatus Beneficii ſui fructibus potiri non poteſt.

QUÆSITUM.

DUo Canonici a contumelioſis verbis ad verbera devenerunt; alter graviter contuſus fuit, & in lecto diu conſtitit, ut convaleſceret.

Quæritur, an contuſus debeat necne ægritudinis tempore diſtributionum particeps eſſe?

Quæ ei favent, momenta ſunt hæc, I. nonnullos Doctores aſſerere, Beneficiarium, qui in excommunicationem majorem incidit, poſt initam Beneficii ſui poſſeſſionem, non propterea Beneficii ſui fructibus, reditibus, & diſtributionibus privandum eſſe.

II. Ægrotantibus diſtributiones deberi ſecundum juris deciſionem, etiamſi ſuæ ipſorum ægritudini cauſam præbuerint, ut ſtatuunt Auctores, quos affert Bonacina *tract. de cenſur. diſp. 2. q. 5. punct. 10. n. 7.*

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod allatam expoſitionem vidit, exiſtimat, eorum aſſertionem, qui docent Beneficiarium excommunicatum, quamdiu quidem in excommunicatione verſatur, Beneficii ſui fructibus potiri non poſſe, magis eſſe Theologiæ Regulis, & Juri Canonico conſentaneam; utcumque enim videantur Excommunicato concedendi ejus Beneficii fructus, tum etiam, cum ſervitium eidem annexum obire non poſſit: generatim ſane recepta eſt regula hæc, *datur Beneficium propter officium*, ex qua facile concludi licet, cum, qui officio privatus eſt, temporalibus quoque bonis gau-

gaudere non poſſe. Innocentius Papa III. hanc controverſiam apertiſſime dijudicavit *c. Paſtoralis §. verum extra de appellat.* ubi ait jure Beneficii fructus ei non concedi, qui Eccleſiaſtica communione caret: *illi proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur*; his fundamenti loco poſitis, ea ſtat ſententia, Canonico non licuiſſe diſtributiones, atque adeo obulos ſuæ Præbendæ percipere, quamdiu excommunicatione innodatus remanſit, nec poſſe ſibi præſidium ex Regula quærere, quæ ſtatuit, ut diſtributiones ægrotantibus concedantur; propterea quod excommunicatio impedimento eſt, quominus hoc privilegio ipſe gaudeat. Sententia hæc inter Canoniſtas communior eſt, ut videri poteſt apud Covarruvias *tom. 2. variarum reſol. l. 3. cap. 13. n. 6.* & Suarez *de cenſuris diſput. 3. ſect. 2.*

A. de Lamet.

BIDELLI, ET ÆDITUI.

Bidelli, & Æditui; an hæc officia vendi poſſint.

CASUS.

Vendi poſſunt, ſi ejuſmodi conſuetudo vigeat, cæremoniarum Magiſtrorum officia, propterea quod ea proprie non ſunt Officia Eccleſiaſtica.

QUÆSITUM.

EXiſtunt in Cathedralibus & Collegialibus Eccleſiis officia Æditnorum, quæ ſunt in titulum, quorum functiones ſunt baculum deferre, comitari, aut præcedere Canonicos, aut Beneficiarios, cum cæremoniam aliquam obeunt. In nonnullis Eccleſiis gaudent certis reditibus, in cæteris de manualibus tantum diſtributionibus participant.

Quæritur, an horum Officiorum Collatores poſſint ea vendere abſque peccato, præſertim in locis, ubi jam pridem id moris obtinuit, & in uſu eſt? Imprimis negari non poteſt, quin horum Officiorum venditio turpe lucrum in ſe ipſa contineat, cum ad ſanctiora miniſteria referantur; atque hanc ob cauſam ea nequit a gravi culpa excuſari.

II. Contenditur hac venditione Simoniam contineri contra jus Eccleſiaſticum, propterea quod eam Canones prohibent: Urbanus II. *cap. Salvator 1. q. 3.* Simoniacam declarat venditionem Officiorum œconomi Eccleſiarum, Advocati, & Patroni Eccleſiarum: *Præpoſitum œconomum, Vicedominum, Advocatum.*

Porro Æditui Officium ſignificat aliquid amplius, quia ejus functio eſt Altaris miniſteriis inſervire, ac ſi Miniſtrorum horum, qui baculum deferunt, fons, & origo repetatur, intelligetur eorum munus antiquis temporibus fuiſſe cuſtodire Eccleſiæ januas, eamdem mundare, ornare, expolire, æra campana pulſare, & terram fodere ad ſepeliendos Fideles, & id genus alia præſtare; quæ minoribus Ordinibus ſunt valde affinia, quæque proinde non nihil habent ſpiritalis, aut quod cum re ſpiritali conjunctum eſt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Simoniacam omnino non eſſe venditionem Officiorum Æedituorum, & Bidellorum, ad quos ſpectat Canonicos & Beneficiarios in Eccleſiaſticis cæremoniis præcedere, aut comitari; hæc enim non cenſentur prorſus eſſe rerum ſpiritalium, aut ſpiritalibus rebus conjunctarum Officia, niſi remota & indirecta ratione.

Præterea horum Officiorum venditionem Eccleſia non vetuit *intuitu Religionis*: qua de cauſa quodammodo ſpectari poſſent tanquam res ſpiritales, aut quæ ad eas rationem habeant, & quæ proinde de jure Eccleſiaſtico Simoniæ materia eſſe poſſint: jus ſane *C. Salvator 1. q. 3. c. Si quis Epiſcopus 1. q. 1. c. Conſulere de Sim.* vendi vetat Munia & Officia, quæ aliquam Eccleſiaſticam adminiſtrationem habent, aut quæ ab Eccleſiaſticorum juriſdictione, & facultate pendent, in quorum numerum Bidellorum, & Æditnorum munera referri non poſſunt.

Quamvis autem nulla prorſus exiſtat Simonia *ratione Miniſterii vel Canonis* in Officiorum, de quibus quæritur, venditione: videtur tamen in ea locum habere id, quod Theologi nuncupant *turpe lucrum* propter remotam rationem, quam hæc Officia ad res ſpiritales habent: quod magis eſt etiam veritati conſonum iis in locis, ubi vendi non conſueverunt; verum ſi ſecundum Azorium 3. *p. l. 12. c. 14.* & plures alios, qui nituntur Gloſſa *v. & Judicem cap. Salvator 1.* vendi poſſunt ea quoque officia, quorum venditio jure prohibetur, ſi antiqua conſuetudo venditionem confirmet; potiore jure tolerari poſſet Officiorum Æditnorum venditio, de quibus hic agitur, & de quibus in jure ne verbum quidem, ſi jampridem vendi conſueverint.

Verum quidem eſt, ſi Æditnorum Officiorum origo ſpectetur, inventum iri fortaſſe functiones a Clericis editas fuiſſe; ſed id non ſufficit, ut probetur ea ſpiritalia eſſe, & Simoniæ materiam, quoniam Officiales hi *nec ratione miniſterii, nec Canonis* ejuſmodi ſunt: ac proinde venditio hæc abſque Simonia & abſque ullo peccato eſſe poſſet. Videndus Suarez *tom. 1. de Sim. l. 4. c. 19. n. 7.*

Deciſum hac die 8. Decembris an. 1695.

G. *Fromageau.*

BONA ECCLESIÆ.

CUm omnia Eccleſiæ bona, & quod inde conſequitur, eorum reditus in eum tantum finem a Fidelibus Eccleſiæ ipſi data & oblata fuerint, ut pauperibus ſubſidio, eidemque Eccleſiæ utilitati eſſent: certum propterea fit, Beneficiarios, qui ea poſſident, eorum non jam proprietatem habere, ſed Diſpenſatores tantum, & Œconomos eſſe; idque eo magis, quod Beneficia prope omnia a Fidelibus fundata ſunt, ea quidem mente, ut bona ſua Deo conſecrarent ad ſua peccata redimenda juxta conſuetam Sanctorum Patrum, & Conciliorum loquendi rationem, a quibus peccatorum pretium & redemptio nominantur. Præterea quoniam, ut in Opere dicitur, quod D: Proſpero (a) tribuitur, res ſemel Deo conſecratæ in profanos uſus converti nequeunt; ac ſi ornamenta & vaſa, quæ Divini Templi miniſteriis inſervierunt, communibus uſibus inſervire non poſſunt: nonne illud ob eamdem cauſam affirmari poteſt, Eccleſiæ reditus jam Deo conſecratos a piis uſibus, quibus addicti ſunt, abſque injuſtitia, atque adeo impietate quadam abduci non poſſe, ut in profanis rebus inſumantur, & contra Dei & Eccleſiæ mentem diſtribuantur? Poſſent ad id oſtendendum innumera Sanctorum Patrum & Conciliorum teſtimonia proferri.

Hinc fit, eos, qui ſatis patrimonii habent, quo vivant, ad ſuam ipſorum ſubſiſtentiam Eccleſiæ bonis uti non poſſe, ſi Beneficia poſſideant. Id expreſſum eſt in Canone, (b) *Sacerdos*, ubi Clerici, qui vel originis conditione, vel voluntaria propriorum bonorum abdicatione pauperes ſunt, dicuntur de

(a) S. Proſper. lib. 2. de Vita contemplat. cap. 16.

(b) Can. Sacerdos 1. q. 2.

de Eccleſiæ bonis merito vivere, quia non diteſcendi cupiditate, ſed ſolum ut ſibi proſpiciant, ejuſmodi bona ſuſcipiunt. Atque in Canone, (*a*) *Clericos*, ducto ex Epiſtola, quæ D. Hieronymi nomine inſcribitur, luculentius traditur Clericos Eccleſiæ bonis ſuſtentandos eos demum eſſe, quibus proprii patrimonii non ſatis ſuppetit; qui enim, inquit magnus hic Doctor, ad ſuam ſuſtentationem ſatis bonorum habet, ſi Eccleſiæ impendio vivunt, judicium ſibi manducant & bibunt. Quod ei geminum eſt, quod (*b*) D. Auguſtinus in quadam Epiſtola Juri Canonico inſerta ſtatuit in hæc verba: ſi nos ita indigemus, ut pauperes ipſi, Eccleſiæ proventus nobis cum ipſis communes ſunt: quod ſi e converſo nobis ad noſtram ſuſtentationem ſatis bonorum Patrimonialium ſuppetit, reditus Eccleſiaſtici ad nos non pertinent, ſed ad pauperes, quorum nos Procuratores & Æconomi quodammodo ſumus, nec nos ipſos eorum bonorum Dominos & Proprietarios dicere poſſumus, niſi noxia earum rerum uſurpatione, quæ ad nos minime ſpectant. (*c*) Videri poteſt hæc eadem veritas fuſiore oratione explicata in quodam Concilio Aquiſgranenſi, & in ſecundo Concilio Mediolanenſi.

Ex hoc principio conſecutiones hæ deducuntur, I. Beneficiarios, qui ſumptibus ſuo ſtatui congruentibus parcunt, atque hac ratione ex ſuis Beneficiis quantumvis exiguis proventuum partem reſervant, ejus, quod congeſſerunt, non eſſe dominos, neque id poſſe pro libito diſtribuere. Itaque Beneficiariorum avaritia, qui ſibimet ipſis neceſſaria ſubtrahunt, ut conſanguineos ſuos locupletent, patrocinari nequit Eccleſiaſticorum bonorum abuſui, qui ab iis hac in re committitur, ut extollendæ propriæ familiæ ambitionem expleant, quam caro & ſanguis ipſorum animis inſpiravit. II. Canonicos, aliosque Beneficiarios Choro addictos non magis poſſe pro arbitratu bona ex diſtributionibus legitime perceptis provenientia, quam alios ſuorum Beneficiorum proventus impendere. III. Clericos, qui Beneficia quidem non poſſident, ſed ſolum Vicarios agunt, aut Quadrageſimæ, ſeu Adventus tempore Concionibus operam dant, non poſſe pro ſuo ipſorum arbitrio ea bona inſumere, quæ induſtria ſua comparaverint; ſed poſſe iis tantum ad honeſte vivendum uti, ac debere, quod ſupereſt, pauperibus aut Eccleſiæ concedere. IV. Beneficiarios non poſſe morientes legare, prout ipſis libuerit, quod ex ſuorum Beneficiorum reditibus congeſſerunt; quia ejuſmodi bona ad ipſos proprie non pertinent, quorum ii Diſpenſatores & Æconomi tantum ſunt. Quamobrem multorum ſæculorum ſpatio Eccleſiaſtici patrimonii bona non habentes teſtamentum nullum edere conſueverant; & bona omnia, quæ ipſis morientibus ſupererant, ſeu mobilia, ſeu immobilia Eccleſiæ acquiſita cenſebantur; conſuetudo porro propemodum univerſalis, quæ in Chriſtiana ſocietate nunc obtinet, ut Beneficiarii de ſuis omnibus bonis promiſcue teſtentur, naturali & divinæ Legi, quam Canones tradunt, derogare non poſſet, quamvis id afficiat, quod in ea poſitivum exiſtit.

Eccleſiæ Bona conſanguineis tradita,

CASUS I.

1. *Beneficiarius non poteſt ſuis conſanguineis largiri, quod parcius vivendo ex ſui Beneficii reditibus cumulavit, niſi ii pauperes ſint.*
2. *Qui non mediocres ſummas ab eo receperunt, cum pauperes non eſſent, Eccleſiæ Beneficii, aut pauperibus eas reſtituere tenentur.*

QUÆSITUM.

PArochus ad portionem congruam redactus, cujus proinde reditus admodum tenues ſunt, tam parce vitam traxit, ut non mediocres ſummas congereret. Ex iis libras ſex mille in ſuæ Parochiæ pauperes erogavit; æqualemque pecuniæ vim, quæ ei ſupereſt, ſuis conſanguineis deſtinat, qui ita rebus ſuis conſuluerunt, ut cum dignitate vivant, quibuſque ille jam hactenus non vulgaria dona contulit. Qua in re ipſe ex Sorbonicis Doctoribus quærit;

I. An ejus conſanguinei, quicquid eis antea largitus eſt, reſtituere teneantur?

II. An libras ſex mille, quas præ manibus habet, iis dare poſſit?

III. An poſſit ipſis, tantum dum vixerint, earum uſumfructum relinquere, inſtituens, ut ab ipſorum morte pauperum ſubſiſtentiæ fundus inſerviat, iiſque tribuatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat id, quod eſt propoſitum, ad hanc præcipuam controverſiam referri, utrum Parochus conſulens poſſit in præſentia in ſuorum conſanguineorum gratiam librarum ſex mille ſummam diſponere, an vero eam inter ſuos conſanguineos & pauperes partiri poſſit; utrum autem ejus conſanguinei non leves aliquot ſummas, quas ab eo receperunt, reſtituere teneantur: quæſtio eſt, quæ ad eos ſpectat, & cui ſatisfiet, cum illi conſultum venerint.

Agitur hic ergo de Parocho, ac de diſpoſitione, quam ſuorum bonorum inſtituere in animo habet. (*d*) Qua in re reſpondetur, Theologos bifariam diviſos eſſe; ajunt alii Beneficiarios eorum bonorum, quæ ex Beneficiis ſuis perceperunt, Dominos & Proprietarios eſſe, ac de iis pro libito ſtatuere poſſe; alii vero Diſpenſatores tantum eſſe contendunt; ex quo fit, ut iidem Beneficiarii, qui de iis contra Eccleſiæ Regulas ſtatuunt, contra juſtitiam peccent, & quod inde conſequitur, qui ab ipſis bona Eccleſiaſtica perceperunt, ad reſtitutionem obligentur.

Verum inter utriuſque ſententiæ propugnatores illud convenit, Beneficiarium non poſſe ſine graviſſima culpa, quod ei ſupereſt, diſponere niſi in pauperum, & aliquorum aliorum pietatis operum gratiam. Sanchez, qui Beneficiarios fructuum Beneficiorum ſuorum dominos eſſe putat, neque inter Caſuiſtas ſtrictior audit, oſtendit Conciliorum & Patrum auctoritate, Beneficiarium non poſſe abſque gravi culpa, quod ei ſupereſt, niſi in pauperum, aut alicujus pietatis operis gratiam diſponere.

Quamobrem cum D. Thomas docet Beneficiarium id quod congeſſit, ſibique negavit, ſuis conſanguineis, aliiſve perſonis largiri poſſe, conſanguineos egeſtate premi pro certo habet, ut liquet ex D. Ambroſii textu, quem affert, quique legitur in Libro ſecundo de Officiis: *hæc eſt approbanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas; non tamen ut illos ditiores fieri velis, ex eo, quod potes conferre inopibus.*

Inutile porro fuerit adhuc inquirere, an Beneficiarius, qui habet ex parſimonia, quod redundat, contra juſtitiam, aut contra charitatem peccet, niſi id

(*a*) can. Clericos 1. q. 2.
(*b*) S. Auguſt. epiſt. 56. ad Boniſac. in can. 51. privatum 12. quæſt. 1
(*c*) Concil. Aquiſgran. an. 816. c. 107. Concil. Mediol. 2. cap. 28.
(*d*) V. D. Anton. 3. part. tit. 10. cap. 3. de teſtamentis §. 14. tit. 15. cap. 1. §. 9. Navar. de redit. Eccleſ. tom. 1. quæſt. 1. monit. 33. Layman. l. 4. tit. 2. c. 3. n. 3. & 7. & in tit. de alien. Eccleſ. n. 118. Pyrringh. l. 3. tit. 25. de pecul. Cleric. n. 2. Paul. Comit. l. 1. quæſt. 70. Sanchez 2. conſil. cap. 3. dubio 3. D. Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 7. ad 2. S. Ambroſ. l. 2. offic. cap. 30

ſi id pauperibus largiatur ; ſatis eſt id redundare , & hoc redundans de Eccleſiaſticis bonis eſſe , aut Eccleſiaſtici tituli fundamento niti, ut ſtatui poſſit Titularem ſub mortalis peccati pœna teneri in piis operibus illud impendere . Illud igitur conveniat neceſſe eſt, Parochum, de quo agitur, graviter deliquiſſe , quod magnas hactenus ſummas ſuis conſanguineis tribuerit , qui cum ſatis rebus ſuis conſuluerint , pauperum loco haberi minime potuerunt; & ſuæ Parœciæ pauperibus opitulari, atque in Eccleſiæ ſuæ commodum iiſdem ſummis uti neglexerit.

In hoc negotio peccavit ille duplici ex capite. I. quia theſaurizavit, ut haberet , quod ſuis conſanguineis donaret, nulla interea pauperum ſibi concreditorum ratione habita , quorum nonnullos vehementer eguiſſe , atque in hoc indigentiæ ſtatu deceſſiſſe ſit vero ſimile . II. quia ſuis conſanguineis has ſummas contulit, contra Eccleſiæ regulas, quoniam nequaquam iis indigebant.

Si hæc proventus Eccleſiaſtici pauperibus ſubtracti præpoſtera diſpenſatio non eum cogit iis reſtituere; ineluctabili certe neceſſitate tenetur ipſe pœnitentiæ quamprimum ex animo agendæ, & ab incepto deſiſtendi , ne culpam augeat , & ſe indignum reddat, qui veniam obtineat (a). Legenda ſunt ei attenta mente Tridentinæ Synodi verba hæc , quibus Beneficiariis omnibus prohibet, ne immodico erga ſuos conſanguineos amore ducantur, iiſque de bonis & proventibus Eccleſiaſticis quicquam tribuant, niſi pauperes ſint : *Omnino interdicit eis , ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos augere ſtudeant; cum & Apoſtolorum Canones prohibeant , ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant: ea autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa. Monet eos , quam maxime poteſt, Sancta Synodus, ut omnem humanum hunc erga fratres , nepotes , propinquoſque carnis affectum , unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat , penitus deponant.*

Deciſum in Sorbona hac die 25. Maii an. 1696.
G. *Fromageau*.

Eccleſiæ Bona conſanguineis nobilibus data.

CASUS II.

1 *Non licet Eccleſiaſticis eos , qui ſibi ſanguine , aut neceſſitudine conjuncti ſunt, ex Beneficiorum ſuorum reditibus locupletare.*
2 *Tum ſolum licet eos in eorumdem redituum partem vocare, cum pauperes ſunt.*
3 *Matrimonium contrahi non poteſt cum ſpe gratificationis de Eccleſiæ bonis a Beneficiario ejus conſanguineo, cui puella nubit, obtinendæ.*

QUÆSITUM.

Beneficiarius propinquis ſuis , qui nobili genere ſunt, Eccleſiaſticorum ſuorum proventuum decimam partem tribuit; & jam ſeptimam quoque tribuere cœpit , quoniam haud ita pridem eorum nonnulli Regis ſervitium inierunt ; ac ſpes adeſt fore , ut cum matrimonium contraxerint, ſua ille erga eos grati animi monumenta proſequatur , atque adeo augeat . Illud autem ejus animum permovet , quod ipſius familia non eſt opulenta , & tertiæ bonorum eorum partis, quæ olim ejus Majores poſſederunt , jacturam fecit . Licetne huic Beneficiario ſuorum Beneficiorum reditibus ea ratione uti ad antiquam familiam ſuſtentandam , inſtaurandamque , quæ poteſt inter egentes adnumerari ? Poteſtne cum ejuſmodi gratificationum ſpe matrimonium iniri ?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti putant , ad enodandam propoſitam difficultatem ſibi ob oculos habendam eſſe Tridentinæ Synodi deciſionem *Seſſ. 25. de reform. c. 1.* prohibentis omnibus omnino Beneficiariis, ne ex Beneficiorum ſuorum bonis conſanguineos aut amicos ſuos locupletent, & tum ſolum permittentis, ut eos eorumdem bonorum participes faciant, cum paupertate, atque indigentia premuntur. En Synodi verba : *Omnino vero interdicit , ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas , quæ Dei ſunt , conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant, nec diſſipent illorum cauſa : immo quam maxime poteſt, eos Sancta Synodus monet , ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſve carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat , penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque tam ſæcularia quam regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſervari, ſed ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.* Ex quo licet intelligi hanc generalem Eccleſiæ Synodum id ſibi voluiſſe, ne quo prætextu Eccleſiæ bona ſuis conſanguineis Eccleſiaſtici largirentur ad locupletandas componendaſque ipſorum familias; ac proinde plurium Beneficiariorum familiæ ſuæ commodo bona hæc impendentium exemplum nullius roboris cenſendum eſſe, cum certum ſit eos contra Eccleſiæ mentem agere, quæ in Apoſtolorum Canonibus cernitur , ut ex laudato teſtimonio innoteſcit. Itaque Subſcripti, ſanctis hiſce Conſtitutionibus mordicus adhærentes exiſtimant , ſi is , cujus gratia conſilium petitur, pauper non ſit , aut ejuſmodi eſſe deſinat per utile matrimonium, puellæ propinquos eam huic Adoleſcenti in uxorem dare non poſſe , quod ſperent, fore , ut hujus Eccleſiaſtici ſubſidium ſemper conjugatis præſto ſit, cum ille proventuum ſui Beneficii participes facere ſuos conſanguineos non poſſit , niſi in ſolo paupertatis caſu ; ipſoſque puellæ conſanguineos in conſcientiæ foro teneri huic Eccleſiæ legi ſe conformare.

Deciſum in Sorbona hac die 20. Maii an. 1671.
Auguſtinus *de Lamet*.

Uſus Bonorum Eccleſiæ.

CASUS III.

Regulæ, quibus detegitur , in quo conſiſtat Epiſcopi , aut alterius cujuſvis Beneficiarii ſuperfluum , & qui ejus uſus eſſe debeat.

QUÆSITUM.

Epiſcopus plura Beneficia poſſidens, & duas penſiones ex aliis Beneficiis percipiens orat Sorbonæ Doctores , ut certis regulis traditis doceant , quatenus ipſe, & quibus in locis eleemoſynas erogare debeat. Qua in re dignum eſt animadverſione aliquot ejus Beneficia, aut penſiones ad regiones pingues & fertiles pertinere , cum ipſius Diœceſis ſicca ſit & ſterilis . Itaque interrogat , an ſibi liceat necne pauperibus in ſuo Epiſcopatu degentibus eleemoſynas impertiri, quas in locis, ubi alia ejus Beneficia ſita ſunt , erogare deberet ?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet , id quod expoſitione continetur , ad duas præcipuas quæſtiones redigi poſſe . Prima eſt, quibus regulis cognoſci poſſit , Epiſcopo , aut Beneficiario quid demum redundet; altera eſt , quomodo ſuperfluum hoc ſit diſtribuendum.

Ut certo conſtet, quorſum pertineat Beneficiarii ſuperfluum, quod pauperibus aut Eccleſiæ tribuere tenetur , ponenda ſunt fundamenti loco principia tria.

Primum, Beneficiarios, quatenus ejuſmodi ſunt, gaudere duplici bonorum genere; ex ipſorum Beneficiis proveniunt alia , inter quæ recenſentur diſtributiones quotidianæ, quas ob Officium acquirunt, quia juxta opinionem probabiliorem, quæ Sanchez auctorem habet *Conſil. Moral. lib. 2. dub. 46.* ex proven-

(a) Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de Reform.

proventuum Eccleſiaſticorum partem conſtituunt, eumdem finem, eamdemque obligationem habent; ac partitio, quæ in ingentes fructus & diſtributiones facta eſt, ſolum variam eorum lucrandorum rationem ſignificant, nec omnino ipſorum naturam immutant. Alia bona proveniunt a perſonali ſervitio, quod Epiſcopus, aut alius Beneficiarius in peculiaribus occaſionibus præſtant, ut in deputationibus, aliiſve muneribus, quæ a Beneficio ſejuncta ſunt, & independentia. Bona hæc nuncupantur *quaſi patrimonialia*.

Secundum principium eſt, Beneficiarios juxta communem ſententiam, quæ eſt Doctoris Angelici 2. 2. *q.* 119. *a.* 3. *ad* 1. ſuorum proventuum diſpenſatores tantum eſſe *c. pervenit* 12. *q.* 3. *c. relatum* 2. *de teſtam.* Comitolus *l.* 1. *reſp. moral. q.* 70. contendit, ante Dominicum Soto, qui eorum eſt ſignifer, qui opinionem oppoſitam induxerunt, ſententiam hanc Eccleſiæ ſententiam fuiſſe per annos mille quingentos; ut proinde pronunciet, Navarrum *de red. Eccl. q.* 1. *m.* 24. & Archidiaconum in *c. Statutum §. aſſeſſorem de reſer. in* 6. *n.* 13. eam ſententiam tam firmo fundamento niti credidiſſe, ut aſſererent ad fidem ſpectare; aut ſi Beneficiarii redituum ſuorum Beneficiorum Domini ſint, iis dominium hoc ea tantum conditione competere, ut, quod ſupereſt, ad pietatis opera referant; ita ut ſi Beneficiarius in profanis ſumptibus, quod ei redundat, inſumat, ad reſtitutionem juſtitiæ titulo teneatur. Videndus Layman *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 3. *de Benef.*

Principium tertium ſcitu dignum eſt, Beneficiariis jus eſſe ex ſuis Beneficiis id ſibi ſumendi, quo decenter vivant: porro hæc victus decentia penſanda eſt, I. ſpectata Titularis qualitate; cauſa exempli Regis aut Principis filius, qui Epiſcopus eſt, poteſt majores ſumptus facere, quam privata perſona, quia ſpectantur natalia, tanquam quæ Eccleſiæ utilitatem æque ac decus afferre poſſint, cum hoc tamen diſcrimine, ut ſi Regis aut Principis filius patrimonii bona poſſideret, ex ſui Beneficii reditibus id tantum, unde ſimplicis Eccleſiaſtici more viveret, ei decerpendum eſſet, & cætera Eccleſiæ rationibus concedenda. Ita ſentit Sanchez *l. c. dub.* 41. *n.* 10. Honeſta ſuſtentatio penſatur ſecundo ſpectata Beneficii qualitate; Epiſcopus enim & Decanus Eccleſiæ inſignis ad majores, quam ſimplex Canonicus impenſas tenentur. III. habita ratione loci; alicubi enim certi quidem ſumptus fieri conſueverunt, qui alibi minime fiunt; in quo ſæcularium luxus & faſtus ſemper evitentur neceſſe eſt, ut Eccleſiaſtici, cujus, quam Laicorum vita debet eſſe perfectior, modeſtia ſervetur; qua in re conſulenda eſt Tridentina Synodus *Seſſ.* 25. *de reform. c.* 1.

Poteſt ex his principiis Epiſcopus intelligere, quantum ſibi liceat ad ſuorum Beneficiorum officia, ſuamque honeſtam ſuſtentationem inſumere. Epiſcopus enim, cui redituum plus ſuppetit, quam ad hæc duo præſtanda opus habeat, non propterea ſumptus inutiles facere poteſt. Eccleſia quippe magnos hos reditus eidem contulit, ut iis in ejuſdem Eccleſiæ commodum uteretur, & nomine Patris pauperum ſe dignum redderet, quo olim Epiſcopi gloriabantur. Hinc ſequitur, nihil eum ſuis conſanguineis largiri poſſe, niſi pauperes ſint, ut a Tridentina Synodo ſtatutum eſt *Seſſ.* 25. *c.* 1. *de refor.* Poteſt ille quidem patrimonii ſui bonum, & bona, quæ dicuntur quaſi patrimonialia, diſponere; ſed non eſt dominus patrimonii pauperum, ſui nempe ſuperflui, quod ei ſane magis debet ſuppetere, quam Sæculari, cui idem proventus eſſet; idque ob eam cauſam, quia Sæculari congerere licet, unde ſuum ſtatum augeat, & cum verſetur in Sæculo, multo majoribus ſumptibus opus habet: Epiſcopus, & Beneficiarius, inquit Concilium, *modeſta ſuppellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, ac etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod ſancto hoc inſtituto ſit alienum; quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat.*

Theſaurizare nec ſibi nec ſuis poteſt; ita erogandæ eleemoſynæ major eum ſane quam Laicum tenet obligatio; non tenetur hic, quicquid ei ſupereſt, pauperibus dare, niſi gravis aut extrema urgeat neceſſitas; Epiſcopi vero, aut Beneficiarii, ſiquidem ſupervacanea poſſideant, ad id obligantur, quia Beneficiarius, & potiori jure Epiſcopus pauperum pater eſt; atque ita quæcumque ſit pauperum neceſſitas, iis ſuperflua tribuere debet; ſunt enim eorumdem bona: *Quicquid habent Clerici*, Sancti Hieronymi verba ſunt, *pauperum eſt*. Videri poteſt Sanchez *l. c. dub.* 39. *n.* 2. & 3. Sæcularis eleemoſynam pauperibus, cum ei ſe ſiſtunt, largiri debet; at Beneficiarius ſæpe tenetur eos quærere; hujus enim ſuperflua pauperum bona ſunt. Id ad eos potiſſimum ſpectat, qui Beneficia cum cura poſſident.

Quod porro de Beneficiorum proventibus dicitur, de Clericalibus quoque penſionibus ſtatuendum eſt, præſertim poſtquam Pius V. Officii parvi obligationem iiſdem annexam voluit; licet enim Beneficiorum fructus non ejuſdem generis ſint, idem tamen eſt eorum finis, eademque obligatio; ſemper Beneficii fructus exiſtunt.

Cum dicitur Epiſcopus non poſſe ſuos reditus ſine injuſtitia abſolute diſponere, non id ita eſt accipiendum, ut cum ſuum patrimonium vendiderit, quo ſui Beneficii officiis proſpiceret, nequeat deinde, quod impendit, ſibi compenſationis loco retinere; Sanchez *l. c. dub.* 38. *n.* 15. aſſerit id licere.

Si etiam qualibet demum ratione ſe ære alieno gravaverit, poteſt ex ſui Beneficii reditibus ſolvere, ſubtrahens ſuo ipſius victui, quantum poterit; ſi enim nequit aliter ſolvere, debet ſe ſpectare tanquam pauperem, & pauperis more vivere.

Poteſt etiam Epiſcopus ex ſuperfluis ſuis retinere, quo ſterilitatibus, litibus, aut morbis, quæ contingere poſſunt, proſpiciat, ſiquidem ejuſmodi incommoda non immerito timere poſſit. Verum nihil ſibi reſervare poteſt futuræ ſenectutis intuitu. Sanchez *l. c. dub.* 38.

Quod attinet ad rationem, qua ſuperflua ſunt diſtribuenda, quivis Beneficiarius poteſt propinquos ſuos pauperes aliis præferre, dummodo, ut ait Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. intra Beneficii terminos non exiſtant, qui graviori egeſtate premantur. II. fere præferendi ſunt eorum locorum pauperes, ubi Beneficia ſunt; qui ſi ibi nulli ſint, aliorum locorum pauperibus ſuperflua dari poſſunt. III. ſi nulla adſit urgens neceſſitas, Beneficiarius ex ſuperfluis accumulare poteſt, unde pietatis opera inſtituat, Seminarium, parvas ſcholas, Hoſpitale, &c.

Deciſum hac die 20. Septembris an. 1693.

G. Fromageau.

In eamdem rem.

CASUS IV.

Egregia Diſſertatio de Eccleſiaſticorum Bonorum uſu; in qua occurrit, quicquid in hac gravi materia optimum ac ſolidiſſimum eſt.

QUÆSITUM.

Rogatur Conſcientiæ Conſilium, ut ſuper controverſiis infra propoſitis ſuam ſententiam aperiat.

I. Conditionis non vulgaris Eccleſiaſticus, qui præter Eccleſiæ bonum nihil habet, ad quas demum leges ſumptus ſuos exigere debeat; an dum adhuc junior eſt, Præceptorem ac Famulum habere poſſit; an denique ætate provectior modeſto Curru, & congruo Domeſticorum comitatu gaudere poſſit?

II. An poſſit ſuis fratribus & ſororibus, quibus patrimonii nihil ſuppetit, opem ferre, & quatenus; an ejuſmodi ſubſidium ad puram putamque naturæ neceſſitatem coarctare debeat, an vero ad id extendere, quod conditio requirit, ſervatis Chriſtianæ moderationis legibus; cauſa exempli poteſtne Magiſtros, a quibus edoceantur, ſuis fratribus comparare? Cum ii ſervitium inierint, ad ipſorum comitatum ſuamne operam conferre poterit?

Po-

Poteſtne collocandis ſuis Sororibus aliquid reſervare?

III. Poteſtne ille Matrem pro conditione ſuſtentare? Ei cubiculariam, coquam, & famulum aſſignare? Illa quidem ſatis bonorum habet, unde ruri vivere poſſit; ſed eam tamen ad prolis educationem Pariſiis degere neceſſe eſt; vellet etiam tenuem hunc reditum reſervare, ut filiabus, quod eſt neceſſarium, relinqueret ad ſuſtentandum filii ſui Beneficium, moderandamque Familiam ea ſuum omne ſtudium confert, atque ita per eam filius paucioribus domeſticis, qui magno valerent, opus habet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, antequam propoſitis interrogationibus fiat ſatis, has tanquam conſtantes regulas in Beneficii negotio ponendas eſſe,

I. Proventum, quem Eccleſiaſtici ex ſuis Beneficiis percipiunt, eſſe pauperum Patrimonium Sanctorum Patrum ſententia: *Vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*; vel ut Tridentina Synodus loquitur *Seſſ. 25. c. 1. de reform.* Dei ipſius bonum: *Ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent*.

II. Neceſſe eſſe, ut Beneficiarii ad ipſorum Eccleſiaſticam conditionem, non autem ad natalia, & ſtatum, in quo ipſorum familia exiſtit, ſuos ſumptus exigant; hæc autem conditio Eccleſiaſtica, maxime licet inſignis eos a ſervandæ modeſtiæ, & ſæcularis luxus evitandi obligatione non eximit.

Si tamen ex Beneficiarii natalibus & familia non mediocre patrocinium & ſubſidium Eccleſia perciperet, eſſet æquitati conſonum bonorum ad Eccleſiam ipſam ſpectantium ei plus eſſe, quam iis, a quibus parum, aut nihil utilitatis in eam redundat.

III. Beneficiarios debere humanum affectum hunc, quem caro & ſanguis inſpirant erga propinquos, prorſus abjicere, ne juſto facilius ad iis tribuendos Beneficiorum ſuorum reditus moveantur: ita eos Concilium monitos vult: *eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum penitus deponant*.

IV. Beneficiarium, cum ſumpſerit, quod ad ſimplicem & modeſtam ſuſtentationem ſatis ſit, debere, quod ſupereſt, pauperibus, & Eccleſiæ loci, ubi ejus Beneficium exiſtit, impertiri; porro ſi ejus conſanguinei pauperes ſint, poſſe ipſis donare, aut diſtribuere ſuorum proventuum partem, tanquam pauperibus, videlicet poſſe neceſſaria conferre, ita tamen, ut caveat, ne humaniore affectu abripiatur ad multo plus iis largiendum, quam aliis pauperibus largiretur.

V. Beneficiarios, eoſque præſertim, qui Beneficiis ſimplicibus potiuntur, juxta communiorem ſententiam, ſuorum redituum Dominos omnino non eſſe, ut de iis pro libito ſtatuant, ſed ſimplices adminiſtratores & diſpenſatores. (*a*)

Juxta principia hæc eligendus eſt vir probus & ſapiens, qui Beneficiarii familiam, ejus meritum, & Beneficii proventuum cognoſcens poterit melius ac tutius definire, quid demum ſit ad Beneficiarii, ad ipſius Matris, ad ipſius fratrum, ad ipſius denique ſororum ſuſtentationem ex hujuſmodi reditibus decerpendum. Exempli cauſa poterit ei ſervulum adimere, præceptorem concedens, quin currum permittat propter graves ſumptus, quos alendæ ſuæ familiæ cauſa facere neceſſe habebit; mater porro unius tantum ancillæ ſervitio contenta eſſe debet. Illud enim ſemper ob oculos habendum eſt, Beneficiarium proventuum Beneficii ſui Dominum non eſſe, nec de iis pro arbitratu ſtatuendi jure gaudere; ſunt enim pauperum bona, iiſque proinde pro ipſorum egeſtate partienda.

Ad Beneficiarii fratres quod attinet, ad id ſunt redigendi, quod ipſis eſt ſimpliciter neceſſarium; & quod inde conſequitur, iis minime comparandi Magiſtri ſunt, ſed ipſi quoque aliorum more, qui ſingularia hæc præſidia omnino non habent, vitam ducere cogendi ſunt: unus iis tantum, ſi convivant, ſervulus aſſignandus eſt.

Uno verbo Vir ſcientiæ & pietatis laude præſtans, qui eligendus eſt, & cui ad omnia in hoc negotio moderanda auſcultandum eſt, nunquam non meminerit Eccleſiaſtica bona a Sæcularibus diſcrepare, quia hæc quidem ad id proprie ſuapte natura non tendunt, quod pietatem & Religionem ſpectat: Si enim Beneficiarius hic ex ſuis reditibus eos omnes ſumptus perficeret, qui in Expoſitione hac recenſentur, decem mille libras, & fortaſſe amplius quotannis impenderet; ita ut nihil amplius Eccleſiæ, ac pauperibus tribuendum ei ſupereſſet.

Deciſum hac die 24. Decembris an. 1701.

G. Fromageau.

Utrum Beneficiarii ſuorum proventuum Domini ſint, an vero Diſpenſatores?

I. Tridentina Synodus *Seſſ. 25. c. 1. de reform.* tria dicit in hoc articulo notatu digna. Primum eſt, Eccleſiæ bona Dei bona eſſe: *Cum Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent*. Alterum eſt, Beneficiarios, quicumque tandem fuerint, Epiſcopos aut Cardinales, Sæculares aut Regulares in victus ac menſæ ratione non mediocrem moderationem atque exemplarem frugalitatem ſervare debere, ut ſignificent ſe Dei zelo duci, & terrena hæc vanitatis plena deſpicere: *Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſuppellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ne quid appareat, quod non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat*. Prohibet tertio loco quibuſvis Beneficiariis, ne bona Eccleſiaſtica conſanguineis ſuis donent, niſi pauperes ſint, eos cohortatur, ut exuant, repellantque hanc carnis & ſanguinis affectionem, quæ ipſos erga conſanguineos devincit, & ad Eccleſiæ bona diſſipanda, & ab iis uſibus, quibus addicta ſunt, abducenda pertraheret: *ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant*. Iis tantum permittit, ut ſuis propinquis, ſi ſint pauperes, opitulentur, & id unum tribuant, quod ad eos a paupertate liberandos eſt neceſſarium: *eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa; immo quam maxime poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat, penitus deponant*.

Perpendendum eſt etiam, atque etiam allatum Concilii Decretum (*b*), quod vetat, ne Eccleſiaſtici quicquam ſuis tribuant, niſi pauperes ſint, atque adeo tanquam pauperibus. Nihilominus in ſæcularis Juſtitiæ Tribunalibus Epiſcoporum, aliorumque Beneficiariorum ſucceſſiones ipſorum hæredibus, divitibus perinde ac pauperibus adjudicantur; quod argumento eſt exterioris fori regulas nullam interioris fori & conſcientiæ rationem habere.

II. Illud ſane convenit inter omnes, peculia, quæ ſæculares Beneficiarii, plures res utiles commo-

(*a*) V. Anton. 3. p. tit. 10. §. 14. & tit. 15. c. 2. n. 19. ſec. §. 19. Nav. tom. 1. de reditibus Eccl. mon. 33. q. 1. & mon. 48. & q. 2. mon. 7.

Laymin l. 4. tract. 2. c. 3. num. 3. & 7. & in tract. de alien. Eccleſ. d. 118.

Pyrrhingh l. 3. tit. 25. de pecul. Ceric. §. 2.

Paul. Comitolus l. 1. q. 70.

Louet tom. 5. lit. E. n. 4. & tom. 2. lit. R. n. 42.

Dupleſſis v. de Succeſſionibus, ubi oſtendit Epiſcopo Religioſo propinquos ſuccedere: ut etiam Brodeau in Louet l. c.

V. Suarez tom. 4. de Relig. l. 3. c. 16.

S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. & 8. ubi oſtendit Epiſcopum Religioſum nihil habere proprium.

Chopin tom. 4. pag. 416. Baſſæus tom. 2. v. paupertas Religioſa.

Diana tom. 8. tr. 6. reſol. 33.

(*b*) Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos, &c.

modaſque ſibimetipſis denegantes congeſſerunt, ad eos pertinere, eos eſſe ipſorum Dominos (*a*), & de iis poſſe diſponere, quin ii, quibus eadem contulerint, ad reſtitutionem obligentur; Verum non in eo vertitur quæſtio, ſed in eo, utrum ſcilicet abſolute Beneficiarii proventuum ſuorum Domini ſint, ita ut eos poſſint pro arbitratu diſponere.

III. Comitolus *l. 1. q. 70. reſponſ. moral.* contendit, Sotum primum fuiſſe, qui hanc ſententiam excogitaverit, contra atque antea per annos 1500. creditum fuerat; is fuit, qui Beneficiarios fructuum ſuorum Beneficiorum dominos facere primus omnium non eſt veritus; monet ille eos pauperibus non opitulantes peccare quidem contra charitatem quæ iis magis, quam Sæcularibus commendatur; ſed iidem tamen, inquit, contra juſtitiam minime peccant.

IV. Joannes Major *in 4. diſt. 24. q. 17. ad calcem* nullum ſibi Scriptorem ante Sotum occurriſſe teſtatur, qui Epiſcopos in Eccleſiaſticos reditus abſoluto dominio gaudere pronunciaverit: *Addo, quod Theologorum mortuorum neminem inveni, qui diceret Catholicæ Prælatos Eccleſiæ non obligatos reſtituere prodige impenſa*. Navarrus *tom. 1. de redit. Eccleſ. q. 2. monito* 7. hanc Majoris auctoritatem affert, eique ſubſcribit.

V. Archidiaconus *in cap. Statutum §. aſſeſſorem de reſcript. l. 6. n. 13.* contendit hæreſim eſſe in Jure Canonico ſentire Beneficiarios ſuorum redituum dominos eſſe: *hæreſim in jure Canonico eſſe, aſſerere Clericos Beneficia obtinentes Eccleſiaſtica, bonorum Eccleſiaſticorum dominos eſſe*. Profert hoc teſtimonium, approbatque Navarra loco citato *n. 2.*

VI. Comitolus, Patrum, Conciliorum, Canonum, Theologorum, & Canoniſtarum tot in hanc ſententiam auctoritates in medium affert, ut eam æque ac Navarra tanquam fidei articulum ſpectet: *Cui conſequens eſt, concluſionem noſtram non ſolum videri eſſe veram, & omnium antiquorum communem & recentiorum, ſed etiam hodie videri quaſi de fide*.

Fagnanus *tit. de pecul. Cleric. l. 3. cap. Si quis ſane n. 1.* animadvertit ſententiam hanc veterem, abſolutumque dominium adimentem eſſe communiorem tutioremque, ſed aliam tamen veriorem eſſe: *quod vero ad rei ſummam ſpectat, tametſi opinio quæ Epiſcopos Clericos ſuperflua non erogantes pauperibus obligat ad reſtitutionem, forte ſit communior, & magis tendat ad charitatem, & tutior omnino exiſtat, contraria tamen eſt verior* &c.

VII. Pirringhus *tom. 3. l. 3. titul. 25. §. 2. de peculio Clericorum num. 6.* monet ſententiam, quæ hoc plenum dominium a Beneficiariis removet, ab omnibus fere Canoniſtis & Theologis, præſertim antiquioribus propugnari: *Prima eſt omnium ferme Canoniſtarum & plurimorum Theologorum, præſertim antiquorum, teſte Navarro de red. Eccleſ. q. 2. mon. 7. n. 1.* Tum addit idem Auctor: *quæ ſententia non tantum eſt valde probabilis, & SS. Canonibus admodum conformis, ſed etiam tanquam tutior omnibus Beneficiariis in praxi conſulenda eſt, ut fatetur etiam Leſſius, licet alias contrariam ſententiam teneat*.

Hic idem Auctor de eadem re verba faciens *num. 14.* ab oppoſita tamen opinione ſe minime alienum oſtendit: *hæc ſententia hodie communi uſu & conſuetudine eſt recepta; idcoque in praxi damnari non poteſt, ſed ob Doctorum auctoritatem eſt probabilis*; pluresque deinde citat receptos Canoniſtas, qui eam propugnant; ſed monet tamen aliam tutiorem eſſe, & in praxi ſequendam.

VIII. *M. de Sainte Beuve tom. 1. caſu 166.* hanc controverſiam pertractans, loquens de bonis Eccleſiaſticis, quorum conſanguinei hæredes fuerunt, eos hortantes eſſe pronunciat, ut in pietatis operibus, in eleemoſynis pauperibus locorum tribuendis, in reparandis, decorandis, ornandiſque Beneficiariorum Eccleſiis eadem impendant, quia ad hunc eorum uſum faciendum charitate atque adeo juſtitia obligantur. Non definit ille tamen, an ejuſmodi hæredes in conſcientiæ foro reſtituere teneantur, contentus in utramque partem rationes afferre, quin rem dijudicet.

Si tamen Beneficiarius ex juſtitia tenetur ſuos reditus ſuperfluos in eleemoſynis, Eccleſiarum reparationibus, aut decorationibus, dum vivit, impendere: ejus hæredes ſucceſſionem acceptantes eodem jure obligari videntur.

IX. Et ſane ſi Beneficiariorum reditus Dei ipſius bona ſunt, ſi Eccleſiaſtici affectum, quem erga propinquos caro & Sanguis inſpirant, tenentur deponere: *omnem humanum affectum deponant*; ſi nequeunt eos ipſorum proventuum participes facere, niſi pauperes ſint, tantum ut eos a neceſſitate liberent, non autem ut locupletent; inde fit, Beneficiarios proventuum Beneficiorum ſuorum non ita dominos eſſe, ut Sæculares ſuorum bonorum ſunt, ex quibus poſſunt ſuos conſanguineos locupletare, quin ulli injuriam inferant, aut ullam legem violent.

Id forſitan in cauſa fuit, ut plures Theologi animadverterent, quod tradit Layman *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3.* re vera Beneficiarios proventuum Beneficiorum ſuorum, atque adeo ſuperflui dominos eſſe, quia hoc cum eo permixtum eſt, quo ad ſuam ſuſtentationem uti poſſunt; ſed ſuperfluum pauperibus largiendi, aut in piis operibus impendendi obligationem cum hoc dominio conjunctam eſſe, ea ferme ratione, ac ſi quis Dominus Domeſtico itineris gratia argenti ſummam tribueret, ea lege, ut cum ille id, quod ipſi ad victum fuerit neceſſarium, inſumpſerit, quod ſupereſſet, ei reſtitueret, aut pauperibus impertiretur; videtur hic ſervus ad reſiduam ſummam reddendam ex juſtitia obligatus fore. Id Layman oſtendit loco citato. Quod quidem hoc loco poteſt Beneficiariis accommodari.

Igitur non immerito tot Auctores aſſerunt Beneficiarios ex juſtitia obligari ad ſuperfluum pauperibus tribuendum, aut reſtituendum, ſi perperam illud impenderint, ob eam cauſam, quia dominium, quo illi in ſuos reditus gaudent, divinæ Legis vi ineluctabilem obligationem adjunctam habet, id omne, quod ſupereſt, in pauperes erogandi. Quamobrem recentiorum Canoniſtarum aſſertio bonorum Eccleſiaſticorum naturæ nihil detrahit, inquit Wan-Eſpen *l. c. c. 8.* nec Sanctorum Patrum, Conciliorum, Canonum, Theologorum, & Juriſconſultorum, qui ſupra in medium adducti ſunt, doctrinam evertit.

X. Hæc juſtitiæ obligatio, quæ Beneficiarios tenet, id quod ſupereſt, in eleemoſynis, aut aliis piis operibus impendendi, non oritur ex ordine aut præcepto Eccleſiaſtico, contra quod per oppoſitam conſuetudinem præſcribi poſſet, aut in quo poſſet diſpenſari, ſed ex naturali jure derivatur, ex eorum videlicet intentione, qui Eccleſiæ ſua bona tribuerunt ad divini cultus augmentum, honeſtamque ejus Miniſtrorum ſuſtentationem; quamobrem hæc bona a Tridentino Concilio Dei bona ſunt appellata: intentio quippe Fidelium ea eſſe non potuit, ut ea ab Eccleſiaſticis diſſiparentur, & in rebus inutilibus & criminoſis inſumerentur; ſi enim ita ſe res habuiſſet, ea Patres & Canones non appellaſſent vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum *cap. Quia juxta 16. quæſt. 1. cap. 59.*

XI. Ad cognoſcendam bonorum Eccleſiaſticorum naturam inutile eſt diviſionem expendi, quæ eorum facta eſt, cum communia eſſe deſierunt, an ſcilicet ea quadripartito diviſa fuerint, ut una pars ad Epiſcopum, altera ad Clerum, tertia ad Eccleſiæ inſtaurationem, poſtrema ad pauperes pertineret; an vero tantum tripartito, ita ut pauperum portio cum Cleri & Epiſcopi portionibus confuſa fuerit: ſatis fuerit, omiſſa hac difficultate, animadverti per hanc partitionem, quocumque tandem modo facta ſit, minime mutatam fuiſſe bonorum Eccleſiaſticorum rationem, cum ea ſemper tanquam pauperum patrimonia ſpectata fuerint.

Vi-

(*a*) Van-Eſpen p. 2. tit. 32. c. 1. n. 29. non ita ſentit. Ejus de hac re tractatus videndus eſt de Pecul. Cleric. tom. 2. Comparat Auctor hic Beneficiarii proventum cum ſervi peculio, aut cum eo, quod Pater filio donabat, & cujus ſibi dominium profectumque reſervabat, quod appellabatur peculium filiifamilias profectitium, ad diſcrimen peculii, quod dicebatur peculium caſtrenſe, de quo filius poterat diſponere.

Videndus Wan-Eſpen. *p.* 2. *tit.* 32. *n.* 16. *& ſeq. c.* 6. *de pecul. Cleric. tom.* 2. Qui ea bona poſſident, cum præſertim pauperum curam gerere teneantur, non poſſunt abſque latrocinio, & ſacrilegio quodam ea diſſipare.

De Religioſis Beneficiariis.

XII. Religioſi Beneficiarii minus etiam proventuum Beneficiorum ſuorum Domini ſunt propter emiſſum paupertatis votum. Divus Thomas de Religioſis Epiſcopis verba faciens 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *ad* 3. eos nihil proprii poſſidere poſſe pronunciat. *Proprium autem nullo modo habere poſſunt*. Quod ſane non impedit, quominus illi ob ſuorum Beneficiorum titulum, atque ut Adminiſtratores ſtipulari, & validas donationes inſtituere poſſint; eorum tamen votum paupertatis impedimento eſſe debet, quominus de ſuis reditibus pro libito diſponant; aliter peccant contra juſtitiam, juxta communem ſententiam, ut teſtatur Baſſæus *tom.* 2. *v. paupertas Religioſa n.* 11. *Quamvis communis ſententia aſſerat hunc regularem Beneficiatum peccare contra juſtitiam, & accipientes non poſſe tuta conſcientia retinere, quæ acceperunt a tali Religioſo, quia dominio caret.*

XIII. Opponuntur Reſcripta duo ex Louet ducta; unum quidem diei 16. Aprilis an. 1585. Chabillonienſis Epiſcopi ſucceſſionem ejus conſanguineis adjudicat, qui quidem Jacobinus fuerat; alterum vero diei 14. Martii an. 1587. donationem confirmat Bibliothecæ, quam Religioſus Abbatiæ Medulanenſis fecerat Parocho S. Joannis in Grevio. Quod verum Religioſi dominium pro certo ponit.

XIV. Ad id reſpondetur I. Epiſcoporum, omniumque Sæcularium Beneficiariorum ſucceſſionem ad conſanguineos ex Galliarum conſuetudine pertinere; quod in cauſa fuit, ut Brodeau in Louet *l. Ev. ſ. Cler. &c.* pronunciaret nos in Galliis haud ſtare Capitulis Juris Canonici *c.* 1. *& penult. de procul.* aliiſque Conſtitutionibus, licet fere ductis ex Conciliis, nec vero magis Capitulari Caroli Magni *l.* 1. *c.* 156. in quo dicitur: *Empta per Prælatum, aut alium Clericum beneficiatum de reditibus Eccleſiæ, nihil de iis diſponere poſſit, nec eas hæredes vindicare, ſed tantum de bonis patrimonialibus aut aliunde quæſitis; quæ tamen nullis exiſtentibus hæredibus ad Eccleſiam ſpectant*; nihilominus Beneficiariorum ſæcularium hæredes, ut animadvertit Wan-Eſpen 2. *p. tit.* 22. *c.* 8. *n.* 35. *de pecul. Cler.* eamdem contrahunt obligationem, qua ii tenebantur, quorum hæredes extiterunt; ſucceſſionis enim jure bonorum Eccleſiaſticorum ratio non immutatur; ita ut ſucceſſio ob eam tantum cauſam in Gallia obtinuerit, inquit hic Auctor, n. 33. ut evitarentur litigia, quæ ad bona patrimonialia ab Eccleſiaſticis diſcernenda inter hæredes & Eccleſias ſuborirentur.

XV. In Gallia conſanguinei ſuccedunt Epiſcopis Religioſis, hi vero non item illis; eſt hæc animadverſio Brodeau in Louet *l.* 5. *n.* 4. *ſ.* 14. & ibidem *ſ.* 16. In medium affertur Reſcriptum diei 11. Maii an. 1638. quod a ſuæ familiæ ſucceſſione Epiſcopum Religioſum excludit. Dupleſſis de conſuetudine Pariſienſi art. 336. titulo de Succeſſionibus pag. 53. id animadvertit.

XVI. Quoad Reſcriptum anni 1567. ex Chopino ductum, præſto erat peculiaris ratio, quamobrem legatum approbaretur. Nempe Bibliotheca Joannis Poncet Religioſi Melunenſis tradita eſt Domino Hervæo, Parocho Sancti Joannis, qui Sacer magni nominis Orator erat, & Pariſiis magno Eccleſiæ erat emolumento. Itaque legatum hoc a regula exceptum eſt propter utilitatem, quam inde Eccleſia erat perceptura.

Germanus *Fromageau*.

CASUS V.

1 *Epiſcopi conſanguineis nihil tribui poteſt ex bonis, de quibus in pauperum gratiam diſpoſuit, atque Canonicorum Regularium Familiæ, cuibus gravia munia imponit, quia Eccleſiaſtici proventuum Beneficiorum ſuorum œconomi tantum ſunt.*

2 *Litis evitandæ cauſa, executores Teſtamenti hujus Epiſcopi poſſunt bona patrimonii, quod reliquit, ejus conſanguineis concedere.*

QUÆSITUM.

ILluſtriſſimus quondam Epiſcopus C....... cum ſemper perſuaſum habuiſſet ſe bonorum Epiſcopatus ſui diſpenſatorem tantum & œconomum eſſe, legavit, quicquid ſibi morienti ſupererat, in fundationes, atque alia pia opera, quæ recenſet, oratque ſuos conſanguineos, ut ſi nihil eis tribuit, id factum putent, non quod animus deſit, ſed quia non licet, id quod ex Teſtamenti, quod univerſæ Eccleſiæ perutili exemplo eſt, lectione Conſilium diſtinctius cognoſcet.

Ejus conſanguinei, qui ſe pauperes dictitant ſpectata ipſorum conditione, & vellent *Hæreditate poſſidere Sanctuarium Dei*, indigne ferentes hunc Epiſcopum nil ſibi tribuere, Executoribus teſtamentariis negotium faceſſunt, & teſtamentum tanquam nullum & inofficioſum impetere minitantur.

Strenui quatuor Advocati Senatus P. qui illud ad trutinam revocarunt, teſtati ſunt ſecundum regulas eſſe, neque impugnari poſſe, omneſque conſanguineorum conatus irritos fore.

Nihilominus quia moleſta res eſt executores teſtamentarios, & hæredes inſtitutos Benefactoris ſui nepotibus litem intendere, & impenſas facere, quarum impenſatio non facilis futura eſſet, quidam Epiſcopus Vir probus pietate ductus, ut utriſque gratificaretur, eos componere aggreſſus eſt, eique omnes acquieverunt.

Qua in re quæritur a Dominis Sorbonæ Doctoribus:

I. An ad redimendam vexationem poſſint executores teſtamentarii conſanguineis quicquam concedere, & plus facere, quam ſibi licere teſtator credidit, qui quidem de omnibus & ſingulis ſummis, quæ poſt ejus mortem ſupereſſent, ſigillatim diſpoſuit?

II. Quod ſi conſanguineis aliquid dandum eſſe judicaretur, quæritur, deberentque Legatarii omnes ad id conferre per ſuorum legatorum diminutionem, an vero id omne Regulares tantum Canonicos afficeret, qui re quidem vera legatarii ſolummodo ſunt prorſus ut alii, quique ſolutis legatis centum mille librarum & amplius, portionem habebunt admodum tenuem, eamque ex antiquo ære alieno, ob cujus ſolutionem plura litigia ſubire neceſſe habebunt.

Notatu dignum eſt, defunctum Epiſcopum reliquiſſe nonnihil patrimonii in Regione d.... & dimidium domus P......... pretio librarum decem mille, quæ ipſi a quodam ex ſuis nepotibus donata fuit: libenter concedetur propinquis & patrimoniale bonum, & hujuſmodi domi dimidium.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam expoſitionem vidit, minime putat Canonicos Regulares Prioratus B. V. de C....... tuta conſcientia aſſentiri poſſe defuncti Epiſcopi C... conſanguineis quidpiam concedi ex bonis, de quibus teſtamento diſpoſuit, declarans ea ad ſe tanquam propria non pertinere, ſed ſibi ſolam eorum adminiſtrationem eſſe. Verba, quibus utitur, clara ſunt & evidentia, nullamque dubitationem ingerere, nullumque interpretationi locum præbere poſſunt „ ero meos conſanguineos (inquit Prælatus hic), „ ut ſibi perſuadeant, me, ſi nihil iis tribuo, non „ ita agere, quod affectus deſit, aut gratus animus; equidem intelligo me iis maxime obſtrictum „ eſſe propter bonam, quam erga me ſemper teſtati „ ſunt, voluntatem; ac ſi quod ipſi vellent, non „ perfecero, non ideo fit, quod deſit deſiderium, quod „ in me maximum eſt; ſed quod omnino non poſſim, „ cum nihil prorſus poſſideam, quod meum ſit; „ & paucis interjectis; non auderem equidem dicere a me hæredem inſtitui, quandoquidem qui „ proprii nihil habet, aſſerere nequit a ſe hæredem „ inſtitui: itaque ſatis mihi erit ſtatuere, ut quicquid ex rebus remanſerit, quarum ego tantum „ œco-

,, œconomus & diſpenſator ſui, impendatur, prout ,, mihi videtur eſſe impendendum. Sed quod ejus voluntatem diſtinctius indicat, illud eſt, quod B. V. C....... Religioſos ſibi hæredes inſtituit, ea conditione, ut legatis & fundationibus ſatisfaciant, idque in integrum, & abſque ulla diſtractione quartæ Falcidiæ, aut alterius, quod omnino & expreſſis verbis prohibet: ita ut cum ad hæc omnia ſingularia deſcenderit, facile appareat eum proſpexiſſe caſus omnes, quæ ſuæ poſtremæ voluntatis executioni obſtaculo eſſe poſſent, atque adeo impedimenta, quæ poſſent exiſtere a conſanguineis, quorum in ſuo teſtamento mentionem facit, quibuſque declarat ſe nihil dare ob eam tantum cauſam, quod ſibi non liceat, quodque ea, de quibus diſponit, ejus non ſint. Illud itaque pro certo habendum eſt, ejus omnes rationes ad id unum referri, ut inſtituti hæredes intelligant ſe nolle ullam ſuorum bonorum partem aliter impendi; adempta etiam Canonicis Regularibus quicquam ex eo, quod tribuit, decerpendi, quia Beneficium, quo tanquam hæredes gaudent, adjunctum habet onus augendi ipſorum numerum novi Religioſi additione, quoties ex bonis, quibus ab eo donantur, quatuor mille libras receperint; qua de cauſa illos inſtituit & nominat hæredes ſuos; & quoniam de ſuis conſanguineis ideo tantum commemorat, ut eos oret, ne iniquo animo ferant, ſe nihil ipſis relinquere, hæc ſane mature capta conſilia eos tantum reſpiciunt, tanquam qui ſoli ejus extremæ voluntatis executioni aliquid obſtaculi afferre poſſent. Quocirca cum ea ſummopere aperta & evidens videatur, omnino parendum eſt Legi, *Non aliter ff. de legat. & fideicommiſ.* 3. quæ ſtatuit, ut a ſignificatione verborum quibus ad ſuam exprimendam diſpoſitionem teſtator uſus eſt, tunc ſolum recedatur, cum eum aliud in animo habuiſſe conſtiterit: *Non aliter a ſignificatione verborum recedi poteſt, quam cum manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem.*

II. Conſilium Conſcientiæ eo magis perſuaſum habet teſtatorem noluiſſe ſuos conſanguineos in bonorum, de quibus diſpoſuit, partem venire, quod ratio, qua ſeſe explicuit, ſatis oſtendit hanc regulam tanquam indubitatam ab omni antiquitate receptam ei ob oculos poſitam fuiſſe: Clericos bonorum Eccleſiarum ſuarum Adminiſtratores eſſe, nec de iis poſſe diſponere niſi juxta regulas a Canonibus inſtitutas, ut tradit D. Anton. *Summæ 3. p. tit. 10. c. 3. de teſt §. 14.* utque traditur in *c. Placuit 12. q. 3. Placuit, ut Epiſcopi*, Canonis verba ſunt, *Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipſa contulerint.* Teſtator ſuorum domeſticorum ſtipendia ſolvenda mandavit juxta *C. Relatum 2. extra de teſtamentis*; nec declarare rationes voluit, quibus dicere cogebatur ſe proprii nihil habere, veritus, ne longior explicatio ſuis proximis anſam præberet impugnandi teſtamentum per regulas in Tribunalibus ſæcularibus receptas; ac multum eſſet, quod opponi poſſet, niſi executores teſtamentarii ejus rationes expenderent.

III. Non videtur Conſilio ſubſcripto Illuſtriſſimus quondam Epiſcopus C...... noluiſſe ſuo teſtamento bona patrimonialia, & hoc dimidium domus a nepote ſibi relictæ complecti; atque ita hæc bona diſpoſitionis teſtamento editæ partem conſtituunt; ad Canonicos Regulares C.... pertinent, atque horum bonorum valor ad Teſtatoris mentem conferre debet, dum vult Religioſum inſtitui toties quoties libras quatuor mille receperint, deductis legatis & fundationibus, de quibus in teſtamento; porro Canonici Regulares debent pro viribus in id incumbere, ut hoc bonum tueantur, ſi ex Conſilii ſententia ſibi illud in foro ſperent adjudicandum; at ſi qua difficultas adſit, ut in more eſt ſeſe in teſtamentis componere per Leges & principia, quæ in judiciis regularum inſtar ſunt, patrimonialia bona, & domi dimidium remittere poſſent, præſertim cum ſit vero ſimile Illuſtriſſimum quondam C... cum de iis tantum bonis, quæ ipſius non erant, diſpoſuerit, & quorum ſolum adminiſtrator erat, hæc alia bona, de quibus agitur, complexum non eſſe; quoniam de illis diſponere per Eccleſiæ diſciplinam ipſi licebat, ut liquet ex *C. Placuit 12. q. 3. & C. Relatum 2. extra de teſtamentis*, quæ ſupra laudavimus. En verba Capitis *Relatum*: *cæterum quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, diſtribuantur pro arbitrio decedentis; & cap. Placuit: ſi autem ipſi proprie aliquid liberalitate alicujus, vel ſucceſſione cognationis advenerit; faciant inde, quod eorum propoſito congruit.*

Deciſum Pariſiis die 27. Junii an. 1679.

A. *de Lamet.*

CASUS VI.

1 *Prior Religioſus, perinde ac quilibet alius Beneficiarius nequit ex ſui Beneficii reditibus opem ferre ſuis conſanguineis, niſi pauperes ſint.*

2 *Hic Religioſus Beneficiarius nec teſtari poteſt, nec legata poſt mortem relinquere.*

3 *Sed poteſt, dum vivit, ex iis, quæ parce vivendo congeſſit, inſtituere Seminarium aut Hoſpitale, dummodo iis ex animo cedat quamdiu vixerit.*

QUÆSITUM.

Religioſus Ordinis Sancti Benedicti quadraginta quinque ab hinc annis Prioratu fruitur, ex quo libras 1800. quotannis percipit; cum eum iniit, dirutæ ædes erant, & temporalium ratio permale ſe habebat. Ea ipſe inſtauravit, & in ordinem redegit. Libras tantum 600. ad ſuum victum & ſuſtentationem quotannis ſumpſit. Cætera impendit in juvandis triginta circiter nepotibus aut neptibus, quibus, cum honeſto loco ſint, non amplius quam quadragintæ aut quingentæ reditus libræ ſingulis ſuppetunt. Neptes quatuor inter Religioſas cooptandas curavit, ſolutis in ſingularum dotem ſcutis mille. Nepotes quatuor ſtudiis adjecit, quorum ſinguli dignitatis ſuæ gratia Beneficium obtinuerunt. Aliorum, qui matrimonio juncti ſunt, utilitati conſulit.

Hæc tamen diſpendia non impedierunt, quominus ei librarum decem mille ſumma ſupereſſet, de qua quidem poteſt diſponere, cum a Romanæ Curiæ magno Pœnitentiario Breve obtinuerit, quo teſtari permittitur *pro majore Religionis bono, & majore Dei ſervitio.*

Vellet hunc fundum impendere in erectione aut Seminarii ad Parochiæ, in qua ejus Prioratus exiſtit, erudiendam juventutem, aut Hoſpitalis in patrio ipſius ſolo.

Quæritur, an ſuis proventibus bene uſus fuerit, an Religioſi Congregationis Sancti Mauri ejus exuviarum hæredes præſumpti jure gaudeant appellandi tanquam ab abuſu a teſtandi venia, quæ ipſi conceditur, atque an ſuorum conſanguineorum ſubſidium ei, quam diximus, fundationi præferre poſſit?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti cum allatam expoſitionem expenderint, Religioſo, qui conſulit, oſtendere ſe melius non poſſe putant, utrum peccaverit annuam mille librarum ſummam nepotibus & neptibus tribuens per annos quadraginta quinque, quo temporis ſpatio ſui Prioratus poſſeſſione gaudet, quam ſi Tridentini Concilii decretum ei propoſuerint *ſeſſ. 25. de reform. c. 1.* cujus hæc verba ſunt: *Omnino vero interdicit Sancta Synodus, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: immo quam maxime poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia quam Regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſervari, ſed ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.* Eccle-

ſiæ

ſiæ mentem in hoc negotio tam luculenter explicat Synodus, ut Religioſus, qui conſulit, id ſibi dictum putare facile poſſit; probe novit ille conſanguineorum ſuorum bona, nec ignorat, an cum ex Eccleſiæ bonis præſto ipſis fuit, ea conditione fuerint, ut pauperes haberi poſſent. Sed quoniam ex expoſitione liquet eorum ſingulis quadringentas aut quingentas reditus libras eſſe: intelligunt ſubſcripti ſibi neceſſario animadvertendum eſſe, perſonam hujuſmodi reditu potientem inter pauperes recenſeri non poſſe, præſertim in Provinciis, in quibus etiam non vulgaris notæ perſonæ ad honeſte vivendum hic reditus ſatis eſt. Quo in caſu cum nepotes & neptes, de quibus agitur, cum in iis regionibus, in quibus conſtiterunt, tanquam pauperes minime ſpectari potuerint, is Eccleſiæ bonis abuſus eſſet, ea ſuis conſanguineis donans contra Concilii Legem modo in medium allatam.

Quoad interrogationem alteram ſubſcripti putant appellationi tanquam ab abuſu locum fore, ſi Religioſus hic de ſuis bonis, contra Abbatis & Religioſorum jus, qui ea debent poſt ejus mortem colligere, teſtamento diſponeret; ea ſane Eccleſiæ Gallicanæ regula eſt, ut nihil deſerat teſtandi permiſſionibus, *manente voto paupertatis*; quam omnia ſequuntur Regni Conſilia, ut intelligimus ex Reſcriptorum Collectoribus, & ex iis, qui de noſtris conſuetudinibus & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſcripſerunt, cujuſmodi ſunt *Brodeau in Louet lit. R.* utrum Religioſus Profeſſus diſponere poſſit, *n.* 5. & *l. c.* 5. Eques Melitenſis, n. 7. & Fevretus de abuſu *p.* 1. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 10.

Ad interrogationem tertiam reſpondetur Religioſo huic licere ſummam, quæ ei reliqua eſt, in erigendo Seminario, aut Hoſpitali, ubi ipſi libuerit, impendere, modo, dum in vivis eſt, eam ſummam dimittat. Doctoris enim Navarri ſententia de Beneficii ſui bonis diſponendis Beneficiarius Regularis eo ipſo jure gaudet, quo Sæcularis, qui jus hoc æque ex Beneficii titulo, per quem Eccleſia ſuorum proventuum diſpenſatores juxta ipſius intentionem in Canonibus expreſſam eoſdem inſtituit, utrique provenit. En Navarri verba *Tract. de reditibus Eccleſiæ q.* 1. *monit.* 33. *n.* 1. *Moneo, quod eſt elegans illa Cardinalis Florentini regula, videlicet quod eamdem poteſtatem, quam habent Beneficiarii ſæculares diſponendi de ſuorum Titularium & Commendatorum proventibus, habent etiam Regulares de ſuorum Beneficiorum Titularium & Commendatorum reditibus, primum quod ratio propria, qua ſæculares proventibus uti poſſint ad moderatam ſui ſuſtentationem, ſuperfluis in pauperes diſtributis, non eſt, quod illi ſint eorum integri & abſoluti Domini, ſed quod Eccleſia ejuſque Miniſtri conſtituerunt eos eorum proventuum diſpenſatores per Titulos Canonicos, quos iis conferunt, quo munere etiam Religioſus fungi poteſt, etiamſi non poſſit eſſe verus alicujus rei temporalis Dominus, ob ſolemne ſuum paupertatis votum.* Quod ipſe in eodem Tractatu *monit.* 35. deinde confirmat, dum docet Beneficiarium Regularem donare & diſtribuere ſui Beneficii reditus poſſe tametſi Legata & Teſtamentum edere nequeat.

Verum ejuſmodi reditus ab eo, dum in vivis eſt, ad Seminarii, aut Hoſpitalis erectionem expendi præſtiterit, quam ſuis conſanguineis donari; quoniam cum ii pauperum loco haberi non poſſint ei minime licet Eccleſiæ bona ipſis tribuere juxta Tridentinæ Synodi Regulam ſupra prolatam, *immo quam maxime* &c.

Deciſum in Sorbona hac die 9.
Martii an. 1674.
Aug. *de Lamet.*

BONA TEMPORALIA.

Bonum Filio dubio relictum.

CASUS I.

1 *Filius, cujus mater dubitat, an eum ex ſuo Viro ſuſceperit, an vero ex alio, quicum rem habuit, in dubio frui poteſt donatione in ejus favorem facta a Mariti fratre, qui eum ſuum nepotem putabat.*

2 *Idem de matre ſentiendum poſt filii mortem vi donationis a Patruo eidem factæ.*

3 *Illa quidem recte ſe geret, ſi moriens hæredibus fratris viri ſui id boni reddiderit: verum ad id faciendum non obligatur.*

QUÆSITUM.

Bertha Paulo nupta tres ex eo filios ſuſcepit. Sed quo tempore tertium concepit, cum alio, cui Joanni nomen, ſæpe rem habuit, ejuſque vir tunc erat effetis viribus, nec ab ejus quidem commercio abſtinebat, at raro.

Timet Bertha, ut hic filius ex Paulo ſit, tum quia raro ille ob ſuam imbecillitatem matrimonio utebatur, tum quia infans Joannem exhibet. Paulus haud aliquanto poſt fato functus eam bonis maxime deſtitutam, atque ære alieno valde gravatam viduam reliquit. Pauli frater nomine Joſeph huic tertio filio, quem ſuum nepotem credebat, non mediocre bonum donavit.

Defunctis duobus aliis, id ipſe boni viginti circiter annorum ſpatio una cum matre poſſedit, & cælebs mortem occubuit. Moriens hujus boni donationem in ſuæ matris gratiam inſtituit cum facultate de eo diſponendi, prout ipſi libuiſſet. In hac expoſitione ſupplex a Dominis Doctoribus Bertha petit, ut velint interrogationibus, quas proponit, ſatisfacere.

I. An ipſa hoc bono frui poſſit, minime certa hunc infantem ex ipſius viro ſuſceptum eſſe, quoniam veroſimilius putat eum Joannis eſſe?

II. An poſſit in ejus boni poſſeſſione perſiſtere?

III. An moriens poſſit bonum hoc, cui voluerit, teſtamento relinquere, nec illud hæredibus fratris viri ſui, remota ſcilicet affinitate conjunctis relinquere teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, infantem, de quo agitur, bono ſibi relicto legitime frui, & quod inde conſequitur, de eo diſponere potuiſſe, non ſolum quia Bertham ob ſuum ſtatum incertum ſibi matrem eſſe credere non tenebatur, verum etiam quia cum in hujus boni certa poſſeſſione perſtiterit per annos viginti, & ſe Joannis filium fuiſſe certus non fuerit, in hoc dubio, & in his circumſtantiis in ejus favorem judicandum eſt ſecundum hanc receptam regulam: *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.*

Quamdiu Bertha moraliter certa non fuerit hunc filium Joannis eſſe, ipſe illegitimus cenſeri non debet. Aliis probationibus opus eſt, ut Pauli filius haberi deſinat, cum natus ſit conſtante legitimo matrimonio, quod autem Joanni potius, quam Paulo ſimilis ſit, id non ſatis probat, Joannem certo ejus Patrem eſſe; hæc enim ſimilitudo eſſe poteſt ex imaginationis vi, cum Bertha viro ſuo conjugale debitum redderet. Neque vero eum Pauli filium non eſſe ex eo certius oſtenditur, quod ille eſſet infirma valetudine, & conjugem ſuam raro cognoſceret, immo vero Berthæ cum Joanne abuſus in cauſa eſſe potuit, ut illa potius ex Pauli coitu conciperet.

Sed cum Bertha putet eſſe vero ſimilius eum ex Joanne ſuſceptum eſſe, illud ut ſummum conſequitur ejus originem incertam eſſe; porro in dubio infans conditione, quam a nativitate habet, privandus non eſt, quoniam natus eſt *conſtante legitimo matrimonio*; præſertim cum eadem Bertha in ſuis conjecturis decipi poſſit.

Principiis hiſce in hunc modum jactis, ad primam expoſitionis interrogationem reſpondetur, bonis huic filio traditis Bertham cum eo frui potuiſſe; quia rationibus hinc inde perpenſis probabilius ſit eum Pauli, quam Joannis filium eſſe; atque ita Joſephi donatio rata eſt.

Quoad interrogationes ſecundam & tertiam, ex priori reſponſione licet inferri, cum filius in favorem Berthæ matris ſuæ donationem inſtituere potuerit, non ſolum eam poſſe eo bono frui, ſed etiam de illo pro arbitratu diſponere. Ut tamen ex ejus animo omnis ſcrupulus evellatur, conſilium ei datur, ut, cum e vita excedet, de hujuſmodi bono diſponat in eorum favorem, qui Joſepho ſucceſſerint.

Deciſum hac die 12. Julii an. 1700.
Germanus *Fromageau*.

CASUS II.

Bona vendita.

QUÆSITUM.

An C.... teneantur nec ne ſummam ſolvere, de qua convenit, Viro Nobili, qui ipſis vendidit pretio certo Dominium, quod ſibi deinde Lotharingiæ Dux vindicavit?

Lotharingiæ Dux an. 1630. cuidam vendidit aliquot ſuæ ditionis bona, ea lege, ne redimi poſſent, pretio ſtatutæ ſummæ librarum 34000. quas idem Princeps ei debebat. Dominus C........ ea vendidit Chartuſianis Nanceji Monachis an. 1649. pretio librarum 14000. cum ea clauſula & conditione, ut ſi forte S. A. dictum bonum ſibi redintegraret de ſua auctoritate & potentia abſoluta, & ſine reſtitutione aut ſolutione ſummarum, quibus eidem Domino C...... ea venditio facta fuerat, eo in caſu ſe ipſis Carthuſianis plene ſatisfacturum, eorumque bonorum poſſeſſionem ſervaturum promitteret, aliter ſummas ſibi ſolutas iiſdem redderet, & reſtitueret.

An. 1661. Princeps edictum vulgavit die 2. Septembris, ut quicquid ab annis centum fuerat alienatum, ſuæ Ditioni redintegraretur, cujus vi die 28. Octobris ſequentis eorumdem bonorum donationem Chartuſianis ipſis inſtituit, in fundationis augmentum, revocans omnes donationes, alienationes, obligationes, quæcumque tandem illæ fuerint.

Hi Chartuſiani ſemper hujuſmodi bonis potiti ſunt; ſed illud ſciri lubet, an jure timendum ſit, ut hæc fruitio ſit bonæ fidei; quia Princeps hic ejuſmodi bona, ut iis traderet, recepit, quin dicto Domino C..... ſummam ſolveret, qua illa eidem ipſe obligaverat.

Videtur ſane pro Chartuſianis ſtare præſumptio, quoniam dictus Dominus C.... in allata Contractus clauſula præviderat hac redintegratione Principem uti poſſe, præſertim cum eam jam ſemel uſus fuiſſet, ut alteri eadem bona hæc alienaret.

Addi & illud poteſt Chartuſianorum ipſorum poſſeſſionem per Edictum hoc interruptam non fuiſſe, aut ſi interrupta eſt, ipſum Dominum tanquam prædem appellari, eumque nihil intentatum relinqueret, ut promiſſis ſtaret, debuiſſe.

Verum reſponderi poteſt, aut poſſeſſionem intermiſſam fuiſſe, aut non fuiſſe; ſi intermiſſa fuit, potius ad Principem, ut ne ejus Edictum noceret, fuit confugiendum, quam ad Dominum C..... qui perduellionis reus, & favore Principis deſtitutus ſe promiſſione obligare non amplius poterat. Quod ſi ea intermiſſa non eſt, ſatis eſt ejus naturam mutatam eſſe quod ſane contigit, cum contractus venditionis fruitio eſſe deſierit, incipiens eſſe per donationem fundationis fruitio.

Supereſt ſciendum & illud, an Chartuſiani, cum integram venditionis ſummam intra tempus contractu definitum nondum ſolverint, a proſequendæ ſolutionis obligatione per Principis donationem ſatis liberati fuerint; atque an ejus vi, quippe quæ formalem dictorum bonorum redintegrationem ſecum deferat, cogi poſſit dictus Dominus C.... ſecundum ejus contractus clauſulam.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, I. Principem juxta Conſcientiæ Regulas prædium, de quo quæritur, ſibi vindicare minime potuiſſe, quin conventioni, quam per alienationem cum Viro Nobili inierat, ſatisfaceret, quia contra naturalem Legem nulla coram Deo ſeu quoad Principes, ſeu quoad alios homines præſcriptio eſt. Et cum Chartuſiani ex prædii redintegratione nullum incommodum ſenſerint, quoniam illud ipſis donatum eſt: obligati eſſe creduntur ad ſolvendum Nobili Viro, quod ei debebatur, cum redintegratio facta eſt, & ab eo facta promiſſio, ſe iis plene ſatisfacturum, tum ſolum creditur locum habere, cum ipſi ex alienati boni redintegratione aliquid incommodi paſſi eſſent. Jam vero ne dum detrimentum ſenſerint, Ducis Lotharingiæ donatione ditiores evaſerunt; & cum hic quidem Nobili Viro non ſatisfecerit, Chartuſiani, qui prædium poſſident, tenentur obligationibus ſatisfacere. Cæterum Chartuſiani prioribus ſuis promiſſionibus ſtare debent, nec a Viro Nobili ſummæ, quam jam percepit, reſtitutionem petere poſſunt.

Deciſum in Sorbona die 29. Septembris an. 1689.
A. de *Lamet*.

BREVETARIUS.

Brevetarius eſt ille, qui Breviculum Regis habet ad aliquod Beneficium, ſcilicet ſcriptum, quo gratia continetur aut donum, quod Princeps alicui confert, ut Beneficium obtineat, quod actu vacat, & poſtremi quidem Titularis nomen in *Placet* exprimendum eſt. Hoc Breve ab aliquo a Regni Secretis ſubſcribi debet, ut in Buchelli Bibliotheca Canonica videre eſt. Duo ſunt Brevium genera, aut ob Regni felix initium, aut ob fidelitatis jusjurandum, ac recentiores quidem ſunt, cum de iis in Concordato nulla mentio fiat; & multa licet privilegia Graduatis conceſſa ſint, Magnum tamen Conſilium Brevetarios quoad hos duos articulos nunquam non prætulit. Sed illud animadvertendum Eccleſiarum Collegiatarum Præbendas Felicis initii juri minime ſubeſſe, & ad Cathedrales quod attinet, Dignitates exceptas eſſe. Præterea per Conſtitutionem an. 1629. art. 17. Rex nolens quemquam propter ſuum Felix initium, niſi ſolum in Eccleſiis Cathedralibus nominari, adjungit, ejuſmodi nominationes non fore, niſi ut Eccleſiaſticis gratum fieret, actu ſuæ perſonæ ſervitium præſtantibus, qui digni eſſent, nec ſuum jus alii concedere poſſent, qui ejuſmodi non eſſet, ſub pœna nullitatis. Appellatur Breve juramenti fidelitatis illud, quo Rex Canonicatum aſſignat, qui poſt fidelitatis jusjurandum Regi ab Epiſcopo recens electo præſtitum primus vacaverit.

CASUS.

1 *Præmonſtratenſis, qui vi Pacis Riſwicenſis Bullas obtinuit, ut ſui Ordinis Abbatiam in officio contineret, legitimo proviſionis titulo gaudet, omneſque ejus functiones obeundi jus habet.*

2 *Sæcularis, qui ob ſimplex Breve hujus Abbatiæ reditibus fruitur, ad eam nullum jus habet.*

3 *Debet coram Deo expendere, an in conſcientia minime teneatur reſtituere, quicquid perceperit tanquam ſine titulo canonico perceptum.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

FRater N...... Religioſus Congregationis ſtrictioris obſervantiæ Ordinis Præmonſtratenſis a Generali Vicario, aliiſque Superioribus majoribus in mandatis habuit, ut Abbatiæ N.... in Barrenſi Ducatu in Ducis Lotharingiæ ditione exiſtentis Bullas a Romana Curia obtinendas curaret.

Hæc Abbatia nunquam in titulum Commendæ ſæcularis per ullam Bullam collata eſt, nec per ullum Reſcriptum contradictorium talis declarata eſt.

Poſt mortem poſtremi Abbatis, qui Religioſus erat, obiitque an. 1686. nemo unquam Bullas obtinuit, niſi qui conſuluit. Eæ ipſi conceſſæ ſunt, & ab eo oblatæ Conſilio Ducis Lotharingiæ, a quo proinde juſſum eſt, ut ejus Legatus Generalis Præfecturæ Barrenſis temporalium poſſeſſione donaret dictum Fratrem N..... dum interim ejuſdem loci Miniſter ad id delegatus ſpiritualium poſſeſſionem eidem contulit.

Ob hanc initam poſſeſſionem Religioſi omnes hujus Abbatiæ præſentes, & Capitulariter congregati Fratrem N..... tanquam ſuum Abbatem conſalutarunt, eique obedientiam promiſerunt.

Oppoſitio propoſita eſt per Dominum P.... ſæcularem, qui ſe per Breve Regis nominatum, & decem annorum ſpatio poſſeſſorem fuiſſe aſſeruit, nullum tamen allegans alium titulum præter illud Breve, & decennii fruitionem, id videntibus & ſcientibus omnibus Religioſis, & nominatim dicto Fratre N...... qui per aliquod ejus decennii tempus Procurator, & deinde Prior ejuſdem Abbatiæ fuit. Sed Rex in executionem tractatus Pacis Riſvvicenſis declaravit ſuam mentem eſſe, ut Beneficia Conſiſtorialia Dominii Ducis Lotharingiæ ſine Bullis poſſeſſa hujus Principis diſpoſitioni relinquerentur; quod executioni mandatum eſt in aliis omnibus Abbatiis, quæ ejuſmodi erant, Brevetariis minime repugnantibus; qui diu deinceps in poſſeſſione perſtiterunt ſine Bullis.

Ad hanc oppoſitionem, & appellationem tanquam ab abuſu interpoſitam in conſecutionem executionis Bullarum Fratris N.... Inſtantia pendente in Aula a Martio an. 1700. cui Abbatiæ Religioſi Abbatis ſui nomine interfuerunt, & ob litis ſucceſſum ſibi caverent.

Aprilis proximi menſe cum ejuſdem Congregationis generale Capitulum conveniſſet, Abbas, de quo agitur, ei ſe ſiſtit, in eo tanquam Abbas receptus fuit, ſuum gradum tenuit, & in omnibus Actis Capitularibus Abbatis nomine inſignitus fuit.

In eodem Capitulo nominatus eſt Religioſus alius, qui fungeretur Prioris munere, quo ante receptas Bullas Abbas gaudebat; quia cum Abbatis & Prioris Tituli ſub eodem tecto incompatibiles eſſent, timor extitit, ne detrimentum afferretur juribus Fratris N.... ſi ei relinquerentur.

Ex eo tempore ſemper hic Religioſus in ſua Abbatia omnes Abbatis & Superioris ordinarii ſpirituales functiones obiit; in ea hoc titulo Sacramenta Religioſis adminiſtravit, Confeſſarios approbavit, nominavit Clauſtrales Miniſtros, & Abbatis gradum ac Sedem ubique tenuit, nemine Fratrum, aut Superiorum reclamante. Rebus in hunc modum ſe habentibus, quæritur,

I. An hic Abbas legitime & canonice functiones omnes ſpirituales & clauſtrales modo commemoratas exequi potuerit tanquam Abbas, non obſtante oppoſitione & appellatione interjecta a Sæculari Brevetario, gaudente temporali poſſeſſione, lite pendente; an vero hæc appellatio Bullarum executionem quoad ſpiritalia, & functiones Clauſtrales ſuſpendat, eorumque exercitium uſque ad cauſæ terminationem Abbati interdicat?

II. An Superiores majores, qui dictum Fratrem N.... ipſorum Religioſum in ſui juris proſecutione tutati ſunt, atque adeo Procuratori generali in mandatis dederunt, ut liti Congregationis nomine intereſſet, haud proinde teneantur curare pro viribus, ut hic Abbas retineat omnia jura & privilegia gradui & qualitati Abbatis Regularis annexa, lite pendente, & nominatim jus adſiſtendi Capitulis generalibus aut annualibus Congregationis, ibique de more in omnibus electionibus ſuffragii poteſtate gaudendi; atque ad extremum an recuſatio, quæ ei fieret, non eaſdem nullitates inveheret, ac ſi alii Abbati aut Superiori facta fuiſſet?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Fratrem N..... qui Abbatiæ, de qua quæritur, Bullas obtinuit, quique approbatus eſt a Duce Lotharingiæ, in cujus Ditione Beneficium exiſtit, atque ab omnibus quoque Abbatiæ Religioſis, cum dictus Frater N.... poſſeſſionem inivit, functiones ſpirituales & Clauſtrales in Expoſitione recenſitas exequi legitime potuiſſe, non obſtante contrariæ partis oppoſitione & appellatione; præterquamquod enim ea pars nullo prorſus Titulo gaudet ejus quidem, cujus tantum eſt eum tribuere, ut jus adſit fruendi ſpiritalibus Abbatiæ, cujus temporalia non ſunt niſi acceſſorium; Rex ſane, a quo Adverſarius ſuum Breve recepit, expreſſis verbis declaravit Abbatias omnes, quarum gratia ante Pacem Riſvvicenſem Brevia tantum ipſe conceſſiſſet, nec nominati Bullas omnino accepiſſent, Ducis Lotharingiæ diſpoſitioni relinquendas fore.

Hinc duo deduci poſſunt, quæ ſolvendis duabus quæſtionibus expoſitione contentis inſerviant.

Primum eſt, in Congregationis Capitulo generali licuiſſe, atque oportuiſſe dictum Fratrem N..... tanquam Abbatem ſpectari, omnia jura, & prærogativas, quæ ad ejus titulum Abbatis pertinerent, eidem ſervari, in lite ab Adverſario intentata ei præſto eſſe, ut in Abbatiæ, cujus proviſionem ipſe ſolus canonice poſſidet, fruitione retineretur.

Alterum eſt, Fratrem N..... omnia ſpiritualia munia obire potuiſſe; nec refert dicere appellationem, quominus Frater N.... ita ſe gereret, impedimento eſſe debuiſſe; etenim reſpondetur, hoc loco agi de Beneficio inter duos contendentes, quorum alter Superioris Eccleſiaſtici & legitimi proviſionibus gaudet, alter vero non item; ille quidem approbatus eſt a Principe, ab Abbatiæ Religioſis, atque ab univerſa Congregatione; Brevetarius autem nihil horum omnino habet; ac perinde ejus appellatio tanquam inepta ac frivola ſpectari poteſt, cujus propterea effectus omnino ſuſpenſivus eſſe non debet.

Denique non eſt prohibitus Frater N.... hujus Abbatiæ adminiſtrationi ſeſe immiſcere; Quod ſine fieri debuiſſet, ſi creditum eſſet impediri poſſe, quominus in ea functionem ullam obiret; decennalis autem poſſeſſio, cujus tempore Brevetarius temporalibus potitus eſt, non eſt ſatis idoneus titulus, ut ad Beneficium, quod ſpiritale quiddam eſt, ei jus tribuatur; eum ſolus Pontifex conferre poteſt, quia ſolus in hac facti ſpecie in ſpiritali jus habet. Ad eum igitur Brevetarius confugere debuit, quod cum hactenus non præſtiterit, coram Deo expendat neceſſe eſt, an tuta conſcientia hujus Abbatiæ proventibus ſine Titulo frui potuerit, ac teneatur, necne eos reſtituere tanquam bonum ad ipſum non pertinens, & per annos plures mala fide poſſeſſum.

Deciſum in Sorbona hac die 23. Januarii an. 1702.

Subſcripti G. *Fromageau*, *Habert*, *Petitpied*.

BREVIARIUM.

TRibuitur *Breviarii* nomen collectioni Precum Officij, quod diſtinctis diei & noctis horis in Eccleſia recitatur; videlicet ſunt Officium noctis, quod dicitur *Matutinum*, quod olim noctu recitabatur; & quod etiamnum in nonnullis Cathedralibus Eccleſiis, & præſertim apud Religioſos fieri conſuevit; *Laudes*, quæ recitantur ad Solis ortum; *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *&* *Nona*, ita dictæ a diei horis, quibus recitabantur; *Prima* hora ſexta matutina: *Tertia* hora nona; *Sexta* ad meridiem; *Nona* hora tertia veſpertina; & *Veſperæ*, quæ a ſolis occaſu dicebantur. Additum deinde eſt *Completorium*. Uſus recitandi Preces diſtinctis hiſce horis noctis & diei in Eccleſia eſt vetuſtiſſimus; & licet divinum Officium non ſemper eo, quo nunc, ordine diſpoſitum fuerit, ex omnibus tamen traditionis monumentis compertum ſit divinum Officium ab ipſo Eccleſiæ exordio extitiſſe, & Apoſtolos præcepiſſe, ut diei noctiſque certis horis Preces ex Sacris Litteris ductæ recitarentur, quæ fere ex Davidicis Pſalmis erant. Ejus rei momenta occurrunt in Conſtitutionum Apoſtolicarum Libro, qui Sancto Clementi adſcribitur, apud Tertullianum, S. Cyprianum, S. Epiphanium, S. Hieronymum, & S. Auguſtinum.

Hæ Preces, quæ definito tempore in Eccleſia recitabantur, appellabantur in Occidente *Breve*, iiſque deinde Breviarii nomen inditum eſt, ſeu quod vetus Officium breviatum fuerit, ſeu potius quod collectio hæc omnium Precum breviatio quædam ſit. Conſtat hoc Breviarium Pſalmis, Lectionibus ex Sacra Scriptura petitis, aut Homiliis Sanctorum Patrum, aut hiſtoriis Sanctorum, Hymnis, Antiphonis, Reſponſoriis & Orationibus congruentibus tempori, Feſtis diebus, aut Horis. Cum Eccleſiæ pro ſua quæque conſuetudine Officia inſtituerint, hinc extitit Breviariorum diverſitas. In eadem Breviaria plures irrepſere fabuloſæ Sanctorum hiſtoriæ, quarum emendationi poſt aliquod tempus adlaboratum eſt in pleriſque Galliarum Diœceſibus, atque etiamnum adlaboratur. Omnium, quæ quidem nunc temporis in uſu ſint, minime accuratum Breviarium Romanum eſt, quod nequaquam eſt antiquum Romanæ Eccleſiæ Breviarium, ſed Breviarium quoddam, quod Franciſcani in Papæ Sacello recitabant, quod Sixtus IV. adoptavit, Pius V. Clemens VIII. & Urbanus V. reformandum curarunt, & in Eccleſiis omnibus uſui eſſe voluerunt; quod tamen non ceſſit ex voto, cum plures Eccleſiæ ſua Breviaria vetera retinuerint, aut nova concinnaverint. Breviarii privatim recitandi conſuetudo, quæ non ſolum Presbyteros, ſed & Diaconos, & Subdiaconos obligat, ad devotionem initio pertinebat; nec tantum Eccleſiaſtici, ſed etiam Laici id in more habuerunt, cum in Eccleſia Officio intereſſe non poterant; ſed nulla occurrit antiqua Lex, qua ſub peccati pœna ad id Eccleſiaſtici obligarentur. Omnium prima eſſe creditur Concilii Baſileenſis Decretum, cui ſucceſſit Decretum Concilii Lateranenſis, Julio II. & Leone X. Eccleſiam regentibus, atque hæc Decreta nonniſi ad Beneficiarios expreſſe ſpectant. Videri poſſunt ſupra Dominus Joly *de recitandis horis Canonicis*, Dominus Verius in ſuo Tractatu de cæremoniis, & Pater Domnus Mabillonius *de Curſu Gallicano*.

Negari tamen non poteſt, primis Eccleſiæ ſæculis Eccleſiaſticos, quippe qui alicujus Eccleſiæ ſervitio per ordinationem prorſus addicti eſſent, cumque una ex præcipuis functionibus, quæ ibi peragebantur, eſſet oratio, ad hoc Sacrum Horarum Canonicarum munus obligatos fuiſſe; atque ex Apoſtolicarum Conſtitutionum Libro jam laudato compertum ſit, cum ad divini Officii celebrationem non liceret ob perſecutionem in Eccleſiam convenire, Epiſcopum in id incubuiſſe, ut in privata domo Fideles cogeret, ac ſi id fieri non poſſet, oportuiſſe, ut ſinguli Pſalmos canerent, Sacram Scripturam legerent, recitarent Preces privatim; quod ſi id exigebatur a Laicis ipſis, potiore jure ad idem Eccleſiaſtici tenebantur. Itaque ad Breviarium his temporibus obligantur omnes Presbyteri & Clerici, qui in Sacris Ordinibus conſtituti ſunt, ſive Beneficia poſſideant, ſive non, atque omnes Beneficiarii, quemcumque demum Ordinem, etiam ſimplicem Tonſuram habeant. Nonnihil porro difficultatis in iis occurrit, quorum Beneficium eſt adeo tenue, ut ejus reditus ad eos ſuſtentandos ſatis non ſit; qua in re Theologi diviſi ſunt, tametſi Canon *Clerici* habeat expreſſis verbis Beneficiarium, cui ſuſtentando non ſatis Eccleſia ſuppeditat, ad Officium recitandum obligari. Ad eos quod attinet, qui ex Beneficiis penſiones excipiunt, Pius V. P. M. ſatis habet Officium Beatæ Virginis ab iis recitari, ſi Clerici ſint, eoſdemque reſtitutionis pœna mulctat, quoties in eo defecerint, eo prorſus modo, quo Beneficiarii eidem pœnæ ſunt obnoxii, niſi ea, quam Oratio requirit, attentione Breviarium ſuum recitaverint.

Jam vero hæc attentio nihil eſt aliud, quam mentis ad orationem, quæ peragitur, applicatio, & hæc quidem attentio triplicis omnino generis eſt; prima eſt litteralis, ſecunda generalis, tertia myſtica. Litteralis ad litteralem ſenſum verborum, dum pronunciantur, animum accommodat, ut ſignificationem comprehendat, & pietatis affectus inde percipiat. Generalis eſt, cum exiſtit Dei in Oratione laudandi generalis attentio; & Myſtica eſt ea, per quam myſtico Pſalmorum ſenſui, aut aliquibus myſteriis animus ſeſe applicat. Diviſio hæc eſt Divi Thomæ, docentis poſtremam ſecunda perfectiorem eſſe, & ſecundam prima. Poteſt etiam attentio eſſe aut actualis, cum de laudando Deo actu cogitatur; aut virtualis, dum quis exorſus cum prima, involuntarie deinde diſtrahitur; aut habitualis, dum quis orat, quin de Deo cogitet, & voluntario ſe ſinit aliis cogitationibus abſtrahi, quæ quidem proprie attentio non eſt; ac Divi Thomæ ſententia ſaltem virtualis attentio ſemper Orationem comitari debet. Qui a ſuo Ordine, aut ſuis functionibus ſuſpenſi ſunt, aut excommunicati, aut depoſiti, non ideo Breviarii privatim recitandi obligatione liberantur, quamvis id publice facere prohibeantur; atque ad hanc quidem recitationem eo diligentius, ferventiuſque incumbere debent, quo magis in eo ſtatu coram Deo ſe ſe abjicere, ejuſque opem implorare neceſſe habent.

Religioſi Profeſſi tenentur etiam, cum a Monaſterio abſunt, Divinum Officium recitare; cujus rei

ratio, quam affert Sanctus Antoninus, ex Profeſſione ab ipſis edita ducitur; quoniam hujuſmodi Religiones non ideo tantum ſunt inſtitutæ, ut ſuo ipſorum peculiari bono orationi vacent, verum etiam ut ad univerſalem Fidelium utilitatem, cujus potiſſimum gratia Horæ ipſæ Canonicæ inſtitutæ ſunt, eorum tendat Oratio; ex quo proinde concludi debet Religioſos Profeſſos ad eas recitandas obligari, tum etiam, cum abſunt a Monaſterio. Idem de Canoniciſſis Sæcularibus ſtatuendum eſt, ut ex unius Caſuum ſubſequentium deciſione licebit intelligi.

Vide (CANONICI.
(CANONICISSÆ.
(RELIGIOSI.
(OFFICIUM DIVINUM.

Obligatio recitandi Breviarii.

CASUS I.

1 *Beneficiarius tenetur Breviarium ſuum recitare, quamvis tenue ſit ipſius Beneficium.*

2 *Romana Curia difficulter in Breviario diſpenſat; ſed probus Eccleſiaſticus minime debet hanc diſpenſationem petere, quia cum orare ſui ſtatus vi teneatur, Breviarium ad id præſtandum tempus ſuppeditat, atque etiam ſatis otii relinquit, ut ſtudiis vacare poſſit.*

QUÆSITUM.

I. AN Beneficiarius, qui nonniſi librarum centum, aut quinquaginta ſcutorum reditum poſſidet, quotidie Breviarium ſuum accurate recitare teneatur?

II. An junior Beneficiarius in eo diſpenſari poſſit ſtudiorum causa, & Officii Parvi Beatæ Virginis recitatione contentus eſſe?

RESPONSIO.

Subſcripti Theologiæ Doctores quoad primam difficultatem cenſent, Beneficiarium tantummodo librarum centum aut ſcutorum quinquaginta reditum poſſidentem teneri Breviarium recitare juxta generalem regulam, quæ traditur in Concilio V. Lateranenſi: *ſtatuimus, & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio Divinum Officium non dicit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis Officiorum & temporis, & eos tanquam injuſte perceptos in fabricas ejuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.* Id confirmat prima Synodus Mediolanenſis Præſide Sancto Carolo Borromæo titulo *De Canonicis horis non intermittendis.* Ex quo liquet, eum hæ Synodi inter pinguia, & modica Beneficia nihil diſtinguant, obligationem generalem eſſe; cui principio nos inhærentes diſtinguere non debemus, quoniam Lex non diſtinguit.

Quoad alteram difficultatem, licet abſolute loquendo liceat ad Romanam Sedem confugere, ut Breviarii diſpenſatio, aut in alias Preces commutatio impetretur, quod nonniſi raro, atque admodum ægre conceditur, ut monent Toletus, & Pyrrhus Corradus: putant ſe juveni Beneficiario auctores eſſe non poſſe, ut hanc diſpenſationem petat ſuorum ſtudiorum causa, parvo contentus Officio Virginis; quia ipſius ſtudia non videntur eſſe ſufficiens cauſa, ut a generali regula eximatur, præſertim cum huic juveni Beneficiario nunquam non ſatis temporis futurum ſit, ut plene ſuis ſtudiis, ſuiſque horis canonicis ſatisfaciat, ſi modum ſervare velit; præterquamquod tempus, cujus ſpatio ipſe hoc munere perſungi poteſt, quodque horam cum quadrante fere complectitur, haud ſane tam longum eſt, ut homo Eccleſiæ addictus id ſaltem totum quotidie impendere non teneatur, ut ad orationem, ad quam potiſſimum per ſuam profeſſionem eſt inſtitutus, incumbat.

Deciſum in Sorbona hac die . . . . . .

Aug. *de Lamet*,

Canoniciſſæ ad Breviarium obligatæ.

CASUS II.

1 *In quadam Abbatia Canoniciſſæ, quæ nuncupantur Apprebendatæ, aut neptes Matronarum, Præbendas habentium, & quæ toto vitæ tempore a ſuis Amitis nihil recipiunt, extra ſuam Eccleſiam divinum Officium recitare non tenentur. In proprio Monaſterio uſum & conſuetudinem ſequi debent.*

2 *Eæ, quæ canunt, & Chorum ſuſtentant, non minore tenentur obligatione vi diſtributionum, quas ipſæ recipiunt.*

3 *Neptes Abbatiſſæ, quæ apud ipſam aluntur, ſive præſentes, ſive abſentes Breviarium recitare tenentur.*

4 *Canoniciſſæ nec poſſunt nec debent illud Gallice recitare.*

QUÆSITUM.

COllegialis Eccleſia Virginum Nobilium conſtat ex Abbatiſſa, Decana, Canoniciſſis, & Officiis pluribus, quibus illæ funguntur. Harum Matronarum nonnullæ certis quibuſdam Præbendis, aut portionibus potiuntur, quarum cauſa nuncupantur Matronæ Præbendarum, ſibique poſſunt pro Præbendarum, quas poſſident, numero unam duaſve Coadjutrices eligere. Illæ ſint oportet filiæ & receptæ in Capitulo ad Præbendam, quæ ipſis ſingillatim adſcripta tituli loco eſt. Coadjutrices appellantur Apprebendatæ, aut neptes, quæ vero eas aſſumunt, Amitæ & Præbendarum Matronæ dicuntur.

Cum hæ Coadjutrices præſentes ſunt, apud ſuas Amitas, aut aliquam aliam Præbendæ Matronam degere tenentur, niſi ætate valde provectæ ſint; tunc enim Amita conſentiente ipſis per Capitulum licet proprium domicilium habere. Quæ apud ſuas Amitas morantur, penſionem ſolvunt; ſed cum in proprio domicilio morantur, ſuis ſumptibus vivunt, nihil prorſus ab Eccleſia accipientes, iis viventibus, quæ eas apprebendarunt, quæque in Communitate ſunt. Nam hæ Matronæ egredi poſſunt, nubere, Religionem ingredi, aut apud eas redire; & tunc neptes apprebendatæ tenent earum locum, & reditu earum Præbendis affecto fruuntur; ſed quandiu neptes tantum ſunt, nihil recipiunt, iis exceptis, quæ callent Gregorianum cantum, & poſt examen ad canendum, & Chorum ſuſtentandum idoneæ cognoſcuntur; hæ quidem Eccleſiæ diſtributiones participant, unde non plus quam nummum aureum quotannis percipiunt.

Præbendæ Matronis morientibus, quin ſibi Coadjutricem elegerint, earum Præbendæ ad Abbatiſſam devolvuntur, quæ, dum vivit, iis fruitur; atque ipſa tenetur neptes ad has Præbendas nominare, eiſque præſentibus alimenta ſuppeditare.

Ex his omnibus, quæ ad propoſita ſunt, liquet Coadjutrices aut neptes in hac Eccleſia triplicis generis eſſe, Primum genus complectitur Abbatiſſæ neptes, quæ aluntur, dum præſentes ſunt. Secundum eas comprehendit, quæ Gregoriano cantu percepto, factoque examine nummum circiter aureum quotannis ex Chori diſtributionibus percipiunt. Tertium continet neptes, quæ nihil recipiunt, & ſuis ſumptibus vivunt, quandiu in ſuarum Præbendarum poſſeſſione ſunt.

Notandum eſt, licet hæ neptes ex Eccleſia nihil recipiant, eas tamen titulares eſſe, ad Capituli corpus ſpectare, omniumque dignitatum & officiorum hujus Eccleſiæ, capaces eſſe, atque adeo in Abbatiſſas eligi poſſe; ſed non gaudent ſuffragii jure?

Hac in re rogantur Domini Sorbonæ Doctores, ut has quæſtiones decidere velint.

Quæritur I. an hæ neptes teneantur Breviarium recitare, etiamſi abſentes ſint?

II. Cuinam obligationi ſint obnoxiæ, cum in eo deficiunt, præſertim vero neptes Abbatiſſæ, quæ apud eam nutriuntur?

III. Dum ſunt abſentes, aut in proprio domicilio, ſatiſne huic obligationi faciunt, Breviarium Gallice recitantes?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, expenditque, exiſtimat Canonicíſſas, quæ Præbendis carent, & ad ullum reditum, qui ipſis fructuum loco ſit, jus non habent, non teneri, dum ſunt abſentes, officium Divinum recitare; & credi poſſe hanc mentem eſſe Lateranenſis V. Synodi ſub Leone X. ſeſſ. 2. in reformatione, cujus titulus: *Reformationes curiæ & aliorum §. Statuimus*, per quam Beneficiarii, qui jure ſuis Beneficiis annexo gaudent, ad id obligarentur. Quia ergo neptes, de quibus agitur ab Eccleſia propter ſuas appræbendationes nihil accipiunt, minime tenentur, dum ab Abbatia abſunt, divinum Officium recitare, nec comprehendi videntur generali Lateranenſis Synodi Lege, ad obligationem quod attinet, choro, dum præſentes ſunt, adſiſtendi; debent illæ tenere morem, conſuetudinem, & diſciplinam peculiarem Eccleſiæ, cum ei ſe conformare teneantur.

Quoad Abbatiſſæ Neptes, cum per ſuam appræbendationem alimoniæ jus acquiſierint, exiſtimatur in ſtricta, qua tam abſentes quam præſentes tenentur, Breviarium ſuum recitandi obligatione cum iis diſpenſari non poſſe, quia certum eſt eas Lateranenſis V. Synodi lege comprehendi, cum alimenta, quæ percipiunt, ipſarum appræbendationis ſint fructus. Quod ſi illæ, ut ab eo ſe liberent, nihil ſibi, quandiu abſunt, tribui dicunt, reſponderi poteſt, in ipſarum poteſtate eſſe, ut alantur in Abbatia reſidentes. Peccarent igitur graviter, ſi ſuum Breviarium vel abſentes omitterent; ſi autem præſentes, præter peccatum etiam perceptæ nutritionis pretium ſuæ ipſarum Eccleſiæ aut pauperibus reſtituere tenerentur.

Huic tamen regulæ ea exceptio ſtatuenda eſt, ut ſi ejuſmodi neptes Abbatiſſæ bona fide obligationem hanc ignoraverint, reſtituere non teneantur id, quod hac bona fide conſumptum fuit, dummodo ipſæ ditiores inde non evaſerint.

Quoad neptes illas, quæ examinatæ receptæque ob Gregorianum cantum, Eccleſiæ diſtributiones percipiunt, creduntur ad Officii recitationem non obligari, & id quod recipiunt ſane modicum, exiſtimatur ſpectari non poſſe niſi tanquam peculiaris retributio propter ſervitium, quod choro præſtant, Gregorianum cantum ibi ſuſtentantes, atque hæc retributio non eſſe ex earum genere, de quibus Tridentina Synodus loquitur *ſeſſ.* 21. *de reform. c.* 3. atque etiam *ſeſſ.* 22. *de reform. c.* 3. & quarum fruitio, perinde atque aliorum proventuum ad Divinum Officium adſtringit.

Ad extremum Canonicíſſas, quæcumque tandem illæ fuerint, muneri ſuo non ſatisfacturas, ſi Breviarium alia lingua recitarent, quam Latina, quæ Eccleſiæ lingua eſt; quia mos hic ſemper in Occidente ſervatus vim legis obtinet. Qua in re ſcitu dignum eſt. Eccleſiam, quæ fere totum Divinum Officium ex ſacra Scriptura ducit, in eo uſam eſſe Vulgata, quæ verſio authentica eſt, in omnibus Latini ritus Eccleſiis recepta, & quæ ſuam ſecum auctoritatem affert. Igitur Eccleſiæ nomine orantibus minime licet in Officio uſurpare verſionem aliam, quæ nunquam adeo authentica eſſe ac Vulgata, nulloque pacto cum ea comparari poteſt. Non poſſet igitur abſque magna temeritate uſurpari verſio vernacalo ſermone edita; & quoniam qui ad Breviarium obligantur, non niſi Eccleſiæ nomine illud recitant, debent in id incumbere, in quod ipſa publice incumbit, ut certi ſint, ſe nihil dicere, quod non ſit Jeſu Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ conforme: id porro melius obtineri non poteſt, quam cum Eccleſia loquendo, ejuſque ſermonem uſurpando.

His rationibus addenda eſt diſciplina in omnibus Diœceſibus inſtituta, quæ prohibet, ne aliud, quam Romanum, aut Diœceſanum Breviarium recitetur; porro nulla Diœceſis eſt, in qua ullum Breviarium Lingua vernacula ſolemniter approbatum fuerit; conceduntur quidem ejuſmodi verſiones ad eorum ſolatium, qui Latine neſciunt, ſed non ut in publicis Orationibus uſui ſint, in quibus non niſi Latinus ſermo uſurpatur.

Itaque Fideles omnes, qui Breviarium recitare tenentur, Eccleſiæ, cujus nomine orationi vacant, conſuetudinem ſequi debent; & maxima evenirent incommoda, ſi Officium Gallice recitaretur; occaſio ſcilicet præberetur deſerendi conventus publicos, in quibus Populus ſuam vocem cum Paſtorum voce conjungit, ad Beneficia divina poſtulanda, prætextu arrogatæ conſolationis, quæ privatim perciperetur. Jam vero nihil magis alienum eſt a mente Sæculorum omnium, quæ publicarum Precum efficaciam cognoverunt, & ſemper in divinis Officiis Eccleſiæ Linguam uſurpaverunt.

Si Canonicíſſæ, de quibus agitur, id attenta mente perpendere velint, ac reputare Sanctorum ingentem numerum huic ſe rei ſubdidiſſe, atque in laicali & clauſtrali vitæ ratione inde ſanctos extitiſſe: conſuetudinem hanc tenentes intelligent ſe rectius agere non poſſe, quam ſi veterem morem ſequantur, & Eccleſiæ intentioni adhæreſcant, cum privatim ſuas Horas Canonicas recitabunt, ut ſane faciunt, cum Dei laudes una cum aliis ſuis ſociis in ſua Eccleſia recinunt.

Deciſum Pariſiis die 19. Februarii an. 1688.

Aug. *de Lamet*. G. *Fromageau*.

Vide (Canonicíſſæ,

BURSÆ COLLEGII.

Quod hic dicitur Burſa Collegii, nihil eſt aliud, quam reditus in Univerſitatibus inſtituti certa ſumma, ut ibi ſtudiorum gratia Adoleſcentes pauperes detineantur. Itaque qui hujuſmodi Burſis gaudent, ab aliis Alumnis Burſariorum nomine ſecernuntur. Harum fundationes adeo antiquæ ſunt, ut Univerſitatum; quod tam verum eſt, ut Sorbonæ Schola tantam jam famam adepta ob magnum excellentium Doctorum numerum, quos protulit poſt ſuam inſtitutionem an. 1256. regnante Sancto Ludovico per Robertum Sorbonem hujus Principis Confeſſarium & Eleemoſynarium, non aliud initio fuerit, quam Collegium in ſedecim Burſariorum pauperum gratiam inſtitutum, qui Theologiæ operam navarent, quaterni ex ſingulis Univerſitatis Nationibus cum Proviſore iiſdem præfecto. Mutata deinceps rerum facie, Collegium hoc Doctoribus, & Baccalaureis eidem Familiæ aggregatis domicilii loco fuit.

Quæſitum eſt, an hæ Burſæ Univerſitatis eſſent Beneficia; atque an vendi poſſint, earumque gratia pecunia tribui liceat. Et quoniam dubitari non poteſt, quin eæ puræ putæque penſiones ſint alimenti gratia, ut ex Juris Canonici definitionibus per Caſtellum, atque ex Cleri Gallicani monumentis liceat

cet intelligi: ſpectandæ propterea ſunt tanquam res, quæ ad commercium non ſpectant, cum in eum finem ſint inſtitutæ, ut pauperibus Alumnis in Univerſitatibus detinendis, alendiſque inſervirent. Quemadmodum igitur pecunia a paupere exigi non poſſet, ut ei locus in Hoſpitali compararetur: ita ne munera quidem aut pecuniam accipi licet, ut alicui Burſa tribuatur. Theologica Facultas in hujuſmodi venditione *turpe lucrum* exiſtere pronunciavit, & alias Baccalaureum palinodiam canere juſſit, quod in una ex ſuis theſibus aſſeruiſſet Collegii Burſam vendi emique liceret. Contigit id die 5. Novembris an. 1521. En ipſiſſima cenſuræ verba:

Decanus & Facultas Theologiæ Pariſienſis: iis omnibus, qui præſentes has litteras viderint, Salutem. Cum Magiſter Hieronymus Chlictovius Baccalaureus inſtitutus in noſtra Facultate propoſuerit loco ſecundæ Concluſionis ſuæ Majoris ordinariæ, cui præſidebat in Collegio Navarræ Joannes Bartholomæus Ordinis Ciſtercienſis: divina aut naturali Lege minime vetitum eſſe vendere Collegii Burſas, redimere penſiones; negotiari in loco ſancto, aut die feſto; cumque propoſitiones hæ multorum animis ſcandalo fuiſſent; eæ per Natalem Beda Syndicum die 15. menſis Octobris delatæ ſunt. Convenit Facultas, tum ut innovaret prohibitionem jam Baccalaureis injunctam, ne a ſtatutis recederent, quibus iis non permittitur proponere quæſtiones inutiles, pernicioſas, & ſcandalo obnoxias, ſed potius præcipitur, ut id teneant, quod eſt utile, ſolidum, quodque diſputationem audientibus, eorumque Theſes legentibus veram afferant utilitatem, tum ut ex Doctore, qui Theſi præfuit, de re cognoſceret, & Baccalaureo, ut ſuæ concluſionis verba ipſa proferret, injungeret. Plures dies expendendo negotio conceſſi ſunt: & quoad primam propoſitionem, quæ habet, Burſæ venditionem naturali aut divina Lege nequaquam prohiberi, pronunciatum eſt, eam erroneam eſſe; & ad Simoniam, quæ divino jure vetita eſt, in Eccleſiam illicite inducendam tendere. Nos de aliis propoſitionibus nihil dicimus, cum ad rem, quæ in manibus eſt, non pertineant.

Burſarum venditio, & Burſariorum obligatio.

CASUS.

1 *Si Burſarum in Univerſitate originariæ fundationes non adſint, ex antiquis ſtatutis de earum inſtitutione judicandum eſt.*

2 *Non eſt injiciendus ſcrupulus has Burſas poſſidentibus, ſi ex ſtatutis non conſtet eas pauperum bono fundatas eſſe; ſed Burſarii nihil non agere debent, ut id cognoſcant.*

3 *Burſam vendere non poteſt, qui eam ſibi retinere non vult.*

4 *Burſarii Clerici Burſas Miſſarum obligationem adjunctam habentes, & Presbyteris ab origine aſſignatas poſſidere non poſſunt.*

5 *Burſarii Orationibus Fundatione inſtitutis vacare debent.*

5 *Conſulendus eſt Epiſcopus, ut intelligatur, ad quam reſtitutionem teneantur, qui in iis deficiunt.*

QUÆSITUM.

IN tribus Collegiis Univerſitatis C.... inſtitutæ Burſæ ſunt; quæ quidem eorum filiis, qui dignitate atque opibus in Urbe cæteris præſtant, tradi conſueverunt; verum an id legitime, & tuta conſcientia fieri poſſit, dubitatur, propterea quod ejuſmodi fere fundationes in egentium Alumnorum favorem fiunt; dubitatio hæc ſolvi nequit ex Titulis, qui periiſſe dicuntur. Contendunt Burſarii ſatis ex ipſorum ſtatutis intelligi Burſas in pauperum gratiam fundatas non eſſe.

Et ſane id habent horum Collegiorum Statuta, ut ii, quibus Burſæ conferuntur, *abundantes ſint in bonis temporalibus, unde poſſint ſibi providere ex libris, & aliis præter victum*: ac ſi Collegii reditus ſatis non fuerit, id quod erit neceſſarium, ex iis petatur.

Alterius Collegii Statuta mandant, ut ſi *ex Scholaribus unus ſit Sacerdos*, omnes Burſarii recitent Officium parvum Beatæ Virginis, *niſi ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, aut Beneficiarii*. Porro Eccleſiaſtici qui ſunt *in ſacris*, ad Titulum ſunt Ordinati, & pauperes non cenſentur, proinde ac Beneficiarii.

Ajunt tertii Collegii Burſarii ab immemorabili conſuetudinem obtinuiſſe Burſas has omnibus promiſcue tribuendi, & ſe poſſe Acta proferre, ex quibus apparet eas paulo poſt fundationem non vulgari genere perſonis, atque adeo Fundatoris conſanguineis traditas fuiſſe.

Omnium denique eſt una vox, ex ſuis ſtatutis nullum eſſe, quod innuat has Burſas ad pauperes pertinere.

Hoc poſito quæritur, I. an quod in hujuſmodi Statutis dicitur, Burſarios, eorumque propinquos ſatis in conſcientiæ ſecuritate conſtituat, atque ii credi poſſint has Burſas legitime poſſidere, quicquid de præſumptione ſentiendum ſit, quæ ex aliis Univerſitatibus ducitur, in quibus hæ fundationes fere in favorem pauperum inſtituuntur, cum raro contingat cordatum Virum divitibus ſua bona tribuere?

II. Facta hypotheſi id quod de Statutis aſſeritur, verum eſſe, Burſarius, cui id ex Burſariis tantum ſenioribus innoteſcit, tenetur necne Tabularia conſulere, ut ibi cognoſcat fundationis Titulos, & Statuta legere, ut quod in iis continetur, ſuiſmet oculis videat?

III. Sive Burſæ in gratiam pauperum inſtitutæ fuerint, ſive non fuerint: tolerarine poteſt uſus, ubi exiſtit, eas vendendi, & emendi? Qui id commercii exercent, tutane conſcientia ſunt? Venditores tenentur necne pretium, quod perceperunt, reſtituere? Et qui eas emptionis titulo poſſident, debent necne eas dimittere, & inde receptos reditus reſtituere?

IV. Poſſuntne ſimplices Clerici licite poſſidere in hiſce Collegiis ſedes ad Presbyteros fundationis vi pertinentes cum obligatione miſſas pro Fundatoribus celebrandi, & quomodo ſe Burſarii gerant, cognoſcendi? Horum Clericorum Burſariorum ratio ea eſt, quod non amplius convivunt, atque ut miſſæ per fundationem inſtitutæ celebrentur, efficiunt. Ejuſmodi ratio ſatiſne ipſorum conſcientiam in tuto ponit?

Burſarius recitare negligens Beatæ Virginis Officium Statutis impoſitum, ad ullamne reſtitutionem obligatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, cenſet, ſi ex plurimorum Univerſitatis Pariſienſis Collegiorum fundationibus hac de re judicium ferretur, creditu facile fore aliarum Univerſitatum fundationes factas eſſe pauperum bono, aut ſaltem eorum ſubſidio, qui ſine ſubſidio ſtudiis operam dare non poſſent; verum in hac facti ſpecie, cum Tituli non reperiantur, ad enodandas propoſitas difficultates aptiorem regulam eſſe non poſſe, quam Collegiorum Statuta, quæ Titulorum loco eſſe debent, præſertim ſi antiqua ſint; quandoquidem non eſt credibile, eos, quorum auctoritate edita ſunt, a Fundatorum voluntate receſſiſſe; itaque ei potiſſimum Statuto adhærendum, quod de iis, qui Burſis inſtructi fuerint, hæc habet: *abundantes ſint in bonis temporalibus, unde poſſint ſibi providere ex libris, & aliis præter victum*; ſi enim Statuti verba ad litteram accipiantur, facile ſtatui poteſt, Fundatores non id ſibi voluiſ-

ſe, ut

ſe, ut qui Burſas obtinuiſſent, ad ſuam ſuſtentationem ſibi ex Collegii bonis ſundum ſtatuerent; ſed ut, qui bona voluntate eſſent, haberent, quo ſe mutuo ad ſtudia excitarent, alimoniæ ſubſidium tantummodo percipientes. Quamobrem Conſilium Subſcriptum ſibi perſuadet, non eſſe neceſſe pauperes eligi rebus omnibus deſtitutos; atque ita verba hæc, *Abundantes in bonis*, de iis tantum accipienda eſſe, qui commode poſſint libros, eaque omnia, quibus indigeant, ſibi comparare, præter alimenta ex Collegio percepta; quocirca ut hujus ſtatuti auctoritati addatur præſumptio, credendum eſt Fundatori illud propoſitum fuiſſe, ut iis opitularetur, qui præter libros & ſuſtentationem haud facile haberent, unde alerentur. Eoque magis Conſilio ſubſcripto probatur hæc explicatio, quod alioquin Fundatores rei publicæ magnum commodum attuliſſe non viderentur; non creditur tamen Burſariis in præſentia negotium faceſſendum eſſe quoad hunc articulum, qui in Statuto evidens non videtur.

II. Præſumptio ex aliarum Univerſitatum Collegiis ducta ſatis evincit Burſas pro pauperibus fundatas eſſe, quia ex Pariſienſibus Collegiis pene omnibus intelligimus, diſertis verbis in fundationibus exprimi, eas pro certo egentium Alumnorum numero factas eſſe, atque in Toloſæ Univerſitate S. Martialis Collegium in gratiam pauperum eſſe inſtitutum; ne illud dicamus, non eſſe credibile Fundatores iis, qui ſatis haberent, ut ſtudiis vacarent, ſua bona tradere voluiſſe. Illud creditur neceſſe eſſe, ut Burſarii veram Fundatorum ſuorum intentionem ex Titulorum lectione cognoſcant.

III. Intolerandum fore morem has Burſas vendendi & emendi, etiamſi pauperum ſubſidio fundatæ non eſſent, cum minime dubitari poſſit, quin Fundatores has Burſas non ideo fundaverint, ut emerentur, ſed ideo, ut gratis ad promovenda ſtudia donarentur. Statim igitur ac qui iis fruitur, ſtudiorum ſuorum gratia iiſdem uti non amplius vult, ad liberam Collatoris diſpoſitionem Burſæ redire debent, ut de iis diſponatur, prorſus ut Fundator faceret, ſi in vivis eſſet; illudque aſſeri poteſt, Burſarium, qui Burſam ſuam vendit, rem vendere, quæ ipſius propria non eſt, & cujus ille uſum tantummodo habet, ut ſtudiis vacet; atque ita non poteſt uti pecunia, quam inde percipit, eamque tanquam rem ad ſe minime pertinentem reſtituere tenetur; cum hæc ſane comparandæ Burſæ ratio Fundatoris voluntati repugnet, Collator non poteſt tuta conſcientia eamdem illi conferre, qui demiſſionem obtinuit, quacumque ratione, ac formula concepta ſit; collatio nempe ob demiſſionem pecunia numerata impetratam inſtituta in conſcientiæ Foro nulla eſſet, & perſonæ ita proviſæ nihil juris afferret; & quod inde conſequens ſit, nullus poſſeſſionis legitimus titulus præſto eſſet, fructuſque omnes percepti reſtitui deberent.

IV. Simplices Clerici non poſſunt in his Collegiis licite tenere ſedes Presbyteris aſſignatas cum obligatione Miſſas pro Fundatoribus celebrandi, & Burſariis invigilandi, eo prætextu, quod Burſarii non amplius convivant; & quoniam fundationi derogari non poteſt, qui miſſas in Collegiis celebrare tenentur, id officii ipſi per ſe peragant neceſſe eſt.

II. Eſto Burſarii non conviverent, tenentur hi Presbyteri de eorum vitæ ratione eſſe ſolliciti, ut qui principem locum tenent in Collegiis, ubi minime convivitur, facere conſueverunt.

III. At ſi fundatio requirat, ut Burſarii convivant, ad id obligantur.

IV. Burſarii tenentur ad orationes per fundationem inſtitutas; & peccant, ſi in hoc capite deficiant. Ut porro cognoſceretur, an reſtituere tenerentur, fundationem probe perſpectam eſſe oporteret. Ut tutius conſilium ſuſcipiatur, adeundus eſt Epiſcopus loci, atque ex eo, utrum reſtitutioni ſit locus, intelligendum.

Deciſum Pariſiis die 3. Decembris 1686.
Aug. *de Lamet*.

CAMALDULENSES.

Camaldulenſes conſtituunt Ordinem Religioſum a Sancto Romualdo inſtitutum labente ſæculo decimo. Sanctus hic Ravennæ in Italia ex perilluſtri familia natus eſt; cum perſonas plures albis veſtibus indutas, ſcalam, cujus initium cœlum tangebat, conſcendentes in ſomnis vidiſſet, ſibi Deum credidit per eam viſionem ſignificare, ſe ab eo electum eſſe ad Religioſorum, quorum indumenta ejuſdem coloris eſſent, Ordinem inſtituendum. Seceſſit ergo ad Apenninos Montes prope Aretium in horribili ſolitudine vulgo dicta *Campo Meldoli*, ibique anno circiter 1009. celebris Monaſterii, quod univerſo Ordini nomen dedit, erectionem aggreſſus eſt. Religioſi ſectantur Sancti Benedicti Regulam quoad omnem ejus rigorem non ſine quibuſdam peculiaribus conſtitutionibus; & Caput Ordinis eſt in Romandiola Florentinæ Ditionis, cis Arnum, ubi Viculus nomine *Camaldoli* triginta paſſuum millibus a Florentia ad orientem. Inter eorum ſtatuta illud eſt, ut ipſorum Domicilia quinque ſaltem leucis a magnis Urbibus diſtent. Exiſtit in Galliis Camaldulenſium Congregatio titulo Beatæ Virginis de Conſolatione, a Generali proprio adminiſtrata, qui Major appellatur: habet illa Monaſterium prope magnam Sylvam in regione non longe a Sequana. Cum Ordo hic ſit maxime rigidus, dubitari minime poteſt, quin alterius Ordinis Religioſus ad eum gradum facere, in eoque profeſſionem emittere poſſit, ſed requiſitis formulis ſervatis, quarum quidem formularum defectus Caſus inſequentis Sorbonicis Doctoribus propoſiti materiam conſtituit.

Camaldulenſes, ad quorum Ordinem tranſit Auguſtinianus Diſcalceatus.

CASUS I.

1 *Profeſſio Religioſi Auguſtiniani Diſcalceati in Ordine Camaldulenſium facta in manu Superioris, qui eum admittendi facultate carebat, nulla eſſet, niſi eam tacite Ordo approbaſſet per plures actus ſubſequentes.*

2 *Breve, quo in Tirocinii ſex menſibus Religioſus hic diſpenſationem obtinuit, ratum eſt, ejuſque Profeſſionem validam efficit.*

QUÆSITUM.

Regiſtrorum Actorum Capituli Generalis Camaldulenſium Galliarum habiti an. 1683. Octobris die 22. Excerptio, ex qua conſtat, id quod ſequitur.

Item. Capitulum Generale ſibi reſervavit facultatem recipiendi Religioſos Profeſſos aliorum Ordinum contra prohibitionem ſupra tranſcriptam &c.

Contra prohibitionem ſupra tranſcriptam Pater B.... tunc Major Congregationis recepit Patrem Th.... Auguſtinianum Diſcalceatum ſumpto nomine A.... Hic quidem vi Brevis Romanæ Curiæ, quod non caruit difficultatibus, ſuam Profeſſionem in Ordine emiſit poſt menſes omnino ſex. Per annos plus quam decem nemo id male accepit, aut contra proteſtatus eſt, minime perpenſa Generalis Capituli reformatione paulo ante commemo-

memorata ; ſed cum non ita multo poſt Definitores congregati ad Capitulum generale in hujus Actus cognitionem veniſſent, & de re Sorbonici Doctores conſulti eſſent , Patres Camaldulenſes , & Pater Aug. ipſe me ſuper hac difficultate conſuluerunt, & ex me tria quæſierunt.

I. An cum a ſuo priſtino Ordine abſque ſuperiorum venia receſſiſſet , Profeſſio inter Camaldulenſes valida ſit ? Non eſt omittendum, eum, antequam id faceret, Auguſtinianis ſignificaſſe ſe ad Camaldulenſes accedere.

II. An Breve , quod obtinuit , ut ſex tantum menſium Tirocinium ageret , & in quo Presbyteri Sæcularis , & non Religioſi titulum ſumpſit , tanquam ſubreptitium ſpectandum non ſit ?

III. An peracto Tirocinio potuerit ab hoc Superiore ad Profeſſionem admitti contra prohibitionem Capituli generalis , quod eam facultatem ſibi retinuit ? An hæc Profeſſio a Camaldulenſibus tacite ratihabita fuerit , cum eum Ordinis Generalem crearunt , quod iterum aut tertio contigit ; atque an tunc quidem Tirones recipere, & Profeſſos inſtituere minime potuerit ?

Iis ego reſpondi omnes has difficultates nullas eſſe ; Breve ſubreptitium omnino non fuiſſe ; Tironum profeſſiones ratas fuiſſe ; nihil difficultatem pati præter Patris Aug. Profeſſionem , quæ nulla videbatur, facta hypotheſi, cum in Superiorem electus eſt, ejus Profeſſionis nullitatem minime compertam fuiſſe , quod ut crederem , ægre induci poteram; Epiſtola hic ſubjecta hujus poſtremæ difficultatis mentionem facit.

Profeſſio Patris Aug. nulla & vitioſa reperta eſt, quamobrem in Abbatia Septi-Fundii cum Epiſtola commendatitia omnium noſtrum nomine ſubſcripta . Actus hic ex Actorum Capituli generalis corpore deſcriptus eſt , & poſitus in Congregationis Tabulariis ob cauſas Definitori cognitas , ac ſubſidii obtinendi gratia , ſi opus fuerit ; & præterea ſtatutum eſt , ut poſtilla præſentis Actus ad marginem fieret , reſpondens Actui ſupra poſito : factum in Conventu noſtri Definitorii hac die 2. Maii ante meridiem an. 1695. in cujus fidem nos ſubſcripſimus ſimul cum eodem Patre Aug. Subſcripti Fr. Laur. D. Præſidens, Fr. Hier. G. Definitor &c. Ego ſubſcriptus teſtor hanc excerptionem ſuo Exemplari conformem eſſe ; factum & definitum hac die 4. Maii an. 1695. Fr. T. F. Capituli Generalis Epiſtolarum Magiſter.

Pater Aug. in hoc Actu nominatus ſe coactum putat rationes , propter quas ſuam Profeſſionem bonam & validam credit , Conſcientiæ Conſilio exhibere.

I. Actus Capituli generalis, quod Religioſos aliorum Ordinum recipiendi facultatem ſibi reſervat , habitus eſt Octobris menſe ann. 1683. & Pater Aug. habitum ſumpſit menſe Februario an. 1684. de conſenſu Majorum , & Viſitatorum generalium dato Januario præcedente . Tunc habitum eſt Concilium in Magna Sylva, conſueto Tirocinii loco, cujus tempore Pater Auguſt. viſus eſt Tironis habitu indutus per plures dies ab omnibus Ordinis Superioribus, qui huic Concilio interfuerunt . II. In eodem Concilio reviſa ſunt Acta omnia Capituli Generalis an. 1683. & ad examen revocata eſt receptio dicti Patris Aug. perinde atque alterius Tironis .... qui pariter contra Actum, qui allegatur , receptus fuerat. III. Abſolutum eſt Concilium , quin inquietaretur Pater Auguſt. qui Tirocinium ſuum proſecutus eſt , & poſt duos treſve menſes Profeſſionem emiſit vi ſui Brevis ab iiſdem Superioribus viſi & approbati. Jam vero fitne vero ſimile, & nonne moraliter eſt impoſſibile , Actum , quo Profeſſionis nullitas aſſeritur , ipſis ignotum fuiſſe , quoniam illi ipſi cum cæteris Camaldulenſibus , qui Concilium ann. 1684. compoſuerant, ejus auctores fuerant, cumque in Capitulo anno ante habito ediderant ?

II. Difficile intellectu eſt Religioſum intruſum præcipua ſui Ordinis munera obire potuiſſe , idque abſque ulla oppoſitione , cum ejus Profeſſio certa non eſſet ; re tamen ipſa Pater Auguſt. in tribus ſubſecutis Capitulis in generalem ſui Ordinis Superiorem electus eſt ; & per annos plus quam octo functus eſt muneribus Prioris præcipuæ Familiæ , primi Viſitatoris generalis, & Magiſtri Tironum.

Poſtremo loco cum nonnulli Religioſi de Brevis validitate dubitaſſent , ut Patris Auguſt. Profeſſionem infirmarent , Capitulum generale eum confirmavit, prohibens, ne quid huic Profeſſioni opponeretur ſub pœna ſex menſium Tirocinii ; deciſio hæc facta fuit ad Conſultationem ſubſcriptam per Dominos *Lamet*, Curcerium , & Robertum ; poſt quam Pater Auguſt. electus eſt Superior Generalis & Profeſſiones multas recepit . His omnibus poſitis quæritur , an Profeſſio Patris Auguſt. poſſit in dubium revocari ?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat quæſtionem propoſitam in eo verti , an Profeſſio Patris Auguſt. nunc Camaldulenſis, & antea Auguſtiniani reformati valida ſit necne ? Ratio , cur de ea dubitetur , atque adeo nulla eſſe credatur , ea eſt , quod Major , qui P. Auguſt. ad Tirocinium admiſit, quique ejus vota recepit , facultate ad id neceſſaria erat deſtitutus, quia erat Profeſſus alterius Ordinis, cum Capitulum eam ſibi reſervaverit in Capitulo generali habito in Magna Sylva ann. 1683. ſex menſibus ante receptionem Patris Auguſt.

Sed ne hujus Capituli Reformatio, & rationes, propter quas ita ſtatutum fuerit, & quas legitimas eſſe pro certo ponitur , diſcutiantur , reſpondetur , Profeſſionem Patris Auguſt. ſi ſolum ratione Majoris , qui eam recepit , ſpectetur , invalidam eſſe , quia illi Religioſos in alio Ordine Profeſſos recipiendi poteſtas adempta fuit ; at ſi id ſpectetur , quod deinde factum eſt, expendaturque conſenſus, quem Camaldulenſes non ſemel præſtiterunt , ad dictum Patrem Auguſt. in Superiorem eligendum , pronunciari poteſt ejus Profeſſionem validam evaſiſſe per tacitam Congregationis ratificationem . Porro hæc ratificatio videtur duabus diſtinctis vicibus facta eſſe.

Primum quidem , cum Superiores in Concilio poſt Patris Auguſt. receptionem habito congregati eum Tironis habitu indutum in Magna Sylva viderant , ita ut ignorare non poſſent , eum , & Patrem A. ejus ſocium cum reformationis , de qua ſermo eſt , præjudicio receptos eſſe . In hoc negotio tria certa ſunt ; primum , non a Majore tantum , ſed etiam a duobus Viſitatoribus Patrem Auguſt. ejuſque Comitem eadem omnino ratione receptos eſſe ; alterum , in Concilio , in quo Superiores aderant , ad trutinam revocata eſſe receptionem Patris Aug. & Actum Capituli generalis an. 1683. qui ei contrarius eſſe poterat ; tertium , ipſum , ejuſque ſocium Patrem A.... Tironum veſtibus indutos viſos eſſe a Superioribus , nihil contra eos dicentibus , aut ſtatuentibus , & utrumque ſuum Tirocinium proſequi , & Profeſſionem edere permittentibus abſque ulla contradictione . Ex quibus omnibus primo concludi poteſt , quicquid Major , & duo Viſitatores præſtiterunt quoad P. Aug. ex eo tempore ratihabitum tacite fuiſſe.

Deinde vero cum ex Ordine nonnulli in generali Capitulo contendiſſent ejus Profeſſionem invalidam eſſe , propterea quod in ſupplicatione ad obtinendum Breve , quo cum ipſo in Tirocinii ſex menſibus diſpenſaretur , nequaquam declaraſſet ſe Religioſum eſſe , ſed tantummodo Presbyterum ſæcularem ; Capitulum generale ad Sorbonæ conſultationem Decretum edidit in hoc negotio , in eoque ratam habuit Patris Auguſt. Profeſſionem , iiſque , qui de hac Profeſſione dubitarent , Semeſtris Tirocinii pœnam impoſuit.

Notandum hoc loco eſt , difficultatem , quæ tunc contra Patris Auguſt. Profeſſionem propoſita eſt , non in eo poſitam fuiſſe , quod ille ad Tirocinium , ac Profeſſionem admiſſus eſſet a Superiore , quæ neceſſaria poteſtate carebat , licet ea maxima videretur ; ſed ab Adverſariis objectam fuiſſe Brevis ſuppoſitam nullitatem , quaſi illud ſubreptitium exiſtimarent . Neceſſe eſt igitur , aut tunc quidem hanc Profeſſionem nullam habitam non fuiſſe , licet

cet

ret abſque Capituli generalis venia Major, & duo Viſitatores eam recepiſsent, aut pro certo habitum fuiſse penes Generale Capitulum id juris non eſse, ut Religioſos extraneos Ordini adſcribendi poteſtatem Superioribus ordinariis adimeret, quod in uſu & praxi jam pridem poſitum erat. Cæterum quoniam in hoc Decreto clauſulæ irritantes non adeſſant, judicatum eſt, ut videtur, hanc ſimplicem prohibitionem fuiſse, quæ receptionem illicitam reddere poſset, invalidam non poſset; etenim communi Jure *c. Apoſtolicam de Regul.* multa fiunt, quæ ſunt prohibita, ſed quæ non ideo nulla ſunt: *multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*. Ex eo porro his conjecturis vis addi poteſt, quod hactenus impugnata omnino non eſt Profeſſio Patris A..... qui eodem tempore & ab iiſdem perſonis una cum Patre Aug. receptus fuit, quod evincit, ob aliquam ex his tribus rationibus, aut ob univerſas exiſtimatum fuiſſe Profeſſionem validam eſſe. Conſecutio hæc eo videtur eſſe rationi conformior, quod Patris Auguſt. Adverſarii ei nullas alias nullitates in generali Capitulo oppoſuerunt, quam ejus Breve ſubreptitium eſſe; ſi quid enim præterea fuiſſet objectum, in eodem Capitulo electus non fuiſſet, ut univerſi Ordinis Major eſſet.

Objicitur, neminem per decennium ſecum in animo reputaſſe, vetitum eſse, ne quem aliorum Ordinum Profeſſum Major admitteret. Unde concluditur, ex eo quod in Superiorem generalem electus fuerit, non illud conſequens fieri, ut electores ejus receptionem, & profeſſionem ratihabere voluerint.

Hæc ſane objectio ſatis refellitur ex iis omnibus, quæ dicta ſunt; ſed ut res clarius intelligatur, animadvertitur Camaldulenſes id quidem prætendere, ſe ſcilicet ad prohibitionem Capituli generalis an. 1683. quæ ipſorum judicio Patris Aug. Profeſſionem nullam reddit, per annos decem animum non retuliſſe, non tamen aſſerere, ſe in hujus nullitatis ignoratione verſatos eſse; atque id ſane non poſsent aſserere, quin turpiter mentirentur. Illud enim dubio procul optime noverant, quandonam & a quibus ille admiſſus fuiſset, quoniam Superiores omnes, qui Concilium an. 1684. componebant, examinarunt Actum ejus receptionis, & ſtatutum Capituli generalis menſis Octobris an. 1683. cujus vi ejus Profeſſio nunc impugnatur; itaque univerſus Ordo, aut Superiores ſaltem intelligebant Patrem Aug. eſſe Profeſſum Auguſtinianorum Reformatorum, & contra Generalis Capituli prohibitionem a Majore receptum fuiſse; qui Certificatum, quod in præſentia producitur, ſubſcripſerunt, & qui ſaltem magna ex parte Capitulis interfuerant, in quibus Pater Auguſt. creatus fuerat Superior localis & generalis; non igitur hujus Profeſſionis nullitatem ignorare potuerunt, facta hypotheſi eam per hujus ſtatuti violationem extitiſſe.

Porro aſserere Camaldulenſes de hac jactata nullitate non ignoraſse, ſed ad eam tamen animum non retuliſse; ſi hæc diſtinctio nimis utilitatis non habet, ſignificat certe Patres Camaldulenſes in eo ſtudium poſuiſse, ut cauſas quærerent, ne fateri cogerentur Profeſſionem Patris Auguſt. ratam eſse. In foro externo minime reciperetur hujuſmodi diſtinctio, quia ſemper præſumitur ſapientes & Religioſos Viros ad id attendere, quod faciunt, præſertim cum de negotiis gravibus agitur; quod autem ſpectat ad internum conſcientiæ forum, ſi pro certo haberetur Camaldulenſes de Profeſſionis dicti Patris Auguſt. nullitate minime dubitaſse, negari tamen non poſset eam, ſi tunc tacite ratihabita non fuit, ratihabitam fuiſse per Concilium habitum an. 1684. ut ſupra declaratum fuit.

Deciſum in Sorbona hac die 24. Maii an. 1695.

G. *Fromageau*.

Vide (CARMELITÆ DISCALCEATI.
(CAPUCINI.
(TRANSLATIO.

Camaldulenſes quoad Carmelitam Diſcalceatum.

CASUS II.

1 *Carmelita Diſcalceatus univerſim loquendo auſcultare non debet deſiderio, quod habet, amplectendæ Camaldulenſium Religionis.*
2 *Sanctorum Regulæ in hoc articulo.*

QUÆSITUM.

Carmelita Diſcalceatus ab annis pluſquam ſex abreptus vehementi cupiditate amplectendæ vitæ magis auſteræ, magiſque ſolitariæ, & probe ſciens vitæ rationem Patrum Camaldulenſium magis auſteram eſſe, magiſque ſolitariam, quam cui nomen dedit, interrogat, poſſitne, atque adeo debeat, ut huic inſpirationi obſequatur, ad Camaldulenſes accedere, etiamſi ſuorum Superiorum veniam obtinere non poſſet? Quod ejus difficultatem auget, illud eſt, quod exiſtit Bulla Martini V. prohibens, ne quis ex Religioſis Mendicantibus Ordinem ingrediatur, in quo minime mendicatur; atque alia Pauli V. quæ nominatim Carmelitis Diſcalceatis (*a*) ingreſſum in Ordinem non mendicantem prohibet, atque adeo in Camaldulenſium Ordinem; verum quidem eſt hos ipſos aſſerere ſibi præſto eſſe Bullam poſteriorem, & duabus hiſce prioribus repugnantem, & ad eum, qui conſulit, recipiendum eos eſſe comparatos, non obſtantibus ejus Superiorum oppoſitionibus. Hac in re quærit hic Religioſus, an ut ad Camaldulenſes tranſeat, Breve, quod Martini V. & Pauli V. Bullis deroget, a Romana Curia petere debeat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat has fere tranſlationes ab una Religione ad aliam nec Religioſis tranſlatis, nec Religioni utiles eſſe. Et cum illæ nonniſi propter magnam utilitatem, aut neceſſitatem fieri debeant, juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. regulariter conſulendæ non ſunt, quia raro in iis hæ conditiones occurrunt. Ita ſane viſum eſt ſpiritualis vitæ Magiſtris; qua de re videri poſſunt Sanctus Baſilius *in regulis fuſior. regul.* 10. & Caſſianus in ſua Collatione 14. *c.* 5. & *c.* 6.

Sanctus Bernardus hanc quæſtionem pertractat *tom.* 1. *de præc. & diſp. c.* 16. *num.* 44. ubi de iis verba faciens, qui ab uno ad alium Ordinem tranſeunt, ait ſe ita conſulere non audere: *Sane de Religioſis ac bene ordinatis Monaſteriis nullus profeſſorum meo conſilio, ne arctioris quidem vitæ deſiderio, ſine licentia ſui ſenioris egredietur*. Et numero 45. *forte vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis ad Ciſtercienſium ſeſe ſtringere paupertatem, eligens præ illis nimirum conſuetudinibus magis regulæ puritatem; ſi me conſulit, non conſulo; ſi non ſane id Abbatis ſui uſurpavit aſſenſu*. Deinde rationes affert, propter quas Religioſus non debet ſua propria ſententia, & ſua tantum propenſione ab uno ad alium Ordinem gradum facere: *primo propter ſcandalum ipſorum, quos deſerit; deinde quia certa pro dubiis relinquere tutum non eſt. Forſitan hoc tenere poteſt, illud non poterit. Tertio ſuſpectam habeo levitatem, qua id ſæpe quod facile volumus, antequam probemus, experti jam nolumus: quales utique non paucos frequenter experimur, ſemper quod non habent, cupientes, & quod habent, faſtidientes*.

Divus Thomas axiomatis loco ſtatuit aſſuetudinem a Religioſo contractam Regulæ, quam eſt amplexus, ad proficiendum in virtute ei utiliorem eſſe, quam ejus Ordinis, ad quem vult gradum facere, licet auſterior ſit: *Facilius aliquis in Religione, quam conſuevit, proficit, quam in illa, quam non conſuevit, cæteris paribus*.

Jam raro mutationes has divino inſtinctu fieri contingit, ut Imperator Juſtinianus *Inſtitut. authent. de Man. collat.* 1. *tit.* 5. pronunciaverit ab Abbatibus

(*a*) Suarez tom. 4. lib. 3. c. 9. Azor. tom. 1. l. 12. c. 14. Peliz. tom. 1. tr. 3. c. 5. ſect. 3. n. 74.

bus & Superioribus hujuſmodi Religioſos recipiendos non eſſe, qui ſuſceptæ vitæ rationem deſerentes, aliam quærunt majoris perfectionis prætextu, cum re vera id ex eorum levitate atque inconſtantia derivetur: *Si quis relinquens Monaſterium, in quo converſationem habuerit, ad aliud tranſeat Monaſterium, competens eſt Reverendiſſimos eum non ſuſcipere: erronea namque talis vita Monaſtica, nullatenus tolerantiæ proxima, neque conſtantis & perſiſtentis animi.*

Sane ab uno ad alium ſtatum, & ab hoc ad tertium gradum facere, ut Religioſus, de quo agitur, facere in animo habet, nihil eſt aliud, quam ſibi plures vias aperire, per plures calles ambulare, & ſe periculo exponere nunquam ad propoſitum terminum perveniendi.

Hoc poſito reſpondetur, Religioſum de quo agitur, qui modo receſſit in locum, quem Carmelitæ Diſcalceati *Deſertum* appellant, minime debere ſibi facile perſuadere, deſiderium, quod habet, ad Camaldulenſes tranſeundi a Deo inſpirari, quod per annos ſex eo vehementer accenſus fuerit, hoc enim deſiderium ſæpe oritur a genio melancholico, & temperamento ad ſeveritatem compoſito, potius quam a divino Numine, & majoris perfectionis cupiditate.

Præterea ex eo dubitari poteſt, an hoc deſiderium a Deo afflatum ſit, quod Deus hujus Religioſi Superiorum animis ejus translationis approbationem minime inſpirat. Porro Sanctus Baſilius in ſuis Monaſticis Conſtitutionibus *cap.* 34. & Sanctus Bernardus ſupra laudatus definiunt Religioſo non licere ab uno ad alium Ordinem migrare, niſi prius mutationem, quam ſibi proponit, ſuis Superioribus ſignificaverit, eorumque approbationem obtinuerit; quod ni fecerit, eum peccare: *Tunc tantummodo reprehenſione vacare fratris ſegregatio debet, quandocumque ex Antiſtitis judicio, occultæ alicujus, quam ipſe ſciat, utilitatis cauſa fiat.*

Denique ad Camaldulenſes tranſeundi conſilium, quamvis vehemens ſentiatur, a Deo inſpirari non eſt vero ſimile, cum Eccleſiæ ordini, & Summorum Pontificum prohibitioni adverſatur. Jam vero per Bullam Pauli V. diei 3. Aprilis an. 1610. vetitum eſt, ne ad alium Ordinem gradus fiat, excepto Chartuſiano, ſine peculiari Sedis Apoſtolicæ permiſſione. Ita loquitur Antonius a Spiritu Sancto Carmelita Diſcalceatus *tom.* 2. *ſui Direct. diſp.* 6. *ſect.* 3. *n.* 754. *Prætera noſtris excalceatis Carmelitis conceſſit Paulus V. ut ad nullam Religionem, etiam quarti voti, tranſire poſſint, abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, & ex urgenti cauſa, excepta Chartuſia, ad quam ſolum de licentia ſuorum Prælatorum petita & obtenta tranſire poſſint, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ & Apoſtaſiæ. Sub qua prohibitione comprehenditur Ordo Beatæ Mariæ de Mercede; ut declaravit idem Paulus V. Bulla 6. apud noſtrum compendium.*

Addi poſſunt his verbis ea, quæ leguntur in Carmelitarum Diſcalceatorum Conſtitutionibus 3. *p. cap.* 35. *num.* 12. *Qui ea Congregatione recedunt, etiamſi ad aliam Religionem præterquam Chartuſianam tranſierint, præter Apoſtaſiam, ipſo facto excommunicationem & infamiæ notam incurrant; excommunicatioque ejuſmodi Præpoſito, vel ei, cui ille rem commiſerit &c. ...... reſervatur*; Conſtitutiones has approbavit Bulla Urbani VIII. diei 22. Martii an. 1631. quæ ad Conſtitutionum calcem occurrit.

In ea reperiuntur hæc tria, I. Carmelitis Diſcalceatis prohibetur tranſitus ad Camaldulenſes, ad Trappam, ad alium quemvis Ordinem, excepta Carthuſia; atque ut ad Chartuſianos ipſos Carmelita Diſcalceatus tranſire poſſit, Superiorum ſuorum veniam petat, obtineatque neceſſe eſt, *de licentia ſuorum Prælatorum petita & obtenta.*

II. Carmelita Excalceatus non poteſt niſi ad Carthuſiam tranſire *abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ*; aliter excommunicatus eſt, cenſeturque infamis & Apoſtata, *ipſo facto excommunicationem & infamiæ notam incurrant.*

III. Religioſus Carmelita non debet ad alium Ordinem gradum facere niſi *ex urgenti cauſa*. Jam Religioſus, de quo in Expoſitione, non aliam cauſam adducit, quam vehemens annorum ſex deſiderium ad Camaldulenſes migrandi, quod ſatis non eſt. Ex alia parte non eſt veroſimile in Romana Curia neceſſariam permiſſionem eidem concedi, ſi conſtet Superiores reluctari.

Objicitur, Bullam Pauli V. Bulla poſteriorem Camaldulenſibus præſto eſſe, qua permittuntur Ordinum Mendicantium Religioſos reformatos recipere.

Sed reſpondetur, I. hanc Bullam Bullis Pauli V. & Urbani VIII. poſteriorem eſſe oportere, atque his duabus Bullis, & Conſtitutionibus expreſſe derogare. II. Eſto illa iis derogaret, & Camaldulenſibus Carmelitam Diſcalceatum recipiendi facultatem concederet, ſemper tamen Superiorum, ne hic Religioſus reciperetur, ſeſe opponentium rationes penſandæ eſſent. III. Status, quem Religioſus amplecti vult, vix ab eo differt, in quo in præſentia verſatur; ita ut nil cauſæ ſubſit, cur tantam mutationem inſtituat.

Quamobrem perpenſis omnibus minime judicatur, Carmelitæ, de quo agitur, ſatis magna vocationis argumenta præſto eſſe, ut cenſeat Dei voluntatem eſſe ſe a Carmelitis Excalceatis deficere, ut ad Camaldulenſes accedat; vehemens deſiderium, quod habet ab annis ſex, non eſt ratio ſufficiens, cur ſuum ſtatum relinquat, contra Romanæ Sedis prohibitionem, & ſuorum Superiorum oppoſitionem, & Breve poſtulet, quod Pauli V. & Urbani VIII. Bullis deroget. Fortaſſe ſpectata perſona Religioſi, charactere ejus animi, atque indolis graviores aliæ rationes ſuppetent, quæ magis magiſque ſignificent eum a ſuo ſtatu deficere non debere; quod expendendum iis relinquitur, quibuſcum ipſe ſuum animum, ſuæque conſcientiæ ſtatum communicat.

Deciſum in Sorbona hac die 17. Novembris an. 1694.

Subſcripti G. *Fromageau*, *Bouret*, Th. *Durieux*, *De la Coſte*.

CANADENSES.

Canadenſes ii ſunt, qui ingentem eam Americæ regionem incolunt, quæ nuncupatur *Canada*, ſeu Nova Francia, ob eam cauſam, quod Galli primi ad hanc Americæ partem appulerunt, eam propemodum univerſam percurrerunt, eaque fere potiti ſunt. In præſens Canada aut Nova Francia brevioribus terminis circumſcribitur, & Inſulas tantum complectitur Sinus Sancti Laurentii, eaſque omnes, quæ Caſperiam circumſtant, quarum præcipua eſt Inſula Regalis, aut *du Cap Breton* Tractus *de Labrador*, univerſus curſus fluminis Sancti Laurentii, ac Miſſiſcipy ad Boream uſque ad quartum gradum, cum omnibus fluminibus eo confluentibus; ita ut Oceanum habeat ad Ortum, Acadiam Ortum inter & Meridiem, Mare Acadiæ, ejuſque Colonias Anglicas ad meridiem, Capalitiam, & Sinum Mexicanum inter Meridiem & Occaſum, Aloyſianam ad Occaſum, atque Occaſum inter & Boream terminos nondum cognitos.

Canadenſem Regionem an. 1504. primi detexere Britones, & Normandi, qui novemdecim poſt annis detexere *le grand Banc*. Jonnnes Verazanius Venetus has omnes Regiones occupavit nomine Franciſci I. a 33. gradu Latitudinis Septemtrionalis uſque ad 47. atque an. 1535. Jacobus Carterius Maclovienſis primus Sancti Laurentii Flumen ingreſſus prætervectus eſt uſque ad ſaltum Sancti Ludovici, & poſſeſſionem iniit Regis nomine. Multæ deinceps aliæ novæ detectiones in hac regione factæ ſunt; ſed Gallorum Domicilia non occurrunt niſi quadraginta leucis a Quebeco, atque ibidem quo-

quæ rara ſunt. In Flumine Sancti Laurentii plures exiſtunt Inſulæ, quarum nonnullæ ad quadraginta leucas in longum protenduntur; prima non incolitur; Sylveſtres ſecundam tenent; prope Quebecum nonnullæ ſunt, quæ domiciliis admodum elegantibus ſunt inſtructæ, omnium maxima eſt Aureliani Inſula, quæ dicitur Comitatus Sancti Laurentii, quinque Parochias complectens, & Quebeci oram ad ortum boreamque conſtituens. Erat olim in hac regione maximus Sylveſtrium Nationum numerus, quarum multæ in loca diſſita receſſerunt; præterea peſtilentes morbi, potiones inebriantes, & bella ingentem multitudinem de medio ſuſtulit. Cum uſus aquæ ex vino diſtillato fidei propagationi valde nocuerit, propterea quod hi populi hujuſmodi potione magnopere delectantur, & poſt immodicum hujus potionis uſum furore abripiuntur, Illuſtriſſimus Quebeci Epiſcopus ad hunc abuſum reprimendum ſuum ſtudium contulit, quamobrem Sorbonici Doctores ſuper ejuſmodi facti ſpecie conſulti ſunt.

An liceat aquam ex vino diſtillato Canadenſibus vendi.

CASUS.

1 *Vendi non poteſt Sylveſtribus novæ Franciæ potio inebrians in tanta quidem quantitate, quæ ipſos inebriare poſſit.*

2 *Quebeci Epiſcopus debet caſum reſervatum facere venditionem, atque oblationem hujuſmodi potionum, quæ eos inebriat, Sylveſtribus factam.*

QUÆSITUM.

PEtitur a Dominis Sorbonæ Doctoribus, ut ſequentes caſus decidant.

Americani in nonnullis Americæ locis potionibus inebriantibus, vino ſcilicet, & aqua ex vino diſtillato magnopere delectantur, & fere in eum tantum finem eas ab Europæis emunt, ut inebrientur, unde gravia incommoda, & enormia crimina conſequuntur; congrediuntur, ſe mutuo enecant, & Europæos aggrediuntur, verbo innumera mala, & delicta committunt.

Notandum regionis Præfectos non poſſe illos Europæorum more in officio continere. Sylveſtres in univerſa prope America cenſentur veluti pupilli & minores, in quos nulla prorſus eſt actio; qua de cauſa Gallis, Europæiſque vetatur, ne hujuſmodi potiones iiſdem vendant. Sed quoniam illi nec Regis mandatis nec Præfectis parent, licet a Lictorum Duce puniantur, aut ad ingentium ſummarum pœnam damnentur; quæritur, an Epiſcopus, ut his incommodis occurrat, poſſit necne inobedientes & refractarios, uno verbo potionum adeo pernicioſarum, & quæ tam funeſtos effectus producunt, venditores excommunicare? Dubitandi ratio ea eſt, quod ſi Mercatores jubeantur definitam aquæ ex vino diſtillato quantitatem in novam Franciam deferre, atque ita ea carior ſit, adeoque deficiat; malum Præſuli adſcriberetur; quod peſſimum effectum produceret, & ſpiritalem, qui obtineri poſſet, profectum impediret.

RESPONSIO.

Doctores Theologiæ ſubſcripti cenſent, ſpectatis incommodis potiones has Americanis venditas conſequentibus, Ordinarium ſeu Prælatum ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* Europæis horum potionum venditione interdicere, & cum inobedientibus & refractariis tanquam cum excommunicatis agere poſſe.

Deciſum Pariſiis hac die 1. Februarii an. 1662.

N. *Cornet*, M. *Grandin*.

Eadem facti ſpecies tredecim poſt annis, ſcilicet an. 1675. rurſus Dominis Sorbonæ Doctoribus propoſita fuit, qui longiore oratione deciſionem ſuam ediderunt.

QUÆSITUM.

I. AN liceat vendi, offerri, donari Sylveſtribus Canadenſibus potiones inebriantes ea quantitate, ut ebrietatem afferre poſſint?

II. An Epiſcopus Canadenſis poſſit, atque adeo debeat caſum reſervatum facere venditionem, oblationem, donationem harum potionum, quæ quidem inebriare poſſint, Sylveſtribus factam?

Ut duabus hiſce Quæſtionibus ſatisfiat.

Poſt Gallorum coloniam in Canadenſi Provincia inſtitutam experientia quotidiana compertum eſt, Sylveſtres inebriari, quoties in ſua poteſtate habent, unde inebrientur; ac ſi exiſtunt Trochenſes, qui Gallicam ex vino diſtillato aquam comparant, eamque in ipſorum regionem aſportandam ſervant, id eo fit, quod hæc aqua ex vino elaborata fortior & vehementior eſt, & citius ebrietatem inducit, quam ea, quam ex Nova Hollandia comparare poſſunt, quæ ſolum ex grano fit. Porro quamdiu hæc aqua perdurat, univerſa regio nunquam non ebrietate premitur, quod omnium malorum & flagitiorum origo eſt, & regionem veri nominis Infernum efficit, & Miſſionarios momentis ſingulis in apertum vitæ diſcrimen adducit.

Hi populi tam vehementi deſiderio, ac propenſione ad ebrietatem aguntur, ut hujuſmodi potionem dedignentur, niſi tanta ſit, ut ipſis inebriandis ſufficiat; atque hac de cauſa a viginti aliis liquorum generibus emendis abſtinent, dum aquam ex vino diſtillato comparare poſſint, quia ea citius & vehementius inebriat. Ex quo fit, ut ſi Galli cedant ſex aut ſeptem triental, quod iis inebriandis ſatis non eſſet, in id mutuo conſpirent, ut duobus tantum tribuſve totum triental relinquant, ut ad ebrietatem bibant; & tum etiam, cum unus tantum cyathus ipſis offertur, petant ſecundum, ac tertium ac ſæpe eos reſervent, dum ſatis habeant, quo inebrientur.

Ebrietas, ubicumque Sylveſtribus hæc potio tribuitur, Chriſtianam apud eos Religionem, & vitæ civilis, ad quam inſtitui poſſent, regulas funditus evertit; ita ut impediat, quominus Catholicæ Religionis principiis inſtrui, & ad Gallicam vivendi rationem conformari poſſint. Mulieres & puellæ perinde atque homines ſe potu ingurgitant, atque adeo Genitores tenellis infantibus potionem miniſtrant; itaque donec potus præſto eſt, belvas potius, quam homines agunt, nec deſiſtunt, niſi quicquid habent, deglutierint, & hujuſmodi potionis emendæ gratia ſuam omnem pecuniam expendunt, atque adeo veſtes ipſas oppignerant. Nec deſunt, qui adeo ſceleſti ſint, & profligati, ut non amplius habentes, unde ingluviem expleant, deferant, proſtituantque ſuas proprias filias bibendi gratia; hinc in Nationem, & familias mala innumera derivantur.

I. Semper illi mendici & miſeri ſunt; & fere nunquam habent, unde ſuo ipſorum ornatui, ſuæque, & filiorum ſuorum ſuſtentationi proſpiciant.

II. Potu obruti, mutua internecione deſæviunt, ſibi membra ſecuris & pugionis ictibus mutilant, ſua viciſſim tuguria ſolo æquantes, & flammis devoventes; interdum etiam eo furoris abripiuntur, ut ſuos filios in ignem conjiciant, aut pertrahant, & demum interficiant. Contigit maritum uxori, atque uxorem marito, cum ebrii eſſent, bipeni, ac pugione mortem inferre; alios ſe aquis ſubmergere; inventi ſunt etiam, qui immodico potu occubuerunt, crepueruntque, triental adhuc manu tenentes.

III. Hæ neces, & hæc mala non modo Sylveſtrium cauſa contingunt, ſed etiam Gallorum, qui fere licentia quadam, nulloque Dei timore ducuntur, & cum ita Sylveſtres inebriaverint, eos deprædantur, expoliant bonis omnibus, & hoc in ſtatu interficiunt. Haud ita pridem ne integro quidem

dem

dem anni ſpatio pluſquam triginta Sylveſtres a Gallis jugulati ſunt, ex quibus unus ſuſpenſus, alter ſecuris ictu interemptus; ac multi harum internecionum, quæ aliis in locis contigerunt, complices ſe fugæ dederunt, nec amplius ibidem comparuerunt.

IV. Ex hac potione Sylveſtribus oblata derivantur etiam mala alia præcedentibus non minora: adulteria, inceſtus, atque omnia turpioris impuritatis ſcelera, quæ perpetrantur, poſtquam ad explendam immanem libidinem inebriatæ mulieres & puellæ ſunt; quod non modo in Sylveſtribus, ſed in Chriſtianis quoque familiis perſæpe contingit. Ex quo facile concludi poteſt, hanc potionem, quippe quæ Sylveſtribus tradita tantorum malorum & tam execrandorum ſcelerum origo eſt, nec debere, nec poſſe tuta conſcientia ipſis ſuppeditari.

Angli quidem, licet Hæretici, hanc agendi rationem adeo pernicioſam, ac damnandam eſſe intellexerunt, ut in Nova Anglia ad eamdem regionem ſpectante, in qua Sylveſtres exiſtunt Gallis ſimiles, Leges & Conſtitutiones acerrimas ederent, quæ accuratiſſime cuſtodiuntur, prohibentes perſonis omnibus, cujuſcumque rationis & conditionis fuerint, ne directe aut indirecte potionem ullam inebriantem, atque adeo citrinam, ac cerviſiam Sylveſtribus exhiberent; atque illi quidem actionem hanc nuncupant execrandum ſcelus in ſuis Mandatis, quæ adeo exacta ſunt, ut eos tantum pœna eximant, qui Sylveſtri magna ſolum imbecillitate languenti parvum ciathum bibendum dederint; & eximant etiam Medicum, qui in remedii modum potionem inſtituerit, ea lege, ut ſemper Medicus ipſe conſilium ſuum Judici aut Præpoſito loci ſignificet.

Ipſi Novæ Franciæ Sylveſtres adeo ſemper de graviſſimis hujus potionis incommodis certi fuere, ut eorum Anteſignani ſæpe Præfectis, & Conſilio Supplicationes obtulerint, quo aquam ex vino diſtillato iis dari prohiberetur, idque propter diuturnam magnorum malorum experientiam, quæ hic liquor apud eos edit, redigens ad miſeriam, & paupertatem extremam familias omnes, & in dies magis deſtruens ipſorum Nationem morbis hos omnino populos conſumentibus & extenuantibus. Quod in cauſa fuit, ut identidem ederentur in Nova Gallia Leges & Conſtitutiones, quæ paſſim ſervatæ ſunt; ac tunc quidem omnes Sylveſtrium familiæ ſua negotia redintegrare, & accuratam probamque vitæ rationem tenere viſæ ſunt; cum contra iiſdem neglectis Legibus, omnia apud eos populos malorum & incommodorum genera extiterint, atque adeo diviſio in Gallorum Colonias ſtatim irrepſerit.

Reſponſio ad Caſum propoſitum.

Cum poſt Gallorum Coloniam in Canadenſi provincia inſtitutam diuturna experientia compertum fuerit, nihil magis in omnibus conſecutionibus pernicioſum, nihil Religionis propagationi oppoſitum magis, nihil denique majorum apud Sylveſtres malorum originem eſſe, quam ipſis factam aquarum ex vino diſtillato, aliarumque potionum inebriantium diſtributionem: Doctores ſubſcripti Profeſſores Theologiæ Familiæ & Societatis Sorbonæ, qui viderunt, & attente expenderunt, quod ſupra productum eſt, exiſtimant,

I. In caſus propoſiti circumſtantiis non poſſe tuta conſcientia vendi, permutari, donari Sylveſtribus aquas ex vino diſtillato, aut alias ſimiles potiones ea quantitate, quæ iis inebriandis ſufficiat, aut alicui apud eos exiſtenti.

II. Illuſtriſſimum Epiſcopum Canadenſem ad impediendum commercium hoc adeo animarum ſaluti pernicioſum poteſtate ſibi a Deo conceſſa uti poſſe, atque in conſcientia teneri, ad id obtinendum adhibere remedia efficaciora, & ſuo quidem judicio magis opportuna, exempli gratia Caſum reſervatum declarare peccatum, quod patratur funeſta diſtributione liquorum & potionum hujuſmodi, uſu immoderato, ut Canadenſibus evenit, inebriantium.

Deciſum in Sorbona die 8. Martii an. 1675.

M. *Grandin*, G. *De Leſtocq*, G. *Bouſt*, *Deſperiers*, *Pirot*, Joſ. *Boucher*.

Regionum exterarum Miſſionarii produxerunt eumdem Caſum deciſum in eumdem modum a Doctoribus Univerſitatis Muſſiponti. Quo quidem anno conſulti fuerint, non dicitur: ſed quoniam eorum deciſio brevis eſt, eam ſtatim ſubjiciemus.

AB Univerſitate Muſſiponti quæruntur duo.

I. An liceat tantum potionis, quantum iis inebriandis ſatis judicatur, Canadenſibus vendi.

II. An Epiſcopus Canadenſis hanc venditionem inter Caſus reſervatos referre poſſit.

Ut his duabus quæſtionibus ſatisfiat, qui eas proponit, tria debet ponere tanquam certa, quæ Canadenſium propria ſunt & peculiaria.

I. Eos inebriari, quoties hujus potionis tantum habent, ut hunc in ipſis effectum producere poſſit, eoſque hujus rei occaſionem ſtudioſe quærere.

II. Dum eam potionem ſumunt, eos fere ebrietatis cupiditate duci.

III. Horum Canadenſium ebrietate fidei apud eos propagationem impediri, retardari Religionis progreſſum, ipſos miſeros reddi, agique ad perpetranda enormia crimina, a quibus omnino abſtinent, cum ebrii non ſunt, & ratione pollent.

Hoc poſito reſpondetur, I. eum, qui certo ſciens Canadenſes ad ebriatem natura factos ipſis vendit vinum aut potiones alias ad inducendam ebrietatem, & adimendum rationis uſum accommodatas, peccare mortaliter. Ratio eſt, quia ſcandali cauſa eſt, nec ſolum ementi privatim graviſſime nocet, ſed etiam iis omnibus, quibus hic Emptor ebrietatis ſuæ cauſa aliquod damnum affert. Præterea qui vendit, cauſa eſt aliorum criminum, quæ ebrietatem hanc conſequuntur, quia potionem hanc inebriantem vendens, occaſionem proximam Canadenſibus præbet hæc eadem crimina perpetrandi, & apud hos Populos Chriſtianæ Religionis inſtitutionem impedit, ut ſupponitur.

II. Epiſcopus Canadenſis ſub pœnis graviſſimis prohibere poteſt, ne Chriſtiani ſibi ſubjecti vinum aut quamvis aliam potionem inebriantem Canadenſibus vendant, ea quantitate, quæ eos inebriare poſſit; tum quia ejuſmodi venditio eſt ementi maxime pernicioſa, tum quia fidei propagationi contraria eſt, tum denique quia enormium criminum in hac ebrietate patrandorum occaſionem ſuppeditat.

III. Poſt hanc Epiſcopi prohibitionem, vendens Canadenſibus vinum, aquam ex vino diſtillato, aut alium liquorem, qui inebriet, ea quantitate, ut hunc effectum producere poſſit, mortaliter peccabit, & gravius, quam qui prohibitionem hanc ignoraret. Ratio eſt, quia poſt prohibitionem hæc venditio præter malitiam, quæ ei naturalis eſt, continet etiam prævaricationem contra Superioris legitimum præceptum in materia gravi, & magni momenti.

IV. Idem Epiſcopus poteſt ſibi Caſum reſervare, & peccatum ejus, qui Canadenſibus hos liquores vendit, ea quantitate, ut inebriari poſſint, Cenſuris Eccleſiaſticis plectere; quia cum hoc peccatum grave ſit, & exterius, nihil impedit, quominus reſervari, & cenſura puniri poſſit; quod neceſſarium etiam videtur, quoniam fidei in hac regione propagandæ impedimento eſt.

Quod objicitur de pecuniæ ſumma, quam mutuam dat Uſurarius, de Agno, qui falſis Diis ſatisfaciendus Gentili venditur, de remedio, quod ægrotanti ebrietatem affert: reſpondetur, ut verum ſit hæc aliquando fieri poſſe, non tamen inde ſequi hæc eadem ſine magna neceſſitate permitti; quæ quidem neceſſitas non adeſt in propoſita facti ſpecie, quia prævidetur peccatum certo & infallibiliter futurum ex hujus potionis venditione, præter enormia crimina, quibus hæc venditio cauſam præbebit. Itaque jura divinum & commune violantur; id quod nullo prætextu excuſari poteſt.

Joannes *le Moleur*, Doctor & Rector Univerſitatis Muſſiponti.

Jacobus *Pupin*, Doctor, Cancellarius Univerſitatis.

Joannes *Rinſ' Jobal*, Doctor & Decanus, Theologiæ Profeſſor,

Joannes *Grandidier* Theologiæ Doctor, Profeſſor & Decanus Linguarum.
Petrus Antonius Modo, Theologiæ Doctor & Profeſſor.
Thibaldus *Chatelar*, Moralis Theologiæ Profeſſor.
Joannes Hardy, Moralis Theologiæ Profeſſor.
Georgius Ægyptius, Presbyter Eccleſiæ Sanctæ Crucis, Canonicus, Theologiæ Baccalaureus.
Natalis *Mandeguiere*, Theologiæ Doctor.
F. Joachim *La Plume*, Theologiæ Doctor Ordinis Præmonſtratenſis.

Rationes, quæ ſpectant ad hujus aquæ ex vino diſtillato Mercatores, qui eam vendunt Canadenſibus.

AD hanc controverſiam in bono lumine collocandam, illud initio ſtatim pro certo habendum eſt Sylveſtres in nova Francia degentes fere nunquam hanc aquam ex vino diſtillato ſumere velle, niſi ut inebrientur, quia aqua hæc, inquiunt, illi, eos ad loquendum alacres facit, iis animum, & fortitudinem addit: & ſane vix eorum quiſpiam eſt, qui ſi ſibi relinquatur, ea potione non obruatur; qua de cauſa, in Sorbona propoſita hac facti ſpecie, deciſum eſt, aquam ex vino diſtillato his Populis vendi non poſſe. Probi quoque Mercatores, qui ſuæ ſalutis cura tanguntur Sylveſtribus hanc potionem minime vendunt; ſed hac ratione ſe gerunt, ſuper qua quidem Domini Doctores iterum conſuluntur.

Hi Mercatores non jam minutatim vendunt, ſed univerſim aliis minutis Mercatoribus, aut Habitatoribus, qui ipſi hos liquores Sylveſtribus vendunt, eos in loca remota mittentes, atque ita ebrietati cauſam præbent, quam majoris notæ Mercatores ducere nolunt. Quæritur, an hi Mercatores poſſint tuta conſcientia has potiones univerſim vendere.

Rationes pro & contra ſunt, I. rationes pro: ajunt ſe potiones has comparare, ut Coloniæ proſpiciant, neque eam ſibi mentem eſſe, ut, vel ipſi, vel alii, quibus vendunt, iis abutantur. Quod ſi abutentibus vendunt, non tenentur ita præſumere, cum boni Chriſtiani ſit de ſuo proximo male non judicare. Quod ſi eas ipſi vendunt illis, qui in regiones diſſitas proficiſcuntur, id eo faciunt, quod ſibi perſuadeant, Gallos eas emere, ut ipſi in itinere, aut dum in his diſſitis regionibus conſiſtunt, iiſdem utantur, & ita quidem credere & præſumere poſſunt, ut proinde ad malum minime cooperentur.

Rationes contra ſunt, I. Mercatores hos multo majorem aquæ ex vino diſtillato, aliarumque potionum copiam deferendam curare, quam Colonia opus habeat. II. ab iis ſuas potiones quandoque ſervari, carius vendendas, quo tempore Sylveſtres deſcendunt, aut quo tempore Galli peregre proficiſcuntur; atque ita horum potionum malum uſum certo providere poſſe. III. dum ipſi eas Gallis vendunt peregre proficiſcentibus, eos probe noſſe, Gallos eas in itinere bibere non conſueviſſe, ſed Sylveſtribus vendere, & inde aliquid emolumenti percipere.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Mercatores majores, de quibus in expoſitione ſermo eſt, minime poſſe aquam ex vino diſtillato minutis Mercatoribus vendere, qui eam deinde minutatim vendunt Sylveſtribus, eam fere deglutientibus ad ebrietatem, aut ita animo comparatis, ut eam non ſumerent, niſi iis inebriandis ſatis eſſet; cum enim hi majores Mercatores hanc aquam ex vino diſtillato comparant, videntur id in animo habere, ut Sylveſtribus detur, propterea quod

I. Majorem ejus liquoris vim congerunt, quam congererent, ſi is Coloniæ tantum uſui futurus eſſet.

II. Hi Mercatores ſuam hujus potionis proviſionem reſervant in tempus, quo minores Mercatores debent ad Sylveſtres aſcendere, aut iidem Sylveſtres ejuſdem emendæ gratia deſcendere.

Quamobrem majores Mercatores in his circumſtantiis videntur minorum Mercatorum conſilio adhærere, dum efficiunt, ut ipſi facile poſſint liquorem Sylveſtribus vendere, aut ad eos deferre; itaque Sylveſtrium peccato indirecte cooperari cenſendi ſunt. Verum quidem eſt aquam ex vino diſtillato vendere peccatum non eſſe, nec rem ſuapte natura malam, ſed indifferentem eſſe, & aquam ex vino diſtillato eſſe ex earum rerum numero, quibus bene aut male uti licet. Præterea Mercatores majores non videntur eſſe cauſa proxima & immediata, cujuſmodi ſunt Mercatores minores, qui diſtribuunt, aut vendunt aquam ex vino diſtillato Sylveſtribus, qui inebriantur. Denique Mercatores majores de malo non cogitant, quod Sylveſtres perpetrant, cum aquam illam emunt, aut accipiunt, ut inebrientur, ſed ſolum id habent propoſitum, ut cum Sylveſtribus commercium exerceant Mercatorum minorum ope, atque ita lucrentur aliorum Mercatorum more, ſuis mercibus vendendis.

Verum ad tres has rationes reſpondetur.

Ad primam. Charitati, quæ proximo debetur, repugnare, ut ei ſuppeditetur materia aut occaſio Dei mortaliter offendendi, etiamſi res ipſa per ſe eſſet indifferens, cum certum eſt, illum ea abuſurum eſſe, propterea quod qui ita ſe gerit, hoc in caſu alterius peccato cooperari cenſetur. Juſta ſolum cauſa, & valde gravis excuſationi eſſe poſſet. Eſt hæc communis Theologorum ſententia; atque hoc principio nixus docet Divus Thomas (a) licere alicui alterius malitia uti, atque adeo ei præbere materiam, unde peccandi occaſionem arripiat, cum id ſit gravis incommodi vitandi gratia: *Prò aliquo incommodo vitando poteſt homo licite uti malitia alterius, vel materiam non ſubtrahere. ſed præbere*; Sanctus hic Doctor id explicat exemplo, quod affert: *Sicut ſi Latro aliquem jugulare vellet, & ad evitandum mortis periculum aliquis latroni theſaurum ſuum diripendum detegeret; non peccaret exemplo decem illorum virorum, qui dixerunt ad Iſmael; noli occidere nos, quia habemus theſauros in agro. Jerem. cap.* 14. Sanctus Thomas concludit ex hoc principio pecuniam ab Uſurario, ſi neceſſitas urgeat, ad uſuram peti poſſe, ſed non diteſcendi gratia. Porro in expoſitione non afferuntur rationes & cauſæ legitimæ, propter quas Mercatores majores ſuos liquores vendunt, ratione, quæ declarata eſt. Non agunt illi publicæ utilitatis cauſa; non ut grave damnum evitent; non alia demum ratione ducuntur, quam cupiditate & deſiderio majores opes acquirendi; hæc eſt eorum ratio in hac occaſione. Communis ſententia eſt, Cauponem mortaliter peccaturum, qui vinum bibendum præberet iis, quos probabiliter inebriandos credit, ſi nulla alia ratione, quam lucri ſpe moveatur.

Ad alteram difficultatem. Satis eſt Mercatores majores obſecundare Mercatorum minorum cogitatis, & conſiliis, ut Sylveſtrium ebrietatis cauſa eſſe cenſeantur. Porro ſupra declaratum eſt, quomodo iidem Mercatores majores his conſiliis obſecundent; ex quo concludendum eas non adeo remotam cauſam eſſe peccati Sylveſtrium, ut ne culpabiles ſint una cum minutis Mercatoribus.

Ad tertiam. Per ea, quæ ſupra dicta ſunt, ſatis eſt factum. Id ſolum additur, ad majorum Mercatorum excuſationem in hoc negotio oportere; ut ſecundum Divi Thomæ principia, res publica, Commercium, atque adeo majores Mercatores damnum notabile paterentur; quod in expoſitione non ſupponitur. Et ſane ex majorum Mercatorum parte nulla alia occurrit ratio in propoſita facti ſpecie, quam quod non ita magnam aquæ ex vino diſtillato copiam deferentes, aut non deferentes, niſi quantum Coloniæ opus eſſet, non ita grave damnum afferrent; quod iis a peccato excuſandis ſatis non eſt.

Neceſſe eſt igitur, ut Mercatores majores, quo ſuum aquæ ex vino diſtillato commercium, quod in Nova Francia peragunt, licitum reddant, eo deferant eam ſolum aquæ ex vino diſtillato copiam, quæ Coloniæ ſit neceſſaria, nec affectent minoribus Mercatoribus vendere, cum ipſi ſolent ad Sylveſtres aſcendere, ejus liquoris vendendi gratia,

(a) S. Tom. qq. diſp. q. 13. de malo art. 4. ad 19.

gratia, aut cum Sylveſtres emendi cauſa deſcendunt; niſi ob rationes graves, & ad bonum publicum pertinentes, e re eſſe judicaretur, permittere, ut Mercatores majores ſuum commercium ut antea proſequerentur. Quia porro non occurrunt rationes hæ, Confeſſarii Mercatores hos majores monere debent, ne aquam ex vino diſtillato iis vendant, qui ad contrahendum cum Sylveſtribus proficiſcuntur, niſi ea quantitate, qua ipſi in itinere, quod peragent, indigebant; & ne omnino, cum Sylveſtres deſcendunt, vendant minoribus Mercatoribus, aut incolis, qui eum liquorem his ipſis Sylveſtribus facile tradunt in eorum mercium permutationem.

Deciſum Pariſiis hac die . . . . .

G. Fromageau.

CANONICI.

Latinum *Canonici* nomen a *Canone* ducitur, qui *Regulam* ſignificat; hinc Auctores bene multi docuerunt *Canonicum* eumdem eſſe ac *Regularem*, perinde ac ſi a Regulari vita, quam tenere debet, dictus eſſet; ſed alii tamen leviore fundamento nixi contendunt Canonici nomen a *Canone*, qui penſionem quoque, & pecuniæ iis aſſignatæ, qui Canonici nuncupantur, certam portionem ſignificat, derivari; unde eſt illud in more poſitum, *ſolve mihi canonem meum*, quod idem eſt, ac *ſolve mihi penſionem meam*. Nonnulli ſunt opinati, ante octavum Sæculum in Cathedralibus Eccleſiis nullos prorſus veri nominis Canonicos extitiſſe. Pater Mabillonius Auctor Præfationis prioris ad tertium ſæculum Benedictinorum raros iis temporibus Canonicos occurrere putat; negari tamen non poteſt multo ante frequentiſſimum Clerum fuiſſe in Eccleſiis pluribus, in quibus Clerici, quemadmodum noſtris temporibus Canonici ſolent, Officium Divinum canerent; ac ſi altius monumenta vetera repli- centur, occurret Clerus in Eccleſia cum Epiſcopo ab Apoſtolorum temporibus inſtitutus; atque hoc quidem *Presbyterium* dicebatur, nempe ſocietas ex Epiſcopo Presbyteriſque compoſita, qui Senatus formam conſtituebant ad Eccleſiam ipſis concreditam conjunctis viribus adminiſtrandam. Quamobrem in quodam Carthaginienſi Concilio decretum fuit, ut Epiſcopus Diœceſis ſuæ cauſas una cum ſuo Clero judicaret. Cardinalium Collegium, quod Romanæ Eccleſiæ Clero ſuffectum eſt, hanc veterem conſuetudinem etiamnum exhibet. Verum non Pipini ſolum & Caroli Magni temporibus Epiſcopalis Eccleſiæ Clero *Canonicorum* nomen tribui cœptum eſt, cum ii nempe cœpere in communi atque in Congregatione vivere; neque enim deerant in Eccleſiis Cathedralibus, atque adeo in privatis domiciliis, qui Abbate præſide viverent.

Sæculares olim Canonici ad eamdem menſam aſſidebant, & in eodem Clauſtro degebant ſub Epiſcopi directione, ut liquet ex Capitularibus Caroli Magni *lib.* 1. *cap.* 73. atque ut de ſuorum temporum Clericis D. Auguſtinus (*a*) teſtatur. Stephanus Epiſcopus Turnacenſis ad Eccleſiæ Rhemenſis Decanum ſcribens ait hanc Eccleſiam in Apoſtolorum inſtitutione perſtitiſſe, quippe quæ adhuc idem triclinium, idemque Dormitorium ſervaret; in quo ea erat *majoribus exemplum*, *minoribus documentum*, *amabilis ſuis*, *admirabilis alienis*. Qua quidem de cauſa nonnullis viſum eſt Canonici vocabulum a κοινωνικὸς ducto ex κοινὸς, communi derivatum eſſe, quod communem vitam Canonici ducerent; poſtquam tamen una vivere deſierunt, idem Canonici vocabulum retinuerunt. Occurrit reformatio vitæ Canonicorum in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 5. *cap.* 115. & Cancellariæ Pontificis Innocentii VIII. regularum, quæ in Gallia receptæ ſunt, decima ſeptima ſtatuit, opus eſſe annis quatuordecim, ut quis in Eccleſia Cathedrali Canonicus eſſe poſſit, & decem completis, ut in Collegialibus. Qui nondum Subdiaconi ſunt, in Capitulo jure ſuffragii gaudere non poſſunt, & qui ob ſuas Dignitates aut Præbendas functiones Eccleſiaſticas obire tenentur, intra annum Ordines, qui ipſis neceſſarii ſunt, ſuſcipere debent, ut ſtatuit Tridentina Synodus *cap.* 4. *ſeſſ.* 24.

Decernit etiam eadem Synodus *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. *de reform.* ut diſtributiones quotidianæ tantummodo præſentibus conferantur, niſi abſentibus excuſationes legitimæ præſto ſint, ut morbi &c. Tradit Concilium hoc Epiſcopos poſſe aſſignare & affectare in diſtributiones partem tertiam proventuum Dignitatum, Officiorum, & Præbendarum Eccleſiæ. In Synodo Melodunenſi habita die 5. Septembris an. 1579. ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformationem titulo 20. leguntur inſtitutiones hæ: Canonicos pietate, morum integritate, & decenti gravitate cæteris præſtare debere; neque vero minus eos, quam Epiſcopum doctrina indigere, ut ſuis conſiliis pro rerum ratione ei præſto ſint; oportere, ut Preces & Officium devote attente & graviter recitent; & niſi neceſſitas poſtulet, & ad pluviam evitandam pallia & veſtes Laicorum omnino non deferant; non debere longiorem barbam geſtare; non ſuum palliolum, ſuum ſuperpelliceum, atque alia ſigna Canonicalia in Eccleſia deponere, non in Eccleſia obambulare, aut huc atque illuc in Choro diſcurrere Officii tempore, aut mutuo colloqui, aut inerti ſilentio detineri, ſed decenter aſſidere, nec penitus muſſitare; Officii porro aut Miſſæ tempore Capitulum convocandum non eſſe; & cum convocatum fuerit, conteſtationes & rixas vitandas eſſe, ac ſine ſtrepitu & cum modeſtia negotia tractanda eſſe, & ſemper ſpiritualia temporalibus anteponenda; inſtituendum eſſe in Choro Miniſtrum, qui abſentes & præſentes Officii horis, & quæ committi viderit, errata notet, ut res in ordinem redigantur.

Canonicus, qui Epiſcopum ſequitur, debet ſuæ Præbendæ fructus percipere, exceptis diſtributionibus manualibus, & perſonalibus, quæ Canonicis conferuntur; ita ſtatutum eſt Reſcripto Senatus Pariſienſis diei 19. Martii an. 1612. Duo Canonici, cum Meldenſi Epiſcopo a latere eſſent, quoad ſuarum Præbendarum fructus habiti ſunt præſentes, prorſus ut alii privilegiati, per aliud Reſcriptum diei 6. Februarii an. 1606. Idem quoque judicatum eſt in favorem Canonici Aucenſis Eccleſiæ, cui Epiſcopum ſuum ſecuto ſuæ Præbendæ fructum ſolutio decreta eſt Reſcripto alio diei 20. Februarii an. 1638. Canonici quoque Miſſionibus ſacriſque Concionibus deſtinati cenſendi ſunt præſentes per Reſcriptum Conſilii Privati diei 30. Octobris an. 1640. Denique Canonicus longiorem comam geſtans, & monitus eam ſibi amputari nolens merito privatur proventu ſuo, & reputatur abſens Reſcripto Senatus Pariſienſis diei 18. Maii an. 1654.

Quod ad Canonicalia Domicilia ſpectat, in Cleri Monumentis animadvertitur Laicos in iis degere

(*a*) S. Auguſt. ſerm. comm. vit. Cleric.

non debere ; & Sæculares alios quam Canonicorum patres, matres, fratres, & ſorores in Domibus Canonicalibus, quæ in Capitulorum Clauſtris ſitæ ſunt, habitare nequaquam debere per Reſcriptum ſenatus diei 20. Aprilis an. 1645. Ad extremum ornamenta facta & appoſita in Canonicali domo ad Capitulum excluſis hæredibus pertinere per aliud Reſcriptum diei 11. Julii an. 1629.

De curandæ porro Canonicorum ſuſtentationis ratione videri poteſt ſeſſio 24. cap. 15. *de reformatione* in Synodo Tridentina. Atque in Bleſenſis Conſtitutionis articulo 25. ſtatuitur, ut cum in Eccleſiis Cathedralibus & Collegialibus is fuerit Præbendarum numerus, ut reditus & diſtributio quotidiana ad honeſte ſuſtinendam Canonici dignitatem nequaquam ſufficiant; Archiepiſcopi & Epiſcopi dictum reditum augere poſſint ſimplicium Beneficiorum unione, dummodo regularia non ſint, aut dictis Præbendis ad minorem numerum redactis, ita ut Divino Servitio, dictæque Eccleſiæ ſubſiſtentiæ par ſit; id autem omne de conſenſu Capituli & Patronorum, ad quos ſpectat præſentatio, ſi Præbendæ & Beneficia ad Laicalem Patronatum pertineant.

Canonicus reſidentiæ obligatione adſtringitur; & ſecundum Tridentinam Synodum *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. ei non licet abeſſe plus quam tribus cujuſque anni menſibus, Statutis quibuſcumque aut Conſuetudinibus contrariis nihil obſtantibus; quod non item iis licet, qui ſunt in Eccleſiis, quarum Conſtitutiones longius ſervitium requirunt, quibus ſane noluit Synodus derogare. Ac Concilium quidem poſtquam ſtatuit, ut ſi quis priore anno huic Decreto refragatus fuerit, privetur dimidio fructuum ſui Beneficii; ſi vero anno altero, annuis omnino reditibus: addit deinde eam ſibi mentem eſſe, ut ii tantum diſtributiones recipiant, qui Horis Canonicis interfuerint, aliique iiſdem priventur juxta Decretum Bonifacii VIII. prohibens expreſſis verbis omnes fraudes & remiſſiones, quibus fere Canonici erga eos utuntur, qui Officio non adfuerunt, ut ipſis diſtributiones adjudicentur. Præcipit etiam, ut ii omnes ipſi per ſe & non per ſubſtitutos Divinis Officiis intereſſe cogantur.

Bonifacius Papa VIII. in eodem Decreto laudato cauſas omnes legitimas, quæ Canonicum, dum ab Officio abeſt, excuſare poſſint, revocat ad duas tantum; prima eſt infirmitas corporalis, propter quam ipſe abſque aliquo gravi incommodo Choro intereſſe non poteſt; altera eſt Eccleſiæ utilitas evidens, ut cum Canonicus ad aliquid incumbit, quod Religioni ſit utilius, quam ſimplex in Choro adſiſtentia; ita legitur in capite *Ad audientiam*. Tridentina Synodus aliis quoque de cauſis in reſidentia diſpenſat, declarans eos, qui Theologiam docent, quandiu quidem docent, in adſiſtentia Choro impendenda diſpenſari, æque atque eos, qui ſtudiis operam dant ad quinquennium. Ratio eſt, quia juſtitiæ repugnat eos ſua remuneratione privari, qui tanto Eccleſiæ emolumento adlaborant; quod tum ſolum eſt accipiendum, cum id faciunt Epiſcopo permittente, ad quem unum ſpectat, eorumne abſentia ulli damno ſit Eccleſiæ, cognoſcere.

Cum de hac ſtatuenda reſidentia agitur, illud eſt animadvertendum haud ſatis eſſe Canonicum corpore Choro præſentem eſſe, dum Officium canitur, ut legitime poſſit ſuas Diſtributiones percipere; nempe naturalis ratio nos ſatis docet, Canonicos, cum non ideo Choro ſint addicti, ut ſuam tantum ſedem occupent, ſed ut ibi Divinum Officium celebrent; ſi ſua præſentia contenti ſint, quin canant cum aliis pro viribus, obligationi ſuæ non ſatis eſſe facturos, nec jure contendere ſe a pſalmorum cantu abſtinentes præſidium a cappellanis aut Cantoribus quærere poſſe, quoniam ipſorum obligatio eſt perſonalis, & ejuſmodi, ut ei per alium ſatisfieri non poſſit. Quia tamen hac in re aliqui ſibi aſſentari poſſent, monendi ſunt in canone *ſi quis Presbyter diſt.* 92. ſtatui, ut ſi Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus Eccleſiæ ſervitio addictus non tamen ibidem canendis quotidie Pſalmis, & Divino Officio mane & veſpere celebrando interſit, deponatur, niſi reſipiſcat, & ad veniam ab Epiſcopi humanitate obtinendam ſe comparet. Videri poteſt Concilium Cameracenſe an. 1565. celebratum cap. 7. Burdegalenſe an. 1583. tit. 17. Turonenſe eodem anno, & quoddam Narbonenſe an. 1669. præter Tridentinum jam appellatum, & primum Mediolanenſe Concilium Sancto Carolo præſide.

Deciſiones apprime utiles ad Canonicorum adſiſtentiam Divino Officio ſpectantes.

CASUS I.

1 *Canonici nonniſi tres vacationum menſes quotannis ſibi ſumere poſſunt.*

2 *Non poſſunt illi abſentiæ ſuæ tempore percipere diſtributiones, quæ nonniſi præſentibus tribuendæ ſunt.*

3 *Nec ipſi recipere, nec vero Capitulum iiſdem conferre poteſt has eaſdem diſtributiones, cum ob propria negotia abſunt, ſed ſolum cum in Eccleſiæ ſervitio actu occupantur.*

4 *Haud ſatis eſt ad eas lucrandas uni majorum horarum adſiſtere: omnino oportet adſiſtere ſingulis horis, quarum diſtributio recipitur. Quævis oppoſita conſuetudo eſt abuſus.*

5 *Capitulum, præter vacationes, decem dies quotannis Canonicis ſingulis concedere nequit, neque idem Canonici, licet abſentes, eorum dierum diſtributiones recipere poſſunt.*

6 *Qui munere fungitur, quo ab Officio eximitur, ſui Beneficii reditus percipere nequit niſi eo tempore, iiſque diebus, quibus in Eccleſiæ ſervitio occupatur.*

7 *Canonici tenentur canere in omnibus Officiis, in quibus Muſica locum non habet.*

8 *Hinc ſequitur iis non licere privatim Officium ſuum recitare canente Choro.*

9 *Poſſunt id facere in anniverſariis, in quibus ſoli quidem Capellani canere tenerentur.*

10 *Adeſt obligatio in foro conſcientiæ Horis Canonicis adſiſtendi, nec minus adeſſet hæc obligatio, eſto nullæ diſtributiones iiſdem annexæ eſſent. Hujus exequendi muneris negligentia poteſt in aliqua facti ſpecie mortale peccatum eſſe.*

11 *Hæc obligaito parvas Horas complectitur.*

12 *Capitulum, quantum id fieri poteſt, extra Officii tempus habendum eſt.*

13 *Accedendum eſt ad Officium tempore a Conciliis præſcripto, ibique ad finem uſque eſt conſiſtendum.*

14 *Canonici Reſcripta & Statuta, quibus in Canonicalibus Domiciliis degere jubentur, in conſcientia ſervare debent.*

QUÆSITUM.

CAnonici Eccleſiæ N..... præter magnos fructus, qui præcipuam ipſorum proventuum partem conſtituunt, plura retributionum, ſed modicarum genera poſſident.

Prima eſt quartæ parti modii tritici diſtributio, quæ quotidiana eſt, & Capituli panis dicitur. Eam lucratur, qui uni trium magnarum Horarum adſiſtit. Hæc diſtributio eſt ad Sextarios undecim modios tres in capita.

Secunda eſt ſecalis, quam omnibus tantum ferialibus diebus lucrantur, qui Mortuorum Officio interſunt. Ea eſt modii ſecalis, quæ modios circiter

ter quadraginta octo quotannis conficit: hic reditus ex vetere Capituli fundo eſt.

Tertia eſt diſtributio ob anniverſariorum ſeu funerum fundationes ex ſegete aut pecunia: frumentum poteſt eſſe modiorum octodecim aut viginti; pecunia librarum triginta in capita.

Hujus Eccleſiæ vetus mos erat, ut quoad Capituli panem exiſterent viginti quatuor vacationis dies præter vacationes conſuetas, quæ erant a B. Virginis Nativitate uſque ad omnium Sanctorum Feſtum, Capitulum concedebat etiam intra annum ſingulis Canonicis id poſtulantibus ob ſua negotia vel menſem integrum diſpenſationis, ut lucrarentur Capituli panem, Secale, & anniverſariorum diſtributiones ex Segete ſolum, non vero ex pecunia.

Decretum deinde fuit in Capitulo generali, ne amplius aut generalis vacationum tempore, aut peculiaris intra annum diſpenſatio concederetur; ſed ut ſinguli gauderent beneficio menſium trium quoad Capituli panem; & dierum decem quoad Secalis diſtributionem; relicta ſingulis libertate ſibi ſumendi, cum ipſis libuiſſet, hos dies decem, & menſes tres. Illud etiam notandum eſt ex antiqua conſuetudine, & expreſſi Statuti vi adſiſtentes uni trium magnarum Horarum lucrari ad diem integrum Capituli panem. Ejuſmodi autem Statutum eſt: *Item ſtatutum eſt, quod quilibet Canonicus, qui in Matutinis, vel in magna Miſſa debite non intererit, & erit in Veſperis faciendo debitum ingreſſum, & in Choro ad Magnificat exiſtendo, lucrabitur panem ſuum.*

His in hunc modum conſtitutis, quæritur

I. An hujus Eccleſiæ Canonici plus quam trium menſium ſpatio in reſidentia quotannis diſpenſari poſſint, ob ſua privata negotia id a Capitulo poſtulantes?

II. An trium menſium diſpenſatio ſolum ad majores fructus pertineat, an vero ad quotidianas frumenti & ſecalis diſtributiones extendi poſſint?

III. An Canonici ob ſua privata negotia abſentes diſtributionem, quæ ob Anniverſaria, & obitus ſolvitur, lucrari poſſint; atque an qui iis adſiſtunt, & diſpenſationem illis concedunt, haud renunciaverint in ipſorum favorem lucro, quod ex eorum abſentia percipere poſſent?

IV. An cum conſueta panis Capituli diſtributio non magis ob magnas Horas Officii, quam ob alias ſit inſtituta, haud ſufficiat uni tantum Horæ intereſſe, ut percipiatur; atque an antiqua conſuetudo, etiam Statuto firmata non ſatis roboris habeat, ut huic praxi auctoritatem conciliet?

Ratio, propter quam videtur illa percipi poſſe, ea eſt, quod Capitulum eam ex ſuo fundo recipiens potuit ipſam uni trium Horarum annectere; at alia ex parte Capitulum nonne debuit cuilibet Officii Horæ diſtributionem aſſignare, prout Baſilienſe & Tridentinum Concilia præcipiunt? Canonici vero poſſuntne tuta conſcientia integram diſtributionem percipere, cum uni tantum Horæ adſiſtunt, contendentes ejuſmodi eſſe Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, quamvis a Bonifacio VIII. his verbis damnata ſit: *Tollens prorſus abuſum illum, quo in una dumtaxat hora præſens totius diei diſtributiones uſurpat.*

V. An Capitulum poſſit generalem dierum decem diſpenſationem cuilibet Canonico abſenti concedere, ut ferialibus diebus a Mortuorum Officio abſit? Atque an ejus diſtributionem Canonici poſſint tuta conſcientia percipere? Pariſienſis Eccleſiæ conſuetudo ea eſſe dicitur, ut Canonici per tres ſuarum vacationum menſes non modo magnos fructus, verum etiam diſtributiones lucrentur.

VI. An licita conſuetudo ſit adjudicandi integri lucri ei, qui in orbem debet Eccleſiæ curam ad annum gerere, æque ac Syndico, qui negotiis implicatus eſt? Hi Miniſtri poſſuntne tuta conſcientia has diſtributiones percipere, cum ab Officio abſunt aut ſolatii gratia, aut ob ſua privata negotia. Idem quærit de aliis Canonicis, qui morbos, aut negotia prætendunt: idne aſſeri poteſt, commodum, quo Capituli Miniſtri gaudent, ut abſque adſiſtentia lucrentur, ipſis concedi, ut incommoda ipſorum officiis annexa compenſentur?

VII. An Canonici in Capitulis, in quibus exiſtunt Choriſtæ, & Capellani, canere teneantur, ii, qui fere Gregorianum cantum ignorant, id quod Chorum perturbaret? Cæteroquin videtur Officium, ſi cum Choro dicatur, nec tam recte, nec tanta cum attentione dici, quam ſi ſubmiſſa voce dicatur, quia alterius partis verſiculi propter vocum confuſionem, & propterea quod Capellani præcipitanter canunt, parum intelliguntur.

VIII. Poſſuntne ipſi *tuta conſcientia* ſuum Breviarium ſubmiſſa voce recitare in Choro Officii & Anniverſariorum tempore? Atque an ii qui illud ita ſubmiſſa voce totum privatim recitant, ſuo muneri ſatisfaciant, & diſtributiones, quæ nonniſi in eorum gratiam, qui canunt, inſtitutæ videntur, lucrari poſſint?

IX. An ſaltem Breviarium ſubmiſſa voce recitari haud liceat ſolemnium Miſſarum, Officii, & Anniverſariorum tempore, quo fere Cantores & Capellani tantummodo canunt?

X. An qui Officio, Obitibus, Proceſſionibus, &c. non integre adſiſtunt, ut ii quoque, qui ſerius adveniunt, aut qui garriunt Officii tempore, diſtributiones ſuas tuta conſcientia lucrentur, & ad reſtitutionem non obligentur?

XI. Quomodo adſiſtentiæ toti Officio præſtandæ obligatio explicanda ſit? Licetne ab eo recedere ſolatii captandi gratia, obambulandi, ludendi &c.? Quandonam mortaliter peccat, qui Officio non adſiſtit? Nonne poſt tres vacationis menſes a Concilio conceſſos? Eſtne mortale peccatum ab una magna Hora abeſſe ludendi aut otiandi cauſa? Denique quomodo cognoſci poteſt in hac materia peccari mortaliter, & quoties recedendum eſt, ut graviter peccetur?

XII. Eſtne gravis culpa a parvis Horis fere quotidie recedere? Iis fere nunquam adſiſtere? Officiis, in quibus nihil diſtributionis eſt, non intereſſe? Id temporis terere otiando in Eccleſia, in Sacriſtia, aut alibi? Lucranturne omnino magnos fructus, qui ſemper abſunt?

XIII. An Canonici, prout uſus obtinuit, poſſint ad Capituli negotia convenire, Horæ ſextæ, aut Completorii tempore, cum Capellani in Choro canunt?

XIV. Eſt in quadam Eccleſia Statutum, quo decernitur, ut ad Chorum ingredi liceat uſque ad finem tertii verſiculi prioris Pſalmi, ad Anniverſaria ante primam Antiphonam, ad Miſſam poſt Epiſtolam; Statutum Reſcripto firmatum.

Quæritur, an Capitulo illud mutare liceat atque inſtituere, ut ingreſſus ad Matutinum liber ſit ad lucrandum uſque ad finem primi Nocturni, & ad Veſperas uſque ad initium Pſalmi ſecundi?

Sane dum quis inter Canonicos cooptatur, ad Sanctum Evangelium ſe regulas ſervaturum jurejurando promittit; atque inter hujus Capituli ſtatuta unum eſt in hanc ſententiam: *Quod de & ſuper ſingulis Statutis ſuperius nominatis cum aliquo non poſſit diſpenſari, nec eidem fieri gratia, niſi in Capitulo generali, in quo per Capitulum fieri poterit, juramento de contrario edito non obſtante.* In præſentia in Capitulis ordinariis, non expectatis generalibus diſpenſatur; quæritur, an id liceat, atque an poſſit in iis diſpenſari in eo, quod omnino ſervandum eſt?

XV. An Statuta Capituli & Reſcripta, quæ jubent omnes Canonicos in Choro canere, in Canonicalibus Domiciliis degere, ſingulos Canonicos optare poſſe Domum, quæ ab eo, ad quem pertinet, occupata non fuerit, obligent in conſcientia?

Sorbonici Doctores orantur humillime, ut ſuam ſententiam proferant ſuper his omnibus articulis, aliiſque, qui ex Canonicorum obligatione ducuntur, licet hoc loco non expreſſi, ut eorum deciſio legis loco eſſe poſſit iis, pro quibus conſulitur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem & quæſtiones propoſitas accurate perpendit, exiſtimat quoad primam, Eccleſiæ, de qua ſermo eſt, Canonicos non poſſe diſpenſationem conſequi in reſidentia atque adſiſtentia Canonicis Horis præſtanda ultra tres menſes conceſſos in Eccleſiis, in quibus nullo Statuto vacatio breviore ſpatio

tio temporis definitur; in his enim locorum conſuetudo ſervanda eſt; hæc eſt Tridentini Concilii doctrina *Seſſ. 24. cap. 12. de reform.* Præterea Concilii verba ſunt, *obtinentibus in iiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.*

Quoad quæſtionem alteram, diſpenſationem in reſidentia ad tres menſes ad magnos tantum fructus ſpectare, non autem ad diſtributiones quotidianas, quæ tantum præſentibus conferuntur, iis nempe, qui re ipſa Officio adſiſtunt, juxta Decretalem Bonifacii VIII. *de Clericis non reſidentibus*, quæ ſtatuit, ut diſtributiones, tum quæ ad Horas Canonicas, tum quæ ad Defunctorum Officium ſpectant, iis tantummodo tribuantur, qui iis interfuerint, excluſis omnibus abſentibus, præter ægrotantes, aut in Eccleſiæ utilitatem occupatos. Decretum hoc novavit Tridentina Synodus, & ut adamuſſim ſervaretur, inſtituit: *Diſtributiones vero*, inquit, *qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant; juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: Conſuetudinem, quod Sancta Synodus in uſum revocat: non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus.* Ea videtur eſſe Concilii ſententia trium menſium diſpenſationem ad magnos tantum fructus ſpectare, quia poſtquam de hoc abſentiæ tempore verba fecit, declarat eos, qui diutius abfuerint, ſuarum Præbendarum fructibus privandos fore, diſtributionum, de quibus nihil adhuc ſtatuerat, nulla mentione facta: *Alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ & reſidentiæ fecit ſuos: quod ſi iterum eadem uſus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.* Atque ut id clarius intelligatur, animadvertendum eſt, Concilium ſubinde agere de diſtributionum materia, tanquam de re, de qua non antea verba fecerit. Verum id ex eo maxime confirmatur, quod perſonæ maxime privilegiatæ, cujuſmodi ſunt Canonici, qui *de Comitatu* dicuntur, quia cum Epiſcopo degunt, magnos tantum ſuæ Præbendæ fructus recipiunt, non autem diſtributiones, ut conſtat ex *C. De cætero. De Clericis non reſidentibus, niſi forte actuales, quæ non conſueverant abſentibus exhiberi.* Idem moris obtinet quoad eos, qui ſtudiis vacant; ac Tribunalia ſæcularia hanc Juriſprudentiam ſequuntur, ut liquet ex Reſcriptis relatis a Brodeau in Louet, L. E. §. 6. Itaque juxta hanc regulam Capitula non poſſunt unquam abſentibus diſtributiones concedere, niſi in caſibus a jure exceptis.

Quoad quæſtionem tertiam, Capitulum non poteſt ſive ſegetis, ſive pecuniæ diſtributiones Defunctorum Officiis addictas in eos conferre, qui ob ſua privata negotia abſunt: *De diſtributionibus*, inquit Bonifacius VIII. *etiam Defunctorum anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum*: Et Gloſſa verbo *idem: Scilicet quod hi qui non interſunt, nihil habeant, & conſuetudo contraria non valeat, & recipientes ſine cauſa, ad reſtitutionem teneantur.* Quamobrem Canonici abſentes, qui has diſtributiones reciperent, *ſine cauſa* reciperent, & proinde in caſum inciderent, qui ad reſtitutionem obligat; quoniam juxta *c. Conſuetudinem* ob ægrotationem tantum & Eccleſiæ utilitatem diſtributiones ab abſentibus percipi licet. Quod in cauſa fuit, ut Mediolanenſis prima Synodus a Sancto Carolo celebrata ita ſtatueret titulo *Communia* de Miniſtris: *Nemini autem proſit abſentiæ licentia, ut eo tempore diſtributiones quotidianas percipiat*, inſtitutionem hanc Bonifacii VIII. & Tridentini Concilii auctoritate confirmans; cui illud addit, ut ſi quis Canonicus eas contra has regulas receperit, eaſdem reſtituere teneatur, ipſæque in eorum commodum cedant, qui præſentes extiterint, non tamen faverint abſentibus in Capitulo, in quo eæ ipſis conceſſæ fuerint. Quod ſi totum Capitulum in id conſenſerit, eæ in Eccleſiæ utilitatem accommodentur. En Synodi verba: *Si datæ fuerint, qui acceperit, ſuas non faciat, ſed eas reſtituat; quæ jure ipſo accreſcant aliis inſervientibus, qui hujuſmodi pactioni, remiſſioni, colluſioni, vel præbitioni aſſenſi non fuerint, nec ex Conſtitutionibus Eccleſiæ probatis alteri debeantur.* Garcias *de Beneficiis p. 3. c. 2. n. 432.* in medium affert Cardinalium Declarationem, quæ idem ſtatuit: *Non licet Capitulo, aliquo prætextu, diſtributiones donare, aut quavis colluſione remittere alicui, qui vel a ſervitio Eccleſiæ abfuerit, vel alio quovis modo diſtributiones legitime debeat amittere, nec fas ſit cuipiam eas accipere, ſi acceperit, ſuas non faciat, ſed reſtituere cogatur illico reſtituendas fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, Epiſcopi arbitrio.* Fagnanus *in 1. p. 3. Decretal. in c. licet n. 90. pag. 170. Ampliatur ſeptimo, ut non liceat Canonicis puncturas ſibi mutuo remittere, aut condonare; obſtat enim huic remiſſioni tam juris communis diſpoſitio, ut poſt Archidiac. notat Joan. Andr. ad gloſſ. in d. cap. unico in verb. ſuas de Cler. non reſident. lib. 6. quam Concilii Trident. in d. cap. 12. §. diſtributiones vero ſeſſ. 24. Reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa his careant. Unde cum fuerit quæſitum, an Canonici poſſint mutuam remiſſionem puncturarum facere, reſponſum eſt non poſſe, immo debere Epiſcopum illas remiſſiones, quas Canonici ſibi invicem remiſerunt, in pœnam fraudis applicare fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco. Alias tamen dictum fuit poſſe Canonicos, poſtquam portiones non reſidentium perceperunt, illas, quibus placuerit, dare.* Ita ut collatis his omnibus auctoritatibus, meridiana luce clarius appareat Romanam & Mediolanenſem Eccleſias exiſtimare diſtributiones ad præſentes tantummodo, ad eos nempe, qui Officiis interſint, non vero ad abſentes ſpectare. Ita jam Gallicanæ Eccleſiæ perſuaſum erat, ut ex pragmatica ſanctione conſtat, in qua ſtatutum fuit, ut qui Matutino poſt *Venite*, & aliis Horis poſt primum Pſalmum uſque ad Officii finem non interfuerint, cenſeantur abſentes, & nemini abire liceat, niſi neceſſitate cogatur, & poſt ſolum quam ab eo, qui primas habebit in Choro veniam petierit. Oſtendit Gloſſa neceſſitatis vocabulum, quod ibi uſurpatur, ea ratione explicandum eſſe, qua nos ſupra explicuimus; ita verbo, *neceſſitate*; en ejus verba: *Corporali, quia ſit infirmus, vel debilitatus.* Quod Decretalis Bonifacii VIII. in 6. verbis hiſce geminum eſt: *exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta rationabilis corporalis neceſſitas*; & quia pragmatica ſanctio legis vim obtinet in Gallia quoad ea omnia, in quibus per Leonis X. & Franciſci primi Concordatum nulla mutatio contigit; dubitari non poteſt eam cum Eccleſiis aliis ſentire, & hac in re a Tridentinæ Synodi deciſionibus ne latum quidem unguem recedere. Itaque Capitulum, de quo agitur, non poſſet abſque abuſu Canonico ob ſua privata negotia abſenti diſtributiones decernere, nec vero Canonici præſentes poſſunt eidem has diſtributiones remittere, quippe quæ Eccleſiæ acquiſitæ ſunt, ſi Capitulum ſe iis indignum reddidit, cum juri ſuo renunciavit, id quod nonniſi eludendæ, violandæque legis animo facere potuit; Canonicorum porro in hunc abuſum conſentientium conformitas conjuratio potius eſſet, quam juſta deliberatio.

Quoad quæſtionem quartam, conſuetudinem, quæ hactenus in Capitulo obtinuit, abuſivam eſſe, utpote Pragmaticæ repugnantem, qua omnino damnatur, ut conſtat ex eo, quod in Baſileenſi Concilio in expoſitione allatum eſt, quodque argumentum conſtituit *§. Tollentes*, tituli, *quo tempore quiſque debeat eſſe in Choro*, Pragmaticæ. Eam porro conſtantem & in omnibus Regni Conſiliis uniformem regulam eſſe, ut, cum ſe occaſio obtulerit, Capitula jubeantur diſtributiones Horis ſingulis aſſignare, atque inſtituere, ut earum participes ii tantum ſint, qui iis interfuerint, ut ad exactiorem aſſiduitatem Canonici extimulentur, atque ut Pragmatica Sanctio loquitur: *ut juxta menſuram laborum plus minuſve capiat emolumenti.*

Quare Capitulum, pro quo conſulitur, cum ſui patrimonii partem excerpſerit, & ut in diſtributionem conferretur, eam aſſignaverit, idque haud ſecundum regulam fecerit: e converſo cum ad hanc diſtributionem obtinendam ſatis eſſe ſtatuerit uni magnarum Horarum adſiſtere; ſtatutum hoc exequi nequit, quod non modo Conſtitutioni, quam colit Eccleſia, quamque Eccleſia Gallicana ut legem ſpectat, ratione etiam magis peculiari; quam

aliæ

aliæ regiones, cum eam per Pragmaticam Sanctionem adeo ſolemniter acceptaverit, verum etiam Concilii menti, boniſque moribus adverſatur, propterea quod anſam præbet facile opinandi haud ita gravem eſſe obligationem Horis Canonicis adſiſtendi, quoniam retributio iis annexa, etiamſi uni tantum harum Horarum adſiſtentia præſtetur, obtineri poteſt; atque ita a ſervitio, quod Eccleſiæ debent, Canonici videntur abduci. Quod ſi non deſunt Eccleſiæ, in quibus adſiſtentia non opus eſt, ut Capituli panis obtineatur, id ſane nihil evincit, cum in his Eccleſiis præter Capituli panem Horæ Canonicæ diſtributionibus peculiaribus donatæ ſint, atque adeo ſervetur regula, qua ſtatuitur cuilibet Officio diſtributionem ſuam reſpondere, & panem Capituli non ut ex diſtributionum, ſed ut ex magnorum Prabendæ fructuum fundo provenientem ſpectandum eſſe. De cætero teneri Capitulum huic incommodo providere, omneſque Canonicos id pro viribus conari debere, ac legem exequi adductam in Pragmatica Sanctione eodem titulo §. *Jubet*, qui verbis hiſce conceptus eſt: *Jubet etiam Sancta Synodus, quod in illis Eccleſiis, in quibus ſingulis horis certæ diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omnino etiam de groſſis fructibus, ſi opus ſit, deputentur.* Hactenus porro reſtituendum non judicari, quod bona ſtatuti fide perceptum eſt.

Quoad quæſtionem quintam, Capitulum non poſſe valide cuivis Canonico diſpenſationem generalem dierum decem in Defunctorum Officiis impertiri; & cum in regulæ cognitionem venerit, ei ſe confirmare debere. Neque vero decem modios tuta conſcientia percipi poſſe ex diſpenſatione, quæ obtineatur extra caſum ægritudinis, aut operæ in Eccleſiæ utilitatem præſtitæ, ut ſupra eſt declaratum. Quoad allatum Pariſienſis Eccleſiæ exemplum, animadvertitur eſſe Capitula, quæ vacationum tempore diſtributiones perinde ac magnos fructus concedunt; at Subſcriptos de peculiarium Eccleſiarum rationibus ignorantes non id in animo habere, ut ſuam, ad eas quod attinet, ſententiam proferant; ſed ſolum ut generalibus Eccleſiæ regulis adhæreant, & ad eas ſuam reſponſionem conforment.

Quoad quæſtionem ſextam, conſuetudinem adjudicandi reditus omnes, nempe tribuendi ſemper tanquam præſenti Panem Capituli, Secale, anniverſarium triticum & argentum ei, qui curam habet Eccleſiæ, videndique aliquando, quid ei ſit neceſſarium, qui a Fabrica nuncupatur, licitam eſſe; quia Capitulum, cum ſcire nequeat, quo potiſſimum tempore ille Eccleſiæ utilitati laboret, perſuaſum habere poteſt, eum, cum non adeſt, in Eccleſiæ commodum occupari; at Cuſtos hic, æque ac Syndicus eo ſolum tempore tuta conſcientia diſtributionibus frui poſſunt, quo Eccleſiæ deſerviunt; & quicquid extra hanc occaſionem, & infirmitatis caſum perciperent, ſine cauſa, & proinde injuſte perciperent. Quod ad eos quoque ſpectat, qui ut privatis negotiis, ut ſuo ipſorum ſolatio vacent, falſos prætextus arripiunt, fictiſque cauſis utuntur. Capitulum porro non poſſe Fabricæ Procuratori aut Syndico compenſationis titulo diſtributiones remittere, cum alium earum uſum Eccleſia inſtituerit, ut ex iis liquet, quæ ſupra ſunt dicta.

Quoad quæſtionem ſeptimam, ſatis eſſe Canonicorum obligationes expendi, ut liquido appareat in Choro canere eoſdem teneri; quid enim cauſæ fuit, cur Horis Canonicis adſiſtere cogerentur, niſi ut pro Eccleſiæ intentione eas recitarent, videlicet canendo, orando, & laudando Deo Eccleſiæ nomine, ut id aliis exemplo ſit; ad eos ſpectat orare Fidelium nomine, atque etiam eorumdem bono, & ſpectat ad Fideles eorum Orationibus & precibus ſe ſe conjungere; & quoniam titulares ſunt, eos tanquam huic obligationi Beneficiorum ſuorum vi obnoxios ſpectat Eccleſia. Hanc ob cauſam Pragmatica Sanctio ex Baſileenſi Concilio ducta monet Canonicos ad Eccleſiam accedere, ut ibi pſallant, neque eos ibi obſtructo ore eſſe debere, perinde ac ſi muti eſſent; & qui in Eccleſia primas tenent, ipſos debere in Dei honorem canere Pſalmos, Hymnos, & Cantica; eſt id in titulo, *quomodo divinum Officium ſit celebrandum*; & in Tridentina Synodo loco laudato: *Omnes divina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adſiſtere, & inſervire; atque in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter diſtincteque laudare.* Mediolanenſe Concilium ſub Sancto Carolo non ſatis habet idem aſſerere, ſed ſtatuit, eos, qui in Officiis nequaquam cecinerint, ſuis diſtributionibus privari, perinde ac ſi abſentes fuerint; Concilium Turonenſe an. 1583. idem præcipit *tit. de Dignitatibus & Canonicis* in hæc verba: *Cumque pſallendi gratia ibidem conſideant, muta aut clauſa labia non teneant, ſed omnes (præſertim qui majori funguntur honore) Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.* Ex quibus conſtat hæc omnia Concilia in eo convenire, ut Canonici tantum canendi animo ad Chorum veniant, ibique ejuſmodi ſit eorum munus, & obligatio. Ad ea vero, quæ contra prolata ſunt, facilis reſponſio eſt. I. non adeo difficilem Pſalmodiam eſſe, ut qui canendi regulas minime callent, Chorum ſubſequi nequeant, atque id agere, quod agit populus, qui ut ſuo Deum cantu laudet, Clero concinit. II. inſtituente Capitulo, ut pſallatur, prout in Tridentina Synodo & in Pragmatica ſtatutum eſt fore ut cantus attentionem & devotionem potius augeat, quam impediat: *laudes divinæ per ſingulas horas non curſim aut feſtinanter, ſed tractim & cum pauſa decenti, præſertim in medio cujuslibet verſiculi pſalmorum, debitam inter ſolemne & feriale Officium differentiam ſervando, reverenter ab omnibus perſolvantur.* Hæc ſunt verba Pragmaticæ, ita ut incommodum, quod proponitur, cum nonniſi abuſus, qui in Cantoribus toleratur, effectus ſit, ſit omnino corrigendum, ut Viennenſe Concilium ſtatuit in Clementina, *Gravi, de celebrat. Miſſar.* Qua quidem ratione Eccleſiæ cantus erit iis gratior, qui eo in præſentia perturbantur, & in omnibus eumdem pietatis effectum producet, quem olim in Divo Auguſtino, cum Mediolanenſis Eccleſiæ Officiis intereſſet, ut ipſe teſtatur in ſuis Confeſſionibus l. 9. cap. *Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis*, inquit hic S. Pater, *ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Auctores inter eos clariſſimi, qui de hac materia ſcripſerunt, ejuſdem ſententiæ ſunt; Navarrus *de Orat. c.* 10. *n.* 47. Fagnanus *in primam part.* 3. *Decret. de Clericis ægrotantibus, cap. Cum percuſſio*; Barboſa *de Canon. cap.* 34. *n.* 9. *& ſeqq.* Paulus Comitolus *reſp. moral. l.* 1. *q.* 62. quorum nos ſententiæ ſubſcribimus cum prudenti reſtrictione quoad dies, in quibus Muſica locum habet: *Illud tamen pro Canonicorum cauſa*, inquit hic Auctor, *diſſimulandum non eſt, diebus feſtis, ſive profeſtis, cum aliqua divini Officii pars, cum harmonica modulatione a Cantoribus, qui Canonici non ſunt, perſolvitur in Choro, eos tunc a pſallendo magna voce tuto ceſſare poſſe.*

Quoad octavam quæſtionem, ejus ſolutionem a præcedentis ſolutione pendere; facta enim hypotheſi teneri Canonicos in Choro canere, extra omnem dubitationem eſt, eos non poſſe tuta conſcientia Officium ſuum dicere, dum Horæ Canonicæ, aut Anniverſaria canuntur, prout ſtatuitur in Pragmatica, quæ prohibet, ne Officium privatim recitetur, dum Horæ canuntur: *Nemo ibidem, dum Horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatum Officium; nam non ſolum Officium, quo obnoxius eſt Choro, ſubtrahit, ſed alios perturbat.* Unde infert, Canonicum id non præſtantem, quod Choro debet, ne diſtributione quidem dignum eſſe, prout in Mediolanenſi prima Synodo ſtatutum eſt; non imus tamen inficias Auctores eſſe, qui contra ſentiant.

Quoad quæſtionem nonam, ſi exiſtant Anniverſaria, in quibus ſoli Capellani canere teneantur, haud ægre concedendum eſt licere Canonicis privatum interea Officium dicere.

Quoad quæſtionem decimam, obligationem Horis Canonicis adſiſtendi maximam eſſe, etiamſi nulla diſtributio ſperanda eſſet; diſtributiones enim ob id unum ſunt inſtitutæ, ut magis magiſque excitaretur diligentia Canonicorum, quorum obligatio per

hanc

hanc circumſtantiam haud major evaſit. Eam Tridentina Synodus ſatis explicat *Seſſ.* 24. *c.* 12. quoniam jubet in eum gravem pœnam infligi, qui pluſquam tribus menſibus abſuerit, privari nempe dimidia parte fructuum, quos abſentiæ ſuæ anno primo lucratus fuerit, ac ſi in eadem negligentia perſtiterit, fructibus omnibus, quos ipſo quidem anno perceperit, ſpoliari. Atque hæc Conſtitutio nititur ea regula: *non datur Beneficium niſi propter Officium*. Garcias *de Beneficiis p.* 3. *c.* 12. plures Cardinalium Declarationes affert, quæ id confirmant, quod dictum eſt, exactamque reſidentiam neceſſariam eſſe demonſtrant; quæ quidem non in eo ſolum verſatur, ut in Urbe, in qua eſt Eccleſia, reſideatur, ſed ut actuale ſervitium Eccleſiæ præſtetur, Horis fideliter adſiſtendo. Porro *num.* 323. hanc Declarationem in medium affert: *Decretum hoc intelligendum eſt, ut Canonici non poſſint abeſſe ab Eccleſiæ ſuæ ſervitio ultra tres menſes ſingulis annis; nihilque illis prodeſſe, quod in Civitate maneant, niſi Eccleſiæ debitis Horis inſerviant; intelligendumque eſt omnes in contrarium conſuetudines per hoc Decretum eſſe ſublatas*. Qua in re Garcias eodem loco ita loquitur: *Peccant mortaliter, nec ſatisfaciunt, ſi notabiliter abfuerint a ſervitio Eccleſiæ*. Neque vero confici dies abſentiæ per differentium Horarum, a quibus quis abfuerit, collectionem, ſed tantum dierum integrorum ratione haberi juxta Declarationem Cardinalium relatam n. 327. *Congregatio cenſuit non poſſe confici ex horis, quibus Canonici reſidentes abſunt a Choro, dies, & ex diebus & horis ſic collectis confici menſes abſentiæ, de quibus in hoc Decreto, neque ad colligendum ſervitium novem menſium colligendas eſſe puncturas, quaſi ii qui novem partes puncturarum ex duodecim habeant, ſervitio novem menſium debito ſatisfecerint; ſed ipſos dies reſidentiæ & ſervitii ſive continui, ſive interpolati numerandos eſſe, ut complementum dictorum novem menſium*. Nequaquam cenſeri aliquot horarum abſentiam lethale peccatum eſſe, ſed abſentiam notabilem ad id requiri; Canonicum ab Eccleſiæ Officio ſolatii gratia recedentem peccare gravius, quam qui negotii cauſa recedit; ſed aliter ac Garcias notat, lethale peccatum difficile notari poſſe, niſi variis ſpectatis circumſtantiis, quæ abſentiam hanc comitantur.

Quoad quæſtionem duodecimam, minoribus Horis adſiſtendum eſſe, & cum eæ pars ſint Officii, propter quod majores fructus tribuantur, peccari adſiſtentia iis non præſtita, & tum præſertim, cum id aſſolet. Quoad id, quod in quæſtione reliquum eſt, aptius reſponderi poſſe non creditur, quam adducta Pragmatica Titulo *de his, qui vagantur per Eccleſiam tempore divinorum Officiorum*.

Quoad quæſtionem decimam tertiam, expedire, quoad fieri poſſit, haberi Capitulum extra minorum Horarum tempus; at ſi quid tamen urgeret, illud hoc quoque tempore haberi poſſe. Exiſtit hac in re Pragmaticæ reformatio, quæ omnino tenenda eſt.

Quoad quæſtionem decimam quartam, diligenter ſervanda eſſe Statuta, quibus præcipitur, ut ſingulis Horis ad finem tertii verſiculi primi Pſalmi adſiſtentia præſtetur, ad finem Horarum uſque; & Anniverſariis ante primam Antiphonam, & Miſſæ ante Evangelium. Quamquam videtur, ad Miſſam quod ſpectat, ingreſſus ante initium Epiſtolæ ſtatui poſſe, cum plures ſint Theologi, qui putent Miſſæ poſt Epiſtolam ad finem uſque adſiſtendum eſſe, ut præcepto, ſtatis diebus, ſatisfiat. Cæterum hoc ſtatutum omnino mutari non poſſe, cum in Capituli poteſtate non ſit, majorem in his rebus libertatem ſibi arrogare. In juratis porro ſtatutis, niſi Generalium Capitulorum auctoritate, diſpenſari non poſſe.

Quoad quæſtionem decimam quintam, Statuta, Conſtitutiones Capitulorum, Reſcripta, juxta reformationes, ut in Choro canatur, & quivis in ſua Canonicali ſede maneat, aliter eadem ſedes ſit optabilis, in conſcientia obligare, cum ad diſciplinam inter Canonicos ſervandam edita ſint.

Deciſum Pariſiis die poſtrema Januarii an. 1679.

A. *de Lamet*.

Canonici adſiſtentiæ fundatis Officiis præſtandæ obnoxii.

CASUS II.

1 *Canonici, aliique Cathedralis Eccleſiæ Beneficiarii diſtributiones recipere nequeunt, niſi Anniverſariis, aliiſque Officiis fundatis adſiſtant. Oppoſita conſuetudo eſt abuſus, qui eos Officiorum, quibus præſentes non fuerint, diſtributiones reſtituendi obligatione non eximit.*

2 *Beneficiarius, qui ad Officium non accedit, niſi cum aliquid pecuniæ lucrandum eſt, & egreditur, cum primum id ſe lucri feciſſe putat, de Simonia, aut de ſordido lucro ſuſpectus eſt.*

3 *Habenda non ſunt Capitula Officii tempore, niſi negotium celeritatem requirat, & nullam dilationem pati poſſit.*

QUÆSITUM.

Sunt in Eccleſia Cathedrali plures Anniverſariæ commemorationes fundatæ, quibus jampridem Canonici minime adſiſtunt, contenti Chorum ingredi, & ſtationes tantum contingere, quo facto confeſtim exeunt; quod æſtuum perpetuum efficit hujus officii tempore; & fere in Choro non remanent niſi Cantores mercede conducti, qui Officium peragunt magna cum irreverentia, & præcipitatione, male pronunciantes, & verſiculos anticipantes. In hoc abuſu perſiſtunt Canonici ſine ſcrupulo, contendentes Anniverſariorum pleraque a ſuis Anteceſſoribus fundata eſſe, qui per ſe ipſos id cognoſcentes expectare debuerunt, & in animo habere ſuas fundationes melius implendas non fore. Jam vero receptum eſt illud ubique gentium: *volenti non fit injuria*; verum præterquamquod in hac Eccleſia ſunt Anniverſaria ab aliis, quam a Canonicis inſtituta, ratio, quam afferunt, eos minime purgat quoad ea, quæ a Canonicis ſunt fundata; licet enim non deſint, qui prava conſcientia abrepti alios decipiant, aliorum bonis potiantur, aut ab iis, quibus mutuum dant, uſuras accipiant; nemo tamen eſt, qui decipi, aut uſuris opprimi velit. Pro certo igitur habendum eſt, Canonicorum, qui Anniverſaria fundarunt, eam mentem fuiſſe, ut cum pietate, aſſiduitate, atque ædificatione celebrarentur, ac ſi hac fundationes inſtituerent, quo tempore peſſime celebrabantur, eos in eam adductos ſpem fuiſſe, ut ſerius ocyus huic incommodo occurreretur. Hi quidem interea nunc temporis in hac prava conſuetudine tranquille vivunt, & moriuntur; Confeſſarii nihil ipſis propterea ſcrupuli injiciunt, quoniam ipſis, dum valent, & dum ægrotant, quin conſilium mutent, Sacramenta adminiſtrant.

Sunt etiam in eodem Capitulo nonnulli Canonici, qui de doctrina adeo inter Theologos & Caniſtas recepta nequaquam ſolliciti: *Clerici intereſſentes divino Officio, principaliter propter diſtributiones, ſimoniam committunt, & peccant mortaliter*: videntur unice propter diſtributiones adſiſtere; etenim fere nunquam Officiis interſunt, in quibus nihil percipitur; & cum aliquid percipitur, abeunt, ſtatim ac diſtributiones lucrati ſunt. Cum a Matutino receſſerint, ad Laudum finem redeunt, quia omnis adſiſtentiæ jacturam facerent, niſi ad *Benedictus* adeſſent. Et cum extra Chorum exiſtunt, vagantur & otiantur uſque ad *Benedictus* in Sacriſtia, aut in Clauſtro. Qua in re orantur humillime Domini Sorbonæ Doctores, ut dicant, quod ſentiunt, & quæſtionibus ſequentibus ſatisfaciant.

I. An a Canonicis adducta ratio, ut eo, quo expoſitum eſt, modo Anniverſariis interſint, coram Deo eos excuſet, & a reſtitutione immunes reddat?

II. An Confeſſarii teneantur ipſis inde ſcrupulum facere, & abſolutionem negare, donec a ſuſcepta ratione receſſerint?

III. Quid de iis ſentiendum, qui Officio Canonico non adſiſtunt, niſi cum diſtributiones præſto ſunt,

ſunt, ab eoque recedunt, ut, quo tempore ſe nihil damni pati probe ſciunt, otio indulgeant?

IV. An Canonici poſſint Capitula, in quibus negotia tractantur, cogere Anniverſariorum Officii tempore, quamvis intelligant his Congregationibus a Choro eos etiam abduci, quibus Religio maxime cordi eſt, & ſuam præſentiam magis eſſe neceſſariam putant in Capitulis, in quibus non ſemel ſtatuuntur res ad Eccleſiæ bonum accommodatæ?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Canonicos, de quibus agitur, qui nempe in Chorum ad Anniverſaria ingrediuntur, ſtationem vix tangunt, & ſtatim exeunt, diſtributiones iis annexas nequaquam lucrari. Id omne, quo quidem pacto expoſitum eſt, eſt adeo indignum, & pietatis, quæ harum fundationum origo fuit, rationi repugnans, ut ſupervacaneum ſit momenta quæri ad oſtendendum hanc praxim abuſum eſſe, qui ſtatim reformandus eſt in Capitulo, aut, eo deficiente, per ſuperiorem, ad quem in eum finem eſt confugiendum.

Rationes, quæ evincunt in hac facti ſpecie abuſum exiſtere, ducuntur ex fundatione ipſa, & fundatorum mente, & diſtributionum fundationibus annexarum ratione.

I. Nullum ſuppetit argumentum, Canonicos his Anniverſariis antiquitus non adſtitiſſe. E converſo fit veroſimillimum, Canonicos, cum per longum tempus iiſdem adfuerint, ut Bonifacius VIII. animadvertit, paulatim deferbuiſſe, & deinde ſervitio non præſtito diſtributiones lucrari contendiſſe; id ipſe deteſtatur, jubetque huic abuſui modum imponi, qui ætate ſua in nonnullis Eccleſiis jam altas radices egerat, *cap. 1. de Cler. non reſid. in 6. Conſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inolevit, qua Canonici & alii Beneficiarii ſeu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum diſtributiones &c. penitus improbantes.* Si horum Officiorum fundationum Tituli perpendantur, intelligetur Canonicos iis adſiſtere debuiſſe, ut diſtributiones lucrarentur; id cum ita ſe habeat, non potuerunt illi ſua privata auctoritate uſum inducere legi contrarium, quæ fundationis vi ipſis eſt impoſita, & cum detrimento tertii, qui certis tantum conditionibus ſua bona largitus eſt; quod ſi adhuc apud eos ſuperſunt hi tituli, qui eorum obligationem indicant, minus ſane excuſabiles, & magis in mala fide ſunt.

II. Eorum, qui fundationes has inſtituerunt, ea fuit & eſſe præcipue debuit intentio ut Deo cultus exhiberetur, & ſuis deinde animabus ipſi ſolatium quærerent; at vero Deus dedecoretur non ſolum Canonicorum in Chorum ingredientium ſtatimque egredientium (quod ſine indecentia, & fortaſſe abſque Officii perturbatione fieri non poteſt) hoc æſtu reciproco, verum etiam ratione, qua Cantores hæc Anniverſaria expediunt, videlicet, ut ſignificatum eſt, abſque modeſtia & oſcitanter, anticipatis verſiculis & male pronunciatis; ita ut Fideles, qui hæc Anniverſaria fundarunt, vix quicquam ſubſidii ex hujuſmodi precibus poſſint percipere. Non eſt ſane credibile eos ſatis habuiſſe ſuas fundationes hac ratione perſolvi, licet illa eorum temporibus in uſu eſſet, quia ea pietatis rationi, quæ illarum fons eſt, adverſatur; alioquin ſtatuendum eſſet, eos, cum has fundationes pietate, & religione afflati inſtituerint, de modo, quo hæc inſtitutio effectum ſuum ſortiretur, ſollicitos non fuiſſe; porro ſupponi aut præſumi omnino non poteſt diſpoſitio tam parum rationi conſona, tam parum Chriſtiana, & ad avertendum pietatis effectum adeo accommodata.

Credendi ſunt ii potius in eam ſpem adducti fuiſſe, ut probi viri quærerent, adhiberentque ſerius ocyus efficaces rationes, quibus tam gravis abuſus aboleretur, & Canonici his Anniverſariis adſiſtere cogerentur ſub pœna amittendi diſtributiones juxta Eccleſiæ regulas; quemadmodum etiam fore, ut indecens ratio, qua Cantores obeunt hæc Officia, reformaretur; horum enim Anniverſariorum Fundatores neutrum magis probarunt, licet utrumque ſuis temporibus irrepſiſſe non ignoraverint.

III. Poſtrema ratio petitur ex diſtributionum natura, ſeu potius ex fine, propter quem illæ in Eccleſia ſunt inſtitutæ; in iis quippe propoſita eſt divini cultus conſervatio & augmentatio. Tradit id Tridentina Synodus expreſſis verbis *ſeſſ. 21. c. 3. de reform. Ne qua in parte minuatur divinus cultus, ſed ei debitum in omnibus rebus obſequium præſtetur, ſtatuit ſancta ſynodus in Eccleſiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones*, &c. Rebuffus in Concordato *tit. de collat. §. 1. v. Diſtributionum* hanc ſententiam tuetur: *Fuerunt inventæ diſtributiones quotidianæ in honorem cultus divini, ut Beneficiati facilius convenirent ad divina.*

Quod jus monet de diſtributionibus quotidianis, pertinet ad eas pariter, quæ Anniverſariis annexæ ſunt: *De diſtributionibus etiam pro Defunctorum Anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum*, inquit Bonifacius VIII. loco appellato. Guimerius in Pragmaticam *tit. quo quiſque debet eſſe in Choro §. jubet*, Rebuffus in Concordatum *tit. de collat. §. 1. v. Diſtributionum* docent diſtributionum vocabulo eas, quæ Anniverſariis aſſignantur, ſignificari.

Hoc poſito, reſpondetur,

Ad quæſtionem primam, Canonicos cum irreverentia, de qua in expoſitione mentio facta eſt, Anniverſariis adſiſtentes nequaquam coram Deo excuſabiles eſſe, & ad reſtitutionem obligari; quia extra juris caſum Officii, cui adſiſtentia præſtita non eſt, diſtributiones percipi & retineri non poſſunt. Diſertum eſt in hanc rem Caput *Conſuetudinem de Cler. non reſid. in 6. Rerum ſic receptarum dominium non acquirat, ut eas faciat ſuas, immo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi conſtitutionem receperit, teneatur.* Hæc quoque Guimerii ſententia eſt *l. c. §. officiales v. Percipiunt.*

Canonici non poſſunt conſuetudinem allegare, ut abuſum ſuum tueantur; jus enim eam nullam declarat his verbis: *Conſuetudinem penitus improbantes*, inquit Bonifacius VIII. Tridentina ſynodus hujus Pontificis Conſtitutionem inſtaurat, rejicitque omnes in contrarium conſuetudines & ſtatuta: *Decretum, quod incipit, Conſuetudinem, ſancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & Conſuetudinibus.* Concilium Aquiſextienſe an. 1585. celebratum hanc diſciplinam Bonifacii VIII. Decretis firmatam ſervari mandat; additque non licere Canonicis Officiorum, quibus non adfuerint, diſtributiones pactis, ſtatutis, aut aliter ſibi mutuo largiri, aut remittere. Tridentina Synodus id jam vetuerat: *Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant.*

Reſtitutio, ad quam hi Canonici tenentur, juxta laudabiles eorum Eccleſiæ conſuetudines applicanda eſt. En Aquiſextienſis Concilii verba: *Tridentini Concilii & Bonifacii VIII. auctoritate nixi decernimus, ut nulla Canonicorum aut aliorum pactio, remiſſio, vel colluſio fiat, aut facta vim habeat; nullumve ſtatutum aut Conſuetudo, quæcumque illa ſit, valeat, quibus aut abſenti quavis de cauſa, ejus vel ſacræ horæ, in qua muneri ſuo defuerit, aut omnino cuiquam contra quam jure communi & ejuſdem Tridentini Concilii definitum ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint, quod ſi datæ fuerint, nec in conſcientia, nec alio modo ſuas faciat, ſed eas reſtituere teneatur, diſponaturque de illis juxta probatas illius Eccleſiæ conſuetudines.*

Poſſent hoc loco diſtingui diſtributionum genera duo; (a) aliæ, quæ præſentibus accreſcunt, & aliæ quæ fixæ ſunt, & ſemper eædem Diſtributiones Anniverſariis annexæ ex priorum, ut videtur, numero ſunt; atque ita quas Canonici his Officiis non adſiſtentes receperunt, iis, qui adſtiterunt, reſtituendæ ſunt, niſi hi quidem velint Capitulo jus ſuum remittere. At quoad alias, reſtitutio debet Capitulo, aut Fabricæ accreſcere, aut in operibus piis impendi juxta Tridentinum Concilium ſeſſ. 22. c. 3.

(a) Guimerius in Pragm. tit. de temp. capit. & c. §. qui vero v. neque Azor. 2. p. l. 7. c. 7. q. 8. Barboſa de can. c. 23. n. 17. & in Tridentin. ſeſſ. 22. c. 3. n. 5.

22. c. 3. *Fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicetur*. Uno verbo hac in re Capitulorum conſuetudini ſtandum eſt, & Aquiſextienſis Concilii modo laudati ſententiæ: *Diſponaturque de illis juxta probatas illius Eccleſiæ conſuetudines*. Neque vero Canonici in conſcientia tuti eſſe dici poſſunt, quod harum diſtributionum fundatores non aliam ad eas lucrandas conditionem poſtulaverint, quam ut ad Chorum tantummodo accederetur. Clara, inquiunt, hujus rei videtur probatio; qui enim hæc Anniverſaria fundarunt, Eccleſiæ morem non ignorarunt; eorum igitur ea mens fuit, ut ſua Anniverſaria eadem ratione celebrarentur, & ſalutato vix Choro, nec adſiſtentia precibus ab iis fundatis præſtita, perciperentur.

Reſpondetur, I. Hanc rationem nihil virium habere quoad eos fundatores, qui cum Canonici non fuerint, quo demum pacto hujus Eccleſiæ fundationes explerentur, ignorarunt. Atque inde quidem ſequitur, Canonicos, ad hæc Anniverſaria quod attinet, nihil habere cauſæ, quamobrem a præſtanda iis adſiſtentia ſecum ipſi diſpenſent.

II. At quoad ea, quæ a Canonicis fundata ſunt, cum abuſus jam irrepſiſſet, aſſeri vere non poteſt Fundatores ſatis habuiſſe ad diſtributiones obtinendas ad Chorum accedi; immo vero cum fundationem quis inſtituit, conſuetis Eccleſiæ Legibus & Regulis eam conformare velle cenſetur; porro de Eccleſiæ mente judicari poteſt ex eo, quod vulgo receptum eſt: *Beneficium propter officium*, quod potiſſimum in præſenti facti ſpecie locum habere debet, ita ut is tantum diſtributiones lucretur, qui Servitiis adſiſtit. Uno verbo Fundatoribus injuriam irroget, qui eorum mentem eam fuiſſe contendat, ut Officia, qua celebrantur, ſcandaloſa ratione celebrarentur. Jam ſupra declaratum eſt, qualis ſit, & eſſe debuerit Fundatorum intentio.

Quoad interrogationem alteram, reſpondetur a Confeſſariis monendos eſſe Canonicos, qui ad eos accedunt, de obligatione, qua adſtringuntur, Anniverſariis adſiſtendi, ut diſtributiones lucrentur; ac ſi forte ad bonam frugem redire nolint, abſque abſolutione remittendos eſſe tanquam Sacramentis indignos, & quamdiu in praxi a juſtitia, bonoque exemplo remota, atque ab Eccleſia proſcripta perſtiterint, a ſalutis via oberrantes.

Quoad tertiam, Canonicum, aliumve Beneficiarium, Officio tum ſolum adſiſtentem, cum adeſt diſtributio, & in Choro per id modo tempus morantem, quod ad eam obtinendam requiritur, ſtatimque egredientem anſam præbere præſumendi eam tanquam adſiſtentiæ ſuæ pretium ab ipſo ſpectari, quod aperta ſimonia eſt; aut ſaltem tanquam ſuum finem præcipuum, ad quem unice intentionem ſuam referre videtur; quod pariter eſt ſimonia juxta plures Auctores, & juxta alios inordinatio, quæ rerum temporalium amorem juſto vehementiorem indicat, quoniam ad eas refert res ſpiritales, id quod haud leve peccatum eſt.

Simoniacum quidem non ſemper eſt Officiis adſiſtere, cum adeſt diſtributio, & cum non adeſt, non adſiſtere; poteſt enim Canonicus diſtributionem ſpectare tanquam cauſam impellentem, & motivum ad Officium accedendi, quo deficiente ei non adſiſteret; atque eodem tempore ſibi proponere tanquam finem cultum, quem Deo exhibet, & Religionis actus, qui cum hac actione conjuncti ſunt; hoc in caſu diſtributio eſt finis proximus & primarius, qui Canonicum ad Officium impellit, non autem finis totalis & unicus; qua in re ſimonia nulla eſt. At in caſu Canonici, de quo agitur, qui nempe nunquam ad Canonicum Officium accedit, niſi cum adeſt diſtributio, & egreditur, quin conſiſtat, Chorum tantummodo contingens, non ita res ſe habet; præbet enim anſam credendi eum tantum lucrandi, non vero Religionis actum edendi cauſa ad Chorum accedere; & quod inde conſequitur, ejus intentio eſt Simoniaca; aut ſaltem maxime vituperanda.

Ad quartam & poſtremam quæſtionem quod attinet, haud habendæ ſunt Capitulares Synodi, dum Officium in Choro celebratur, & proinde dum ſunt Anniverſaria, niſi adſit neceſſitas, aut aliqua urgens cauſa, quæ dilationem non patiatur; tunc enim imminuitur divinus cultus per Miniſtrorum, qui ei vacare tenentur, abſentiam. Ita ſentiunt Garcias 3. *p*. *c*. 2. *n*. 348. &c. & Barboſa *de Canon. & Dignit. c*. 35. *n*. 14. &c. Ambo Auctores hi trium Declarationum Congregationis Cardinalium meminerunt.

Prima Declaratio eſt Congregationis Rituum an. 1600. confirmata per Breve Clementis VIII. *Quod ſi dum Miſſa & alia divina Officia celebrantur, aut Horæ Canonicæ recitantur, Capitula habere voluerint, niſi forte evidens neceſſitas id poſtulaverit, ejus horæ, in qua id commiſerint, quotidianas diſtributiones minime lucrari debere, cenſuit ſacra Rituum Congregatio*. Cardinales rationem afferunt, propter quam Capitula habenda non ſint: *Ne divinus cultus propter Miniſtrorum ſubtractionem minuatur*.

Declaratio tertia eſt Congregationis Concilii an. 1632. cujus hæc verba ſunt: *Capitulum non eſſe habendum eo tempore, quo divina Officia celebrari debent, niſi cauſa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur; quod ſi ſecus fiat, Canonicos nequaquam lucrari diſtributiones quotidianas, pro illis horis, quibus divinis non interfuerint; & eo caſu Epiſcopum poſſe ſine conjudicibus contra Canonicos procedere ad ſubtractionem fructuum, & ad multas ab eo impoſitas*.

Porro Aquiſextienſe Concilium an. 1585. ſtatuit, ne Capitula niſi poſt veſperas habeantur, ne quid detrimenti divinum ſervitium patiatur: *Capitula cum fiunt, ne fiant mane, ſed tantum poſt Officium Veſperarum peractum, ne divina Officia perturbentur, & ne Canonici a divinis Officiis abeſſe cogantur, niſi forte urgens & evidens ingruerit neceſſitas*.

Garcias refert plures Provincialium Conciliorum Conſtitutiones, quibus Capitulares Congregationes divini Officii tempore interdicuntur; idemque Auctor aſſerit, Capitulo & Officio concurrentibus, præferendum Officium eſſe; aliquando tamen cauſæ adeo graves adeſſe poſſent, ut Capitulo adſiſti eo in caſu ſatius eſſet.

Si Declarationes Congregationis Cardinalium, & Statuta Provincialia non ſatis auctoritatis habent, ut legem conſtituant, quia fortaſſe reſpondebitur ea recepta non eſſe; rationes ſaltem, quæ his Declarationibus, hiſque Statutis fundamenti loco fuerunt, poſſunt regula eſſe, ut iis pareatur.

Deciſum hac die 31. Decembris an. 1693.

G. *Fromageau*.

Canonici. Eorum adſiſtentia Officiis præſtanda.

CASUS III.

1 *Canonici Eccleſiæ ſuæ Officio adſiſtere tenentur, excepto vacationum tempore, quod nonniſi trium menſium eſſe poteſt, juxta Tridentinum Concilium*.

2 *Non poſſunt tuta conſcientia ſuarum Præbendarum fructus percipere, cum abſque neceſſitate plus quam tribus menſibus ab Officio receſſerint*.

3 *Theologalis Canonicus ab Officio exemptus non eſt, niſi dum concionatur, aut docet*.

4 *Theologalis ad concionandum aut docendum adigi poteſt*.

5 *Collegii Moderator, qui Præbendæ proventibus fruitur, docere tenetur, ſi fructus & diſtributiones legitime percipere vult; & niſi doceat, Officio debet adſiſtere*.

6 *Canonici ante finem primi Pſalmi magnarum Horarum, & ante Kyrie Miſſæ ad Officium ingredi debent*.

7 *Canonicus Receptor non lucratur, niſi cum adſiſtit Officio, aut in Eccleſiæ bonum laborat*.

8 *Miſſæ Canoni nihil addi poteſt*.

9 *Cum B. Virginis Officium fundatum eſt, Canonici ejus diſtributiones non lucrantur, niſi quamdiu ei adſiſtunt*.

10 *Vacationum tempus pro variis conſuetudinibus coarctari poteſt; atque hæ vacationes abſque legitima cauſa conceſſæ non ſunt*.

RESPONSIO.

CONſilium, quod vidit articulos ad adſiſtentiam divinis Officiis a Canonicis præſtandam pertinentes, exiſtimat,

Quoad primum; Canonicos divino Officio in ſua Eccleſia adſiſtere teneri, & nonniſi ob cauſam legitimam, & in jure expreſſam ab eo abeſſe poſſe; ejuſmodi eſt vacationum tempus de more conceſſum, & quod quovis anno trium ad ſummum menſium eſſe debet juxta Tridentinæ Synodi conſtitutionem *Seſſ. 24. de reform. c. 12. Non liceat vigore cujuslibet ſtatuti aut conſuetudinis ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe; ſalvis nihilominus Eccleſiarum conſuetudinibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt*, &c. Concilium Provinciale Rothomagenſe an. 1581. *tit. de Epiſc. & capit. §. 23. Omnes Canonici, & qui dignitatem in Eccleſiis Cathedralibus obtinuerint, ad reſidentiam actualem obligari decernimus, ſub pœna amiſſionis fructuum, niſi ex legitima cauſa explicanda & ſcriptis tradenda abſentes fuerint, ita tamen, ut contra Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum fundationes & inſtitutiones non poſſit Capitulum judicare.*

Quoad ſecundum; Canonicos, qui abſque rationabili cauſa plus quam tribus menſibus ſeſe ſubduxerint, non poſſe diſtributiones percipere. Caput *Quo tempore* apertum eſt. *Tollens prorſus abuſum illum, quo in una dumtaxat hora prorſus totius diei diſtributiones uſurpat, & illum quo Præpoſiti vel Decani, aut alii Officiales, ex hoc ſolum quod Officiales ſunt, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt*. Et Tridentina Synodus loco laudato: *diſtributiones vero qui ſtatis horis interfuerunt, percipiant; reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, Conſuetudinem: quod Sancta Synodus in uſum revocat; non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus. In cap. Conſuetudinem*, quod extat in Titulo *de Clericis non reſident. in 6.* occurrunt verba hæc: *Ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis & Clericis Eccleſiarum, qui eiſdem Officiis in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur juxta cujuslibet Eccleſiæ ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit, (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas; immo ad omnium reſtitutionem, quæ contra ejuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur.* & Rothomagenſe Concilium loco appellato *Parag. 30. Ceterum cum de ratione celebrandi divini Officii accurate in Concilio Baſileenſi fuerit ordinatum, præcipit hæc Sancta Synodus in illo decreta: quomodo divinum Officium ſit ordinandum, & quo tempore quiſque debeat eſſe in Choro ſtatuant renovari, ac diligenter & ſine fraude ab omnibus obſervari.*

Quoad tertium; Theologalem concionandi aut docendi obligatione vi ſuæ fundationis adſtrictum, qui concionari poteſt, & non concionatur, docere poteſt, & non docet, tuta conſcientia non poſſe diſtributiones percipere, cum ſe Officio ſine juxta cauſa ſubtrahit; etenim Canonici titulo tenetur Officio intereſſe, niſi tum forte ad Lectiones aut Conciones ſuas ſeſe comparet.

Quoad quartum; Theologalem teneri docere, & ad id obligari poſſe; ideo quippe inſtitutus eſt. Docet id Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. cap. 18. *Qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ & Scholares pauperes gratis doceat*. Concilium pariter Lateranenſe ſub Innocentio III. idem tradit. Aurelianenſis Conſtitutio art. 8. ait: „ ea lege, ut concionetur, & Dei verbum annunciet quolibet „ die Dominico; edat & proſequatur tribus diebus „ in hebdomada Lectionem publicam Sacræ Scripturæ, & Canonici per ſuarum diſtributionum pri„ vationem ei adſiſtere cogantur.

Quoad quintum; Collegii Præfectum, qui Præbendam affectam habet, ad docendam Philoſophiam obligari, quod ſi eam non doceat Diſcipulorum defectu, non poſſe tuta conſcientia a Choro abeſſe, & diſtributiones lucrari, quas quidem non lucratur, niſi dum docet. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. quod hos Scholæ Magiſtros inſtituit, eos ad Eccleſiæ Clericos, alioſque pro viribus erudiendos comparatos eſſe pronunciat: *Qui Clericos Eccleſiarum ipſarum, & aliarum gratis in Grammatica facultate, ac aliis pro poſſe inſtruat*. Et Aurelianenſis Conſtitutionis Articulus nonus: „ eum teneri doce„ re Urbis adoleſcentes gratis & ſine ſtipendio, Haud docens nullam abſentiæ cauſam habet; eſt Canonicus, & adſiſtentiæ perinde obnoxius. In eamdem ſententiam loquitur Rothomagenſe Concilium loco citato §. 37.

Quoad ſextum; Canonicos ante *Gloria Patri* primi Pſalmi Chorum ingredientes, ne notentur, ſtatimque abſque rationabili cauſa egredientes, demum ad Officii finem, ut ad *Benedictus* & ad *Magnificat* in Chorum revertentes non poſſe tuta conſcientia diſtributiones percipere. Caput *Quo tempore* eos abſentes cenſeri jubet, qui non acceſſerint ad Matutinum ante finem Pſalmi *Venite exultemus*, & ad alias Horas ante finem primi Pſalmi, ad Miſſam denique ante finem prioris *Kyrie eleiſon*, nec ad finem uſque perſtiterint: *Qui in Matutinis ante finem Pſalmi Venite exultemus, in aliis Horis ante finem primi Pſalmi, in Miſſa ante finem ultimi Kyrie eleiſon, uſque in finem divino Officio non interfuerit, niſi forte neceſſitate cogente ac petita & obtenta a præſide Chori licentia diſcedere oporteat, pro illa Hora abſens cenſeatur*. Concilium Rothomagenſe mandat, id quod in Baſileenſi decretum eſt, ingenue ſervari; præterquamquod in hac adſiſtentiæ Officio præſtandæ ratione irreverentiæ, atque avaritiæ, religionis autem parum occurrit.

Quoad ſeptimum; Canonicum Receptorem non poſſe tuta conſcientia recedere, & diſtributiones lucrari octo menſium ſpatio, dum tantum nomine tenus Receptor eſt, ſuum officium committens Laico, qui lucri libras quingentas, omniumque curarum, quæ ad hoc munus pertinent, ſolutionem eidem reddit. Ex capite enim *Quo tempore* abuſus eſt, Officiales lucrari diſtributiones, quatenus Officiales ſunt, & tum etiam cum non ob Eccleſiæ utilitatem abſunt: *Ex hoc ſolum quod Officiales ſint, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint*.

Aliquæ ne Preces addi poſſint Miſſæ Canoni?

Quoad octavum; Miſſæ Canoni additionem nullam fieri poſſe; exempli cauſa Pſalmi *De profundis*, Orationum, rerumve ſimilium pro privata perſona. Debetur hæc reverentia Canoni, de quo Tridentina Synodus ait *Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſ. c. 4.* Eccleſia Catholica: *Sacrum Canonem multis ante ſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime ſanctitatem & pietatem quamdam redoleat, menteſque offerentium in Deum erigat. Is enim conſtat cum ex ipſis domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum inſtitutionibus*. Concilium Provinciale Remenſe an. 1583. celebratum Titulo *de Euchar. Parag. inter Miſſarum ſolemnia, maxime eodem, cujus meminimus, tempore, id eſt a conſecratione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, uſque ad Hymnum prædictum (Agnus Dei) ad Sanctiſſimam Communionem, quivis Pſalmi, etiam ille, cujus initium eſt, Lætatus ſum, Antiphonæ, Reſponſoria, preces, & ſuffragia alia ab his, quæ in Miſſali continentur, non admiſceantur; & ſi aliqua fuerint hactenus recepta, quacumque occaſione, vel inſtitutione, ante vel poſt Miſſæ celebrationem recitentur*. Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui tertio decimo ſæculo in vivis erat, de Canone loquens hæc habet: *Nulli ſubtrahere, vel addere licet; niſi forte quandoque eorum nomina, pro quibus nominatim ſacrificium offertur l. 4. ration. omnium off. c. 25. n. 12.* Joannes Beleth magni nominis Doctor Pariſienſis, qui florebat ſæculo decimo ſecundo, cujuſque Henricus Gandavenſis, & Trithemius honorifice meminerunt, idem docet: *Nulli hic conceſſum eſſe aliquid addere, vel detrahere, niſi quandoque nomen illorum, pro quibus ſpecialiter aut nominatim offertur ſacrificium. explicat, divin. Offic. cap. 46.* Micrologus, qui vivebat undecimo ſæculo, non aliter loquitur: *Nimis autem temerarium videtur, ut nos aliqua Canoni ad noſtrum libitum adjiciamus, niſi quæ a Sanctis Patribus adjecta, vel adjicienda eſſe cognovimus; præcipue cum inter ipſos Sanctos Patres nul-*

li aliquid adjeciſſe legantur, niſi qui & Apoſtolica auctoritate præditi hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac cauſa terminos noſtrorum Patrum non excedamus, nec nos Apoſtolicæ auctoritatis reos efficiamus, ſi quod ſoli Apoſtolicæ auctoritati competit, Canonem noſtris interpoſitionibus augmentare præſumamus, de Eccleſ. obſerv. c. 12. Uno verbo Canon appellatur, quia eſt regula, quæ in ſacrificii celebratione tenenda eſt. Walfriddus Strabo *cap.* 22. *de Ritibus Eccleſ.* ait Canonem nuncupari, *quia in ea eſt legitima & Regularis Sacramentorum confectio*. S. Gregorius *l.* 7. *Epiſt.* 63. Canonem vocat, dubio procul eadem de cauſa; & Optatus Milevitanus *l.* 2. & 3. contra Parmenianum ordinem legitimum dicit.

An Canonici poſſint ab Officio Parvo B. Virginis abſtinere?

Quoad nonum; Canonicos in adſiſtentia parvo Virginis Officio præſtanda ſecum ipſis diſpenſare non poſſe, cum illud in ipſorum Eccleſia fundatum eſt; & ſi forte abſque rationabili cauſa abfuerint, non poſſe recipere diſtributiones, quæ nonniſi ratione adſiſtentiæ ipſis conceſſæ ſunt, & ad quam obligantur ob eam cauſam, quod fundationem hanc acceptaverint.

De permiſſione, quam Tridentinum Concilium Canonicis tribuit, ut ad tres menſes abeſſe poſſint.

Quoad decimum; cum Tridentina Synodus Canonicos trium menſium ſpatio abeſſe permittit, ſi illi pro ſuarum Eccleſiarum conſuetudine ad longiorem reſidentiam obligantur: *ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt*, pro certo ponit ipſis licere aliquod abſentiæ tempus ſibi ſumere, atque hoc quidem tempus eſſe longius breviuſve pro variis Eccleſiarum conſuetudinibus; abſentiam tamen hanc ultra tres menſes extendi non poſſe, atque id temporis legitima de cauſa iis eſſe conceſſum, videlicet aut ob reficiendarum virium neceſſitatem, aut ob ſua ipſorum negotia, aut ob aliam juſtam & rationabilem cauſam.

Deciſum Pariſiis die 2. Septembris an. 1668.

A. *de Lamet*.

CASUS IV.

1 *Principia & regulæ ſuper reſtitutione, ad quam Beneficiarii obligari poſſunt.*
2 *Tenentur ſua debita ſolvere, antequam Eccleſiis, Pauperibuſve reſtituant.*
3 *Debent etiam ſuorum Domeſticorum ſtipendia ſolvere.*

QUÆSITUM.

Titius ætatis anno decimo quarto Canonicus creatus eſt in Cathedrali Eccleſia, in qua diſtributiones ad quintam proventuum partem aſcendunt. Abſolvit ſua ſtudia, in quibus annos decem impendit ad ſumptam uſque Doctoris Lauream; degere perſtitit Pariſiis aliis præterea ſexdecim annis, eoque temporis ſpatio poſſedit in Aula munus, cujus privilegio cenſetur quis præſens ſaltem ſex anni menſibus, ſemperque percepit Canonicatus reditus, quin reſideret, ullumque Eccleſiæ ſervitium præſtaret. Tranſactis iis annis ſexdecim, illud reſignavit cum trecentorum quinquaginta librarum penſione, quam ſemper Hoſpitali loci reliquit, animo minuendæ hujus ſummæ in ea, quam facere tenetur, reſtitutione. Epiſcopali deinde dignitate inſignitus eſt, nec amplius penſionem retinuit, ſed Titulari conceſſit. Inquiritur,

I. An Titius tuta conſcientia Canonicatus proventibus ſtudiorum tempore frui potuerit; atque an hæc fruitio uſque ad obtentam Doctoris dignitatem ſit extendenda, ita ut per id omne tempus nihil reſtituere teneatur?

II. An reditus omnes, quos per inſequentes annos ſexdecim percepit, reddere debeat, an vero ſuſtentationis ſuæ gratia partem retinere potuerit, ad quam reſtituendam non obligetur, idque ratione privilegii, quod ei ex munere ſuppetebat?

III. An penſio, quam ſibi reſervavit, quamque pauperibus reliquit, poſſit ad ſummarum, quas reſtituere tenetur, compenſationem accedere?

IV. An prius quam reſtituat, teneatur necne ſua debita ſolvere?

V. An Eccleſiæ, cujus erat Canonicus, reſtituere teneatur; & hoc in caſu debeatne reſtitutionem applicare ornamentis, an Miſſionibus, alicui inſtitutioni gratuitarum Sedium in Seminario, pauperibus Eccleſiaſticis, an ſimpliciter loci pauperibus?

VI. An debeat necne prælationis titulo Diœceſis ſuæ pauperibus opitulari, ita ut omnibus eorum neceſſitatibus ante reſtitutionem proſpiciat?

VII. Cum patrimonii nihil amplius retineat, quoniam illud in Epiſcopatus ſumptibus impendit: poteſtne pro rata hujus Patrimonii ex Epiſcopatus proventibus ſumere, quo reſtituat?

VIII. An patrimonii ſumma ad integram reſtitutionem non ſufficiente, eam ex Epiſcopatus reditibus complere poſſit, & hoc in caſu teneaturne de ſibi neceſſariis decerpere?

IX. An reſtitutionem hanc clam, an vero palam ad exemplum facere teneatur; atque hoc in caſu poſſitne, quibus reſtituit, eam apponere conditionem, ut pro ipſo Deum orent?

X. Si mortem occumberet, tenereturne effectus, qui ei forte fortuna reliqui eſſent, ut præteritos reditus, aut mobilia ad integrandam reſtitutionem relinquere?

XI. Ejus domeſticorum compenſatio, quæ ad ſtricti nominis juſtitiam pertinet, eſtne reſtitutioni anteponenda?

Titius ſuper his omnibus articulis deciſionem petit, quæritque, qua ſe ratione gerere debeat, ac ſi mors, aut aliquis alius improviſus caſus eum ab integra reſtitutione retardaret, ejus animus in ſalutiſne diſcrimine poneretur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, antequam propoſitis quæſtionibus ſatisfaciat, animadvertit I. eum, de quo agitur, in animo non habuiſſe, cum hunc Canonicatum recepit, ei deſervire, cum primum ſibi licuiſſet, ut ex eo poteſt intelligi, quod in allata expoſitione ſignificatur, quandoquidem nunquam reſediſſe videtur; in hoc caſu tenetur ille reſtituere, quicquid ex ſuo Canonicatu percepit, præter aliquam fortaſſe portionem recitati Officii ratione. Obligatio hæc eo nititur fundamento, quod Beneficium acceptare & retinere, & proinde eo frui non potuit in hac animi præparatione. Ex quo fit, eum quoque jure caruiſſe penſionis obtinendæ, cum hoc Beneficium dimiſit, & quod inde fit conſequens, eam pariter reſtitui oportere.

II. Verum ſi hujus Canonicatus ſervitium ex animo ſibi propoſuit, reſtituere tenetur quotidianas ſolummodo diſtributiones, eaſque, quas Tridentina Synodus vetat iis tribui, *Seſſ.* 24. *c.* 12. *de reform.* qui Horis nequaquam interſunt, facta hypotheſi in hoc proventu, quem Capitulum ipſi conceſſit, diſtributiones has contineri. Quoad diſtributiones alias non una eſt Capitulorum conſuetudo, tenendus perinde eſt in hoc capite mos Capituli, ad quod ſpectat is, de quo quæritur, Canonicatus. Debet etiam ipſe id reſtituere, quod eo tempore perceptum eſt, quo Canonicatui ſuo deſervire potuit, & debuit, & quo nequaquam reſedit.

III. Poſita reſtitutionis obligatione, applicanda eſt Fabricæ Eccleſiæ, cujus ipſe Canonicus fuit, ſi ea ejus indigeat; aut ſi affluat, in pietatis operibus, prout Ordinarius expedire judicaverit, eſt inſumenda. Præcipit id Synodus *Seſſ.* 22. *c.* 3. *de reform. Fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur.* Ad penſionem quod attinet, reſtitui debet in eodem caſu, de quo n. 1. Reſignatario, quia Reſignans ejus exigendæ jus nullum habuit.

His in hunc modum conſtitutis, ad propoſita reſpondetur;

Ad primum; Titium ſui Canonicatus reditibus frui potuiſſe animo, quem habuit, ei deſerviendi, atque ita quidem per omne ſtudiorum ſuorum tempus uſque ad Doctoris dignitatem.

Ad

Ad Secundum. Potuit etiam proventu ſibi a Capitulo conceſſo frui, dum in Aula officium poſſedit. Pragmaticæ Gloſſa de hoc privilegio loquitur in hæc verba *v. teneatur tit. qualiter horæ ſunt dicendæ: ſimiliter Capellani, Clerici familiares & domeſtici Regis & Reginæ, illorum ſervitio exiſtentes, percipiunt groſſos fructus Beneficiorum, tanquam ſi in eis reſiderent*. Ex quibus verbis conſtat hoc privilegium ceſſare, nec amplius reditibus fruendi jus conferre, cum non amplius ſervitium exiſtit; unde ſequitur ad reſtitutionem obligari, quiſquis alibi moratur ultra tempus privilegio conceſſum, nec Beneficio deſervit.

Ad tertium. Facta hypotheſi Titium nunquam reſignandi jus habuiſſe, quod ex penſione percepit, Reſignatario reſtituendum eſt tanquam res ad ipſum pertinens, & non pauperibus, ac proinde non videtur poſſe inde fieri compenſatio, quemadmodum in quæſtione hac proponitur.

Ad quartum. Titius antequam reſtituat, ſe ære alieno liberare debet, propterea quod hæc prior obligatio realis eſt, altera tantum perſonalis eſt.

Ad quintum. Huic quæſtioni ſatis eſt factum iis, quæ modo dicta ſunt *n.* 3. Quamvis enim Tridentinæ Synodo loco laudato nonniſi de diſtributionibus verba fiant, id de aliis quoque proventibus, quos Titius percepit, eſt accipiendum, facta hypotheſi ipſum ad eos reſtituendos obligari.

Ad ſextum. Primo debet id reſtituere, quod ad ipſum non pertinet, exempli cauſa penſionem, ſi eam legitime obtinere non potuerit; atque id quidem, antequam pauperum ſuæ Diœceſis neceſſitatibus conſulat; quoad alios reditus, id tenendum, quod dictum eſt *n.* 3.

Ad ſeptimum. Sumere debet ex Epiſcopatus proventu, unde reſtitutionibus, ad quas obligatur, ſatisfaciat.

Ad octavum. Debet ſumere non ex eo, quod ſibi neceſſarium eſt, ſed ex eo, quod ſibi poſſet, quod commodius viveret, retinere. Qua in re conformare ſe debet ſententiæ prudentis & perſpicacis Viri, qui decerptionem, quam Titius facere poſſit, ſignificabit, ſtatus ipſius, & ſtatus Diœceſis, ac demum æris alieni ratione habita.

Ad nonum. Non adeſt obligatio publice reſtituendi; ſatis Titius exemplo erit penſionem reſtituens ſibi a ſuo Reſignatario ſolutam, & ſui ſtapituli Fabricæ reddens, quod percepit: ad extremum ſe imitatione dignum exhibebit, cum ipſum a parte ſumptuum, quos facere poſſet, abſtinere conſtiterit.

Ad decimum. Teneretur id facere, quod in hac quæſtione proponitur.

Ad undecimum, poſtremumque. Titius præferre debet id, quod ſuis Domeſticis debet; videlicet prius quam reſtituat, eorum ſtipendia ſolvere propter rationem ſupra numero 4. in medium allatam. Cæterum Titius ad obligationes ſuas, quamprimum poterit, implendas animo comparatus perſuaſum habere debet minime fore, ut, ſi prius quam potuerit iis ſatisfacere, morte præventus fuerit, nequaquam de Salute periclitetur.

Deciſum in Sorbona hac die 29. Martii an. 1703.
G. *Fromageau*, *Habert*, *Precelles*.

Canonicorum diſtributiones.

CASUS V.

Diſtributiones manuales Canonicis abſentibus conferri non debent niſi in caſibus, in quibus id a Jure permiſſum eſt. Occurrunt illi in Bonifacii VIII. Bulla, quæ hoc loco in medium adducitur.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut velint accurate cauſas exponere, propter quas Canonicus, etiamſi Officio non interſit, diſtributiones lucrari poſſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, licet ex jure, qui quacumque de cauſa abeſt, diſtributiones nequaquam lucrari debeat *cap. Non deceat de elect. in 6.* quia diſtributiones ab ipſarum inſtitutione iis tantum ſunt conferendæ, qui Officio adſiſtunt, atque in eum finem, ut aſſiſtendi fervor excitetur; id tamen non impedire, quominus per ſtatutum aut conſuetudinem Canonico juſta de cauſa abſenti eædem concedi poſſint; atque hanc quidem conſuetudinem, inquit Pirring *tom. 3. n. 92. de Cleric. non reſid.* approbat Bonifacius VIII. *cap. Uni de Cleric. non reſid. in 6.*

Hoc poſito reſpondetur, diſtributiones concedi poſſe Canonico ex morbo convaleſcenti, veniamque petenti natale ſolum inviſendi ad priſtinam valetudinem cœli mutatione recuperandam; definiendum eſt hoc tempus, prout Medici, aliive prudentes Viri neceſſarium exiſtimaverint; ita Barboſa 3. p. de poteſt. Ep. alleg. 53. n. 169. & Pirring *loco citato n. 87.*

At non videntur diſtributiones legitime concedi poſſe Canonico recedenti, vel ut privata vota perficiat, & Romam anno Sancto proficiſcatur, vel ut ſuis patri & matri gravi morbo laborantibus præſto ſit; nulla enim ex his cauſis occurrit inter eas, quas probat Bonifacius VIII. ut jus adſit abſentiæ tempore diſtributiones lucrandi; quod de morbo monet Pontifex, ad ipſius Canonici perſonam, non autem ad ejus propinquos aut amicos refertur. Et ſane ſi ejuſmodi cauſis locus eſſet, Canonicis, aliiſque Beneficiariis occaſio præberetur ſæpenumero recedendi, ac propterea ſervitium, cultuſque divinus magnopere minueretur.

Deciſum in Sorbona die 14. Septembris an. 1689.
G. Fromageau, A. M. *Charton*, *Cornuau*, *Bouret*, *Tual*.

Canonici in dignitate, qui Epiſcopum comitantur.

CASUS VI.

1 *Capituli Dignitates ad Diœceſis ſervitium in gravibus negotiis ab Epiſcopo occupari poſſunt.*

2 *Epiſcopus iis identidem uti nequit, ut ſint in Comitatu, nec eas procul ab ipſarum Eccleſia diu detinere.*

QUÆSITUM.

Sunt in Cathedralibus Dignitates, quæ functiones ſuo Beneficio annexas habent; ejuſmodi ſunt Decanus, qui Capitulo præſidet, Cantus Magiſter, qui Choro præeſt, aliæque ſimiles. Quæritur, an privilegium, quo gaudent Epiſcopi, duos Canonicos eligendi, quos in Diœceſis bonum exerceant, ad has quoque Dignitates pertineat; ita ut qui eas poſſident, tuta conſcientia a Choro, ſuiſque functionibus abeſſe poſſint, ſe ab Epiſcopo occupari prætendentes?

Qui negantem in hac controverſia partem tuentur; ſequentes rationes afferunt;

Prima eſt. Canones de his privilegiatis mentionem facientes Canonicos quidem nominant, Dignitates autem non nominant.

Altera. Non concedunt hæc privilegia, niſi cum Capitulum eſt numeroſius, quia nihil detrimenti patitur Officium ex eorum abſentia, quos exercet Epiſcopus, propterea quod functiones ab aliis Canonicis ſatis explentur; porro id ita non habet quoad Dignitates, quæ in ſuo genere unicæ ſunt, & quarum Officia nunquam perfecte obeuntur, iis abſentibus, qui eas poſſident.

Tertia. Illud eſt rationi conſonum, Canonicos, qui fere ſunt inſtituti, ut Epiſcopi Conſilium ſint, cenſeri ſuo muneri ſatisfacere, dum cum eo adlaborant; at Dignitatum non eadem ratio. Cantus Magiſter eſt inſtitutus, ut Choro invigilet; Quæſtor duplicem portionem recipit, ut præſit Cubiculo, ubi Capituli negotia peraguntur, non vero ut in Diœceſis negotiis Epiſcopum adjuvet.

Quarta. Dignitates jurejurando promittunt in Urbe degere: quid ita? Niſi ut ſuis officiis diligentius fungantur. Nonne hoc jusjurandum eos cogit in Urbe reſidere, quin in eo diſpenſari poſſint prætendentes ſe Epiſcopo a comitatu eſſe, & cum eo laborare? Jam vero ſi in Urbe degere permittantur, nonne illi hoc jusjurandum eluderent in Urbe morantes, quin functiones obirent, propter quas ad ibi morandum ipſi obligantur?

Quinta. Cum Meldenſes Canonici Eccleſiæ ſuæ Cancellario litem intendiſſent, quod ſemper abeſſet eam cauſam prætexens, quod eſſet de Comitatu: Senatus judicavit, eum quippe qui Canonicus eſſet & Cancellarius, quo tempore abeſſet, percepturum quidem Canonicatus proventus, Dignitatis autem nequaquam.

Atque hæc ſane momenta ſunt, quibus hæc prior ſententia niti videtur.

Hæc autem contra dicuntur, ad oſtendendum privilegio Canonicis, qui de Comitatu ſunt, conceſſo Dignitates gaudere poſſe.

I. Canones, qui hac de re verba faciunt, Dignitates quidem non nominant; ita ſane; verum eas non etiam excludunt, neque ulli inter eos occurrunt, qui quoad hanc rem inter Dignitates & Canonicatus ullum diſcrimen ponant; licet multum diſcriminis ſtatuant inter Beneficia, quæ animarum curam habent, & quæ non habent; immo vero eamdem reſidendi obligationem in Canonicis & Dignitatibus ſtatuiſſe videntur, & æque omnes Canonici nomine comprehendiſſe; quoniam cum de reſidentiæ obligatione, deque pœnis, quas ſubeunt, qui in ea deficiunt, ſermonem habent, Canonicos ſimpliciter nominant, quamvis exploratum ſit, ab iis ibi Dignitates æque comprehendi; unde videtur conſequi Dignitates Canonici nomine contineri, cum eæ nominatim non ſunt exceptæ.

II. Contenditur Eccleſiæ nullum ex Dignitatum abſentia damnum inferri, ſiquidem per id tempus earum functiones ſemper obeuntur ab aliis, qui præſident Capitulo, Choro, Cameræ, &c.

III. A vero alienum eſt Dignitates in eum finem non eſſe inſtitutas, ut Epiſcopo praſto ſint; e converſo qui eas poſſident, ad id peculiarius deſtinati, & ſtrictius obligati ſunt; atque hac de cauſa in iis certa ætas, & gradus aliqui requiruntur; expreſſum eſt in hanc rem Tridentinum Concilium *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* Re ipſa Decanus nonne Vicarius Generalis ſuapte natura eſt, ſede vacante?

IV. Dignitates ſuum jusjurandum non violant, ſi abſint, ut Diœceſis bono de Epiſcopi mandato laborent, quia tunc reſidere cenſentur, ut declaratum eſt in *c. ex parte de Cleric. non reſid.* Et ſane hæc difficultas deciſa videtur in *c. Dilectis* atque adeo apertius in ſequenti *ad audientiam* ejuſdem tituli *de Cleric. non reſid.* quoniam difficultas ex eo oriebatur, quod Meldenſes Canonici, de quibus agebatur, peculiare reſidendi jusjurandum edebant; quamobrem in Epiſcoporum favorem reſpondit hac ratione nixus Pontifex: *cum abſentes dici non debeant, qui tecum pro tuo & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur.*

V. In Dignitatibus conſtituti privilegiis gaudere debent, tam cum ob Diœceſim laborarant jubente Epiſcopo, quam cum in moderandis Univerſitatibus occupantur, aut muneribus, quæ eos apud Regis perſonam detinent, perfunguntur. Porro non ſolum in duobus hiſce caſibus Dignitates ab his privilegiis non excluduntur; ſed potius dum negotium diligentius diſcutitur, expreſſis verbis nominantur; exempli cauſa in Bulla Nicolai IV. ob erectionem Univerſitatis Ulyſſiponenſis, & in Bulla Clementis VI. in eorum, qui apud Regem reſident, favorem.

Orantur Sorbonæ Domini, ut, ſi fieri poteſt, ſuper hac difficultate deciſionem exhibeant rationi conſentaneam, qua in hoc negotio veritas ſtatuatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Epiſcopo licere in gravibus, & magni momenti negotiis eos exercere, de quibus quæritur; quamvis enim Dignitates ſtrictiore, quam alii Canonici, reſidentiæ obligatione teneantur, fieri tamen aliquando poteſt, ut ita majus bonum ſuæ Diœceſi, atque adeo univerſæ Eccleſiæ procurent, quam ſi in ſuæ reſidentiæ loco conſiſterent.

Hanc ob cauſam quantalibet reſidendi obligatione Beneficiarii, ut cauſa exempli, Parochi adſtringantur, extra ipſorum reſidentiæ locum occupari poſſunt in caſibus peculiaribus, & magni ponderis, in quibus eorum induſtria opus fuerit, ad magnum negotium, quod ad Eccleſiæ, aut Provinciæ, aut totius Regni bonum ſpectet, perficiendum. Auctores bene multi ita ſentiunt. (a) Garcias ad hanc ſententiam confirmandam plures Declarationes Congregationis Cardinalium in medium adducit. Licet aſſertio hæc, ad Parochos quod attinet, nonniſi raro uſui eſſe debeat; aſſeri tamen poteſt eam ſæpius ad praxim referri poſſe quoad Capituli Dignitates, & Epiſcopum potiore jure iis uti poſſe in gravibus negotiis, quibus æque bene tranſigendis idoneos alios reperiri difficile eſſet.

Rothomagenſe Concilium habitum an. 1581. loquitur in hæc verba: *inter juſtas abſentiæ cauſas habeatur, ſi unum aut duos de Dignitatibus vel Canonicis Epiſcopus mittat, aut ſecum deducat ad viſitandam Diœceſim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro Religione vel Diœceſi urgens negotium; non tam diutius excuſabuntur, quam duraverit negotii neceſſitas.*

Concilium Provinciale Aquiſextienſe an. 1585. celebratum eamdem rem iiſdem verbis pronunciat.

Pragmatica Sanctio *tit. de collat. §. Tollens* ſupponit Præpoſitos, Decanos, alioſque Officiales Capituli ob Eccleſiæ utilitatem abeſſe poſſe: *tollens prorſus abuſum illum, quo Præpoſiti, Decani, vel alii Officiales, ex hoc ſolum quod Officiciales ſunt, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt*; ex quibus Guimerius concludit in ſuo in hunc locum Commentario eos, de quibus in hoc textu ſermo eſt, Eccleſiæ commodo abeſſe poſſe, & diſtributiones lucrari; citat in hunc finem nonnulla Juris capita, & inter alia caput *ex parte 2. de Cleric. non reſid.*

Sane in hoc Capite ſermo eſt de Eccleſiæ Præpoſito, quem Honorius Papa III. abeſſe permittit, ut ſui Beneficii Jura tueatur, licet in eo ſe reſidentiam ſervaturum jurejurando promiſerit; ex quo licet inferri, in Dignitate conſtitutum ad reſidentiam obligatum, ſi ad tuenda Beneficii ſui jura abeſſe poteſt, abeſſe pariter poſſe ad Eccleſiæ & Diœceſis bonum, cum ad id a ſuo Epiſcopo electus eſt.

Poſſent præterea in medium adduci Concilia Burdegalenſe, & Turonenſe an. 1583. celebrata, quæ pro certo ponunt Dignitates & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis aut Collegiatæ legitimis de cauſis a ſuis Beneficiis abeſſe poſſe ultra tempus, quod ipſis commune jus, & ſingillatim Tridentina Synodus *Seſſ. 24. c. 12.* concedit. Hæ cauſæ legitimæ ſunt illæ, quæ recenſentur in *c. Unic. de Cleric. non reſid. in 6. infirmitas corporalis, aut evidens Eccleſiæ utilitas*; cum igitur de hac poſteriore agetur, Epiſcopus iis uti poteſt ad aliquod tempus *in Comitatu.*

Ita fieri conſuevit in Cleri Congregationibus; deputantur ex Decanis, aliiſque Dignitatibus. In Compendio Actorum Cleri *tom. 1. pag. 106.* legitur Reſcriptum Conſilii diei 30. Octobris an. 1640. quo Dignitates & Canonici Diœceſis Carnutenſis in Miſſionibus occupati cenſentur præſentes etiam quoad diſtributiones; quemadmodum etiam dum Quadrageſimæ, Adventus, & Octavæ Corporis Chriſti tempore in Diœceſi concionibus vacant.

Id omne nititur ea ratione, quod alicujus Eccleſiæ generale bonum anteponendum eſt bono peculia-

(a) Garcias p. 3. n. 42. cap. 2. Bonacina tom. 1. diſp. 5. punc. 5. n. 14. de oblig. Benef. Sylveſt. v. reſidentia q. 2. Azor. p. 2. l. 7. c. 4. q. 3. v. ſi autem. Joan. And. in c. audientiam de Cleric. non reſid. Concil. quintum Mediol. quod videri poteſt in Actis ubi refertur l. 3. tit. de Paroch. & Paroch. & Parochial. nu. 14. 15. & 16.

culiari, quale illud fortaſſe eſt, quod Dignitas in ſui Beneficii loco reſidens afferre poteſt.

In expoſitione objiciuntur tria.

I. Reſcriptum in Cleri Monumentis allatum *tom.* 2. *p.* 2. *p.* 191. & a Fevret *l.* 3. *c.* 1. *p.* 244. quo ſtatuitur, ut Eccleſiæ Meldenſis Cancellarius ad comitandum ſuum Epiſcopum nominatus ſuæ quidem Præbendæ magnos fructus, non autem ſuæ Dignitatis percipiat, ex quo concluditur Epiſcopum ſui Capituli Dignitate uti non poſſe, ut ſit in comitatu.

II. Dignitates reſidentiam in Urbe jurejurando promittunt; ergo Canonici eas poſſidentes ab Epiſcopis eligi nequeunt, ut ſint in comitatu.

III. Canones Epiſcopis permittentes, ut duas perſonas eligant, de Canonicis tantum loquuntur, de Dignitatibus alte ſilent.

Ad hæc facilis eſt & expedita reſponſio. I. Fevretus pro certo ponit nihil opus fuiſſe, cur Meldenſis Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ Cancellarium ad ſuum comitatum adſiſceret. II. Quod in medium attulimus ex *c. Ex parte* 2. *de Cleric. non reſid.* objectionis ſecundæ Solutioni inſervire poteſt, cum jusjurandum conſuetos tantum caſus reſpiciat. III. Si de Canonicis tantum loquuntur Canones, id eo eſt, quod de his ſolummodo Pontifices conſulti fuerunt.

Hoc tamen loco Conſilium cenſet, Canonicum in dignitate conſtitutum ab Epiſcopo de jure ordinario aſſumi non poſſe, ut in ejus ſervitio ſit. Eſt enim veroſimile, hac de cauſa Canones in reſidentia cum Canonicis diſpenſantes, cum eos elegit Epiſcopus, ut in Diœceſis negotiis ipſi deſervirent, & opitularentur, de iis, qui dignitates obtinent, nequaquam loqui; quia nempe facile judicari potuit raro occurrere adeo gravia negotia, ut eorum gratia Dignitates ſuam reſidentiam, & peculiares functiones, quibus pro officii ſui ratione utiliter addicuntur & exercentur, ad longum tempus deſerere debeant.

Et ſane per Decani, aliorumque, de quibus in expoſitione mentio facta eſt, quorum perſonalis induſtria in Sede, quam obtinent, neceſſaria eſt, abſentiam nimis grave incommodum pateretur Eccleſia; ita ut longo temporis ſpatio per alios id difficile ſuppleri poſſet; Dignitates enim in titulum ſibi fere arctiorem imponunt obligationem ſuis muneribus perfungendi, quam ii facerent, quibus earum ſedes committerentur.

Quamobrem Concilia Rothomagenſe, & Aquiſextienſe, quæ ſtatuunt in Diœceſis negotiis Epiſcopum Dignitate uti poſſe, ſtatuunt etiam diſertis verbis, ut id ſit *propter urgens negotium*; *non tamen diutius excuſabuntur, quam duraverit negotii neceſſitas*.

Eadem de cauſa Reſcriptum a Fevreto allatum Meldenſi Cancellario Canonicatus quidem fructus concedit, Dignitatis autem nequaquam, quia hunc Cancellarium potius quam ſimplicem Canonicum eligi Diœceſis bono minime neceſſarium erat.

Ad extremum Canoniſtarum judicio (*a*) ne duos quidem Canonicos in *c. Ad audientiam de Cleric. non reſid.* Sibi conceſſos aſſumere poſſet Epiſcopus, ſi divinus cultus magnopere imminueretur, & miniſterium Eccleſiaſticum graviter afficeretur. Ex quo facile intellectu eſt Canonicis in dignitate conſtitutis paſſim in comitatu eſſe non licere, quandoquidem fieri non poteſt, ut ne damnum non grave ſubeant Capitula & peculiares Eccleſiæ ex eorum abſentia, ſiquidem ea longa & frequens ſit.

Deciſum hac die 20. Julii an. 1691.
G. *Fromageau*.

Canonici ad parvas Horas obligati.

CASUS VII.

1 *Canonici tenentur parvis Horis adſiſtere, præſertim cum peculiares diſtributiones iiſdem annexæ ſunt.*

2 *Canonici, qui Præbendæ ſuæ vi confeſſiones audire non tenentur, id facere non debent parvarum Horarum tempore, ad quas obligati ſunt.*

3 *Conſuetudo iis non adſiſtendi, quantumvis inveterata, eſt abuſus, quem Capitulum emendare debet. Id ni faxit, ad Superiorem confugiendum eſt.*

4 *Qui bona fide crediderunt hanc conſuetudinem permiſſam eſſe, non tenentur id reſtituere, quod conſumpſerunt quin ditiores evaderent.*

QUÆSITUM.

IN Eccleſia Cathedrali ad ſæcularem formam redacta quadringentis ab hinc annis, Canonici parvis Horis fere nunquam adſiſtunt, quamvis judicia verbalia a Pontificis Commiſſariis edita ad Capituli poſtulationem, in executionem Bullæ, qua ſæcularis ratio inſtituta eſt, iis adjunxerint annuam retributionem, conſtantem libris ducentis, quas hi quidem ſine ullo ſcrupulo percipiunt, contra tenorem horum judiciorum verbalium, quæ abſentes iiſdem privant: *qui non interrerit horæ, perdet eam*.

Hac in re rogantur Doctores, ut decidant, an hi Canonici a culpa vacent, nec pro rata abſentiæ ſuæ ad reſtitutionem teneantur. Atque illi quidem tuentur hiſce rationibus cauſam ſuam. I. nituntur immemorabili poſſeſſione; II. omnium Regni Cathedralium conſuetudine pene uniformi. Ajunt III. non deeſſe quidem Canonicos, qui parvis Horis adſiſtunt, at multo majorem & pro aptitudine potiorem eorum numerum eſſe, qui minime adſiſtunt. Animadverſione dignum eſt ex his alios quidem ad Ephemerides in Capitulo evolvendas parvarum Horarum tempus conferre, alios autem domi morari. IV. Quadrageſimalibus & ferialibus diebus celebrandæ Miſſæ, ſuiſque negotiis vacandi tempus Canonicis ægre ſuppeteret, ſi parvis Horis intereſſe, & canere tenerentur. Quæritur, quo remedio huic abuſui occurrendum ſit, atque an Canonicus poſſit Officii tempore confeſſiones excipere, quia Eccleſia hæc Parochialis ſimul & Cathedralis eſt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, de qua ſermo eſt, teneri parvis Horis, quoad per eos fieri poteſt, adſiſtere, quia toti Officio intereſſe tenentur; quod adeo verum eſt, ut in Pragmatica Titulo, *quo quiſque tempore debet eſſe in Choro* §. *jubet pag.* 500. in Tridentino Concilio *ſeſſ.* 21. *c.* 3. *de reform.* & in pluribus aliis particularibus Synodis deinceps habitis ſtatuatur, ut ex magnis fructibus ſumantur pro ſingulis horis diſtributiones, ne Canonici a præſtanda iis adſiſtentia ſe exemptos putent ob eam cauſam, quod nihil inde lucri percipiant; quod apertiſſimo argumento eſt Eccleſiam parvis Horis adſiſtendi obligationem Canonicis imponere voluiſſe. Id etiam conſtat evidentiſſime ex primordialibus Capituli ſtatutis, quæ obligationem hanc rotundis verbis injungunt, mandantque, ut qui non adfuerint, ducentarum librarum annexarum diſtributione priventur.

Fruſtra porro opponitur hujus Capituli poſſeſſio immemorabilis, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum exemplum ad purgandam eorum conſuetudinem, qui parvis Horis in his Eccleſiis minime interſunt; hæc enim longa poſſeſſio vetus abuſus eſt, & Capituli fundationi atque inſtitutioni repugnat, quoniam ſuper hoc capite expreſſum in eo ſtatutum editum eſt: ſtatutum conforme ſanctis Canonibus, quod Pontificis Commiſſarii probarunt, & præſcripſerunt. Quamobrem Canonici, qui illud non ignorant, in bona fide ad legitimum titulum contra Legem ſtatuendum neceſſaria eſſe non videntur: neque eorum conſuetudo, licet ab immemorabili, ut dicitur, tempore ſit, adverſus obligationem toti Officio adſiſtendi Canonicis impoſitam præſcriptionis titulum parit: propterea quod quicumque adſiſtentiam præſtant, in Legis favorem reclamare cenſentur; id quod ad impediendam præſcriptionem ſatis momenti habet.

(*a*) Pyrring. tom. 3. tit. 4. ſect. 1. §. 4. n. 39. Rebuff. in praxi tit. de non reſident. n. 41.

Exiſtit in propoſita facti ſpecie circumſtantia, quæ in Cathedralibus Eccleſiis bene multis non occurrit; videlicet inſtitutæ ſunt in eorum gratiam, qui parvis Horis interſunt, diſtributiones. Quoad rationem ab iis, pro quibus conſulitur, allegatam, ſe nempe ad Miſſam celebrandam, & ſua negotia curanda ſatis otii non habituros; reſpondetur, ad Miſſam quod attinet, hanc legitimam cauſam fore parvis Horis non adſiſtendi, ſi re vera alio tempore celebrari non poſſet; quod ſpectat ad negotia, per alium curari poſſunt. Ad eos Canonicos quod pertinet, quibus ſatis eſt otii, ut ephemerides referant, aut excipiant, tempus quoque nanciſcantur oportet, quo ſuis negotiis abſque parvarum Horarum omiſſione vacare poſſint.

Ad Confeſſarii munus quod attinet, Canonicus ad id Præbendæ ſuæ titulo, aut expreſſa Capituli commiſſione non obligatus non debet ei ſe ſe dedere; quia id quod officii eſt, ei, quod eſt charitatis, præferre debet.

Ex his omnibus ſequitur Canonicos, qui parvis Horis non adſtiterunt, peccaviſſe, ac teneri diſtributiones, quas propterea perceperunt, reſtituere. Verum quia nonnulli bona fide credere potuerunt, ſtatutum primordiale contraria conſuetudine abrogatum fuiſſe, hi proinde credi poſſunt non peccaſſe, nec teneri reddere, quod conſumpſerunt, quin ditiores evaderent.

Ex alia parte quoniam ſtat hunc uſum abuſum eſſe, exponendæ ſunt Capitulo conſcientiæ rationes, quæ ad eum tollendum illud inducant, parvis Horis adſiſtendi obligatione Canonicis impoſita. Quod illi ſi facere renuerint, adeundus Superior eſt. Nihil eſt in hac agendi ratione non conſonum prudentiæ regulis, Canonici recte ſentientes debent ita ſe gerere, in id incumbere, ut quam plurimos poterunt ex ſuis confratribus in ſuam ſententiam pertrahant, & deinde tempus ſumere exequendo conſilio adeo canonico accommodatum.

Deciſum in Sorbona die 7. Octobris an. 1697.

G. Fromageau.

Canonici ultra tres menſes abeſſe non poſſunt.

CASUS VIII.

1 *Concilium Tridentinum tolerat potius quam concedit Canonicis tres vacationis menſes, neque iis frui quis poteſt abſque legitima cauſa.*

2 *Graviſſimis cauſis opus eſt, ut quis abſit plus quam trium menſium ſpatio, neque earum una eſt obſequi conſanguineo roganti Canonicum, ut ſe in plus quam trium menſium itinere comitetur.*

3 *In eum pœnæ, qui ultra tres menſes abeſt.*

QUÆSITUM.

Titius Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ N....., petit a ſuo Capitulo duorum triumve menſium commeatum ultra tempus a Tridentino Concilio conceſſum; quia ſuum fratrem, qui eſt Abbas in loco diſſito, ipſique ignoto, ubi præſidio & conſolatione indigebit, comitari tenetur.

In hac facti ſpecie rogantur Domini Doctores, ut ſequentibus quæſtionibus ſatisfaciant.

I. An Capitulum jure gaudeat concedendi plus commeatus, quam Tridentinum Concilium concedat, atque an a Titio allata ratio ſufficiat?

II. An Titius, ſi abſit ultra tres menſes, magnorum fructuum dimidium perdere debeat, nec eum pro rata abſentiæ ſuæ perdere ſatis ſit?

III. Quænam ſint cauſæ, quæ jus producendi Canonicorum commeatus Capitulo conferant?

Nota, hac in re nihil eſſe in Capitulo definitum, eique proinde ſtandum eſſe conſuetudini in aliis Galliarum Eccleſiis receptæ.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, I. per commeatus menſes tres a Tridentino Concilio *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* Canonicis conceſſos non ipſis tribui jus eo tempore recedendi; eſt enim animadvertendum, Concilium in hoc articulo non ſe poſitive & formiter explicare, ſed negantibus verbis uti, ſatis habens dicere ultra tres menſes abeſſe Canonico non licere; ex quo concluditur ab eo trium menſium abſentiam permitti. Sed ea loquendi ratio permiſſionem potius & indulgentiam, quam veri nominis conceſſionem ſignificat: *Non liceat vigore cujuslibet Statuti aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe.* Hinc ſatis apte colligitur abeſſe non licere plus quam tribus menſibus, & reſidentiam communis & rigoroſi juris eſſe.

II. Hoc privilegium adeo non continet jus recedendi trium menſium ſpatio, ut Canonici, qui eo utendi cauſam legitimam omnino non habent, eodem tuta conſcientia frui nequeant. Vide Valerum *v. Beneficium differ.* 3. *n.* 2. Vaſquez in ſuo Tractatu de Beneficiis *art.* 2. *n.* 180. *opuſcul.* ita rem explicat: *Exiſtimo de Canonico, qui abeſt etiam per tres menſes ab Eccleſia ſua ſine rationabili cauſa, quod non ſufficiet diſtributiones amittere; ſed etiam peccabit non reſidens ſine cauſa, quia licet Concilium concedere videatur illud tempus, illud tamen non concedit ſine cauſa, & tantum permiſſive concedit, non puniens eum, qui abeſt tantum per tres menſes. Ratio autem eſt, quia iſti deputantur, ut in hoc loco quotidie divinum celebrent Officium; qua ergo ratione abeſſe poterunt ſine cauſa? non enim ſufficit dicere, quod fructus interim non percipies, quia lex reſidentiæ non tantum obligat ad amittendos fructus in abſentia, ſed etiam ad culpam.* Quod verius eſt etiam, inquit hic Theologus, ſi contingat divinum ſervitium per adeo diuturnam abſentiam damnum pati aut imminui: *& hoc præcipue verum eſt, quando ſequitur diminutio in cultu divino.*

III. Hinc ſequitur Canonicum, qui per annos plures tribus menſibus a Concilio permiſſis uſus non fuerit, non poſſe anno inſequenti longius tempus ſibi ſumere, quia vacationes non ſunt in rigore debitæ, ſed tantum permiſſæ & toleratæ. Ita quidem ſpectandæ ſunt in Gallia, ubi reſidentia eſt ſtricti juris.

Hoc poſito, ad conſultationis quæſtiones reſpondetur.

Ad primam; in Tridentina Synodo *Seſſ.* 23. *c.* 1. *de reform.* recenſeri rationes quatuor, propter quas poſſunt tres vacationis menſes concedi; ſunt autem: *Chriſtiana charitas; urgens neceſſitas; debita obedientia; ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas.* Harum rationum prima ſpectat ad Canonicum, de quo agitur; ſi enim eſt maxime utilis, atque adeo neceſſarius Fratri ſuo in itinere, quod ad ſuam Abbatiam inſtituere debet, ejus charitas videtur exigere, ut aliquod ultra tres menſes tempus ſumat, modo ejus Eccleſiæ divinum ſervitium non inde grave damnum ſentiat; ſi enim ſentiret, Titius præferre deberet Eccleſiæ ſuæ damnum ſui fratris damno. Obtineat etiam oportet juxta Tridentinum Concilium *Seſſ.* 24. *c.* 12. *de reform.* permiſſionem a Superiore, qui debet expendere, an ejus ratio ad beneficium, quod poſtulat, ei concedendum ſufficiat; quod ſane non ita videtur, quia Abbas ejus frater alium nanciſci poteſt, qui ſibi itineranti id omne ſubſidium afferat, quod a Canonico ſperat. Itaque cauſæ, quas hic allegat, non adeo graves videntur, ut ei tam diuturna abſentia permittatur. Ex quibus omnibus ſequitur, cuivis Canonico opus eſſe cauſa legitima, ne reſideat trium menſium ſpatio, quod Concilium concedit; atque ita multo magis, ut abſentiam ulterius protrahat; nec cauſæ loco dicere juvat Titium annis præcedentibus ſedulo reſediſſe; etenim reſpondetur, nihil eum amplius, quam quod debebat, præſtitiſſe, quoniam nulla ei ratio legitima præſto erat, cur recederet.

Ad quæſtionem alteram reſpondetur; Titium juxta Concilium *c.* 12. *Seſſ.* 24. *de reform.* privandum eſſe ſuorum magnorum fructuum dimidio; at juxta Cabaſſutium *l.* 5. *c.* 1. *n.* 5. *in praxi*, quia hæc diſpoſitio eſt pœna, Canonicum abſentem in eam non incidere, niſi adſit ſententia, qua damnetur: *Continet vero iſta diſpoſitio pœnam ferendam, non latæ ſen-*

tentia. Quoad forum interius Conſcientiæ, niſi adſit peculiaris conſuetudo, aut ſtatutum in Capitulo, quod Canonicos abſentes longiori jactura plectat, ea penſanda eſt pro rata abſentiæ, & locum habet ipſo facto, juxta hoc principium communiter receptum: *datum ob cauſam non cenſetur dari cauſa non ſubſecuta*.

Ad tertiam. Rationes, quæ poſſunt Capitulo præſto eſſe, ut Canonicum ultra ſuos tres menſes abeſſe conſentiat, eædem ſunt atque illæ, quibus in reſidentia cum eo diſpenſatur. Ad eas cognoſcendas videndus eſt Cabaſſutius loco appellato, Barboſa in Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *c.* 1. *de reform.* Pyrringhius *tom.* 3. *l.* 3. *tit.* 4. *ſcit.* 1. §. 4. *de Cleric. non reſid.* Bonacina in ſuo Tractatu de reſidentia *tom.* 1. *diſput.* 5. *punct.* 5. Cleri denique monumenta.

Deciſum hac die 8. Decembris an. 1698. G. *Fromageau*.

Canonicus non reſidens magnos fructus non lucratur.

CASUS IX.

1 *Canonicus ab Eccleſia ſua recedendi jure non gaudet ob eam cauſam, quod ſe a percipiendis diſtributionibus abſtinere, & Epiſcopi Nepotum Præceptorem eſſe contendat.*

2 *Omnibus licet ſuæ Præbendæ reditibus renunciaret, reſidere teneretur; omnino aut deſerenda eſt Eccleſia, aut ei deſerviendum.*

3 *Tenetur Capitulum, poſtquam ad Epiſcopum confugerit, & Canonicum non reſidentem monuerit, eum canonicis rationibus ad id impellere.*

QUÆSITUM.

IN Eccleſia Cathedrali Canonicus, qui magnos ſuæ Præbendæ fructus quotannis percipit, aliquot ab hinc annis non reſidet, quia ei demandata eſt inſtitutio nonnullorum haud vulgaris generis Adoleſcentum, quibuſcum ipſe Pariſiis degit. Id ſibi licere contendit prætendens ſe Capitulo diſtributiones omnes concedere, & Epiſcopum, qui horum Adoleſcentum avus eſt, nolle ipſum eorum curam deponere. Capitulum quidem rem libenter diſſimularet, ne animum offenderet ſui Præſulis, quicum peramice vivit, & a quo recipit innumera bonitatis & benignitatis argumenta; ſed quoniam in Canonicos juriſdictione gaudet, & proinde errata Eccleſiæ regulis & diſciplinæ contraria cohibendi peculiari obligatione adſtringitur, interrogat, an in propoſita facti ſpecie poſſit tuta conſcientia hujus Canonici abſentias tolerare, ac pati Pariſiis eum degere; eo prætextu, quod Epiſcopus in id conſentiat ob ſervitium, quod ejus Nepotibus præſtat, an vero ipſum ad reſidentiam obligare teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ſentit, Canonicum nobilium aliquot Adoleſcentum inſtitutioni in Pariſienſi Collegio vacantem ad reſidentiam obligari, nec cum eo diſpenſari poſſe, magnis licet Canonicatus ſui fructibus ſe privari una cum diſtributionibus aſſentiretur. Vel eum dimittat neceſſe eſt, vel reſideat, ut ejus obligationibus ſatisfaciat. Admonitiones primo adhibendæ ſunt; quæ irritæ ſi fuerint, poteſt, immo tenetur Capitulum eum adigere canonicis rationibus, quæ proponuntur in Tridentino Concilio *Seſſ.* 24. *c.* 12. *de reform.* aliiſque Canonibus; aliter participaret de Canonici peccato, de pravo exemplo, quod exhibet, deque injuria, quam affert Eccleſiæ, magnos fructus percipiens, qui ad eum non pertinent.

In hujus Canonici gratiam dici non poteſt licere Capitulo magnis fructibus ipſum donare, & a reſidentia eximere. Repugnaret id menti Tridentinæ Synodi *Seſſ.* 24. *c.* 12. Canonicum ul ra tres menſes a ſua Eccleſia abſentem eos lucrari nolentis, & ejuſmodi remiſſiones prohibentis. Hæc quoque Cardinalium Concilii interpretum ſententia eſt. Garcias eorum Declarationes affert 3. *p. c.* 2. *n.* 329. Sæpius illi definierunt Canonicos non reſidentes non poſſe magnos fructus lucrari. Barboſa in Concilium *num.* 57. idem tradit. Fagnanus pariter id monet *tom.* 2. *in cap. Licet*, *n.* 39. *de præbend.* additque a Cardinalium Congregatione ita deciſum eſſe: *cenſuit Sacra Congregatio hujuſmodi remiſſionem eſſe prohibitam, tam quoad diſtributiones, quam quoad fructus præbendæ, quos remittere non eſt in facultate Canonicorum, cum Eccleſiæ ſint applicandi*. Supra dixerat *num.* 35. juxta ejuſdem Congregationis deciſionem non licere Capitulo ſtatutum edere, quo Canonico, qui uni tantum aut duabus Horis Officii intereſſet, magnos fructus tribueret: *Unde cum fuerit quæſitum, an valeat Statutum, ut uni vel duabus Horis intereſſentes lucrentur maſſam groſſam, ſive præbendam, amiſſis diſtributionibus quotidianis; reſponſum eſt non valere*.

Quoniam reſidentia publico jure nititur, & ſtricti juris eſt, probatur in Gallia, quicquid ei favet, & ad ejus exactam cuſtodiam tendit; ſpectanturque Statuta & conſuetudines, quæ contra ſtant, tanquam veri nominis abuſus, contra quos in variis Tribunalibus, ad quæ deferuntur, decidi non deſiſtitur. Vide Fevretum *l.* 3. *cap.* 1. *pag.* 240. & Baunium in ſua Praxi *l.* 3. *c.* 42. *pag.* 710. qui in ejuſdem ſententiæ confirmationem alios Auctores afferunt.

Exiſtunt quidem privilegiati caſus, in quibus Canonicus reſidere non tenetur, at in præſentis facti ſpecie non ita res habet; non illud in Jure Canonico, non in Tridentina Synodo occurrit; nihil apparet, quamobrem Canonicus a reſidentia eximi poſſit, ob eam cauſam, quod aliquot pueros nobiles, & qui Epiſcopi Nepotes ſunt, educandos ſuſceperit. Cum Theologi, aut Canoniſtæ de privilegiatis caſibus agunt, hujus non meminerunt. Barboſa in Tridentinum Concilium *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Pyrringh. *tom.* 3. *tit.* 4. *de Cleric. non reſident.* & plures alii in hunc eumdem juris titulum recenſent cauſas legitimas, quæ a reſidentia excuſare poſſunt, de Præceptoris officio ſilent.

Capitulum conſulens ſumma quidem laude dignum eſt, quod cum ſuo Præſule amice vivere, & neceſſitudinem, qua ei ſemper devinctum fuit, ſervare velit; at præſumere non debet fore ut, cum ei reverenter ſignificaverit, hunc Canonicum minime reſidere, ut tenetur, huic ille male facere velit. Quod ſi contra jus faſque Epiſcopus Nepotum ſuorum Præceptori patrocinetur, Capitulum vi juriſdictionis, qua in hujuſmodi perſonas pollet, tenebitur agere contra Canonicum, qui ſuo ipſius muneri deeſt.

Deciſum in Sorbona hac die 28. Januarii an. 1699. G. *Fromageau*.

CASUS X.

1 *Rationes canonicæ, quæ Canonicis aliiſque Beneficiariis reſidentiæ addictis abſcedendi jus tribuunt, quin tamen quicquam recipiant, in Jure, ac Tridentina Synodo recenſentur.*

2 *Quatuor excuſationum legitimarum, quæ ibidem probantur, explicatio.*

3 *Quæ in expoſitione, quæ expenditur, continentur, fere nec legitimæ, nec probatæ ſunt.*

4 *Si eæ admitterentur, divinum ſervitium gravi incommodo obnoxium eſſet; & fere nunquam Canonici reſiderent.*

5 *Raro fit, ut qui magnos fructus lucrantur vel abſentes, manuales diſtributiones petendi jure gaudeant.*

6 *Capituli, de quo agitur, in hoc articulo obligationes ductæ ex fundationis verbis, ex patentibus litteris, & ex Reſcripto Conſilii Status, quæ eam confirmarunt.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

Ad Dominos Sorbonæ Doctores.

CAput Eccleſiæ Collegiatæ, Sanctæ Sedi immediate ſubjectæ vos rogat humillime, ut declaretis, an propter excuſationes canonicas a Tridentina Synodo recenſitas *Seſſ.* 23. *c.* 1. *de reform.* quæ ſunt *Chriſtiana charitas*, *urgens neceſſitas*, *debita obedientia*, *evidens Eccleſiæ ac reip. utilitas*, Canonici hujus Eccleſiæ poſſint tuta conſcientia ſe præſentes cenſere quoad diſtributiones manuales, & quoad magnos fructus, cum abſunt a Choro?

I. Ut ad Baptiſmum, ad Sepulturam, ad Religioſi habitus ſumptionem, ad profeſſionem, ad primæ Miſſæ celebrationem, aut ad Theſim, ad Sponſalia, aut ad nuptias ſuorum proximorum conſanguineorum proficiſcantur?

II. Ut opitulentur, & ſolentur ſuos patrem & matrem; fratres & ſorores, avos, & amitas, nepotes & neptes, cum morbo aut calamitate premuntur?

III. Ut ſua, vel conſanguineorum & amicorum ſuorum negotia coram Judice tueantur?

IV. Ut ſe conferant de Diœceſani Epiſcopi mandato ad obeundas in ſua Diœceſi Miſſiones, ibidem concionandum Adventus, & Quadrageſimæ tempore, habendos ſeorſim Sermones, audiendas Religioſarum confeſſiones, eaſque dirigendas, obeunda apud eas officia, eas in ordinem redigendas, inſtituendam viſitationem, &c.?

V. Ut per aliquot menſes in Seminario conſiſtant, & ad Sacrorum Ordinum ſuſceptionem ſe comparent?

VI. Ut quotannis dierum decem ſeceſſui vacent?

VII. Ut viſitent Beneficium, Abbatiam puta, aut Prioratum, ibique præcipiant, quæ abſolute neceſſaria ſunt tum quoad ſpiritalia, tum quoad temporalia?

VIII. Ut in Urbem a ſuæ reſidentiæ loco propius abſentem ſe identidem conferant, comæ & tonſuræ gratia, vel ad comparandas Eccleſiæ veſtes?

IX. Ut Jeruſalem, Romam, aut alio peregrinentur?

Quoniam porro nonnullis hujus Eccleſiæ Canonicis videntur priores articuli modo allati 2. 3. 6. pertinere ad illud, *Chriſtiana Charitas*, 4. & 5. ad, *debita obedientia*, 7. & 8. ad, *urgens neceſſitas*; atque omnes hæ cauſæ legitimæ & canonicæ eſſe; ſis utuntur, ut ſuas abſentias excuſent, ſibique mutuo manuales diſtributiones, magnoſque fructus concedant: qui vero is præeſt, nolens eſſe judex in cauſa ſibi cum Canonicis, aliiſque hujus Eccleſiæ Beneficiariis communi, ſe ſubdit, Domini, Deciſioni veſtræ, ac ſperat fore, ut in poſterum in hoc Capitulo ea regulæ loco ſit; ſed antequam pronuncietis, rogamini, ut animadvertatis;

Primo juxta hujus Capituli fundationem Canonicos nonniſi quinque hebdomadarum ſpatio abeſſe poſſe, & quidem ſive conjunctim, ſive ſejunctim: *Si ultra tempus quinque hebdomadarum in anno*, inquit Fundator, (*quo durante tempore, continuatis vel diſcontinuatis diebus, poterunt petita & obtenta a Capitulo dictæ Eccleſiæ licentia, libere & impune ſuis propriis & aliis vacare negotiis*) *a dicta Capella ſe abſentaverint.*

Secundo loco præter quinque has hebdomadas hujus Eccleſiæ Beneficiariis a Fundatore permitti, ut longioris abſentiæ legitimas excuſationes ad Capitulum deferant, & Capitulo, ut eas admittat: *niſi cauſam ulterioris abſentiæ, & impedimenti legitimam prætendant & habuerint, quæ merito excuſationis locum ſibi vindicare debeat, per dictum Capitulum audiendam & admiſſam: Canonicatibus & præbendis ac Beneficiis, quæ in hujuſmodi Eccleſia obtinebunt, ipſo facto priventur.*

Tertio loco nullum iis tempus a Fundatore concedi, ut ad conficienda ſtudiorum ſuorum curricula ſe conferant: *perſonalem & continuam reſidentiam*, inquit, *facere teneantur ſub debito juramenti, quod inde ſolemniter in dicta eorum receptione præſtabunt; quodque ſuper iis per aliquem ſuper ipſo præſtito juramento nullatenus facient ſeu facere procurabunt ſecum quomodolibet diſpenſari, nec diſpenſatione quacumque, ſi quam pro eis ipſis etiam ignorantibus, vel non procurantibus, ſuper iis impetrari & obtineri contingeret, nec etiam privilegio in favorem ſtudii & Scholaritatis, aut aliter conceſſo vel concedendo ſub quavis forma verborum utentur.*

Quarto loco quemque Canonicum ipſo receptionis die conſuetum jusjurandum præſtantem teneri dicere: *Ego juro, quod continuam reſidentiam faciam bona fide, ſecundum intentionem noſtri Fundatoris; item quod diſtributiones Eccleſiæ quovis modo non recipiam, niſi horis interfuero, niſi minutus (quam minutionem ultra tres vices in anno non faciam, nec procurabo, niſi coactus neceſſitate) ſecundum intentionem dicti noſtri Fundatoris.*

Quinto loco Capituli Syndicum fundationis vi ſingularium æque ac Societatis negotia agere debere: *qui* (Syndicus) *coram judicibus omnibus quacumque auctoritate fungentibus*, pergit Fundator, *quam cito conſtitutus fuerit; auctoritatem & liberam poteſtatem habeat eorum nomine agendi, defendendi & promovendi Eccleſiæ & Collegii, ac ſingularium perſonarum prædictarum cauſas & negotia contra quoſcumque, ita quod aliquis de Collegio coram aliquo judicio Sæculari, vel Eccleſiaſtico non habeat perſonaliter, ſed per ipſum Æconomum, ſeu Syndicum comparare.* Sed cum Syndicus his temporibus prematur negotiis Capituli, quod vicies majores proventus habet, & proinde vicies graviores curas, quam Fundatoris tempore habuerit, coguntur Canonici ſinguli ex ſuis vacationibus neceſſarium tempus ad ſuas privatas res curandas ſumere; quod Fuudatoris menti non videtur omnino conforme; aut ſi dies ſumunt ultra hebdomadas quinque, dies illi tum quoad magnos fructus, tum quoad diſtributiones jacturæ loco cenſentur.

Sexto loco Regem Patentibus Litteris annis plus quam trecentis a fundatione datis confirmare hebdomadarum quinque vacationum articulum, ſibi tamen reſervata libertate concedendi Diplomata longioris abſentiæ, cum id ſuæ Majeſtati viſum fuerit expedire: „ Permittimus tamen dictis Beneficiariis, inquit Rex, diſcedendi quoque anno „ hebdomadis quinque continuatis aut diſcontinuatis, ut ſuis privatis negotiis vacent, ea lege, „ ut petant & obtineant antea a Capitulo licentiam, nec poſſint ex dimidiis reſidentiæ diebus „ dies integros conficere; volumus, ut ſi quis dictorum Beneficiariorum diutius abſuerit, quam per „ nos licet, pro quaque abſentiæ hora manuales „ diſtributiones amittat, & præterea privetur magnis fructibus pro ratione temporis, quo abſuerit; „ ac ſi dictorum Beneficiariorum quiſpiam integri „ anno ſpatio recedat ſine cauſa per Diploma noſtrum approbata, declaramus ejus Beneficium „ vacans & impetrabile de pleno jure ob ejus non „ reſidentiam, & a nobis providendum." Nota; quod ſi quis Beneficiariorum abſuerit ultra tempus a Rege permiſſum, pro quaque ſuæ abſentiæ hora ſuas manuales diſtributiones amittet, & præterea pro abſentiæ tempore magnis fructibus privabitur; at ſi qui feſti dies ſolemnes intra hos triginta quinque dies occurrerint, abſentes nihil amittent quoad Officium Canonicum, aut quoad fundationes, exceptis Miſſis privatis in dicta Eccleſia celebrandis,

Septimo loco per Reſcriptum Conſilii Status editum quadriennio poſt Patentes Litteras, a Rege eas confirmari æque ac fundationem quoad articulum hebdomadarum quinque abſentiæ, & declarari expreſſis verbis excuſationes tantum canonicas pro legitimis habendas eſſe. En hujus Reſcripti verba: „ Quod nemo abeſſe poterit quoque anno niſi triginta „ quinque diebus, aut hebdomadis quinque juxta fundationem & patentes litteras; ad recedendum vel „ uno ex his triginta quinque diebus petetur permiſſio a Capitulo, aut cum Capitulum non congregabitur, a Chori Magiſtro: diſtributiones Chori „ & fundationes particulares, exceptis Miſſis privatis, concedentur iis pariter, qui abſuerint ob morbum, aut ægritudinem, aut Societatis negotia, „ aut

„ aut rationes in jure expreſſas; atque has tantum „ excuſationes Capitulum admittere poterit.

Plurimum igitur intereſt ad exactam reſidentiam ibidem ſtatuendam ſcire, an excuſationes ſupra allatæ canonicæ ſint, atque an aliæ ſint, quæ ejuſmodi cenſeri poſſint: id ut declaretis, hujus Capituli Caput vos orat.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, antequam expoſitis quæſtionibus ſatisfiat, notandum eſſe,

I. Aliud eſſe Canonicum in ſuo Beneficio reſidere, & Officio intereſſe. Canonicus reſidere cenſetur in ſuo Beneficio, cum in loco, ubi ſitum eſt, moratur, & Eccleſiam adit, ut ſuum munus obeat; ita ut minime neceſſe ſit eum continuo reſidere, ſed ſatis ſit fere reſidere, quo ſui Canonicatus magnos fructus lucretur. Re ipſa Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de refor.* in Capitulis, ubi non adſunt Statuta, aut conſuetudo, quæ ſtrictiorem reſidentiæ obligationem requirant, Canonico permittit, ut quovis anno tres vacationis menſes ſumat, quorum ſpatio magnos ſui Beneficii fructus, licet abſens, lucratur: *Non liceat vigore cujuslibet Statuti aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.*

Quoad præſentiam præſtandam Officio, in quo ſunt diſtributiones, quæ dividuntur inter præſentes, & in jure *c. Conſuetudinem de Cleric. non reſid. in* 6. dicuntur quotidianæ & manuales: ut eas lucretur, Canonicus adeſſe debet, ut proinde has diſtributiones non lucretur, niſi prout adſiſtit Officio niſi ſit in caſibus a jure exceptis, aut in iis, in quibus fictione Juris Canonicus licet abſens, nihilominus præſens cenſetur.

II. Eccleſia quoad hujuſmodi diſtributiones hanc regulam ſtatuit, ut Divinus cultus cuſtodiretur, & augeretur; quamobrem ipſa *in Seſſ.* 21. *c.* 3. *de reform.* Tridentini Concilii præcipit, ut in Capitulis, ubi nullæ ſunt diſtributiones Officiis annexæ, ſumatur ex cumulo tertia proventuum pars in diſtributionibus impendenda, in eum finem, ut Eccleſiaſtici ad Officium diligentius perſolvendum excitentur; ſecus enim Divinum Servitium ſæpe numero dereretur, aut non ea decentia & dignitate, quæ Deo, quem colimus, congenit, obiretur.

Principes quoque, & Magiſtratus hac de re ſe ſollicitos exhibuerunt, ut Eccleſiaſticos ad canendas Dei laudes vehementius extimularent; declarant illi ſuis Conſtitutionibus, & Reſcriptis non poſſe diſtributiones quotidianas ob æs alienum ſequeſtro deponi; aut cum Eccleſiaſticus ad Beneficium, cui deſerviit, reſtituendum damnabitur, non teneri diſtributiones, quas perceperit, reſtituere; ita animadvertit Bubois in ſuis regulis in Jus Canonicum *tom.* 1. *p.* 187. & *tom.* 2. *p.* 233. qui in hanc rem citat articulum 57. Statuum Bleſenſium, & nonnullos Auctores; videri poſſunt etiam animadverſiones in Reſcripta Louet *v. E. ſ.* 6. *n.* 19. Privilegium hoc diſtributionibus conceſſum ſatis oſtendit magnopere curæ fuiſſe Beneficiarios Officio non deeſſe, eaſque in eum tantum finem fuiſſe inſtitutas, ut Canonici Officio adſiſtere cogerentur.

III. Tridentina Synodus de reſidentia verba faciens *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de reform.* recenſuit alios caſus peculiares, de quibus in Expoſitione mentio facta eſt: caſus, in quibus Eccleſiaſticus Beneficium cum animarum cura poſſidens eximitur a reſidentia, quin Beneficii fructus amittat. Non igitur Epiſcopus, aut Parochus, multoque minus Canonicus reſidentiæ obligationi deeſſe cenſentur, cum abſunt, ut proximo in amittendæ ſalutis occaſione proxima verſanti præſto ſint, quemadmodum ut impediant quominus aliqua hæreſi Fideles inficiantur, vel ut magnum diſſidium inter graves Viros dirimant, aut id genus alia præſtent, in quibus alicujus horum Virorum, quam quorumvis aliorum induſtria & prudentia utilior eſt; id quod ſignificant hæc Concilii verba: *Chriſtiana charitas*. Hæc eſt ſententia Cardinalis Toleti *l.* 5. *c.* 4. *n.* 3. & Barboſæ in hunc Concilii locum, & plurium aliorum Theologorum.

Cum addit Concilium ſecundo loco *urgentem neceſſitatem* ſatis juſtam cauſam eſſe, cur Eccleſiaſticus ad tempus a reſidentiæ loco recedat; modo inde grave incommodum Eccleſiæ, cui deſervit, non inferatur; id accipi vult de Epiſcopo, de Parocho, de Canonico ad evitandum amittendæ vitæ grave periculum, ſive ob aeris intemperiem, ſive ob aliquam gravem rixam, quæ eos in vitæ diſcrimen adduceret: *Cum periculum imminet Epiſcopi vitæ*, inquit Toletus, *niſi diſcedat ab Eccleſia, vel ob infirmitatem, vel ob perſecutionem alicujus, vel aliqua ſimili cauſa; tunc poteſt ad tempus recedere, dummodo tamen non ſequatur ſpiritale detrimentum gregis.*

Barboſa idem tradit: *intelligentes per urgentem neceſſitatem, ubi Epiſcopus reſidendo grave malum vitæ incurreret, vel propter morbum, vel propter aliam perſecutionem, vel propter aeris intemperiem, vel ob inimicitias, aut ob Principis & populi furorem declinandum.* Laudat D. Thomam, cujus hæc verba ſunt 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 5. *Si vero ſaluti ſubditorum in abſentia paſtoris per alium provideri poteſt, tunc licet Paſtori, vel propter Eccleſiæ commodum, vel propter perſonæ periculum corporaliter gregem deſerere .... cum autem omnium eſt commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deſerantur ab iis, quibus indigent.*

Tertia cauſa juxta mentem ejuſdem Synodi, ut liceat non reſidere, quemadmodum laudati Auctores explicant, ea eſt, cum nempe virtute obedientiæ, quam ſuo Superiori debet, Eccleſiaſticus appellatur, ut ineluctabile ſervitium Diœceſi reddat in urgenti negotio; id porro ſignificat *debita obedientia.*

Quarto loco Tridentina Synodus per Eccleſiæ aut Reipublicæ evidentem utilitatem eos caſus intelligit, in quibus Beneficiarius abeſſe tenetur, ut ſui Beneficii, ſuæve peculiaris Eccleſiæ jura tueatur, aut ut Concilium adeat ſeu Generale, ſeu Provinciale, ut ſuo Epiſcopo præſto ſit, ut ſua ſtudia in aliqua Univerſitate perficiat, aut cum ad aliquod grave ſervitium Statui exhibendum alio mittitur. Quia in his caſibus cenſetur Eccleſiaſticus rectius agere, quam ſi in ſuo Beneficio conſiſteret, æquum eſt eum præſentem cenſeri, & nihil amittere.

IV. Quoad Canonicos, exiſtunt caſus, in quibus ipſi, quin reſideant, magnos fructus lucrantes ad manuales diſtributiones jus nullum habent. Itaque qui ſtudiis vacant in Univerſitatibus, qui ſuum Epiſcopum ultra tres menſes abſentem comitantur, qui demum in aliis ejuſmodi caſibus conſtituti ſunt, magnos fructus lucrantur, non autem diſtributiones; hujus porro diſcriminis ratio paulo ante allata eſt.

In Collegiata, de qua agitur, eſt conſuetudo peculiaris & vetus, ut per quinque abſentiæ hebdomadas hujus Eccleſiæ Canonici non ſolum magnos fructus, verum etiam Chori diſtributiones lucrentur; & quidem jure; hæc enim conſuetudo ducitur I. ex eo, quod per fundationem omnis proventus erat diſtributionum loco, decem annuis libris exceptis. Porro Canonicis non fuiſſet, unde viverent ſuarum quinque hebdomadarum ſpatio, ſi decem tantum libras tunc habuiſſent. II. Eo quoque fundamento nititur conſuetudo hæc, quod cum hi Canonici ſtrictiore reſidentia teneantur, quam qui quovis anno tres habent abſentiæ menſes, ipſi vero quinque tantum hebdomadas, eſt æquitati conſonum iis beneficium aliquod peculiare concedi, quo dulcior, magiſque toleranda hæc longa reſidentia efficiatur. Atque hac de cauſa Conſilii Reſcriptum ſtatuit, ut hi Canonici magnos fructus & diſtributiones tam Chori quam fundationum peculiarium lucrentur, cum per triginta quinque dies a Fundatore conceſſos, atque adeo dies alios abfuerint, dummodo iis cauſæ canonicæ præſto ſint; illud denique aſſeri poteſt hoc beneficium his Canonicis conceſſum fuiſſe, ne tres abſentiæ menſes ſibi a Concilio conceſſos ſibi arrogare poſſent.

V. Caſus, in quibus Canonicus diſtributiones manuales & quotidianas lucratur, redegit Eccleſia ad duos treſve, qui recenſentur in Jure *cap. Conſuetudi-*

tudinem de Cleric. non reſid. in 6. Primus eſt, cum Canonicus ab Officio abeſt ex impotentia, quæ a naturali infirmitate, aut morbo provenit; atque etiam neceſſe eſt, juxta Guimerium in Pragmaticam *tit. quo quiſque debet*, &c. *§. jubet* ſub finem, pluresque Theologos, cujuſmodi ſunt Pyrring, aliique, quos citat, *l. 3. tit. 4. n.* 86. hunc Beneficiarium, antequam in morbum incideret, Divino Officio interfuiſſe: *Ille dumtaxat*, inquit Guimerius, *eas percipiet, qui alias erat reſidens & deſerviens Eccleſiæ, & propter infirmitatem impeditur reſidere, vel divinis horis intereſſe, licet tunc infirmaretur, non habebit ejuſmodi fructus, & diſtributiones, quia infirmitas non præſtitit cauſam*. Secundus caſus eſt, cum Canonicus ob Eccleſiæ utilitatem abeſt, *exceptis iis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret*; hæc Juris verba ſunt *cap. Conſuetudinem* ſupra laudato.

VI. Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *c.* 12. vetat, ne Canonici, qui Officio adſuerint, abſentibus diſtributiones remittant; atque in eum finem in uſum revocat Conſtitutionem, *Conſuetudinem*, Bonifacii VIII. mandans, ut obſervetur, quæcumque conſuetudo, & quodcumque ſtatutum ei adverſentur: *Diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant; juxta* Bonifacii *Octavi Decretum, quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque Statutis & conſuetudinibus*.

VII. Hinc concludi poteſt, legem ab Eccleſia quoad diſtributiones editam ad litteram accipiendam eſſe, & ſtricte explicandam; ita ut exceptiones, quibus legem ſuam temperavit, & caſus, quibus abſque adſiſtentia Officio præſtanda diſtributionum perceptionem permittit, reſtringi potius debeant, quam ampliari, tum quia exceptiones hæ ad divinum cultum imminuendum tendunt, tum quia iis nocent, quibus diſtributiones prodeſſe debent, & quia juri communi adverſantur.

VIII. In hujus Eccleſiæ, de qua agitur, fundatione, in Patentibus litteris, & in Reſcripto Conſilii Status occurrunt tria; primum eſt, Canonicos, ſi intra annum ultra hebdomadas quinque abſuerint, pro rata abſentiæ ſuæ magnos fructus, & diſtributiones amittere. Alterum eſt, ipſis tamen legitimas cauſas ſubeſſe poſſe, ut diutius abſint; quo in caſu excuſationes has admittendi, modo audiendæ ſint, facultatem Fundator Capitulo tribuit: *Quæ merito excuſationis locum ſibi vindicare debeat per Capitulum audiendam & admiſſam*. Tertium eſt, pro fundationis ratione non eſſe admittendas tanquam legitimas excuſationes eas omnes, quæ in Jure recenſentur; Fundator enim non vult, exempli cauſa, Canonicum cenſeri præſentem, cum ſtudiorum cauſa in aliquam Univerſitatem ſe confert: *nec etiam privilegio in favorem ſtudii & Scholaritatis conceſſo, vel concedendo ſub quavis forma verborum utentur*. Si Conſilii Reſcriptum fundationem confirmans attenditur, non alius videtur tanquam legitimus titulus lucrandi magnos fructus & diſtributiones quotidianas ſpectari, quam impotentia adſiſtendi Choro, aut abſentia, quæ Eccleſiæ utilitate nitatur, qui duo caſus ſunt Conſtitutionis Bonifacii VIII.

Illud convenit in hoc Reſcripto pro certo poni alias quoque cauſas ſubeſſe poſſe, propter quas Canonicus abſens ſuas diſtributiones lucrari poſſit, cum addit verba hæc „ aut propter cauſas in Jure „ expreſſas, atque has tantum excuſationes a Ca- „ pitulo admitti poſſe; at hæ cauſæ in Jure expreſſæ de iis caſibus accipiendæ ſunt, qui ad eos referri poſſunt, qui in allata Conſtitutione nominantur, & qui tanquam Juris menti conſentanei communiter ab Auctoribus admittuntur. Cabaſſutius nonnullos refert in ſua Praxi *l. 5. c. 1. n. 6.* ejuſmodi ſunt, qui abſunt ob Capituli utilitatem, quibus Capitulum ſua negotia committit, qui abſunt ob morbum, & neceſſitatem, non ſua tamen ipſorum culpa; ejuſmodi eſt etiam Canonicus, qui in carcere detineretur, qui in exilium mitteretur, aut qui immerito excommunicaretur: *ſi quis tamen abeſſe cogatur ad curanda Eccleſiæ, cujus eſt Syndicus, negotia, ex commiſſione Capituli, aut omnino involuntarie abſit, non ſolum in morbo, ſed etiam captivitate, excommunicatione injuſta, vel injuſto exilio, aliave, quam culpa non præceſſerit, neceſſitate, non eſt diſtributionibus privandus*.

Collectio Monumentorum Cleri plures alios caſus commemorat, in quibus Canonicus cenſetur præſens, & diſtributiones lucratur. I. qui abeſſe cogitur, ut injuſtam litem, quæ ipſi a Capitulo intenditur, depellat. Reſcriptum an. 1672. *tom.* 2. *p.* 6. *a.* 8. II. Canonici a Clero deputati *tom.* 4. *p.* 107. & 7. ubi afferuntur in hanc rem Reſcripta Conſilii Status annorum 1636. & 1645. III. Canonicus, qui tanquam Epiſcopi Vicarius Diœceſim ejus nomine viſitat, *tom.* 4. *pag.* 106. IV. pro Clero & Capitulo Agentes *ib.* V. Deputati cujuſque Diœceſis ad Decimas in ordinem redigendas, *tom.* 4. *p.* 107. Reformatio Congregationis Cleri an. 1606. VI. Archidiaconi toto viſitationis tempore, *tom.* 4. *p.* 106. VII. Canonici, qui de Epiſcopi mandato Miſſioni vacant, & concionibus tempore Adventus, Quadrageſimæ, & Octavæ Sancti Sacramenti, *tom.* 1. *p.* 106. ubi affertur Reſcriptum Conſilii an. 1640. in favorem Epiſcopi Carnutenſis.

Ex his principiis concludi poteſt Collegiatæ Eccleſiæ Canonicos, de quibus quæritur, non poſſe ſe mutuo præſentes cenſere tam quoad has diſtributiones, quam quoad magnos fructus, quoties ab Officio ſine excuſatione canonica abfuerint. Primum quia fieri poſſet, ut non ſolum abeſſent ultra hebdomadas quinque, quas fundatio ipſis concedit, verum etiam ultra tres menſes, quos Concilium permittit aliis Canonicis, ſi in omnibus caſibus in expoſitione contentis abeſſe vellent. Deinde ſequeretur Canonicos Beneficiorum ſuorum fructus ſibi remittere, quod expreſſe vetat Concilium, ut notatum eſt n. 6. Denique facerent contra ſuum jusjurandum, bonamque fidem, qua, cum recepti ſunt, promiſerunt ſe continuam reſidentiam facturos juxta ſui Fundatoris mentem, & diſtributiones quavis ratione non percepturos, niſi Choris Horis adſtiterint: *Ego juro, quod continuam reſidentiam faciam bona fide, ſecundum intentionem noſtri Fundatoris: item quod diſtributiones Eccleſiæ quovis modo non recipiam, niſi horis interfuero*. Non eſſet id ſane bona fide recedere velle, hæc perfugia quærere ad recipiendos Canonicatuum fructus, qui iis modo, qui bona fide reſident, conceſſi ſunt; his ipſis perfugiis ii renunciarunt, cum promiſerunt juramenti fide ſe nullam excuſationem quæſituros, ut diſtributiones, cum Officio non interfuerint, ſibi vindicarent: *quovis modo non recipiam, niſi interfuero*.

Ejuſmodi animadverſiones ex fundatione ipſa ductæ ſatis eſſe deberent, ut quæſtionibus ab hujus Capituli Capite in ſua Expoſitione propoſitis univerſim ſatisfieret; ſed ut diſtinctius appareat, in iis omnibus peculiaribus caſibus, qui ibidem continentur, hujus Eccleſiæ Canonicos tum juxta fundationem, tum juxta Juris principia non poſſe magnos fructus recipere, multoque minus diſtributiones manuales, niſi reſederint, & Officio interfuerint:

Reſpondetur ad interrogationem primam, ex ibi allatis rationibus nullam eſſe, quæ Canonicis abſentibus lucrandi jus ullum tribuat. Ut enim illud prætereatur, ſi omnes hi caſus admitterentur, fore ut eorum vacationes longe ultra hebdomadas quinque ipſis fundatione, Patentibus Litteris, & Conſilii Status Reſcripto conceſſas protraherentur: harum cauſarum nulla redigi poſſe videtur ad eas, quæ recenſentur in Tridentino Concilio, & explicatæ ſunt *n.* 3. aut ad eas, quas Jus approbat, & ſunt impotentia non voluntaria, per morbum inducta, captivitas, neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas. Nunquam occurret in Jure aut in ullo Concilio, proficiſci ad Baptiſmum, ad habitus ſumptionem, ad Profeſſionem, ad primam Miſſam, ad ſponſalia, ad nuptias conſanguineorum ſuorum, ad Theſim, ſatis juſtas cauſas eſſe, ut quis reſidere, & magnos fructus ac diſtributiones percipiendi jus habere cenſeatur, quoniam Fundator ne ſtudiorum quidem gratia favorem ullum concedi vult, ut dictum eſt *n.* 8.

Ad

Ad ſecundam, canonicam nihil amittendi cauſam non eſſe, ab Officio recedere ſuos Patrem & Matrem, aut conſanguineos, dum ægrotant, ſolandi, aut ſubſidio juvandi gratia. Poſſet tamen Capitulum dies aliquot concedere ad aſſiſtendum patri aut matri morientibus, & ipſorum ſepulturæ; hic enim caſus nihil evincit, neque ideo conſuetus eſt mos in Capitulis, ut Canonici præſentes habeantur, cum ob hæc pietatis & charitatis opera abſuerint.

Ponitur quidem a Tridentino Concilio *Chriſtiana pietas* inter cauſas legitimas, propter quas Beneficiarius ad reſidentiam obligatus abeſſe poteſt; at ut Auctores explicant, accipiuntur hæc opera de charitatis actionibus extraordinariis, & magni ponderis quoad Eccleſiam, non autem de actionibus ordinariis & communibus, quæ ad conſanguineorum afflictorum ſolatium ſpectant. Præterea *Chriſtiana charitas* juxta Concilii mentem eſt quidem excuſatio legitima, ut magni fructus percipiantur, at manualibus diſtributionibus fruendi jus nullum tribuit.

Denique ut poneretur hanc eſſe fere Capitulorum conſuetudinem, ut Canonici, qui ad ſuos conſanguineos ægrotantes, aut afflictos ſolandos proficiſcuntur, præſentes cenſeantur, non deberet ea tamen in Collegiata Eccleſia, de qua quæritur, locum habere; in ea enim obligatio reſidendi eſt longe ſtrictior, fundatio & Reſcriptum, quod eam confirmat, reſidentiam non interruptam requirunt, *continuam & perſonalem reſidentiam*; ita ut ea vacationis dies tantum triginta quinque Canonicis tribuat; & ne ſtudiorum quidem cauſa eos abeſſe patiatur, *nec etiam privilegio in favorem ſtudii concedendo aut conceſſo*. Jurisjurandi a Canonico, qui recipitur, præſtiti verba ei omne jus adimunt ad diſtributiones contendendi, niſi Officio interfuerit: *diſtributionem quovis modo non recipiam, niſi horis interfuero*. Poteſt inde concludi, cum reſidentia in hoc Capitulo maxime ſtrictæ obligationis ſit, non eſſe multiplicandas diſpenſationes & exemptiones, ſed potius reſtringendas, ut Fundatoris intentioni ſatisfiat; id autem non fore, ſi conſanguineos ſuos ægrotantes aut afflictos ſolandi cauſa Canonici abeſſe permitterentur; & ex alia parte id fore Canonicis occaſionem aut prætextum vix unquam reſidendi.

Ad tertiam, ſi qua neceſſitate cogantur Canonici ultra hebdomadas quinque a ſuis Beneficiis abeſſe, ut coram Judice ſuum patrimonium & ſua negotia tueantur, diſtributiones ſibi vindicare non poſſe; ac ne ipſum quidem Capitulum poſſe excuſationem hanc tanquam legitimam & canonicam acceptare. Pronunciatur enim diſertis verbis in Conſilii Reſcripto, diſpenſari non poſſe niſi cum Canonicis ob morbum, aut ob Collegii negotia, aut ob alias cauſas in Jure expreſſas abſentibus; jam vero nunquam occurret in Jure, aut in aliqua generali reformatione, atque adeo in omnium fere Capitulorum praxi Canonicum propter ſua privata negotia abſentem diſtributiones manuales lucrari legitime poſſe. Eas igitur, & magnos pariter fructus perdere debet, habita ratione temporis, quo ultra triginta quinque dies abſuerit, ut expreſſe ſtatutum eſt in Reſcripto, quod fundationem confirmat. Neque in hujus Canonici gratiam dici poteſt, cum ſuorum negotiorum neceſſitate preſſum eſſe in caſu Concilii, a quo inter legitimas abſentiæ cauſas ponitur *urgens neceſſitas*; Concilium enim per ea verba non intelligit privata Canonici negotia, ſed Status, aut Eccleſiæ.

Non igitur apparet, quo fundamento niſi Canonici, de quibus agitur, magnos fructus & diſtributiones ſibi mutuo remittere poſſint, cum recedant eas tantum ob cauſas, quæ jam rejectæ ſunt. Objiciunt illi Syndicum non amplius ipſorum negotiis vacare, atque ita ſuarum vacationum tempus, quod quinque tantum hebdomadas complectitur, iis procurandis non ſatis eſſe; ad quod reſpondetur, ſi longiores vacationes requirunt, oportere, ut eas petant a Rege, Patrono & Protectore fundationis, ut præſentis conſuetudinis, qua tam magnis fructibus, quam diſtributionibus privantur Canonici, abſque licentia ultra tempus ipſis conceſſum abſentes, mutatio fiat.

Multo etiam minus licet hujus Collegiatæ Canonici ob ſuorum conſanguineorum & amicorum negotia recedere. Si Capitulum hanc excuſationem probaret, faceret ex Canonico Procuratorem litis contra mentem Eccleſiæ, ſæpe recedendi anſam præberet, & violandi jusjurandum, quo perſonalem & continuam reſidentiam promiſit, & ſe non quæſiturum exemptionem, quæcumque ea fuerit, nec uſurum diſpenſatione, ſibi inſcienti impetrata: *Perſonalem & continuam reſidentiam facere teneantur, ſub debito juramenti, quod ſolemniter in eorum receptione præſtabunt: quodque ſuper ipſo præſtito juramento nullatenus facient, ſeu facere procurabunt, ſecum quomodolibet diſpenſari, nec diſpenſatione quacumque, ſi quam obtineri contingeret, utentur*. Licet reſidentia ſit maxime ſtricta in hoc Capitulo, Reges tamen præditi ſemper fuere facultate concedendi Canonicis illud conſtituentibus recedendi veniam; atque hanc quidem facultatem ſibi reſervavit ſua Majeſtas in ſuis Patentibus Litteris in hæc verba: „ Si quis dicto- „ rum Canonicorum anno integro abſuerit ſine cau- „ ſa per Diploma a nobis approbata, declaramus „ ejus Beneficium vacans & impetrabile de pleno „ jure ob ejus non reſidentiam, cui proinde a nobis „ providebitur.

Ad quartam, poteſt Canonicus de ſui Epiſcopi mandato Miſſioni vacare; hæc itaque eſt excuſationum una, quæ maxime legitima videtur, ut abſentiæ tempore magni fructus & diſtributiones percipiantur; caſus hic ad eum redigitur, qui cenſetur in Jure, diciturque evidens Eccleſiæ utilitas. Quoniam Epiſcopi eſt judicare, quid ſuæ Diœceſis bono ſit magis accommodatum, poteſt proinde Epiſcopus aliquando nominare Canonicos, ut Adventus & Quadrageſimæ tempore concionentur, ſcilicet cum id poſtulat Eccleſiæ ratio, ſatiſque magnus remanet Canonicorum numerus ad divinum ſervitium decenter, ut par eſt, & digne præſtandum. Exiſtit privati Conſilii Reſcriptum diei 30. Octobris an. 1640. relatum Tomo primo collectionis Monumentorum Cleri, quo ſub dictis conditionibus Epiſcopo Carnutenſi tribuitur permiſſio Canonicos eligendi ad habendas in ejus Diœceſi conciones, ibique obeundas Miſſiones.

Debet ſane Canonicus expectare, dum a ſuo Epiſcopo appelletur, non autem ſe ultro exhibere concionaturum, & miſſionem ſuapte ſponte ſuſcepturum; ejus enim præcipua obligatio eſt reſidere, & Officio intereſſe; cum contra concionari, confeſſiones audire, & dirigere ad conſilium tantum pertineant; præterea cum Capitulum, de quo agitur, octodecim, ad ſummum viginti perſonis conſtet, neque Epiſcopus ejus ſuperior ſit, non eſt ſane, cur, niſi gravi urgente Eccleſiæ neceſſitate, cenſeatur aliquem hujus Capituli Canonicum ad Miſſiones electurus.

Si Epiſcopus hujus Collegiatæ Canonicum rogare voluerit, ut pietatis opera, quæ minus utilitatis Eccleſiæ afferunt, exequatur, cujuſmodi ſunt Religioſas conſiliis juvare, aut earum confeſſiones excipere, apud eas celebrare, in eorum ſpiritalem ſeceſſum incumbere, aut ipſarum viſitationi vacare; debet hic Canonicus ea, qua decet, obſervantia diſpenſationem ab eo petere, eidem ſignificans ſe ſui Capituli fundatione, & Patentibus Regis litteris ad reſidentiam ſummopere adſtringi; quod ſi demum huic Canonico gravibus de cauſis aliquando libuerit in hæc pietatis opera incumbere, ſibi arrogare non poteſt integros fructus, multoque minus diſtributiones quotidianas, quæ non debentur niſi *ratione perſonalis laboris & operæ*, ut declaratum eſt *num.* 2. ita ut Capitulum in hac facti ſpecie merito utrumque negare poſſit.

Ad quintam, poteſt Capitulum cenſere præſentem Canonicum ſpiritali receſſui vacantem ex Epiſcopi conſtitutione ad Sacros Ordines recipiendos; ſi enim expedit Canonico ipſum creari Presbyterum, ut ſui Beneficii reditibus potiatur, & Eccleſiæ prodeſt eum intra annum eſſe Presbyterum, ut ei deſervire, & functiones ſuo Canonicatui annexas obire poſſit: Capitulum eo facilius poteſt huic Canonico præſentiam concedere, quod eam nihil incommodi conſequitur, & ex ea nihil impoſterum timendum eſt,

Ad ſextam, licet annui receſſus ſint Eccleſiaſticis apprime utiles ad pietatis & ſervoris ſpiritum in iis accendendum, quem earumdem exercitationum continua & repetita praxis non parum remittit: ii tamen Officiorum, quibus non adſtiterunt, eo receſſus tempore diſtributiones exigendi jus Canonicis non tribuunt; I. quia poteſt Canonicus in eum finem ſuarum vacationum dierum triginta quinque partem ſumere; II. quia poteſt ipſe ſe apud ſemetipſum recipere, & Officio diligentius vacare.

Ad ſeptimam interrogationem quod attinet, ei ſatis eſt factum reſponſionibus præcedentibus.

Ad octavam, bona quidem actio eſt, & magna devotio, Jeruſalem, & Romam anno præſertim Sancto peregrinari Religionis gratia; at illud eſt etiam certum neque in Jure, neque in ullo Concilio uſpiam occurrere, devotionem hanc privilegio gaudere, & inter caſus ſupra allatos referri, quorum cauſa poteſt Canonicus abſens ſuis magnis fructibus, ſuiſque manualibus diſtributionibus frui. Non ita ſane ſentiunt Auctores, ea ratione permoti, quod pietatis erga Deum, & charitatis erga proximum actio omnino nulla Canonicum ab Officio valeat eximere. Dicitur quidem in Jure *cap. ego de jurejur.* oportere, ut Epiſcopus Romam pergat, aut eo mittat, ut Diœceſis ſuæ ſtatus rationem reddat; id quoque jurejurando recipit, cum conſecratur, & juxta Bullam Sixti V. a Quaranta *V. Apoſtolorum limina* relatam ſuſpenſus eſt, ſi in eo deſecerit; quo in caſu Canonicus ab eo miſſus cenſendus eſt præſens, ſuiſque diſtributionibus lucrandis idoneus, quia ob Eccleſiæ utilitatem abeſt; at exceptis ejuſmodi caſibus, nulla peregrinatio devotionis atque adeo voti cauſa ſuſcepta Canonicis diſtributiones petendi jus affert. Divus Carolus id ita definit lib. 4. titulo diſtributionum num. 33. *Qui peregrinationis cauſa abſunt, ne jure quidem facultateve Statutorum Eccleſiæ, cui perſonalis reſidentiæ operam miniſteriumque debent, diſtributionum participes ſunt*. Garcias *3. p. c. 2. n. 3. q. 3.* ait Auctores nonnullos eſſe, qui hujus generis peregrinationibus ſavere videantur, addit tamen oppoſitæ ſententiæ ſtandum eſſe, quia peregrinatio non ex iis Juris cauſis eſt, propter quas ab Officio abeſſe licet: *nihilominus tamen dicendum eſt contrarium, quia iſta non eſt de cauſis in jure expreſſis*. Affert deinde Declarationem Congregationis Cardinalium, quæ Divi Caroli deciſioni conformis eſt: *Abſentes cauſa peregrinationis, etiam ex facultate Statutorum Eccleſiæ non percipiunt quotidianas diſtributiones, immo quoad præbendæ fructus ſuo tempore peregrinationis percipiendos non excuſantur ultra tres menſes quos Concilium permittit.*

Si laxatæ quorumdam Auctorum opiniones admitterentur, exiſterent plures caſus, quibus a reſidentia, & adſiſtentia Officio præſtanda Canonici eximerentur; ut rurſus Capitula in eum deplorandum ſtatum inciderent, in quo olim jacebant, divinumque ſervitium deſereretur, aut peſſime obiretur. Quod ſane in cauſa fuit, ut Eccleſia in Tridentino Concilio tam prudentiæ conſonas Conſtitutiones ad hunc abuſum reformandum ſanciret. Vide *Seſſ. 21. c. 3. de reform. Ne qua in parte diminuatur cultus divinus, ſed debitum in omnibus rebus obſequium præſtetur, ſtatuit Sancta Synodus, ut in Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones*, &c. Per eamdem remiſſionem peſſumiret fundatio Collegiatæ Eccleſiæ, de qua agitur, intentio pii Regis, qui eam ſuis Patentibus litteris confirmavit, ejuſque Conſilii Reſcriptum, quibus hujus Capituli Canonici ad ſtrictiorem, quam alii Canonici reſidentiam obligantur; in hoc demum Capitulo ad divinum ſervitium obeundum adſunt duodecim tantum aut tredecim Canonici, & ſex Beneficiarii. Si ergo præter eos, qui juſtis de cauſis adeſſe non poſſunt, ob prætextus, qui ad examen revocati ſunt, alii abeſſe permittantur, Officium gravi incommodo affici, nec digne, ut par eſt, præſtari ſæpe continget. Igitur ex his omnibus concludendum,

I. Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ N.... ſuæ fundationi, Patentibus Litteris, & Conſilii Reſcripto, quantum quidem poterunt, ſtare debere; Juris caſus, qui a reſidentia Canonicos eximunt, in Tridentina Synodo recenſeri *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* eos in quibus ſuas manuales diſtributiones lucrari poſſunt, in impotentia, aut evidenti Eccleſiæ utilitate poſitos eſſe; in his ipſis caſibus Canonicos recedere non debere, quin a Capitulo permiſſionem petierint & obtinuerint, ut fundatione ipſa ſtatutum eſt: *petita & obtenta a dicto Eccleſiæ Capitulo licentia*, aut ab eo qui Choro præerit, cum Capitulum non habebitur, ut eſt in Conſilii Reſcripto, cujus Verba ſupra allata ſunt.

II. Nullum ſere ex Caſibus in Expoſitione propoſitis ad excuſandos Canonicos, ut abſint, quin tamen aliquid recipiant, in Jure probari, atque ita non eſſe ejuſmodi, ut Canonicorum iis ad recedendum utentium animos in tuto ponere poſſint.

III. Conſuetudinem, ut in his omnibus caſibus ſe præſentes habeant, magnoſque fructus & diſtributiones ſibi mutuo remittant, abuſum eſſe fundationi, Patentibus Litteris, Reſcripto Conſilii Status, & Eccleſiæ menti contrarium, ut oſtenſum eſt *nu.* 5. & 7. ac proinde reformandum eſſe.

IV. Canonicos, quibus ſuarum Præbendarum magni fructus & diſtributiones iis de cauſis remitterentur, cum ad ea dominium ex canonico titulo non acquiſierint, in conſcientia debere ea reſtituere pauperibus & Eccleſiæ juxta Canones, Patentes Litteras, & Conſilii Reſcriptum, quæ Capituli obligationes ſignificarunt.

V. Eum proinde, qui Caput eſt, impedire debere, quominus Canonici conſuetudini in ſua Expoſitione declaratæ inſiſtant, omneſque rationes, quas ejus animo pietas & prudentia inſpirabunt, impendere, ut eamdem aboleat, quippe quæ apertus abuſus eſt, qui non eſt omnino tolerandus.

Deciſum hac die 31. Martii an. 1700.
G. *Fromageau*.

CASUS XI.

1 *Canonicus, qui Adventus & Quadrageſimæ tempore habendarum concionum gratia quatuor aut quinque menſibus quolibet anno abeſt, ſuæ Præbendæ reditus percipere nequit ultra vacationis menſes tres, quos Tridentinum Concilium concedit.*

2. *Peccat Capitulum eum præſentem habens, quia favet abuſui, quem tollere debet.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Domini, ut ſequentes difficultates dirimant. Nimirum quæritur,

I. An Capituli ab Epiſcopi juriſdictione exempti Caput ſingulis annis quinque menſium Spatio ab Officio abeſſe poſſit, ut Adventus & Quadrageſimæ tempore in Diœceſi aut alibi concionetur?

II. An Capitulum ei concedere reditus poſſit, quos non lucratur niſi Beneficio deſerviens juxta Fundatoris mentem, cujus hæc verba ſunt: *Item vult, diſponit, & ordinat, quod nullus in dicta Eccleſia aliquid percipiat, niſi perſonaliter deſerviat.*

Animadvertendum eſt, eum, de quo ſermo eſt, ſemper quatuor aut quinque cujuſque anni menſibus abſuiſſe, nunquam tamen in omnibus præſentem habitum non fuiſſe.

In præſentia plures Canonici id impugnant, ajuntque nonnullos ad Capitis exemplum paſſim abeſſe, ſuoque muneri deeſſe.

Concionator hic tercentas ſaltem libras ex ſuis Sermonibus per Adventum & Quadrageſimam habitis quotannis percipit, præterquamquod in Parochiis alitur, ubi concionatur.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Canonicum, de quo in Expoſitione dictum eſt, non poſſe abeſſe ultra tres menſes Canonicis in Tridentino Concilio conceſſos *ſeſſ. 24. c. 12. de reform. Non liceat vigore cujuslibet Statuti & Conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*. Quanquam concionari ſancta & utilis exercitatio eſt: reputandum tamen eſt id officii quoad Canoni-

noni-

nonicum charitatis eſſe, cum contra in ſua Eccleſia reſidendi obligatio quoad eumdem juſtitiæ ſit ; ut proinde poſterius hoc munus priori anteponere teneatur, ac ſi id non implet , fructus abſentiæ ſuæ tempore perceptos debeat reſtituere; ita ſtatuitur in jure *cap. Conſuetudinem de Cleric. non reſident.*

In eodem quidem jure Eccleſiæ neceſſitas aut evidens utilitas ſatis juſta cauſa eſt, ut quis a reſidentia excuſetur , verum Epiſcopi eſt judicare , quid ſuæ Diœceſis bono ſit utilius ; atque hac de cauſa Canonicis quandoque utuntur Epiſcopi, ad Miſſiones in ſuis Diœceſibus obeundas , aut ibidem concionandum per Adventum & Quadrageſimam , videlicet cum neceſſitas id poſtulat, & Canonicorum numerus Servitio decenter, ut par eſt , & graviter exequendo ſufficiens remanet . Exiſtit Reſcriptum privati Conſilii diei 30. Octobris an. 1640. relatum in prima parte Tomi primi Collectionis Monumentorum Cleri, quo tribuitur Epiſcopo Carnutenſi conditionibus modo indicatis auctoritas nonnullos Canonicos eligendi , qui in ejus Diœceſi concionentur, ibique Miſſiones obeant ; porro in propoſita facti ſpecie non apparet Canonicum, de quo quæritur , ab Epiſcopo ad conciones habendas electum fuiſſe ; neque in ea dictum eſt alios ab eo inveniri , quibus id officii demandaret , non potuiſſe, aut quoad Diœceſim hunc Canonicum utilius Eccleſiæ deſervire concionantem , quam ad Beneficium ſuum incumbentem.

Hoc loco duo ſingillatim addi poſſunt ; I. exiſtere Statutum Capituli, de quo agitur, quo declaratur ſingulos Canonicos ad perſonalem adſiſtentiam Officio præſtandam obligari , aliter ipſos nihil lucrari poſſe ; quod argumento eſt, præter obligationem reſidendi ad omnes univerſim Canonicos ſecundum Canones pertinentem Fundatorem & Capitulum hujus Eccleſiæ voluiſſe ſtrictiorem obligationem iiſdem imponere, cum hac de re peculiare Statutum ediderunt, quod profecto eſſet inutile, ſi generali regulæ novum roboris gradum addere noluiſſent . II. Canonicum , de quo agitur , primam in ſuo Capitulo Dignitatem poſſidere , & veroſimile eſſe eum hoc ipſo titulo ad diligentiorem adſiſtentiam Officio præſtandam quam alios Canonicos obligari ; id quod ejus non reſidentiam multo minus coram Deo & coram hominibus excuſabilem redderet.

Ex his omnibus ſequitur , I. hunc Canonicum Dignitate inſignitum gravis culpæ reum eſſe, cum abſque Epiſcopi venia ultra tres menſes abeſt; licet enim hoc Capitulum exemptum ſit, non ſolum poteſt Epiſcopus hoc in caſu ei concionandi permiſſionem negare, verum etiam ipſum ad reſidendum obligare tanquam ad id , quod ad diſciplinam, & morum correctionem refertur, quodque juxta Tridentinæ Synodi mentem ad Epiſcopum pertinet. II. Æque peccat Capitulum , dum huic abuſui patrocinatur , hunc Canonicum ipſius itinerum & concionum tempore præſentem habens. III. tenetur hic Canonicus reſtituere, quicquid fructuum ex ſuo Beneficio percepit ultra tres menſes a Concilio conceſſos ; hæc autem reſtitutio in Eccleſiæ bonum facienda eſt ; diſtributiones vero reſtituendæ ſunt in Canonicorum, qui eum præſentem cenſeri non ſunt aſſenſi, utilitatem, aut in Eccleſiæ emolumentum , ſi omnes in id conſenſerint . Regulam hanc tradidit Sanctus Carolus in primo Mediolanenſi Concilio *tit. de Miniſtris Eccleſ. Vide Act. eod. tit. num.* 10. *Nemini autem ita proſit abſentiæ licentia , ut eo tempore quotidianas diſtributiones percipiat ,.... ſi datæ fuerint , qui acceperit, ſuas non faciat, ſed eas reſtituat, quæ jure ipſo accreſcant aliis inſervientibus , qui hujuſmodi pactioni , remiſſioni , vel præbitioni aſſenſi non fuerint, niſi ex Conſtitutionibus Eccleſiæ probatis alteri debeant , ſi vero omnes conſenſerint , uſibus Eccleſiæ jam tunc addictæ intelligantur.*

Deciſum die 15. Decembris an. 1696.
G. *Fromageau.*

Canonicus ad primam reſidentiam , quæ rigoroſa dicitur, obligatus.

CASUS XII.

1 *In Capitulis , in quibus Ordines Sacri quibuſdam Præbendis annexi ſunt, ii , qui earum Titulares ſunt, cogi poſſunt intra annum Ordinem ſumere, qui ipſis neceſſarius eſt.*

2 *Exigi poteſt rigoroſa in locis , in quibus inſtituta eſt, pœnis , quas Capitulum , de Ordinarii conſenſu , imponendas judicaverit.*

3 *Concedenda eſt optio Canonicis ſenioribus , etiamſi ſuam ipſi rigoroſam non præſtiterint.*

QUÆSITUM.

I. AN Canonicus , qui ætatem neceſſariam habens , Subdiaconatum ſuſcipere renuit , ad id obligari poſſit ?

II. An Canonicus in ſacris Ordinibus conſtitutus , cum ſuam rigoroſam non præſtiterit , poſt duos treſve annos receptionis & fruitionis magnorum fructuum & diſtributionum iiſdem privilegiis gaudere poſſit, quibus ſeniores Canonici , qui huic obligationi ſatisfecerunt ?

Primum commodum eſt jus ſuffragii.

Alterum eſt , activa voce gaudere , cum agitur de nominatione ad Beneficium a Capitulo pendens, licet hebdomadæ titulo careat , ut nominet tanquam Caput ad Beneficia , quæ in orbem vertuntur.

Tertium eſt, optare , cum ſe occaſio obtulerit ; idne ante eos poteſt, qui ſuam rigoroſam præſtiterunt , ſi tempore ipſos præcedat ?

Quartum eſt, in Capitularis panis & Anniverſariorum partem venire . Et quoniam panem lucrantur ii, qui ſuam rigoroſam perfecerunt, trium magnarum Horarum uni adſiſtentes: quæritur, an hic Canonicus , qui poſt tres & amplius annos eam exequi negligit, eodem emolumento gaudere poſſit ?

In Capitulo, pro quo conſulitur , nullum omnino Statutum eſt , quod Canonicum , qui hactenus ad Subdiaconatus ordinem accedere neglexerit, cogendi jus attribuat. Ea de re judicandum eſt ex jure communi , & conſuetudine Capitulorum Galliæ . Quod ſpectat ad rigoroſam , ecce Statutorum verba :

In articulo tertio: *Statutum eſt , quod quilibet Canonicus in novo adventu ſuo, poſt ſuam pacificam poſſeſſionem , faciat ſuam primam reſidentiam per annum integrum , ſeu per majorem partem anni , percipiendo in illo primo anno dupla* ; quæ compenſatio percipitur lecta poſtrema lectione, *& medietatem denariorum de feſtis, & medietatem diſtributionum , ac panis & anniverſariorum , & denarios , qui dantur pro ſepulturis mortuorum, quâ quidem annuali reſidentia completa, & toto illo anno revoluto , & tunc diſtributiones integras , panem, & anniverſaria percipiet reſidendo & deſerviendo perſonaliter, ſicut alii Canonici ibidem perſonaliter reſident.* Et in articulo ſexto: *Ita ſtatutum eſt , quod ſi aliquis Canonicus hujus Eccleſiæ, qui ſuas primam & ſecundam reſidentias fecerit conſuetas , & poſtea aliquam aliarum annualium ſex menſium debite non impleverit , ipſo facto, commoda Præbendæ acenſamenti* (acenſamenti porro nomine venit quidam reditus , qui ad quemque Canonicum præter ejus magnos fructus pertinet) *anni illius omnino perdit : quod quidem commodum pro oneribus ipſius Eccleſiæ ſupportandis Capitulo libere remanebit.*

In articulo trigeſimo ſexto: *Item ſtatutum eſt, quod ſi Canonicus decedat, non completa reſidentia conſueta , vel non habita pro completa, omnes fructus Præbendæ & acenſamenti illius anni remaneant Eccleſiæ prædictæ.*

Illud eſt animadvertendum hactenus Statuta hæc ad unguem ſervata non fuiſſe ; ſed in hujus rigoroſæ parte ſæpiſſime cum Canonicis eſſe diſpenſatum ; quamobrem quæritur , idne ſtatutis injuriam attulerit necne , atque an hic abuſus ſpectari poſſit veluti conſuetudo , qua juniores Canonici ad rigoroſam obligati uti poſſint ?

I. Sunt in eadem Urbe Capitula quatuor , aut quin-

quinque, in quibus varia eſt, ad hunc articulum quod attinet, conſuetudo; in nonnullis Canonici voce deliberativa gaudent in Capituli negotiis, atque adeo in Beneficiorum nominatione, licet Beneficiorum in orbem jure careant, niſi poſtquam ſuam rigoroſam præſtiterint; id moris obtinet in Cathedrali, & in Capitulo ipſo, pro quo præſens conſultatio inſtituitur.

II. Hac in re videtur abuſus eſſe; neque enim cenſetur rationi conſonum, Canonicum, qui ſua rigoroſa non præſtita, hebdomadæ jure non gaudet, ut perinde atque alii nominet ad Beneficia, quæ in orbem veniunt, activæ vocis jure pollere in iis, quæ Capitulum congregatum confert, quandoquidem fieri poteſt, ut in duas æquas partes ſectis ſuffragiis, per hunc Canonicum in eum cadat electio, cujus ſe ipſe fautorem declararet.

III. Sunt alia Capitula, in quibus Canonici voce carent, donec rigoroſam confecerint, & Sede ſolum atque aditu ad Capitulum gaudent.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, univerſim Canonicum, qui poſſeſſionem iniit, omnibus emolumentis, omnibuſque fructibus ſui Beneficii gaudere debere, atque id quidem ob Canonici titulum, quo inſignitus eſt. Ita Panorm. *in cap. Dilectus*, *n. 7. de præb.* Barboſa *cap. 16. n. 1. & c. 37. n. 11. de Canon. & dignit.* Nihilominus cum Tridentina Synodus *Seſſ. 24. c. 12. de reform.* ſtatuerit, ut cuique Canonicatui ſuus Sacer Ordo annexus eſſet, juxta deſignationem ex Capituli conſenſu ab Epiſcopo faciendam; tenetur Canonicus intra tempus ipſi a Concilio præſcriptum, eum, qui ſuo Beneficio annexus eſt, Ordinem ſumere; quod ni præſtiterit, omnibus fructibus & prærogativis ſui Canonicatus frui nequit; notandum tamen hoc Decreto Cathedralium tantum Eccleſiarum Canonicos affici, exiſtunt enim in Collegiatis Eccleſiis Canonici, qui Ordines ſacros recipere nequaquam tenentur. Barboſa *l.c. c. 16. n. 17.*

In omnibus tamen Capitulis id moris obtinet, ut Canonicus ſuffragii jure non gaudeat, niſi Subdiaconus ſit: *Quicumque in Cathedrali vel Collegiata, Sæculari vel regulari Eccleſia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat*; Verba ſunt Tridentini Concilii *Seſſ. 22. c. 4. de reform.* in uſum revocantis in hac re Decretum Concilii Viennenſis ſub Clemente V. *Clem. ut ii qui de ætat. & qual.* Gloſſa in Pragmaticam *cap. Sicut. §. comparentibus v. Circumſtantia* idem tradit expreſſis verbis.

Si Canonicus, de quo agitur, tenetur Præbendæ ſuæ vi ad ſacros Ordines accedere, cogi poteſt a Capitulo eoſdem intra annum ſuſcipere, quoniam præſcriptam ætatem habere, nulloque canonico impedimento irretiri pro certo ponitur; quod ſi monitus renuerit, poterit juxta Conciliorum Decreta ſuffragii jure, & diſtributionum dimidia parte privari; atque adeo gravioribus pœnis affici, ſi in ſua inobedientia perſtiterit.

At ſi neque ex ſuo titulo, neque ex conſtanti conſuetudine, quæ in ejus Capitulo vim legis obtinet, tenetur idem Canonicus *in ſacris* ſe conſtituere, ad id cogi non poteſt, præſertim cum in jure communi quoad Collegiatas Eccleſias nihil ſit in hoc articulo definitum.

Ac per hæc quidem quæſtioni primæ ſit factum ſatis.

Ad alteram quod ſpectat; rigoroſæ præſtandæ obligatio non eſt aut a jure, aut per generalem conſuetudinem conſtituta, ſed in aliquibus Capitulis peculiaris eſt; in eos, qui rigoroſam ſuam non conficiunt, exiſtunt pœnæ iis in locis, in quibus obtinet. Garcias 3. *p. c. 5. n. 52. de Benef.* Cardinalium Declarationem profert ſtatuentem, ut qui nec ſuam primam reſidentiam, nec fidei profeſſionem fecerint, præſentes cenſeri nequeant: *Canonici, qui nondum fecerunt primam reſidentiam, nec fidei profeſſionem emiſerunt, non poſſunt pro præſentibus haberi, licet pro cauſis & negotiis Capituli abſentes fuerint*, Toloſana Synodus habita an. 1590. a Buchello relata ita in hanc rem loquitur *cap. 87. tit. de Capitul. & dignit. Qui optimæ indolis juniores Canonici non vulgarem futuræ eruditionis expectationem concitarint, perfecta prima reſidentia, in Academiis exteriſque Univerſitatibus perficiendorum ſtudiorum cauſa per quinquennium ad ſummum poterunt retineri.*

Ex Statutis in Expoſitione in medium allatis conſtat, Canonicos Capituli, de quo agitur, teneri ſuam rigoroſam facere poſt initam poſſeſſionem; emolumentorum enim, quæ percipiendi jus haberent, ſi rigoroſam præſtitiſſent, privatio hanc obligationem ſatis oſtendit; id cum ita ſe habeat, poteſt merito Capitulum ſui Statuti executionem præcipere tam in præſentia quoad Canonicos, qui rigoroſam non præſtiterunt, quam impoſterum. Diſpenſatio, quam in eo Capitulum ſæpe conceſſit, illud abrogatum eſſe non evincit, I. quia Capitulum non in rigoroſa univerſa, ſed in ejus parte diſpenſavit; II. Si Statutum non amplius obligaret, diſpenſatione non opus eſſet; III. Capitulum diſpenſationis hujus concedendæ jus non habet, ſi Statutum vetus eſt, & a Capitulo Superiore confirmatum; quamobrem juniores Canonici his temporibus uti nequeunt diſpenſationibus, quibus rigoroſæ præſtandæ exemptio permiſſa eſt.

Verum ne quis ejus exemptionis arrogandæ locus ſuperſit, debet Capitulum in generali Capitulo Statutum ſuum innovare, atque ut ejus obligationem magis indiſpenſabilem reddat, Ordinarii auctoritatem adhibere, praxis enim rigoroſæ quædam probationis & tirocinii ratio eſt, quæ junioribus Canonicis ad ipſorum ſtatus obligationes cognoſcendas eſſe poteſt apprime utilis.

Quod attinet ad quæſtiones, quæ ſecundum hanc interrogationem conſequuntur, reſpondetur,

I. Canonicum in Ordinibus conſtitutum activa voce quoad Capituli negotia gaudere poſſe, licet ſuam rigoroſam nequaquam præſtiterit; nihil eſt enim in Jure, quod id prohibeat, nihilque occurrit in hoc Statuto, quod repugnet; hic denique Capituli, de quo quæritur, & Cathedralis mos eſt.

II. Canonicus, qui rigoroſam non fecit, nominare poteſt ad Beneficia, quæ in Capitulo conferuntur, quin jus habeat hebdomadæ ad Beneficia in orbem tribuenda, cum nullum Statutum, & nulla conſuetudo adverſantur; Beneficia enim, quæ Capitulariter conferuntur, *via electionis* conferuntur; quæ vero Canonicus in ſua hebdomada confert, *nominatione vel collatione*, & ſua auctoritate confert; porro hæ duæ rationes inter ſe differunt *cap. cum in illis §. 1. de præbend. in 6.* Hinc Canoniſtæ communiter docent Canonicum *in ſacris* non conſtitutum, & proinde ſuffragii jure carentem, ſuam tamen hebdomadam ad conferenda Beneficia habere poſſe; ita Rebuffus *de nominat. q. 8. n. 4.* Garcias 3. *p. c. 4. n. 30. de Benefic.* Barboſa *c. 37. n. 20. de canon. & dignit.* Non igitur ſequitur, ut in Expoſitione dictum eſt, Canonicum, qui rigoroſam non fecit, non poſſe in Capitulo voce gaudere in nominatione ad Beneficia cum aliis Canonicis, cum caret hebdomada ad nominandum titulo Capitis ad Beneficia, quæ in orbem vacant.

Poteſt ergo Capitulum, de quo ſermo eſt, eam, quam poſſidet, conſuetudinem retinere tribuendæ vocis, activæ Canonici qui ſuam rigoroſam non præſtiterint, ut nominent ad Beneficia, quæ capitulariter conferuntur, quin hebdomadam iiſdem concedat.

III. Nihil ſane eſt in Jure, quod ſtatuat, ut Canonicus optione gaudeat; ſed cum nulla conſuetudo, nullumque Statutum repugnans exiſtit, ea Seniori eſt relinquenda. Bonifacius VIII. in poſtremo capite *de conſuetud.* conſuetudinem in Capitulis inſtitutam confirmat; in quibus quidem Seniores optionis jus præ aliis habent, eamque retineri vult. Canonicus nondum Subdiaconus, & proinde in Capitulo voce carens, optandi tamen jus habet; quia optio ex ejus Canonicatus titulo præciſe ducitur. Non eſt id, ut ait Gloſſa *v. in capitulo clem. II. qui de ætat. & qual. Actus Collegialis, aut ex voce in Capitulo, ſed competit ex Canonia & Præbenda*; itaque Canonicus Senior ante juniorem optare debet, idemque de rigoroſa dicendum eſt, quam Canonicus vel fecerit, vel non fecerit,

ſi is

Digitized by Google

ſi is eſt Senior, ante illum optare debet, qui poſt ipſum receptus eſt. Et ſane optio, præſidentia, aliæque prærogativæ ad Canonicum Seniorem pertinent, quia diutius Eccleſiæ deſerviit; hæc animadverſio Barboſæ *c.* 18. *num.* 11. *de Canon. propter majora onera & ſervitia, quæ in Eccleſia ſubiit*. Jura hæc optionis, & alia ſunt Beneficii quidam fructus; porro fructus ad poſſeſſorem ſpectant, atque ita qui longiore poſſeſſione gaudet, eſt præferendus: *Iſtæ præminentiæ ſunt fructus & emolumenta poſſeſſionis, ſed fructus ſemper ſpectant poſſeſſorem*. Barboſa *l. c.*

IV. Si ſpectetur Statuti in expoſitione allati ſextus articulus, Canonicus, qui ſuam reſidentiam rigoroſam facere renuit, aut eam omnino non abſolvit, privatur omnibus Præbendæ ſuæ fructibus: *Ipſo facto commoda Præbendæ & acenſamenti illius anni omnino perdit*, & in articulo trigeſimo ſexto, *quod ſi Canonicus decedat, non completa reſidentia conſueta, vel non habita pro completa, omnes fructus præbendæ & acenſamenti illius anni remaneant Eccleſiæ prædictæ*. Quia tamen non conſtat hanc pœnam in Capitulo, de quo quæritur, unquam in uſu fuiſſe; ideo Canonicus, de quo agitur, poteſt benignius accipi, & non tota Statuti pœna affici; eſſet nempe rationi conſonum, ut eo, qua declaratum eſt, ratione in uſum revocato, ad ejus executionem impoſterum incumberetur, & Capitulum nonniſi raro magnis de cauſis, & de Ordinarii conſenſu in eo diſpenſaret.

Aliquam etiam aliam pœnam, prout ipſi videbitur, ſuo Statuto Capitulum addere poteſt, ut Canonicos ad ſuam rigoroſam faciendam impoſterum obliget; nec ſolum eos activa voce in Capitulo, & dimidia diſtributionum parte privare poteſt, ut in Conciliis generalibus Viennenſi & Tridentino Statutum eſt, ad eos quod attinet, qui, Ordinibus initiati eſſe cum debeant, eos intra annum ſuſcipere neglexerint; verum etiam poteſt iis majores pœnas imponere; ut eos ad Officium vehementius redigat, ſi ita Epiſcopo viſum fuerit, ut monet Barboſa *loc. c. c.* 16. *n.* 20. Hæc Tridentinæ Synodi ſententia eſt, *ſub eiſdem & aliis etiam gravioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis*.

Deciſum hac die 21. Junii an. 1695.
G. *Fromageau*.

Canonici Jubilati.

CASUS XIII.

1 *Conſuetudo Capitulorum, in quibus poſt quadraginta, aut quinquaginta ſervitii annos percipiuntur reditus, adſiſtentia Officio non præſtita, poteſt retineri, atque adeo induci ubi non obtinet, Superiorum permiſſu, dummodo divinum Officium inde grave incommodum non ſentiat*.

2 *Non licet privato Canonico hoc privilegium emere in Capitulo, ubi illud in uſu non eſt*.

QUÆSITUM.

CAnonicus annos natus ſexaginta tres, qui quinquaginta ab hinc annis ſuo Beneficio deſervit, proponit ſe ſine ſorte Capitulo daturum ſcuta mille, ea conditione, ut a Choro, & ab omni munere liberetur, in ſuo Canonico Domicilio degat, & in lignorum reciſione portionem obtineat, quæ ipſi calefaciendo inſerviat. Quæritur, an liceat Capitulo ſtipulationem hanc acceptare?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, quoad primam facti ſpeciem, annorum quinquaginta Canonicum in Aurelianenſi, ac Pariſienſi, aliiſque nonnullis Capitulis exemptum eſſe; omninoque lucrari, quin divino ſervitio adſiſtere teneatur, excepto Matutino Beatæ Virginis Pariſienſis, in quo cum nemine diſpenſatur.

Tridentina quidem Synodus *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de reform.* diſtributiones cujuſvis Statuti aut conſuetudinis vi negat aliis tribui poſſe, quam iis, qui canonicis Horis adſtiterint: *Diſtributiones vero qui ſtatis Horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, non obſtantibus quibuſcumque Satutis aut conſuetudinibus*.

At pronunciari poteſt hunc Concilii locum non ſpectare ad præſentem facti ſpeciem, in qua agitur de Canonico, qui per annos quadraginta aut quinquaginta reſedit, & Eccleſiæ deſerviit. Barboſa in hunc locum Synodi *n.* 59. ait Statutum edi poſſe quo Canonicus poſt quadrageſimum ſervitii annum præſens cenſeatur: *Validum tamen erit Statutum, quo cavetur ſervitium* 40. *annorum Eccleſiæ præſtitum liberare Beneficiarium a reſidentia, lucrarique diſtributiones quotidianas in abſentia, quamvis ipſe non interſit divinis*. Idem Auctor alibi aſſerit hanc conſuetudinem tolerari poſſe; laudatque in hanc ſententiam Auctores plures *p.* 3. *allegat.* 53. *n.* 117. *de poteſt. Epiſcop.* ut Placeſium 2. *p. c.* 3. *de praxi Epiſcop.* qui Gregorii IX. Bulla nititur, Garciam 3. *p. c.* 2. *n.* 344. *de Benef.* Bonacinam *tom.* 1. *de hor. can. diſp.* 2. *q.* 5. *p.* 6. *n.* 3.

Quod ſi nullo Statuto, nullaque conſuetudine nitatur hoc privilegium in Capitulo, de quo agitur, Canonicus, pro quo conſulitur, librarum tria millia ſine ſorte ad illud obtinendum dare non poteſt. Eſſet id nihil aliud, quam ſuarum obligationum exemptionem emere; eſſet hæc conventio tum Capitulo tum ipſi turpis, nec minus quam alii Officio intereſſe teneretur, & fructus, quos adſiſtentia non præſtita percepiſſet, reſtituere.

Liceret tamen Capitulo ſuorum Superiorum permiſſu poſt quinquaginta ſervitii annos Canonicos ſtipendia emeritos declarare, modo grave inde damnum Officio non afferretur, neque ullum adeſſet legitimum impedimentum.

Deciſum hac die 4. Auguſti an. 1697.
Germanus *Fromageau*.

Canonici Cathedralium. Quinam ſunt eorum Judices.

CASUS XIV.

1 *In Capitulo non exempto crimina ad forum contentioſum deferenda per Epiſcopi Miniſtrum judicanda ſunt*.

2 *In Gallia non poteſt Epiſcopus de iis ipſe per ſe cognoſcere, ſed eadem ad Miniſtrum remittere debet*.

3 *Juxta jus, quod nunc obtinet, non tenetur Epiſcopus Conſtitutiones Synodales ad univerſam ejus Diœceſim ſpectantes cum ſuo Capitulo communicare. Satis eſt eas in Synodo, cui Canonici intereſſe potuerunt & debuerunt, lectas & publicatas fuiſſe*.

4 *Canonicus non exemptus, qui coram duobus tribuſve perſonis celebravit, poſtquam in eum decreta eſt perſonalis ſuſpenſio, eſt irregularis, & Romam pergere debet abſolutionis & rehabilitationis obtinendæ gratia*.

QUÆSITUM.

IN Synodo habita anno 1673. Epiſcopus T.... Conſtitutionem edidit, qua ſuſpenſos ipſo facto declarat omnes Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, qui bibendi, edendi, dormiendi cauſa ad Cauponas, & Diverſoria, atque ad loca Cauponis adjacentia, ab iiſque pendentia vergunt extra itineris & neceſſitatis caſum.

In eadem Synodo interdicitur Eccleſiaſticis in pœnam ſuſpenſionis ipſo facto, ne gladios, ſcloppetos, & alia ignea arma deferant ſeu in itinere, ſeu alias.

Contigit Epiphaniæ veſpera Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, Presbyterum fuiſſe in facti ſpecie, in qua grave ſcandalum extitit; quare cum Promotor Diœceſis id Officiali denunciaſſet, informatum eſt, & tres teſtes deponunt hunc Canonicum undecima veſpertina hora enſem manu ſtringentem una cum tribus aut quatuor aliis digladiantibus ſibi viſum eſſe. Horum teſtium unus addit

hunc Canonicum e Caupona, ſe vidente, exiiſſe. Deponit quartus teſtis viſum ſibi eſſe eumdem Canonicum, cum ipſe in hanc cauponam ingreſſus eſſet eadem veſpera, ad menſam cum duabus perſonis ſedentem, ac compotantem. Hoſpitæ Mater, quæ quintus teſtis eſt, deponit eadem veſpera Canonicum in ejus domum veniſſe, & in cubiculum ſecutum eſſe perſonas, quæ vinum petierant, eum tamen bibentem non vidiſſe, quia ipſa ab hoc Cubiculo receſſit; ſed alio die vidiſſe bibentem in eadem caupona cum uno ex ſuis fratribus.

In Monitione, quæ vulgata eſt, nullus novus teſtis adhibitus eſt. Ad priorum depoſitionem decrevit Officialis in jus vocationem contra Canonicum, & prorogationes nondum elapſæ ſunt.

Capituli Syndici de hac in jus vocatione certiores facti ad Epiſcopum ſupplices acceſſerunt, ut hunc proceſſum ſiſteret, ajentes I. per Bullam ſæcularizationis eorum Capituli Decano in Canonicos correctionis jus competere, atque ita ad ipſum ſpectare eum corrigere, de quo quæritur. II. Canonicos non teneri Conſtitutionibus Synodalibus ab Epiſcopo ſancitis obſequi, nec proinde pœnis per eas inflictis ſubjectos eſſe; quandoquidem, inquiunt illi, Capitulum de dictis Conſtitutionibus conſultum non eſt, antequam earum publicatio in Synodo fieret. Ad quas duas objectiones per Syndicos exhibitas Conſilium declaravit Capitulo Officialem non adeſſe, nec eum habendi jus eſſe; Bullam vero ſæcularizationis, quæ Decano jus tribuit Canonicos corrigendi, his tantum verbis uti: *Quod Decanus inibi Caput aliorum exiſtat, & tam in Choro, Capitulo & proceſſionibus, quam aliis actibus præſit, illique correctio Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ T.... pro tempore exiſtentium cum aſſenſu dictorum Capituli, & non alias, prout in aliis Eccleſiis Cathedralibus ſæcularibus, ubi Decanus exiſtit, fieri conſuevit, omnino pertineat.* En fundamento quo Capitulum nititur, ut in præſenti facti ſpecie correctionis jus ſibi vindicet. An. 1614. ad litem inter Epiſcopum loci ejuſque Capitulum, editum eſt Reſcriptum Senatus B...... quo dictum eſt, perpenſis partium concluſionibus, jus contentioſæ juriſdictionis in dictos Decanum & Canonicos Domino Epiſcopo T..... ab Aula definitive ſervatum eſſe, reſervato dictis Decano & Canonicis correctionis jure, juxta Bullam ſæcularizationis. Biennio aut triennio poſt ejuſdem Decani, aliorumque nonnullorum Canonicorum cauſæ civiles ab Officiali T.... judicatæ ſunt. Nos habemus proceſſum criminalem antiquum cum ſententia ab Officiali in Canonicum edita.

Quod vero Syndici dicunt ſe Synodali Conſtitutioni ſubjectos non eſſe, propterea quod Capituli ſententia quæſita non fuerit: verum quidem eſt in indictione Synodi an. 1673. in qua conſtitutiones, de quibus agitur, publicatæ ſunt, Capitulum per indictionem a Generali Vicario editam convocatum non fuiſſe; at in Præfatione Conſtitutionum, quæ publicatæ, & deinde typis impreſſæ ſunt, Decanus & Canonici comprehenduntur, & quidem Synodo interfuerunt. In Mandato indictionis Synodi an. 1674. Clerus omnis, cui ſuffragii jus competit, appellatus eſt; ei Capitulum interfuit, omnes Conſtitutiones coram Capitulo relectæ & confirmatæ ſunt, & Epiſcopus publice declaravit ſe velle univerſos & ſingulos nemine excepto iiſdem Statutis obligare. Illud quoque verum eſt, Dominum quondam *Vaillac* Epiſcopum T.... in ſuis Statutis Synodalibus poſuiſſe: „ Nos de noſtrorum „ chariſſimorum Fratrum Decani & Canonicorum „ Eccleſiæ noſtræ Cathedralis ſententia mandavi„ mus; verum Dominus G.... " immediatus anteceſſor de Canonicorum ſententia non meminit, perinde atque ejus Vicarius Generalis in Synodo, quam habuit coram Epiſcopo. Statuta Synodalia Eccleſiarum Senonenſis, Rothomagenſis, Narbonenſis, Turonenſis, Aletenſis, Catalaunenſis, Uticenſis, Canomanenſis, Lemovicenſis, Gandavenſis ſub Cornelio Janſenio hujus Eccleſiæ primo Epiſcopo de ſententia a Capitulis edita altum ſilentium habent.

Itaque quæritur, I. An Canonicus in præſenti facti ſpecie a Decano ſit corrigendus ob ejuſmodi correctionis jus, cujuſmodi a nobis expoſitum eſt? An in jus vocatio decerni non potuerit, præſertim cum ſuper eodem delicto Procuratoris Regii nomine informationes extiterint?

II. An ſi id Decano non competit, adeundus ſit Officialis, aut Epiſcopus ipſe, eo quia delinquens eſt Canonicus?

III. Cum in Synodis ita ſe res habuerint, ut dictum eſt, Canonici Synodalibus Conſtitutionibus, & pœnis per eas impoſitis ſubjecti non ſint? An iis in foro conſcientiæ non ſint ſubjecti, ſi quis formulæ defectus extiterit, quod nempe eorum ſententia petita non fuerit, quam ſequi non eſt neceſſe? Atque an ignorantia, in qua ſe ajunt exiſtere quoad obligationem hæc ſtatuta ſervandi, non ſit ignorantia craſſa & affectata, & quæ proinde in conſcientiæ foro non excuſet?

IV. An Canonicus ipſo facto ſuſpenſus, & deinde celebrans a ſuſpenſione non abſolutus (quia notatu dignum eſt, Epiſcopum T..... qui ſibi reſervat abſolutionem ab omnibus cenſuris, ei abſolutionem non tribuiſſe) hic, inquam, Canonicus in irregularitatem inciderit, atque an proceſſus inceptus ad vocationem in jus perductus cogat hunc Canonicum ad Romanam Curiam confugere, ut ab irregularitate, quam ſubiit, abſolutionem obtineat? Quia licet celebraverit, atque id probari poſſit, nondum tamen hujus celebrationis in univerſo proceſſu mentio facta eſt; quare nonniſi Canonici ſuſpenſio ad forum externum delata adhuc videtur exiſtere, non autem irregularitas; & hoc poſito, nihil eſſe, cur Canonicus ad Romanam curiam confugiat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet quoad interrogationem primam, Decanum omni contentioſo judicio carentem non poſſe de negotio ejuſmodi, cujuſmodi eſt expoſitum, cognoſcere; ejus juriſdictionem œconomicam tantum eſſe, & ob errata levia, at non ob ea, quæ juris formas requirunt, cujuſmodi eſt informatio, neque ob pœnas tam Synodali Conſtitutione, quam jure inflictas contra facta in informatione contenta; poſſe, viſa informatione, decerni contra Canonicum perſonalem in jus vocationem, & curis a Procuratore Regio adhibitis ſatis purgari Officialis conſilium.

Quoad ſecundam interrogationem, negotium, de quo agitur, ad Tribunal contentioſum pertinens tranſigendum non eſſe coram Epiſcopo, ſed coram ejus Officiali; & appellationi tanquam ab abuſu locum fore juxta regulam communiorem Senatuum Regni, ſi inſtruere & judicare de hujuſmodi negotio vellet Epiſcopus; recenterque Capitulum P.... in privato Conſilio damnatum eſſe, quod contenderet Canonicum a Promotore coram Officiali accuſatum ob ſcelus in mulieris perſona patratum ab Epiſcopo judicandum eſſe. Ante hoc Reſcriptum certum fuerat aliud Senatus in gratiam Officialis L.... contra Capitulum, quod ajebat inſtructionem & judicium negotiorum criminalium Canonicorum ſui Corporis ad ſe ſimul cum Epiſcopo pertinere, ſuum jus confirmans Bulla ſæculariʒationis Capituli.

Quoad interrogationem tertiam, veritati conſonum eſſe, juxta jus, quod olim in uſu erat, oportuiſſe, ut Epiſcopi ad ſuam juriſdictionem in gravibus negotiis exercendam ſua Capitula conſulerent; verum in præſentia id non amplius in uſu eſſe, ut notat Paſtor, *de juriſdictione Eccleſiaſtica*, *tit.* 8. ita ut Capitula petere poſſint communicationem Conſtitutionum, quæ ad univerſos, non autem quæ ad ſingulos ſpectant, puta quoad aliquam in divino Officio mutationem, &c. Verum ratione Conſtitutionum ad ſingulos pertinentium, & id præſertim firmantium, quod jam in jure ſtatutum eſt: Canonici ſe ab iis exemptos credere nequeunt, quod prætendant reformationes cum Capitulo communicatas non fuiſſe; ſatis eſt eas publicatas eſſe, quemadmodum fieri conſuevit ad omnes Diœceſis Eccleſiaſticos, Canonicos, Parochos obligandos. Quia porro conſtitutiones, de quibus agitur, ejuſmodi ſunt, Capituli Syndicis legitima ratio non

ſuffi-

ſufficit, ut a generali regula ſui Corporis ſingulos eximant; præſertim cum hic agatur de graviſſimo ſcandalo, quod eſt conſecutio violationis duarum Conſtitutionum Epiſcopi, & ſatis oſtendit, quam recte eaſdem ediderit.

Quoad interrogationem quartam, cum delicta, propter quæ Canonicus ſuſpenſionem incurrit, ad Tribunal contentioſum delata fuerint, Epiſcopum diſpenſare non poſſe, juxta Tridentinæ Synodi regulam *ſeſſ. 24. de reform. c. 6.* atque irregularitas, quam deinde celebrans ſubiit, non videtur majori privilegio gaudere, præterquam quod ipſe poterit æque facile ab irregularitate, atque a ſuſpenſione liberari. II. Juxta Cardinalium Declarationem irregularitas nequit occulta cenſeri, cum duorum aut trium teſtium aſſertione firmari poteſt. En verba: *Abſolutus vel diſpenſatus a proprio Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus vel tribus teſtibus, quod tamen non fuit notorium; non eſt tutus in conſcientia, quia Concilium utitur verbo occulti, quod proprie loquendo dicitur, quod probari non poteſt; Abb. in c. Veſtra de cohabit. Cleric. eo quod duo teſtes probare poſſunt, & verba Concilii ſecundum proprietatem ſunt accipienda.* Juxta hanc ſententiam ſi oſtendi poſſet, hunc Canonicum celebraſſe poſt ſuſpenſionem, quin ab ea liberatus fuerit, teneretur ipſe rehabilitationis gratia Romam confugere. Sunt alii, qui dicant verbum, *occultum*, id hoc loco ſignificare, quod publicum non eſt; ita Navarrus in ſuo Manuali *cap. 2. n. 254.* ſub finem: *Videtur*, inquit hic Auctor, *reſolvendum, quod occultum eſt, quod non eſt publicum*, & ſtatim poſt hæc verba *n. 255. Publicum autem, quod eſt notorium, manifeſtum, vel famoſum*. Et deinde vocabulum, *occultum*, diſtinctius explicans aſſerit, quemadmodum *publicum* trifariam accipi poteſt, ita etiam verbum *occultum* trifariam ſpectari poſſe: *Occultum item triplex, ſcilicet quod non eſt probabile ſuapte natura, quod non poteſt probari, quia coram nemine factum eſt, quod probari quidem poteſt, ſed adeo a paucis, quod fama nulla inde orta eſt, nec in judicium deductum. Quod præfatæ Gloſſæ pene occultum appellant*; antea vero dixerat, id quod appellatur *pene occultum*, occulti ſpeciem quamdam eſſe. Subſcribunt huic ſententiæ Paulus Comitulus *l. 6. Reſp. moral. quæſt.* 44. aliique plures.

Nihilominus quia verbi *occultum* explicatio rationi conformior ea eſt, quam in ſua Declaratione Cardinales afferunt, tutius eſſe cenſetur eamdem ſequi, ac proinde neceſſe eſſe hunc Canonicum ad Romanam Curiam accedere, ſi coram duobus, tribuſve teſtibus celebravit.

Deciſum Pariſiis die 25. Februarii an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Id quod ob Canonicorum receptionem exigitur.

CASUS XV.

Capitula nihil exigere poſſunt, ut Canonico poſſeſſionem conferant, niſi conſuetudine ab Epiſcopo approbata, quod dat Canonicus, piis uſibus addicatur.

QUÆSITUM.

IN quodam Eccleſia Collegiata ex antiqua conſuetudine Capitulum a novis Canonicis, antequam eos ſuarum Præbendarum poſſeſſione donet, certam exigit pecuniæ ſummam, quæ inter præſentes dividitur; ac nemo recipitur, niſi ſummam hanc antea ſolverit. Qua in re quæritur,

I. An conſuetudo hæc laudabilis dici poſſit, an vero ſit illicita?

II. Si ea prava eſt, ſimoniæne, an injuſtitiæ vitio laborat?

III. An Canonici, qui pluries hujus ſummæ portionem ad ſe ſpectantem receperunt, pœnis in Simoniacos inflictis ſubjecti ſint, & reſtituere teneantur?

IV. Poſſetne hæc conſuetudo ſervari, pecunia tradita piis uſibus applicata, nec liceret viginti aut triginta ſolidos ex ea detrahi futuros diſtributionis loco ſingulis Canonicis, qui ſumptioni poſſeſſionis novi recepti interfuerint?

V. Hic novus receptus incurritne Simoniacorum pœnas, inſtitutam contributionem ſolvens, licet in hunc abuſum proteſtetur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod allatam expoſitionem vidit, exiſtimat, ſpectari non poſſe tanquam laudabilem & permiſſam conſuetudinem, quæ in Capitulo, pro quo conſulitur, ſervatur, quia Tridentina Synodus eam proſcribit *ſeſſ. 24. c. 14. de reform.* nec ſentiendum eſt eam malam eſſe ideo ſolum, quia eſt prohibita; cum potius non ſit prohibita, niſi quia mala eſt. Illud indubitatum eſt ſolutiones tantum in pios uſus collatas, non autem quæ ad Canonicorum privatum commodum referuntur, a Concilio probari. Ita declaravit Congregatio Cardinalium Concilii interpretum, cujus en verba: „ Nullum Capitulum poteſt quicquam „ exigere, ut aliquem Præpoſituræ, quam obtinuit, „ poſſeſſione donet, niſi ex lege aut conſuetudine, „ quod traditum eſt, in pios uſus convertatur." Si quid alia ratione Capitulum exegit, ad reſtitutionem obligatur.

II. Concilium declarat, ſe hanc conſuetudinem deteſtari, eamque ex Eccleſia exterminandam, atque abolendam eſſe: *Hæc cum Sancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, ut quæcumque in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant*. Quod ſatis oſtendit hanc conſuetudinem ſimoniæ & avaritiæ labe magnopere infectam eſſe.

III. Certum eſt Pontificem a Concilio accepiſſe jus damnandi Simoniacorum pœnis Canonicos, qui conſuetudinem hanc ſectantur; verum quia in Gallia Concilii diſciplina quoad eos tantum articulos vim obtinet, qui ibi obſervantur, hic vero ibidem non obſervatur, ideo pro certo habendum eſt, neminem Concilii pœnis obnoxium eſſe, niſi nominatim juridica ſententia damnatus fuerit. Et quia conſuetudo, de qua agitur, publice ſervatur omnibus videntibus & ſcientibus, qui eam ſervant, pro ſimoniacis habendi eſſe dici non poſſunt.

IV. Hæ diſtributiones retineri poſſunt, dummodo Epiſcopo conſentiente & approbante in pios uſus convertantur; ita ut id ne minimam quidem ſimoniæ aut avaritiæ ſpeciem præſeferat. Ita ſtatuitur in Cardinalium Declaratione, quam nos citavimus.

V. Ex his omnibus, quæ dicta ſunt, conſtat, Canonicum, qui abuſum deteſtatus contributionem ſolvit, in nullam pœnam incidiſſe.

Deciſum in Sorbona hac die 20. Aprilis an. 1680.
A. *de Lamet*.

Canonicus, qui Philoſophiam profitetur.

CASUS XVI.

1 *Canonicus, qui in Univerſitate Philoſophiam profitetur, ut ſe dignum reddat, qui in ſocietatem Sorbonicam cooptetur, non ideo jus acquirit petendi a ſuo Capitulo magnos fructus ſui Beneficii, aut penſionem.*

2. *Tempus Privilegii Canonicorum ſtudentium quinquennii ſpatio definitum eſt. Verum non deſunt Reſcripta, quæ ad ſumptam uſque Doctoris Lauream illud protrahant.*

QUÆSITUM.

EXiſtit controverſia inter Capitulum M..... & unum ex ejus Canonicis.

Canonicus per Procuratorem poſſeſſionem iniit, & nondum in Beneficii Eccleſia comparuit, licet illud decem aut duodecim ab hinc annis poſſideat; perfecit ſtudiorum ſuorum curriculum, cujus tempore penſionem Capitulum eidem contulit; in præſentia completo ſuo quinquennio, eamdem penſionem petit, & allegat ſe ad Societatem contendere, eaque de cauſa ſe Philoſophiæ curſum aggreſſum eſſe,

Nondum ille vigeſimum annum attigit, ætatem neceſſariam ad ſupplicandum in Facultate, & Examinatores poſtulandos; non attinget ætatem hanc niſi menſe Januario an. 1679. & ſupplicabit menſe Februario, ut examen ſubeat Quadrageſimæ tempore, & Paſchatis tempore cooptetur; declarat, quia ad Sorbonæ Domum, & Societatem accedere volentibus abſolute neceſſarium eſt, ut Philoſophiæ curſum conficiant, ſe proinde coactum fuiſſe ſuum inchoare, atque ita impediri a præſtanda reſidentia M.....

Capitulum probe ſciens eos, qui Sorbonicæ Familiæ adſcribi volunt, debere Philoſophiæ curſum abſolvere, renuit tamen ſchedulam, aut penſionem tribuere pluribus de cauſis.

Prima eſt, fortaſſe fieri poſſe, ut cum hic Canonicus nondum ætatem habeat, ut ſupplicet, utque Baccalaureus creetur, ex incepto Philoſophiæ curſu nullam utilitatem percipiat, cumque cogatur repetere, quia dici poterit, ipſum, cum eum inchoavit, nondum Baccalaureum fuiſſe.

Altera eſt, hunc Canonicum non modo nunquam reſediſſe, verum etiam nunquam Eccleſiam ingreſſum eſſe per annos decem, ex quo tempore hoc Beneficium poſſidet; eſtque magnopere veroſimile fore, ut impoſterum nunquam ingrediatur, quoniam Pariſiis degit, ubi in Eccleſia Beatæ Virginis Capellaniam poſſidet; ibique ſuum patrem habet, ſuas neceſſitudines, ſua bona; ejuſque pater nonnullis ex Capitulo dixit eum reſidentiam minime præſtiturum, quippe qui hoc Beneficium non retineat, niſi ut illud aliquando in fratris favorem diſponat.

Tertia ratio eſt, quod ſi conceduntur penſiones Canonicis profitentibus, ut de Sorbonæ Familia ſint, ideo fit, quia ſpes eſt fore, ut Eccleſiæ, in qua eorum Beneficium eſt, ornamento ſint; quod locum habere non poteſt in præſenti facti ſpecie, quoniam Canonicus, de quo agitur, ſecutus ſui patris mentem nunquam reſidebit, & ſuum Beneficium non retinebit, niſi dum amplius reſidentiam vitare non poterit, nullumque amplius jus habebit petendæ penſionis; uno verbo eſt propemodum indubitatum, fore, ut nunquam ipſe huic Beneficio deſerviat.

Quamvis allegari poſſit hanc tertiam rationem frivolam eſſe, utpote non alio fundamento nixam, quam præſumptionibus, & verbis patris, & quod etiam fieri poterit, ut hic Canonicus hoc Beneficium ſervet, & poſt ſumptam Lauream reſideat; nihilominus Capitulum, quod ſe jure aliter ſentire putat, exiſtimat, quemadmodum Canonicus Beneficii, cui deſervire non vult, fructus percipere tuta conſcientia non poteſt, ita ſe quoque non poſſe tuta conſcientia eos ipſi concedere; cenſet hunc Philoſophiæ curſum ſpectandum eſſe tanquam partem ſtudiorum temporis, quoniam huic ſuppoſito Baccalaureo ad ingreſſum in Sorbonæ Familiam inutilis eſſe poteſt, ut dictum eſt; contendit Capitulum ſe non teneri huic Canonico penſionem ſolvere annis, qui curſum ſequentur, & quorum ſpatio erit in ſedibus, licet ipſius curſus tempore non poſſet, quin ei penſionem tribueret; qua in re rogatur Conſilium, ut decidat, & pronunciet, an Capitulum, facta hypotheſi non poſſe ipſum abſtinere a penſione huic Canonico ſolvenda tum ejus curſus tempore, tum quo tempore in ſedibus erit, nequeat eum cogere ſuam Eccleſiam aliquoties ingredi, & promittere ſe Lauream ſumpturum, & deinde reſidentiam facturum eſſe, ut proinde, niſi id præſtiterit, teneatur, quicquid percepit, reſtituere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, per profeſſionem Philoſophiæ ſuſceptam animo ſubeundæ Familiæ, & Societatis Sorbonicæ nullum in jure privilegium acquiri ad Præbendæ magnos fructus percipiendos; atque ita Canonicum M...... ſatis firmo fundamento non niti, ſi id quod a ſuo Capitulo poſtulavit, hoc titulo firmare contendit; quoniam privilegium ſtudentibus conceſſum ad eos ſpectat, qui in Univerſitate Juri Canonico, aut Theologiæ operam navant, ut liquet ex *c. Super Specula de Magiſtris extra l. 5. Decretal.* & ex Concilio Tridentino *Seſſ. 5. c. 1. ad finem de reform.* & *c. Cum de diverſis, de privilegiis in 6. l. 5. tit. 7.* Poteſt tamen contingere, immo ſæpe contingit, ut hi contendentes Philoſophiæ curſum peragant eo tempore, quod ipſis a jure conceditur, ut ſuos gradus in Theologiæ Facultatibus obtineant; quemadmodum id eſſe poteſt in hoc juniori Canonico, qui ſuum curriculum in Sancti Remigii Univerſitate ſuſcepit, poſt tres Theologiæ annos; & facta hypotheſi eum non habere viginti & unum annos niſi menſe Januarii proxime elapſi, citius ſupplicare non potuit, ut Baccalaureus crearetur, juxta Facultatis Statuta. Ipſe ex Philoſophiæ curſu ad Sorbonæ Familiam nullum jus accipit, niſi antea receptus ſit, atque hic curſus a Societate ſit approbatus. Juxta Senatus Conſilium, ut conſtat ex Reſcripto diei 4. Martii an. 1614. D. Primo Præſidente Veroduni ſedente, relatum a Brodeau in Louet *Littera E, ſ. 6.* hic adoleſcens debet ipſe ad ſuam Eccleſiam pergere, ut ſe privilegii, quod petit, capacem reddat. Porro Theologiæ ſtudia de iis ſolum ſunt accipienda, quæ ſub Profeſſionibus peraguntur annorum trium ſpatio, quod olim longius erat, ut facile oſtendi poteſt ex Statutis Theologicæ Facultatis contentis in Pariſienſis Univerſitatis reformatione deſcripta in Senatu die 25. Septembris an. 1600. *art. 8.* cujus en verba: *Nemo ſive Monachus, ſive Secularis ad Baccalaureatum admittatur, niſi per annos quinque ab Artium Magiſterio Theologiæ operam navaverit*; de his annis quinque ſermo eſt *c. Super Specula de Magiſtris*, non autem de tempore in acquirendis gradibus inſumendo; ita ut ſi res ſtricte ſumatur, cum Canonicus per annos quinque ſtuduerit, ejus privilegium ceſſet hoc finali capite *de Magiſtris*, edito occaſione Baccalaurei, qui ſua ſtudia proſequi volebat, quod occurrit eodem *Brodeau in Louet* loco, quem laudavimus, cui addi poteſt a Joanne XXII. Bullam peculiarem in hoc negotio editam fuiſſe in favorem Beneficiariorum reſidentiæ adſtrictorum, qui quidem in Univerſitate Pariſienſi ſtudiis operam darent, quam refert Coppinus *lib. 3.* ſuæ Politiæ Eccleſiaſticæ tit. 4. n. ultimo. En verba: *Joannes Epiſcopus &c. Dilectis filiis Univerſitatis Magiſtrorum & Scholarium ſtudii Pariſienſis &c. Nos ſupplicationibus veſtris inclinati, vobis indulgemus ut univerſi Magiſtri præſentes & futuri in præfato veſtro ſtudio, fructus, reditus, & proventus omnium Beneficiorum ſuorum, quæ obtinent, & in futurum obtinebunt, etiamſi dignitates, perſonatus, vel officia exiſtant, & curam habeant animarum, dummodo ejuſmodi dignitates in Cathedralibus majores poſt Epiſcopales, & in Collegiatis Eccleſiis principales, ac ejuſmodi alia Beneficia Eccleſiæ non exiſtant, cum omni integritate uſque ad quinquennium percipere libere valeant, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, &c. Non obſtantibus ſi dicti Magiſtri primam in dictis Eccleſiis non fecerint perſonalem reſidentiam conſuetam, ſeu quibuſcumque Statutis, & Conſuetudibus ipſarum Eccleſiarum contrariis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia firmitate vallatis, &c.* Data eſt Avenione die 2. Novembris an. 15. ſui Pontificatus.

Qua in re dici poteſt, diſtinguendum eſſe inter eos, qui ad gradus non aſpirant, quorum tempus quinquennio definitum eſt, cujus ſpatio tanquam a ſuis Eccleſiis abſentes reputari nequeunt, & eos, qui in Theologia gradus adipiſci volunt. Senatus enim reputantes Concilia ſæpe animadvertere utile eſſe magna Beneficia Doctoribus & Licentiatis conferri, ſtatuerunt, ut hos gradus comparare volentibus neceſſarium ad eos aſſequendos tempus ſuppeteret. Id clare liquet ex Reſcripto, quod contra ſuum Capitulum quidam Baccalaureus Bleſenſis Decanus obtinuit, cui adjudicatæ ſunt octingentæ annuæ libræ, quoad ſuum Theologiæ curſum conficeret, videlicet biennio, quo durat Licentia, & tempore quo opus eſt, ut quis ad eam ſe comparet; itaque credendus eſt Canonicus, de quo agitur, ſimile judicium impetraturus, ſi Capitulum M...... ejus poſtulationem impugnaret.

Graviter delinqueret hic Canonicus, ſi Beneficium

ſium hoc in eum tantum finem retineret, ut illud fratri ſuo cederet, & quos percepiſſet, reditus reſtituere teneretur; ſed quoniam hæc obligatio nonniſi ad internum forum ſpectaret, cum externum de iis non judicet, quæ non cognoſcit, ei fructus adjudicarentur, qui Beneficii titulo gaudet, eſſet etiam timendum, ne Capitulum peccaret, ſi a Canonico cautionem exigere vellet, cum id conſuetudini, atque uſui repugnet; poteſt tamen Capitulum ex eo quærere, qua demum ratione ſuum tempus impenderit, eumque adigere, ut honorificis teſtimoniis inſtructus accedat, atque illud quidem præcautionem hanc eo tutius accipiet, quod ea in Turonenſi, & Toloſano Conciliis eſt inſtituta.

Deciſum hac die. 16. Februarii an. 1679.
Auguſtinus *de Lamet*.

Canonicus ſtudens in Univerſitate.

CASUS XVII.

1 *Diſtributiones quotidianæ in eum finem inſtitutæ, ut Officiis aſſidua adſiſtentia præſtetur, non ſunt tribuendæ Canonicis in Univerſitatibus ad ſtudia incumbentibus.*

2 *Utrum Capitula ſatis penſionis iis tribuere debent, ut ſua ſtudia conficiant, & ſervitii Eccleſiæ præſtandi ſe capaces reddant,*

QUÆSITUM.

MÆvius, Canonicus & Chori Præfectus Eccleſiæ Cathedralis S. M. de V.... Studens Theologiæ in Schola Sorbonæ petit in ſuorum ſtudiorum gratiam fieri particeps diſtributionis, quæ dicitur Capitularis, perinde ac ſi re ipſa divinis Officiis præſens eſſet.

I. Quia juniores Canonici ejuſdem Eccleſiæ ſuorum Anteceſſorum Præbendas ſucceſſionis jure non obtinent, & ad magnos fructus jus nullum habent; ſed expectant, dum Præbendas poſt ipſorum inſtallationem vacaturas inter ſe partiantur.

II. Quia juniores Canonici nonniſi mediocri proventu gaudent, nempe tritici & pecuniæ aliquid in fixæ diſtributionis modum percipiunt, quod quidem ſuſtentando Cathedralis Canonico in Dignitate conſtituto, & ſtudendi *in Univerſitate famoſa* non ſufficit.

III. Quia ſi Canonici abſentes hac diſtributione privarentur, ſtudiorum cauſa, Scholarium privilegium inutile redderetur, quoniam haud majus emolumentum perciperent abſentiæ tempore, quam ſi abſque cauſa adeo legitima recederent; rigor hic ſtudia ſua proſequendi & ad gradus perveniendi rationem ipſis adimeret, id quod formaliter adverſaretur Tridentinæ Synodi Decreto *Seſſ*, 24. *cap.* 12. cupientis, ut dimidia ſaltem ex parte Eccleſiarum Cathedralium, & inſignium Collegiatarum Canonici ſint Doctores, Licentiati, aut Baccalaurei in Theologia, aut in Jure Canonico.

Biſariam Capitulum in hac controverſia ſectum eſt, opinantibus aliis Dominum Chori Præfectum, licet abſentem, ad diſtributiones Capitulares allatis de cauſis admittendum eſſe, aliis vero contra ſentientibus.

I. Quia Tridentina Synodus *Seſſ.* 24. *cap.* 3. & *Seſſ.* 22. *cap.* 3. Capitulis præcipit, ut tertiam partem magnorum fructuum conferant in diſtributiones, iis tribuendas, qui Divinis Officiis interfuerint, quin ii, quos licet abſentes recipi placuiſſet, earum proprietatem legitime acquirere poſſent. Bonifacius VIII. in ſuo Decreto, *Conſuetudinem*, in uſum revocato a Tridentina Synodo *Seſſ.* 24. *cap.* 12. ab hac generali regula duntaxat excipit ſenes, infirmos, & qui abſunt ob ſuorum Capitulorum negotia.

Communis eſt in Galliarum Capitulis hæc praxis, & præterea confirmata eſt quoad S. M. de V.... Gratianopolitani Senatus Reſcriptis duobus contradictorie Sancitis inter veteres, novoſque hujus Eccleſiæ Canonicos, primo quidem an. 1599. altero vero an. 1675. Statuunt ambo, ut juxta Tridentinæ Synodi deciſionem proventuum hujus Capituli tertia pars in diſtributiones conferatur, iis tribuendas, qui Officiis adfuerint, abſentium parte præſentibus accreſcente.

Reſcripta hæc conformia ſunt ejuſdem Eccleſiæ Statuto veteri edito an. 1570. quod ita habet: *Statuimus igitur & volumus, quod non reſidentes ſeu perſonaliter non reſidentes, nullas percipiant diſtributiones, non obſtante quacumque in contrarium, ſi quæ eſſet, conſuetudine, exceptis tamen ſenibus, vel alio impedimento detentis, atque valetudinariis, bene de cultu divino, vel de Communitate præfata merentibus: iiſque, qui abſunt actualiter ab horis divinis, pro utilitate & negotiis prædictæ Communitatis, cum eo caſu ſervire intelligantur, veluti Refectuariis, Syndicis, & aliis quibuſcumque Communitatis ejuſdem negotiis deputatis & vacantibus, quorum Officium damnoſum eſſe non debet: & a quibus quidem non per hebdomadas, ſed dierum diſtributiones prædictas percipi poſſe intendimus, horarum ſcilicet & dierum, quibus in menſe, qui proxime & immediate præceſſit, eorum ægritudines & abſentias, horis divinis ſervire & intereſſe ſolebant: Si enim alias non reſidebant, nec non erant ſoliti reſidere, ſeu horis intereſſe divinis; tunc licet infirmentur, vel impediantur dictæ Eccleſiæ negotiis communibus, dictas diſtributiones tradi & dari nolumus, cum ægritudines & infirmitates, dictaque impedimenta communia abſentiæ cauſam eo caſu non præſtiterint.*

Si Concilia & Pontificum Conſtitutiones Theologiæ ſtudentibus patrocinari voluiſſent, eos a generali regula per expreſſam exceptionem exemiſſent, æque ac ſenes & valetudinarios, & ob Capituli negotia abſentes.

II. Juniores quidem Canonici nullam fructuum partem percipiunt, verum gaudent ejuſmodi ſegetis, & pecuniæ fixa diſtributione, quæ non eſt adeo modica, quin addita fundis, quos a ſua Dignitate minime pendentes poſſidet Chori Præfectus, annuis ducentis octuaginta libris conſtet, oneribus omnibus perſolutis. Cæterum Præbendarum ſorte fortuna vacantium, quarum idem Præfectus particeps erit, partitione proventus hic augeri poteſt,

III. A vero alienum eſt, ſi juniores Canonici ſtudiorum cauſa abſentes diſtributionibus privarentur, ideo prorſus inutile fore privilegium ipſis Scholarium titulo conceſſum; hoc enim caſu eorum pars ad Præbendas vacaturas, ipſorum abſentia non obſtante, iis ſervatur; cum contra una cum aliis non participarent, ſi abſque legitima cauſa abſentes eſſent; at demum ſi cenſetur rationi conſonum, ut ipſis proventus aliquis tribuatur in ſuorum ſtudiorum gratiam, ſumendus is eſt ex magnis fructibus, aut ex Triclinii reditibus, qui ad munia, quæ Capitulum ſpectant, ſuapte natura inſtituti ſunt, quin imminuantur fundi diſtributionum, quæ tantum in Chori ſervitio inſumi poſſunt juxta Senatus Gratianopolitani Reſcripta ſupra laudata.

Qui contrariam ſententiam tuentur, ad hæc momenta reſpondent, in Eccleſia S. M. de V..... duorum generum diſtributiones exiſtere; quarum una dicitur Capitularis, quæ magnorum fructuum tertiam partem habet fundi loco, quæque a Canonicis tantum percipitur; altera communis dicitur, quia omnes de Eccleſia tam Canonici, quam Eccleſiaſtici inferiores eamdem participant. Hoc poſito, aſſeri poteſt auctoritatem Tridentinæ Synodi, & Decreti Bonifacii VIII. atque adeo Statutum, in quo tantum momenti ponitur, referri ſolum debere ad poſterioris generis diſtributionem, cujus fundus ex Actorum terræ magnis & parvis Anniverſariis petitur, & panis ac vini nuncupatur, atque ex pluribus decimis a Communitate pendentibus; quique jure conferri non poſſet ad prioris generis diſtributionem, Capitularem dictam, quæ fit per tabulam, & junioribus Canonicis nihil aliunde percipientibus magnorum fructuum loco eſſe debet; quoniam hujus quoque diſtributionis fundus ex magnis fructibus ducitur.

Confirmant diſtinctionem hanc Reſcriptis duobus, altero Magni Conſilii an. 1672. altero tertiæ perquiſitionum an. 1677. quæ deciderunt ejuſmodi diſtri-

butio-

butionem, quæ fit per tabulam, referri inter ea, quæ magnos fructus componunt; adduntque Statutum an. 1570. intelligi non poſſe de Capitulari diſtributione, quæ nonniſi triginta poſt annis inſtituta eſt Senatus Gratianopolitani Reſcripto an. 1599. & confirmata Reſcripto alio an. 1675. Illud vero contendunt juxta Sententiam Gloſſæ in fine ad verbum *diſtributiones* dicto *cap. de præbendis* licere Chori Præfecto etiam communem diſtributionem petere, propterea quod ipſe magnorum fructuum nondum eſt particeps.

Reponunt alii diſtinctionem in eum tantummodo finem excogitatam eſſe, ut auctoritates, quibus bona fide acquieſcendum eſt, eludantur; diſtributiones duas, ut nomine differant, re non differre, & utramque in præſentia per Tabulam fieri; Magni Conſilii, & tertiæ Perquiſitionum Reſcripta ad eam tantum diſtributionem referenda eſſe, quæ fixa dicitur, quæque partim in grano, partim in pecunia ſita eſt, & abſentibus æque ac præſentibus datur non vero ad alias diſtributiones, quæ quotidianæ cenſendæ ſunt, licet per Tabulam fiant, ad evitanda ſcandala, quæ perpetrabantur, cum eæ fierent in Choro, & ad manum.

Fruſtra tandem dici Statutum accommodari non poſſe diſtributioni longo tantum poſt tempore inſtitutæ; Senatus enim Gratianopolitani Reſcriptum an. 1599. ſtatuens, ut magnorum fructuum tertia pars in diſtributiones converteretur, videtur id ſibi voluiſſe, ut hæ novæ diſtributiones iiſdem conditionibus fierent, ac quæ antea inſtitutæ fuerant, quoniam eadem erat omnium ratio, ut nempe aſſidua Choro adſiſtentia præſtaretur, Canonicis ad id excitatis ſpe augendi ſui reditus, beneficio diſtributionum.

Quoad Gloſſam in id allatam, ut Chori Præfecto communes diſtributiones percipiendi jus tribuatur, agnovit ipſe ſe ei ſtare non debere, quoniam ſe nunquam harum diſtributionum participem fieri petiit.

In hac controverſia inter Capituli Dominos convenit, ut Dominorum *Grandin*, *de Lamet*, *& Faure* Doctorum Facultatis Pariſienſis ſententiæ ſubſcriberent, qui quidem rogantur humillime, ut velint decidere;

I. An Chori Præfectus S. M. de V. poſſit ob ſuum privilegium Scholaris admitti, licet abſens, ad diſtributionem Capitularem?

II. Poſito, Chori Præfectum non poſſe ſibi, vel abſenti ſtudiorum cauſa, diſtributionum participationem merito vindicare, teneaturne Capitulum ipſi reditum conſtituere ei ſere parem, quem perciperet, ſi magnorum fructuum & Præbendarum cujuſque Canonici fundos participaret?

Dominis Capituli S. M. ad me confugientibus, ut Doctores modo appellatos conſulerem, credidi præſentem expoſitionem mihi ſubſcribendam eſſe.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti ſentiunt Chori Præfectum S. M. de V. propter ſuum Scholaris privilegium non poſſe ad diſtributionem Capitularem, vel abſentem, admitti; cum enim ea non ſit inſtituta niſi vi Reſcriptorum Senatus Gratianopolitani an. 1599. & 1675. ſtatuentium, ut juxta Tridentinæ Synodi deciſionem tertia proventuum pars in diſtributiones iis tribuendas, qui Officiis intereſſent, converteretur, abſentium pars præſentibus accreſcit; a Tridentina Synodo *Seſſ. 21. de reform. c. 1. Seſſ. 22. de reform. cap. 3. Seſſ. 24. de reform. c. 12.* ſub finem eos harum diſtributionum participatione privari, qui Horis non interfuerint, ipſamque Synodum de diſtributionibus, quæ ex tertia parte proventuum & magnorum fructuum Capitulorum ſumuntur, perinde loqui, ac de iis, quæ quotidianæ dicuntur; illud firmum ſit oportet, Chori Præfectum ob ſuum Scholaris privilegium nullo ad eas jure gaudere; præſertim cum *c. Licet de Præbendis* in hanc rem diſertum ſit; juriſprudentia Senatuum Regni conformis eſt Juris Canonici conſtitutioni, ut videri poteſt apud *Brodeau* in *Louet* littera E. Summario 6. in Diario Audientiarium Senatus *t. 2. l. 7. c. 34.* ubi Conventuum Clarimontii in Arvernia habitorum Reſcriptum refertur datum die 30. Octobris an. 1665. quod eos, qui a Canonicis Horis abfuerint, privat ejuſmodi manualibus & quotidianis diſtributionibus, quæ ex magnorum fructuum, quos in hunc finem inſumi vult, dimidia parte provenient; hi Magiſtratus ſequuntur hac in re Pragmaticam Sanctionem Titulo *Quo tempore quiſque debet eſſe in Choro Parag. Jubet, & Parag. Tollens*; & doctrinam Gloſſæ in hos paragraphos, cui Auctores omnes ſubſcribunt; eadem ſententia eſt Congregationis Cardinalium Tridentinæ Synodi interpretum, referente Proſpero Fagnano *c. De cætero*, Titulo *de Cleric. non reſid.* n. 34. *Poſtremo*, inquit hic Auctor, *S. Congregatio Concilii cenſet abſentes ſtudiorum cauſa percipere debere fructus Præbendæ tantum, amiſſis diſtributionibus quotidianis*. Quocumque autem tempore ſolvantur diſtributiones hæ, ſeu diebus ſingulis, ſeu quoque menſe, ſeu quaque quarta anni parte, perinde eſt, modo per quamque adſiſtentiam ſingulis Horis præſtitam lucrifiant, juxta regulam Reſcriptis firmatam, contra quam nulla præſcriptio aut derogatio eſſe potuit; & contraria praxis in omnibus Tribunalibus tam Eccleſiaſticis quam Sæcularibus tanquam abuſiva ſpectaretur; partem autem tertiam ideo Capitularibus diſtributionibus addici ſtatutum eſt, quia diſtributiones communes, quarum Eccleſiaſtici inferiores æque ac Canonici ſunt participes, ſatis eſſe viſæ non ſunt, ut Canonici ad majorem diligentiam excitarentur; itaque hæ poſteriores quoad Canonicos perinde ac priores ſpectandæ ſunt ſententia Tridentinæ Synodi, jubentis, ut omnium proventuum tertia pars in diſtributiones conferatur, ſi priores non ſufficiant. Nec vero juniores Canonici magnis fructibus carere dici poſſunt, quoniam præter dictas diſtributiones aliam, quæ fixa eſt, percipiunt in tritico & pecunia conſtitutam, quin Horis, ut eam lucrentur, adeſſe teneantur; atque ejuſmodi diſtributio tanquam magnus fructus ſpectanda eſt juxta *C. Nonnullæ extravag. commun. de Præbendis & Dignit.*

Quoad interrogationem alteram, utile judicari Dominos Capituli S. M. de V. rationem habere Scholarium, qui in Univerſitatibus aut Theologiæ, aut Juri Canonico operam navant; atque ita favorabiles eſſe Chori Præfecto, eique ex Capituli bonis decentem penſionem tribuere ejus ſtudiorum gratia. Ita ſentire videtur Innocentius IV. in *cap. Licet de Præbend. & Dignit.* quod nos laudavimus. En verba: *Si tamen non ſunt diſtinctæ Præbendæ vel certi reditus Scholaribus, provideri debet de communibus proventibus, detracto, quod communi menſæ debetur*. Atque eo libentius probatur ſententia hæc, quod prævidetur, ſi res ad Judices deſerretur, fore, ut Capitulum magnis litigiis implicaretur, quæ illud in graves impenſas conjicerent; atque adeo etiamſi juniores Canonici aliquam magnorum fructuum partem recipiant, eam adeo tenuem videri, ut aſſeri poſſet eos, qui ſtudia aggrederentur, eodem tempore ſe ſe gravi jacturæ ſubdere, quod idoneos Adoleſcentes a Theologiæ ſtudio deterreret, & proinde impedimento eſſet, quominus ad utile ſervitium Eccleſiæ præſtandum ipſi ſe compararent.

Deciſum Pariſiis hac die 11. Februarii an. 1681.

A. de Lamet.

Canonicus, qui mentis impos evaſit.

CASUS XVIII.

1 *Si Canonicus amens in amentiam non incidit, niſi poſtquam ſui Beneficii poſſeſſionem inivit, ejus Capitulum ipſi Præbendæ ſuæ reditum denegare jure non poteſt, etiamſi ejus conſanguinei divites eſſent.*

2 *At ſi ii probe ſciviſſent eum, antequam Beneficium hoc obtineret, amentem fuiſſe, hunc reditum exigere tuta conſcientia non poſſent.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

Cathedralis Eccleſiæ Præbenda reſignata eſt Adoleſcenti nondum ſacris Ordinibus initiato ; ante Præbendæ reſignationem jam dementiæ aliqua ſigna dederat ; ſtatim ac Canonicus creatus eſt , in quoddam Seminarium Pariſienſe miſſus eſt , ubi per aliquod tempus moratus exhibuit interea identidem levioris animi nova argumenta . In Urbem reverſus, in qua Canonicus eſt , aliquoties Eccleſiæ Officiis interfuit ; ſed fere nunquam interfuit, quin ſtultitiæ ſigna daret ; tandemque adeo amens , & aberrans evaſit, ut ejus Pater eum concludere coactus fuerit ; Pater hic poſſidens ultra quadringenta librarum millia petit a Capitulo, ut filio ſuo Præbendæ, quam poſſidet, reditum tribuat , tamquam ſi æger eſſet , inquiens ejus ſtultitiam morbum eſſe , quo a præſtanda Eccleſiæ adſiſtentia impeditur. Capitulum convocatis omnibus Canonicis in vim juramenti , ut hoc negotium examinarent , & ſuam ſententiam ex animo dicerent ; ſuffragiorum majori parte judicavit nihil huic Adoleſcenti tribuendum eſſe , quippe qui ſtultus ſit, & ſtatim a ſuſcepto Canonici titulo fere ſemper ſtultus extiterit ; allata eſt ratio hæc , quod cum hic Adoleſcens ſit admodum dives , & nullum unquam Eccleſiæ ſervitium præſtiterit , Capitulum minime teneretur eum de bono alere , quod ad pauperum ſubſiſtentiam , eoſque nutriendos , qui ei ſervitium præſtant, aut præſtiterunt , eſt inſtitutum .

Hujus Adoleſcentis Pater litem minitatur .

Quamobrem quæritur ; I. an Capituli concluſio juſta ſit , & Eccleſiæ Regulis conſentanea ?

II. An ſi Capitulum in jus vocetur, debeat litigare, & ſuam concluſionem propugnare ? Animadvertendum eſt hunc Adoleſcentem , cujus pater valde opulentus eſt , pluſquam centum librarum millia ipſum poſſidere, nunquam Eccleſiæ deſerviiſſe , fere ſemper, ex quo Canonicus eſt , inſaniiſſe, & recuperandæ ſanitatis nullam omnino ſpem exhibere .

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat nihil cauſæ fuiſſe , cur huic Adoleſcenti ex ipſius Beneficio ſubſiſtentia negaretur, ſi quo tempore Canonicatum obtinuit , ejuſque poſſeſſionem inivit , Clericalium functionum capax exiterit ; amentiam, in quam poſtea incidit , quæque ipſum ineptum reddit, cum ejus titulum ſit ſubſecuta , impedimento eſſe non poſſe, quominus Canonicatus ſui reditum, qui ad eum pertinet vi receptionis, percipiat . Spectandus eſt igitur ſtatus , in quo eſt in præſentia , tanquam morbus, qui ei accidit , & cum eo agendum , prout ſtatutum eſt *c. cum proceſſio extra de Clerico ægrotante* . Objectio ex eo ducta , quod hic Adoleſcens nunquam Eccleſiæ ſervitium præſtiterit, Capituli negationem fulcire non poteſt ; ratio eſt ; quia cum Jus abſentias ſtudiorum cauſa permittat, cumque tempus, quod hic Adoleſcens in Seminario aut alibi ſtudiorum gratia tranſegit , ei a Capitulo conceſſum fuerit , ut credere par eſt , quoniam id fere moris obtinet , ejus abſentia ipſi nocere non poteſt , quippe quæ Jure nitatur . Quocirca Conſilium magnopere dubitat, an Capituli Concluſio, ſi ad Senatum aliquem deferretur per appellationem tanquam ab abuſu , ſuſtineri poſſet, niſi etiam ante proviſionem in hoc Adoleſcente aperta inſania demonſtraretur, quia in hac facti ſpecie functionum Eccleſiaſticarum incapax fuiſſet ; putatque , licet inſania minime notetur in jure tanquam irregularitas, quia tamen ipſa ad functiones , quæ Beneficiis annexæ ſunt , inhabilitatem includit , hominem proinde reddit ineptum ad Beneficia , quæ conferenda non ſunt , niſi ut muneribus ad eorum eſſentiam pertinentibus, cujuſmodi ſunt Clericales functiones, ſatisfiat : *Datur Beneficium propter Officium*. Facta igitur hypotheſi hunc Adoleſcentem ob inſaniam inhabilem fuiſſe, antequam Beneficium obtineret, illud valide obtinuiſſe non cenſeretur ; at id ex expoſitione non conſtat.

Porro patris & filii opulentia contra jus filio jam acquiſitum Capitulo favere non poteſt ; nihilominus ſtat ſententia , ſi Pater noverit ſuum filium amentem fuiſſe ante proviſionem reſignatione tranſactam , eamdemque ipſe curaverit , ei non licere Canonicatus reditum a Capitulo petere , quia in cauſa eſſet , ut Eccleſiæ ſervitio ineptus occuparet alterius locum, qui ei utiliter deſerviret .

Deciſum in Sorbona die 21. Decembris an. 1684.
Aug. *de Lamet.*

Domicilium Canonicorum.

CASUS XIX.

1 *Patronus Laicus, qui de juris plenitudine Capituli, cujus fundator eſt , Præbendas confert , poteſt, ac debet curare , ut ſervetur fundationis articulus , prohibens , ne Canonici fœminas ſuis domiciliis recipiant.*

2 *Patronus hic tenetur efficere , ut occludantur januæ campeſtres ad evitanda incommoda & ſcandala , quæ inde poſſent exiſtere.*

QUÆSITUM.

Patronus, qui Capituli ab Epiſcopi juriſdictione exempti Præbendas pleno jure confert, quærit duo ; primum , poſſit nec ne , debeatque in conſcientiæ foro impedire , quominus ſui Capituli Canonici mulieres excipiant Clauſtro ſuo , quod clauſum ſit oportet, & in quo Canonicalia tantum ſunt domicilia ? Vid. Van-Eſpen , & Factum excelſorum Vicariorum adverſus Canonicos Beatæ Virginis *pag.* 74.

Hujus quæſtionis rationes .

Prima ducitur a fundatione , quæ contigit an. 1310. cujus quidem verba non poſſunt eſſe clariora , non magis ad rem , non denique vehementiora : *Præcipio etiam , & ſtatuo , quod honeſtæ converſationis obſervantiam, quam circa Collegium ipſum vigere totis deſideriis affecto , neuter Canonicorum in domicilio ſuo manentem aliquam mulierem , etiamſi eorum alteri in quavis linea conſanguinitatis , vel affinitatis attingat , tenere præſumat : quod ſi contra præceptum hujuſmodi ſeu Statutum facere quis auſus fuerit , contra eum Decanus ſub ſui debito juramenti , utpote tanquam contra Collegium diffamantem , & ordinationis meæ propriæ tranſgreſſorem procedat , ac eum ſuper hoc corrigere non omittat .*

Capitulum hoc Fundator inſtituit, ea conditione, ut ab Ordinarii juriſdictione exemptum foret : *volo & ordino , quod dicta Eccleſia & perſonæ ejuſmodi omnino poſſint ab aliquo viſitari , corrigi , vel puniri* ; fundatio Romæ admiſſa eſt , & Ordinario probata cum hac conditione , & quod inde conſequitur , nec poteſt ille , nec debet huic Capitulo invigilare ; verum Fundator ſibi viſus eſt Ordinarii curas & vigilantiam ſupplere, impoſita ſuis ſucceſſoribus patronis obligatione in id perpetuo vigilandi , totiſque viribus adlaborandi , ut adamuſſim fundatio ſervaretur ; atque ut id præſtandi majorem ſollicitudinem eorum animis inſpiraret , eos devinxit ſolemni jurejurando , quod edunt ante magnam Aram , tacto Evangeliorum Libro , coram Sanctiſſimo Sacramento, totoque Capitulo congregato , ut liquet ex fundationis verbis , quæ ejus voluntatem , ejuſque conſilia aperte ſignificant .

Alterum , quod inquirit, illud eſt, an Patronus poſſit ac debeat in foro conſcientiæ obſtruendas curare januas , quas nonnulli Canonici tenent in horti ſui muris ex agri parte?

Rationes hujus quæſtionis.

Eadem ſunt , ac quæ primam evincunt ; conſtat etiam Patronos non minus ſollicitos ac diligentes fuiſſe in hujus , quam in priori executione curanda ;

da; atque ut appareat hanc ipſam magis fortaſſe quam aliam eſſe neceſſariam, ſatis eſt animadvertere januas has ex agrorum parte eſſe, procul a proximorum conſpectu, per quas propterea noctu diuque poſſunt Canonici clanculum quaſcumque voluerint, perſonas excipere. Ex pura putaque facti expoſitione facile intellectu eſt, an hæ januæ bene oleant, quid ex iis derivari poſſit, & quam ineluctabili obligatione teneatur Patronus curandi, ut obſtruantur, quandoquidem liquet ex articulo ſupra allato fundationis ipſius Capituli id ab ejus ſimplici voluntate pendere: *Prædictæ clauſuræ circuitus limitandi pro meæ libito voluntatis*.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem, & quæſtiones in ea contentas vidit, exiſtimat, Patronum, qui Præbendarum Capituli in agro ſiti pleno jure Collator eſt, teneri juxta fundationem impedire, ne Fœminæ degant in Clauſtro, ubi Canonicorum tantum exiſtunt domicilia; atque ut antevertat incommoda, quæ contigerunt, aut contingere poſſent, occaſione quarumdam januarum in hortorum muris ad agrum exiſtentium eumdem poſſe, atque adeo debere in id incumbere, ut occludantur, juxta Fundatoris volentis & mandantis, ut Clauſtrum ſit concluſum, mentem & intentionem.

Quod attinet ad hunc articulum, ſatis eſt eam Fundatoris expreſſam voluntatem eſſe, ut nulla mulier in Canonicorum Clauſtro moretur, ut ad id præſtandum ipſi obligentur, & exactæ fundationis executioni Patronus ſtudere debet; ſunt enim ſervandæ ad litteram conditiones in fundatione poſitæ; ſunt eæ ſtricti juris; at ſi id ita non eſſet, nec Eccleſia cum Fundatoribus litteralem fundationum obſervantiam, iis acceptatis, ſtipulata eſſet, ad eam ſpectaret eas exacte cuſtodire, ut ita Fideles ad ſua bona ſibi impertienda excitaret, quin falſis interpretationibus, ulloque alio prætextu Fundatorum intentionem eludi pateretur.

Verum in ea, de qua agitur, nihil eſt non juſtum, aut non conforme antiquis Canonibus, declarantibus Laicos, atque imprimis mulieres in Canonicorum Clauſtris degere omnino non debere; ſunt illi ſuapte inſtitutione primarii Diœceſis Clerici, Conſilium, quaſique Senatus Epiſcopi; itaque eorum vitæ & converſationis ratio non ſolum Sæcularibus ædificationi, ſed etiam aliis Eccleſiaſticis regulæ & exemplo eſſe debet. Quamobrem Ivo Carnutenſis Epiſtola 69. de Canonicis verba faciens hoc eos nomine ideo inſignitos eſſe monet, quod conſecrati & devoti ſint regulæ diligentius, quam cæteri Clerici, cuſtodiendæ: *Qui ideo Canonici appellati eſtis, quod Canonicas Regulas vos velle obſervare arctius devoviſtis*.

Una olim vivebant Canonici, Clauſtro concluſi, ut a Sæcularium commercio longius abducti eſſent, utque Eccleſiæ proximi poſſent omnes & ſinguli convenire commodius, ut Divino Officio intereſſent. Conſtat id ex Præfatione Synodi Aquiſgranenſis anno 816. & ex reformationibus eorum cauſa inſtitutis.

Canonicorum Clauſtra, inquit hæc Synodus c. 117. diligenter undique concluſa ſint, ita ut nemini liceat niſi per communem januam ingredi; exiſtatque Dormitorium, Triclinium, atque univerſim, quicquid fratrum conviventium uſui neceſſarium eſt: *Clauſtra firmiſſimis undique circumdentur munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, niſi per portam pateat aditus; ſint etiam interius Dormitoria, Refectoria, Cellaria, & cæteræ habitationes, uſibus fratrum in una Societate viventium neceſſariæ*.

Cap. 143. ſtatuitur, ut tutus & fidelis Janitor eligatur, qui Clauſtri januam aperiat & claudat; ita ut non petita venia ſubire aut exire nemini liceat: *Eligatur neceſſe eſt a Prælato ex congregatione ſibi commiſſa frater probabilis vitæ, cujus Officii ſit, portam Canonicorum cum ſumma obedientia & humilitate competenti tempore claudere ac reſerare, ut nulli per eam, niſi per licentiam, aditus pateat intrandi aut exeundi*. Claudendarum autem januarum præter alias ea ratio eſt, ut Canonici majori pace fruantur, & cum magna animorum conſenſione vivant: *Oportet Clauſtra Canonicorum ita diligenter cuſtodiri, ut grex dominicus fraterna concorditer pace fruatur*, inquit Aquiſgranenſe Concilium c. 144.

Ibidem idem Concilium mandat illinc Fæminas removeri: *Fæminis namque non ſolum in manſionibus & clauſtris Canonicorum prandendum aut requieſcendum non eſt, quin potius nec in ea intrandi excepto in Eccleſiam, ulla tribuatur facultas; quin valde hoc a Sanctis Patribus legitur inhibitum: Si quid vero illis attribuendum, extra clauſtra, conſtituatur locus, in quo id accipiant; nullus tamen fratrum in ipſis niſi teſtes coram fuerint, loquatur; qui vero ſecus, quam permiſſum eſt, agere tentaverit, ita ſeveriter a Prælatis & Magiſtris corrigatur, ut cæteris, ne quid tale agere pertentent, exemplo correctionis ſibi exhibitæ terrorem incutiant*.

Si quæritur, quamobrem Canonicorum Clauſtra ſint inſtituta, id eo factum reſpondetur, ut Canonicis eſſet minus commercii cum Laicis, & præſertim cum Fæminis; utque promptius divino Officio vacare, ſuorumque morum integritatem ſervare poſſent. Valde igitur abfuit, ut Eccleſia pateretur Sæculares in Canonicorum Clauſtris morari, aut Canonicos ipſis ſua domicilia locare poſſe, quoniam ipſos eodem in loco & prope Eccleſiam ideo conjungit, ut facilius noctu diuque Dei laudes canere facilius poſſint; rationem hanc affert Colonienſe Concilium an. 1536. celebratum c. 4. *Porro Eccleſiæ iſtæ Collegiatæ quamdam vetuſtatem ſpirant, & Eccleſiæ primitivæ inſtitutum præ ſe ferunt, quod vel forma ædificiorum oſtendit, quæ Canonicos prope Templum in unum pene habitaculum collocavit, ut procul a promiſcua multitudine ſeparati, divinis pariter laudibus jugiter inſiſterent*.

Canonici quidem deinceps ab hac veteri diſciplina magnopere receſſerunt, at ejus tamen aliqua veſtigia ſuperſunt. Canonici ſua ſibi reſervarunt Capitula, quæ paſſim habentur, & quæ Collationis olim ſingulis hebdomadis fieri ſolitæ veſtigia ſunt. In iis adhuc ſermo eſt de Officio, de moribus, de temporalibus negotiis, de cuſtodiendæ, aut reformandæ diſciplinæ rationibus; ſubſiſtunt etiam pluribus in locis Clauſtra, & laicis hominibus inde amovendis adhuc inſervire deberent, & imprimis mulieribus, quarum aſpectus & conſuetudo Canonicis non pernicioſa eſſe non poteſt.

Ut Eccleſiaſtici ab his periculoſis commerciis arceantur, iis interdicitur in Burdegalenſi Concilio an. 1582. celebrato c. 44. ne commune cum Laicis domicilium habeant, præſertim ſi matrimonio juncti ſint, neve Canonicales domos iiſdem locent: *Ut offenſiones & ſcandala, quæ ex contubernio atque convictu hominum Eccleſiaſticorum cum Laicis præſertim Matrimonio junctis oriri ſolent, tollantur, ne liceat Canonicis, qui domos canonicales habent, in ædibus Laicorum habitare; nec quas habent a Capitulis, ullo modo eis locare*. Concilium Rothomagenſe an. 1581. *c*. 27. a Fæminarum conſortio Canonicos arcet: *A cohabitatione & ſcandalo mulierum maxime caveant*; quod etiam ſtatuit Bituricenſe Concilium an. 1584. *c*. 42. vetat enim expreſſis verbis Canonicis, ne ſuas domos Laicis & præſertim Fæminis locent: *Canonicis non liceat in domibus ſuis extraneos & Laicos etiam cognatos, præſertim mulieres recipere; aut iis domos, quas in Clauſtris ſuarum Eccleſiarum habent, locare, neque etiam extra clauſtra præſertim in domibus Laicorum habitare*.

Divus Carolus in ſuis Actis l. 4. *de canonical. ædib.* tria præcipit. Primum eſt, *Canonici Cathedralium & Collegiatarum habitent in Canonicalibus ædibus, ſi quid reparandum ſit, reſtitui jubeat Epiſcopus, quo facto curet, ut in illis ædibus habitent*. Alterum eſt, *Quibus ſi abeſſe etiam juſta de cauſa contigerit nemini præterea, niſi Canonicus ſit, in eis habitandi facultas concedatur ſine juſſu Epiſcopi*. Tertium eſt, *Quota autem hora atrii janua aperiri aut claudere debeat, quidque ad honeſte ibi vivendum pro loci ratione requiratur, judicium ſit Epiſcopi*.

Apparet hinc, hunc magni nominis Cardinalem ad rectam diſciplinam, & majorem regulam expedire cenſuiſſe in ſuis Clauſtris Canonicos degere, nullaſque alias perſonas in ea admitti degendi gratia;

tia;

tia; atque hoc conſilio ducti plures Canonici, de hac diſciplina ſolliciti iis reſtiterunt, qui peculiaribus Statutis eam evertere contendebant. Ita D. *Chatelain* Navarræ Doctor & Canonicus Beatæ Virginis an. 1658. Statuto refragatus eſt, quod a Capitulo editum fuerat, quoque Canonici permittebantur excipere Sæculares ſibi ſanguine conjunctos, nempe patrem, matrem, fratres, ſorores, avos, amitas, nepotes, & neptes, ſive matrimonio junctos, ſive ſolutos. Re ad Pariſienſem Senatum per appellationem tanquam ab abuſu delata, juxta D. *Talon* concluſiones ſtatutum eſt, ut proviſionis ergo ſæculares in Canonicorum ædibus commorantes in proxima Sancti Remigii inde egredi tenerentur, exceptis patribus, matribus, fratribus, & Sororibus.

Reſcriptum hoc refertur *tom.* 3. *Prima parte num.* 33. *cap.* 2. Collectionis Monumentorum Cleri: Videri poteſt diſputatio Domini *Chatelain*, in qua in medium affert plura ſtatuta vetera Capituli *Beatæ Virginis*, & præcipue Decretum an. 1334. prohibens, ne Fæminæ licet cognatæ in Clauſtris excipiantur; *quoniam Clauſtrum*, Statuti verba ſunt, *locus eſt ſecretus, Deo deditus, & devotus*. In hac ipſa diſputatione proferuntur plura ſtatuta, quæ antiquam in hoc articulo diſciplinam ſignificant, Canonicorum domos locari prohibentia; unde concludi licet hanc diſciplinam non ubique abrogatam eſſe, nec vero eſſe debere; immo potius optandum fore, ad bonum exemplum, & Canonicorum ſanctificationem, ut vetus conſuetudo ſecundum Eccleſiæ mentem inſtauraretur.

His in hunc modum conſtitutis, Patroni Canonicorum N...... ſollicitudo non ſatis laudari poteſt, dum eos ad ſuum Clauſtrum obſtructum ſervandum obligat; qua in re ſequitur Canonum mentem; hæc illi facultas ſuppetit ex fundatione, cujus verba diſerta ſunt; atque adeo ipſe tenetur ita ſe gerere, ut pravi effectus, & ſcandalum evitentur, quæ aliquot ab hinc annis ex Fæminarum in Clauſtris habitatione derivantur; hi porro Canonici tenentur Patroni hac in re juſſa facere; videlicet ne qua fæmina in Clauſtro degat, ut in Fundatione ſtatuitur, firmatumque eſt tranſactione anni 1622. inter Patroni Avum, & Canonicos coram eorum Epiſcopo.

Ad quæſtionem alteram reſpondetur, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, illud ſuapte ſponte conſequens fieri, oportere Patronum efficere, ut horum hortorum januæ verſus agros claudantur; fruſtra enim Clauſtrum ex una parte occluderetur, ut Aquiſgranenſe Concilium loquitur: *Clauſtra firmis undique circumdentur munitionibus*, ſi hæ furtivæ januæ tolerarentur, per quas Canonici Fæminas in ſua Clauſtra recipere clam omnibus liberius poſſunt; quamobrem quoniam Canonicorum ſuorum clauſuræ plus minuſve, prout ei videbitur, reſtringendæ facultatem fundatio Patrono tribuit, tenetur ipſe ejuſmodi januas in poſticis ædium partibus obſtruendas curare, ut mala, quæ non temere timenda ſunt, antevertat.

Deciſum hac die 15. Julii an. 1697.
Germanus *Fromageau*.

Canonicus in Cathedrali Chori Præfectus.

CASUS XX.

1 *Epiſcopus Chori Sub-præfecti officium, modo a Pontifice confirmatum non ſit, abolere poteſt.*
2 *Chori Præfectus id ægro animo ferre non debet, & hac in re Eccleſiæ ſuæ jura omnino non violat.*

QUÆSITUM.

CHori Præfectus Eccleſiæ Cathedralis N...... ſeu propter ſuam Chori Præfecturæ fundationem, ſeu propter immemorabilem conſuetudinem, ſingulis diebus feſtis duplicibus Chori officiis intereſſe conſuevit. Jam in hac Eccleſia ſunt quovis anno hujuſmodi feſti dies 147. id quod hunc Chori Præfectum, cæteroquin aliis Eccleſiæ ſuæ negotiis diſtentum magnopere delaſſare poſſet; ut proinde, quo ſe ab his incommodis, & ab hac Officiorum multitudine liberaret, aliiſque negotiis facilius vacaret, quin in adſiſtentia Choro præſtanda ſecum diſpenſari contenderet, a Capitulo petierit, ut ab horum Officiorum aliquibus eximeretur, poſita ſemper Epiſcopi, ejuſdemque Capituli conſenſione. Votorum damnatus eſt, & in hac Eccleſia creata eſt Chori Sub-præfecti nova Dignitas, quæ Canonico collata eſt, ut cum Chori Præfecto in ejus Officii onerum partem veniret, eique in ipſius functionibus præſto eſſet. Aliquanto poſt Mævio reſignata eſt Chori Præfectura, & Sub-præfectus interiit. Capitulum congregatum, ut huic defuncto Sub-præfecto ſucceſſorem eligeret, plura detexit incommoda, quæ novam hanc Sub-præfecturæ creationem, & hanc Officii mutationem conſequebantur. Ejus ergo abolendæ gratia egit cum Epiſcopo, pluresque ſuper hac re cum eo collationes habuit.

Chori Præfectus conjicere ſibi videtur Epiſcopum & Capitulum propendere ad hanc Sub-præfecturam de medio tollendam, reſtituendumque Chori Præfectum ſuis antiquis functionibus, ut in omnibus Feſtis duplicibus rei Sacræ præſit, in quo a ſex ſeptemve circiter annis cum eo diſpenſatum fuerat, revocata vetere conſuetudine; ea tamen conditione, ut Chori Præfectus, quamdiu vixerit, aut quamdiu Chori Præfectura potitus fuerit, Canonicos alios in ſuum locum ſufficere poſſit, certa retributione iis aſſignata, quique fungantur ejus Officio, quique dies expleant, qui ad Sub-præfectum ſpectabant, ita ut eo moriente, aut dimittente, res in priſtinum ſtatum redeant.

Quæritur, an hic Chori Præfectus Epiſcopo, ſuoque Capitulo magnopere addictus, at qui tamen eſt delicatæ timidæque conſcientiæ, teneatur in foro interno, & coram Deo ſuam Chori Præfecturam, & ſuorum ſucceſſorum libertatem contra Epiſcopum concorditer cum Capitulo agentem propugnare, & ad ſua jura tuenda litem in alterutrum intentare, licet utrique conjunctis animis perſuaſum ſit, Chori Præfectum ſuis antiquis muneribus facile fungi poſſe, dummodo ita ad ſuum officium incumbat, ut aliis negotiis Eccleſiaſticis aut Sæcularibus, a quibus ad majorem Dei gloriam facile abſtinere debet impoſterum, ſeſe non implicet; an vero Statuto, quod hac in re poſt maturam Conſilii deliberationem, & conſentiente Capitulo editurus eſt, poſſit Chori Præfectus tuta conſcientia obſequi, & acquieſcere?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores Pariſienſes ſubſcripti putant Chori Sub-præfecti dignitatem in Eccleſia Cathedrali N.... inſtitutam poſſe ob legitimam cauſam per Epiſcopum aboleri, modo a Pontifice confirmata non fuerit; hanc autem cauſam, cujus mentio in ſuppreſſionis Actu facienda eſt, non a Chori Præfecti, aut Sub-præfecti commodo, ſed ab Eccleſiæ utilitate ſumendam eſſe, ac ſi ita ſit, ſuppreſſionem maxime juſtam, maximeque legitimam fore. Ita controverſiam hanc dirimit (*a*) Pyrrhus Corradus. Neque vero Cantorum Præfectum reluctari neceſſe eſt, quoniam una cum aliis Canonicis Eccleſiæ, cujus eſt Beneficiarius, bono ſtudere, eamque totis viribus tueri debet. Ita non modo non litigans non peccabit, ſed in ſuorum confratrum, ſuppreſſionem hanc poſtulantium ſententiam ire, Epiſcopi judicio ſe ſubdere, adeoque jurijurando, quo ſe devinxit Eccleſiæ, ſua jura propugnandi ſatisfacere debet. Si tamen Epiſcopi & Capituli bona communia eſſent, in hanc ſuppreſſionem nullo jure, nullaque auctoritate gauderet Antiſtes, ſed ad Archiepiſcopum confugiendum eſſet, juxta Hoſtienſis ſententiam; ac tutius eſſet ſupremum Pontificem conſu-

(*a*) Pyrrhus Corradus prax. beneficial. lib. 2. capit. 8. numer. 13.

conſuli, ut definitum eſt in Gloſſa Clementina: *Si una de rerum permutatione V.* Menſæ.

Deciſum Pariſiis in Sorbona hac die 24. Martii an. 1681.

Auguſt. *de Lamet.*

Canonicus, qui in Capitulo ſuam demiſſionem edit.

CASUS XXI.

1 *Capitulorum Canonicatus ſuos conferentium conſuetudo in eo poſita, ut illos iis conferant, quos Canonici morientes deſignant, cum ſuam demiſſionem edunt, Simoniæ, pactique taciti magna ſuſpicione laborat.*

2 *Regreſſus permittuntur in Galliis, cum quis morti proximus reſignavit.*

3 *Demiſſiones ut integræ ſint, & adamuſſim conformes Eccleſiæ menti, puræ & ſimplices eſſe debent, quamquam hujus regulæ exiſtit exceptio.*

QUÆSITUM.

DOctorum bona pars demiſſiones non probant ea, qua in pluribus Capitulis ratione fiunt, ubi nempe fere ſemper ei Beneficia conferuntur, quem Canonicus ægrotans commendat; ſitque vero ſimile hunc nunquam ſuam demiſſionem editurum eſſe, niſi propemodum certus eſſet, fore, ut ei, cui favere vult, Beneficium ſuum conferatur; ſæpe etiam convenitur Canonicus, ad quem ſpectat nominatio, & prius ejus fides expoſcitur, quam Capitulo exhibeatur demiſſio, quam fere præ manibus habet is, qui Beneficium petit; quod quidem hujuſmodi demiſſiones efficit reſignationibus in favorem reſpondentes. Uſus etiam obtinet, ut nonnulli Canonici deputentur ad ægrotantis animum cognoſcendum; & prout ii retulerint, ejus ſucceſſor nominatur. Admodum quoque raro fit, ut alius, quam qui a moriente deſignatus eſt, nominetur; honori quippe ducitur magnam erga confratrem ægrotantem obſervantiam teſtari.

Quæritur igitur I. cujuſmodi eſſe debeat pura ſimplexque demiſſio, ut ſit canonica; atque an æger eum deſignare atque indigitare poſſit, quem ſibi ſucceſſorem deſiderat; nec teneatur ſe pure & ſimpliciter abdicare, Collatori ſe ſubdens, & animo comparatum eſſe ad ſuam demiſſionem edendam, quin certus ſit fore, ut quem commendat, nominetur?

II. An Canonicus ſuam demiſſionem inſtituens Capitulo dicere, aut dicendum curare poteſt, ſi nepotem ſuum, ſuum conſanguineum nominare voluerit, id ſibi pergratum fore, ſe tamen Capitulo, eique, qui hebdomadæ jure gaudet, acquieſcere?

III. An vero non potius teneatur eum commonendum curare, ſe quidem integrum ei relinquere, quem ipſe Eccleſiæ, ac Beneficii, quod dimittit, ſervitio magis idoneum ex animo judicaverit, nominare, atque id ſe lubentiſſime paſſurum eſſe, ut palam faciat ſe renunciare conſuetudini Beneficii ſemper ei tribuendi, quem æger deſignaverit, conſuetudini, quam cordati viri tanquam pactum tacitum ſpectant praxi firmatum, quodque ſervatur, licet ſæpe qui ſe præſentat, ſit minus dignus, nec niſi Beneficii, quod ei procuratur, occaſione ad Eccleſiam vocetur, id quod Eccleſiæ ipſius menti, Sanctique Thomæ doctrinæ prorſus opponitur.

Apud Rebuffum *prima parte praxis intitul. num.* 1. & ſequentibus, videri poſſunt pœnæ, quas ſubeunt Collatores Beneficia tribuentes iis, qui requiſitis dotibus carent; eos ipſe Simoniacis accenſet; quippe qui conſanguineorum, aut eorum, qui rem pertractant, commendatione ad agendum moveantur, & perſonarum acceptionis peccato ſe obnoxios reddant; in hanc ſententiam loquitur Paulus II. in Bulla, quæ incipit, *Cum deteſtabile Scelus Simoniacę pravitatis.*

IV. An qui puram & ſimplicem demiſſionem edit, aut qui etiam in Romana Curia reſignat, poſſit in animo habere ſe ad ſuum Beneficium, ſi forte convaluerit, reverſurum; atque an Reſignans Romanæ Curiæ proviſiones retinere apud ſe poſſit, eas non oſtenſurus, niſi cum ipſius negotiis id expedierit?

V. An Beneficii per regreſſum repetendi intentio, licet Aulæ Reſcriptis confirmata, ſit licita coram Deo?

Dubitandi ratio ea eſt, quod qui ſuo ſe Beneficio abdicat, poſſeſſione cadit, novuſque proviſus ab eo, ad quem ſpectat, poſſeſſione donatus eſt, at regrediendi gratia exhibetur Judici Sæculari ſupplicatio, in qua declaratur ægrotantem, cum morbo premeretur, in Collatoris manu Beneficium ſuum reſignaſſe aut remiſiſſe; verum priſtinæ valetudini reſtitutum non poſſe, quin ad illud regrediatur, ut habeat, unde vivat; quamobrem obtinetur ſententia, qua Capitulo ſignificata, citra novam proviſionem ipſe per regreſſum Beneficio ſuo reſtituitur.

Illud ſane dici poteſt, Canonicis cum regreſſus ſententia ſe Capitulo præſentantibus, Capitulum, ad quod ſpectat Beneficii collatio, cenſeri eam confirmare, eique proviſionis vim tribuere, ſtatuens, ut juxta ſententiam dictus Dominus ..... ſuo Beneficio, fructibus, reditibus, & ſedi reſtituatur. Quæritur, idne novæ proviſionis loco habendum ſit, tametſi nullus initæ poſſeſſionis actus exiſtat. Illud etiam addi poteſt regreſſus a Tridentina Synodo damnatos eſſe *Seſſ.* 25. *de reform. c.* 7. in hæc verba: *Cum in Beneficiis Eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, Sacris Conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum Decretis contraria: nemini impoſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad Beneficium Eccleſiaſticum cujuſcumque qualitatis concedatur.* Deinde revocat omnes ad Beneficia regreſſus, quicumque conceſſi fuerant, & hoc Decretum ad omnes extendit ne Cardinalibus quidem exceptis.

Hos eoſdem regreſſus ad Beneficia damnavit revocavitque Pius V. in ſua Bulla 134. relata in Morali Gratianopolitana, quæ id explicat, citatque Rebuffi, Flaminii, & Laurentii Bucheli Advocati ſententiam; quia hoc quidem modo veri nominis ſucceſſio ad Beneficia induceretur, & ſpiritales res ad temporalium normam redigerentur.

VI. Qui in Romana Curia reſignavit, poteſtne per annos tres celare proviſiones, eas deinde comburere, aliaſque in novi Reſignatarii favorem obtinere, niſi in periculoſi morbi caſu non oſtendendas?

VII. Quæritur, an Canonicus animadvertens in reſignationibus ac demiſſionibus tot conſcientiæ difficultates occurrere, prudentius agat ſuum Beneficium retinens ad mortem uſque, & ſucceſſoris ſibi inſtituendi curam Providentiæ relinquens?

Quominus porro id conſilii caperetur, impedimento eſſe poſſet ratio præpoſtera, qua Beneficia conferuntur; ſcilicet ambiuntur, ut obtineantur, nihil intentatum relinquitur; qui plus gratia valent, ea conſequuntur; & ſæpiſſime dantur favori, commendationibus, atque hominibus, qui iis minime digni ſunt. His ergo ſubeſt incommodis, qui ſuum Beneficium ipſe per ſe non diſponit.

Verum dum quis etiam ob delicatum animum, ac ne difficultatibus paulo ante commemoratis ſe ſubdat, a reſignando abſtinet: eſtne ipſe propterea coram Deo reus ambitus, & malorum, quæ contingere poſſunt, quæque fere contingunt, cum ſucceſſorem, cujus honeſta ſit vitæ ratio, ſibi non elegit?

Rogantur Sorbonæ Domini, ut ſignificent, quid conſilii capiendum putent; quod Eccleſiæ & Beneficiarii ſaluti ſit utilius.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod allatam Expoſitionem vidit, & expendit; exiſtimat, antequam quæſtionibus in ea contentis ſatis fiat, illud animadvertendum eſſe, Eccleſiæ mentem *c.* 1. *de præb.* non eam eſſe, ut Beneficia in ſucceſſionis & hæreditatis modum obtineantur, quemadmodum alia bona, quæ in familiis perpetuantur, cum qui

ea

ea poſſident, eadem ad ſuos conſanguineos aliosve ſucceſſionis jure pervenire volunt. Ea fuit Juris ratio, ut in præſentatione & collatione Beneficiorum ſpectaretur Eccleſiæ bonum, & perſonarum meritum; quod non ſatis ſpectatur, cum ad Beneficium conſanguineus aut amicus eligitur. Hac de cauſa demiſſiones in favorem Eccleſiæ regulis adverſantur, eaſque ſolus Pontifex admittere poteſt.

Poteſt tamen fieri demiſſio cum ſpe, fore, ut collator eum nominet, qui ei præſentatur; licet etiam pro eo orare, inquit Cabaſſutius *l.* 2. *c.* 13. *n.* 6. *in praxi*, cui concinit Suarez *l.* 4. *c.* 35. *n.* 16. *&* 17. *de ſim.* At in locis, in quibus Bulla Pii V. *Quanta n.* 58. recepta eſt, ac ſi exacte Eccleſiæ mentem amplecti lubet, id minime licet, niſi ejuſmodi ſit dubio procul vir dignus, & talis habeatur.

His poſitis, Expoſitionis quæſtionibus reſpondetur.

Et primæ quidem: ægrotantem debere, ut demiſſionem edat canonicam, & regulis conſentaneam, ſucceſſoris ſui electionem collatori integram relinquere, & ita animo comparatum eſſe, ut demiſſionem faceret, etiamſi alius nominaretur; non eſt tamen neceſſe, ut in hac electione ſit abſolute indifferens. Multorum judicio poteſt ſuam propenſionem erga quempiam ſimpliciter ſignificare; at cum Capitulo, aut iis, qui illud conſtituunt, nulla conventio præceſſerit neceſſe eſt, ut ille nominetur, quem ægrotantes Canonici deſignaverint. Id enim demiſſionem verteret in reſignationem in favorem, quæ ſuapte natura eſt ſimoniaca, & proinde prohibita. Videndus *Azor.* 2. *p. l.* 7. *c.* 12. Rebuffus *in praxi de reſign. pura*, & Garcias, qui in ſuam ſententiam plures Auctores laudat, 11. *p. c.* 11. *nu.* 152. *& ſeq.*

Alteri vero: non conſtat jure veteri peccatum fuiſſe Beneficium dimittere, rogato collatore, ut certam perſonam, de cujus merito & virtute conſtaret, quamque dignam eſſe certum foret, nominaret, modo, ut dictum eſt, nulla conventio, nullumque pactum vel tacitum locum habeat, & collatori ſit prorſus integrum, quemcumque voluerit, eligere. Hæc eſt ſententia Rebuffi *l. c.* Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. & Suarez *l. c.* At ſi ſpectetur Bulla *Quanta* Pii V. n. 58. ſecus ſentiendum eſt. Ea enim prohibet, ne qui dimittit, in ullius omnino favorem oret: *Caveant autem Epiſcopi & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præſentatores, & Patroni, tam Eccleſiaſtici quam Laici quicumque ſint, ne verbo quidem aut nutu, futuri in hujuſmodi beneficiis & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos aut intentio qualiſcumque intercedat.* Declarat etiam Pontifex nullum, quicquid aliter factum fuerit: *& quicquid contra hoc fuerit temere attentatum, id totum ex nunc vires non habere decernimus.*

Suarez *l.* 4. *c.* 35. *n.* 18. *de ſim. Layman l.* 4. *tit.* 2. *c.* 17. *n.* 6. *de beneficiis*. Pius V. etiam poſt editam demiſſionem in ullius favorem rogari non vult; at hæc Bulla in Galliis recepta non eſt, quoniam Auctores Galli oppoſitam conſuetudinem approbant, ut videre eſt apud Cabaſſutium *l.* 2. *c.* 13. *n.* 4. *& n.* 6.

Non poteſt igitur in Gallia ante demiſſionem vel virtualiter & indirecte quiſpiam Ordinario deſignari, futurus ſibi in Beneficio ſucceſſor; ibi enim ſemper damnatum fuit, quicquid ſucceſſionibus ad Beneficia favere, eaque hæreditaria reddere poſſet.

Tertiæ porro: Licet in Galliis in alicujus favorem Collatori verba facere, modo id Beneficii diſponendi libertatem eidem non adimat. At ſi quo in Capitulo vigeret conſuetudo ſemper eum nominandi, quem ægrotans Canonicus poſtulaſſet, id inter reſignantem & Capitulum conventionem tacitam includeret aut ſupponeret, ſine qua reſignans Beneficium ſuum nequaquam dimitteret. Conſuetudo hæc eſſet ſimoniaca, & proinde abuſus, qui reformatione indigeret. S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad tertium* docet eſſe ſimoniacum ad ſolam cujuſpiam commendationem Beneficium tribuere, nulla meriti vel demeriti ratione habita: *& ideo ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, ſimoniam committit. Videtur autem ad hoc intendere principaliter, qui preces pro indigno porrectas exaudit, unde factum eſt ſimoniacum.* Malum eſt Eccleſiæ maxime pernicioſum Beneficia tribui non ratione habita ſcientiæ, aut morum integritatis, ſed ſolum propinquitatis, ſocietatis, amicitiæ, quæ cum aliquo intercedit: *Grave nimis*, inquit *cap.* 29. *de præb. & dign. & abſurdum, quod quidam Eccleſiarum Prælati cum poſſint Viros idoneos ad Eccleſiaſtica Beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat.* His ſe incommodis ſubdunt Capitula, quæ Canonicorum ægrotantium demiſſiones acceptant, & propoſitos Viros ſemper nominare conſueverunt.

Ex hac reſponſione conficitur, eum, qui ſuum Canonicatum in Capituli manu dimittit, debere ſuam demiſſionem puram & ſimplicem edere, abſque ullius perſonæ deſignatione, ut ita Capitulo plenam libertatem relinquat, & per hanc indifferentiam teſtetur ſe contrariæ conſuetudini refragari.

Jam quartæ: qui reſignat morbi tempore, poteſt in animo habere, ſe, ſi convaluerit, regreſſurum, quia poteſt id in animo habere, quod ei jus & Juriſprudentia Reſcriptorum permittunt; porro juxta Caput, *Gonſaldus* 17. *q.* 2. *c.* 1. & Caput, *ſuper hoc de renunciat*. Regreſſus permittitur; ratio eſt, quia ſæpe ægrotans non integra mentis libertate pollet, quæ ad tanti momenti conſilium requiritur, aut quia ejus reſignatio in ipſius intentione conditionata fuit, videlicet ſi moreretur. Ad Reſcripta quod attinet, videri poteſt *Louet*, & commentarium *Bredeau litt. B.* 13. *n.* 12. producentis in medium rationes bene multas ex Canonibus & Reſcriptis ductas ad regreſſus jus ſtatuendum, & Edictum Ludovici XIII. *an.* 1738. *art.* 20. Fevretus *l.* 2. *c.* 6. *n.* 16. Cabaſſutius *l.* 2. *c.* 16. *n.* 6. *in praxi*. Caſtellus definitionum Juris canonici *v. regreſſus n.* 9. *& v. præſidentia n.* 5. Id reſponſionis loco eſſe poteſt in eos, qui regreſſus damnare voluerunt, ajuntque, ſicut *in matrimonio carnali non poteſt dari uxor in cuſtodiam*, ita nec *in matrimonio ſpirituali*. Cæterum quodvis pactum ad Beneficium regrediendi ſimoniacum eſt *ipſo jure*: Monumenta Cleri an. 1576. Domini Raix Decani Trecenſis. Cui rei reſpondetur non omnes generatim regreſſus probari, ſed eos tantum, quos Jus & conſuetudo confirmant, nempe dum quis laborans in extremis non tamen moritur, Azorius 2. *p. l.* 7. *c.* 21. eſt adhuc regreſſus.

Quoad proviſiones, quas Reſignans apud ſe retinet, tenetur eas quamprimum intra Reſignatarii manus remittere, quo poſſit Beneficii poſſeſſionem, cum ei videbitur, inire, & regulæ *de publicandis*, quæ in Galliis recepta eſt, ſatisfacere; ſtatim enim ac Reſignans jus ſuum tranſtulit, Reſignatarius *eo ipſo* gaudet Beneficii titulo, & propterea jus habet ejus reditus adminiſtrandi, & obeundi munia poſt initam poſſeſſionem; atque ita Reſignans ſuo Reſignatario injuriam irrogat, quoniam eum ſuo jure privat, proviſiones retinens; dat ſimul & retinet, quod minime permiſſum eſt.

Quæſtionibus quintæ, & ſextæ ſatis eſt factum per ea, quæ modo dicta ſunt; auctoritates autem, quæ producuntur regreſſibus adverſantes tam Tridentini Concilii *ſeſſ.* 25. *c.* 7. *de reform.* quam Canoniſtarum aut Caſuiſtarum non videntur ad reſignationes extremo morbi tempore factas ſpectare.

Ad ſeptimam & poſtremam interrogationem reſpondetur, communi jure reſignationes puras & ſimplices eſſe debere, *can. quam pio* 3. *q.* 1. *cap. pactiones de pactis*, ne Beneficia evadant hæreditaria, neque ulla perſonarum acceptio ſit in negotio, in quo Eccleſiæ bonum præſertim ſpectatur; denique Ordinariis adimatur jus, quod habent, ad Beneficia nominandi. Docente etiam Flaminio Pariſio *l.* 1. *q.* 2. *n.* 3. reſignationes *in favorem* in uſu non erant temporibus Alexandri III. Innocentii III. Bonifacii VIII. & Clementis V. qui in vivis erat an. 1305. nulluſque videtur indigitari poſſe Juris textus in Decretalibus, aut in Clementinis, qui reſignationum in favorem mentionem faciat. Razeus in ſuo tractatu de Regalia privil. 32. hanc con-

controverſiam expendit, & profert Reſcriptum editum; cum Cardinalis d' Amboiſe Legatus eſſet, quo reſignatio in favorem tanquam ſimoniaca rejecta fuit; ad oſtendendum reſignationes *in favorem* iis temporibus nondum in uſu fuiſſe; videndus Fevretus *l.* 2. *c.* 6. *nn.* 4. 11. de Abuſu cum annotationibus ad marginem poſitis; tradit Auctor hic Galliarum Oratores in Tridentino Concilio nihil intentatum reliquiſſe, ut reſignationes in favorem abolerentur. Convenit inter omnes, eas eſſe ſimoniacas ex jure *c. plerique* 8. *q.* 1. ita Cabaſſutius *l.* 2. *c.* 13. *n.* 1. *in praxi*. Louet ad regulam *de infirmis n.* 129. rotundis verbis id aſſerit, & reſpondet ad id, quod objicitur, nempe primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopos nominaſſe, qui ſibi ſuccederent; aſſerit quidem id aliquando contigiſſe, verum Eccleſiæ ſeu Fidelium ſtatum longe alium tum fuiſſe, ac qui priora hæc ſæcula ſecutus eſt.

Hanc ob cauſam, quæ nunc eſt rerum ratio, perfectius & Eccleſiæ regulis conformius eſt puram & ſimplicem demiſſionem edi in ejus manu, ad quem ſpectat ad Beneficium nominare, quam *in favorem*; eſt id animi a privato bono magis alieni. Si deinde occaſione Beneficii prehenſiones occurrunt, qui ſe abdicavit, culpa vacat; malum hoc non jam ex ejus demiſſione; ſed ex pravo eorum animo derivatur, qui ad illud aſpirant, aut qui illud conferunt. Hic malus effectus, ad eum quod attinet, non exiſtit niſi per accidens, quoniam pure & ſimpliciter ſe demittens, Eccleſiæ regulas & mentem ſequitur; quamquam præſumendum eſt, eos, qui in Eccleſia præpoſiti ſunt, ut Beneficia conferant, ſcientiæ, & gratiæ ad dignos cognoſcendos plus habere, quam qui Beneficia reſignarent. Nihilominus contingere poteſt, ut Beneficiarius excellentem virum cognoſcat, & hoc quidem in caſu ſatius eſſet reſignationem in ejus favorem fieri, præſertim ſi merito timendum eſſet, ne temere Patronus eligeret.

Deciſum in Sorbona hac die 12. Junii an. 1695.
G. Fromageau.

CANONICI REGULARES.

INter Canonicos, de quibus hactenus, & eos, de quibus in præſentia, illud diſcriminis intercedit, quod hi poſteriores in ſocietate vivunt, & Religioſos agunt, votiſque editis certæ ſe Regulæ ſubdunt. Fere ſervant ſancti Auguſtini Regulam, quam tamen ille in puellarum tantum gratiam inſtituit. Regulares Canonici inſtitutum ſuum repetunt ab Apoſtolorum temporibus, at nullo fundamento nituntur; neque ullum Canonicorum Regularium veſtigium extat ante VIII. aut IX. ſæculum. Crodegandus Metenſis Epiſcopus ab an. 742. ad uſque 766. Sancti Auguſtini exemplo ſe ſe conformans ſuorum Clericorum pleroſque impulit ad ſequendas inſtitutiones ipſis in officio continendis accommodatas; & Synodus Aquiſgranenſis an. 816. ratam habuit Regulam prope ſimilem, quam Amalarius, jubente Ludovico Pio, concinnaverat. Priores hi Regulares Canonici nullo ſe voto obſtringebant, communem tantum vitam ducebant, Eccleſiiſque deſerviebant. Deinceps, ſcilicet an. 1059. Romana Synodus a Nicolao II. celebrata ſtatuit, ut omnes Clerici degerent ac viverent in ſocietate, nihilque proprii poſſiderent. Inſtitutio hæc an. 1063. in alia Synodo ab Alexandro II. habita confirmata eſt; neutri tamen adhæſit maxima Cleri pars; quod in cauſa fuit, ut nonnulli Canonici Avenionenſes Sancti Rufi congregationem inſtituerent; eorum exemplum ſecutus eſt Ivo Carnutenſis, & Congregationis auctor fuit Regularium Canonicorum, qui paupertatis votum edebant, & ſub Superiore in Monaſteriis degebant, unde educti ſunt, ut Eccleſiæ ſervitio addicerentur.

Variæ deinde horum Canonicorum Regularium ſeſe votis obſtringentium Congregationes extitere, ita ut ii Religioſis adnumerari poſſint, licet inter eos & Monachos interſit, quia illi ſuas functiones hierarchicas obire poſſunt, quod Monachis a Canonibus interdicitur. Plura olim in Cathedralibus Eccleſiis extitere Capitula, quæ Regularis vitæ rationem ſuſceperunt; quæ quidem in nonnullis etiamnum viget; ac D. Bernardus iis maxime patrocinatus eſt, & non ſemel in ſuis ſcriptis elogium texuit horum Regularium Canonicorum, quos ad functiones Eccleſiaſticas quod attinet, aliis antefert. Ex quo fit, ut licet noſtris temporibus Religioſi ſint, & eorum nonnulli in Congregatione vivant, Beneficia tamen animarum curam habentia poſſideant, univerſo Jure Canonico hac in re ipſis faventе, quia ab origine ex Clericis cum ſint, eorum proinde privilegiis gaudent. Cum Concilia removerunt a ſuis Paræciis Benedictinos Monachos, tamquam regendis animis vi ſuæ profeſſionis ineptos, pepercere Canonicis Regularibus, qui non minus ſuorum Beneficiorum Titulares ſunt, quam Preſbyteri ſæculares; cum porro hi tituli jampridem non amplius ſimplices adminiſtrationes aut commiſſiones ſint, ſed perpetui & irrevocabiles; videntur etiam Canonici Regulares hoc privilegio frui debere, quoniam eodem jure gaudent, quo Clerici.

Gallicæ tamen Congregationis Canonici a Romana Curia Bullas obtinuerunt, ut Beneficiorum cum animarum cura, quæ ab ipſis pendent, manualitas & revocabilitas ſervaretur. Regis quoque Conſilium iis favit in Expoſitione, quam Pontifici Innocentio XI. per ſuæ Congregationis Procuratorem Generalem obtulerunt, hanc nempe manualitatem ad ipſorum Regulam cuſtodiendam, atque adeo ad Eccleſiarum bonum neceſſariam eſſe; eorum ſupplicationi Pontifex annuit, quæ quidem erat ejuſmodi: *ut quilibet Canonici Regulares Beneficiatis, qui a Superiore Generali etiam non dictis cauſis revocati fuerint, obedire teneantur & reverti.*

Breve hoc Innocentii (*a*) conforme fuit Reſcripto Conſilii an. 1679. At nihilominus cum plures, quos Abbas Sanctæ Geneveſſæ revocaverat, ut Religioſos alios in eorum locum ſubſtitueret, obſequi renuiſſent prætendentes ſe titulares perpetuos eſſe communi Jure, cui peculiaria Congregationis Statuta derogare non poterant, ad Concilium privatum delata re, in Abbatis favorem judicatum eſt an. 1688. En ipſa Reſcripti verba, ſtatuentis, ne hæc revocatio fiat niſi Epiſcopis, in quorum Diœceſibus exiſtunt Beneficia, conſentientibus. „ ut Canonici Regulares ejuſdem Congregationis, Parochias, „ aut alia Beneficia cum animarum cura poſſidentes poſſint a ſuis Beneficiis revocari, & ad ipſius Con„ gregationis Monaſteria remitti per Capitulum aut Generalem Congregationis Superiorem, ob erra„ tum ab ipſis patratum, aut ſcandalum; etiam propter bonum & utilitatem ejuſdem Ordinis, ſi „ electionis jure gaudet, de conſenſu tamen Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus Beneficia ſita ſunt."

Quam

(*a*) Breve Innocentii XI. anno 1680.

Quam vitæ rationem tenere debeat Canonicus Regularis Eccleſiæ Cathedralis.

CASUS.

1 *Canonicus Regularis, qui in Cathedrali, in qua regularitas & reformatio inſtitutæ ſunt, Beneficium obtinuit, ejus titulum poſſidere non poteſt, quin tirocinium ediderit, & ſua vota rurſus emiſerit.*
2 *Canonici Regulares hujus Cathedralis Caliendrum, ſeu comam appoſitam deferre non poſſunt.*
3 *Albam veſtem cum rocheto geſtare debent.*
4 *Peculium poſſidere non debent; & Epiſcopus, qui Superior eſt, eos ad omnia bona in commune conferenda pœnis impoſitis adigere poteſt.*

QUÆSITUM.

Canonicus Regularis Profeſſus Abbatiæ B..... prope Lugdunum impetrato Regio Diplomate poſſidet in titulum Sacriſtæ officium in Eccleſia Cathedrali P.... ait ille ſuos Superiores huic translationi aſſenſum præbuiſſe, ſed Epiſcopus P..... conſenſum hunc nequaquam vidit; receptus eſt tamen, & poſſeſſione donatus a Capitulo ſine Tirocinio, & ſine Votis in Eccleſia P.... quæ Conſtitutionibus peculiaribus gaudet; hujus Canonici prava vitæ ratio coegit Epiſcopum a Rege obtinere, ut in Abbatiam, in qua ſuam Profeſſionem emiſerat, reverteretur. In præſentia degit in Diverſorio, non defert habitum Religioſum, & in ſua licentia perſiſtit.

Itaque quærit Epiſcopus, an in conſcientia teneatur hunc Canonicum in ſuam Eccleſiam accire, ut ejus vitæ rationi invigilet, atque ipſius erratis finem imponat; an vero tranquillo animo eſſe poſſit, propterea quod quæ illum auctoritas miſit P... eadem ad ſuam priſtinam familiam ipſum remiſit; præterquamquod cum in Eccleſia P..... nec Tirocinium nec profeſſionem ediderit, ejus Religioſus non eſt.

Canonici P.... fere omnes Caliendrum deferunt, ex quo a Regulari vita propria auctoritate deſciverunt, allegant illi ægritudines, ſuamque calvitiem; eam quidem modeſtam & ſimplicem deferre volunt; ſed cum nunc reformati ſint, & Religioſam vitam ſtrictæ obſervantiæ profiteri teneantur, quærit Epiſcopus, hancne conſuetudinem tolerare poſſit, ut in Eccleſiaſticis ſæcularibus tolerat, quos caliendris brevibus & modeſtis urgente neceſſitate uti permittit, licet id Diœceſanis Statutis vetitum ſit.

Haud præciſe conſtat, quæ tandem fuerit Canonicorum Regularium Eccleſiæ Cathedralis P...... veteris indumenti ratio; ex nonnullis antiquis actis videtur per aliquod tempus nigri coloris fuiſſe; ſed ita tamen, ut aliquo ſigno hi Canonici ab Eccleſiaſticis ſæcularibus diſtinguerentur. Cum Illuſtriſſimus C.... Epiſcopus P.... hoc Capitulum ſuæ priſtinæ formæ reſtituit, iis albas veſtes ſumendas mandavit, ut liquet ex Conſtitutionibus, quas unanimi cum iis conſilio direxit, quæque ſervandæ proponuntur iis omnibus, qui Capitulo cooptantur; hunc illi habitum detulerunt ad mortem uſque Illuſtriſſimi C..... Cum mutationes, quæ deinde contigerunt, ex variis Familiis petitæ fuerint, in quibus alba veſtis in uſu erat; fere omnes eo indumenti genere uſi ſunt, Sede vacante; conſtat id ex pluribus Actis, & præſertim ex eo, quod die 30. Januarii an. 1693. editum eſt, ut novus Prior Clauſtralis eligeretur; in hoc Actu Canonici congregati Dominum N..... a Prioris Clauſtralis officio removent, ægre ferentes eum pati & approbare Dominum P.... Canonicum & Religioſum adſtare talari habitu indutum, qui nec Ordinis Sancti Auguſtini, nec Capituli P.... habitus eſt; & cum Dominum P..... in Priorem Clauſtralem elegiſſent, ei expreſſe in mandatis dant, ut cogat dictum Dominum N..... communi rationi ſe conformare, & decenter atque uniformiter veſtitum incedere. Alii etiam actus proferri poſſent, qui evincunt vacante ſede Canonicos vixiſſe juxta reformationem ſtatutam ab Illuſtriſſimo C..... & proinde uſos eſſe veſte alba, quam propria auctoritate depoſuerunt, paulo poſt nominationem præſentis Epiſcopi, qui iis ad normam revocandis ſtudet.

Quærit ipſe, an hanc mutationem tolerare poſſit, modo in eorum habitu nota aliqua, qua diſtinguantur, exiſtat?

Nullum quidem Canonici Regulares proprium habitum habent; & habitus albus non ita ipſis affectus eſt, quin alium geſtare poſſint, quoniam in pluribus Congregationibus reformatis in uſu non eſt; at cum Canonici P.... juxta ſuæ Eccleſiæ Conſtitutiones, quæ habitum album præcipiunt, vivere teneantur, poteſtne cum ipſis in eo geſtando diſpenſari?

Si cum ipſis in eo diſpenſatur, quodnam diſtinctionis ſignum iiſdem tribuendum eſt? Faſciola non ſufficit; præterquamquod enim ea eſt laxitatis effectus, non diſtinguit in Choro Canonicos Regulares ab Eccleſiaſticis ſæcularibus, quoniam ea prorſus tegitur ſuperpelliceo. Neque vero eos magis diſtinguit, dum ruri ſunt, quia veſtem nigram ſupra deferunt. Itaque jubendi eſſent Rochetum ſupra tunicam gerere.

Omnes Canonici, ex quibus hodie conſtat Capitulum P..... ſumpti ſunt ex variis Sancti Auguſtini Familiis; licet Conſtitutiones peculiares Eccleſiæ P..... requirant, ut qui in eo recipiuntur, Tirocinium edant, eorum tamen nemo illud edidit, nec vero edere potuit, communis Familiæ defectu; at cum Epiſcopus ſuam iis ædem tribuerit, interrogat, eoſne ad hanc probationem edendam adigere teneatur? Quoniam ea probatio communis Juris eſt, timet, ne ſibi liceat cum ipſis in ea diſpenſare. Ex alia parte cum Canonici nunc exiſtentes ſuorum titulorum poſſeſſione gaudeant, ſatis necne eſt eos ad Conſtitutionum obſervantiam impellere, quin tirocinii onus iis imponatur?

Canonici P.... vixerunt per aliquot annos Regulæ expertes, & ſe redituum Beneficiorum ſuorum dominos conſtituentes peculia congeſſerunt. Epiſcopus, qui in id incumbit, ut eos paupertatis voto, quod emiſerunt, ſervando addicat, inquirit, quæ ſibi ratio ineunda ſit quoad hæc peculia, quippe qui timeat, ne ad id omne, quod privatim poſſident, fideliter depromendum ſimplici monitione Canonici moveantur? Cogine poſſunt ſe nihil celaturos jurejurando affirmare?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ Subſcriptum exiſtimat, antequam interrogationi primo loco propoſitæ ſatisfiat, animadvertendum eſſe;

I. Religioſum, qui ad alium Ordinem, aut ad aliam Regulam migrare voluerit, teneri novum Tirocinium edere: *Si Religioſus ſeu Profeſſus ad aliam diverſi Ordinis aut Regulæ Religionem tranſeat, ſive ſtrictiorem ſive laxiorem, tenetur neceſſario denuo integrum annum probationis ſubire & præmittere, antequam Profeſſionem in illa Religione faciat, alias illa erit invalida.* Hæc verba ſunt Pirrhing *l.* 3. *tit.* 31. *Decret. n.* 44. *de Regul.* Hæc quoque Barboſæ ſententia eſt in Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de Regul.* Sanchez *l.* 5. *c.* 4. *n.* 12. *moral.* Pollizarii *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 52. *n.* 171. Ratio eſt, quia Tridentina Synodus abſolute Tirocinium requirit, ut quis in Religioſa Familia Profeſſionem emittat, quin diſtinguat, an qui ſe præſentat, jam Religioſus exiſtat. Et ſane Profeſſio una non efficit Religioſum in duabus Familiis, quarum una ab alia non pendeat, & quarum variæ ſint Conſtitutiones; quod etiam veritati conformius, cum una reformata eſt, & alia non item.

II. Religioſum, qui ut ad alium Ordinem tranſeat, egreditur e ſua Familia ſine ſui Superioris licentia non eſſe in ea recipiendum, in quam ingredi vult; hæc communis eſt Canoniſtarum ſententia: *tranſiens ad Religionem non debet admitti ſine litteris dimiſſoriis Prælati*, ait Pirrhing *l. c. n.* 161. *ſeu Superioris Religionis prioris*; interrogandus eſt enim is, qui ad alium Ordinem vult gradum facere,

cere, & ex eo cognoſcendum, an ejus prior Superior aſſenſum præbeat, an vero deneget. Nam ſi denegat, non eſt admittendus, niſi poſtquam Superior de negationis juſtitia aut injuſtitia deciderit: *Quod ſi Religioſus veniat ſine talibus litteris, Superior prioris Religionis interrogari debet, an dederit ei licentiam tranſeundi, aut cur denegavit. Qui ſi cauſam juſtam alleget denegationis, ſed Religioſus velit incontinenter probare illam eſſe falſam, adiri debet Superior prioris Prælati, nec debet admitti Religioſus tranſiens, priuſquam cauſa a Superiore prioris Prælati fuerit deciſa, & tranſitus ab eo approbatus.* Joannes Andr. *in cap. Licet* 18. *de Regul.* Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 39.

Religioſum ne ad ſtrictiorem quidem Ordinem tranſire poſſe, quin a ſuo Superiore veniam petierit, inſtitutum eſt in Capite *Licet de Regul.* §. *quocirca*; aliter quippe obedientiam contemnere, nec divini Numinis afflatu inſtinctus, ſed aliqua humana ratione permotus agere cenſeretur: *Quocirca ſubditus a Prælato cum humilitate & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.*

Sunt etiam plures Canoniſtæ citati a Sanchez *l.* 6. *c.* 7. *n.* 95. *moral.* & a Pirrhing *lib. cit. num.* 169. qui putent Profeſſionem nullam eſſe, cum Religioſus ad ſtrictiorem Ordinem migrat abſque ſui Superioris licentia, atque ii quidem nituntur Capite *Licet*.

III. Religioſum, qui ſine ſui Superioris permiſſione ad alium Ordinem tranſit, plurium judicio Apoſtatam cenſeri, & pœnas in Apoſtatas in Jure inflictas ſubire. Videndi Auctores, quos laudat Sanchez *l.* 5. *moral. c.* 8. *nu.* 7. & 68. Saltem tanquam profugus ſpectari poteſt. Pirrhing *l. c. n.* 187. Superior eum revocandi & recuperandi jus habet; & ni pareat, excommunicandi. Pirrhing *n.* 190. Pollizarius *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 143.

Hoc poſito,

Reſpondetur, I. recipi non debuiſſe Canonicum Regularem B..., abſque ſui Superioris licentia, qui ſi licentiam non conceſſit, eum repetere & plectere tanquam transfugam poteſt.

II. Religioſus hic in Canonicorum P.... numerum admitti non debuit, quia ii ſunt Religioſi reformati Ordinis S. Auguſtini, & alias, quam Canonici Regulares B.... prope Lugdunum, Conſtitutiones habent.

III. Diploma, quod hic Canonicus a Rege obtinuit, ut Sacriſtæ P.... munere fungeretur, hoc ei Beneficium non confert, niſi ſervatis iis, quæ ſtatuuntur a Jure, ut ejus officii legitima proviſio ſit. Hic quidem nulla edita Probatione conditionem non implevit neceſſario requiſitam, ut inter Canonicos Regulares P..... reciperetur, ex quo infertur eum ex dictorum Canonicorum corpore cenſendum non eſſe.

IV. Quoniam hic Canonicus B..... Regis juſſu ad Abbatiam B.... remiſſus eſt, cujus Profeſſus eſt, & aliunde Beneficii titulus ob allatas rationes eum Eccleſiæ P.... non incorporat, ſpectandus eſt tanquam Religioſus B...., & non P...., unde ſequitur ab Epiſcopo P.... monendum eſſe Superiorem B..... ejus Religioſum Regis juſſu ad ſuam priſtinam Familiam remiſſum eſſe; quo facto ſatis ab hujus hominis cura ſe liberavit.

V. Si ita vivit, ut ſcandalo ſit, degens in Diverſorio, nec Religioſum habitum deferens, Epiſcopus Diœceſis, ubi ita vivit, jure gaudet eum cohibendi, ut huic ſcandalo occurrat; eum quoque punire poteſt, ſi Superior monitus ejus vitæ rationi invigilare neglexerit; ita ſtatuit Tridentina Synodus *Seſſ.* 25. *de Regular. capit.* 4. & *capit.* 14.

VI. Antequam ejus Beneficium conferri poſſit, vacans declaretur neceſſe eſt; & quia hoc Beneficium Regiæ nominationis eſt, rationi conſonum fuerit, ſuæ Majeſtati, jam hujus Canonici licentiam perſpectam habenti ſignificari, eum conditiones eſſentiales non executum; ut in Canonicorum P..... numerum referretur, excidiſſe jure, quod per ejus Diploma acquiſierat. Verum ut probe conſtet, quæ demum ratio ineunda ſit, ut hoc Beneficium vacans declaretur, Advocati & Expeditionarii ſunt conſulendi.

Ad ſecundam interrogationem, ſi in Diœceſi P... comæ appoſitæ Eccleſiaſticis vetitæ ſunt, multo magis eas Religioſis vetitas eſſe neceſſe eſt, & diligentius cavendum eſt, ne eas ipſi deferant; & ſane a Religioſis geſtari non conſueverunt; ac ſi quando in aliquo Ordine non reformato geſtantur, id raro fit, atque in Familiis reformatis non tolerantur, non quia res in ſe mala ſit, ſed quia Religioſa Profeſſio, utpote ſtatus pœnitentiæ, mortificationis, & abrenunciationis ſæculi commodis, requirit, ut a rebus bene multis, quæ vulgo uſui eſſe ſolent, abſtineatur. Hinc fit, ut in Monaſteriis exactis abſtineatur a multis, quæ in mundo ad vitam, aut ſalutem ſervandam permiſſa ſunt.

Igitur potiore jure abſtinendum eſt a rebus, quæ in ſæculo uſui ſunt potius ad vanitatem & ornamentum, quam ad veri nominis neceſſitatem; quod etiam verius eſt, cum ſimpliciores rationes ſuppetunt, ad evitanda aliqua corporalia incommoda, quæ tamen perpeti Religioſus gloriæ ducere deberet: *Neque enim facio animam meam pretioſiorem quam me*, ajebat S. Paulus *act.* 20. *v.* 17. Debet Religioſus ita eſſe animo præparatus, ita ſe gerere debet, ne vitæ ſuæ corporalis curam anteferat cuſtodiæ ſtatus illius, ad quem a Deo vocatus eſt, & cui conjuncta eſt ejus ſalus, quique continentia, & tolerandi deſiderio continetur.

Hoc poſito, Canonici Regulares P.... graviſſime in eo peccarunt, quod omnes Caliendrum ſua ipſorum privata auctoritate ſumpſerunt, ac difficile creditu eſt omnes eo vere opus habuiſſe; ita ut parati eſſe debeant haud ægro animo illud deponere, cum Epiſcopus eorum Superior id juſſerit; atque eo quidem promptius ei hoc in capite obſequi debent, quod ſtrictam obſervantiam profitentur.

Ad tertiam, quoad habitum Canonicorum Cathedralis P....., ex *cap.* 14. *de vita, & honeſtate Clericorum*, & ex conſtitutionibus inter Epiſcopum Canonicoſque firmatis apparet ab iis habitum album & rochetum ſupra geſtari debere: *Veſtitu inſuper decenti & albo, tam in Eccleſia quam extra aſſidue utantur...... Si quo iter faciant, rochetum non deponant, & pallio dumtaxat utantur nigro*; & cap. 15. *omnes Canonici Regulares deferant talarem album, rochetum lineum in die Profeſſionis ſuſcipiendum*, &c.

Horum quidem Canonicorum veſtitus antiquitus niger erat, ſed illud conveniat neceſſe eſt illum ab ipſis mutatum fuiſſe de Epiſcopi ſui Superioris conſenſu, an. 1659. quo tempore poſteriores Conſtitutiones ſancitæ, & ab ipſis acceptatæ ſunt, ut liquet ex Reſcripto Conſilii ſtatus Regis diei 2. Octobris an. 1702. eos nempe cum album propterea indumentum ſumpſiſſent, illud detuliſſe uſque ad viventis Epiſcopi nominationem, neque illud depoſuiſſe, ut nigrum ſumerent, niſi paulo ante, ut in Expoſitione declaratum eſt: porro quoniam hi Canonici ſua peculiari auctoritate ſuum habitum mutare non potuerunt, contra atque ipſorum Conſtitutionibus contradictorio Reſcripto, & ſuorum præceſſorum conſuetudine confirmatis definitum fuit, veſtitum album cum rocheto ſumere merito cogi poſſunt.

Additur, etiam in dubio potius albo veſtitui ſtandum eſſe; quippe qui Canonicis Regularibus videtur magis congruere: *Statuimus inſuper*, inquit Pontifex Benedictus XII. *quod Canonici dictæ Religionis cappis & veſtibus albi, blavi, nigri ſeu quaſi nigri coloris dumtaxat utantur; quodque illi altero tantum de dictis coloribus uti conſueverunt, ſeu tenentur, non poſſint ad alium portandum ſeu aſſumendum aliquatenus ſe transferre, niſi ad album dumtaxat.* Ita pariter ſentit Nicolaus Desnots in ſuo Tractatu de Canonicis Regularibus *l.* 4. *c.* 1.

Si tamen Epiſcopo P..., gravibus de cauſis videatur permittendum ſuæ Cathedralis Canonicis, ut habitum nigrum deferant, debet ipſis præcipere, ut rochetum ſupra tunicam geſtent, nec telæ faſciola contentus eſſe. Doctores an. 1668. hac de re conſulti, cum reformationis conſultationes non vidiſſent, opinati ſunt Canonicos P.... rocheto ſu-

pra

pra tunicam nigram uti debere ; videatur 44. caſus Domini *de Sainte Beuve tom.* 1.

Ad quartam, communi Jure, in quo Ordinarius diſpenſare non poteſt, Religioſus ad aliam Familiam tranſiens Tirocinium edere debet, antequam in ea recipiatur, ut ſupra demonſtratum eſt in reſponſione ad quæſtionem primam, præſertim cum alterius Monaſterii Conſtitutiones ſunt aliæ, & Religioſi illud conſtituentes ſunt reformati, & ſtrictæ obſervantiæ. Hinc ſequitur, Epiſcopum ſtricte loquendo utpote Canonicorum P.... ex variis Sancti Auguſtini Congregationibus exiſtentium Superiorem poſſe ipſis novum tirocinium imponere, quo valeant ſuorum Beneficiorum titulum legitime poſſidere.

Neque vero hi Canonici jampridem ſua Beneficia poſſidentes eorum titulum præſcripſiſſe, & ipſorum legitimi poſſeſſores cenſendi eſſe, ac proinde Eccleſiæ P.... vere Religioſi eſſe dici poſſunt ; etenim reſpondetur, Præbendas P...... ab his Religioſis poſſideri non potuiſſe, quin eſſent Religioſi P.... eſt enim hæc eſſentialis & præcipua conditio; ejuſmodi autem eſſe non potuiſſe, non edito tirocinio; ex quo concluditur, ipſos earum legitimos poſſeſſores non fuiſſe, nec vere earumdem titulares eſſe.

Poſſet quidem vera eſſe ejuſmodi conſecutio, ſi in Gallia Profeſſiones tacitæ admitterentur ; at non ita ſe habet. Non ergo hic exiſtit acquiſita præſcriptio; hæc enim præſcriptio bonam fidem ſupponit; jam vero Religioſi ab uno in aliud Monaſterium migrantes ignorare non præſumentur id, quod Juris communis eſt; videlicet Tirocinium neceſſarium eſſe ad Profeſſionem in Familia, ad quam tranſitus fit, emittendam.

Ut tollatur defectus Tirocinii, ſine quo hi Religioſi Canonicatus Eccleſiæ P.... poſſidere non poſſent, aptior & magis compendioſa ratio eſt, ut a Romana Curia proviſiones accipiant, quo cum ipſis in Tirocinio diſpenſetur, utque ſe Pontificis ſententiæ ſubjiciant.

Jubere fortaſſe poſſet Epiſcopus, ut anni ſpatio, quod probationis loco eſſet, hi Canonici ſuis regularibus exercitationibus, ſolitudini, & ſilentio diligentius ſtuderent, quibus aliquid aliud ſervandum & executioni mandandum addere poſſet. Poſſet id Tirocinio inſervire, tum vero ſatis eſſet, ut ſua vota repetere juberentur.

Ad quintam & poſtremam quæſtionem reſpondetur, Canonicos Regulares P.... cum veri nominis Religioſi ſint, & paupertatis voto ſe obſtrinxerint, illud eſſe prorſus indubitatum eos non debere peculia congerere; vetant id Canones : *Si quis vero peculium habuerit, a communione moveatur Altaris, & qui in extremis cum peculio fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres Sepulturam acquirat* ; hæc verba ſunt Lateranenſis Concilii ſub Alexandro III. *cap.* 10. *de Regul.* Eſt hæc Juris diſpoſitio *cap. cum ad Monaſterium de Stat. Monach.* Id etiam diſerte ſtatuitur Conſtitutionibus Canonicorum P.... *cap.* 4. *Nulli Canonicorum liceat bona immobilia aut mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere ; ſed ſtatim ea Superiori tradatur, Conventuique incorporentur*. Sumpta ſunt Conſtitutionum verba hæc ex Tridentino Concilio *Seſſ.* 25. *c.* 2. *de Regul.*

Hic Conſtitutionum articulus ſtatutus eſt Reſcripto Conſilii Status Regis an. 1702. diſertis hiſce verbis: „ Canonici P.... debebunt omnes reditus „ in commune conferre, & vivere juxta ſuæ Re- „ gulæ obſervantiam, & Capituli Conſtitutionibus, „ Commiſſariorum ſuæ Majeſtatis reformatione „ diei 30. Decembris an. 1659. confirmatis adhæ- „ rentes.

Hoc poſito, Epiſcopus ea omnia conſilia inire debet, quæ ad rem eſſe judicaverit, ut cogat Canonicos Regulares P..... ſolum in commune conferre, quicquid poſſident, quippe qui in conſcientiæ foro ad id obligentur & generalibus Regulis, quas Religioſis omnibus Eccleſia præſcribit, ſuiſque peculiaribus Conſtitutionibus ; poteſt ipſis præcipere virtute ſanctæ obedientiæ, ne quid celent eorum, quæ ſunt in commune conferenda, quod ad peculium præſertim ſpectat; debet ipſis ſignificare, fore ut, quicumque tam juſtum præceptum violet, ad biennium activa & paſſiva voce privetur, quemadmodum Tridentina Synodus ſtatuit. Poteſt & illud addere, inobedientes fore excommunicatos, ut monent antiqui Canones, & Eccleſiaſtica Sepultura privatos, ſi forte morientes peculium poſſidere comperiantur, quin illud in commune contulerint : *Quod ſi quis aliter quicquam tenere deprehenſus aut convictus fuerit, biennio activa & paſſiva voce privatus ſit.*

Deciſum hac die 1. Decembris an. 1702.
G. *Fromageau*.

CANONICISSÆ.

HOc nomine donabantur in Oriente quædam piæ Fœminæ, quæ Defunctorum Sepulturæ curam gerebant, & Pſalmos cum Acolytis in exequiis canebant. In Occidente nuncupatæ ſunt Canoniciſſæ Virgines communi victu ad Canonicorum Regularium imitationem Sociatæ ; inſtitutum hoc cœpiſſe dicitur Pipino regnante, anno circiter 755. ſed in Concilio Vernullenſi, quod citatur, nonniſi de Monialibus ſermo eſt. Aliqua ejus veſtigia primum occurrunt in Francofordienſis Synodi an. 794. celebratæ Canone 47. atque id quod ibidem legitur, perinde ac quod reperitur in Concilio Chabillonenſi an. 813. evincit hoc inſtitutum ſecundum formas poſitum non fuiſſe ; in hoc poſteriore Concilio ſtatui cœptæ ſunt Regulæ, quas ſervare tenerentur eæ, quæ Canoniciſſæ dicebantur ; atque an. 816. Synodus Aquiſgranenſis alias ipſis ſatis commodas edidit. Harum Conſtitutionum vi eæ continentiæ votum edebant, neque omnino e ſuis Clauſtris egrediebantur, ſed bona poſſidebant, & hæreditatis capaces erant. Poſtremus hic articulus an. 1060. in Synodo a Nicolao II. Romæ habita proſcriptus fuit. Deinceps Canoniciſſæ Regulares deferbuerunt, non amplius in eodem Dormitorio cubantes, non amplius in eodem triclinio comedentes, egrediendi licentiam ſibi arrogantes, atque adeo nullo continentiæ voto ſeſe obſtringentes; quamobrem Canoniciſſæ Sæculares ſunt appellatæ. Sed Concilia, Pontifices, & Epiſcopi varias edidere Reformationes, ut in ipſarum Congregationibus diſciplinam redintegrarent.

In præſentia tribuuntur omnes Canoniciſſæ in Regulares & Sæculares; illæ quidem ſunt veri nominis Religioſæ, edentes tria vota ſolemnia, ſectantes Divi Auguſtini Regulam, & Clauſuram cuſtodientes ; hæ vero nullum votum emittunt, clauſtro concluſæ non ſunt, & dimiſſa propria Præbenda, matrimonium inire poſſunt; hujus poſterioris generis Canoniciſſæ nonnullis in locis exiſtunt, præſertim in Belgio, ut Montibus, Malebodii; in Lotharingia, ut Remiremontii, Eſpinali, & alibi. Canunt illæ Officium in Choro Canonicorum more ; & Presbyteros Beneficiarios habent, qui Sanctam Miſſam celebrent. Exiſtere quoque dicuntur, quarum Abbatiſſa tantummodo vota edit, cum interim aliæ a proprio inſtituto recedere poſſint, ut in Sæculo vivant, & nubant. Hæ fere omnes ſunt ab origine Religioſæ Benedictinæ, prout quidem creditur.

Canoniciſſa per falſum jusjurandum recepta.

CASUS I.

1 *Adoleſcentula, quæ pejeravit, ut inter Canoniciſſas reciperetur in Familia, in qua equeſtris nobilitas, & per quatuor quidem gradus neceſſaria eſt, non poteſt tuta conſcientia ibidem conſiſtere.*
2 *Si nihil dedit, ut eam ſedem obtineret, Simoniam non admiſit.*
3 *Debet ſuam Præbendam pure & ſimpliciter iis reddere, qui ad eam nominandi jus habent; neque eam Pontifex perſona conſulenti conferre poſſet.*
4 *Puella hæc ſuæ ſaluti ſatius ſtudebit in Monaſterio probe inſtituto, quam in Familia, ad quam eſt ingreſſa.*

QUÆSITUM.

VIrgo annorum 40. nobili genere, infirma valetudine, curta ſupellectile, quæ fere ſemper ab octavo ætatis anno vixit in Aula egregiæ Matronæ famulata poſſeſſionem iniit Canonicatus in una ex Regionibus expugnatis viginti aut triginta ab hinc annis, ope falſi jurisjurandi, quod edidit, ut inter Canoniciſſas cooptaretur hujus Eccleſiæ, in qua nulla recipi poteſt, niſi per gradus quatuor in recta linea patris & matris de ejus nobilitate conſtiterit, in quibus gradibus nemo unus togatus extiterit. In eo autem falſum jusjurandum conſiſtit, quod ea majorum ſuorum, qui togati fuere, tametſi nobiles, nomen mutaverit.

Quæritur, an tuta conſcientia poſſit in Canonicatus poſſeſſione perſiſtere? An hæc poſſeſſio nulla ſit? An ſit Simoniaca?

II. An poſſit aliqua ratione confirmari poſſeſſio hæc? An ad Romanam Curiam propterea confugiendum ſit, quoniam hæ Canoniciſſæ immediate Pontifici ſubjectæ ſunt?

Rationes, quibus adducitur Virgo hæc, ut velit in hoc ſtatu perſiſtere, ſunt, deſiderium ab Aula recedendi, ut vitæ a deliciis opibuſque alienæ ratione ad ſuam ſalutem incumbat; hujus enim Canonicatus proventus ad ejus ſubſiſtentiam maxime mediocrem tantummodo ſatis eſt; & ſollicitudo, qua ducitur, ita curandæ Dei gloriæ, optans ſuo exemplo ad ejus ſervitium ſuas ſocias pertrahere, atque adeo ad religioſam vitam movere; ea quippe perſuaſum habet, hanc Familiam Religioſarum Benedictinarum monaſterium initio fuiſſe.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Virgini, de qua quæritur, in Canonicatum nil juris eſſe, ſi neceſſaria ſit Equeſtris graduum quatuor nobilitas, ac togata excludatur. Ex poſſeſſione nihil juris ei advenire, quoniam adductis falſis probationibus eam iniit, ſubſtituens loco Virorum togatorum, ex quibus orta eſt, Equeſtres Viros, & has falſas probationes jurejurando confirmans.

Has omnes fictiones ei nihil utilitatis afferre poſſe propter Regulam Juris contentam in 6. Decretalium *reg. 64. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; quidquid autem contra Regulas factum eſt, nullum robur habere ſecundum pronunciatum illud eodem titulo Decretalium Gregorii IX. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere*. Itaque Virginem hanc nullo valido titulo gaudere, ut hujus Canonicatus fructibus potiatur, cum eum coram Deo non poſſideat, ipſamque teneri, quicquid inde percepit, & quicquid etiam ejus culpa perceptum non eſt, reſtituere.

Oportere, ut pure & ſimpliciter ſuum Canonicatum remittat intra manus ejus, aut eorum, qui ejus Patroni, aut Collatores ſunt, neque ei licere illum in cujuſvis favorem diſponere; propterea quod hæ liberæ diſpoſitiones ſupponunt proprietatis aut adminiſtrationis titulum, cujuſmodi eſt titulus Beneficii; jam quoniam conſtat eam carere veri nominis titulo, Beneficium remittat neceſſe eſt ei, qui eſt ipſius Patronus, aut Collator, pro Beneficii ratione.

II. Nihil eſſe Simoniacum in eo, quod fecit, ſecundum expoſitionem; at Simoniam fore, ſi quid dediſſet, ut Beneficium hoc obtineret; quod tamen non præſtitit, ſi ex allegatis judicium feratur.

III. Nullum modum præſto eſſe vitioſæ hujus poſſeſſionis firmandæ, aut Beneficii tuto tenendi, conſulta Romana Curia; quoniam nihil ageret Pontifex, cum ſe conditioni, & qualitati neceſſariæ, quæ in perſona deeſt, opponeret. Præterquamquod exiſtunt Beneficia, de quibus ſua Sanctitas non diſponit, & in quibus ſtandum eſt fundationibus, antiquiſque conſuetudinibus & moribus Eccleſiarum, ſecundum noſtram, & Hiſpanicam Juriſprudentiam, quæ nullam derogationem patiuntur.

IV. Fruſtra expenduntur privatæ rationes, quas ea, pro qua conſulitur, ob oculos habuit; facta enim hypotheſi nullam huic Virgini rationem ſuppetere, qua ſuam poſſeſſionem confirmet, atque adeo Canonicatus titulum conſequatur, non amplius debet ipſum, tanquam viam ad ſuum receſſum opportunam ſibi proponere; at ſi ea ſerio ſtatuit Aulæ & mundo nuncium remittere, debet ad Religionem, quæ tutior ei portus erit, quam Canonicatus ſuas cogitationes convertere; præſertim cum earum ſtatus, quæ in hujuſmodi Beneficiis exiſtunt, adeo ſit parum tutus, & parum firmus, ut ex iis bene multæ nonniſi occaſionem expectent ea dimittendi, & conditionem prorſus oppoſitam amplectendi.

Deciſum Pariſiis die 20. Decembris an. 1679.

Aug. *de Lamet*.

Canoniciſſæ ad Divinum Officium obligatæ.

CASUS II.

1 *Canoniciſſæ, quæ ſunt in Belgio, tenentur Officium Divinum in Choro canere.*
2 *Quæ Chorum non adeunt, tenentur illud privatim recitare.*
3 *Obligatio hæc eas quovis ſequitur.*
4 *Capitulum non poteſt cum iis in hoc diſpenſare.*
5 *Quæ abſentiæ ſuæ cauſa nec fructus nec diſtributiones ſuarum Præbendarum percipiunt, ſuo Canoniciſſarum titulo ad id obligantur.*

QUÆSITUM.

EXiſtunt Montibus, Hannoniæ Urbe Virgines honeſto genere, atque adeo ibidem Sanguinis claritate principes, quæ Canoniciſſæ appellantur. Conſtat ex harum regionum Annalibus eas ab exordio Religioſas fuiſſe, & in propria Eccleſia Divinum Officium canere conſueviſſe. Deinceps licet ab Archiepiſcopo Colonienſi, Papæ Legato ad ſæcularem formam redactæ Officium in Choro facere perſtiterunt; pleræque tamen ad id ſe teneri non putant, quia ſuas Præbendas Beneficia non eſſe contendunt. Qua in re quæritur,

I. An illæ teneantur Officium Divinum canere, & Choro intereſſe?

II. An cum nequeant Chorum adire, Officium ſuum privatim recitare teneantur?

III. An cum ab Urbe abſunt, ruri degentes, apud ſuos, aut alibi; Officii ſui recitandi obligatione teneantur?

IV. An Capitulum in hoc cum iis diſpenſandi facultate gaudeat?

V. An ad id obligentur, etiamſi ſuæ Præbendæ magnos tantum fructus percipiant?

VI. Cum nihil omnino percipiunt reſidentiæ defectu, ſubſiſtitne eadem obligatio?

Nihil occurrit in earum Actis quoad hæc duo capita, de quibus conſulitur; nempe quoad aſſiſtentiam Choro præſtandam, & Breviarii extra Chorum recitationem. Sed quoniam hæc duo magni

gni momenti ſunt ratione Montis Urbis, & Belgii univerſi, ubi plures Canoniciſſarum Familiæ exiſtunt, rogantur Domini Sorbonæ Doctores, ut de utraque dicant, quod ſentiunt, idque ſolidis & convincentibus probationibus ſulciant, ipſarum conſuetudini mordicus adhærentes.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem vidit, cenſet, antequam interrogationibus in ea contentis ſatisfiat, in medium afferendum id eſſe, quod variis temporibus quoad Canoniciſſas ſanxit Eccleſia.

Secunda Synodus Chabillonenſis an. 813. celebrata aſſignans nonnullas Regulas Congregationibus Virginum, quæ Canoniciſſæ dicebantur, & quæ peculiarem Regulam non habebant, ſtatuit canone 54. ut *Abbatiſſa diligentem habeat curam de Congregatione ſibi commiſſa, & provideat, ut in lectione, & Officio, & in Pſalmorum modulatione ipſæ Sanctimoniales ſtrenuæ ſint*; & canone 59. monet etiam Synodus ab iis Horas Canonicas una canendas eſſe.

Synodus Aquiſgranenſis an. 816. de Canoniciſſis verba faciens can. 53. Regulæ, quam ipſis præſcribit, oportere ait, ut omnia removeant obſtacula, quo ad divinum ſervitium quam diligentiſſime incumbant, *ſitque earum vigilantiſſima cura, ut ad Horas canonicas, mox ut ſignum datum fuerit, impigre occurrant*.

Conſtat ex hac Synodo Canoniciſſas ad patrimonium ſuum dimittendum obligatas non fuiſſe, ejuſque adminiſtrationem cuipiam rationem redditturo committere potuiſſe; ſed ibidem apparet eodem tempore eas perpetuæ ſervandæ virginitatis, & recitandi Officii lege obligatas fuiſſe.

Ex eo tempore admodum mutata eſt Canoniciſſarum conditio, ſed illud tamen eſt firmum earum conſuetudinem atque exercitationem præcipuam eam ſemper fuiſſe, ut Officia Divina in Choro canerent.

Lateranenſis ſecunda Synodus an. 1139. can. 27. aliquam earum reformationem inſtituens pro certo ponit in Choro canere quotidianam ipſarum functionem fuiſſe. Cardinalis Jacobus Vitrius cap. 31. ſuæ Hiſtoriæ Occidentis ineunte Sæculo decimo tertio ſcriptæ de Sæcularibus ſuorum temporum Canonicis commemorat, quæ nobiles tantum Virgines ſuæ communitati ſociabant, teſtaturque earum exercitationem in eo poſitam fuiſſe, ut in choro canerent; præterea tradit eas ſæpe Præbendis ſuis ſe abdicaſſe ineundi conjugii gratia, quod argumento eſt eas perpetuæ caſtitati addictas non fuiſſe; ſitque veroſimile propter hanc nubendi libertatem Bonifacium VIII. de ipſarum vitæ ratione verba facientem, iiſque eligendæ Abbatiſſæ formam præſcribentem earum Inſtitutum haud diſertis verbis probare. Clemens V. in Viennenſi Concilio eas ſubdit Epiſcopi viſitationi, atque etiam monet non eam ſibi mentem eſſe, ut propter reformationem, quam iis præſcribit, ipſarum Inſtitutum approbet; verum licet illud iis temporibus probatum expreſſis verbis non fuerit, conjici tamen licet ex iiſdem Reformationibus, quas hi duo Pontifices inſtituerunt, ab Eccleſia tacite probatum fuiſſe.

Cæterum ſive Canoniciſſæ, de quibus agitur, in Religioſarum, aut Canoniciſſarum Regularium locum ſuffectæ fuerint; ſive ipſæ Canoniciſſarum Sæcularium titulo a prima fundatione inſtitutæ fuerint, liquet earum Inſtitutum ac munus illud ſemper fuiſſe, ut Officium Divinum in choro canerent.

Colonienſis ſecunda Synodus ſatis firmum ejus rei argumentum nobis ſuppeditat can. 7. ubi harum Canoniciſſarum Abbatiſſæ præcipit, ut ſollicite curet, *ut Horas Canonicas rite perſolvant, cæteraque, quæ reformationis Cæſareæ formula, & probatæ earum Conſtitutiones exigunt, diligenter obſervent*.

Neque vero neceſſe eſt expendi, an harum Canoniciſſarum Præbendæ proprie ſint Beneficia. Ita quidem Pater Thomaſſinus aſſerit, quia quæ earum ſunt titulares, ipſas reſignant, ut Beneficia reſignantur, quia patrimonii Eccleſiæ pars ſunt; & quia iiſdem divini Officii celebrandi obligatio injuncta eſt. Dominus Hallerius Sorbonæ Profeſſor, Cabellionenſis Epiſcopus ait, ſi hæ Præbendæ non ſunt proprie Beneficia, quia Beneficium ſtricte ſumptum nonniſi Clerico conferri poteſt, eas ſaltem eſſe Præſtimonia, & quaſi Beneficia; atque ita quæſtionem hanc nominis tantum eſſe, quoniam hæ Præbendæ, ut alia Beneficia, tituli ſunt, jus tribuunt Eccleſiaſticorum proventuum, & ad Divina, quæ ipſis annexa ſunt, Officia obligant. Pater Thomaſſinus ſatis apte animadvertit, cum Præbendæ Canoniciſſis affectatæ, & diſtributiones, quas percipiunt, in eum tantum finem ſint inſtitutæ, ut illæ Divinum Officium in Eccleſia canerent, eas proinde ad illud non minus, quam Canonicos obligari. Hac de cauſa Cardinalis Jacobus Vitrienſis, & Concilia, quæ earum mentionem fecerunt, Officium recenſent tanquam præcipuam harum Matronarum functionem.

Monet præterea Pater Thomaſſinus ſecundam Colonienſem Synodum can. 7. prohibere, ne Canoniciſſarum Abbatiſſa duas Communitates eodem tempore poſſideat, quia Eccleſia Beneficiorum pluralitatem vetat. En Concilii verba: *Illas vero Abbatiſſas, quæ duobus Collegiis contra Decreta Sanctorum Patrum præpoſitæ ſunt, & duorum in ſe ſuſcipiunt curam, cum vix uni regendo ſufficiant, cenſendas decernimus juxta decretum de reſtringenda pluralitate Beneficiorum inferius paulo ſubjectum*.

Ex his omnibus, quæ allata ſunt, ſequitur Canoniciſſas M........ teneri Divinum Officium in Choro canere, quoniam ejuſmodi eſt tam Regularium quam Sæcularium Canoniciſſarum inſtitutum, atque hæc obligatio tam ipſarum fundationis ratione, quam vi Decretorum Eccleſiæ earumdem ſtatui eſſentialis eſt; atque in hunc modum deciſa quæſtione prima, paucis reſponſum volumus

Ad ſecundam, cum Canoniciſſæ Choro intereſſe non poſſunt, ut Officium canant, ipſas eadem, qua Canonicos, obligatione adſtringi illud privatim recitandi, ſi nihil impediat, quæ quidem ex lege Eccleſiæ in Lateranenſi Concilio ſub Leone X. celebrato ſancita cujuſvis Beneficiarii obligatio eſt.

Ad tertiam; cum Canoniciſſæ ab Urbe abſunt, eas ad Breviarium ſuum recitandum obligari, obligatione hac ipſas quovis ſequente, quippe quæ titulo, quem poſſident, annexa ſit.

Ad quartam; Capitulum carere hac in re diſpenſandi facultate, quia ea nititur ipſarum Inſtitutione, & generalibus Eccleſiæ regulis, quæ ad id eos omnes obligant, qui poſſident Beneficia.

Ad quintam; cum abſentiæ ſuæ cauſa Præbendarum ſuarum magnos tantum fructus percipiunt, tunc quoque ad Breviarium ſuo Canoniciſſarum titulo, & propter hos fructus, qui proventuum, qui canendo tantum Officio aſſignati ſunt, partem conſtituunt, eas obligari.

Ad ſextam; cum a Capitulo privantur ſuarum Præbendarum magnis fructibus, & nihil omnino propter abſentiam percipiunt, non minus ipſas teneri Officium recitare, quia Canoniciſſarum titulum, a quo Præbendarum ſuarum reditus percipiendi jus obtinent, ſemper retinent; quod ſi reſidere poſſunt, & non reſident, id earum culpa fit, & dignæ proinde ſunt, quæ Beneficiorum ſuorum proventu priventur, quippe qui ad eas tantum pertinet, quæ ſuo funguntur officio.

Deciſum in Sorbona die 22. Aprilis an. 1695.
G. Fromageau. De Precelles.

Continuatio ejuſdem queſtionis.

1 *Canoniciſſa ad Breviarii recitationem obligata tenetur illud latine recitare, etiam dum illud privatim recitat, & Choro concinere, dum adeſt.*
2 *Hujus diviſionis rationes.*
3 *Poteſt illa Gallice recitare Officia, quæ obligationem adjunctam non habent.*

I. QUæritur, an Canoniciſſæ ad Breviarii recitationem obligatæ liceat illud privatim Gallice recitare?

II. Quæritur, an cum in Choro canere nequeat, poſſit

poſſit ibidem ſubmiſſa voce Gallice recitare, quicquid Chorus Latine recitat, propterea quod Gallice Deum orans plus devotionis percipit?

III. Poteſtne etiam Lectiones Gallice legere? Poteſtne in iis immorari Gallicæ linguæ locis, quibus commovetur, etiamſi ab actuali attentione ad id, quod canitur, abducatur?

IV. Poteſtne defunctorum Officium, aut Pſalmos Pœnitentiales Gallice recitare?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, quoad interrogationem primam, hanc Canoniciſſam ſuo muneri ſatisfacturam non fore, ſi ſuum Breviarium Gallice recitaret; quia lingua hæc non eſt ea, qua Eccleſia Romana in Divinis Officiis utitur; præterea cum Pſalmi & Lectiones Sacræ Scripturæ, qui in Breviario uſurpantur, ex Vulgata ducti ſint, quam ſolam Verſionem probavit Eccleſia, ipſa a ſuo ſpiritu abducitur, verſionibus peculiaribus uſurpatis. Pius V. in ſua Bulla, quam ad præcipiendam Breviarii Romani recitationem edidit, doctrinam hanc confirmare videtur, dum ita loquitur: *neminem quæ ex iis, quibus hoc dicendi pſallendique munus neceſſario impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe.*

Potiſſima hujus regulæ ratio eſt, quod cum publicæ Preces, quas Eccleſia Deo offert, in Breviario contineantur, eæ ſuum meritum ſuamque vim ex eo potiſſimum ducunt, quod Eccleſiæ nomine fiunt. Jam vero illa in eo Latinam linguam præſcribit; eſt hæc conſuetudo, quam ipſa in Occidente ſequitur jam inde a fide ibidem ſtatuta, & quicumque ad Breviarium obligantur, ei ſe conformare tenentur.

Ad ſecundam; licet hæc Canoniciſſa verſiculum alterius partis Chori repetere non teneatur, nihilominus quia harum Precum præcipuum meritum inde eſt, quod fiunt Eccleſiæ nomine, nec ex privatorum præſertim devotione pendet, Canoniciſſam hanc ſe gratiorem Deo reddituram, ſi attente Chorum ſequatur; id etiam in cauſa fore, ne adeo facile ipſa fallatur, cum ab uno ad alium verſiculum tranſeundum erit.

Ad tertiam; videri conformius Eccleſiæ menti Lectiones cum Choro legi, ut in oratione conformitas, & unio ſervetur.

Ad quartam; cum Defunctorum Officium, & ſeptem Pſalmi ad obligationem non pertinent, licere huic Canoniciſſæ ea Gallice dicere, & fructum ex devotione percipere, quam Preces hac lingua recitatæ in ipſa excitant.

Deciſum in Sorbona die 13. Februarii an. 1695.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CAPELLANIÆ.

Cappellaniæ ſuppreſſæ.

CASUS.

1 *Non poteſt Capitulum plurium Capellaniarum ſine cauſa legitima ſuppreſſarum proventu tuta conſcientia frui.*

2 *Non poteſt judicio contendere, aut auctoritate ſua uti, ut has Capellanias iis adimat, qui iis a Collatoribus legitimis inſtructi ſunt.*

3 *Si hoc Capitulum ſuam litem vicerit, tenebitur accurate exequi clauſulas omnes in ſuppreſſionis Conſtitutione præſcriptas.*

4 *Canonici, qui norint hunc reditum injuria a Capitulo retineri, Capellanis, ſi quidem ſunt, aut pauperibus ſuam partem reddere debent.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Canonici perſpectum habentes Capellanias plures in ſua Eccleſia ſuppreſſas eſſe, earumque proventum falſis allegationibus Capitulari Menſæ unitum eſſe, poſſint tuta conſcientia ſuppreſſionem ſuſtinere, proventu frui, ſeu fruitionem hanc ſuo Capitulo relinquere, prætendentes Epiſcopi Diœceſani Mandato ſuppreſſionem & unionem factas eſſe ea conditione, ut harum Capellaniarum officia explerentur?

II. An hi Canonici poſſint tuta conſcientia cum iis judicio contendere, qui ad has Capellanias a Collatoribus legitimis nominati ſunt, & impenſis, incertoque ſucceſſui ſimilium litium, in quibus Capituli auctoritas poteſt quandoque jus rectum opprimere, hos Capellanos exponere?

III. Facta hypotheſi litem Capitulo adjudicari, tenebitur necne ad litteram, ſcilicet exacte & fideliter exequi clauſulas & conditiones, quibus ſuppreſſiones & uniones factæ ſunt Epiſcopi, de quo modo dictum eſt, Conſtitutione?

IV. Id ſi forte Capitulum non præſtiterit, Canonici plane conſcii, pleneque certi proventus hos immerito a Capitulo retineri, poſſuntne tuta conſcientia percipere ſuam partem & portionem emolumentorum, quæ inde proveniunt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet regulam juris eſſe, ut in Superiorum favorem præſumatur, neque omnino rejiciantur eorum Conſtitutiones, niſi liquido conſtet eos erraviſſe, aut levibus rationibus nixos eſſe; quamobrem ſi in unionis ſpecie, de qua agitur, exiſteret Epiſcopi eam probantis Mandatum, aut Reſcriptum, aliudve judicium, quod ejus executionem præciperet, ea jure optimo valida cenſeretur. Ita, abſolute loquendo, non omnino decidi poſſunt quæſtiones in expoſitione contentæ; cognoſcendæ rationes eſſent, quæ ad harum Capellaniarum ſuppreſſionem & unionem ſua Conſtitutione firmandas Epiſcopum permoverunt.

Sed quoniam licet aliquando ex ſuppoſitionibus ratiocinari, ſalvo & integro remanente iis, qui conſulunt, ut funditus rerum veritatem expendant, reſponſum dabitur facta hypotheſi nihil non verum expoſitione contineri.

Itaque reſpondetur ad primam, Canonicos, qui certo ſciunt abſque legitima cauſa, aut conſuetis formulis non ſervatis Capitulari Menſæ Capellanias, de quibus agitur, unitas eſſe, uno verbo rerum ſtatu falſo propoſito Epiſcopum deceptum fuiſſe, non poſſe tuta conſcientia ſuppreſſionem hanc propugnare, aut proventu ei annexo potiri, quia quod in ſe nullum eſt, nullum jus tribuere poteſt, *cap. cum ceſſante de appel.*

Nec vero ſatis eſt, a Capitulo, ut hoc proventu fruendi jus habeat, annexas obligationes explere, præterquamquod enim mala fide laborat ob falſam expoſitionem, cujus vi proſecutum eſt, aut ſe proſequi cognovit harum Capellaniarum unionem; caret veri nominis titulo, id quod abſolute requiritur, ut jus adſit Beneficii proventu fruendi, & quod non habet, quoniam unio nequaquam legitima eſt.

Ad alteram; ſi nullus ſit dubitandi locus unionem nullam non eſſe, conſequens fieri non licere Canonicis lites ſuſtinere, quas ii intentabunt, qui Proviſiones a Collatoribus legitimis obtinuerunt; ex quo enim pro certo ponitur unionem nullam eſſe, is, ad quem pertinet Beneficii collatio, potuit ad id perſonam dignam pro libito nominare. Itaque Capitulum injuriam irrogaret Collatori, eique, cui illud contuliſſet, ſi ſua auctoritate & gratia uteretur, ut ſuo eos jure privaret.

Ad tertiam; licet Reſcriptum, aliudve judicium in Capituli favorem editum ei nullum reipſa jus tribuerit fruendi Capellaniarum proventu, quia hoc judicium falſæ expoſitionis vi factum eſſet, æque ac Epiſcopi Conſtitutio; ſi tamen Capitulum credidit ſe hoc Reſcripto uti poſſe, teneretur exacte clauſulas & conditiones exequi, quæ in ſuppreſſione præſcriptæ eſſent; alias Capitulum ex ſua injuſti-

juſti-

juſtitia duplex commodum reportaret, quoniam ex una parte reditu ad illud non pertinente ſine titulo frueretur, & ex alia officiis unioni annexis ſe eximeret.

Ad quartam & poſtremam quæſtionem reſpondetur Canonicos, qui indubitato ſciunt Clauſulas & conditiones ſuppreſſionis Capellaniarum expletas non fuiſſe, quique convicti ſunt unionem injuſtam & nullam eſſe, propriam partem & portionem emolumentorum, quæ inde Capitulum ducit, non poſſe percipere, quia ad illud omni titulo legitimo deſtituitur; at ſi ſuam partem recipiant, publice teſtari debent id ſe facere, ut Capellanis, ſi quidem exiſtant proviſi, aut Eccleſiæ, & pauperibus ſi nulli proviſi ſint, eamdem reſtituant; debent etiam hi Canonici curare pro viribus, ut a Capitulo obtineant, ut huic ſuppoſitæ unioni renunciet.

Deciſum hac die....

G. Fromageau.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CAPITULUM.

CApituli nomine venit Canonicorum Cathedralis aut Collegiatæ congregatio propter ſuarum Eccleſiarum negotia. Semper extitit in Eccleſia Presbyterorum & aliorum Clericorum numerus, qui quidem Epiſcopo miniſtrarent, & cum eo in Eccleſia Cathedrali Officium peragerent; at Capituli nomen tum ſolum prodiit, cum plures Canonici communem vitam ducentes Canonici ſunt appellati, videlicet VIII. ſæculo, quo Canonicorum corpus cœptum eſt Capitulum nuncupari; licet alii ejus originem repetant ab ætate Divi Auguſtini, qui Clericos, qui ſuis in functionibus præſto eſſent, congregavit; ſanctam ille & perfectam unionem cum iis ſervavit, quin ullus quicquam proprii habere poſſet; ſed difficile factu erat inſtitutionem hanc diu perdurare; revera in ipſis prope incunabulis ſublata eſt; & Clerici tamen apud ſuum Epiſcopum perſiſtere, & corpus, quod Epiſcopum viventem & vita functum exhiberet, conſtituere non deſtiterunt. Corpus hoc ab exordio informe paulatim perfectum eſt, & neceſſe fuit illud inſtitui non in Epiſcopalibus ſolum, ſed in aliis etiam Urbibus, ac locis, in quibus Eccleſiarum Collegiatarum titulo inſignitum fuit; & Capituli nomen tranſiit ad Monachos, qui Congregationes ſuas ita nuncuparunt.

Eccleſiarum Cathedralium Capituli Caput antiquitus erat Epiſcopus, quia Canonici olim unum cum eo corpus conſtituebant, ad ejus Conſilium ſpectabant, ejuſque juriſdictionis aliqua ex parte participes erant. Sed cum facta eſt bonorum diviſio, ſejuncta eſt etiam eodem tempore juriſdictio, præſertim gratioſa, ſeu jus proviſionis Beneficiorum; atque ego quidem cenſeo hanc veram rationem eſſe, propter quam Capitula nunc aliqua Beneficia conferunt ſeorſim a ſuis Epiſcopis. Ediderunt etiam certas ſibi ipſis leges, quæ variis in locis variæ ſunt. Canonicus quiſque provider in orbem ad Beneficia, quæ per hebdomadam vacant, aut per id tempus, quod ei in facta diviſione aſſignatum fuit. Præterea Canonici Dignitatibus inſigniti poſſunt providere de Beneficiis, quæ ab his Dignitatibus pendent, ſive ſejunctim, ſive conjunctim cum aliis Dignitatibus; in quo quidem conſuetudo in quoque Capitulo recepta ſervatur. Non poſſunt Epiſcopi cum ipſis de hoc jure contendere, quoniam ita unanimi conſenſu ſtatutum eſt tranſactionibus, quæ ab iis fieri potuerunt.

Verum hinc extitit quorumdam Beneficiorum ſine munere inſtitutio; cum enim Canonici non ſolum a ſuis Epiſcopis ſejuncti eſſent, ſed etiam ſinguli privatim ſuos haberent reditus, quos ipſi per ſe adminiſtrant: id in cauſa fuit, ut Officia plura bonis communibus exiſtentibus neceſſaria, evaderent inutilia; & ne dum ſuppreſſa fuerint, ex iis inſtituta ſunt Beneficia, quibus Dignitatum, hoc eſt Beneficiorum ſine ullo officio nomen inditum eſt; quorum ecce exempla aliquot. Præpoſiti Sancti Martini Turonenſis olim a Capituli Canonicis in cura temporalium Eccleſiæ occupati erant; cum porro eorum reditus variis in locis exiſterent, curam hanc ii demandabant variis perſonis, quæ in aſſignatis ſibi locis bona curabant; hique adminiſtratores Præpoſiti dicti ſunt, unde eſt nomen Præpoſiti. Sed poſtquam Canonici ſinguli ipſi per ſe bonorum ſuorum curam ſuſcipere voluerunt, Officia hæc inutilia evaſerunt; ſed ea nihilominus retenta ſunt, atque in præſentia nominantur Dignitates aut Beneficia ſimplicia, quorum Titulares ad reſidentiam obligari non poſſunt, ut olim erant, quia reſidendi obligatio non a Præpoſiti proveniebat Officio, ſed a Canonicatu, quem cum Præpoſitura, quæ tunc quidem Beneficium non erat ſed, pura putaque Commiſſio, aut Officium, obtinuerat. Hac eadem ratione ſpectanda venit in pluribus Regni Cathedralibus Theſaurarii dignitas, quæ pariter nihil erat aliud quam Officium, quod Eccleſiæ proventuum cura continebatur; atque his temporibus hæc ſunt Beneficia ſine Officio, quæ honoris Dignitates dicuntur, quia nonniſi a conſuetudine Dignitatum nomen accipiunt, ſolis Archipresbyteri & Archidiaconi titulis Juris Dignitatibus exiſtentibus ob Juriſdictionem, quam retinuerunt.

Re ipſa non reperiuntur in Jure niſi hæc Dignitatum genera duo. Cæteræ omnes, ut Decani, Præpoſiti, Theſaurarii, Chori Magiſtri, Sacriſtæ &c. ſola conſuetudine ſunt inſtitutæ. Ac licet Capitula ſuapte natura Epiſcopis ſubjecta eſſe deberent, plura tamen obtinuerunt exemptionis privilegia, ut ſe ab eorum Juriſdictione ſubducerent. Quæ porro exempta eſſe contendunt, modicum territorium habent, quod ab iis pendet, & cujus ratione Juriſdictionis Epiſcopalis functiones obeunt, & locum tenent Prælatorum inferiorum ordinariorum, de quibus in Decretalibus ſermo eſt. Capituli Juriſdictio latius patet, cum Sedes vacat. Si accurate ſervarentur Juris communis Regulæ, facile reformari poſſent Capitulorum jura Sede vacante, quia cum Juriſdictio Epiſcopo & Capitulo communis ſit, neceſſe proinde eſt Capitulum poſt Epiſcopi mortem in univerſa Juriſdictione ſuccedere, & quod indeconſequitur, ad omnia Beneficia vacantia, quoad Sedes occupetur, providere. Sed omnino ſecus aſſolet; diſtinguitur enim inter Beneficia, quæ Epiſcopus cum ſuo Capitulo confert, & Beneficia, de quibus ſolus Epiſcopus providet. Ad priora quod attinet, quoniam Capitulum ea diſtribuit una cum Epiſcopo, ideo retinet etiam jus, ut eadem ipſum ſolum conferat ſede vacante; ſed de aliis non diſponit omnino, quemadmodum in tertio Decretalium Libro declaratur. Exiſtit in Bullario Pii V. Conſtitutio, qua omnia Beneficia ab Epiſcopo pendentia reſervat ipſe ſibi *Sede vacante*. At non recipiuntur in Gallia pleræque Conſtitutiones in Bullario exiſtentes; & Rex nominat ad Canonicatus tum vacantes, cum de Epiſcopi nominatione ſunt. Non eadem Curatorum Beneficiorum eſt ratio.

Triden-

Tridentina Synodus *ſeſſ. 24. cap. 16. de Reform.* quod incipit in hæc verba : *Capitulum ſede vacante*, de eo agit, quod agere Capitula debent Epiſcopali ſede vacante; cujuſmodi ſunt nominare unum ſeu plures Œconomos, Officialem, Vicarios Generales; ac de qualitatibus in iis requiſitis, deque Beneficiorum collationibus. Quæ quidem omnia deinde juxta eamdem Synodum reformata fuere. Parochiarum collatio ad Capitulum pertinet, Epiſcopali Sede vacante. Ita etiam judicatum eſt Senatus Pariſienſis Reſcripto die 6. Septembris an. 1648. Videri poteſt aliud Reſcriptum diei 26. Aprilis continens varias Reformationes poteſtatis Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, Sede vacante, & præſertim quoad jura Sigilli. Capitula poſſunt Statuta edere, & regulas inſtituere ob peculiarem Corporis utilitatem, dummodo nihil contineant Canonibus, Conſtitutionibuſque contrarium; poſſunt privare Theologalem diſtributionibus hebdomadæ, qua ſuas lectiones habere neglexerit. Poſſunt aditu Chori & Congregationum interdicere. Deliberationes in Capitulo faciendæ ſunt ex ſuffragiorum pluralitate; atque in diviſionis caſu nondum ſatis deciſum eſt, ſi difficultatis, quæ agitatur, concluſio Præſidentis voce ſtatuenda ſit. Denique Capitulum jure gaudet diſputationes ſuas ad Concilium Provinciale mittendi, atque in eo etiam deliberativa voce pollent, quantum quidem ad ipſorum Corpus attinet, ſi Patri Thomaſſino in ſua Eccleſiæ diſciplina fides habetur.

Electio Decani Capituli.

CASUS I.

Capitulum ad Decani electionem deveniens monere debet omnes Canonicos abſentes, qui quidem intra Regnum exiſtunt.

RESPONSIO.

CApitulum, cui ſui Decani electio facienda eſt, tenetur ex jure abſentes, qui quidem in Provincia ſint, Canonicos appellare. Diſertum eſt in hanc rem Caput *coram de electione* &c. modo tamen id commode fieri poſſit, ut monet Gloſſa in hoc Juris caput, quod præterea mandat, ut, ſi qui Canonici non longe abſint, licet intra alterius Provinciæ fines exiſtant, nihilominus appellentur.

At ſi Canonici longius abſint, communi jure eos appellari non eſt neceſſe, quemadmodum non ignoramus ab Innocentio III. *c. cum inter univerſas* eodem titulo reſponſum eſſe, cum Capuenſis Urbis Capitulum ad ſuum Decanum, alioſque ſuorum Canonicorum Panormi exiſtentium ſcripſiſſet, ut eos moneret, quo futuræ ſui Epiſcopi electioni intereſſent.

Non adeo tamen generalis eſt hæc regula, ut ne exceptionem patiatur, cum mos obtinet eos omnes monendi, quibus Capitulum conſtituitur; ut declaratur *c. in Geneſi* eodem titulo; ubi Gregorius IX. Pontifex monet ex Galliarum conſuetudine abſentes quoſque appellari, ubicumque tandem in Regno ſint: *Cum de toto Regno Franciæ vocentur abſentes de conſuetudine Eccleſiæ Gallicanæ*; & Gloſſa ſuper hac voce *de conſuetudine* : *ſic videtur, quod in talibus potius ſtandum ſit conſuetudini quam juri*; ut proinde cenſeatur, Capitulum, de quo quæritur, quod electionem peragere debet, ita juri communi adhærere debere, ut conſuetudinem tamen non deſerat, ſi quidem vigeat, omnes Canonicos, ubicumque tandem exiſtant, appellandi, ne appellationis tanquam ab abuſu occaſionem præbeat; idque eo magis, quod ejuſmodi conſuetudo videtur graviſſima hac Juris regula niti, quod nempe ad ſingulos corporis ſpectat, nonniſi iis admonitis faciendum eſſe.

De procurationibus, quæ a Canonicis abſentibus recipiendæ ſunt, proviſum eſt eodem titulo *de electione C. quia propter §. illud* in hæc verba : *illud autem interdicimus, ne quis in electionis negotio Procuratorem conſtituat; niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat advocari, juſtoque impedimento detentus venire non poſſit: ſuper quo, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento; & tunc ſi voluerit, uni committat de Collegio vocem ſuam*. Atque ut animadvertit Proſper Fagnanus *in 2. part. primi Decretal. de elect. c. quia propter §. n. 5. in caſu autem legitimi impedimenti non mittitur votum in ſcriptis per Procuratorem, ſed Procurator conſtituitur ad eligendum cum generali mandato, ut ſimiliter Congregatio alias cenſuit.*

Deciſum in Sorbona die.... Maii an. 1677.
Auguſtinus *de Lamet*.

Capituli facultas quoad diſtributiones abſentibus concedendas.

CASUS II.

Capitula nequeunt Officii Canonicalis, aut funerum diſtributiones iis Eccleſiaſticis concedere, qui præſentes non ſunt, perinde atque iis, qui minime reſident. Quæcumque Reformatio concederetur, abuſiva eſſet.

QUÆSITUM.

DOmini Doctores Theologi Facultatis Pariſienſis orantur humillime, ut, quæ ſequitur, difficultatem reſolvere, ac decidere velint.

Quæritur, an Capitulum Canonicis quinquaginta conſtans, quod ab immemorabili Juriſdictionem ordinariam exercet, poſſit tuta conſcientia cuique Canonico concedere integram funerum partem, conſtantem octo tritici modiis, qui ad anni finem ſingulis diſtribuuntur pro præſtita adſiſtentia, cum ipſi pluries abfuerint, aut nequaquam reſederint; poteſtne hoc Capitulum in horum Obituum quindecim diſpenſare, eoſque præſentibus æque atque abſentibus ſolvere? exiſtunt autem circiter quotannis viginti ſex.

Putant aliqui id a Capitulo concedi poſſe, nixi rationibus, quæ ſequuntur. I. videtur Tridentina Synodus cuique Canonico duos treſve vacationis menſes concedere ſuis negotiis vacandi gratia, atque ita per id tempus nihil eſſe amittendum tam quoad magnos fructus, quam quoad obitus, cum diſtributiones ex grano fiunt. II. exiſtit Reſcriptum Conſilii Status, quod eas Canonicis privilegiatis concedit, cum ſuæ Majeſtatis ſervitio addicti ſunt. III. in aliis Galliarum Eccleſiis etiam obitus omnino concedi creduntur. IV. id quod ex abſentiis provenit, ad Canonicos præſentes pertinet, atque ii quidem videntur id poſſe diſtribuere in cujus gratiam voluerint, tanquam quod ipſis acquiſitum eſt.

Conſtitutioni huic, ejuſque executioni alii Canonici refragantur, ajentes eam prorſus opponi Fundatorum intentioni, quæ patet ex pluribus hujus Eccleſiæ Martyrologii locis, in quibus dicitur: *Quæ diſtribuentur iis tantum, qui intererunt Miſſæ, & Vigiliis, & infirmis*; addita etiam ſæpe clauſula, *ſub anathemate*. II. hæc conſtitutio directe pugnat cum Reſcripto contradictorio diei 23. Julii an. 1663. quod reformandæ magnarum Horarum & obituum adſiſtentiæ inſervit, mandatque, ut quod propter obituum fundationes traditum legatumque fuit, iis ſolummodo diſtribuatur, qui Vigiliis & Miſſæ, & infirmis adſiſterint juxta Martyrologium.

III. Ea dubio procul opponitur Conſtitutioni Pontificis Bonifacii VIII. *c. unic. de Clericis non reſidentib. in 6. Statuimus, ut diſtributiones quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui iiſdem Officiis in ipſis Eccleſiis adfuerunt, tribuantur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam; qui vero aliter de diſtributionibus ipſis*

quic-

quicquam receperit, (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas, immo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi conſtitutionem noſtram receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam defunctorum anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum. Adverſatur quoque Tridentinæ Synodo *Seſſ. 24. c. 12. de refor. Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerunt, recipiant. Reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa his careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, Conſuetudinem.*

IV. Conſtabant olim hi obitus quotidie novem lectionibus, exceptis diebus feſtis duplicibus; ſed Poſt Breviarii reformationem tribus tantum lectionibus plerique conſtant, & nonniſi diebus ſimplicibus & ferialibus recitantur. Cum recitantur lectiones novem, id eo fit, quod exiſtit diſtributio ex pecunia præter eam, quæ ex grano fit ſub anni finem.

V. Nunquam conſuevit Eccleſia hæc concedere obitus liberos, nullaque præſtita Vigiliis & Miſſæ adſiſtentia; quod ſi mos hic inducatur, erit Eccleſiaſticæ diſciplinæ magnopere pernicioſus.

VI. In hac Eccleſia abſentium jactura præſentibus omnino non accreſcit, neque id induci poſſet niſi per colluſionem, quæ non reſidentiæ faveret.

Duæ tamen partes utile judicarunt hanc difficultatem conſultationi ſupponere, & Dominorum Doctorum Theologorum Facultatis Pariſienſis deciſioni ſe plane ſubjicere, eos orantes, ut deciſionem ſcripto tradant, imposterum reformationi futuram.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem præſentem vidit, & expendit, exiſtimat Capitulum conſulens non potuiſſe ſecundum Eccleſiæ regulas cuique Canonico integram obituum partem tribuere, ſcilicet octo tritici modios, qui cuique, prout quidem adſiſtentiam præſtiterit, ad anni finem diſtribuuntur. Inſtitutio enim hæc eſt contra commune jus, & Fundatorum, quorum diſpoſitiones omnino ſervari debuerunt, voluntati repugnat; probat id Tridentina Synodus *Seſſ. 25. de reform. cap. 5.* & Galliæ Juriſprudentia confirmat, ut videri poteſt apud Fevretum *p. 1. l. 3. cap. 1. n. 6.* ubi ex antiquo Reſcriptorum Compilatore oſtendit conſuetudinem fundationi derogare non poſſe; ejuſmodi eſt etiam Rotæ regula, referente Proſpero Fagnano *in 1. p. 3. decretal. c. conquerente de Clericis non reſidentib. num. 23. 24. 25.* Ex eo confirmatur doctrina hæc, quod Fundatoris aut Benefactoris diſpoſitio ſpectatur tanquam lex ab eo edita, & conditio, quam ſuo muneri appoſuit; & ſane in præſenti facti ſpecie Fundator rem præcipit *ſub anathemate*, ſuam voluntatem quam maxima poteſt, energia declarans. Interrupta eſt haud ita multo poſt hæc diſpoſitio, licet Juri Canonico ſit conformis, ut ex expoſitione conſtat, ubi refertur textus Bonifacii VIII. confirmatus, receptuſque a Tridentina Synodo *Seſſ. 24. de reform. cap. 12.* quæ prohibet, ne ulla remiſſio abſentibus fiat, *quavis colluſione aut remiſſione excluſa*. Hæc etiam Congregationis Cardinalium definitio fuit, ut refert Garcias *de Beneficiis p. 3. c. 2. n. 432.* in hæc verba: *Non liceat Capitulo aliquo prætextu diſtributiones donare, aut quavis colluſione remittere alicui, qui a ſervitio Eccleſiæ abfuerit, vel alio quovis modo debeat admittere; nec fas ſit cuipiam accipere, ſi acceperit, ſuas non faciat, ſed reſtituere cogatur illico, reſtituendas fabricæ Eccleſiæ* &c. Eadem eſt Proſperi Fagnani ſententia, quæ veterum Canoniſtarum eſt, *Joan. Andr. Archidiac.* Diſertum eſt in hanc rem ſecundum Mediolanenſe Concilium ſub Sancto Carolo; Turonenſe Concilium habitum an. 1583. rejicit quemcumque tractatum contra hanc diſpoſitionem a Capitulis editum, mandatque, ut Canonici ab Horis abſentes ſuas diſtributiones amittant; jam vero juxta Bonifacium VIII. eadem quoad obitus diſciplina tenenda eſt. Ex quibus evidens videtur eſſe non licere Capitulis reformationem rei tam graviter receptæ oppoſitam edere, præſertim cum Aulica Juriſprudentia deneget etiam diſtributiones ſtudentibus, iiſque, qui in Diœceſis ſervitio ſunt occupati, quibus magnos tantum fructus concedit; id omne Pragmatica Sanctione nititur, quæ ſtatuit, ut abſens cenſeatur, quiſquis à fine primi Pſalmi uſque ad Officii finem non adfuerit. Atque has quidem ob cauſas editum eſt Reſcriptum diei *23.* Julii an. *1663.* ex quo certo conjici licet, quid Senatus ſtatueret, ſi præſens difficultas ad eum deferretur.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 10. Aprilis an. 1682.

A. de Lamet.

Prębendę, & Dignitates Capituli.

CASUS III.

1 Cum in Capitulo Præbenda Dignitati annexa eſt, Dignitarius aliam cum ſua Dignitate Præbendam tenere non poteſt.

2 Si Dignitas nullam Præbendam adjunctam habet, poteſt Dignitarius Præbendam in eadem Eccleſia poſſidere ex conſuetudine in Galliis recepta.

QUÆSITUM.

CApitulum Metropolis Præpoſito, & ſexdecim Canonicis conſtat; Præpoſitus, qui Capitulo præeſt, de omnibus Canonicorum honoribus, omnibuſque emolumentis participat; id quod ad eum tantum pertinet, & non ad Dignitates alias, quæ nullam in Beneficiorum collatione, ac diſtributionibus partem habent; nulloque ad Capitulum aditu gaudent, niſi una cum Dignitates Præbendam poſſideant.

Præpoſitus proventum habet duorum Canonicorum proventui æqualem ex decimis, quas variis ex locis cum aliis Canonicis percipit. Ad hæc ob adſiſtentiam Choro præſtitam duplici gaudet diſtributione, ad 400. circiter libras annuas, cum Officiis intereſt. Præter hunc proventum ſatis bonorum poſſidet, habetque, quo aliunde ſolvat onera conſueta ex proventu nonnullorum fundorum, qui ab ejus Præpoſitura pendent; ſunt ei nonnulla extra ordinem onera librarum quotannis ut ſummum ſexaginta. Ei præterea 300. librarum penſio eſt ex Prioratu Curiali, quem dimiſit. Quoniam hic Præpoſitus huic Parochiæ per annos quindecim non deſerviit, timet, ne ſua penſione ſpolietur; verum timere videtur, ubi nulla timendi cauſa, quoniam poſtrema Regis Declaratio in penſionum negotio ad præteritum tempus non ſpectat, niſi Titulares centum ſcuta non poſſiderent, ſolutis officiis omnibus. Præpoſitus nobili genere eſt, cum dignitate vivit, itaque, ut aliis exemplo ſit.

Ejus poſtremi Anteceſſores duo Præpoſiti creati ſunt, cum ambo jam Canonici eſſent. Suum illi Canonicatum retinuerunt, eumque cum Præpoſitura pacifice poſſederunt. Poſtremi tres horum Anteceſſores Canonici non fuerunt; quomodo ſe antea res habuerit, non conſtat.

Quamobrem quæritur, an is, de quo agitur, poſſit Canonicatum ſibi a Capitulo collatum retinere?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti optaſſent ſibi declarari, cujuſmodi Præpoſituræ proventus eſſet, ut abſolutum, & non conditione ſuſpenſum reſponſum darent, quemadmodum oportere ſe facere intelligunt.

Poſſunt in Cathedrali Eccleſia Dignitati proventus eſſe duplici modo; vel quia ei annexa Præbenda eſt, ejuſque totius reditus partem conſtituit; vel quia ipſa per ſe ſatis proventus habet.

Cum Præbenda Dignitati annexa eſt, Dignitate hac inſignitus non poteſt in eadem Eccleſia Præbenda alia potiri, quia Præbendas duas in una eademque Eccleſia poſſideri non licet. Guimerius in Pragmaticam *de Collationibus §. item cenſuit V. requi-*

ſierat:

ſerat : *De Jure communi*, inquit, *non poteſt quis eſſe duplex in eadem Eccleſia, ſive in Beneficiis uniformibus, ut habere duos Canonicatus, vel duas Præbendas. C. Litteras de conc. Præbend. Innoc. in c. Cum jamdudum de Præbend. Gloſſ. in c. Dudum de elect. Vacat una per aſſecutionem alterius.* Clemens *finali de Præb. Gloſſa.* Et Bart. in *lib. Eis c. Qui mittit in poſ. l.* 12. *Clem. fin. eodem tit. nec valet conſuetudo in contrarium c.* 1. *de conſuet. in* 6. *nec poſſet Epiſcopus in hoc caſu diſpenſare.* Et Rebuffus *in praxi de diſpenſatione ratione ætatis* idem aſſerit.

Sed cum Dignitas abſque Præbenda annexa ſuum integrum reditum habet, Dignitarius in Gallia poteſt præterea Præbendam in eadem Eccleſia poſſidere, non quidem de Jure communi : *Quia*, inquit Guimerius loco citato, *de Jure communi non poteſt haberi Dignitas & Præbenda in eadem Eccleſia*; ſed ex Regni conſuetudine legitime præſcripta : *Ut eſt quoque in omnibus Eccleſiis Regni Franciæ de conſuetudine præſcripta, quod Dignitas & Perſonatus non poſſunt, nec debent conferri niſi Canonicis illarum Eccleſiarum, ubi ſunt ipſæ Dignitates vel Patronatus.* Et Rebuffus *de collat. V. Dignitates : iſtæ tamen Dignitates in Eccleſiis Cathedralibus Regni non debentur niſi Canonicis illarum Eccleſiarum ex conſuetudine.* Ex quo infert, nominatum ad Dignitatem, nullaque Præbenda inſtructum in Eccleſia, ubi exiſtit hæc Dignitas, obtinere debere Canonicatum *ad effectum. Ideo oportet, quod nominatus faciat ſe in illa creari Canonicum ad illum effectum, videlicet obtinendi Dignitatem*; & cum ipſe hac ratione Dignitatem obtinuit, convenit eum deinde poſſe Præbendam obtinere, atque hunc Canonicatum *ad effectum* per hanc Præbendam extinctum, aut ſuſpenſum eſſe : *Canonicatus ad effectum Dignitatem obtinendi nihil ſpiritualitatis transfert, nam per illum non acquiritur vocis ſuffragium in Capitulo, nec aliquid aliud, quod ſonet in Spiritualitatem, ſed dumtaxat ad habilitatem conſequendam. Quod ſi obtineatur poſtea Canonicatus præbendatus in ea Eccleſia, an ille Canonicatus ad effectum ipſo jure extinguatur, vel ſuſpendatur.* Guimerius *V. Similiter de collat.*

Expoſita doctrina hac tanquam vera & irrefragabili, ad propoſitam difficultatem reſpondetur in hunc modum; ſi hujus Eccleſiæ Metropolitanæ Præpoſitus annexam Præbendam habet in ejuſdem Eccleſiæ Capitulo, aliam poſſidere non poteſt; at potuit eam conſequi, ipſamque poteſt tuta conſcientia retinere, ſi ejus Dignitas Præbendam annexam minime habet.

Eſt ſane, cur huic Præpoſituræ Præbenda annexa eſſe credatur ob omnes circumſtantias in expoſitione memoratas; ibi enim Præpoſitus omnium honorum, omniumque emolumentorum Canonicalium particeps eſſe dicitur, quod in alias Dignitates non cadit, nempe in Capitulum aditu gaudet, proventu duobus Canonicis, & quidem primas tenentibus pari fruitur, ex decimis, quas variis in locis cum aliis Canonicis percipit; & præterea duplicem diſtributionem ob adſiſtentiam Choro præſtitam accipit, atque una cum aliis Canonicis Beneficia a Capitulo pendentia confert; cum aliæ ejuſdem Eccleſiæ Dignitates nec collationis Beneficiorum, nec diſtributionum participes ſint, neque omnino in Capitulum ingredi poſſint, niſi cum Præbendam aliquam poſſident.

Hæ omnes circumſtantiæ argumento ſunt huic Præpoſituræ Præbendam annexam eſſe; Præpoſitura enim, præciſe ut dignitas, non gaudet his honoribus, & his commodis, alias id ei eſſet cum Dignitatibus aliis commune; neque etiam id habet ratione Canonicatus *ad effectum*, alioquin idem haberent Dignitates aliæ, quoniam in omnibus pene Galliarum Eccleſiis Dignitas eſſe nequit, niſi ſit Canonicus Præbendatus, aut ſaltem Canonicus *ad effectum*, & per Canonicatum *ad effectum non acquiritur vocis ſuffragium in Capitulo, nec aliquid aliud, quod ſonet in Spiritualitatem, ſed dumtaxat ad habilitatem conſequendam.* Præterea ejus proventus ejuſdem rationis ac Præbendarum eſt, cum ſit ex decimis, quæ cum aliorum Canonicorum Præbendis percipiuntur, & inter eumdem Præpoſitum, eoſdemque Præbendatos diſtribuuntur; ac demum duplex hæc diſtributio, quam ob adſiſtentiam Choro præſtitam habet, peculiare quoque argumentum ſuppeditat annexam ejus Dignitati Præbendam eſſe; licet enim de Jure etiam qui Præbendam aut Dignitatem poſſidet, unica tantum diſtributione gaudere debeat, ille tamen ex Galliarum conſuetudine duplicem diſtributionem habere debet; quod Rebuffus *V. c. de diſpenſat.* animadvertit in hæc verba : *Et quando in una Eccleſia quis Dignitatem habet cum Præbenda, non debet obtinere duplices diſtributiones, quia unius tantum ſervitium impendit, & vicem unius gerit c. un. de Clerico non reſid.* Ant. & Pan. *in c. cum olim de re jud. Verum de conſuetudine duplicem accipit portionem in hoc Regno Franciæ, quia duorum vice fungitur : arg. L. Si conſul. ff. de adopt. c. ex litteris de Præb. alioqui nihil prodeſſet ei habere duo Beneficia.*

Quia tamen rotundis verbis ex Expoſitione non apparet Præbendam Præpoſituræ annexam exiſtere, fierique poſſet, ut, iis, quæ dicta ſunt, non obſtantibus, contrarium oſtenderetur, id proinde impedit, ne abſolute pronuncietur, ſed tantum ſub conditione, Præpoſito non licere Præbendam hanc, qua a Capitulo inſtructus eſt, retinere; videat igitur neceſſe eſt, an evidens ſibi ſuppetat argumentum nullam Præbendam ſuæ Dignitati annexam eſſe; ſi enim deſit hoc argumentum, abſque nova Præbenda ob allatas rationes ſatis habere cenſetur.

Ex hujus Præbendæ dimiſſione derivabitur magnum bonum, nempe divini cultus augmentum, quoniam hæ duæ Sedes occupabuntur a duobus, quæ quidem perſonarum multiplicatio utilitatis eſt, non autem neceſſitatis, facta hypotheſi Præpoſituræ nullam prorſus Præbendam annexam eſſe.

Cæteræ animadverſiones omnes nullius momenti ſunt, quandoquidem in Beneficiis non nobilitatis, verum Eccleſiaſticarum Regularum ratio habenda eſt. Tridentina Synodus ſuam nobis mentem ſatis aperit in hoc negotio *Seſſ. 25. de reform. c. 1. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam Sæcularia quam regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione ſervari, ſed ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.* Quod porro Synodus hac de re præcipit, exponitur in hunc modum : *ita mores ſuos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo, caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat.*

Quod autem additur Præpoſitos duos, qui eum proxime præceſſerunt, ambos fuiſſe Canonicos præbendatos ſimul & Præpoſitos, ad id quidem in expoſitione ipſa reſponſum occurrit; etenim tres, qui præceſſerunt hos duos, Præpoſiti fuere, non autem Canonici, & præſens Præpoſitus ejuſmodi fuit, quin hanc Præbendam haberet; quod evincit Præpoſitos ad ita vivendum, ut Præpoſitos decet, Præbenda non indigere, atque adeo ad nobiliter vivendum, ſi ita loqui opus eſſet, quoniam is in expoſitione dicitur nobiliter vivere, quod dubio procul intelligendum non modo poſt, ſed etiam antequam Præbendam hanc obtineret, & cum nonniſi Præpoſitus eſſet; verum id ipſe ſibi perſuadeat neceſſe eſt, ſibi Eccleſiaſtice, non vero nobiliter vivendum eſſe, & ſe nunquam poſſe exemplariter vivere, ſi Beneficia incompatibilia arripere velit, aut retinere plura compatibilia, atque adeo penſiones cum Beneficio, ſi unum Beneficium ſufficiat *ad vitam honeſte ſuſtentandam*, ut dicitur in *cap. 17. Seſſ. 24. de reform.* Tridentini Concilii. Impenſæ porro, quibus Præpoſituræ & penſionis ſæcularis proventus pares non fore dicuntur, ut vero quidem ſimillimum ſit, ejuſmodi ſunt, ut Eccleſiaſticus de ſuo gradu ſollicitus in iis detegeret, quod redundaret.

Deciſum in Sorbona hac die ..., Martii an. 1672.

August. *de Lamet.*

Jus

Jus Cappæ, propter quod pecunia exigitur in Capitulis.

CASUS IV.

1 *Capitula jus non habent a Canonicis, quos poſſeſſione donant, alia jura exigendi, quam Cappæ, ſi ejus indiget ipſorum Eccleſia.*

2 *Quicquid exactum ſolutumque præterea fuit, Eccleſiæ reſtituendum eſt.*

3 *Capituli Patronus non poteſt cum hoc Capitulo agere, ut coram ſuis Officialibus venditionis lignorum, aliarumque impenſarum rationem reddat, niſi id diſertis verbis Fundatio declaret; at ſi his in rebus abuſum detegat, ſuas querelas ad Capituli Judicem deferre debet.*

QUÆSITUM.

ADhærens veteri conſuetudini Capitulum exigit ante poſſeſſionis ſuſceptionem a recens proviſis centum & quinque librarum ſummam, quæ olim in conviviis inſumebatur; triginta vero aut quinquaginta ab hinc annis ea diſtribuitur inter Canonicos præſentes, exceptis 45. libris ob Cappæ jus, porro in hujus Capituli Statutis de hoc jure tantummodo ſermo eſt.

Quæritur, an hæc praxis tuta conſcientia ſervari poſſit? An qui ejuſmodi diſtributiones perceperunt, eas reſtituere teneantur? Atque an hæc reſtitutio Eccleſiæ facienda ſit, an vero Canonicis ſingulis, qui libras 105. ſolverunt?

Quæritur inſuper, an liceat Capitulo conſuetudinem hanc abolere, aut ad 45. libras ob Cappam reſtringere; an vero 105. libras in Eccleſiæ bonum impendere debeat?

II. Animadvertendum eſt, hoc Capitulum a Patronatu laico pendere, & Collatorem conferre pleno jure, abſque ullo, *Viſa*, Epiſcopi; opus eſſe ejus conſenſu ad lignorum venditiones, cum neceſſitas id requirit; & cum adeſt ejus conſenſus, ita ſemper adeſſe, ut eorum uſus ratio reddatur.

Quæritur, an hic Patronus poſſit Capitulum convenire, ut de 105. librarum, & venditorum lignorum uſu reſpondeat? An Canonicos adigere poſſit, ut coram ſuis Officialibus de his articulis rationem reddant, eo prætextu, quod Collationis pleno jure gaudens videatur ipſe in Epiſcopi jus ſuccedere; an id juris ad Epiſcopum ſpectet, an vero Capitulum ſoli Deo rationem reddere teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod præſentem expoſitionem vidit, exiſtimat quoad quæſtionem primam, praxim accipiendi 105. libras a quoque Canonico, qui poſſeſſione donatur, reſervata ſolum 45. librarum ſumma propter Cappam, vitioſam eſſe, damnatamque a Tridentino Concilio, quod hanc conſuetudinem malam declarat *ſeſſ. 24. cap. 14. de reform. ex prava conſuetudine obſervari intelligitur*, quodque eam execratur, *hæc cum Sancta Synodus deteſtetur*. Eam abſolute proſcribit, quibuſcumque tandem rationibus eam confirmari contendatur, niſi quod ad Canonicorum ingreſſum exigitur, in res pias, puta in Eccleſiæ ornamenta conferatur; eos autem, qui his prohibitionibus refragati fuerint, pœnis in Simoniacos inflictis puniri mandat; ita ut, prout quidem loquitur Concilium, rem damnet, propterea quod in ſe ipſa mala ſit; Concilii veſtigiis inſtitit Pius V. in ſua Bulla, quæ incipit, *Durum nimis*, edita die prima Junii an. 1570. In ea Concilii textu in medium adducto, quicquid ad Canonicorum ingreſſus tributum fuerit, etiam munera ex dulcibus, abſolute prohibet graviſſimis pœnis, vetat quoque pravos hos mores ſervari, ac jurejurando firmari, quod in nonnullis Eccleſiis fieri conſueverat: *Præcipimus, & interdicimus omnibus Epiſcopis, Capitulis, Collegiis, & perſonis, ad quos id pertinet, ne poſt hæc fructus aut diſtributiones hujuſmodi, nec prorſus ullam eorum partem retineant, neve ipſorum ceſſionem, vel renunciationem, aut dulciaria, nec alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam ſive ordinaria ſive apoſtolica auctoritate proviſum ad præſtandum ejuſmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti poſſeſſionem impediant, vel remorentur. Quicumque contra fecerint, ſi Eccleſiarum Antiſtites, tamdiu a Pontificalis Officii exercitio ſint ſuſpenſi, donec ſatisfactione prævia, illis per Sedem Apoſtolicam ſuſpenſio relaxetur. Capitula vero & Collegia quæcumque Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ac ſingulares perſonæ in excommunicationis ſententiam incurrant, a qua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio quam a Rom. Pontifice abſolutionis beneficium nequeant obtinere; decernentes hujuſmodi præſtita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari; quinimmo jurantes in hujuſmodi cenſuram incidere, nec non irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari*. Quod in cauſa fuit, ut Barboſa in Tridentinæ Synodi Caput a nobis appellatum pronunciaret: *Unde Epiſcopum cum conſenſu Capituli ſtatuere non poſſe, ut aliquid vel minimum ſolvatur in ingreſſu Canonicorum, cum ſit prohibitum per dictam Bullam Pii V. retuli deciſum d. c. 15. n. 25. ſcilicet in Tractatu de Canonicis*. Tridentina Synodus & Pius V. Pontifex Eccleſiæ mentem & praxim ob oculos habuerunt, quæ nempe ſemper ejuſmodi exactiones eſt execrata, ut videre eſt Cap. *cum Eccleſiæ de Simonia* apud Gregorium IX. Quæ deciſio ducta eſt ex Lateranenſi III. Synodo, cujus hæc verba ſunt: *Ne igitur de cætero fiat, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis in ſedem, vel Sacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu aliis Sacramentis aliquid exigatur, diſtrictius prohibemus; ſi quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habiturum.*

Quoad obligationem reſtitutionis, eam in conſcientiæ foro neceſſariam eſſe Conſilium putat, niſi qui pecuniam hanc receperunt, in bona fide fuerint, & omnino perſuaſi, conſcientiæ regulas ſibi hac in re non violari; ſi enim fuiſſent in mala fide, eamque, prout quidem licuiſſet recepiſſent, quin conſilium expoſcerent, id quoque, quod conſumpſiſſent, reſtituere tenerentur.

Si ſoluta fuit *ab antiquo* Summa 105. librarum ob Cappæ jus, reſtituenda eſſet Eccleſiæ univerſa Summa, deductione tamen antea facta 45. librarum ſolutarum ob Cappæ jus, quod veteri jure ad Capitulum pertinet; at ſi Cappæ jus ſolis 45. libris continebatur, quod supereſſet, non minus ad Eccleſiam ſpectaret, quia pecunia ex Beneficiis ſimoniaca ratione proveniens eidem debetur; atque ita nihil non recte fiet, facta ei reſtitutione; præſertim cum qui poſſeſſionem inierunt, ad peccatum concurrerunt ſuam pecuniam tribuentes.

Poſſet quidem Capitulum ab accipiendo hoc Cappæ jure deſiſtere, re abſolute ſpectata; at id facere non debet, ſi deſit, unde Sacriſtiæ impenſam perficiat.

Quoad interrogationem ſecundam, jus Patronorum magnum eſſe ob bonorum Eccleſiaſticorum conſervationem; ut intelligimus ex canonibus ex Toletano Concilio depromptis, allatiſque *16. q. 7. c. filiis & c. decernimus*. Eos jure gaudere bonis advigilandi, ac ſi eorum abuſus adſit, deferendi ſuas querelas ad Epiſcopos, ad Judices, atque adeo ad Regem. Patronorum de Eccleſiarum bonis ſollicitudo confirmata reperitur Capite *ex litteris extra de jure Patronatus*; & cap. *cum & plantare, §. in Eccleſiis*.

Non ita porro eſt, quod, ſecundum Hoſtienſem, jus hoc ad Eccleſiaſticos tantum pertineat; verum quoniam Laici, qui Patroni ſunt, Eccleſiarum conſervationis curam habent, æque atque Eccleſiaſtici, non videtur id juris ipſis negari poſſe, & præſertim cum fundatio ejus mentionem facit, non quidem ut ipſi propria auctoritate agant, ſed ſolum ut ad Judices, ad eoſque confugiant, qui pollent auctoritate impediendi, ne bona pereant, quæ eorum Auctores Eccleſiis largiti ſunt; quemadmodum animadvertimus, Patronum, de quo agitur, lignorum ſectioni ſuum aſſenſum præbere debere, quia id habet naturam fundi ab ejus Anteceſſoribus Capitulo, de quo quæritur, attributi.

Deciſum Pariſiis die 6. Martii an. 1681.

Aug. de Lamet.

CAPTIVI.

Captivi nomine venit hoc loco, qui in bello, aut aliter ab Infidelibus captus eſt, & apud Nationem exiſtit, quæ Religionem ab ipſius Religione alienam profitetur, ita ut periculum adſit, ne a fide deficere cogatur. Hac in re proponitur ſequens Caſus.

Captivus apud Infideles, qui vult ſe in tuto ponere.

CASUS.

1 *Captivus Chriſtianus apud Turcas poteſt libertati ſtudere, ſi id faciendi occaſionem nanciſcatur, facta hypotheſi eum in ſuæ Religionis diſcrimen adduci, & ad fidem deſerendam adigi.*

2 *Qui ei fugienti præſto ſunt, omnino non peccant.*

QUÆSITUM.

Orantur Domini Sorbonæ Doctores, ut ſuper duabus ſequentibus Propoſitionibus dicant, quid ſentiant.

Prima effertur in hæc verba: male agit, & furtum committit, qui Captivo Chriſtiano in bello capto ad fugiendum opem præſtat, præſertim ſi ille, cum captus eſt, ab aliquo Turca emptus fuerit in ejus ſervorum numero collocandus, quamvis hic captivus libero ſuæ Religionis exercitio minime fruatur, ſemperque ſollicitetur, atque adeo male habeatur, virgiſque cædatur, ut Turcicum Inſigne ſumat, & ad Mohamedis ſectam deficiat, licet alia ratione ſe in libertatem vindicare non poſſit, quam per fugam, id quod ipſe ſolus, & ſine alicujus ſubſidio, facere nequit.

Altera eſt ejuſmodi. Male agit & furti reus eſt, qui Chriſtianum captivum in bello, aut in navi piratica captum adjuvat, ut ſibi libertatem conquirat, licet captivus hic aut vi adactus, acerbeque habitus, aut compenſationis, & reparandæ libertatis ſpe illectus a fide defecerit; qui deinde ſuum crimen, ſuamque defectionem deflens non alia ratione, quam fuga ſe Eccleſiæ redintegrare non poteſt; nec vero ſe poteſt in tuto ponere, niſi ei præſto ſint alii, qui in hoc diſcrimine id facere recuſantes hunc hominem eo neceſſitatis adduci ſinerent, ut vel in Apoſtaſia ad mortem uſque perſiſteret, vel vivus combureretur, ſi Mohamedis Sectæ aperte nuncium remitteret.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum pronunciat has duas propoſitiones falſas eſſe. Cum enim nihil homini ſit carius conſervatione fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ſalus omnibus rebus præferenda ſit: conſequens fit, nihil non tentandum eſſe, ut damnationis probabile periculum evitetur, ita ut ille omnia moliri debeat, ut in fide perſiſtat, ſi nondum ab ea defecit, aut eamdem reparet, ſi ei ſuo malo fato nuncium remiſit, & evaſit Apoſtata. Hoc poſito, ſi Captivo, de quo in expoſitione dictum eſt, nulla alia ſalutis ratio ſuppetit præter fugam, debet ſe, quamprimum commode poterit, in tuto ponere; ita unanimi conſcientia ſtatuunt Auctores, qui in quæſtione, de qua agitur, duo hæc tanquam indubitata ſtatuunt.

Primum eſt, ſi bellum injuſtum ſit, cujuſmodi fere ſunt Infidelium bella contra Chriſtianos, quorum bonis & ditionibus tyrannice potiuntur, Chriſtianos in hujuſmodi præliis captos revera Mancipia non eſſe.

Alterum eſt, ſi bellum quoad Infideles juſtum ſit, quod ſane contingere poteſt, tunc dubitari non poſſe, quin, ſi Infideles hi Chriſtianos Captivos, quos in ſua poteſtate habent, ad deſerendam Religionem, aut aliquid bonis moribus contrarium faciendum adigere velint, hi Chriſtiani liberi cenſeantur, & hoc in caſu prorſus ut in priore omnino licite fugere poſſint.

Utut res habeat, abſolute loquendo, licet in bello captis ſibi proſpicere, & libertati ſtudere, inquit (a) Baſſæus Religioſus Capucinus, ſi eorum Domini ipſos ad patrandum mortale peccatum velint inducere, aut ſi ſeductionis periculum adſit, aut ſi Domini ipſi velint eos interficere, aut neceſſarium alimentum iiſdem negare; atque iis porro non alia vitandi incommodi ratio, quam fuga ſuppetat. Ratio, quæ affertur, ea eſt, quod tunc ii utuntur naturali jure ſuam ipſorum vitam ſeu corporalem ſeu ſpiritualem ſervantes, nec ſuis Dominis parere tenentur, cum adeſt periculum, ne ipſi vitæ jacturam faciant, aut damnationem ſubeant.

Ex iis omnibus, quæ dicta ſunt, illud conſequitur, ſi in circumſtantiis, de quibus ſermo eſt, Captivo fugere licet, poſſe etiam licite ad id præſtandum adjuvari. Conſecutio clara videtur, & qui ei præſto eſt, ut ſuam libertatem reparet, nullius furti reus eſt, nihilque tenetur ſolvere, ut compenſetur Dominus, cujus ſervus fugam capeſſit, & ſe in tuto ponit, ut docet Sairus in hæc verba: (b) *illud autem certum eſt, quod ſi ab Infidelibus cogeretur Captivus ad peccatum, aut alia ei fieret injuria, ut ſi a Judæis aut Saracenis circumcideretur, non ſolum licite fugere poteſt, ſed etiam ad nullam compenſationem faciendam teneretur.*

Deciſum in Sorbona hac die 23. Octobris anno 1696.

G. Fromageau.

CAPUCINI.

Capucinorum Ordo Sancti Franciſci Regulæ inhæret; atque hi Religioſi non alia de cauſa ita nuncupati ſunt, quam ob ſingularem eorum Cuculli formam. Matthæus Baſcius ex Ordine Fratrum Minorum Obſervantium in Urbinenſi Ducatu, & Religioſus Monaſterii Mont-falcenſis obtinuit a Clemente VIII. an. 1528. veniam inſtituendi hanc reformationem Ordinis Sancti Franciſci, & ſe Conventualium Obedientiæ ſubdendi, ſumpto Fratrum Heremitarum Minorum nomine, cum permiſſione Vicarium generalem eligendi, itaut an. 1530. quatuor jam Conventus erexerint, & plures deinceps obtinuerint. Paulus III. qui iis magnopere patrocinatus eſt, mutato nomine eos Capucinos vocavit, & Conventualium viſitationi, ac correctioni ſubjecit a quorum Generali ipſorum Vicarius generalis ſuæ electionis confirmationem petere coactus fuit; Bulla hæc edita eſt an. 1536. Sequenti anno idem Pontifex alia Bulla conſtituit, ne Monaſteria ultra montes erigerent; verum an. 1573. Gregorius XIII. ad preces Caroli IX. ipſis facultatem conceſſit adeundi Gallias, ubi plures familias habent. Paulus porro V. perfectam a Conventualibus independentiam illis conceſſit, eorumque Superiorem Generalis titulo inſignivit: Licet hic Ordo maxime auſterus ſit; cum tamen in Abbatia Trappenſi reformatio inſtituta eſt, non defuere, qui cogitarent de hujus ſtatus mutatione, ut ad hanc Abba-

(a) Baſſæus tom. 2. Theologiæ Moralis v. ſervus n. 13.

(b) Sairus in clavi l. 9. cap. 6. n. 28.

Abbatiam migrarent, ſtrictioris Regulæ obſervationem prætendentes; quia porro propterea Ordo Alumnis præſtantioribus deſtituebatur, Capucini obtinuerunt a Papa Innocentio XII. Bullam editam die 10. Octobris 1698. quæ incipit in hæc verba: *ſollicitudo Paſtoralis officii*, & per quam Supremus Pontifex vetuit, ne ad alium quemcumque Ordinem, atque adeo ad Trappam ipſi migrarent, ſine Generalis permiſſione ſcripto expreſſa, ſub pœna excommunicationis *latæ ſententiæ*, Sanctæ Sedi reſervata. Sequens Caſus ſpectat ad Camaldulenſium Ordinem, ad quem Capucinus migravit; ibique de hac Innocentii XII. Bulla fit mentio.

Capucinus, qui ad Camaldulenſium Ordinem tranſiit.

CASUS I.

1 *Profeſſio, quam Capucinus emiſit, ad Camaldulenſium Ordinem gradum faciens, valida eſt, licet abſque Superiorum ſuorum permiſſione ad eum Ordinem migrarit.*
2 *In hoc poſteriore Ordine poteſt ad Officia eligi.*

QUÆSITUM.

Pater Seraphim jam Capucinus per annos viginti quinque, ſui Superioris obedientiam obtinuit, ut prope Melodunum ad negotia neſcio quæ curanda proficiſceretur, unde Magna Sylva non plus quam tribus, quatuorve leucis diſtat; ſed re vera eo animo, ut ſe Camaldulenſibus ſiſteret, atque intelligeret, vellentne illi ipſum ſuo Ordini cooptare; quod ii adeo humaniter præſtiterunt, ut paulo poſt Pater Seraphim datis ad ſuum Provincialem litteris ad hunc Ordinem migrandi veniam petierit; eumque etiam per Apparitorem citaverit, ut ſibi permiſſionem concederet; ad quæ Capucinorum Provincialis nihil reſponſi dedit. Pater Seraphim, qui in præſentia Pater Arſenius nuncupatur, ad Capucinorum Generalem ſcripſit, ut permiſſionem hanc obtineret, qui quidem eam recuſavit, & in reſponſis dedit, ut ad priſtinum ſtatum rediret, habitum ſuum reciperet, & ad ſuum Conventum reverteretur, quibus præſtitis ſe viſurum dixit, quid ſibi facto opus eſſet.

Pater Arſenius inter Camaldulenſes receptus eſt, apud eos profeſſionem edidit, & ſeptemdecim ab hinc annis in Magna Sylva degit, quin Capucini id ægre tulerint (*a*). Fuit etiam Generalis Ordinis, & nonnullarum difficultatum, quæ ſuper ejus Profeſſione tunc excitatæ ſunt, Camaldulenſium generale Capitulum nullam rationem habendam cenſuit, eumque elegit. Verum cum paſſim nonnulli privatim ei ſcrupulum injicerent, conſulit in Sorbona an. 1696. Dominos *Gerbais*, *Rouland*, & de *Cleries*, qui ipſius Profeſſionem validam eſſe reſponderunt.

Adverſarii tamen muſſitare non deſtiterunt, ſe quoque conſultum acceſſiſſe, ſibique reſponſum fuiſſe profeſſionem nullam eſſe dictitantes. Ergo nunc quoque conſilium expoſcitur, quæriturque, quid de hac Profeſſione ſentiendum ſit. Omnium maxima oppoſitio ducitur ex Bulla Urbani VIII. *an.* 1628. *v. injuncti conſtit.* 91. in qua Pontifex ad Procuratoris generalis Capucinorum ſupplicationem conſtituit, ut Capucinus, qui *ad laxiorem* migrare voluerit, permiſſionem obtineat a Sancta Sede; cum vero tranſire voluerit *ad ſtrictiorem*, & ad Carthuſianos, *& ad quamcumque Congregationem*, a Capucinorum Generali permiſſionem obtineat; atque id ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*.

Ex alia parte Pontifex Eugenius IV. in ſua Conſtitutione *Illa* an. 1435. Carthuſianos ad Camaldulenſes migrare permittit, *petita non obtenta*, ex quo ſequitur Camaldulenſes eſſe Carthuſianis auſteriores, & proinde Capucinos communi jure ad Camaldulenſes tranſire poſſe, quin neceſſe ſit permiſſionem ab iis obtineri, dummodo poſtulaverint. Paulus III. *conſtit.* 1. *§.* 19. omnibus Mendicantibus, cujuſcumque demum Ordinis fuerint, & Religioſis omnibus facultatem tribuit ad Camaldulenſes migrandi, eoſque omnium maxime auſteros declarat an. 1534.

Ad Urbani VIII. Bullam an. 1628. quod attinet, reſpondetur, 1. in ea peculiarem Camaldulenſium mentionem non fieri, quæ ſecundum juris Regulas fieri debebat; atque ita ii comprehendi nequeunt generalibus hiſce verbis, *quamcumque Congregationem*. Et ſane Leo X. in ſua Bulla 2. *§.* 41. omnino non vult Camaldulenſes ullam excommunicationem incurrere, niſi expreſſe nominentur, & *§.* 46. jubet minime ſpectari tanquam revocata privilegia ipſis conceſſa, niſi de iis expreſſe in Bulla mentio fiat.

Præterea Urbanus VIII. in ſua Bulla an. 1635. quæ alia an. 1628. poſterior eſt, privilegia omnia Camaldulenſibus conceſſa confirmat. Eugenius IV. in ſua Bulla an. 1435. ſtatuit, ut Galliarum Camaldulenſes iiſdem privilegiis fruantur, videlicet ut ex univerſo Mendicantium Ordine ad Camaldulenſes migrari poſſit, *petita non obtenta*; ex quo licet ita diſputare: ſi Bulla an. 1628. comprehendit Camaldulenſes generali clauſula, *quamcumque aliam Congregationem*, Capucini quoque comprehendantur neceſſe eſt Bulla an. 1635. ejuſdem Pontificis per hanc ſimilem clauſulam: *Quamcumque Mendicantium & aliorum*, &c.

Quoad excommunicationem, quam Pater Arſenius incurriſſe dicitur, videtur ab ea liberatus, ut etiam ab aliis pœnis, a generali Camaldulenſium Capitulo; ad examen revocatum eſt ejus negotium, & poſt hoc examen Generalis electus eſt; cæterum Capucini nihil ejus recuperandi gratia effecerunt; econtra ut conſtat ex epiſtola, quæ ſcripta eſt, poſtquam cum Provinciali communicata eſt, eum perſiſtere aſſentiuntur.

Exiſtit Bulla Innocentii XII. prohibens, ne Capucini ad Trappam migrent, abſque ſui Generalis permiſſione; ſed hæc Bulla, etiamſi iis repugnaret, qui ad Camaldulenſes itidem migrant, Patri tamen Arſenio nocere non poſſet, utpote poſt edita, quam ipſe in Camaldulenſium Ordine reciperetur.

Fruſtra videtur hoc loco produci Bulla Pauli V. *de ib.* in qua Carmelitæ Diſcalceati prohibentur ad quemcumque Ordinem migrare, excepta Carthuſia, ſine Pontificis venia, quia Bulla Urbani VIII. Camaldulenſibus favorabilis eſt, & Bulla Innocentii videtur ei derogare.

Super his rationibus in utramque partem adductis rogantur Domini Sorbonæ Doctores, ut ſuam ſententiam aperiant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, poſtquam negotium, de quo agitur, accurate diſcuſſit, & rationes utrinque productas expendit, exiſtimat Camaldulenſis, antea Capucini Profeſſionem bonam & validam eſſe, & rationes, quæ ipſi ſuffragantur, videri iis eſſe graviores, quæ contra proferuntur; ſed omnem difficultatem de medio tollit, & turbulentiorum mentium querelas ſatis disjicit reſponſio Generalis Capucinorum in hanc rem, quæ Conſilio ſignificata eſt, & continetur in Schedula Patris Hug. Generalis Capucinorum ſcripta ad Lectorem Capucinorum Sancti Honn. cujus ea notio eſt: *Cum in Religione Camaldulenſi Profeſſionem emiſerit, in eaque tot annis perſeveraverit abſque oppoſitione Capucinorum, ſentio cum Sorbona ſecundam ejus Profeſſionem valere; & conſentio, ut in illo Camaldulenſi Ordine poſſit remanere, & ad omnia officia eligi, prout iis, ad quos ſpectat, videbitur.*

Hæc reſponſio P. Generalis ſpectanda eſt tanquam diſpenſatio, aut potius tanquam confirmatio Profeſſionis Patris Arſenii inter Camaldulenſes, ita ut

(*a*) Capucini ſuam Bullam ſignificandam curarunt Camaldulenſibus ante profeſſionem Patris Arſenii, quatuor Capucini receſſerunt.

ut hoc negotium videatur omnino confectum, atque is quidem ſemper, ad hanc rem quod attinet, tranquillo animo debeat in Camaldulenſium Ordine perſiſtere.

Decifum hac die 24. Septembris an. 1703.
G. *Fromageau*.

Capucini in ſuis Eccleſiis ſepelire poſſunt, at nullis Miſſarum fundationibus aſſentiri debent.

CASUS II.

1 *Maritus, cujus uxor ſe in Capucinorum Eccleſia ſepultam voluit, minime tenetur in hac Eccleſia perpetuam Miſſam fundare, quam Defuncta in ſuo Teſtamento non inſtituit.*

2 *Non poteſt ille ſuæ Conjugis corpus alio transferre, cum illa in hac Eccleſia ſibi ſepulturam elegerit.*

3 *Tridentina Synodus vetuit, Capucinis ipſis id poſtulantibus, ne illi bona immobilia poſſiderent. Quamobrem hi Religioſi perpetuæ Miſſæ fundationem amplecti non poſſunt.*

4 *Si hic Maritus abſolute promiſit ſe Monaſterium Religioſis erecturum, in eoque Miſſam perpetuam fundaturum, debet ſuam promiſſionem exequi, licet ea tantum verbalis ſit.*

5 *Præſtat hoc Monaſterium erigi, quam apud Capucinos Miſſam inſtitui.*

QUÆSITUM.

VIr, & Conjux, divites, pii, & prole carentes, erga Capucinos magnopere affecti erant; illa ſuo teſtamento conſtituit, ut in harum Patrum Eccleſia, quam ipſa extruendam curaverat, ſepeliretur; Vir ſuæ Conjugis voluntate perfecta, vehementiore affectu permotus vult in hac Eccleſia perpetuam Miſſam fundare ad uxoris & ſuam ipſius requiem, cum mortem occubuerit, ſe cupiens apud ſuam conjugem ſepeliri; id ipſe Capucinis propoſuit, qui hanc miſſæ perpetuæ fundationem, utpote ſuis legibus contrariam ſe acceptare non poſſe reſponderunt. Rejectus homo hic, quin ſuum erga Capucinos affectum deponat, aliud conſilium init. Monaſterio Virginum alterius Ordinis pollicetur ſe ipſarum Familiam erecturum biennii ſpatio certis conditionibus; quarum prima eſt, ut ipſe in earum Eccleſia ſepulcrum teneat, & ſuæ conjugis corpus eodem transferre poſſit; altera, ut omnes Miſſæ nondum fundatæ ſuæ Conjugi, ſibique in perpetuum celebrentur; tertia, ut Religioſæ duas ſuæ Familiæ, aut alterius Virgines ad ſuorum hæredum electionem & nominationem in perpetuum recipiant; quarta, ut ejus Uxor, atque ipſe fundatorum titulo gaudeant cum juribus ac privilegiis eidem annexis. Hujus biennii ſpatio ille ſuæ erga has Religioſas obſervantiæ innumera exhibuit monumenta. Vult ad ſe mitti planum, ſitumque loci, quem incolunt, ut intelligat, an ſpatium Monaſterii & Eccleſiæ extructioni par ſit. Eo mittit Architectos duos, quorum alteri de altero non conſtabat, ut Monaſterii & Eccleſiæ planum uterque tranſmittat. Jubet illud eligi & approbari, quod potius, aptiuſque dignoſcitur, & ad exemplaris calcem ab Architecto futuræ erectionis pretium apponi. Ea quæ requiruntur, emit, & de ſuo ſolvit. Ipſe, & Religioſæ, quantum in ipſis eſt, nihil intentatum relinquunt, ut furni publici Religioſarum hortum ſubeuntis tranſlationem obtineant, & ipſe loci, quo transferendus eſt, pretium ſolvit. Nullus revera contractus exiſtit, nullumque ſcriptum, ſed tantum adſunt promiſſa per litteras, adſuntque effectus, qui in omnibus iis monumentis, quæ recenſita ſunt, apparuerunt.

Abſoluto biennio, Fundator advenit locum inviſurus, ubi Monaſterii & Eccleſiæ inſtructio futura erat, ut cum Religioſis conveniat, exequaturque promiſſa toties in ſuis Epiſtolis repetita, quibus vehemens conſilii ſui perficiendi deſiderium ſignificat, nec ſemel edicit ſibi poſt ſuam ipſius ſalutem nihil magis cordi eſſe. Sed Patrum Capucinorum Monaſterium prætergreſſus, iis ſignificat, ſe, quoniam ipſi legum ſuarum vi Miſſæ perpetuæ fundationem acceptare non potuerant, id conſilii cepiſſe, ut Religioſarum Monaſterium, & Eccleſiam, ubi perpetua Miſſa fundabitur, erigenda curaret, atque ita rogare, ut ſibi reddant ſuæ conjugis corpus eo transferendum, cum Eccleſia perfecta erit; Cum hi Patres (ut fit vero ſimile) ad ipſius mutandam mentem ei plura dixiſſent ſanæ ſententiæ repugnantia, & pietatem lædentia, ipſi declararunt ſibi injuriam inferri adempto ejus Conjugis corpore, quod illa ſuo teſtamento ipſis donaverat, & pollicentur ſe ſubituros onus miſſæ perpetuæ, quam reſpuerant tanquam ſuis legibus adverſantem.

Negotium hoc in provinciali Capitulo, quod coram Generali habebitur, proponendum eſt. Scilicet id quæritur, utrum hoc Capitulum poſſit Capucinos ad Miſſam perpetuam, de qua agitur, acceptandam adigere in compenſationem beneficiorum Viri, & Uxoris, quæ eorum Eccleſiam conſtruendam curavit. Ejuſmodi eſt propoſitio, quæ apparet; ea vero, quæ non apparet, talis eſt, Virum promittere, quantum in ipſo erit, ſe annuas eleemoſynas, quamdiu vivet, in Familiam erogaturum, & teſtamento ſuis hæredibus impoſiturum, ut in perpetuum eas proſequantur.

Confeſtim Religioſæ rogandum curant hunc Dominum, quem ipſæ Parentem ſuum appellabant, & tanquam Parentem ſpectabant, ut ſuam promiſſionem toties iteratam, & cujus gratia tot exhibuit monumenta, exequatur; reſpondet ipſe ſe de iis minime cogitaſſe, niſi poſtquam Capucini reſpuerant perpetuam miſſam acceptam, ſed cum hi Patres in præſentia eam in ſuo Capitulo acceptandam, atque approbandam polliceantur, ſe quoque promiſſis ſtare; promittit tamen, niſi propoſitio acceptetur, ſe ſuum priſtinum conſilium executioni mandaturum.

Itaque a conſilio, quod inibit hoc Provinciale Capitulum, pendet harum Religioſarum Monaſterii conſtructio.

Super his omnibus, quæ dicta ſunt, quæritur,

I. an per Miſſæ perpetuæ in alia Eccleſia fundationem Capucinis injuſtitia inferatur, cum eam tanquam ſuis legibus contrariam Patres hi reſpuerint?

II. An injuſtitia cenſenda ſit, ab iis repeti corpus hujus mulieris humaniter, & concorditer in eum locum, quem ſibi in ſepulturam Maritus elegit, transferendum?

III. An ratio, quæ ad curandam per Provinciale Capitulum fundationis acceptationem initur legitima ſit?

IV. An non juſtitiæ repugnet pauperes has Religioſas poſt tot promiſſa, & bene affecti animi monumenta deſeri?

V. An Deus non inde plus gloriæ ſit percepturus, ac non proximo, & Fundatorum ſaluti conformior ſit Eccleſiæ & Monaſterii erectio, ubi plures Virgines Deo inſervient, & duæ Religioſæ in perpetuum gratis recipientur, atque adeo Miſſa perpetua ſecundum rationem expreſſam celebrabitur: quam miſſæ tantum fundatio in Capucinorum Eccleſia?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, perpenditque, cenſet, cum in jure nihil occurrat, quod fundationis obligationem inducat in loco, ubi corpus ſepulturæ traditum eſt, & cum perſona apud Capucinos ſepulta Miſſam hanc omnino non inſtituerit, juſtitiæ non repugnare, ſi ea alibi fundetur; atque ita eum, pro quo conſulitur, contra juſtitiam minime peccaturum eſſe, dum miſſæ perpetuæ fundationem alibi, quam apud Capucinos inſtituet, præſertim poſtquam illi fundationem hanc veluti ſuis legibus repugnantem acceptare noluerunt.

Ad interrogationem alteram, Virum nullo jure gaudere a Capucinis repetendi ſuæ Conjugis corpus, atque adeo id ipſi minime licere, quoniam illa in eorum Eccleſia ſibi ſepulturam elegit; neque ipſum poſſe tuta conſcientia non exequi ſuæ conjugis voluntatem, quæ quidem inſtituendæ hujus ele-

ctio-

ctionis jure pollebat: *nulli negamus eligere ſepulturam*, inquit Leo III. Pontifex *cap. nos instituta extr. de Sepulturis*, & Pontifex Innocentius III. eodem titulo *cap. in noſtra*; licet enim prohibeat Hoſpitii Fratribus, ne Parochialis Eccleſiæ Fideles in ſuis Eccleſiis ſepeliant, eum tamen caſum excipit, quo illi in horum Religioſorum Eccleſia ſibi ſepulturam elegerint; quamobrem cum Uxor ſe apud Capucinos ſepeliendam mandaverit, Vir ejus corpus petere, & hi Patres illud reddere omnino non debent.

Ad interrogationem tertiam, ab horum Religioſorum Regula & Conſtitutionibus definitionem pendere. Illud enim inquiri, ad quid obligentur Capucini per exceptionem a Tridentina Synodo factam eorum Ordinis, aliorumque Ordinum Obſervantiæ, quoad bona immobilia, cujuſmodi ſunt fundationes perpetuæ. En verba Concilii *Seſſ. 25. de Regularibus cap. 3. Concedit Sancta Synodus omnibus Monaſteriis & domibus tam Virorum, quam Mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut in privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat*. Ex his verbis liquet, Capucinos a generali permiſſione bona immobilia poſſidendi, quam Regularibus omnibus Synodus concedit, excipi, ac propterea ab eorum poſſeſſione removeri. Quoniam igitur perpetua fundatio in bonis mobilibus inſtitui nequit, niſi quatenus fundi naturam retineant, cujuſmodi eſſet reditus, qui ipſe recipi non poſſet, ut magni nominis Auctores docent, niſi veri nominis fundo niteretur: ſecundum hoc Decretum, & Juriſprudentiam Concilii fundationem miſſæ perpetuæ, quæ bonum immobile & fundum, cui illi renunciarunt, ſubſequitur, Capucini acceptare poſſe non videntur; cum Tridentinum Concilium ita ſtatuerit, ipſis tantum inſtantibus, & orantibus, quod ſane evincit eos diligentius ſervare debere, quod tam ſollicite poſtularunt. Hæc animadverſio magnam dubitationem ejus animo debet ingerere, qui apud eos hanc fundationem inſtituere in animo habet, an nempe ſit opportunum ab eo ſuſcipi tam grave negotium, quod eorum Regulæ, atque exactæ paupertati adverſari videtur, atque id quidem ſuæ privatæ ſatisfactionis gratia, quæ prævalere non debet Regulæ inſtitutæ auctoritate tanta, quanta Concilii eſt, quod e re eſſe credidit hos Religioſos excipi a generali Regula, qui proinde nonniſi ob gravem cauſam, & majus ipſorum Ordinis bonum ſunt diſpenſandi. Diſpenſatio enim, quæ non his principiis niteretur, eſſet diſſipatio potius quam diſpenſatio juxta S. Bernardi deciſionem, cui Theologi & Canoniſtæ ſubſcripſerunt.

Ad interrogationem quartam, ſi hic Vir in animo non habuerit cum hoc Monaſterio obligationem contrahere, quam ea conditione, ut ſuæ Conjugis corpus eo transferretur, id eum perficere non teneri, quod ea tantum conditione promiſit, quæ impleta non eſt, quamquam id quidem non ejus culpa; at ſi abſoluta, & ſine conditione fuerit promiſſio hæc, ipſum in conſcientiæ foro teneri ei ſatisfacere, licet ſcripta non fuerit, perinde ac ſi ſcripta, & ad exactam juris formam redacta fuiſſet. Ratio eſt, quia per verbalem æque ac per ſcriptam promiſſionem coram Deo obligatio contrahitur; cum hæc formula, & id genus aliæ ob id tantum ſint inſtitutæ, ut ejus nempe, qui ſe obligat, voluntas appareat; hoc porro externo argumento Deus opus non habet, quippe qui de rebus judicat per ipſas res, & ut re ipſa ſe habent.

Interrogationis quintæ deciſionem ab ea quoque, quam hic vir ſuſcepit, obligatione pendere; ſed in univerſum ſi perfectio ex eo penſanda eſt, quod videtur Dei gloriæ magis congruere, videri plus honoris Deum percepturum ex Monaſterio, ubi plures Virgines ei deſervient, fundabuntur in perpetuum Religioſarum ſedes duæ, & quotidiana Miſſa celebrabitur, æque omnino, ut expoſitum eſt, ac per miſſam in Capucinorum Eccleſia fundatam; ſed quoniam non hic agitur, ut res ſine ſuis circumſtantiis ſpectentur, & quoad conſilia & perfectionem inſpiciantur, ſtrictæ obligationis contractæ ratio habenda eſt, & de ea ex jactis regulis judicandum.

Deciſum Pariſiis die 22. Junii an. 1680.
Aug *de Lamet*.

CASUS RESERVATI.

CASUS I.

De Caſibus reſervatis animadverſiones.

I. QUoniam peccata venialia non magnopere videntur ad exterius Eccleſiæ regimen pertinere; Solum mortale peccatum notorium, externum, & non ſola cogitatione commiſſum reſervationi obnoxium eſt; non ſatis eſt, ſi quis illud patrare tentaverit, & conatus ſit; conſummatum eſſe neceſſe eſt, ut in Caſuum reſervatorum numero ſit, niſi Superior aliter declaraverit; exempli gratia non ſufficit quempiam conatum eſſe inceſtum committere, verum oportet conſummatam actionem eſſe, ut hoc peccatum ſit reſervatum.

II. Epiſcopus, aut quivis alius Superior, qui juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudet, poteſt ſibi peccata reſervare; ita ut ſolus Ordinarius, aut ii, quos ipſe peculiariter eligit, ab iis poſſint abſolvere; reſervatio hæc ſtatuenda eſt intuitu communis boni, & ſanctificationis Fidelium Diœceſis.

III. Reſervatio eſt ſubtractio Juriſdictionis (*a*) ex parte Superioris adimentis Presbyteris ſimpliciter approbatis in aliqua Diœceſi facultatem a reſervatis caſibus abſolvendis. Reſervatio tam quoad Miniſtrum, quam quoad pœnitentem inter odioſa eſt referenda, quoniam Confeſſariorum poteſtatem reſtringit, & confeſſionem Fidelibus difficiliorem reddit; licet alioquin ea ipſorum bonum, & rectæ in Diœceſi diſciplinæ rationem ſpectet. Quamobrem ſecundum Eccleſiæ mentem ne durius confeſſionis jugum reddatur, & ne Fideles abſterreantur ab uſu ejuſmodi remedii, cujuſmodi confeſſio eſt, quæ nonniſi ad eorum ſanctificationem eſt inſtituta, pauci eſſe debent in Diœceſi reſervati Caſus, ut monet Tridentina Synodus *Seſſ. 14. c. 7. de Sacr. Pœnitent.* atque adeo ex peccatis mortalibus nonnulla atrociora & graviora ſunt ſecernenda, cujuſmodi nonnulla ſunt, quibus excommunicatio addicta eſt. In Decreto Congregationis ſub Clemente VIII. *an.* 1602. quod hic Pontifex approbavit, ſtatuitur, ut animadvertit Quaranta (*b*), magnam hanc reſervatorum Caſuum multitudinem, quæ in Diœceſibus exiſtit, reſecari, eoſque ad pauciſſimos redigi, & ad illos tantum, qui ad hujuſmodi ſcelerum horrorem Fidelibus incutiendum, eoſdemque ab iteratis caſibus deterrendos ſunt neceſſarii.

IV. Articulus fidei eſt in Tridentino Concilio, Eccleſiam peccata reſervandi poteſtate gaudere; ita ut ſapienter in Diœceſibus inducta fuerit gravium quorumdam criminum reſervatio. Et ſane cum in Eccleſia primitiva peccata graviora publicis pœnitentiis, eorumque gravitati reſpondentibus expianda Superiori reſervabantur, florebat Eccleſia, ſuorumque morum puritatem ſervabat; at cum hæc ſeve-

(*a*) Baſſæus v. Caſus reſerv. tom. 2.

(*b*) Quaranta v. Caſus n. 14. magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur: unde merito Pontifices Maxim. pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita cautas aliquas criminum graviores poterunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat: pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt.

ſeveritas remiſſa eſt, eademque crimina tolerari cœpta ſunt, Eccleſia ſuum priſtinum decus amiſit; ut pronunciari poſſit caſuum reſervationem eidem ſervando, aut reparando quodammodo poſſe inſervire. (*a*)

V. Exiſtunt caſus, qui reſervati ſunt propter excommunicationem; ſunt etiam præciſe, qui ob ſuam ipſorum gravitatem ſunt reſervati, cujuſmodi eſt blaſphemia publica; non igitur præciſe peccati gravitas, aut excommunicatio reſervationis cauſa ſunt; quandoquidem odium Dei, quod ſuapte natura plurium, quæ reſervata ſunt, graviſſimum eſt, in reſervatorum caſuum numero omnino non eſt. Præterea juxta Decretum Congregationis ſub Clemente VIII. non omnia promiſcue peccata, quibus excommunicatio adjuncta eſt, ſunt reſervanda; ſed reſervatione cohibenda ſunt peccata gravia, & ſcandalo obnoxia, quæ ſi reſerventur, & eorum abſolutio difficilior reddatur, Fideles in eadem non tam ſæpe lapſuros eſſe prudenter exiſtimatur; reſervanda porro non ſunt gravia, at occulta peccata, ſi prudenter judicetur longe pauciores fore, qui ea confiteantur, quam qui eorumdem confeſſioni ſeſe ſubjiciant; qua de cauſa Major *in 4. diſt. 17. q. 5.* pronunciat non facile reſervanda carnis peccata, quia complures ſunt, qui ea confiteri verecundentur, & ſatius ducant ſuam ſalutem in diſcrimen adducere, quam ea confiteri, præſertim cum ad Superiores remittuntur. (Sylvius:) ita ſentiunt Gerſon 2. *pag. de moderata caſuum reſerv. Epiſt. ad quemdam*, pag. 85. Chapeauville, pag. 81.

VI. Intereſt inter caſum reſervatum & cenſuram; hæc eſt peccati pœna, ille peccatum eſt. Irregularitas non eſt omnino caſus reſervatus, ſed impedimentum canonicum, quod ordinum ſuſceptione, aut ſuſceptorum executione privat. Neque magis vota ſunt, caſus reſervati, ſed virtutis actiones, a quibus abſtinetur, cum adeſt diſpenſatio cum legitima quidem cauſa. Sunt caſus reſervati, quibus annexa cenſura eſt; & ſunt cenſuræ, quas Epiſcopi ſibi reſervant, ut ſuſpenſionis, propter peccata minime reſervata.

VII. Diſcrimen intercedit inter caſus, qui Pontifici, & qui Epiſcopis ſunt reſervati; (*b*) ſemper excommunicatio prioribus annexa eſt; ita ut Confeſſarius, qui a caſibus Pontifici reſervatis abſolvere poteſt, poſſit etiam a cenſuris & a caſibus reſervatis abſolvere, niſi adſit cenſura aliqua Epiſcopo reſervata; at caſuum Epiſcopis reſervatorum non eadem plerumque ratio eſt. Cum ergo Epiſcopus alicui Presbytero facultatem tribuit a reſervatis caſibus abſolvendi, non propterea a cenſuris abſolvendi poteſtatem confert, niſi aliter declaraverit, aut excommunicationem inter caſus reſervatos referat; tunc enim caſus reſervatos Presbytero tribuens, ei ab excommunicatione abſolvendi vim confert, ut notatur in Rituali Atrebatenſi.

VIII. Nullus exiſtit caſus reſervatus quoad eos, qui pubertatis ætatem videlicet annos quatuordecim, ſi de Juvenibus, & duodecim, ſi de puellis ſermo ſit, nondum attigerunt; & cum non temere dubitatur, an ejuſmodi peccatum mortale ſit, aut inter ea peccata recenſeatur, quæ ſunt reſervata. *Rituale Carnutenſe*. Peccatum mortale ſit & exterius neceſſe eſt, & non cogitationis, ut ſit reſervatum. *Rituale Pariſienſe*. Non ſunt remittendæ Mulieres, ut reſervatorum caſuum abſolutionem obtineant, ſi tribus ab Urbe leucis diſtent; ſed Parochus eas abſolvendi facultate polleat, niſi ipſe aliter judicet. *Rit. Pariſ.*

IX. Cum reſervatio rebus odioſis adnumeretur, reſtringenda proinde eſt, ne dum ampiianda per rationis paritates, aut argumenta a ſimili, aut a majori; cauſa exempli hæc ratiocinatio nequaquam evinceret; audire Miniſtrum prædicantem caſum reſervatum eſſe, quia caſus reſervatus eſt Hæreticorum Libros legere, quamvis lectio minus periculoſa ſit, quam Miniſtri concio, quæ fere altius imprimitur; ſi tamen peccatum contineretur in alio, quod reſervatum eſſet, tunc legitime concludi poſſet, illud quoque reſervatum eſſe.

X. Cum excommunicatio caſui reſervato annexa eſt, & in eos eſt lata, qui aliquid faciunt, aut fecerunt, ii, qui id ipſum faciendum curarunt, aut conſuluerunt, ei minime ſubjecti ſunt, niſi in caſu reſervato id ſit expreſſum, aut alias ex jure derivetur, ut licet intelligi ex excommunicatione in jure iis inflicta, qui Clericum verberant, aut homicidium perpetrant; quod ex eo ſequitur, quod reſervatio eſt res odioſa, quæ temere non eſt extendenda: eadem ratione cum excommunicatio eos afficit, qui imperant, aut conſulunt, &c. effectum conſecutum eſſe neceſſe eſt.

XI. Cum excommunicatio primario ad eos ſpectat, qui pravam actionem exercent, & conſequenter ſecundario, & minus principaliter eos afficit, qui opem præſtant, ut fiat, aut eidem ſavent: ad cenſuram hanc ſubeundam actio patrata fuerit neceſſe eſt; at cum cenſura æque eos afficit, qui actionem patraverint, ac qui eidem ſaverint, cenſura incurritur, etiamſi crimen admiſſum non fuerit, ut conſtat ex cap. primo *de homicidio in 6*.

XII. Cum cenſura in eos lata eſt, qui præſumunt, aut ſatis temeritatis habent, ut in actionem vetitam ruant, (*c*) aut qui ſcientes hoc in caſu eam perpetrabunt, cenſura nequaquam incurritur, cum ob timorem, aut ob aliquem alium paſſionis motum, excepta arrogantia, aut ob ignorantiam res perpetratur.

XIII. Cum adeſt dubitatio, an peccatum reſervatum ſit necne; ſive dubium ſit de jure, ut exempli gratia cum dubitatur, an id lege ulla reſervetur; ſive dubium ſit facti, videlicet an peccatum ſatis conſummatum ſit, ut reſervetur, ut cum quis dubitat, an homicidium commiſerit necne: quamvis Confeſſarius debeat ſuum Superiorem conſulere, aut idoneorum Virorum ſententiam expectare, priuſquam aliquid aggrediatur, nihilominus ſatius fuerit Epiſcopum declarare in neutra facti ſpecie reſervationem locum habere; ita ut ſimplex Presbyter approbatus ab ea poſſit abſolvere, & abſolutio valida ſit, eſto deinde innoteſceret caſum vere reſervatum eſſe, aut veri nominis excommunicationem eidem annexam fuiſſe; poſſet enim de hac facti ſpecie perinde diſputari, ac de voto dubio, in quo Epiſcopus diſpenſaſſet, & quod poſtea Pontifici reſervatum eſſe cognoſceretur.

XIV. Cum quis peccatum committit, quod in ejus Diœceſi minime reſervatum eſt, ſed ejuſmodi tamen evadit per novum Mandatum a ſuo Epiſcopo vulgatum, antequam ab eo ſit abſolutus, tunc illud reſervatum peccatum eſt; ita ut ſimplex Confeſſarius ab eo abſolvere nequaquam poſſit.

XV. Caſus omnes Sedi Apoſtolicæ reſervati, qui occulti ſunt, aut cum adeſt moralis impotentia ad Romanam Curiam confugiendi, cenſentur Epiſcopo reſervati.

XVI. Definiri non poteſt certos quoſdam caſus eſſe,

(*a*) Concil. Trid. de Sacram. Pœnit. Quæ cum ita ſint, viſum eſt eidem S. Congregationi privatas quoque litteras ad ſingulos Ordinarios mittere, quibus moneantur, ut ſimul ac eas acceperint, omnes Caſus jam olim ſibi reſervatos, adhibitis aliquibus pietate & doctrina præſtantibus Viris, de integro diſcutiant, diligenterque examinent, & ad ipſius decreti jam declarati normam accommodent; eorum multitudinem ſic reſecantes, ut ad quam pauciſſimos, eoſque maxime neceſſarios redigantur iidem Caſus; unde ſalutaris ille ſequatur effectus, cujus cauſa hæc reſervandi atrociores quoſdam Caſus Epiſcopis in ſua cuique Diœceſi tributa eſt auctoritas.

Præcipue vero hæc monenda cenſet S. Congregatio, ut videant ipſi Ordinarii, ne illos Caſus promiſcue reſervent, quibus annexa eſt excommunicatio major, a jure impoſita, cujus abſolutio nemioi reſervata ſit, niſi forte propter frequentiam, ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam aliqui hujuſmodi caſus nominatim reſervandi viderentur.

(*b*) Paſchaligus Dec. 161. n. 5. contendit Epiſcopum non poſſe ſibi reſervare caſum, quem ſibi Pontifex reſervavit. Chapeauville p. 51. contra ſentit, & tamen fatetur contrariam conſuetudinem obtinere.

(*c*) Chapeauville p. 68.

ſe, quos Epiſcopus reſervare debeat, & non alios, inquit Barboſa (*a*) poſt Navarrum; ut proinde adſit conſtans & generalis regula, juxta quam Statui poſſit, quænam peccata in ſua Diœceſi poſſint Epiſcopi reſervare. Reſervatio, pergit hic Auctor, magnopere a populorum in quaque Provincia moribus pendet, & ab eo, quod eorum Saluti, atque etiam accuratæ diſciplinæ in Diœceſi cuſtodiendæ poteſt utilius eſſe. Quamobrem Caſuum reſervatorum numerus nequaquam poteſt in Diœceſibus omnibus æqualis eſſe, tamen juxta commune jus, aut potius ſi ſecundum conſuetudinem judicetur, exiſtunt peccata quædam, quæ ab omnibus propemodum Epiſcopis reſervantur, inquit Barboſa, ut homicidium voluntarium, falſum teſtimonium dicere coram Judice, cudere falſos nummos, aut edere falſas ſtateras, falſaſque menſuras, incendium, blaſphæmia publica, verberare ſuos genitores, exercere magicam artem, profanare res ſanctas & ſacras, abortum procurare, infantes exponere, in gradibus vetitis matrimonium contrahere.

G. Fromageau.

CASUS II.

Regulæ ſuper Caſuum reſervatorum abſolutione.

I. NUllus exiſtit Caſus reſervatus in mortis articulo, ut tradit Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *c.* 7. ſcilicet in hoc extremo vitæ diſcrimine quivis Presbyter a reſervatis Caſibus poteſt abſolvere, quin pœnitens (ſi forte convaluerit) ad Superiorem, aut alium Confeſſarium Caſuum reſervatorum facultate inſtructum, teneatur accedere, ut abſolvatur, aut abſolutionis receptæ confirmationem obtineat, juxta diſpoſitionem Juris capite *eos qui de ſent. excomm.* Pœnitens in mortis articulo abſolutus a caſu reſervato, cui annexa fuerit excommunicatio, tenetur priſtinam valetudinem recuperans ſe Superiori ſiſtere, ut ab eo correctionem recipiat, prout ipſi videbitur, aut ſubeat pœnitentiam & ſatisfactionem, quam ipſe eidem imponendam eſſe judicaverit.

Extra mortis, aut urgentis neceſſitatis caſum mittendus eſt ad Superiorem, aut ad aliquem ex ejus delegatis, ut ab excommunicatione liberetur, antequam audiri, & a Caſibus reſervatis, aliiſque peccatis abſolvi poſſit.

II. Abſolutio a Caſibus reſervatis, quam ſimplex Sacerdos pœnitenti animam agenti concedit, valida eſt, etiamſi Parochus, aut aliquis alius Confeſſarius, qui Caſus reſervatos haberet, adeſſet, ſibique hominis jam jam morituri confeſſionem vindicaret; quia in hoc diſcrimine nulla adeſt reſervatio, & omnes Presbyteri æquali abſolvendi poteſtate gaudent; ut propterea morienti liberum ſit eum ſeligere, quem ſibi utiliorem eſſe judicaverit. Et ſane Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *c.* 7. *de Sacr. pœnitent.* confeſſiones in mortis articulo excipiendi poteſtatem; quam cuivis Presbytero concedit, nullis terminis circumſcribit; eam ipſi abſolute concedit, atque utrum Parochus adſit, aut alius Confeſſarius caſus reſervatos poſſidens, non diſtinguit omnino. Eſſet tamen magis æquitati conſonum, moribundum Parocho aut Superiori, ſi adeſſent, confiteri, ut monet Navarrus, & plures alii, quos Barboſa citat ad hunc Concilii locum *n.* 12.

III. Qui Presbytero caſus reſervatos habenti ſua peccata confeſſus eſt, ſi unius aut plurium oblitus fuit, illius, aut illorum, quorum non eſt recordatus, reſervatio ſublata eſt; ita ut hic pœnitens poſſit ſimplici Presbytero approbato confiteri, & abſolvi, ſi ſatis aliunde ſit diſpoſitus, etiamſi prior hujus pœnitentis confeſſio eſſet invalida ob doloris defectum, modo alioquin bona fide facta eſſet.

IV. Cum Presbyter (*b*) exempli gratia celebrare tenetur, & vera ad id neceſſitate adſtringitur, aut cum quis aliquo pariter reſervato Caſu innodatus non poteſt, quin ad communionem accedat, ut magnum ſcandalum, aut infamiam evitet; hoc in caſu ſimplici Presbytero approbato confiteri poteſt, ſi Confeſſarium adire non poſſit, qui reſervatis Caſibus ſit inſtructus.

V. Simplex Presbyter minime debet a peccatis non reſervatis pœnitentem abſolvere, & quoad reſervata eum ad Superiorem remittere; Superior quoque debet reſervationem tollere, quin a peccatis ſolum reſervatis abſolvat, & deinde pœnitentem dimittere debet, qui tunc poteſt tam de reſervatis, quam de non reſervatis peccatis ſimplici Presbytero confiteri.

VI. Pœnitens, qui generalem confeſſionem edit, in qua peccata reſervata habet, a quibus in ſuis peculiaribus confeſſionibus abſolutus fuit, ſimplicem Presbyterum, dummodo cæteroquin ſit approbatus, adire poteſt; etenim ad abſolvendum a peccatis mortalibus, quæ etiam remiſſa creduntur, requiritur approbatio & juriſdictio.

VII. Si quis in peccatum reſervatum labitur, quod bona fide ignorat eſſe reſervatum, atque adeo non putat peccatum eſſe; tunc quemadmodum peccatum omnino non exiſtit, ita ne ulla quidem eſt reſervatio; ut enim peccatum ſit reſervatum, debet eſſe mortale, quod in hac facti ſpecie non ita ſe habet; at ſi cognoſcat in ea re peccatum adeſſe, licet reſervatum eſſe neſciat: tunc quidem pœnitens abſolvi non poteſt niſi a Confeſſario, qui reſervatos caſus obtineat.

VIII. Cum peccatum ibi reſervatum eſt, ubi patratum eſt, non autem ubi bona fide ejus confeſſio fit, ſimplex Presbyter approbatus poteſt abſolvere; cum vero peccatum, ubi admiſſum eſt, non eſt reſervatum, at ubi fit confeſſio, eſt reſervatum, ſimplex Presbyter ab eo nequit abſolvere, ſed Confeſſarius caſibus reſervatis inſtructus eſt adeundus. Hoc nempe diſcrimen intereſt inter reſervationem ex una parte, & excommunicationem, aliamque quamlibet cenſuram ex alia, quod hæc peccato commiſſo annexa eſt, ſtatim atque eſt commiſſum, ita ut illud quocumque comitetur; at reſervatio ſuum effectum non exerit, aut locum non habet niſi abſolutionis tempore; ex quo ſequitur, ut ſi in loco, ubi pœnitens abſolutionem recipit, & quo tempore recipit, peccatum minime reſervatum eſt, licet ubi commiſſum eſt, ſit reſervatum, nulla tamen ſit reſervatio.

IX. Cum peccatum certo reſervatum eſt, at Confeſſarius dubitat ſe abſolvendi poteſtate pollere, pœnitentem ad Superiorem remittere debet, ut confitendi veniam petat & accipiat, ne Sacramenti nullitati ſeſe exponat. Plurium Auctorum ſententia non idem ſentiendum, cum Confeſſario ſuppetit opinio probabilis ſibi adeſſe abſolvendi poteſtatem; exempli cauſa probabile eſt privilegium talis Confeſſarii adhuc durare, aut minime revocatum eſſe; plures cordati Viri ita credunt; inquiunt enim hi Theologi, ad prudens Eccleſiæ regimen ſpectat, nequaquam permittere, in hoc caſu, aliiſque ſimilibus, in quibus Confeſſarius abſolutionem impertiretur, Sacramentum tam ad ſalutem neceſſarium nullum eſſe; qua de cauſa credi poteſt juriſdictionem, quæ in hac facti ſpecie Confeſſario deeſſe poſſet, ab Eccleſia ſuppleri; at ſatius eſſet, Epiſcopum declarare, ſe in hujuſmodi caſibus ſimplici Presbytero a peccatis reſervatis abſolvendi facultatem concedere.

X. Vagantes, Mercatores, Milites, Itinerantes tenentur Caſibus reſervatis Diœceſum, in quibus ſunt.

Deciſum hac die 10. Auguſti an. 1701.

G. Fromageau.

(*a*) Barboſa 3. p. n. 51. de poteſt. Epiſ. Nullos poſſe dari aut tradi certos caſus, in quibus tantum cadat Epiſcoporum reſervatio, ait Navarrus in man. c 27. n. 252. in fine. Id enim pendet ex cognitione ſingularum Diœceſum: Quare ipſi Epiſcopi, conſideratis diligenter ſuarum Provinciarum ac populorum moribus, hujuſmodi reſervationem ad animarum ſalutem facere poterunt. Jure igitur conſuetudinis poſſunt eſſe aliqui caſus Epiſcopo reſervati; quales autem ii ſint, non poteſt certo definiri, ut ſupra dixi. Videntur tamen fere ab Epiſcopis reſervari, I. Homicidium voluntarium, II. falſum teſtimonium, &c.

(*b*) Homobonus pag. 333. 352.

CASUS III.

An Confeſſarius Tironis Religioſi, qui peccata reſervata patravit, quæ ejuſmodi ſunt etiam per Conſtitutiones Ordinis exempti, ubi ille eſt Tiro, accipere debeat facultatem abiis abſolvendi aut a Superiore Regulari hujus Ordinis, aut ab Epiſcopo apud quem hi caſus ſunt reſervati?

QUÆSITUM.

PErſona, quæ in quodam Diœceſi peccata reſervata commiſit, cum Religioſi, aut Religioſæ nomen ſumpſiſſet in Ordine exempto, ubi hæc eadem peccata per Ordinis Conſtitutiones reſervata ſunt, ea confitetur vigilia ſuæ Profeſſionis, aut duobus poſt diebus.

Quæritur, an hujus perſonæ Confeſſarius ab hujus Ordinis exempti Superiore poteſtatem accipere debeat, ut eamdem a caſibus reſervatis poſſit abſolvere, an vero ab Epiſcopo, an denique ab utroque?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, perſonam, quæ peccata in Diœceſi reſervata commiſit, cum Religioſi, aut Religioſæ titulum ſumpſerit in Ordine exempto, ubi eadem peccata ſunt reſervata, poſſe ante aut poſt ſuam profeſſionem ab iis abſolvi, modo Confeſſarius Ordinis ea poteſtate donatus ſit a Superiore Regulari, ad quem ſpectat ejus collatio; ita ut minime neceſſe ſit ad Ordinarium confugere.

Quoad Tirones, conſtat ex privilegiis, quæ Religioſis conceſſa ſunt, quo nomine etiam Religioſæ comprehenduntur, eos a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvi poſſe; ex quo enim Tirones ſunt, Ordinis exempti, in quem ingreſſi ſunt, membra cenſentur, & quod inde ſit conſequens, Ordinis privilegiis gaudere poſſunt; ita ſentit Peyrinis *cap.* 3. *n.* 13. *addit. ad conſt. Sixti IV.* ubi contendit Tironem, etiamſi nondum habitum ſumpſerit, a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvi poſſe: *Tales Novitii, licet nondum habitu Religionis induti, Sæculares tamen non ſunt, ſed Religioſi; ideo cenſeo, quod poſſint abſolvi tanquam Religioſi, id eſt ab omnibus illis caſibus, a quibus poſſunt Religioſi Novitii.* Teſtatur hic Auctor Clementem VIII. hac in re conſultum in hunc modum reſpondiſſe.

Suarez *Tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 24. *n.* 5. citat privilegia per varios Pontifices Religioſis conceſſa, propter quæ Tirones, & qui Religionem ingredi velint, ab omnibus cenſuris abſolvi poſſunt; & Sancti Antonini auctoritatem in medium adducit 3. *p. tit.* 24. ad poſtremi capitis calcem, quem ita ſentire monet. Hujus rei univerſim ratio ea eſt, quam affert Suarez loco laudato *c.* 17. *n.* 5. quod Tiro domicilium mutans evadit ſubditus, & eſt ſub Religionis juriſdictione, præſertim cum in eam ingreſſus eſt; etenim Religio, cui Pontifex exemptionem concedit, & cujus Superioribus ſuam in hujuſmodi caſibus poteſtatem impertitur, non Religioſis tantum Profeſſis, ſed etiam Tironibus conſtat; quia utrique ejuſdem Superioris generalis obedientiæ ſubduntur; & ſane Tiro cæteris Religionis privilegiis quoad exteriores effectus gaudet; ex quo fit, ut iis quoque, quæ ad forum interius ſpectant, gaudere debeat: *Quia Novitius*, inquit Suarez, *gaudet non ſolum privilegio canonis, ſed etiam fori, & propriæ exemptionis Religionis, quoad alios actus Religionis, ergo etiam a majore ratione, quoad juriſdictionem fori pœnitentiæ.*

Hæc eſt communis ſententia Pelizarii *tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 2. *quæſt.* 21. Uno verbo idem eſt, ac dum qui caſum reſervatum habet, Diœceſim mutat, ubi pariter reſervatus eſt caſus; ſatis nimirum eſt ad obtinendam abſolutionem, ut ad Confeſſarium caſibus reſervatis pollentem ſe conferat.

Quod autem de Tironibus dictum eſt, idem potiore jure ad Religioſos aut Religioſas transferri poteſt, qui vel ante ſuſceptam Religionem, vel émiſſa jam Profeſſione in caſus Epiſcopo reſervatos inciderint. Hæc Auctorum, quos ſupra laudavimus, aſſertio eſt; videri poteſt Pelizarius *tom.* 2. *tract.* 10. *c.* 9. *q.* 15. *nn.* 24. & 26. qui ait Religioſas in ejuſmodi caſibus debere a ſuis Confeſſariis Caſuum reſervatorum abſolutionem accipere, qua ratione Religioſi ob ſua privilegia eamdem accipiunt, ſi illæ exemptæ ſint.

Deciſum hac die 22. Maii an. 1698.

G. *Fromageau*.

CATHOLICUS.

Catholicus Hæretico ſervitium præſtans.

1 *Catholicus apud Hæreticum degens, nihil Religioni, quam profitetur, repugnans agere poteſt.*

2 *Non ſunt audiendi Theologi, qui hunc Catholicum purgare contendunt.*

QUÆSITUM.

ADoleſcens Domeſtici titulo degit apud hominem Religionis, ut dicitur, reformatæ, qui nec jejunia nec abſtinentias obſervat, quæ in Eccleſia Catholica in uſu ſunt. Hic Herus Calviniſta ſuo Famulo præcipit, ut ſibi carnem paret iis diebus, quibus ejus uſus vetitus eſt. Quæritur, an hic Domeſticus in hac facti ſpecie ſuo Domino parere poſſit, quin ullum peccatum committat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Catholicum Hæretico deſervientem non poſſe tuta conſcientia diebus, quibus jejunia & abſtinentiæ præſcribuntur, Domino ſuo carnem apponere; hic enim Hæreticus utpote Eccleſiæ Legibus per ſuum Baptiſma ſubjectus ea deridere non poteſt, quin coram Deo crimini ſit obnoxius, & Catholicus non poteſt ei ſuum Miniſterium obſtringere, quia cooperaretur, & conſentiret malo, & proinde in damnationem incideret, quam Divus Paulus pronunciat capite primo Epiſtolæ ad Romanos non ſolum in eos, qui crimina perpetrant, ſed in eos quoque, qui iiſdem conſentiunt: *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Non poteſt hic ſervus ab hac ſe damnatione tueri, quoniam carnem miniſtrans actioni deſervit, qua lex contemnitur & violatur; atque ita hujus violationis, hujuſque contemptus eſt complex. Ille quidem nequit ulla cum veriſimilitudine dicere ſe Domini ſui peccato non aſſentiri, & ſe potius omnia perpeſſurum, quam Eccleſiæ conſtitutiones ſuper uſu carnium editas violet, quoniam in comperto eſt eum ſui Domini juſſis parere, ac probe noſſe juſſionem hanc peccatum eſſe, & ab Eccleſiaſtici præcepti contemptu ſejungi non poſſe; atque ita ſervitium, quod ille Domino ſuo exhibet, in ejus peccatum conſenſio eſt. Idem ſentiebat Tertullianus, dum Chriſtianos damnabat, qui Idola ſtruebant, & ſe excuſabant, quod ipſi ea minime colerent. Eſt id in Libro, quem de Idololatria concinnavit, cap. 6. *Facio*, ait quidam, *ſed non colo, quaſi ob aliquam cauſam colere non audeat, niſi ob quam facere non debeat..... immo tu colis*, reſpondet hic ſapiens Vir, *qui facis, ut coli poſſint*. Idem jure huic Servo Catholico dici poteſt, ac de eo ſtatui Eccleſiæ Leges ab ipſo contemptas fuiſſe, dum carnes ſuo Domino appoſuit, per quas ſciebat eum velle Leges ipſas contemnere.

At ſi illud reputetur, contemptum, quem Dominus perpetrat, Eccleſiaſtici præcepti niti tanquam fundamento hæreſis, quam profitetur, crimine, atque hunc contemptum hac quoque circumſtantia graviorem effici; facile licebit intelligi Catholicum, quicumque tandem fuerit, qui huic actioni operam

operam ſuam præſtiterit ; multo gravius peccatum, quam ſi pararet, aut parandas curaret carnes ſuæ Religionis hominibus, quos ſciret iis veſci diebus vetitis ſolum ut gulæ indulgeant, at profiteri tamen Eccleſiam poteſtate gaudere jejuniorum & abſtinentiarum dies inſtituendi.

Animadvertitur tamen non deeſſe Theologos minus hac in re ſevere ſentientes, qui Dominum vituperantes non audeant famulum ejus juſſa facientem damnare, & præciſione, quæ Metaphyſicam magis, quam Moralem Chriſtianam ſapit, actionem a circumſtantia ſecernentes imaginentur ſervum poſſe parere juſſioni, quæ in eo, qui eam imponit, crimino ſa eſſet ob circumſtantias, quæ actionem impoſitam comitantur, & obedientiam, quam famulus exhiberet, maxime innoxiam fore, quia res ipſa per ſe non eſt mala; verum quoniam carnis uſus culpa vacat, ſi generatim ſpectetur, non eſſet ille magis in Calviniſta quam in Catholico vituperandus, ſi ſejungatur, ſecernaturque ab omnibus circumſtantiis; quia nulla Lege prohibetur in hac univerſalitate ſpectatus. Quamobrem cum Eccleſiæ eum prohibentis Conſtitutio ad certos tantum dies certumque tempus referatur, malus proinde non eſt niſi in his circumſtantiis ſeu quoad Catholicum, ſeu quoad Hæreticum; at multo deterior eſt in poſteriore propter ejus hæreſim; & nunquam licet aſſenſum præbere violationi, quæ patratur, ejus regulæ, quam Eccleſia conſtituit, ut nempe a carne certis diebus abſtineatur, propterea quod quicquid Eccleſiæ Legi non eſt conforme, malum eſt.

Poſito hoc principio, quod eſt prorſus indubitatum, nemo dubitare poteſt, quin nunquam liceat ei operam exhibere, quem conſtat Eccleſiæ Legem violare velle; & quin contra Legem peccet, qui petenti ſuam præſtaret operam de pravo ejuſdem conſilio certus. Si ergo famulus, cui juberet Hæreticus, ut ſibi Quadrageſimali tempore carnem apponeret, de Domini ſui mala voluntate dubitare non poteſt; nonne ipſe verſatur in circumſtantiis, in quibus eidem non licet ſui Domini mandata facere? quia *melius eſt obedire Deo quam hominibus*; nonne videt ſe non poſſe, quin Eccleſiæ obtemperet, ſi Jeſu Chriſti præcepto vult ſatisfacere? Exiſtit igitur in Legis circumſtantiis: quid porro ei prodeſt ad uſum carnis generatim ſpectatum confugere, quoniam in peculiari facti ſpecie verſatur? Facultas Theologiæ Pariſienſis rejecit ipſa quoque has detorſiones, quæ nonniſi ad homines ingenioſius perdendos accommodatæ ſunt. Ita ſtatuit in judicio, quod protulit ſuper Libro Amedei Guimenii die 3. Februarii an. 1665.

Deciſum Pariſiis hac die.....
G. *Fromageau*.

CENSURA.

Cenſura eſt pœna Eccleſiaſtica, per quam Chriſtiani propter aliquam notoriam culpam privantur ſpiritualibus bonis, quæ aliis Fidelibus Eccleſia communicat; ſed Eccleſia hæc cenſuras hujuſmodi non infligit niſi ob peccata exteriora, gravia, & ſcandaloſa; quia cum ſint pœnæ publicæ, & ad reparanda ſcandala, tuendamque exteriorem Eccleſiæ diſciplinam inſtitutæ, contra peccata interna infligi nequeunt, quoniam ea nonniſi Deo nota ſunt; nec vero expedit eas impendi adverſus peccata, quæ cum levia ſint, aut peculiaria, proinde nec ſcandalo eſſe, neque exteriorem Eccleſiæ diſciplinam turbare poſſunt. Ad ſubeundam porro cenſuram non ſufficit verbis aut aliis exterioribus ſignis patefactam eſſe voluntatem ejus patrandi criminis, propter quod ea inſtituta eſt; verum conſummata ſit neceſſe eſt eadem actio, quæ cenſuræ ſubjecta eſt; exempli cauſa ſi adverſus eos, qui ſingularis certaminis provocationem deferunt, ſtatuta cenſura eſt, non incurritur, niſi ea reipſa delata fuerit.

Jeſus Chriſtus ipſe cenſuras indicendi facultatem Eccleſiæ conceſſit, cum ita ſuos Apoſtolos eam exhibentes allocutus eſt: *quæcumque ligaveritis ſuper terram* &c. Ea vero ab Apoſtolicis temporibus ad noſtra uſque facultate ſibi tradita uſa eſt, ut ex Divi Pauli Epiſtolis intelligimus, ubi ipſe ſeveram, qua in corrigendo Corinthio inceſtuoſo uſus eſt, rationem commemorat, ex Patrum itidem ſcriptis, omniumque ad noſtrum uſque ſæculum Conciliorum Canonibus. Papa itaque, & Epiſcopi in locis ab ipſorum auctoritate pendentibus cenſuras infligendi poteſtate pollent, utpote ſucceſſores Apoſtolorum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ Depoſitarii, in quorum perſona Dominus Noſter hanc poteſtatem Eccleſiæ contulit; atque ita ii tantum, quibuscum Papa, & Epiſcopi expreſſa commiſſione eamdem poteſtatem communicant, ea uti poſſunt; verum Eccleſia in eos tantum poteſt animadvertere, qui ei per Baptiſma ſubjecti pubertatis aut rationis ætatem attigerint; nec cenſuris utitur adverſus eos, qui nondum ad ætatem hanc pervenerunt, quia nondum ii ſatis intellectionis habent, ut hujus pœnæ magnitudinem concipiant, perpendantque. Ratio, qua ea utitur in cenſuris, eadem eſt ac quæ ſervatur aut in ſententia judiciaria, in qua exprimitur Rei nomen, ejus crimen, & pœna, ad quam damnatur; aut in Edicto, quo publici boni gratia certis quibuſdam pœnis, quæ in eo deſignantur, addicuntur actiones aliquæ, quæ ad reipublicæ excidium, aut privatorum incommodum tendunt. Et cenſurarum quidem uſus eſt neceſſarius, quia Chriſtifidelium plerique non ita perfecti, neque ita dociles ſunt, ut pietatis tantum cauſa, & Deo diſplicendi formidine in officio contineri poſſint; eorum multi imperfecti ſunt & imbecilles, qui proinde per has exteriores pœnas coercendi ſunt; alioquin diſciplinam, quamcumque Eccleſiæ ſapientia ad Fidelium ſalutem adhiberet, contempturi. Quamobrem Tridentina Synodus vocat cenſuras Diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervos (*a*). Eccleſia quippe iis utitur, cum monitiones, preces, aliæque rationes omnes, quæ ad corrigendos peccatores charitati præſto eſſe poſſunt, inutiles fuerint.

Cenſuræ dividuntur, I. in eas, quæ dicuntur *a jure*, & in eas, quæ *ab homine*. II. in eas, quæ nuncupantur *latæ ſententiæ*, & in eas, quæ *ferendæ ſententiæ*, nempe comminatorias; III. in juſtas, & injuſtas; IV. in validas, & invalidas; V. in reſervatas, & non reſervatas.

Cenſura *a jure* ea eſt, quam Leges a Superioribus editæ inſtituunt adverſus deordinationem aliquam, aut ſcandaloſam aliquam culpam, ita ut eos omnes, qui id culpæ patraverint, quamdiu quidem Lex viget, complectatur.

Cenſura *ab homine* ea eſt, quam Superior infligit cum aliqua peculiari circumſtantia temporis, loci, actionis, & perſonæ; ita ut ea nonniſi quoad hanc peculiarem actionem, & in hoc caſu locum habeat. Cenſura hæc duorum generum eſt; alia ſpectat peccata præterita, quæ aliqua cenſura puniuntur; alia prohibet, ne qua mala actio fiat ſub cenſuræ *ipſo facto* ſubeundæ pœna; eſt autem duplex diſcri-

(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 25. de reform. c. 3.

diſcrimen inter hoc poſtremum genus cenſuræ *ab homine*, & cenſuræ *a jure*; primum eſt has cenſuras *ab homine* nonniſi ad ſingulares & determinatas perſonas referri, ut cum, ſi magna adſit ſuſpicio duarum perſonarum converſationem malam eſſe, Epiſcopus eamdem prohibet ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*; cum contra cenſuræ a jure ſpectent indeterminate perſonas, quæ hoc illudve commiſerint. Alterum eſt in poſterioris generis cenſuras *ab homine* non incurri, niſi vivente Superiore fiat id, quod ipſe ſub hac pœna prohibuit, & omnino non incurri, ſi nonniſi poſt ejus mortem fiat, cum e converſo in cenſuras *a jure* incidatur, quamdiu Leges ſubſiſtunt.

Statuunt Canones, ut Superiores in infligenda cenſura peculiares formulas ſervent; ut eam præcedat triplex monitio trium dierum intervallo, aut breviore diſtincta, ſi negotium celeritatem requirat, facta perſonæ, contra quam ea ferenda eſt coram duobus teſtibus, qui citationem ſubſcribent; atque ut hæc cenſura feratur ſcripto, quod ejus cauſam & rationem contineat.

Latæ ſententiæ cenſuræ ſunt illæ, in quas inciditur, ſtatim ac vetita actio commiſſa eſt, quin alia ſententia opus ſit; & cenſuræ *ferendæ ſententiæ* ſunt eæ, quibus eſt dignus, quicumque peccatum, adverſus quod ſunt inſtitutæ, patravit; ita ut ſuperior vi hujus Legis abſque alia monitione jure gaudeat imponendi hanc pœnam, cui tamen ille ante ejus judicium ſubjectus non eſt. Dignoſcuntur autem cenſuræ *latæ aut ferendæ ſententiæ* ex verbis, quibus conceptæ ſunt. Si enim ea ſit expreſſa per hæc *ipſo jure*, *ipſo facto*, aut *quin alia declaratione opus ſit*, aut hac ratione loquendi præſenti tempore, *Excomunico*, *ſuſpendo*, *interdico*, *ſis anathema*, *ſis excommunicatus*, aliiſque ſimilibus, eſt hæc cenſura *latæ ſententiæ*. Quod ſi expreſſa ſit hac alia ratione, *ſub pœna excommunicationis*, *ſuſpenſionis*, aut *interdicti* ſolummodo, aut verbis futuri temporis, *excommunicabitur*, *ſuſpendetur*, *ab ingreſſu Eccleſiæ arcebitur*, eſt ea cenſura comminatoria, aut *ferendæ ſententiæ*.

Appellatur cenſura juſta, quæ eſt ſecundum Leges, formaſque legitimas; injuſta, quæ his conditionibus caret.

Cenſura valida illa eſt quæ ab eo lata eſt, qui ejus ferendæ auctoritatem & poteſtatem habet, & in qua eſſentiales formulæ ſervatæ ſunt. Invalida eſt ea, quæ a perſona ejuſmodi auctoritatem non habente lata eſt, aut quæ eſſentiales formas non ſervavit.

Denique reſervatæ ſunt eæ, a quibus ſolus Superior, ejuſve Succeſſor, aut is, cui ipſe facultatem contulit, poſſunt abſolvere; & non reſervatæ ſunt, a quibus quilibet Presbyter approbatus abſolvere poteſt. Itaque Superior Eccleſiaſticus, qui cenſuras inflixit, & qui ab eo tali poteſtate donatus eſt, ejuſque ſucceſſor poſſunt a primi generis cenſuris abſolvere. Ab iis autem, quæ a Canonibus inſtitutæ ſunt, quivis Presbyter approbatus abſolvere poteſt, niſi eæ ſint a Legibus, aut a Superioribus reſervatæ. At in gravi mortis periculo, niſi Superior adiri poſſit, quivis Presbyter ab omnibus cenſuris abſolvere poteſt; ut ex Tridentina Synodo compertum ſit (*a*). Cavere quiſque debet, ne ipſe per ſe de alicujus cenſuræ injuſtitia pronunciet, & vereatur neceſſe eſt, ne in re tanti momenti decipiatur; ac ſi forte eſſet, cur crederetur, rationem, qua ſe geſſit Superior, non ſatis juſtitiæ congruere, nullum tamen conſilium niſi de Virorum pietate præſtantium, & Eccleſiæ doctrinam probe callentium, & partium ſtudii prorſus expertium ſententia capiendum eſſet; & ni hi Viri ſententiam injuſtam detexerint, Superiori parendum eſt, & id omne faciendum, quod ille e re eſſe judicaverit, ut abſolutio obtineatur, quin ad appellationem, quæ novum tantum ſcandalum ob inobedientiæ pravum exemplum afferre poteſt, confugiatur.

Si quis a cenſura abſolutis terminis concepta appellaverit, ei ſe interim ſubdat neceſſe eſt; propterea quod appellatio juxta ſanctos Canones id unum habet, ut juſtitiæ aut injuſtitiæ latæ cenſuræ cognitionem ad Superiorem Judicem transferat, nec vero cenſuram tollit, aut ſuſpendit, atque ita ei ſtandum eſt; aliter in pœnas iis impoſitas, qui cenſuras violant, incideretur. Rationes, ob quas appellatio cenſurarum definitivarum & abſolutarum effectum nequaquam ſuſpendit, ſunt, I. quia appellatio nihil eſt aliud, quam querimonia perſonæ damnatæ, quæ ipſa ſe ſolvere nequit, ſed tantum ſolutionem petere poteſt; quod appellatio præſtare non poteſt. II. quia cum cenſuræ nonniſi ad diſciplinam reorum punitione ſartam tectamque ſervandam ſint inſtitutæ, ſi earum effectus appellatione ſuſpenderetur, diſciplina ipſa peſſum iret, & delinquentes de ſuis criminibus triumphum canerent, quorum punitionem hac ratione facile devitarent. Hac de cauſa Tridentina Synodus, cum de Eccleſiaſtica diſciplina, & morum correctione agit, monet appellationis effectum devolutivum tantum eſſe, non autem ſuſpenſivum, ita ut non tendat ad vitium impune reddendum, ſed tantum ad impediendum, ne innocentia opprimatur.

Licet cenſura injuſta perſonæ, contra quam lata eſt, conſcientiam non liget, hæc tamen perſona ſemper quoad forum externum debet ita ſe gerere, ac ſi re ipſa ligata eſſet, quoad Superior, ad quem appellavit, cenſuram nullam eſſe declaraverit, quia in quibuſdam caſibus minus malum eſt privatam perſonam errore Judicis immerito pœnam pati, quam ſinere Juſtitiæ ordinem atque Eccleſiæ auctoritatem ruere, atque inverti. Poteſt tamen contingere cenſuram adeo notorie nullam & abuſivam eſſe, ut ejus ſubeundæ nulla ſit obligatio etiam quoad forum externum, ut ex pluribus canonici Juris locis apparet; at hæc nullitas omnino notoria ſit neceſſe eſt.

Sunt, qui ſe abſolvendos curent ad cautelam, ut appellatione pendente poſſint perinde ſe gerere, ac ſi nulla cenſura irretiti eſſent. Sed hujuſmodi abſolutionis in antiquis noviſque Canonibus nullum veſtigium occurrit, cujuſmodi quidem noſtris temporibus in Tribunalibus Eccleſiaſticis in uſu eſt, in quibus confertur *in limine litis*, abſque ulla cauſæ cognitione, abſque ulla difficultate, & partibus non auditis. Omnes hæ abſolutiones *ad cautelam*, de quibus in Decretalibus ſermo eſt, ſupponunt e converſo cognitionem & diſcuſſionem ſaltem ſummariam cauſæ, de qua agitur; neque vero mirandum eſt, tam frequenter in iis ejuſmodi abſolutiones occurrere, quoniam harum Decretalium tempore cum Judices Eccleſiaſticii de omnibus fere negotiis, & imprimis de Contractuum executione cognoſcendi facultatem ſibi vindicaſſent propter jusjurandum iiſdem annexum, frequentiſſimæ proinde erant excommunicationes, & fere non aliud erant quam litis acceſſorium veluti quoddam, ita ut cum plerum-

(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 7.

plerumque non ageretur niſi de aliquibus juribus non exploratis, aut de alicujus ſummæ ſolutione, aut de præſtanda alicui contractui ſatisfactione, quibus non factis excommunicatio lata erat; Superior, ad quem cauſa per appellationem delata erat, poſt quamcumque litigii cognitionem, haud ægre tollebat *ad cautelam* excommunicationem, pendente inſtructione litis apud principalem, ac ſi conſtabat appellantem levi fundamento niti, ei ad ſatisfaciendum prorogatio concedebatur, qua non præſtita iterum communione privatus erat.

Verum quoniam his temporibus cenſuras, & præſertim excommunicationem non infligit Eccleſia, niſi ut diſciplinæ priſtinam dignitatem ſervet, optatque, ut omnes cautiones & formulæ, quas præſcripſit, adhibeantur, quo ejus filii, qui aberrant, in viam redire poſſint; penitus everteretur hæc diſciplina, ſacra Eccleſiaſticorum Miniſtrorum auctoritas aboleretur, & vitio impunitas concederetur, ſi abſolutioni *ad cautelam*, quæ in præſens in uſu eſt, & quæ fere quædam tantum formula eſt, alius adſcriberetur effectus, quam ut iis, quibus illa conceſſa eſt, facultatem afferret ſe coram Judice defendendi; quemadmodum Rex declaravit ad poſtulationem Synodi generalis Cleri Gallicani, in Declaratione ſuæ Majeſtatis Aprilis Menſe an. 1666.

Numerantur tres cenſurarum ſpecies, Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. Nos de ſingulis hiſce ſpeciebus dicemus locis ſuis, pro Caſuum ratione, qui diſputationis argumentum conſtituent.

Vide (EXCOMMUNICATIO.
(SUSPENSIO.
(INTERDICTUM.
(IRREGULARITAS.

Cenſura, quæ contra Parochum ferri poteſt.

C A S U S I.

1 *Parochus, qui matrimonii Sacramentum adminiſtrare ſolet, abſque venia Epiſcopi, & Parochorum, qui iis præſunt, quos matrimonio jungit, incidit in ſuſpenſionem, quam Tridentina Synodus adverſus hunc abuſum pronunciat, & deinde in irregularitatem, dum ſacrum facit, poſtquam ita matrimonia contraxit.*

2 *Excuſari nec poteſt nec debet hic Presbyter ob ignorantiam, quam allegat, a cenſuris, quæ his erratis conjunctæ ſunt. Neque enim ignorare debet, quod ad ſui ſtatus officia & functiones ſpectat.*

3 *Puniendus eſt in Curia pro horum erratorum ratione.*

QUÆSITUM.

Est in Diœceſi N . . . . . Parochus, qui plura matrimonia in Diœceſi abſque Parochorum conſenſu celebravit; atque adeo non deeſt, qui teſtetur ſe ab eo matrimonio junctum eſſe, quamvis eidem dixerit ejus proprium Parochum ipſius matrimonio repugnare. Senatus M . . . . . Curiali commiſit, ut de hoc Presbytero judicaret, quia propter bellum non licet ad Metropolim confugere. Nos ipſi convenimus de hoc Parocho juxta Reſcriptum judicaturi. Plerique ſunt opinati eum incurriſſe ſuſpenſionem a Tridentina Synodo declaratam, & quia hoc in ſtatu ſuas functiones exercuit, in irregularitatem incidiſſe, cujus pœna eſt Beneficii privatio. Quia tamen ille annos 65. natus eſt, & ne quindecim aureorum nummorum ejus Parochiæ reditus eſt, imminuta eſt pœna, & tantum irregularis declaratus eſt, adeundæque Romanæ Curiæ obligationi adſtrictus; eique, ſiquidem pœna liberaretur, Beneficium ſervatum eſt. Quod autem quidam ſignificavit ſentire Theologos plures ignorantiam vel craſſam impedimento eſſe poſſe quin ſuſpenſio ſubeatur, atque hunc Parochum ſuper hac re interrogatum reſpondiſſe ſe quidem ſcire non licere abſque Parochorum conſenſu matrimonia adminiſtrari, at neſcire id ſuſpenſionis pœna vetitum eſſe; haud viſum eſt judicium temere proferendum, præſertim cum Sanchez *l.* 3. *de matrim. diſp.* 48. Parochis ignorantibus favere videatur; & Bonacina pronunciet non ſolum ignorantiam juris & facti, ſed etiam ignorantiam pœnæ excuſare poſſe.

R e s p o n s i o.

Equidem haud puto hunc Eccleſiaſticum, cujus cenſura a veſtro Conſilio remiſſa eſt, poſſe ſe tueri in foro externo a ſuſpenſione lata in capite primo *Seſſ.* 24. *de Reform.* Tridentini Concilii, & quod inde conſequitur, ab irregularitate propter exercitium ſuorum Ordinum, poſtquam ſuſpenſus eſt; quicquid autem ait Sanchez, de interno tantum foro accipiendum eſt, in quo quidem verbis hominis ſe ipſum accuſantis acquieſcitur; quod in foro exteriore in uſu non eſt. Et quoniam in hac facti ſpecie conſtat Bonifacium VIII. cap. *Ut animarum in* 6. *de conſtitution.* loqui tantummodo de Epiſcoporum peculiarium Statutis, quorum ignorantia, modo non ſit ex earum genere, quæ craſſæ dicuntur, in tuto ponit ab obligatione, quæ in iis continetur; ignorantiæ privilegium non eſt longius extendendum, nec trahendum uſque ad Regulas, quæ juris communis ſunt, quia ea nunquam a Judicibus præſumpta eſt, præſertim in iis, qui Legem ſcire tenentur. Ita animadvertit Gloſſa ad hoc caput, *ut animarum* explicans vocabulum *Statuta*: *de generalibus ergo Statutis*, inquit illa, *Canonum vel Legem non loquitur, quæ ab omnibus ſciri & cuſtodiri debent*. Quamobrem Lopex: *Salſedo practicæ criminalis Canonicæ*, cap. 73. *quæ licet a juris communis cenſuris nulla ignorantia excuſet, tamen ab aliorum Prælatorum inferiorum excuſat, dummodo craſſa & ſupina non fuerit*. Itaque nunquam auditur accuſatus, qui ſe tueri vult prætextu ignorantiæ ejus rei, quam ſcire tenetur; quia ſi hæc excuſatio acciperetur, fere omnes diſciplinæ ſeveritatem effugerent, & inutile redderent, quicquid ad eam tuendam conſilii cepit Eccleſia; illudque animadverſione dignum eſt, peculiaria quoque Epiſcoporum Statuta tanti fieri, ut qui ea violaverint, & qui ſibi volunt ab ignorantia præſidium quærere, teneantur oſtendere eam affectatam craſſamque non eſſe, quippe quæ excluditur cap. *Ut animarum*, cujus hæc verba ſunt: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum perlatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen ignorantia craſſa non fuerit*. Et quia ſtatui omnino non poteſt diſcrimen eorum, quos ignorantia craſſa tenebit, & aliorum, qui eam hoc velo tegere vellent, quia, qui Legem ſciviſſet, dicere poſſet in ejus ignoratione ſe eſſe verſatum; ideo is ad probationem deveniat neceſſe eſt, oſtendatque ſe ignorare potuiſſe alia ignorantia, quam quæ a Decretali Bonifacii VIII. rejecta eſt. Quod in cauſa fuit, ut Gloſſa ad hoc caput explicans vocabulum *Supina* pronunciaret: *Statutum Epiſcopi jus facit inter Subditos, quod tamen non ligat probabiliter ignorantes*; quod cognoſci non poteſt niſi ex probatione, quam accuſatus affert, atque ex examine, quod ejus Judex inſtituit. Quocirca facta hypotheſi hunc Eccleſiaſticum de facto confiteri, atque adeo non ignoraſſe de Lege, quæ prohibet, ne quis Presbyter quemcumque matrimonio jungat, partium Parocho aut Epiſcopo non permittentibus; equidem perſuaſum habeo hunc in foro exteriore ſpectandum eſſe tanquam

Su-

Suſpenſione a Concilio impoſita innodatum, & cum hoc in ſtatu celebraverit, irregularem eſſe, & debere pœnis addici, quas adverſus ejuſmodi crimina canones ſtatuunt.

Deciſum in Sorbona hac die 20. Auguſti anno 1678.
A. *de Lamet*.

Cenſura ab homine.

CASUS II.

1 *Cenſura ab homine non ſemper durat*.
2 *Presbyter ſuſpenſus poteſt matrimonium celebrare*.

QUÆSITUM.

Domini Sorbonæ Doctores rogantur humillime, ut velint decidere, ſcilicet;

I. An Presbyter Parochus, adverſus quem Judex Eccleſiaſticus *per invidiam* ſuſpenſionis & interdicti ad annum Sententiam pronunciavit, quique per annos prope duos eamdem pertulit, propterea quod appellavit, ſuamque appellationem detulit ad Metropolitanum; poſt ejuſdem Miniſtri mortem poſſit necne ſuas functiones Sacerdotales & Curiales obire, cum plures Doctores Canoniſtæ ita ſentiant? *Cenſura ab homine eſt, quæ per judicis ſententiam infligitur, cum intentione ferendi præceptum temporale & tranſitorium. Unde hoc inter Cenſuras a jure & ab homine præcipuum diſcrimen eſt, quod cenſura ab homine lata ceſſat mortuo conditore; cenſura vero a jure durat adhuc eo extincto, ſententia autem ab homine lata cum ejus morte ipſa tollitur, ut ſi Judex moriatur, qui tulit ſententiam*.

II. Præterea an Parochus ab Officio ſolum Sacerdotali ſuſpenſus poſſit matrimonium adminiſtrare, an vero cum adminiſtratum ſit, confirmari debeat?

III. An hic idem Parochus poſſit Fidelibus ſibi ſubditis Paſchali tempore permiſſiones concedere ad Parochias confeſſionis & communionis gratia ſe conferendi: *quia ſuſpenſus ab ordine non ob id ſuſpenſus eſt a juriſdictione*.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem, & in ea contentas quæſtiones vidit, exiſtimat,

Quoad primam, ſuſpenſionem, de qua quæritur, coram Deo nullam eſſe ſi re ipſa verum ſit eam *per invidiam* & ſine cauſa legitima latam eſſe; at *per invidiam* quidem, juſtoque interim titulo ferri potuiſſet, atque hoc in caſu eadem ſuſpenſio, licet illicite lata, valida eſſet.

Si ergo ponatur ſuſpenſionem hanc validam eſſe; cum ea lata fuerit ad annum, abſque clauſula, Presbyter, de quo quæritur, non amplius ſuſpenſus cenſetur, ſtatim atque eidem ſuſpenſioni biennii ſpatio ſubjectus jacuit; parum refert ſcire, qua de cauſa ei ſubjectus jacuerit, aut eam injuſtam credens appellet necne, ſatis eſt eum ſui Superioris ſententiæ ſatisfeciſſe, qua abſolute & ſine conditione ad annum ſuſpenſus fuit.

Suſpenſio porro per ipſius Judicis, a quo lata eſt, mortem nequaquam ceſſavit, nec proinde dictus Presbyter ab ea liberatus eſt; eſt enim doctrina vulgo recepta, cenſuram, quæ in rem judicatam abiit, & quæ ſuum effectum ſortita eſt, ſimul atque inflicta fuit, nequaquam ceſſare *morte ferentis c.* 40. *ſi Epiſcopus* 11. *q.* 3. *cap. Paſtoralis* §. *Præterea de off. Jud. ordin.* Cenſura *ab homine* convenit hoc in capite cum cenſura *a jure*, cujus effectus ſemper durat, donec per abſolutionem, aut per Judicis appellationis ſententiam ſit liberatus.

Cum Canoniſtæ dicunt cenſuram *per ſententiam ab homine* terminari morte ferentis, loquuntur, aut accipiendi ſunt de cenſura, quæ ſub conditione lata eſt, & quæ peculiare Superioris præceptum includit; exempli cauſa cum quis excommunicatus eſt ea conditione, niſi intra menſem reſtituat; quoad enim conditio impleta non eſt, cenſura non cenſetur locum habere, ſed eſt *in pendenti*; ita ut cum eadem conditio eſt impleta, Judex tunc cenſeatur agere cum fictione, & vi ſui præcepti ſubſiſtentis, quod cenſuram infligit; e converſo cum dictus Judex moritur, antequam conditio per ejus Præceptum impoſita compleatur, non amplius cenſuræ locus eſt; quia Præceptum ceſſat per ejus mortem, qui illud edidit, cum res integra eſt *c. Relatum c. Licet* & *c. Gratum de off. deleg.* Jam vero conditione nondum impleta, res in integro eſſe cenſetur.

Uno verbo cenſura *ab homine conditionata*, & quæ Superioris Præceptum continet, per mortem ceſſat, non autem cenſura abſolute lata, & quæ tanquam res omnino judicata ſpectari poteſt. Videri poteſt Suarez in hac difficultate *tom.* 5. *diſp.* 3. *ſect.* 4. *n.* 10. Jam vero Canoniſtarum doctrina, de qua in expoſitione dictum eſt, ad hanc facti ſpeciem accommodari non poteſt; quia non de cenſura conditionata agitur, ſed de abſoluta.

Quoad alteram, cum minime neceſſe ſit Parochum eſſe Presbyterum, ut matrimonium adminiſtret, conſequitur, ut videtur, hoc matrimonium validum eſſe, licet idem Parochus ab Officio Sacerdotali ſuſpenſus ſit; idque eo magis, quod Presbyter proprie non eſt Sacramenti Matrimonii Miniſter; poſſunt in hac re conſuli Auctores, inter alios Sanchez *l.* 3. *d.* 21. *de matrim.* Bonacina *diſp.* 2. *punct.* 8. *n.* 20. & 24. *de matrim.*

Quoad tertiam, Parochus, de quo agitur, ab Officio Sacerdotali ſuſpenſus permiſſiones, de quibus in hac interrogatione ſermo eſt, concedere poteſt, propter rationem, quæ ibi allata eſt, quamvis ipſe per ſe juriſdictionem hanc, quam confert, exercere non poſſet; eam quippe exercere ille non poteſt, quia hoc in caſu inſeparabilis eſt a functione Ordinis, a qua ſuſpenſus eſſe ſupponitur; ita Sairus *l.* 4. *c.* 3. *n.* 19. & *c.* 4. *n.* 6. & ſeqq.

Deciſum in Sorbona hac die 17. Aprilis an. 1695.
G. *Fromageau*.

Cenſura lata viva voce.

CASUS III.

Suſpenſio conditionata, licet lata ſolum viva voce, & non ſignificata in diſciplinæ & correctionis morum negotio valida eſt, æque atque excommunicatio contra alias perſonas.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Vicarius Generalis ita Parochum alloquens in ſua Parœcia publico in loco, & pronuncians id, quod ſequitur, viva ſolum voce, & non ſcripto loquens hoc titulo, & hac ratione cum magna auctoritate poſſit cenſuram validam reddere? Nimirum hujus Parochi ſubditi cum ipſo tum civili tum criminali cauſa contendunt, atque initi ſunt, ut cauſa cadant; in ſuum Parochum odio permoti Vicarium Generalem rogant, ut jubeat Parochi Ancillam diſcedere ob ejus auctoritatem, quia, inquiunt, illa mutuarum Parochum inter & ipſos litium cauſa eſt; ad hanc ſimplicem poſtulationem Vicarius Generalis loquitur in hunc modum: Paroche, titulo Vicarii Generalis Illuſtriſſimi Archiepiſcopi N. ego tibi præcipio, ut Ancillam tuam domo arceas intra dies quindecim, ſub pœna ſuſpenſionis ab omnibus functionibus Eccleſiaſticis *ipſo facto*, niſi id hoc temporis ſpatio præſtiteris; & vobis, Incolæ, poſt id temporis expellendæ Ancillæ veniam do; & tibi Domine Vicarie prohibeo, ne coram eo Miſſam celebres; & tibi, ad Ancillam inquit, o bona Fœmina, jubeo, ut a Parocho recedas intra dies quindecim, poſt quos, ſi remanſeris, te excommunicatam declaro. Hanc ille ſuppoſitam excommunicationem equo inſidens pronunciavit; atque equo pariter inſidens Parocho dixit ſe perfecturum, ut hoc Mandatum intra horas viginti quatuor ei ſignificaretur; quod ipſe quidem, ut videtur, facere noluit;

luit; nihil enim ad Parochi manus pervenit; ſed quoniam hoc Præceptum pœnam ſuſpenſionis ipſo facto adjunctam habet, & Vicarius Generalis ex Parochi amicorum numero non eſt, fieri potuit, ut hujuſmodi Præceptum Parochi auribus afflaretur.

Quæritur igitur, I. An Vicarius Generalis, ut Vicarius, ſatis poteſtatis habeat, ut poſt expirationis tempus ſuſpenſionem validam reddat, poſita inobedientia, qua Parochus Ancillam noluit ejicere?

II. An ſtet ſuſpenſio, licet conditio ea, *ut intra horas viginti quatuor ſignificaretur*, impleta non fuerit?

III. An cum ſignificatio fortaſſe auribus afflata fuerit, haud debeat Parochus ad ſui animi tranquillitatem ejus ſignificationem a Vicario Generali promiſſam petere?

IV. An appellatio ab hoc Præcepto ante deſignatum expirationis tempus, exempli gratia ſolum pridie facta tanquam ab abuſu ut ad Aulam devolutiva erit, ita ſuſpenſiva quoque futura ſit? Illud enim exploratum eſt, cum ſuſpenſio valida fuerit, ſiquidem ejuſmodi eſt, opus fore appellatione tanquam ab injuria, ut appellatio ſuſpenſiva reddatur.

Domini Sorbonæ Doctores orantur, ut ſuam in doctrinæ modum ſententiam aperiant ſuper capitibus quatuor in propoſito caſu contentis.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, antequam propoſiti caſus quæſtionibus diſtinctim ſatisfaciat, non eſſe abſolute neceſſarium, ut cenſura valida ſit, eam in ſcriptum redactam eſſe; ſatis eſſe, ſi viva voce feratur *cap. cum medicinalis de ſentent. excom. in 6.* Exemplum quidem exhibendum eſt, ſi requiratur, intra menſem; *exemplum vero teneatur tradere intra menſem, ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum*; ita ut ſi poſt citationem Superior Eccleſiaſticus eam non expedierit, adiri poſſit Judex Appellationis, ut obtineatur abſolutio *ad cautelam*, atque adeo per appellationem tanquam ab abuſu Judex ſæcularis adiri poſſit; qui quidem hoc in caſu jus haberet prohibendi, ne ulterius procederetur, & ne ſententia executioni mandaretur, quia Judex Eccleſiaſticus in hac facti ſpecie contra formas Regni Legibus præſcriptas, & a Canonibus indigitatas peccaſſet, quarum cum Princeps ſit cuſtos, poteſt proinde earum executionem ſuis Magiſtratibus imperare.

Hoc poſito, ad interrogationem primam reſpondetur, Parochum, quippe qui præſcriptum quindecim dierum ſpatium prætergredi paſſus ſit, quin pareret, ſuamque Ancillam expelleret, in ſuſpenſionem a Generali Vicario inflictam incidiſſe.

Ad ſecundam; non ideo ſuſpenſionem nullam eſſe, quia intra horas viginti quatuor ſignificata non fuit, quoniam ſuperior requiſitus non fuit, ejuſque ſignificandæ tempus ei ſuppetit; ſane convenit, ſi de negotio definitivo, & terminatione litis inter partes ageretur, ſententiam, quæ ſcripto reddita non eſſet, nullam fore, *cap. fin. de ſentent. ex re judic.* at hic de moribus & interlocutorio quæſtio eſt, ut nempe ante omnia Parochus ſuam Ancillam dimittat, quæ, ut dicitur, litis inter Parochum, & Parochiales eſt fons & origo.

Ad tertiam; opus eſſe, ut Parochus Vicarium Generalem ſecundum formam requirendum curet, quo ſibi cenſuræ contra ſe latæ exemplum reddat, ut ita ſibi poſſit proſpicere, ſi expedire judicaverit.

Ad quartam; verum eſt per appellationem a cenſura conditionata, antequam conditio ſit impleta, cenſuræ effectum ſuſpendi *cap. Præterea 2. de appel. in 6.* at id in caſu, de quo agitur, utpote qui ad diſciplinam, & morum correctionem ſpectet, locum non habere; qua quidem de cauſa ſimplex appellatio tanquam ab abuſu non habet in hac materia effectum ſuſpenſivum, ſed ſolummodo devolutivum.

Deciſum hac die 7. Junii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Cenſura, a qua ad Metropolitanum appellatur.

CASUS IV.

Presbyter a ſuo Judice ſuſpenſionis pœna damnatus, cum ab ea appellaverit ad Metropolitanum, qui per ſententiam infirmat dicti Miniſtri ſententiam, poteſt gaudere emolumento, quod ei per Miniſtri Metropolitani ſententiam collatum eſt, licet ab hac ſententia ſit appellatum tam a minima, quam ut ab abuſu; atque ita quidem quoad Appellationis Judex aliter ſtatuerit.

QUÆSITUM.

AN cum Judex Eccleſiaſticus inferior Eccleſiaſticum ſuſpenſionis pœna damnaverit, cumque hic Eccleſiaſticus ab Archiepiſcopi Judice abſolutus fuerit, appellatio ad Primatem impediat, quominus dictus Presbyter abſolutione ſua gaudeat, donec Primas pronunciaverit?

Legatus Criminalis P. informavit, & decrevit contra D. N. Presbyterum Parochum N. eumque in carcerem trudendum mandavit, ipſum inceſtus accuſans.

Accuſatus poſtulat ſe remitti ad Miniſtrum S, ſui Judicis, quæ remiſſio ei conceſſa eſt, lege caſus privilegiati.

Accuſatus Reſcriptum obtinuit, quo negotii cognitio huic Legato Criminali ſubtracta eſt, & ob caſum privilegiatum, ſiquidem ejuſmodi fuerit, ad Legatum Criminalem S. remiſſa.

D. Miniſter S. nihil probationis inveniens, quo hoc crimen, aut aliud oſtenderet, nulla ſui judicii ratione reddita, eum tamen damnat, ut ſuum Beneficium intra ſex menſes deponat aut permutatione, aut aliis rationibus canonicis, & per hujus temporis ſpatium ei Curialibus ſuæ Parœciæ functionibus interdicit, quod fuit juſto gravius, ſi innocens erat, & levius, ſi reus.

Accuſatus interjicit appellationem ab hac ſententia ad D. Metropolitanum, qui ſua ſententia D, Miniſtri ſententiam infirmat.

D. Promotor ſignificatum vult accuſato, & D. Metropolitano, ſe eſſe appellantem ab ejus Sententia tam *a minima*, quam ut ab abuſu.

D. Legatus Criminalis S. edit quoque ſententiam ſuam, qua accuſatum innocentem declarat.

Quæritur a Conſilio, an hæc proteſtatio appellationis poſſit impedimento eſſe, quominus accuſatus poſt ſuas ſententias ſuis Curialibus officiis fungatur, & rogantur, ut ſuam ſcripto ſententiam exhibeant, & præſentis expoſitionis ad calcem ſubſcribant.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui alterius partis expoſitionem viderunt, exiſtimant, cum Miniſter Metropolitanus in Presbyteri favorem judicaverit, & Miniſtri, qui in prima inſtantia ſententiam protulit, judicium infirmaverit, Presbyterum poſſe gaudere beneficio, quod ei affert Miniſtri Metropolitani ſententia, donec aliter appellationis Judex ſtatuerit; cum Canones concedant Judicibus ſuperioribus facultatem abſolvendi cum cauſæ cognitione a pœnis per inferiores inflictis, cujuſmodi eſt Archiepiſcopus ratione Epiſcopi, *c. ad reprimendam de Offic. ordinar. c. per tuas, de ſententia excomm. in 6.* modo ad Judicem ſuperiorem delata cauſa, appellatio a Promotore, aut appellantis perſonæ nomine inſtituta fuerit *c. Romana de appellat. in 6. §. ſententias*; atque etiam appellationis a priore Judice effectum devolutivum tantummodo, non autem ſuſpenſivum eſſe; itaque ea, quæ a Promotore interjecta eſt, a Metropolitani ſententia devolutivo tantum effectu pollere, cum non impediat beneficium, quod Presbyter, de quo quæritur, inde percepit; præſertim cum adhuc in integro vere res permaneant, & Judex appellationis pro arbitratu judicare poſſit, ſemperque Presbyter cogi poſſit

judicium exequi, quod ad hanc ſecundam appellationem fiet.

Deciſum Pariſiis die 30. Maii an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Cenſura ſublata Jubilæi tempore.

CASUS V.

Excommunicationis liberatio a Confeſſario Jubilæi tempore juxta Jubilæi Bullam conceſſa bona eſt in foro conſcientiæ, non autem in foro externo.

QUÆSITUM.

CUm duo Viri Nobiles Pater & Filius propter publicum concubinatum per annos circiter duodecim in ſua Parochia graviſſimo ſcandalo fuiſſent, crebræque monitiones iis inculcatæ paſſim ab ipſorum Parocho, variis Concionatoribus, Viriſque Nobilibus nihil virium habuiſſent, eos Parochus pluries in Archidiaconorum viſitationibus denunciavit; & cum ii quidem in ipſos ediderint ſententias plures, quæ effectus omnis expertes fuerunt, dictus Parochus eos denunciavit ad loci Promotorem, qui eam in Curia ſententiam edi mandavit, ut dictus quidem Parochus eos adhuc cohortaretur, ii vero dictum ſcandalum tollere, dictaſque concubinas expellere juberentur, ſecus excommunicatione majori coercendi: cum hæc ſententia pro concione vulgata, iiſque ſignificata nullum effectum ſortita eſſet, Promotor iis ſignificandas curavit ſingulis quibuſque diebus quindecim executiones tres citationis, ut dictarum concubinarum expulſione dictum ſcandalum tollerent, & monitionis, fore, ni id facerent, ut contra ipſos per majorem excommunicationem procederetur, atque adeo Sæcularis poteſtas imploraretur, quibus tribus monitionibus præſtitis edita ſententia eſt, qua nominatim excommunicati declarati ſunt, vetitumque eſt Fidelibus, ne cum iis verſarentur, &c. Sententia hæc ipſis ſignificata eſt, publicata, & denunciata in ipſorum Eccleſiæ, & proximarum Parochiarum concione; ſemperque illi menſibus pluſquam octodecim in ſua pertinacia perſtiterunt, cum tandem in Diœceſi Octobris proxime elapſi menſe an. 1677. extitit Jubilæum, cujus vi dictus Parochus ait, cum ambo per id tempus pœnitentiæ ſigna dediſſent, a ſe ambos excommunicatione liberatos (inconſulto judice) in ſua Eccleſia receptos, & Pœnitentiæ, ſanctæque Communionis Sacramentis donatos eſſe abſque ulla Miniſtri, qui dictam excommunicationis ſententiam protulit, aut alicujus alterius Judicis ſententia.

Cum ad Promotoris aures hæc agendi ratio perveniſſet, eam publice coram dicto Parocho denunciavit, eique contradictoriam ſententiam edi mandavit, qua judicatum eſt, dictos Viros Nobiles eadem jam dicta excommunicatione majori adhuc innodatos eſſe; & dictus Parochus, quod eos ad Sacramentorum participationem & Fidelium communionem abſque ſententia in ſua Eccleſia abuſive receperit, damnatus eſt ad librarum decem ſuæ Eccleſiæ decorationi, ſuæque Parochiæ pauperibus applicabilium eleemoſynam, ejuſque Vicarius per dies quindecim ſuſpenſus declaratus eſt.

Cum hujus ſententiæ appellationem Parochus ſignificaſſet, Promotor, atque ipſe, ne hujus appellationis proſequendæ gratia in quinquaginta leucarum itinere ſuum tempus tererent, convenerunt ſe quæſtionis deciſioni ſtaturos eſſe, quam Sorbonæ Doctores quatuor edidiſſent.

Contendit Parochus ſibi jus fuiſſe Bullæ vi a dicta excommunicatione liberandi, quoniam ea Confeſſariis facultatem tribuit abſolvendi ab omnibus ſententiis excommunicationis, *a jure, vel ab homine*; eam autem ſententiam *ab homine* prolatam fuiſſe.

Reſpondet Promotor dictam facultatem eo tantum ſpectare, ut abſolvatur in foro conſcientiæ, ut eadem memorata Bullæ clauſula diſertis verbis ſignificat; præterea id non intelligi niſi de ſententiis editis *ab homine* generalibus verbis, ut in facto Monitorii, non autem de excommunicationibus nominatim pronunciatis.

Ad hæc, aliam clauſulam poſteriorem occurrere in eadem Bulla, derogatoriam, & dicta poſteriorem, his verbis conceptam: „ non tamen intelligimus per has præſentes conferre ullam poteſtatem rehabilitandi, aut reſtituendi in priſtinum ſtatum, etiam in foro conſcientiæ; aut diſpenſandi in ulla irregularitate, &c. neque etiam has præſentes poſſe aut debere inſervire ullo modo iis, qui fuerint excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti per Nos, aut per aliquem alium Prælatum aut Judicem Eccleſiaſticum, niſi ii dictorum duarum hebdomadarum tempore ſatisfecerint.

Poſteriora prioribus derogant.

Licet autem dictus Promotor contendat hanc clauſulam tam claris verbis conceptam eſſe, ut nullum hac de re dubitandi locum relinquat;

Nihilominus contendit dictus Parochus hanc ipſam clauſulam ſibi minime contrariam eſſe, quia continet memoratam clauſulam conditionalem, niſi ſatisfecerint intra dictarum hebdomadarum ſpatium, aitque, cum dicti duo concubinarii ſibi pœnitentiæ ſigna dederint per eos Jubilæi dies quindecim, eam poſteriorem clauſulam a Promotore citatam non potuiſſe ſibi adimere facultatem, quam per aliam priorem habebat, eos abſolvendi; cæterum hac in re ſe nihil egiſſe niſi de Franciſcani Præſidis, aliorumque Religioſorum Sententia; ideoque pergit aſſerere ſe nihil abuſive feciſſe.

Dictus Promotor ad eum convincendum legit ipſi doctrinam Magiſtri Jacobi *Eveillon* contentam docto tractatu, quem edidit *ex profeſſo* de excommunicationibus, qui cap. 35. art. 1. decidit quæſtionem *in propriis terminis* in favorem Promotoris, ſuamque doctrinam plurium Canonum & Canoniſtarum, & Ritualis Romani auctoritate confirmat; hoc poſito,

Dictæ partes orant in præſentia Dominos Sorbonæ Doctores, ut ipſorum diſſidium ſua deciſione ſuper eorumdem quæſtione definiant.

Dictus Dominus Parochus id etiam optavit, ut adderentur animadverſiones duæ; quarum prima eſt, Epiſcopum loci nullum ſibi Caſum, aut excommunicationem dicto Jubilæi tempore reſervaſſe; altera eſt, excommunicatorum unum multo ante dictum Jubilæum ſuo Epiſcopo, qui dicta in Excommunicationis ſententiam ediderat, ſe ſtitiſſe, ut ab ea abſolutionem obtineret; addit & illud, Pontificem derogaſſe derogatoriis.

Promotor ait harum obſervationum primam quidem ad rem non facere, alteram vero inutilem eſſe, propterea quod licet idem excommunicatus ſe ſtiterit, dicti tamen Miniſtri conſilia ad dictam abſolutionem obtinendam neceſſaria exequi noluit; ſemper omnino remaneret difficultas quoad alium excommunicatum, qui ſe minime præſentavit.

Præſens factum directum & in ſcriptum redactum fuit per Dominum B. Promotorem W..... & per Dominum A........ Parochum Fr....... ut conſilium peteretur a Dominis Sorbonæ Doctoribus die octava Februarii anno 1678. & ſubſcripſerunt B.... A.....

RESPONSIO.

Doctores Theologi Familiæ & Societatis Sorbonæ ſubſcripti, qui allatam expoſitionem juxta deſiderium Promotoris Miniſterii W....... & D. Parochi Fr...... viderunt & expenderunt, exiſtimant, dictum Dominum Parochum potuiſſe ad Pœnitentiæ Sacramentum, ſecundum Jubilæi Bullam, admittere duos Viros Nobiles, qui nominatim excommunicati ſunt a D. Miniſtro W......, at eos abſolutione in confeſſionis ſigillo recepta uti publice non potuiſſe, quoniam facultas, quæ continetur in Bulla, ad Conſcientiæ forum reſtringitur, neque ad externum forum extendi poteſt, quoniam de eo mentionem non facit, ut de eo, quod animum reſpiciens in Sacramenti adminiſtratione locum

cum habet. Ita Covarruvias *in c. alma mater*, *priori parte relectionis §. 2. n. 6.* Paulus Comitolus *reſp. moral. lib. 6. q. 6.* Avila *cap. 7. dub. 12.* Proſper Fagnanus *in 1. p. lib. 5. Decretal. c. poſtulaſti de Clerico excommunicato a n. 13.* ad finem capitis in hæc verba: *Quæritur, an Beneficii collatio facta excommunicato in foro pœnitentiali in vim Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi, ſit valida, necne? Receptiſſima eſt opinio, quam Congregatio Concilii ſæpius ſecuta eſt, & admittit Roſa in hac deciſione abſolutum in foro pœnitentiali in vim Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, non cenſeri abſolutum in foro exteriori.* Quod Doctorum, & inter alios Panormitani auctoritate confirmat & numero 32. deciſionem Cardinalium Tridentinæ Synodi Interpretum in medium adducit. Sententia hæc nititur ratione, quæ ducitur ex diſciplina, qua excommunicantur nominatim peccatores publici, ut probat Comitolus loco mox appellato, cujus hæc verba ſunt: *Quæ in conſcientiæ arcano judicio geruntur, notitiam aliquam, aut fidem publicam habere non poſſunt: & quemadmodum excommunicatio publica, jus Eccleſiæ publicum ademit communionem reliquorum fidelium: ita jus publicum & non occultum illam reſtituere debet. Sententiam hanc, quæ veriſſima eſt, aperte confirmat Decretalis Innocentii III. a nobis eſt ſæpius quæſitum de ſententia excom.* Baunius, Gallus Auctor in eamdem ſententiam deſcendit, aitque ita ſibi perſuaſum eſſe; atque hæc videtur eſſe juris doctrina, ut intelligimus ex Gloſſa *in c. præpoſuit extra de Clerico excommun. & depoſito*, quæ tanquam indubitatum proponit, *quod qui fuit publice excommunicatus, adhuc præſumitur excommunicatus, niſi probetur abſolutus*; atque id quidem juxta *c. Sicut nobis extra de ſentent. excomm.* ubi Innocentii III. ea mens eſt, ut Epiſcopus tanquam omnino vitandum ſuo populo proponat eum, quem ipſe communione privavit, quamvis aſſerat ſe a Pontifice, aut ab ejus delegato abſolutum eſſe, niſi authenticis probationibus id oſtenderit, ſcilicet ſuæ Sanctitatis, ejuſve delegati litteris, aut alia ſane ratione; Gloſſa quidem in hoc cap. explicans ea verba, *alio modo*, ait non unius teſtis aſſertioni ſtandum eſſe, ut ſignificet, juſtis probationibus, & cujuſmodi jus poſtulat, opus eſſe; illud porro indubitatum eſt non licere ſecundum conſuetas regulas probationibus juridicis, & quæ fidem faciant, id confirmari, quod in conſcientiæ Tribunali peractum eſt, quoad excommunicationis abſolutionem, niſi huic generali legi Pontifex deroget, quæ lex hanc abſolutionem confeſſionis ſigillo concludit, nec ſinit formalibus verbis Confeſſarium de abſolutione teſtari, quam Excommunicato nominato conceſſerit; ſed hæc derogatio repugnat Romanæ Eccleſiæ praxi, & conſuetudini; & cum ea non contigerit in Bulla Jubilæi, de qua agitur, D. Parochus Fr.... non poteſt cum aliqua juſtitiæ ſpecie contendere ſuam aſſertionem abſolutionis excommunicatis nominatis a ſe collatæ pondus habere, & in cauſa eſſe, ut Promotoris in hos Viros Nobiles actio ceſſet, Populoſque debere ipſius teſtimonio deferre, & cum iis, licet inflicta excommunicationis ſententia prohibeantur, communicare; quamobrem ſubſcripti cenſent dictum Dominum Parochum Fr.... non ſatis juſto fundamento nixum appellaſſe, atque oportere, ut hi Viri Nobiles D. Miniſtri W..., ſententia nominatim excommunicati ad eum confugiant, quo excommunicationis in ipſos latæ abſolutionem obtineant.

Deciſum in Sorbona die 16. Martii an. 1678.
Auguſt. *de Lamet*.

Cenſura ob ordinem ante ætatem ſuſceptum.

CASUS VI.

1 *Presbyter, qui ante ætatem Eccleſiæ regulis ſtatutam ad ordinationem acceſſit, ſuſpenſus eſt: irregularitatem minime incurrit, ſi ſe præſcripta ætate carere ignoravit; at irregularis eſt, ſi ſuis Ordinibus functus eſt, poſtquam id intellexit,*

2 *Cum cenſura & irregularitas occultæ ſint, poteſt Epiſcopus eas tollere.*

3 *Si Epiſcopus poſt ſuam ſuſpenſionem Beneficium obtinuit, proviſiones nullæ ſunt, ſed perceptos tamen fructus retinere poteſt ratione ſervitii Beneficio præſtiti, nec reſtituere tenetur id, quo ditior evaſit.*

QUÆSITUM.

Presbyter annos natus pluſquam viginti quatuor intellexit, ſe, cum Presbyteratus Ordinem recepit, fuiſſe annorum tantum viginti trium cum quinque aut ſex menſibus; atque ita ſex aut ſeptem menſibus ante ætatem a Sanctis Canonibus requiſitam Presbyterum creatum fuiſſe; porro ætatis ſuæ defectum ignorabat, cum Sacerdotium ſuſcepit.

Biennio poſt ſuſceptum Presbyteratum Parochia potitus eſt; cum ejus poſſeſſionem inivit, cognovit ætatis defectum, in quo fuit ordinationis ſuæ tempore.

Tunc ſe quidem, quod Sacerdotium ante tempus a Sanctis Eccleſiæ Canonibus præſcriptum ſuſcepiſſet, mortalis peccati Epiſcopo aut Pontifici reſervati reum credidit, a quo tamen Jubilæi tempore facile abſolutionem conſequi poſſet.

Nihilominus nullam ſe a ſuis Ordinibus ſuſpenſionem, nullamque violata hac ſuſpenſione irregularitatem ſubiiſſe ſe credidit, niſi tribus circiter poſt menſibus, cum nempe monitus eſt, ſe propter ætatis defectum, cum Presbyter ordinatus eſt, in ſuſpenſionem, & deinde in irregularitatem incidiſſe.

Ad illud uſque tempus in hac ignoratione, atque extraordinaria negligentia cognoſcendi peccatum, quod patraverat, & pœnam, quam ſubierat, ſemper verſatus eſt; in hoc interim ſtatu quotidie ſacrum fecit, & ſuorum ordinum, ſuique officii functiones omnes obiit ad uſque Maii proxime præteriti initium. Satis habuit per id omne tempus erratum ſuum Jubilæi tempore confiteri, nunc vero magnopere conſcientiæ ſtimulis agitatur, utpote ſepulcro jam proximus, tum quia gravis annis, tum quia admodum infirma eſt valetudine.

Orat humillime Dominos Sorbonæ Doctores, ut pronuncient,

I. An cum ſuſpenſionem & irregularitatem ſubierit, confirmari potuerit progreſſu temporis, annorum viginti quinque ætatem Sanctis Decretis inſtitutam aſſecutus?

II. Si minus progreſſu temporis eſt confirmatus, a quo tandem ſuæ irregularitatis abſolutionem obtinere debeat; an neceſſe habeat ad Pontificem confugere, an vero ſatis ſit, ut eam a ſuo Epiſcopo obtineat, quippe quod res occulta cenſenda eſſe videatur, propterea quia poſt annos pluſquam ſexaginta, ex quo tempore Sacris Ordinibus initiatus eſt, defectus hic, in quem incidit, omnino nemini notus fuit, neque eſt veroſimile eum impoſterum in ullius cognitionem venire poſſe, cum Baptiſmatum Eccleſiæ, in qua baptizatus eſt, Regeſta perierint, ſit vero moraliter impoſſibile certum ejus ætatis tempus in Epiſcopi Secreto inveniri?

III. An ad Beneficii, quod per id omne tempus poſſedit, fructuum ullam reſtitutionem obligetur, cum ii quingentas aut ſexcentas libras annuas tantum conſtituant, neque quicquam ex iis reſervaverit, cum hæc ſumma ſit ſolum ſufficiens ad Parochi ibi, ubi degit, neceſſariam ſuſtentationem?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui hanc expoſitionem viderunt, expenderuntque, cenſent Presbyterum, pro quo conſulitur, quique ad ordinationem acceſſit ſex ſeptemve menſibus antequam ætatem attingeret, quæ ab Eccleſiæ regula ad Presbyteratum requiritur, in ſuſpenſionem incidiſſe latam Conſtitutione Papæ Pii II. quæ incipit, *cum ex Sacrorum*, niſi hanc ætatem ſe attigiſſe crediderit, & cur ita crederet, cauſam habuerit; alias enim cum reus eſſet, ſe proinde tueri non poſſet a pœna, quam ſtatuit hic Pontifex, cujus Conſtitutionem ſecutæ ſunt Conſtitutiones Sixti V. & Clementis VIII. Nec vero eſt, cur dubitetur, quin ea vel in

Galliis vim & auctoritatem habeat, quicquid contendat Bauny in ſecundo Volumine ſuæ Theologiæ Moralis *de Suſpenſione qu.* 18. quoniam minime neceſſe eſt Conſtitutionem in Juris corpus relatam eſſe, aut alicubi publicari, ut ibidem vim obtineat, ſed ſatis eſt, eam conſuetudine receptam fuiſſe; quemadmodum non ignoramus, tametſi Tridentinum Concilium nunquam in Regno publicatum fuerit, ejuſque ibidem receptio ſecundum juris formas nequaquam contigerit; plures tamen articulos diſciplinæ per conſuetudinem ibi receptos eſſe; quod pariter de Decretalium textu, deque Bullis pluribus, & præſertim de Bulla Pii V. quoad Religioſarum clauſuram dici poteſt; quare cum Pii II. Conſtitutio uſu ipſo recepta fuerit, omnino dici non poteſt, ſuſpenſionem *ipſo jure*, quæ in eos infligitur, qui ad ante præſcriptam ætatem ad Ordinationem acceſſerint, in Regno vim non habere. Igitur id unum videndum ſupereſt, qua ratione hic Presbyter ad Ordinem acceſſerit, an præcipitatione quadam abreptus fuerit, nec ſatis diligenter inveſtigaverit, præſcriptamve ætatem haberet, an vero curis omnibus adhibitis, ut veritatem detegeret, deceptus ſit; Si enim poſt diligentem explorationem deceptus eſt, in ſuſpenſionem lapſus eſſe non creditur; at ſi præcipitanter egit, nec de re cognoſcenda ſollicitus fuit, ejus ignorantia tanquam affectata ſpectari poteſt, & ejuſmodi, ut per eam nequeat ſe in tuto ponere a laudata Conſtitutione Pii II. juxta *C. eos*, *de temporibus ordinationum in 6.*

Ad irregularitatem quod attinet, hic Presbyter incurriſſe eam non creditur, niſi poſtquam de ſuſpenſione poſt tres menſes monitus eſt, cum Pius II. non eos omnes irregularitati ſubjiciat, qui Ordines ante ætatem ſuſceptos exercuerint, ſed eos ſolum, *qui præſumpſerint*, ejus verba ſunt: *etſi hujuſmodi ſuſpenſione durante præſumpſerint*, *eo ipſo irregularitatem incurrant*; ita ut facta hypotheſi hunc Presbyterum in ignorantia verſatum eſſe, dici nequeat *præſumpſiſſe*, etiamſi hæc ignorantia ex magna oſcitantia, quæ coram Deo ſummopere damnanda eſſet, originem traxerit; quod ſi poſt tres menſes, cum ſcilicet eſt monitus, non celebraſſet, in irregularitatem incidiſſe non cenſeretur; at cum poſt id tempus celebraverit, ab ea excuſari non poteſt. Itaque reſpondetur

Ad primam interrogationem, decurſu temporis, & cum annorum viginti quinque ætatem attigiſſet, confirmatum non fuiſſe.

Ad ſecundam, non eſſe ad Pontificem confugiendum, ſed Epiſcopum ejus liberandi facultate pollere, quia hæc cenſura, & hæc irregularitas occultæ ſunt.

Ad tertiam, Beneficii, quod poſt ſuſpenſionem obtinuit, proviſionem nullam eſſe; ei tamen licere, quod percepit, retinere ob præſtitum in ſua Parochia ſervitium; at ſi forte inde evaſerit locupletior, id vero reſtituere debere.

Deciſum die 25. Julii an. 1679.
Auguſtinus *de Lamet*.

Cenſura, quæ irregularem efficit.

C A S U S VII.

1 *Presbyter, qui ut Ordines contra Epiſcopi ſui voluntatem ſuſciperet, Dimiſſoriales litteras ſuppoſuit, & hac ratione ab Epiſcopo extraneo Ordinibus initiatus eſt, incurrit irregularitatem in receptione Presbyteratus, qui non recipitur niſi per Sacerdotalis Ordinis exercitium.*

2 *Expedit hunc Eccleſiaſticum ad non mediocre tempus in Seminario detineri, quo ſuſceptorum Ordinum capax evadat.*

3 *Detentio hæc ad biennium eſſe debet, ibique jejunare, orationi vacare, & eleemoſynam pro viribus erogare neceſſe habet.*

4 *Non eſt ille ſuorum Ordinum functionibus reſtituendus, niſi a Romana Curia in ſua irregularitate ſit diſpenſatus, & neceſſariam aptitudinem acquiſiviſſe cognoſcatur.*

QUÆSITUM.

Subdiaconus ſe in Diaconatus ordinatione ob inhabilitatem rejectum videns, capto conſilio Diaconatus & Presbyteratus Ordines ſuſcipiendi contra Epiſcopi ſui voluntatem, dimiſſoriales litteras ſigillo litterarum Subdiaconatus obſignatas ſuppoſuit; hiſque fictitiis litteris recepit Ordinem Diaconatus a D. Archiepiſcopo C..... & inſequenti Quatuor Temporum Ordinatione Presbyteratus Ordinem a D. Epiſcopo G.... quin poſtea (ut ipſe ait) ſuos unquam Ordines exercuerit.

Hoc facto duo crimina continentur.

Unum eſt, Ordinatio ab Epiſcopo extraneo recepta.

Alterum eſt, litterarum falſatio.

Quoad primum crimen, quod in Eccleſia ſemper magno in horrore fuit, in comperto eſt, illud in Conciliis omnibus, & a Nicæno ad Tridentinum uſque punitum eſſe ſuſpenſione *ipſo facto*, quam ea variis vocabulis ſignificarunt, cujuſmodi ſunt hæc, *irrita*, *remotio ab honore & ordine*, *ab Eccleſiaſtica dignitate*, & denique ut Tridentina Synodus loquitur, *a ſuſceptorum Ordinum executione*, *quamdiu proprio Ordinario videbitur*, *ſit ſuſpenſus*; itaque ſuſpenſionis pœna irrefragabilis eſt quoad crimen Ordinationis per extraneum Epiſcopum, ſine proprii Epiſcopi conſenſione.

Quoad pœnam in hunc Eccleſiaſticum, quod Dimiſſoriales falſaverit, quæ maxime notoria falſatio eſt, inſtituendam, ea occurrit deſignata Canone *Si Epiſcopus diſt.* 50. ducto ex Agathenſi Concilio: *Si Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus Chartam falſaverit, ab Officii honore depoſitus, in Monaſterium retrudatur, & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat*; quæ pœna inſtituta eſt etiam in Aurelianenſi Concilio tertio *can.* 8. *Si quis Clericus furtum aut falſitatem admiſerit, quia capitalia & ipſa ſunt crimina, communione conceſſa degradetur.* Hæc eadem pœna pariter aſſignata eſt in Jure Civili, cum omnium bonorum jactura.

Aliquid in eo difficultatis occurrit, quod hic Clericus ſe ab omni ſuorum Ordinum functione ſemper abſtinuiſſe teſtetur; quamobrem ſe irregularem non eſſe contendit.

Id quod contendit, confirmari poteſt ſuſpenſionis pœna, quemadmodum declarata eſt in Conciliis, & nominatim in Tridentino, quod eam pronunciavit in hæc verba: *A ſuſceptorum ordinum executione ſuſpenſus*; ſuſpenſio ſuſceptorum quidem Ordinum executionem ſpectat, non autem novorum Ordinum ſuſceptionem; quare cum verborum pœnam inferentium ſenſus non ſit extendendus, contendi non debet ſuſpenſionem, quæ irregularitatis cauſa eſſet, ad novorum Ordinum ſuſceptionem referri.

Nullus præterea Canon occurrit, qui declaret ſuſpenſionem *ab ordine* impedimento eſſe, quominus recipiatur Ordo Superior, ſub irregularitatis pœna; at id de excommunicatione tantum aſſeritur, ut liquet ex *c. Veniens*, *de eo qui furtive*, ubi ii, quibus Epiſcopus aut Archidiaconus, ne ſe ad Ordinationem furtive præſentarent, prohibuerint, ſi poſt hanc prohibitionem ſe præſentaverint, quin examen ſubierint, irregulares fore dicuntur, facta ſcilicet hypotheſi eum, qui in excommunicatione Ordinem ſuſcipit, irregularem eſſe; eadem porro non eſt ſuſpenſionis ratio, quia quoad eam nullus occurrit Canon inſtituens, ut qui a ſui Ordinis executione ſuſpenſi ſunt, irregulares evadant per ſuperioris Ordinis ſuſceptionem.

E converſo aſſeri poteſt, Clericum, de quo quæritur, Sacerdotali Ordine inſignitum ſtatim ejus functiones executum eſſe, cum Domini noſtri Corpus & Sanguinem conſecraverit, & Miſſam una cum Epiſcopo celebraverit; itaque Presbyteratus Ordinem ab eo receptum exercuit, a quo exercitio ſuſpenſus fuit: *a ſuſceptorum Ordinum executione ſit ſuſpenſus*. Violavit igitur ſuſpenſionem, atque ita irregularitatem incurrit.

Difficultatis ab his duobus rationibus, quæ contrariæ videntur, provenientis ſolutio petitur, quæriturque, an hic Eccleſiaſticus cogendus ſit ab hac

irre-

irregularitate abſolutionem a Romana Sede poſtulare? Et quænam ei pœna ſit imponenda, ut punitio exemplo ſit?

Animadverſione dignum eſt, irregularem Presbyterum Epiſcopi, qui refragatus eſt, juſtitiæ in præſentia ſe ſubdere, & omnibus ſuis rationibus renunciare, propterea quod ei ſunt omnes ad Romanam Curiam aditus intercluſi.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſitionem hanc viderunt, exiſtimant, ſe, antequam ſuam ſententiam aperiant, animadvertere debere alia eſſe Theologorum & Canoniſtarum placita, nec deeſſe Auctores, qui velint, eos omnes, qui ſuſpenſi, & contra ſui Epiſcopi voluntatem ad Ordines acceſſerunt, irregularitatem incurriſſe; ſuamque opinionem confirmant *C. Veniens de eo, qui Ordinem furtive ſuſcepit*, & *c. cum illorum de ſentent. excommun.* Navarrus videtur ita ſentire *in ſumma cap.* 27. *numer.* 241. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 3. *n.* 1. docet, cum in Capitibus *Veniens*, & *Cum illorum* de excommunicatis quidem ſermo ſit, non autem de ſuſpenſis, nihil, ad hanc rem quod attinet, ex his auctoritatibus inferri poſſe, ob eam cauſam quia ad irregularitatem requiritur expreſſa in jure regula, quæ eam inſtituat, & ſuſpenſionis pœna eſt tantum prohibitio executionis Ordinis ſuſcepti, nequaquam vero dictum eſſe irregularitatem incurri per alterius Sacri Ordinis ſuſceptionem; atque huic ſententiæ præſidium quæritur ex auctoritate Covarruvias, *in c. Alma mater* p. 2. §. 2. *qui eſt de interdicto n.* 3. En ejus verba: *Cæterum ne quis exiſtimet per quemcumque actum irregularitatem a ſuſpenſo vel interdicto contrahi, eſt obſervandum hoc vitium irregularitatis non aliter ſuſpenſum afficere, quam ſi is egerit actum competentem alicui Ordini, quem is habet, & a cujus uſus exercitio ſuſpenſus eſt*. Itaque ſecundum priorem opinionem Epiſcopus poteſt in irregularitate diſpenſare, ſi occulta ſit; at cum ea, de qua agitur, ad externum forum devenerit, Romanæ Curiæ eſt relinquenda. At juxta opinionem alteram nulla exiſtit irregularitas, niſi Ordinis executio contigerit, quo tempore Ordo receptus eſt, ut ſi Subdiaconus Epiſtolam ſolemniter cecinerit, non obſtante ſuſpenſione; itaque ſtatuendum videtur in utraque ſententia eum, de quo ſermo eſt, irregularitatem incurriſſe in ipſa ſuſceptione Sacerdotii, quod nonniſi per Sacerdotalis Ordinis exercitium ſuſcipitur. Jam utile fuerit hunc Eccleſiaſticum in Seminario non ita brevi tempore detineri, ut Ordinum, quos recepit, capax evadat, nec prius ei permitti eorum executionem, quam neceſſariam aptitudinem cum adeptum eſſe innotuerit. Hoc porro tempus videtur biennii ſpatium complecti debere; atque interea cogendus is erit jejunio & orationi vacare primo quidem anno cujuſvis hebdomadæ diebus aliquot, atque etiam aliquam eleemoſynam, ſiquidem in bonis habuerit, erogare, nec ſuorum Ordinum functionibus reſtituendus erit, niſi fuerit a Romana Sede in ſua irregularitate diſpenſatus.

Deciſum Pariſiis die 9. Auguſti an. 1697.
Aug. *de Lamet*.

Cenſuræ in Capitulum inflictæ.

CASUS VIII.

Qui cenſuras infligendi facultate pollent, hac facultate legitime uti nequeunt in eos, quibuſcum litem faciunt.

QUÆSITUM.

Domini Sorbonæ Doctores rogantur, ut aperiant ſententiam ſuam in ea, quæ ſequitur, facti ſpecie.

Epiſcopus in judicium trahit Capitulum, ab eoque poſtulat plura Juriſdictionis capita, in quorum poſſeſſione Capitulum ſemper extitit, & in quibus ſemper ſervatum eſt ſeu per authentica Concordata ab Epiſcopi Anteceſſoribus edita, ſeu per Reſcripta contradictoria.

Quæritur, I. An Epiſcopus poſſit cenſuras decernere, ut ſibi vindicet hæc capita, quæ a Judicibus ipſe flagitat, quæque nondum deciſa ſunt?

II. An hujus Capituli juriſdictioni ſubjecti, qui refragantur mandatis Epiſcopi in eum finem factis, faciendiſve, ut eorum capitum, quæ ipſe ad Judices detulit, & quæ adhuc indeciſa ſunt, ſibi poſſeſſionem arroget, cenſuras iiſdem mandatis inflictas incurrent, & ab iis abſolutionem petere debeant *ad cautelam*?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Epiſcopum, de quo in expoſitione, non poſſe cenſuris invehi in Canonicos, de quibus quæritur, qui rationibus legitimis tuentur Eccleſiæ ſuæ jura, quorum poſſeſſione jamdudum gaudent, & quæ ipſis per Reſcripta contradictoria hactenus ſervata ſunt. Poteſt quidem Epiſcopus uti ſpiritualibus armis, quæ in ejus manu Deus poſuit, ut a vi & injuria, quam quis ejus perſonæ ac dignitati inferre vellet, *cap. Dilecto de ſentent. excom. in* 6. & *c. Guil.* 23. *q.* 4. & ob hoc naturale principium vulgo receptum: *cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere permittant*, inquit Innocentius IV. in canone *Dilecto* citato vim vi repellere permiſſum eſt; at eidem tamen Epiſcopo minime licet in hac facti ſpecie uti ſpiritali gladio, ut interdicat aut excommunicet Canonicos & Eccleſiaſticos ob juriſdictionis capita, de quibus cum ipſis diſceptat, & quorum poſſeſſione poſt longum tempus Canonici gaudent, quia ita ipſe foret in cauſa propria Judex & pars eodem tempore, quod repugnat juri naturali, atque etiam Canonico *c. Nullus* 4. *q.* 4. & huic regulæ Viennenſis Concilii; *Lite pendente nihil debet innovari*, quæ refertur *Clem. cum lite*, & ex qua Jus titulum expreſſum edidit.

Præterea non poteſt infligi cenſura, niſi peccatum in iis, in quos ita animadvertitur, ponatur exiſtere; jam vero aſſeri nequit, Canonicos, de quibus agitur, alioſve Eccleſiaſticos ab iis pendentes peccare, dum juriſdictionis capita diuturni temporis poſſeſſione, Concordatis, Reſcriptiſque contradictoriis firmata defendunt, atque ideo Judicibus; ad quos ipſe Epiſcopus eos traxit, acquieſcere parati ſunt. Quamobrem Conſtitutiones aut cenſuræ, quibus is Epiſcopus in hoc negotio adverſus hujuſmodi Canonicos uteretur, nullæ eſſent defectu juriſdictionis ex parte Epiſcopi, & materiæ ſufficientis ex eorum parte, adverſus quos decernerentur.

Nemo denique ſpoliari per vim poteſt ea re, quam poſt longum tempus poſſidet titulis legitimis, aut qui ſaltem ejuſmodi videantur; utrumque jus ei ſuffragatur, inquit Fagnanus *tom.* 2. *in c. Procurationes de cenſ. nn.* 44. 45. *& eſt ratio in utroque, quia poſſeſſor non eſt de poſſeſſione ſua violenter dejiciendus. Nec refert, quod de proprietate liqueat; quia nihilominus per vim recuperare non licet l. Si quis in tantam Cod. unde vi l. extat. ff. quod met. cauſ. cap. placuit* 16. *q.* 6. *Nec res poſſeſſa ab alio, quamvis injuſte, eſt per violentiam occupanda, alioquin etiam prædo eſt reſtituendus cap. in litteris de reſtitut. ſpoliat.*

Porro Epiſcopus, de quo agitur, Canonicis, de quibus quæritur, aut perſonis ab iis pendentibus vim infert, cum cenſuras adhibet, ut a Juriſdictione, qua jampridem fruuntur, ipſos deturbet; ut proinde, quando ea ad eumdem Epiſcopum, id quod adhuc eſt ſub judice, pertineret, ob eam, qua ſe gerit, rationem ipſa privaretur; quæ quidem Milevitani Concilii eſt Conſtitutio *Can.* 21. qui refertur *cap. Placuit* 16. *q.* 6. *Placuit, ut quicumque Epiſcopi quaſcumque Eccleſias vel plebes, quas ad ſuam Cathedram æſtimant pertinere, non ita repetierint, ut cauſas ſuas Epiſcopis judicantibus agant, ſed alio retinente irruerint: Sive volentibus, ſive nolentibus plebibus cauſæ ſuæ detrimentum patiantur; & quicumque jam hoc fecerint, ſi nondum eſt inter Epiſcopos finita contentio; ſed adhuc inde contendunt, ille diſcedat, quem conſtiterit prætermiſſis judiciis Eccleſiaſticis irruiſſe*.

Ex quo ſequitur,

I. Cenſuras ab Epiſcopo decretas in hac facti ſpecie contra Canonicos, alioſve Capitulo ſubjectos nullas eſſe ob juriſdictionis & materiæ ſufficientis defectum, ut ſupra dictum eſt.

II. Perſonas, contra quas eæ decretæ ſunt, non teneri ab iis abſolutionem petere, vel *ad cautelam*, quia notorie nullæ ſunt & injuſtæ.

Verum quidem eſt D. Gregorium in ſua Homilia 26. in Evangelia ponere tanquam regulam, quam ſuo Decreto Gratianus inſeruit 11. *q.* 3. *cap.* 1. *ſententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta, timenda eſt*; atque ita oportere, ut videtur, privatas perſonas a cenſuris per Epiſcopi præcepta, quæ violarunt, illatis abſolutionem expoſcere;

At reſpondetur, ad hanc rem, quæ in manibus eſt, S. Gregorii verba detorqueri non poſſe; neque enim eo loco agitur de ſententia aperte nulla, ſed de ſententia, quæ re quidem ipſa valida eſt, ſed injuſta tamen eſt aut ob Judicis animum in eum male affectum, contra quem ea pronunciata eſt, aut ob impoſitæ pœnæ exceſſum, aut ob defectum formarum, quæ omnino ſervatæ non ſunt; vel in hujus Patris teſtimonio quæſtio eſt de cenſura, quæ ipſa per ſe injuſta & nulla eſt, ſed tamen ejuſmodi non apparet; itaque is, in quem ea decreta eſt, licet innocens coram Deo, hoc tamen judicium reformidare debet, idque teſtari ſe ita gerens in foro externo, ac ſi eadem ſententia re ipſa juſta eſſet; hæc eſt explicatio Sairi *l.* 1. *c.* 17. *n.* 24. *aliorumque Canoniſtarum*; vel denique S. Gregorii verba de cenſura dubia accipienda ſunt.

Quoad expoſitam facti ſpeciem, certum exploratumque eſt, cenſuras Epiſcopi, de quo agitur, Conſtitutionibus latas ſuper capitibus a Judicibus decidendis, nondumque deciſis nullas eſſe propter allatas cauſas; atque ita nec Canonicos, nec alios a Capitulo pendentes, qui hujuſmodi Conſtitutionibus refragati fuerint, abſolutione ulla, vel *ad cautelam*, opus habere; hæc enim abſolutio tum ſolum locum habet, cum dubitatur, an cenſuram quis incurrerit necne; quod in negotio, de quo agitur, non occurrit.

Deciſum hac die 11. Septembris an. 1694.
Germanus *Fromageau*.

Cenſura, quam Parochus incurrit alium cædens.

CASUS IX.

Parochus, qui colaphum alteri Parocho ſecum de Decima contendenti impegit, excommunicationem incurrit, ſi eum poſt Decimam aſportatam percuſſit.

QUÆSITUM.

DUo Parochi de aſportanda ex agro Decima contenderunt, quorum alter ejus poſſeſſione gaudebat, & alter coram Regio locorum Judice, ad deſiſtendum, poſſeſſorem citaverat, & cum hujus citationis præjudicio, & antequam negotium conficeretur, is, qui poſſeſſione carebat, venit cum manu forti & armatis hominibus, qui Decimam ſuſtulerunt. Parochus poſſeſſor ad eum impediendum, aſportandamque Decimam ſe comparavit; qua in re gravis ſane conteſtatio contigerit, & ad verba ac verbera ventum fuerit; qui non gaudebat poſſeſſione, equo inſidebat, ejuſque genæ, ut teſtes ajunt, alapa publice compacta eſt; non tamen ſanguis apparuit, nec plaga, neque adeo contuſio.

Quæritur, an qui colaphum incuſſit, excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente Diabolo &c.* incurrerit ſe defendens, & ſuorum bonorum aſportationem impediens.

Præterea dicitur eſſe *Notorius Clerici percuſſor*, & Pontificis abſolutione opus eſſe; quæritur, quid ſignificet *Notorius Clerici percuſſor*, & quid ad id requiratur; rixa enim & contentio in mediis agris & nemoribus contigerunt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, expenditque, exiſtimat, Parochum, qui colaphum alteri impegit, non incidiſſe in excommunicationem latam in Decreto *c. Si quis ſuadente Diabolo* 17. *q.* 4. ſi impegit, dum ei reſtitit, ut ipſum a Decima aſportanda impediret, in cujus ipſe poſſeſſione erat, & a qua jure deturbari non poterat, niſi poſtquam judicio ſtatutum eſſet, ut accuſator ea potiretur; confirmatur hæc reſponſio Jure Canonico *l.* 2. Decretalium *de reſtitut. ſpoliat. c. Olim*, & *l.* 5. *de ſententia excomm. c. Perpendimus*; & Gloſſa in hoc caput hanc rationem affert *v. Propulſando*: *nam vim vi repellere licet*. Eſt hæc etiam Cajetani doctrina *in Summ. v. excom. c.* 10. *not.* 6. Navarri *in Manuali c.* 2. 82. Avilæ *p.* 2. *diſput.* 2. *dub.* 13. *&c.* At vero ſi Parochus poſſeſſor Parochum alium ſolum poſt aſportata bona percuſſit, & cum non amplius ſe poſſe impedire, quin aſportarentur, ſperaret; Conſilii ſubſcripti ea eſt Sententia, dictum Parochum in excommunicationem incidiſſe; quia non amplius dici potuit vim vi repuliſſe, aut percuſſo Parocho, qui Decimam aſportandam curaverat, ſuis bonis recuperandis ſtuduiſſe; atque ita ipſum excuſatione deſtitutum ſubiiſſe pœnam latam in capite *Si quis ſuadente Diabolo*. Ita ſentit Avila loco laudato, cujus hæc verba ſunt: *Duodecimus caſus eſt, quando percutit, ut defendat res, quas Clericus injuſte capias aſportat, vel vi occupat. c. Olim de reſtitut. ſpoliat. Dixi, aſportat; nam ſi hoc faceret ex intervallo, poſtquam Clericus pervenerit ad locum deſtinatum, & adeptus eſt perfectam poſſeſſionem rerum ablatarum, incurreret, quia non liceret ſibi jus dicere*; *ſic Angelus n.* 13. *Tabiena n.* 14. *&* 17.

Ad interrogationem alteram reſpondetur, Notorium Clerici percuſſorem eum eſſe, qui in judicio convictus eſt, & ita alicubi talis creditur, ut ea de re dubitari non poſſit; quamobrem ſi Parochus, de quo quæritur, teſtibus convincatur alium percuſſiſſe poſteriore modo, quem diximus, ſcilicet aſportata jam Decima, cenſendus eſt Notorius Clerici percuſſor; non ita tamen, ut excommunicationis, quam ſubierit, abſolutionem a Pontifice petere teneatur, ſed eum ad ſuum Epiſcopum confugere ſatis eſt ſecundum *c. Pervenit l.* 5. *Decretal. de ſentent. excommunicat.* in hæc verba: *De his abſolvendis, qui Clericis non enormem, ſed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Porro dici nequit alapa ſpectatis circumſtantiis tanquam *enormis injuria* ſpectari poſſe, ſed tantum *modica & levis* cenſeri debet.

Non deſunt quidem Auctores, qui in Epiſcoporum gratiam generatim concludendum non eſſe contendant, quod patent in *c. Pervenit* nonniſi de peculiari Commiſſione ſermonem eſſe; quod Fagnanus in hoc caput refellit, oſtendens ejuſmodi abſolutiones ab Epiſcopis conferri poſſe; idem ſentit Navarrus, contenditque alapam pro *injuria modica*, & non *enormi* habendam eſſe, atque in ſuæ Sententiæ confirmationem adducit Lapum, & Cardinalem; en ejus verba *c.* 27. *in Manual. n* 92. *Secundo addimus, quod injuria mediocris eſt, quæ eſt media inter levem & enormem; & quia de hoc certa regula dari non poteſt, relinquitur arbitrio Epiſcopi & Confeſſarii, qui habet facultatem Epiſcopi juxta Oſtienſem receptum ab omnibus in D. C. pervenit, ut judicent habita ratione circumſtantiarum, perſonarum, locorum & temporum, cavendo, ne judicent levem eam, quæ enormis eſt juxta Panormit. ibidem. Tertio quod Lapus concludit eſſe percuſſionem levem, a qua poſſet abſolvere Epiſcopus, colaphum, quem impegit Capellanus quidam perpetuus Eccleſiæ Aretinæ cuidam Canonico in eadem Eccleſia abſque ſanguinis effuſione, & quod Cardinalis concluſit percuſſiones duorum Clericorum, qui ſibi ipſis mutuo pugnos & pedes compegerunt in itinere, eſſet levis, a quibus poſſet abſolvere Epiſcopus.*

Deciſum Pariſiis die 19. Septembris an. 1675.
Aug. *de Lamet*.

CASUS X.

Quo in caſu poſſit Epiſcopus Eccleſiaſtici in foro contentioſo damnati interdictum tollere.

QUÆSITUM.

FRanciſcus N.... Presbyter perſonali citatione damnatus, & a ſuis functionibus, quouſque aliter pronunciaretur, interdictus, ut ei ſignificatum fuit die 14. Auguſti an. 1692. interpoſuit appellationem tanquam ab abuſu; Reſcriptum contradictorium Senatus contigit die 28. Julii an. 1693. quo decretum nullum & abuſivum declaratum eſt, & in priſtinum omnino ſtatum Presbyter reſtitutus. Pars civilis hujus Reſcripti caſſationem expoſtulavit; res in Conſilio per annos ſex indeciſa remanſit, quorum ſpatio ſuis eum muneribus fungi Epiſcopus paſſus eſt. Die tandem 11. Maii an. 1700. a Conſilio editum Reſcriptum eſt, quo Senatus Reſcriptum infirmatum fuit, quod certis quibuſdam ritibus careret, & partes ad Senatum Pariſienſem remiſſæ ſunt, ut in eo de appellatione tanquam ab abuſu judicaretur. Civilis pars dictum Presbyterum in interdictum relapſum intelligens dolo malo renuit cauſam proſequi. Presbyter nec bonum poſſidens nec Beneficium eo miſeriarum devenit, ut huic negotii deciſionem urgere omnino non poſſit.

Quæritur, an ejus Epiſcopus, ipſius miſeræ conditionis miſeratione permotus, tuta conſcientia poſſit, auctoritate propria, ei permittere, ut ſuas adhuc functiones obeat, quin ad miniſtrum confugi neceſſe ſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, tametſi cenſura in foro contentioſo, & juridico modo lata tollenda ſit eadem ratione juxta tritum illud, vulgoque receptum: *Per quas cauſas res naſcitur, per eas diſſolvi debet*; tamen in propoſita facti ſpecie, & in rei, de qua agitur, circumſtantiis, interdictum, de quo quæritur, oretenus in Franciſci favorem ab Epiſcopo tolli poſſe, modo alioquin ita ipſi placuerit, eique concedi, ut ſuas functiones exerceat, quemadmodum hactenus conceſſum fuit. Et ſane in eo paupertatis ſtatu, ad quem Franciſcus redactus eſt, & cum ſe proinde imparem videat urgendæ ſuæ appellationi tanquam ab abuſu in Senatu, ad quem Conſilii Reſcripto remiſſus eſt: ſi abſque ope relinquatur, furori ſubditur Adverſariorum, qui ſatis habentes eum a ſuis functionibus prohibitum, & calamitatibus undique obrutum jacere, de perſequendo, & ad exitum perducendo negotio minime cogitabunt; quod ſane quædam veluti civilis partis perſecutio cenſeri debet, a qua hunc Presbyterum liberare ad Epiſcopi charitatem pertinet, ſublato, ut dictum eſt, interdicto, prout in extraordinariis hujuſmodi negotiis ei per conſuetudinem licet.

Deciſum in Sorbona hac die 3. Auguſti an. 1701.

G. Fromageau.

Epiſcoporum poteſtas quoad cenſuras.

CASUS XI.

1 *Epiſcopi non poſſunt abſolvere ab excommunicationibus ob enormia & atrocia crimina inflictis.*
2 *Sacriſtia gaudet Eccleſiæ immunitate, ut Cœmeterium, & Clauſtrum in eadem ſunt immunitate.*
3 *Quas cenſuras ſubierunt duo Presbyteri, qui ſe mutuo percuſſerunt?*

QUÆSITUM.

QUidam Rector indigne ferens Presbyterum communitatis Eccleſiæ ſuæ ſumpſiſſe Pluviale, & Veſperas inchoaſſe Feſti ſolemnis die, ſerius ad Eccleſiam adventante ipſo, utpote aleis cum Matronis ludente; cumque adveniſſet, dum Veſperarum Hymnus caneretur, huic Presbytero vi facta Pluviale detraxit, iis omnibus, qui in Eccleſia aderant, ſpectantibus. Abſolutis Veſperis, in ſacriſtia vetuit huic Presbytero, ne in hac Eccleſia ſacrum faceret, ſuoque Vicario, ne ſacras veſtes ei miniſtraret, quod ita Veſperas inchoaſſet, & officio functus eſſet; id hic Presbyter indignatus ex eo quæſivit, ideone ita prohiberet, quod eſſet Iconoclaſta; anſam arripiens hoc jurgium in eum proferendi, propterea quod paulo ante hic Rector ira percitus ſacras picturas, atque adeo Chriſti Crucifixi magnas imagines æreis typis expreſſas, Eccleſiæ ſuæ foribus proſtantes fregiſſet. Adeo hunc Rectorem exacerbavit injuria hæc, ut impactis in Presbyterum pedibus, adhuc ſtola & Pluviali indutus eum in ſedem a tergo exiſtentem præcipitem egerit. His ictibus male affectus Presbyter ſe mortuum dixit, & vocem extulit; tunc Presbyterorum in Sacriſtia exiſtentium unus Rectorem apprehendit, ut impediret, ne in hunc Presbyterum inveheretur, eique conſentienti Pluviale detraxit; quo facto, Rector in hunc Presbyterum rurſus irruit, & pedibus ipſum contudit; quamobrem qui in Eccleſia aderant, audito hoc jurgio, recluſis Sacriſtiæ foribus ſubeuntes nihil non moliti ſunt, ut ab hoc Presbytero Rectorem divellerent; hac altera vice Presbyter non ſemel pedibus Rectorem impetiit, eumque etiam baculo, quem præ manibus habebat, percutere conatus eſt; ſed teſtes ajunt ſe neſcire, an ictus Rectorem affecerit, quia eorum unus, qui ingreſſi fuerant, manum extendit, ut eum averteret; cum porro iterum ſejuncti eſſent, Rector in hunc Presbyterum tertio invectus, in eum aliquot adhuc ictus injecit.

Licet id omne contigerit, videntibus tantum Presbyteris, & nonnullis Sacriſtiam ingreſſis, & aliquibus aliis foris ad feneſtras ſpectantibus; ii tamen omnes, qui in Eccleſiam convenerant, (erant autem plurimi, utpote Patroni feſto die) negotium ſciverunt, atque adeo locus univerſus id intellexit. Quamobrem quæritur, an hic Rector per Epiſcopum ejuſve Magnum Vicarium ab excommunicatione, quam incurrit, abſolvi poſſit; an vero ea ſit Pontifici reſervata ratione loci, ubi percuſſio facta eſt?

Rurſuſque, an Presbyter, qui percuſſit, tametſi cum prius ipſe percuſſus eſſet, & in ſuum ſuperiorem baculum extulit, eumque fortaſſe verberavit, eamdem excommunicationem, & quidem Pontifici reſervatam incurrerit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod hanc expoſitionem legit, & ad trutinam revocavit, in ea eſt ſententia, ut Rector ab Epiſcopo, ejuſve Generali Vicario nequeat abſolvi, cum ab hoc Parocho patratum facinus, ſpectatis circumſtantiis id comitantibus, tanquam atrox, & quod proinde Pontifici reſervetur, ſpectandum ſit; quoniam certum eſt Epiſcopos ab excommunicationibus ob enormia & atrocia ſcelera inflictis abſolvendi poteſtate fere carere, ſed ab iis tantum, quæ minus notoria ſunt, abſolvere poſſe, ut conſtat ex *c. Pervenit extra de ſentent. excomm. de his abſolvendis, qui Clericis non enormem, ſed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio ducimus committendum*. Quod etiam apertius oſtenditur ex *C. Cum illorum* ibidem, & *C. Canonica* Ibid. ubi Pontifex enormia crimina ſemper excipit, dum Familiarum Religioſarum Superioribus facultatem concedit abſolvendi ſuos Religioſos *de percuſſione Clericorum*, in qua exiſtit excommunicatio, tametſi res eſſet maxime favorabilis ad impediendum, ne Religioſi e ſuis Monaſteriis egrederentur. Jam vero eſt prorſus indubitatum, id de quo in expoſitione agitur, ejuſmodi eſſe, quoniam adeſt grave ſcandalum, quod proinde reſervationem ſecum affert juxta *C. Cum illorum* ſupra laudatum, in quo Pontifex tantum ratione ſcandali ſibi caſus reſervat, cujuſmodi ſunt crimina, in quibus extitiſſet aut membrorum mutilatio, aut Epiſcopo vel Abbati illata vis: *Nos ta-*

men in Religionis favorem, & ut evagandi materia ſubtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes, eorum Prælatis, quod etiam talibus abſolutionis Beneficium impertiri valeant, indulgemus; niſi exceſſus eorum fuerit enormis: utpote ſi ad mutilationem membri, vel effuſionem ſanguinis eſt proceſſum; aut in Epiſcopum, aut Abbatem violenta manus eſt injecta; cum exceſſus tales & ſimiles nequeant ſine ſcandalo præteriri. Quocirca cum Pontifex rationem afferat, cur ſibi caſus reſervet, eamque ſcandalum eſſe pronunciet, licet intelligi, ubi ſcandalum grave eſt, ibi reſervationi locum eſſe; verum id etiam conſtat ex eodem capite, ubi eadem de cauſa Pontifex ſtatuit, ut, ſi Religioſus Clericum Sæcularem percuſſerit, a ſuo Abbate abſolvi nequeat; ſed tantum a ſummo Pontifice: *ſi autem Clericum percuſſerit Sæcularem, nonniſi per Apoſtolicam Sedem* (ut ſcandalum evitetur) *abſolutionis gratiam poterit promereri*. Atque adeo verum eſt, Pontificem in hac actione ſolius ſcandali rationem habere, & de eo tantum tollendo ſollicitum eſſe, ut nolit Religioſum, qui alium ad Abbatiam aliam pertinentem percuſſerit, a ſuo tantum Abbate abſolvi poſſe, ſed velit Abbatem Monaſterii Religioſi percuſſi ad hanc abſolutionem cum eo concurrere: *ſi vero Clauſtralis aliquis in Religioſam perſonam alterius Clauſtri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus, qui paſſus eſt injuriam, abſolvatur*. Ita Monaſteriis duobus, quibus allata eſt injuria, ſatis eſt factum. Verum cum de Sæculari Clerico agitur, ſcandalo in luce, atque omnium oculis poſito, quippe quod maxime execrandum ſcandalum eſt Regularem Virum eo furoris abreptum eſſe, res profecto tanquam enormis atque atrox ſpectatur; quamobrem ratione ſcandali res ad juris rigorem pertinet, neque ullum prorſus temperamentum ac remiſſionem patitur; atque ita ad Pontificem eſt accedendum juxta *C. Si quis ſuadente Diabolo*, 17. *q.* 4. *c. Relatum eſt nobis extra de ſentent. excomm. c. Tua nos ad evidentiam, ibid.* Quoniam porro in hac facti ſpecie de publico ſcandalo agitur, nempe de Parocho, qui ſuæ Eccleſiæ Presbyterum in Sacriſtia neque una vice percuſſit, id quod cum ad Officii exitum, Patroni die contigerit, univerſus Populus in Eccleſia exiſtens non ignoravit; cum ſcandalum atrocitatem & enormitatem inducat, ſecundum Jus, ægre admodum propugnari poſſet actionem hanc Papalem caſum non eſſe, atque in hoc quidem capite hæc Conſilii ſubſcripti ſententia eſt.

Ad interrogationem alteram quod ſpectat, reſpondetur, Presbyterum, qui percuſſit, cum antea male habitus eſſet, & quo ipſo tempore Rector adhuc in eum deſæviret, videri Rectoris obligationi, ut nempe ad Romanam ſedem confugiat, obnoxium non eſſe *Cap. ſi vero in primo §. ſi vero: ſi vero*, inquit Alexander III. *Clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti: Si incontinenti vim vi repellat, cum vim repellere omnes leges omniaque jura permittunt*. Non ideo tamen probari poteſt conſilium hujus Presbyteri, qui contumelioſa in ſuum Parochum verba, & quidem ejus offendendi animo protulit.

Referre non memini *C. cum pro cauſa extra, de ſentent. excomm.* ad oſtendendum Sacriſtiam Eccleſiæ per hoc facinus violatæ immunitate non gaudere, quia Sacriſtia non longius ab Eccleſia diſtat, quam Cœmeterium & Clauſtrum, quæ eadem immunitate fruuntur; aut etiam Fagnani auctoritatem in cap. *Cum illorum de ſentent. excomm. a n.* 16. *ad* 26. ubi oſtendit atrocitatem ex loco repeti, ubi actio contigit.

Deciſum in Sorbona die 15. Novembris an. 1681.
A. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CHORI PRÆFECTURA.

Chori Præfectura unita Canonicatui, qui reſignatur.

CASUS.

1 *Chori Præfectus Canonicatum dignitati unitum poſſidens, non poteſt alterutrum ſine altero reſignare.*
2 *Non poteſt ex ſola Chori Præfectura penſionem retinere, ſed ex Chori Præfectura, & Canonicatu ſimul conjunctis.*
3 *Cum ſimplex Canonicus erit, non poterit ſuum ſucceſſorem, aut ullam aliam dignitatem præcedere; ſed tenebitur ſuam ſedem occupare pro ſuo novi Canonici gradu, niſi favore Capituli dignior ei locus aſſignetur.*

QUÆSITUM.

Unita eſt Canonicatui Chori Præfecti dignitas in Eccleſia N...... Dignitas hæc ipſa per ſe nonniſi 350. reditus libras habet. Quamobrem quæritur,

I. An Petrus poſſit Chori Præfecturam Paulo reſignare, & ex ea penſionis 200. libras percipere, Canonicatum unitum retinens?

II. An Petrus provectæ ætatis atque ægritudinum ſuarum cauſa poſſit ex hac dignitate duas tertias proventus partes percipere?

III. An ſuam dignitatem permutans cum Canonico, qui ei ſuum Canonicatum tribuit, poſſit ſuam Chori Præfecti ſedem tueri, eumque in Choro præcedere, qui ipſi ſuccedit, perinde ac Cancellarium, qui poſt Chori Præfectum ſedet?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, cum Præbenda Chori Præfecturæ unita eſt, Beneficium minus unitum eſſe majori, ut dignitati major proventus, & Chori Præfecto ſuffragii jus tribueretur. Unionis forma hæc in jure dicitur *Acceſſoria*. Sed quoniam ex expoſitione liquet horum duorum Beneficiorum titulos minime confuſos fuiſſe, ut ex duobus unum fieret, quæ perfecta unio eſſet, ſed utrumque ſubſiſtere, unio, quæ facta eſt, ex earum eſt numero, quæ a Canoniſtis nuncupantur *æque principales*. Vide Gloſſam Cap. *& temporis c.* 16. *quæſt.* 1. *tit. de unione*. Videatur etiam Garcias 11. *p. c.* 5. *num.* 198. Super unione, de qua agitur.

Hoc poſito reſpondetur,

I. Petrum Chori Præfectura donatum non poſſe ſeorſim a Canonicatu, qui ei annexus eſt, ipſam reſignare. Si enim hæc veri nominis unio eſt, & ſecundum formas & ſolemnitates juris facta eſt, Petrus nequaquam poteſt ſua peculiari auctoritate duo hæc Beneficia ſejungere unum ſine alio reſignans. Exiſtit ea regula, rem iis principiis diſſolvi, quibus inſtituta eſt, & quod Superiori auctoritate factum eſt, inferiori revocari non poſſe.

II. Poteſt Petrus Chori Præfecturam & Canonicatum unitum cum Pauli Canonicatu ad 200. librarum penſionem permutare. Sed quoniam ob ſuam ſenectutem ſuaſque ægritudines ſperare poteſt, fore ut Pontifex ex Chori Præfectura, cujus reditus eſt librarum tantum 350. ſibi librarum 200. penſionem concedat; non apparet, quamobrem efficere velit, ut in Chori Præfectura, & non in Canonicatu eidem annexo creetur penſio, aut potius in utroque, quoniam unita ſunt.

Rationes, quas Petrus affert, minime probant neceſſe eſſe penſionem in ſola dignitate conſtitui, quoniam ea in duobus Beneficiis conſtituta, Petrus ipſe finem tam ſibi quam Paulo propoſitum conſequetur.

Reſpondetur ad interrogationem poſtremam, Petrum permutatione facta cum ſimplici Canonicatu non amplius jus habiturum præeundi Paulo ſeu in Choro, ſeu in Capitulo, niſi adſit ſuppoſita conſuetudo, aut Capitulum hanc ei gratiam concedat; ſed neceſſe fore, ut Canonicatus recens acquiſiti ſedem occupet juxta ſuæ receptionis ordinem,

nem, ut monent Barboſa *de Canon. c.* 18. *n.* 16. & Zerola 18. *praxi v. Canon. n.* 8. *eodem modo*, inquit Barboſa, *Canonicus, qui Canonicatum dimiſit, & alium in eadem Eccleſia impetravit, locum ultimi Canonicatus obtenti habere debet, nec poteſt retinere locum primi dimiſſi*. Per hanc regulam Petrus infra Chori Præfectum, & infra Cancellarium ſedere debet, quia cum hi duo tituli ſint Dignitates, & quidem ex Capituli ſententia, communi jure debent eos antecedere, qui ſimplices tantum Canonicatus poſſident.

Deciſum in Sorbona hac die 11. Decembris an. 1692.

G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CAPTIVI.

Captivi, qui vendi & emi ſolent.

CASUS.

Regulæ ſuper Captivorum generatim, & Nigrorum ſingillatim commercio.

QUÆSITUM.

Quæritur an tuta Conſcientia Nigri vendi poſſint? Qui hac in re ſcrupulo tanguntur, ajunt, inhumanum eſſe homines emi, vendique.

II. Cum minime liceat rem emi, quam conſtat raptam eſſe, Nigros emi non poſſe, quia vi capti, & aſportati ſunt; hæc quippe deprædatio inter eos uſitata eſt, ſeſe mutuo deprædantur. Id publicum eſt, ac proinde non licet hoc commercium cum iis iniri.

Qui contra ſentiunt, ajunt his hominum miſerrimis id magno bono eſſe, quia in catholicas regiones delati erudiuntur, ac baptizantur, non repugnantes quidem, ſed potius ad id maxime comparati; ſuntque ex iis bene multi, qui vehementer baptiſmum petunt, cum apud nos exiſtunt, ut ſe a Diabolo liberent, a quo ſe male haberi, ac plecti teſtantur. Carerent illi hoc magno bono in patriis locis, quæ omnino idololatriæ deſerviunt, & in quibus nulli prorſus Miſſionarii Catholici reperiuntur.

II. Omnes Chriſtiani Principes ſubditos ſuos huic commercio vacare ſinunt.

III. Hiſpani & Luſitani, qui inter Catholicos ſibi primas tribunt, omnium maxime in id commercium incumbunt.

IV. Noſter Rex Chriſtianiſſimus haud gravate captivos Turcas emit, quamvis eorum pauciſſimi Chriſtianam fidem ſuſcipiant.

V. Nigri fere melius apud nos, quam in patria aluntur, veſtiuntur, & ſi ægrotent, curantur.

VI. Regionis ejus Rex, in qua naſcuntur, tolerat hoc commercium, permittitque Chriſtianis, ut pulſato tympano moneantur omnes, qui Captivos vendendos poſſident, ſtata die Mercatores, eos emendi gratia, adventuros.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ante quam propoſitæ difficultati occurratur, ponenda eſſe aliqua principia, quibus reddi poſſit ſolutio, quæ petitur, expeditior, eodemque tempore captu facilior.

I. Servitus non eſt naturalis juris, immo vero liber natus eſt homo, ac Jure Gentium ſervitus inducta eſt, *diſt.* 1. *cap.* 3. *Jus gentium eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes*, &c.

II. Jure Canonico permiſſum erat Chriſtianis Captivos habere, ut animadvertit Gregorius Toloſanus *c.* 2. *jur. univ. Permiſſos aliquando Chriſtianis ſervos jure Pontificio conſtat. Tit. de ſerv. non ordin. invitis Dom. & de conjug. ſerv. Imo erant & ſervi in ipſis Eccleſiis & Baſilicis cap.* 3. *& cap. Epiſcopi de rebus Eccleſ. non alienand.* Erant olim Captivi in Gallia, ut ex multis Capitularium textibus *tom.* 1. *&* 2. & ex Gregorio Toloſano *l.* 4. *c.* 2. *jur. univ. n.* 3. licet intelligi. Iis dubio procul peculiares Eccleſiæ non carebant, quod oſtenditur ex multis Capitibus *diſt.* 54. 12. *q.* 2. & ex Decretalibus *de ſervis conjugat*.

Neque eos in ipſa Romana Eccleſia deſuiſſe conſtat ex Sancti Gregorii Epiſtola 12. l. 5. inſerta Juri 12. *q.* 2. *c.* 68. *Redemptor*, ex qua liquet hunc Pontificem libertate donaſſe Captivos duos, qui Eccleſiæ Romanæ addicti erant: *Salubriter agitur, ſi homines, quos ab initio natura liberos protulit, & jus gentium jugo ſubſtituit ſervitutis in ea, in qua nati fuerint, manumittentis beneficio, libertati reddantur, atque ideo pietatis intuitu, & hujus rei conſideratione permoti vos Montanum atque Thomam famulos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo adjutore deſervimus, libertos ex hac die, civeſque Romanos efficimus, omneque veſtrum vobis relaxamus ſervitutis peculium.*

III. Jus Civile Captivos agnoſcit, & permiſſos eſſe ſupponit. Imperator Juſtinianus ſervitutem definit, declaratque in ſuis Inſtitutis *tit.* 3. *de jure perſon.* quomodo ſervitus inducta fuerit: *Servitus eſt conſtitutio juris gentium, qua quis Domino alieno contra naturam ſubjicitur*. Ait eam inductam eſſe jure gentium, affertque deinde rationem, ob quam Captivi nuncupantur *ſervi*, aut *mancipia*: *ſervi autem ex eo appellati ſunt, quod Imperatores Captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent; qui etiam mancipia dicti ſunt, quia ab hoſtibus manu capiuntur; ſervi autem aut naſcuntur, aut fiunt: naſcuntur ex ancillis noſtris: fiunt, aut jure gentium, id eſt, captivitate; aut jure civili, cum homo liber* 20. *annis ad prettium participandum ſeſe venundari paſſus eſt.*

Ait autem Juſtinianus ſervitutem eſſe ex jure gentium, aut Civili: *ſervi fiunt aut jure gentium, id eſt captivitate, aut jure civili*, non quia ſervitus proprie ex jure civili proveniat, ſed quia cum ab origine inducta fuerit jure gentium, ejus deinde variæ rationes Jure Civili inſtitutæ ſunt, ut Diana 7. *p. tr.* 7. *reſ.* 2. in hunc Inſtitutorum locum animadvertit: *Etenim in his locis agitur de modis conſtituendæ ſervitutis: in propoſita vero definitione tractatur de natura ſervitutis, & prima origine, quam ex Jure Gentium eſſe conſtat; ac certe natura & vis ſervitutis ubique eſt eadem, quocumque tandem modo eveniat.*

IV. Ut altius id repetatur, ſervitus in veteri teſtamento permiſſa fuit, ut proinde aſſeri poſſit Captivos Jure Divino permiſſos eſſe; & ſane Exodi *cap.* 12. *v.* 44. leguntur hæc: *Omnis ſervus emptitius circumcidetur*. Et in Levitico c. 25. v. 44. occurrunt verba hæc longe apertiora: *Servus & Ancilla ſint vobis de Nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt..... Hos habebitis famulos; & hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum.*

In Novo Teſtamento ſermo eſt de Captivis 1. *Corinth. c.* 7. *v.* 21. *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis utere*. Loquitur Apoſtolus hoc loco de Captivis, non vero de ſervis, qui tantum mercede conducti ſunt; eos enim liberis perſonis opponit. Illud autem notandum in Chriſtianæ Religionis exordio non defuiſſe, qui crederent, ſtatim ac quis baptizatus eſſet, liberum fieri, quia nempe Chriſtus Dominus nos ſua morte a peccati captivitate redemit; quamobrem Chriſtiani Captivi bene multi volebant Dominos ſuos deſerere, eos contemnebant, & ægre iiſdem parebant; opinionem hanc tanquam falſam damnat D. Paulus, eoſque, ut ſuis Dominis obediant, hortatur *Ep. ad Epheſ. c.* 6. 1. 5. *& ad Coloſſ. S. ſervi obedite Dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes*. Et in Epiſtola ad Philemonem Apoſtolus, qui Romæ erat, remittit Oneſium ad Philemonem ejus Dominum, cui furatus fuerat. Porro Oneſimus, cum Romam veniſſet, a D. Paulo ad fidem converſus fuerat. Ni permiſſum fuiſſet Chriſtianos Captivos habere, hic magnus Apoſtolus Oneſimum detinuiſſet, & ipſius Dominum per litteras monuiſſet eum baptiſ-

baptiſmatis gratia liberum evaſiſſe; cum tamen ad ipſum remittit, eum rogans, ut in ipſius gratiam eidem ignoſcat.

V. Mos eſt ad libertatem, quam Chriſtus Dominus morte ſua nobis comparavit, decorandam jam pridem inſtitutus, ut inter Chriſtianos bello capti non evadant captivi. Ita ſentiunt Auctores, Covarruvias 2. *p.* §. 11. *n.* 6. *pag.* 512. Soto *l.* 4. *art.* 2. *q.* 1. *ad fin. de juſt. & jur.* Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 33. *de juſt. & jur.* Bannez 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 12. Sanchez *l.* 1. *conſil. dub.* 3. *n.* 6. Leſſius *l.* 2. *c.* 5. *dub.* 4 Diana 7. *p. tr.* 7. reſolut. 5. & alii complures.

VI. Chriſtiani non debent captivos ſuos Infidelibus, aut Hæreticis vendere; ita ſtatuitur in l. 6. Capitularium n. 423. *Præcipitur generaliter omnibus, ut mancipia Chriſtiana Paganis, aut Judæis non tradantur.* Et ſane qui ita Catholicis uteretur, eoſque Ethnicis, aliiſve Infidelibus dederet, nimis eorum fidem in diſcrimen adduceret. V. Sanchez *l.* 1. *cap,* 1. *dub.* 5. *conſil.*

VII. Ita de captivis judicandum eſt ac de bonis cæteris, quæ quis poſſidet; adeoque quemadmodum id emi non licet, quod legitime ad venditorem non pertinet, aut quod ad eum minime pertinere eſt valde probabile, ita a juſtitia alienum eſt captivos ab iis emere, qui eos juſto titulo non poſſident, aut cum de legitima eorum acquiſitione merito dubitatur. Videndi Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſt.* 35. *n.* 11. *de juſt. & jur.* aliique Theologi, de quibus infra.

His poſitis tanquam certis, reſpondetur omnino in ſe malum non eſſe Captivos emere aut vendere, cum juſto titulo ejuſmodi ſunt; quamvis enim in Jure Civili ſervitus contra naturam eſſe dicatur: *ſervitus eſt, qua quis domino alieno contra naturam ſubjicitur*, non inde tamen concludendum eam illicitam eſſe. Dicitur eſſe contra naturam, non autem contra rationem, & contra naturale jus, quia homo ſpectatus in ſua origine natus eſt liber, at ſi in quibuſdam circumſtantiis ſpectetur, Jus Gentium ei adimit libertatem. Exempli cauſa in bello juſto victor jure poteſt hoſtes, qui reſiſtunt, & quos capit, morte plectere; ac proinde potiori ratione poteſt eos libertate privare, & Captivos tenere; declaratur id omne *tit.* 2. *Inſtit. de jur. perſ. Jus autem gentium omni humano generi commune eſt; nam uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ jura quædam ſibi conſtituerunt; bella enim orta ſunt, & captivitates ſecutæ, & ſervitutes, quæ ſunt naturali juri contrariæ: jure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur.* Videri poteſt, quod dictum eſt ſupra *n.* 3. Uno verbo divino & humano Jure Captivi permittuntur; ex quo ſequitur eos poſſe vendi, emi, permutari, ut alia bona, quorum legitima poſſeſſio præſto eſt.

In hac facti ſpecie difficultas maxima non in eo vertitur, utrum Captivi vendi poſſint; id enim ex principiis ſupra poſitis certum eſt; ſed an Nigrorum, aliorumque Captivorum commercium, qua fere ratione fit, injuſtum necne ſit. Auctores bene multi, qui quæſtionem hanc expenderunt, aſſerunt ejuſmodi commercium, quod in Guinea, Ethiopia, aliiſque Infidelium regionibus exercetur, fere ſemper injuſtum eſſe; ut proinde Mercatores, qui ibidem Captivos vendunt, emuntve, mortaliter peccent, iiſque libertatem reddere teneantur. Videri hac in re poſſunt Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 35. *num.* 16. *& ſeqq. de jure & juſt.* Sanchez *l.* 1. *c.* 1. *dub.* 4. *conſil. num.* 10. Diana 7. *par. tractat.* 7. *Reſol.* 71.

Ad id explicandum, ponendum eſt tanquam certum tria eſſe ſervitutis genera, ſeu triplici titulo quempiam poſſe Captivum evadere, *jure belli*, *condemnatione*, *& emptione*. Porro quamvis omnes hi tituli ſuapte natura juſti ſint, ſæpiſſime tamen fit, ut ob circumſtantias deſinant juſti eſſe.

Primo quidem quod attinet ad bellum, quod Captivos efficiendi jus affert, cum juſtum eſt, fere Barbari committunt inter ſe prælia permoti privato odio, levibus cauſis, & ſola comparandorum Captivorum cupiditate, prævidentes fore, ut Luſitani, aliive Mercatores ſtato tempore eoſdem empturi veniant; adeoque cum Mercatores norunt, ut plerique non ignorant, Nigros, quos emunt, hac ratione Captivos evaſiſſe, aut raptos fuiſſe, eos emere nequeunt, quia titulus eorum ſervitutis injuſtus eſt, eoſque vel fraude vel vi Venditor acquiſivit.

Quod ſpectat ad ſecundum titulum, ſæpe fit, ut hi Barbari odio atque indignatione libertatem adimant; uno verbo fere omnes earum regionum Leges tyrannicæ ſunt, ut citati Auctores teſtantur. Hinc eſt Chriſtianos citra peccatum non poſſe Captivos emere, quibus hac ratione libertas adempta eſt, aut in captivitate retinere.

Denique permiſſa eſt Nigrorum emptio, ſive ſe ipſi vendant, ſive proprios filios, quod facere poſſunt in quibuſdam caſibus. Sed cum illi fere ſemper ignorent, quid ſit captivitas, nec Emptores id unquam iis explicant, ac præterea venditio ea peragitur extra caſus, in quibus quis poteſt ſe vendere: ſequitur hunc poſtremum titulum eorumdem Auctorum judicio injuſtum eſſe, & Captivos hoc modo venditos legitime poſſideri non poſſe. Vide Theologos citatos, qui hujus commercii injuſtitiam diſtinctius etiam declarant.

Ex his omnibus conſequens fit Nigros tuta conſcientia nec emi nec vendi poſſe, quia commercium hoc a juſtitia alienum eſt. Si tamen, omnibus accurate ponderatis, Nigri, qui emuntur, juſto titulo captivi ſint, & ex Emptorum parte nulla vel injuſtitia, vel fraus exiſtat, tunc quidem juxta jacta principia emi, vendique poſſunt iis conditionibus, quæ notatæ ſunt; emi quoque poſſent citra ullum examen, ſi id fieret ad eos convertendos, ac libertati reſtituendos.

Deciſum hac die 15. Aprilis an. 1698.
G. *Fromageau.*

CAUTIO NAVIS NEGOTIATORIÆ.

CAutio maritima Contractus eſt, quo quis promittit fore, ut indemnem ſervet Mercatorem, cujus merces ex una in aliam regionem Navi tranſvehuntur; & id quidem certo ſtatuto pretio, de quo pro quoque centeſimo convenit inter eum, cui cavetur, & caventem; hoc eſt inter eum, qui merces aſportat, vel curat aſportandas, & eum, qui indemnitatem promittit. Actus, quo cautio firmatur, Syngrapha, ſeu cautionis ſchedula nuncupatur; Galli dicunt *Police d' aſſurance*, ab Italico vocabulo *Polizza* nomen mutuati. Contractum hunc Romanis ignotum non fuiſſe fit admodum veroſimile, quoniam Svetonius in vita Claudii Imperatoris, *Negotiatoribus*, inquit, *certa lucra impoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi quid per tempeſtates accideret.* In Commercii maritimi Conſtitutione menſis Auguſti an. 1681. enucleate ejuſmodi mercaturæ omnis ratio proponitur. Hæc porro potiſſimum veniunt animadvertenda.

I. Licet cuivis cavere aut cavendum curare de navibus, mercibus, aliiſque rebus, quæcumque per mare, & navigabiles fluvios vehuntur, & ſtipulationem inſtituere de pretio, cujus gratia cavens in ſe periculum ſuſcipit.

II. In ſcripturam redigenda eſt ſtipulatio, omneſque navigationis circumſtantias complecti debet, nempe primam, ſeu cautionis pretium, hoc eſt ſummam, quam cavens ei tribuit, cui cavet, quæque utpote in anteceſſum ſolvenda dicitur prima, & conditiones omnes, de quibus inter partes convenit,

III. Si

III. Si periculorum tempus in ſchedula non definiatur, incipient illa, ac deſinent eo tempore, quod in maritimi fœnoris contractibus præſcribitur, videlicet a die, qua Navis e portu ſolvit, quoad pervenerit, quo tendebat, & in littore conſtiterit; quod attinet ad merces decurret tempus, ſtatim ac Navi impoſitæ fuerint, ad eam diem, qua e navi vel Triremi fuerint eductæ.

IV. Cautiones ſpectare poſſunt ad Navim ipſam aut vacuam aut onuſtam, quemadmodum etiam ad annonam, & merces vel conjunctim, vel ſejunctim, ut etiam ad abitum, aut reditum, ut deciſum eſt in *Art.* 3. *Guidon.*

V. Propriæ quoque libertati cautio quæri poteſt; & in hac facti ſpecie ſchedula continebit nomen, patriam, domicilium, ætatem, & conditionem ejus, qui ſibi cautionem paciſcitur; Navilii nomen, & portus, e quo ſolvere, & quem occupare debet; pecuniam, ſi forte captivitas contigerit, ſolvendam, tum ob redemptionem, tum ob reditus diſpendia, cui tradenda pecunia, quibuſque pœnis.

VI. Non poteſt hominum vitæ, vel maritimi fœnoris contractibus caveri.

VII. Ii, quibus cavetur, ſemper obnoxii ſunt periculo decimæ partis vectarum mercium, niſi declarent in ſyngrapha eam ſibi mentem eſſe, ut omnino caveatur.

VIII. Pericula, ad quæ caventes tenentur, ſita ſunt in omnibus jacturis, damniſque, quæ in mari contingunt ex procellis, naufragio, ſcopulorum colliſu, navis concuſſione, mutatione viæ, vel itineris, vel navilii, jactu mercium, naulo, captura, direptione, reſcripto Principis, indicto bello, aggreſſione, & generatim quovis alio maris eventu. Porro incommoda hæc omnia ſingillatim hoc loco expendenda non ſuſcipiuntur, quippe quæ ſatis in laudata Conſtitutione declarentur. Illud unum animadverſione dignum eſt, Caventes iis jacturis obnoxios non eſſe, quæ Gubernatorum, aut Nautarum culpa, vel rerum ipſarum vitio contigerint.

IX. Cautio certo temporis ſpatio circumſcribi poteſt; at ſi itineris ratio omnis expoſita fuerit, Cavens itineris univerſi periculum ſubire debet.

Omnis demum cautio ſubſecuta jacturam mercium, quarum incolumitati caretur, nulla eſt, niſi forte poſt fauſtum, infauſtumve nuntium inita ſit. Hactenus dicta facti ſpeciem, quæ mox proponitur, illuſtrabunt.

CASUS.

Navi mercibus oneratæ caveri poteſt, dummodo fœnus æquo majus non percipiatur; ad Mercatores porro confugiendum eſt, ut an immodica ſint fœnora, cognoſcatur.

QUÆSITUM.

Petrus merces pretio ſcutorum mille per mare in Hiſpanias mittens, ſibi cavendum curat, datis caventi quindecim pro centenis. Si navis in itinere perierit, cavens ſoluto mercium pretio Mercatorem indemnem ſervat, & dat centum pro quindecim, quæ accepturus erat. Si ſoſpes & incolumis navis portum occupet, cavens nummum decimum quintum lucratur, quod ratione periculi juſtitiæ conſonum eſt. In eo porro vertitur difficultas, quod hi primi ſponſores conquirunt alios, qui eidem ſummæ cavent, quarta ſeu dimidia parte minori fœnore, atque adeo quod fœnoris ſupereſt, citra periculum prioribus cedit. Quæritur, idne liceat, & an qui prior cavit, denarium decimum quintum pro centeſimo percipere poſſit ex mercibus, quibus alter cavit octavi, vel decimi denarii fœnore, ut proinde prior abſque periculo ſextum, aut ſeptimum pro centeſimo quoque percipiat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, exiſtimat, ſi quid a juſtitia alienum eſt in hac unius ejuſdemque rei duplici cautione, id ab uſura non eſſe, quæ in duabus hiſce conventionibus nulla eſt, cum mutuum in iiſdem nullum exiſtat; cumque, qui prior cavet jure ſibi, utpote graviſſimæ jacturæ obnoxio proſpicere poſſe, perinde ac Mercatorem, cujus ipſe merces data fide tutas reddidit. Poteſt itaque ſperati lucri partem alteri concedere, qui ſibi jus, quo gaudet in navim, ſervet incolume. Si quid igitur injuſti eſt in hoc negotio, id omne ad immodicam, quæ ex priore cautione percipitur, ſummam ſpectat. Sed Mercatorum eſt, definire, an denarium, quo ille cavet, nimium ſit, habita quoque ratione periculi, cui adhuc ſubeſt, cum is, qui ſibi ipſi deinde cavit, deficere poſſit. Prior quippe ſemper remanet obligatus, & ſemper Mercatori reſpondere tenetur, ſi quid damni contigerit, ac ſi poſterior pro conventione, quam ſecum inivit, ſolvendo, & reſpondendo non ſit.

Deciſum Pariſiis in Sorbona Kalendis Septembris an. 1680.

CHOREA.

Quoniam Choreæ fere peccati occaſiones ſunt, & ſaltem Fideles impediunt, quominus in ſpiritales res ad Dei cultum, propriamque ipſorum ſalutem ſpectantes incumbant: eo Concilia ſuam omnem operam contulerunt, ut Fideles ipſos ab iis deterrerent, præſertim Dominicis Feſtiſque diebus, atque ut caverent, ne ii dies violarentur ejuſmodi oblectationibus, quæ aptius in Ethnicos, quam in veri nominis Chriſtianos cadunt. (*a*) Concilium tertium Toletanum in Jure Canonico relatum pronunciat conſuetudinem, quæ vulgo irrepſit, Choreis, turpibuſque cantionibus vacandi, in Sanctorum ſolemnitatibus, quibus pia ac diligens opera Divinis Officiis navanda eſt, impiam eſſe, præſertim cum qui eam ſectantur, non modo ſibimet ipſis nocent, ſed piis quoque perſonis ſcandalo ſunt. Quamobrem hæc Synodus Sacerdotibus & Magiſtratibus præcipit, ut hunc pernicioſum morem in omnibus Hiſpaniarum Provinciis abrogandum ſedulo curent; & Divus Carolus (*b*) volens criminoſas has profanationes diebus ſaltem Dominicis & Feſtis de medio funditus tollere, de iiſdem loquitur in hæc verba: *Quoniam autem uſu jam in Provincia nimis compertum eſt, depravatis his temporibus & moribus, ad choreas tripudia, ſaltationes, & id genus alia nunquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes obſcæne dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſos ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia quam ſæpiſſime; his*

(*a*) Concil. Tolet. M. canon. 23. refert. in can. irreligioſa de corſac. diſt. 3.

(*b*) S. Carol. conc. Mediolan. III. tit. 11. de Feſt. dierum cult.

his tot offenſionum, & peccatorum ſeminariis locum dari, iis præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt, & iis ipſis diebus fideles pleroſque nefariis iſtis Satanæ blanditiis illectos a divinis officiis, religioſis ſupplicationibus, lectionibuſque ſacris abduci, avertique rudes percipiendis fidei rudimentis, alioſque ab aliis Chriſtianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt abſtrahi, & amoveri; hoc certe graviſſimum eſt in conſpectu Dei, & Eccleſiæ. Quare feſtis iis diebus, ſaltem horis, quibus divina celebrantur officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, Choreæ ducantur, aut fiant. Concilia Turonenſe, Bituricenſe, Aquiſgranenſe eoſdem abuſus deplorant.

Conſtitutiones Regum Galliæ teſtantur eamdem ab hujuſmodi exceſſibus & profanationibus averſionem. Aurelianenſis Conſtitutio ita habet: „Prohibemus omnibus Judicibus, ne permittant diebus „Dominicis & Feſtis ullas Nundinas & Mercaturas exerceri, aut publicas Choreas inſtitui, iiſque „mandamus, ut eos puniant, qui contra fecerint". In Bleſenſi Conſtitutione eædem occurrunt prohibitiones; atque hæ omnes Conſtitutiones confirmatæ fuere Reſcripto Regis in Conſilio ſtatus habito eo in loco, qui Fons Bellaqueus dicitur, die 23. Julii an. 1666. Pariſienſis Senatus in harum priorum Conſtitutionum conſecutionem die 1. Octobris an. 1588. in Reformationis formam Reſcriptum ediderat, quo Judicibus omnibus prohibebat, ne diebus Dominicis, feſtiſque ſolemnibus ullas nundinas, mercaturas, aut choreas publicas peragi ſinerent, id quod in ruribus non accurate ſervatur.

Conditiones tres ſtatuit D. Thomas, ut Choream eximat a peccato; ita enim loquitur in ſuis in Iſaiam Prophetam commentariis: *Deinde quæritur de ludis Chorealibus, utrum ſine peccato exerceri poſſint, propter illud, quod dicit (& plaudebant). Arguit enim hoc tanquam peccatum. Ad quod dicendum, quòd ludus ſecundum ſe non eſt malus; aliter in ludis non eſſet virtus, quæ dicitur eutrapelia; ſed ſecundum quod ordinatur diverſo fine, & veſtitus diverſis circumſtantiis, poteſt eſſe actus virtutis, & vitii. Quia enim impoſſibile eſt ſemper agere in vita activa, & contemplativa, ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia ſeveritate frangatur, & ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Et ſi tali fine fiat, de ludis cum aliis circumſtantiis erit actus virtutis, & poterit eſſe meritorius, ſi gratia informetur. Iſtæ autem circumſtantiæ videntur in ludo choreali obſervandæ, ut non ſit perſona indecens, ſicut Clericus, vel Religioſus; ut ſit tempore lætitiæ, ut liberationis gratia, vel in nuptiis, & hujuſmodi; ut fiat cum honeſtis perſonis & cum honeſto cantu, & quod geſtus non ſint nimis laſcivi, & ſi qua hujuſmodi ſunt. Si autem fiant ad provocandam laſciviam, & ſecundum alias circumſtantias, conſtat, quod actus vitioſus erit.*

Regulæ pro ſaltationum prohibitione aut permiſſione.

CASUS.

1 *Confeſſarius non debet abſolvere Cithariſtam pſallentem in choreis publicis, Divini ſervitii tempore diebus Dominicis & feſtis.*

2 *Debet etiam vetare, ne unquam pſallat his ſanctis diebus Domino præſertim dicatis.*

3 *Antiquorum Theologorum ſententia eſt eum diebus hiſce pſallere non poſſe, quin graviter peccet.*

4 *Choreæ, in quibus nihil turpe, nihil Chriſtianæ modeſtiæ contrarium eſt, ferialibus diebus permitti poſſunt; ſed cum choreæ ejuſmodi raræ ſint, eas Sancti generatim damnant.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut reſpondeant ad quæſtiones ſequentes, quarum deciſio maximi momenti eſt ad Parochiarum adminiſtrationem tam in Urbe, quam ruri.

I. Confeſſarius debetne Chariſtis injungere, ne in choreis pſallant, dum divina officia celebrantur, diebus Dominicis & Feſtis? Poteſtne ab iiſdem poſtulare, ut ne quo horum ipſorum dierum tempore pſallant, præſertim in Feſtis ſolemnibus, & iis abſolutionem denegare, qui id promittere noluerint?

II. Poteſtne ipſis ejuſdem pœnæ metu prohibere, ne ferialibus diebus pſallant?

III. Poteſtne id permittere his ipſis diebus ad ſaltandum in nuptiis?

IV. Debetne iis injungere, ut ejuſmodi arti, quam profitentur, nuncium remittant, an vero eos ſinere certis conditionibus, & quænam eſſe debent conditiones hæ?

V. Debetne ſuis pœnitentibus quælibet ſaltationum genera prohibere, an vero iis tantum, quibus ſunt proxima peccati occaſio, ita ut cæteros diebus Dominicis & Feſtis choreas ducere prohibeat, etiam extra divinorum Officiorum tempus?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat quoad quæſtionem primam, Confeſſarium, poſtquam citharistæ expoſuit Eccleſiæ regulas, eumque commonuit oportere, ut choreis prohibitis, utpote quæ opponuntur venerationi, quæ diebus Domino conſecratis debetur, ipſe cooperetur, & ne Fideles, qui interea temporis adeſſe debent, ut Eccleſiæ præcibus proprias conjungant, a Divino Servitio abducat, Confeſſarium, inquam, ei declarare debere, ſe non poſſe eumdem abſolvere, ſi diebus hiſce Officii tempore pſallere pergat. Mediolanenſe Concilium ſub S. Carolo prohibet diſertis verbis choreas Officii divini tempore tit. 1. *feſtorum cultu: Feſtis diebus ſaltem horis, quibus divina officia celebrantur, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant.*

Rationes, quæ ad hanc edendam reformationem hoc Concilium moverunt, ſunt communes omnium Eccleſiarum, quarum tantum intereſt, quantum Mediolanenſis, ne ſcilicet Fideles a Dei ſervitio, aut a ſuorum Paſtorum inſtructionibus abducantur; id quod eorum ſaluti ſummopere pernicioſum, graviſque ſcandali cauſa eſſet. Hanc ob cauſam Reges noſtri Provinciis Aurelianenſi art. 35. & Bleſenſi art. 38. Officii divini tempore diebus Dominicis & Feſtis choreas prohibuerunt, atque ita quidem ad Cleri, qui hunc articulum in ſuo libello ſupplici poſuerat, poſtulationem ſanxerunt. Eamdem jam diſciplinam ſtatuerant Imperatores, ut conſtat ex Lege *de feriis*, in Codice, quem citant Theologi noſtri veteres, quorum nonnulli credidere diebus quidem Dominicis & Feſtis citra mortale peccatum choreas publicas haberi non poſſe. Richardus de Mediavilla *in 3. ſent. diſt. 37. quæſt.* 4. *ad* 3. teſtatur hanc Theologorum communem ſententiam fuiſſe: *dicendum, quod qui in diebus Dominicis choreas ducunt, & baſtiludia faciunt, mortaliter peccant, ut dicunt Magiſtri; quod de baſtiludiis apud eos dubium non videtur, cum conſimili ratione videantur eſſe prohibita, ut torneamenta, quæ prohibita ſunt fieri, non tantum diebus Dominicis, ſed diebus quibuſcumque, extra de torneamentis. cap. 1. Choreas etiam eſſe prohibitas maxime diebus Dominicis probant per illud, quod dicitur cap. de feriis l. 2. dies feſtos Divinæ majeſtati dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari.*

Quod argumento eſt Mediolanenſe Concilium, noſtrorumque Regum Conſtitutiones Imperatorum antiqua praxi firmari, & Reformationes poſtremis temporibus inſtitutas veterum Theologorum doctrinæ conformes eſſe. Itaque Conſilium ſubſcriptum cenſet, Confeſſarium debere in id vehementer incumbere, ut Citharædum hunc ſubdat hujuſmodi

regu-

regulis, quas citra mortale peccatum, ſatis inſtructus, violare non poſſet, ſiquidem Legibus ab Eccleſia tam ſancte inſtitutis, & per Principes confirmatis ſordidum lucrum præferret.

Quoad quæſtionem alteram, juxta veterum Theologorum doctrinam Citharistas, qui diebus Dominicis & Feſtis vel extra Officii Divini tempus in Choreis publicis ſuam operam collocant, gravis culpæ reos eſſe. Richardus de Mediavilla modo laudatus horum ſanctorum dierum nullam partem excipit, atque univerſim pronunciat, his ipſis diebus Choreas duci omnino non licere: *Dicendum, quod qui in diebus Dominicis choreas ducunt, & baſtiludia faciunt, mortaliter peccant, ut dicunt Magiſtri*. Non liquet ex ejus Opere, illius temporis, nempe ſæculi decimitertii Doctores ſuper hoc articulo alios alia ſenſiſſe; & ratio, quam Richardus affert, generalis eſt, ejuſque illud fundamentum eſt, quod Choreæ prohibitæ ſunt, & potiſſimum diebus Dominicis; ita ut ſi perpendantur hujus Auctoris verba, nullus ſuperſit credendi locus Imperatoris Legem, qua his diebus feſtis choreæ prohibentur, quia dies hi Deo peculiari titulo dicati & conſecrati ſunt, *Dies feſtos divinæ Majeſtati dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari*, eam, inquam, Legem ab iis veteribus Theologis reſtrictam eſſe. Hoc principio nixus Alexander Alenſis pronunciat cantiones in Choreis edi ſolitas vetari præcepto, quod Sabbati ſanctificationem inſtituit: *Ad aliud, quod dicitur, quod non eſt cantus prohibitus, dicendum, quod ſic, ex conſequenti tamen in præcepto de obſervatione Sabbati*. Porro non alia de cauſa cantus hic prohibitus eſſe potuit, quam quod Choreæ ipſæ, inter quas edebatur, diebus Dominicis vetitæ eſſent, Vide ejus Summam 4. *Par. q.* 11. *art.* 2. *§.* 4. *q.* 8. Ejuſdem ſententiæ eſt S. Antoninus 2. *part. tit.* 6. *cap.* 6. ubi ait iis, qui diebus feſtis choreas ducunt, Sanctorum patrocinium præſto non fore; *non ſolum chorezantes efficiuntur inimici Dei, ſed & omnium Sanctorum; nam in feſtis omnium Sanctorum eas exercent: & quanto Feſtum eſt ſolemnius, tanto magis bis vacant. Nullum ergo Sanctorum omnium interceſſorem habere poterunt in futuro judicio, cum omnes offenderint*. Hoc poſito, Conſilium Conſcientiæ putat oportere, ut Confeſſarius Citharœdum impediat, quominus iis diebus, etiam extra Divini Officii tempus, pſallat.

Quoad tertiam, & quartam quæſtionem, modo in choreis nihil non verecunde, nihil non bonis moribus congruenter fiat, Confeſſarium huic Citharœdo eam veniam dare poſſe, ut ferialibus diebus ſonet ad nuptias. Hæc ſententia eſt recentiorum omnium Theologorum moralium poſt S. Antoninum *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 6. aliorumque, qui eumdem ſecuti ſunt, cujuſmodi ſunt Tabiena *V. Chorea*, Armilla *eodem verbo*, Cajetanus in *Summola eodem verbo*, Navar. *in Summa cap.* 23. *n.* 123. *&c.* Verum quoniam raro admodum fieri poteſt, ut Choreæ tanta cum cautione conjunctæ ſint, Eccleſiaſtici proinde Patres vetereſque Theologi Choreas in univerſum damnarunt, & aliqua fere circumſtantia depravatas eſſe judicarunt. Hoc in ſenſu Alexander Alenſis inquirens, an Fæminis ex profeſſo ſaltatricibus Communio concedi poſſit, reſpondet concedendam non eſſe, quatenus ſuis ſaltationibus & geſticulationibus ad impuritatem ſpectatores excitant; ac proinde mollem, & tum ſibi tum aliis periculoſam artem profitentes Sacramentis indignæ ſunt. Quod evincit hunc doctum Theologum in ea eſſe ſententia, ut credat uſum, qui Choreæ fit, mortale peccatum eſſe; eas tamen excipit, quæ ibidem aliquando verſantur non cognoſcentes periculum, neque ejus certiores factæ, dummodo id raro fiat, & non ipſis optantibus; ſed definire non audet, an quæ ſaltatricibus ſeſe immiſcent, mortale necne peccatum committant: *Si autem aliqua mulier raro, & invita, miſceat ſe hujuſmodi Choreatricibus, non audeo definire, quod peccat mortaliter, nec illam aſſecurare a mortali peccato, cum ingerat ſe periculo, provocando aſſiſtentes ad libidinem, & videtur vitium & conſuetudinem approbare. Exiſtimo tamen, quod quandoque excuſat a peccato mortali ſimplicitas, & innocentia, & puritas intentionis, utpote illas, quæ non intendunt niſi ludum, omnino ignorantes aliud periculum ex tali ludo provenire*.

Quoad quæſtiones quintam & ſextam, Confeſſarium de Citharœdi ſtatu ex ejus confeſſione judicare debere; ſi enim cognoſcat artem, quam profitetur, ipſi mortalis culpæ occaſionem proximam eſſe, illum ab ea debet abducere juxta regulam: qui amat periculum, nempe ei ſe ultro exponit, in eo ob eamdem cauſam peribit. Debet pro viribus ſuos pœnitentes, & præſertim Citharœdos a Choreis publicis avocare.

Deciſum in Sorbona die 30. Aprilis an. 1689.
Aug. *de Lamet.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CLAUSURA MONASTERIORUM.

JAmdudum innotuit neceſſe eſſe atque intereſſe Viduas & Virgines ſolemni voto divino ſervitio dicatas includi. Dominus Thierſius in ſuo Tractatu, quem hac de re elucubravit, oſtendit jam inde a quarto ſæculo vetitum fuiſſe, ne Religioſæ e ſuis Monaſteriis egrederentur; ac celebre Reſcriptum a Cardinali Camulio Gratianopolitano Epiſcopo adverſus Montisfloriacenſis Religioſas impetratum ſatis ſignificat adverſus clauſuræ obligationem præſcribi omnino non poſſe. Verum quidem, ut laudatus Auctor animadvertit, illud eſt in omnibus Eccleſiæ ſæculis occaſiones non defuiſſe, quibus Religioſas e ſuis Clauſtris egredi permitteretur; plura etiam Concilia, pluraque teſtimonia, quibus hæc indulgentia ſtatuitur, in medium adducit; ſed addit neceſſitatem gravem eſſe oportere, & quæ Monaſterio magnæ utilitati ſit; quo principio nixus exiſtimat Abbatiſſam, ut alterius Abbatiſſæ benedictioni interſit, egredi omnino non poſſe, propterea quod in Pontificali Romano duæ tantum Matronæ ætate provectæ Abbatiſſis benedicendis adſiſtere permittuntur.

Monaſticæ plures Regulæ Monialibus eam veniam dant, ut in generalis incendii caſu ad ſuam ipſarum vitam in tuto ponendam egrediantur. Idem juris, cum iis juſta eſt timendi cauſa, ne belli incommodis, & Militari licentiæ ſint obnoxiæ. Quod paſſim prætendi conſuevit ad exitum e Conventu obtinendum, morbus eſt, quo Religioſæ ſæpe abutuntur, tametſi Concilia, Pontifices, iique omnes, qui Monaſticas Regulas inſtituerunt, Religioſarum egreſſum ſummopere damnare videantur vel ad malorum ſuorum levamen quærendum; verum Superiorum eſt de neceſſitate cognoſcere, quæ huic indulgentiæ favere poſſit, & prudenter cavere, ne quid inde incommodi conſequatur.

Non minor requiritur ſollicitudo quoad ingreſſum in Monaſteria, quæ extraneis magna cum ſeveritate claudenda ſunt; ac facile eſt ejus rei cauſas cognoſci, quæ quidem ceſſare non poſſunt niſi ob rationes utiles ac neceſſarias a Superioribus approbatas, & quarum gratia aditus non permittitur niſi in iiſdem neceſſitatis & utilitatis caſibus, ut ad Religioſas ægrotantes Sacramentis muniendas, aut adi præſidia neceſſaria ob mala, quibuſcumque obnoxiæ fuerint, iiſdem ſuppeditanda.

Vide, RELIGIOSÆ.

Clauſura ſtricto modo Monialibus impoſita.

CASUS I.

1 *Quoad Religioſarum clauſuram Eccleſiæ Regulæ ſervandæ ſunt.*
2 *Superiores ad eas ingreſſum permittere non debent, niſi in veræ ac genuinæ neceſſitatis caſibus.*
3 *Canones, qui id prohibent, nullam mulierem, cujuſcumque gradus fuerit, excipiunt, ſalvo privilegio, quo Reginæ, & Regii ſanguinis Matronæ gaudent.*
4 *Non licet Monialibus ingredi vivaria & viridaria ſuis Domiciliis contigua, quia ea extra ipſarum clauſuram exiſtere cenſentur.*

QUÆSITUM.

ROgantur Domini Sorbonæ Doctores, ut ad ſequentes quæſtiones reſpondeant.

I. An ab Eccleſiæ Regulis quoad Monialium clauſuram liceat recedere? Atque an Conciliorum Decreta, & Pii V. Gregoriique XIII. Conſtitutiones ſuper hoc capite in Galliis obligent?

II. Poſſitne Superior aditum in Monaſteria concedere extra veræ ac realis neceſſitatis caſus, in quibus Eccleſiæ viſum eſt eumdem permittere; atque an ulteriores permiſſiones ſint abuſivæ, & conſcientiam perturbent: an vero perſonas iiſdem utentes a cenſuris tueantur?

III. An non ea Eccleſiæ mens fuerit, ut ſuis prohibitionibus ſæculares fæminas, cujuſcumque conditionis eæ fuerint, complecteretur, cujuſmodi ſunt Duciſſæ, Comitiſſæ, Marchioniſſæ, quæ clauſuræ ſubeundæ ſibi jus arrogant, exemplo Reginarum, & Regii ſanguinis Matronarum, quarum eminens dignitas auctoritatem videtur afferre Galliarum conſuetudini, quæ id juris iiſdem tribuit?

IV. An conſuetudines, quæ afferri poſſunt, adverſus has Regulas præſcriptionis vim habeant, atque an impetrata eas violandi facultas impediat, quominus Tridentinæ Synodi auctoritas vigeat, & conſcientias obliget?

V. An Moniales poſſint, non violata clauſura, in vivaria, & viridaria ſuo Monaſterio contigua ingredi, quæ Sæcularibus pro libito ſubire licet?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti putant, ad quæſtionem primam quod attinet, ab Eccleſiæ Regulis quoad Monialium clauſuram minime recedendum eſſe. Cum porro Tridentina Synodus adeo diſertis verbis mentem ſuam aperuerit, ut novum robur addiderit Capiti *Periculoſo* Bonifacii VIII. in 6. de *Statu Regular.* nec ignorari proinde, nec impugnari poſſe Decretum, quod ſuper Clauſura edidit; Conſtitutionem legum inhæſiſſe Concilio art. 31. hanc autem Conſtitutionem non ſolum eſſe Principis legem, ſed Aulæ quoque Eccleſiaſticæ, quæ Regni partem conſtituit, quæque hujus diſciplinæ confirmationem a Rege petiit, ſententiam eſſe; ita ut qui nollet hoc in capite Tridentini Concilii diſciplinam ſequi, hanc tamen ipſam non ſervare non poſſet, utpote quæ ab Eccleſia Gallicana in generali Regni Statuum Congregatione ſtatuta fuerit, & cujus executionem Princeps ad Cleri poſtulationem præceperit iiſdem pœnis, quas infligit Concilium, quod Rex dubio procul ob oculos habuit.

Bullas porro Pii V. & Gregorii XIII. Concilia Burdegalenſe an. 1583. & Narbonenſe an. 1609. acceptarunt, ſtatueruntque, ut quicquid Tridentina Synodus & Pontifices definierunt, ſuam vim omnem in ſuis Diœceſibus obtineret. Igitur hæ Bullæ obligant in his Provinciis, atque etiam in Toloſana, quia Toloſana quoque Synodus eaſdem recepit.

Non eadem eſt Eccleſiarum ratio, in quibus eæ receptæ non ſunt; ſed in iis Tridentini Concilii in hanc rem inſtitutio ſervanda eſt; ejus nempe *ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 5. ſub excommunicationis pœna prohibetur ingreſſus in Mulierum Monaſteria ſine Epiſcopi, aut Superioris licentia.

Quoad quæſtionem alteram; Superiorem extra veræ & realis neceſſitatis caſus non debere ejuſmodi ingreſſus permittere, quoniam ſuperior minime debet legem prætergredi, cujus auctoritas ejus auctoritatem excedit. Jam vero certum eſt eam Tridentinæ Synodi mentem eſſe, ne Epiſcopus in hæc Monaſteria ingrediendi facultatem niſi in neceſſariis caſibus tribuat; *Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel impoſterum concedendi*; juxta id, quod ſtatuit Bonifacius VIII. *de Statu Regular. in 6. c. Periculoſo, niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat*; & Bleſenſis Conſtitutio art. 31. „ ſine licentia de jure ſcripto ab Epiſcopo, aut „ Superiore, in caſibus neceſſariis tantum.

Quoad quæſtionem tertiam, Eccleſiam his prohitionibus comprehenſas voluiſſe Sæculares Mulieres, cujuſcumque gradus extiterint, Duciſſas, Comitiſſas, Marchioniſſas; in Concilii, perinde atque in Inſtitutionis textu conditio nulla prorſus excipitur: *Nemini liceat, cujuſcumque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia*; & Conſtitutio hæc habet „ : nec „ licuerit ulli, cujuſcumque conditionis aut ætatis „ ſit, dictorum Monaſteriorum clauſuram ingredi „ ſine Epiſcopi aut Superioris licentia, in neceſſa- „ riis caſibus tantum ſub Juris pœnis “. Et quoniam nemini veniret in mentem credere lege a Principe adeo expreſſis verborum formulis edita Comitiſſas, Duciſſas, & Marchioniſſas non contineri: nihil eſt pariter, quod ſuadeat eas hoc loco diſtinguendas eſſe, præſertim cum juxta Regulas, & Canoniſtarum doctrinam generalibus verbis in Conſtitutione uſurpatis eæ comprehendi cenſeantur, cum non ſint ex earum numero, *quæ ſunt ſpecialiſſimâ nota dignæ*, cujuſmodi ſunt Reginæ, ac Regali ſanguine cretæ Principes.

Quoad quæſtionem quartam, nihil eſſe, cur ad evitandam clauſuræ legem ex præſcriptione præſidium quæratur, quoniam quæſtio hæc nunquam ad Sæculares Judices, aut ad Romanam Curiam delata eſt, quin ad Tridentini Concilii & Conſtitutionis normam judicaretur.

Quoad quæſtionem quintam, locum, quem ſæculares abſque Epiſcopi, aut Superioris licentia ſubeunt, cenſeri non poſſe ad clauſuram ſpectare, quamvis Monaſterio contiguus ſit; nec licere Monialibus eo ſe conferre, quia hac ratione e clauſura, quod iis minime licet, egrederentur. Iiſdem licere ſuam clauſuram extendere, ſi id expedire judicaverint; ſed ipſas teneri Laicis omnes aditus intercludere, nunquamque aperire, niſi Monaſterii neceſſitas id poſtulaverit, puta plauſtrorum gratia, quibus illac infertur, quod aliter tranſire non poſſet. Illud eſt etiam animo retinendum, harum januarum non minori, quam clauſuræ claves diligentia cuſtodiendas eſſe.

Deciſum in Sorbona die 16. Januarii an. 1683.
A. de Lamet.

Ruptio, quæ Monaſterii Clauſuræ contigit.

CASUS II.

Cum inferioris cavædii intra clauſtra Monaſterii Monialium Epiſcopo ſubjectarum exiſtentis paries ex parte corruiſſet, plures hujus Familiæ Moniales ſunt opinatæ clauſuram infractam eſſe, ſtatimque ſuos conſanguineos, amicoſque per litteras monuerunt accedere & ingredi in ipſarum Domicilium iiſdem licere. Tanta occurrit turba, ut januam ab hoc cavædio Monaſterium ſejungentem confregerit, atque ad eam cuſtodiendam Milites acciri oportuerit. Innumeri ex omni genere ſunt ingreſſi. Malum hoc ægre ferens Vicarius Generalis Monialibus, quas omnium maxime reas judicavit, per aliquot menſes ſacramenta ſubtraxit; & quoad extraneos, qui ſubierunt, caſum Epiſcopo aut ejus Generali Vicario reſervatum pronunciavit peccatum, cujus ipſos reos

credi-

credidit. Hac in re rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſequentibus quæſtionibus ſatisfaciant.

QUÆSITUM.

QUæritur, I. an per ruptionem, de qua dictum eſt, fracta ſit hujus Monaſterii clauſura?

II. An bona fides eos, qui Monaſterium ſubierunt, excuſet coram Deo?

III. An inter hos Presbyteri, qui minime crediderunt a Vicario Generali negotium hoc reſervatis caſibus accenſeri potuiſſe, irregulares evaſerint, quod ab eo non abſoluti ſacrum fecerint.

IV. An hæc irregularitas, ſiquidem exiſtit, eos cogat ad Romanam Curiam confugere, ut ab ea liberentur?

Ad extremum quænam Confeſſariis ineunda ratio quoad eos, qui ſibi perſuadere nolunt ſe excommunicatos eſſe?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet ex expoſitione cavædium, de quo agitur, utpote Monaſterio conjunctum aream poſteriorem evaſiſſe, & quod inde conſequitur, Clauſuræ partem eſſe. Gregorius XIII. in Bulla *Deo Sacris* an. 1572. data de Monaſteriorum Monialium clauſura loquens declarat, eas, quin clauſuram violent, ad claudendum locum colloquiis deſtinatum exire non poſſe, licet eo per Monaſterium poſſent accedere. Ex quo ſequitur, inferius cavædium, de quo agitur, ad Monaſterii clauſuram ſpectare; atque ita cum paries exterius eam ſejungens corruerit, Clauſura fracta eſt; ita Moniales cenſuerunt, ut ex earum inito conſilio licet intelligi: *Neque etiam licet Monialibus egredi a janua Monaſterii, quæ eſt pro clauſura ipſius Monaſterii etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam, qua patere ſolet aditus Sæcularibus, vel ad Rotam, vel ad Crates, ſeu loca colloquiis deſtinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulſandam ipſam januam clauſuræ: quæ loca cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant Sæcularibus, extra clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt.*

Jam vero ex quo contigit clauſuræ ruptio, Moniales pro conſuetudine ubique fere locorum inducta putant ſibi tuta conſcientia licere ſuos conſanguineos & amicos in Monaſterii ambitu excipere; & ſæculares ipſi quoque bona fide perſuaſum habent eo ſe ingredi poſſe non violatis Canonibus id alio quidem tempore prohibentibus.

Moniales ſane in hac facti ſpecie ruptionem hanc extraneis ſignificantes ſe male geſſerunt ita facientes ſine licentia, & ad eos, non obtenta a Superioribus venia, ſcribentes, cum id ſubjectio, qua tenentur, poſtularet. Sed præterquamquod Regulam violarunt, egerunt imprudentiſſime, quoniam iis facile fuit, incommodum, quod inde non derivari non poterat, prævidere. Ex eo tamen quod Moniales peccaverint, non illud concludendum, extraneos ingredientes Clauſuram violaſſe, & excommunicationem ſubiiſſe. Religioſæ puniendæ ſunt, non quod anſam præbuerint credendi Clauſuram fractam eſſe, ſed quod temere & irregulariter egerint.

His in hunc modum conſtitutis, ad quæſtiones propoſitas reſpondetur;

Ad primam, clauſura fracta, extraneos in Monaſterium ingredi potuiſſe.

Ad ſecundam, eos, qui alii alium ſequentes illuc ingreſſi ſunt, bona fide ab excommunicatione liberari.

Ad tertiam, excommunicatione non exiſtente, Presbyteros poſt hunc ingreſſum celebrantes in irregularitatem non incidiſſe.

Ad quartam, ſi in propoſita facti ſpecie exiſteret irregularitas, eam Pontifici reſervatam fore, quia cum factum publicum fuerit, reos ab hac cenſura liberandi facultas nec Epiſcopis, nec Generalibus Vicariis ſuppeteret.

Ad quintam & poſtremam quæſtionem reſpondetur, etiamſi nulla prorſus exiſtat excommunicatio; recto tamen ordini conſonum eſſe, Confeſſarios in ejuſmodi negotiis, in quibus eſt, quamobrem cenſura aliqua timeatur, Superiorum, ita præſertim judicantium ſententiæ multum deferre. Quamobrem ſperare juvat fore, ut cum res hæc omnis ſatis elucidata fuerit, Vicarius Generalis de medio tollat reſervationem, quam impoſuit eorum errato, qui Monaſterium, de quo agitur, ingreſſi ſunt.

Deciſum hac die 4. Februarii an. 1698.

G. Fromageau.

Violatio Clauſuræ Monaſterii Virorum.

CASUS III.

1 *Eccleſiæ Regulæ ſuper Monaſteriorum clauſura.*
2 *Pontificum, & Conciliorum Decreta ad Monaſteriorum Mulierum clauſuram ſpectantia in Galliis recepta ſunt.*
3 *Bullæ Pii V. & Gregorii XIII. quoad clauſuram Monaſteriorum Virorum in Galliis receptæ non ſunt.*
4 *Monaſticæ Regulæ & Concilia particularia, quibus Fœminæ in ea ingredi prohibentur.*
5 *In Galliis nulla prorſus eſt excommunicatio adverſus fœminas Monaſteriorum Virorum clauſuram violantes.*

QUÆSITUM.

CUm magna parietum pars clauſuræ Capucinorum Urbis N..... corruiſſet; aliquot Urbis Matronæ, cum exiguum ſpinarum repagulum, Patris vulgo Guardiani juſſu huic ruptioni objectum fregiſſent, non hortos tantum, & univerſa exteriora loca, ſed etiam dormitoria & cellulas Religioſorum inviſerunt.

Quæritur I. an hæ Matronæ excommunicationem incurrerint?

II. An Religioſi, qui eas in interiora Monaſterii loca introduxerunt, in eamdem cenſuram inciderint?

Animadvertendum eſt, has Matronas a loci Epiſcopo excommunicatas fuiſſe, ipſiuſque deinde juſſu excommunicationem ſublatam fuiſſe.

Responsio.

Doctores ſubſcripti, qui præſentem expoſitionem viderunt, exiſtimant, antequam propoſitis difficultatibus ſatisfiat, animadverſione dignum eſſe,

I. Generalibus Eccleſiæ Legibus ſub excommunicationis pœna in Mulierum tantummodo Monaſteria ingreſſum prohiberi. Et ſane Bonifacii VIII. Bulla, in qua de clauſura ſermo eſt, Moniales ſolummodo ſpectat; & Tridentina Synodus, quæ eam in uſum revocat, quæque, ad hanc rem quod attinet, in Galliis recepta eſt, ut ex Bleſenſis Conſtitutionis art. licet intelligi, haud ulterius progreditur.

II. Nullam in Jure Canonico legem occurrere, quæ in Virorum Monaſteria ingreſſum fœminis interdicat, ut animadvertit Suarez *de Cenſuris diſp.* 22. *ſect.* 6. rotundis hiſce verbis: *neque in communi Jure Pontificio, neque in aliis Pontificum Decretis invenio generalem legem.*

III. Exiſtere tamen ſuper hac re Bullas duas, unam Pii V. alteram Gregorii XIII. quæ datæ ſunt *motu proprio*.

Pii V. Bulla, quæ die 14. Octobris an. 1566. edita eſt, quæque incipit: *Regularium perſonarum*, revocat, abrogatque omnes permiſſiones in Religioſorum, etiam Mendicantium Monaſteria ingrediendi, & omnia privilegia Mulieribus, quæcumque tandem eæ fuerint, conceſſa, ſub pœna excommunicationis ſummo Pontifici reſervatæ quoad fœminas, quæ impoſterum ſuis privilegiis uti voluerint, & ſub pœna, quoad Superiores, & Religioſos eas introducentes, ſuſpenſionis ipſo facto, propriorum Officiorum privationis, & ad ea poſſidenda inhabilitatis.

Bulla Gregorii XIII. die 13. Junii an. 1575. edita eſt, & incipit: *Ubi gratia*. Inſtaurat illa Bullam Pii V. additque ſuſpenſioni excommunicationem Pontifici reſervatam quoad Superiores, aut Religioſos, qui in Regularia ſuorum Monaſteriorum loca Fœminas introduxerint.

IV. Has Bullas, quippe quæ graves pœnas contineant, reſtringendas, & pro verborum ratione ſumendas eſſe, ac proinde ad omnia omnino Fæminarum genera non eſſe extendendas, ſed ad eas tantum, quæ permiſſionibus & privilegiis, quæ, ut Monaſteria ingrederentur, obtinuerant, etiam poſt vulgatas has Bullas uterentur.

Navarrus ſane *Comm. 4. de Regularib. n. 62.* cum animadvertiſſet Bullam Pii V. non intelligi expreſſe de Fæminis, quæ nullis permiſſionibus ac privilegiis munitæ ingrediuntur, e veſtigio addit Pium V. hac de re conſultum reſpondiſſe ſuam mentem eſſe Fæminas omnes ibidem complecti: *Nota*, inquit, *quod per prædictam extravagantem non prohibetur expreſſe ingreſſus Fæminarum carentium facultatibus ingrediendi, neque habentium illas, ſi alia ratione, quam virtute prædictarum facultatum ingrediantur. Sed Pius V. ea de re conſultus declaravit in omnibus eſſe locum; pro quo facit, quod magis videntur peccare illæ, quæ ſine illa tali facultate ingrediuntur.* Deinde pronunciat, actum iri juxta hoc principium in Tribunali Pœnitentiariæ, ſecundum mentem Gregorii XIII. *& id ſervat Prætorium Pœnitentiariæ, & de ſententia S. D. N. Gregorii XIII.*

Re ipſa in Bullario poſt Bullam Pii V. exiſtit Declaratio, qua hic Pontifex ſuam hac in re mentem diſertis his verbis aperit: *Dicimus, & declaramus fuiſſe & eſſe mentem, & intentionem noſtram quod dictæ litteræ non ſolum comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes facultatem & indulta ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes & quaſcumque mulieres alias tam in genere quam in ſpecie.*

Id tamen impedire non debet, quominus præciſis duarum Bullarum terminis adhæreatur, quia de pœnis, ac cenſuris agitur, quæ ſunt res odioſæ, ac proinde reſtringendæ; Pœnitentiariæ quidem Tribunal in hanc ſententiam propendebat ante Pii V. Declarationem, ut ait Navarrus.

Quoad eamdem Declarationem, animadvertit Layman poſt Rodriguez *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 4.* & Pelizarius *tract. 5. cap. 7. ſect. 2. n. 41.* eam nunquam fuiſſe juridice publicatam: *Reſpondeo*, inquit Layman, *Declarationem iſtam authentice promulgatam non eſſe, ut notavit Rodriguez art. 2.* Nec declaratio hæc impedit, quominus Suarez in ſuo de Cenſuris Libro *diſp. 22. ſect. 6.* pronunciaret: *Non ergo omnes ingredientes, ſed ſolum illæ, quæ præſumptione & prætextu harum facultatum id faciunt, talem cenſuram incurrunt; nam hæc ſunt verba expreſſa legis, quibus ſtandum eſt.*

Porro ratio, propter quam Navarro *magis peccare videntur illæ, quæ ſine ulla tali facultate ingrediuntur*, perſuadere non debet; præterquamquod enim rationes ab æquitate petitæ adverſus expreſſa Legis verba nullius momenti ſunt, præſertim cum de pœnis agitur; firmior quam Navarræ ratio facile afferri poteſt ad oſtendendum conveniens fore eas potius Communione privari, quæ privilegia prætendentes Virorum Monaſteria ſubeunt, quam quæ ſine privilegiis ingrediuntur; priores quippe poſſent hæc privilegia licet revocata oſtentare, ſuumque jus ingreſſus in eadem Monaſteria pertinacius propugnare, quam poſteriores, quæ nulla ejuſmodi privilegia jactantes facilius Superiorum auctoritati ſe ſubdunt; jam vero hæc pertinacia timeri potuit, fuitque merito excommunicationis & aliarum pœnarum nimis antevertenda.

V. Has Bullas, quæcumque ſit earum notio & extenſio, generalis legis vim non habere, quia in Gallia receptæ non ſunt ſaltem quoad *vim coactivam*, ut vocant, & quoad pœnas, quas infligunt.

VI. Eaſdem tamen Bullas ſatis oſtendere univerſim prohiberi, ne quæ Fæminæ in Virorum Monaſteria ingrediantur, quamvis hujus prohibitionis nulla in Jure mentio fiat, quoniam Bullis iis particulares permiſſiones & privilegia quibuſdam Mulieribus in id conceſſa revocantur; adeoque cæteris Fæminis ejuſmodi privilegia non habentibus id vetitum eſſe pro certo ponitur.

Et ſane occurrunt ejuſmodi prohibitiones in antiquis Monaſticis Regulis, quas Holſtenius congeſſit in *Codice Regularum*, in Regula tertia SS. PP. Serapionis, Paphnutii, & duorum Macariorum c. 4. *Neque Mulier in interius atrium Monaſterii ingredi audeat.*

In Regula S. Cæſarii cap. 11. *Mulieres in Monaſterium nunquam ingrediantur.*

In S. Aureliani Regula cap. 15. *Mulieres vero nec Religioſæ, nec Sæculares, nulla omnino nec Abbatis, nec cujuſcumque Monachi Mater, aut qualibet propinqua, aut nota ad ſalutandum, aut ad orationem ingredi permittatur.*

In Regula S. Ferreoli cap. 4. *Illud namque ſtatuendum opportune credimus, ut nulla penitus mulier ad Monaſterium, etiamſi pro dilectione expetere videatur, accedat.*

Antiquæ Ciſtercienſis Ordinis Regulæ digeſtæ an. 1134. cap. 7. Mulieres nec *inter ſepta grangiarum hoſpitari, nec Monaſterii portam ingredi permittantur, in Annalibus Ciſtercienſibus tom. 1.* Eas in dubium revocavit, ad hanc rem quod attinet, Gregorius IX. an. 1234. in Reſcripto, quod Annalium Ciſtercienſium Tomo quarto refertur: *Mulieres etiam eaſdem domos ingredi contra Inſtituta univerſi Ordinis non verentur..... nos igitur..... inhibemus ne..... mulier aliqua eas intrare præſumat contra Ordinis Inſtituta.* Et in Libro, cui titulus, *Monaſterium Ciſtercienſe*, legitur Abbatem Pontiniacenſem acriter punitum eſſe, quod in ſua Abbatia Galliarum Reginam excepiſſet an. 1205.

Capucinorum Conſtitutiones in primo generali eorum Capitulo an. 1529. celebrato cap. 63. hæc habent: *Caveant quoque fratres, ne ullo pacto mulieres loca noſtra, aut Eremos ingredi ſinant, prudenterque eas eorum ingreſſu arceant, tom. 1. Annalium Capucinorum Boverii.*

Similes occurrunt prohibitiones in Ordine Sancti Benedicti, in Ordine Carthuſiano, & in aliis.

Eamdem mentem, eaſdemque Regulas exhibent bene multa Concilia Provincialia; Turonenſe ſecundum an. 567. Can. 16. *Ut mulieri intra ſepta Monaſterii nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte aut Præpoſitus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non ſtatim ejecerit, excommunicetur.*

Concilium Antiſſiodunenſe *an. 578. canon. 26. Quod ſi quis Abbas mulierem in Monaſterio ſuo ingredi permiſerit, aut feſtivitates aliquas ibi ſpectare præceperit, tribus menſibus in alio Monaſterio retrudatur, pane & aqua contentus.*

Concilium Trevenſe an. 1509. cap. 11. *Religioſi omnium Ordinum ut ſiniſtræ ſuſpicionis etiam tollatur occaſio, quaſcumque mulieres & Religioſas, & ſervientes Deo in ambitum ſeu periodum Monaſterii recipere aut introducere nullatenus præſumant.*

Concilium Cameracenſe an. 1565. tit. 18. de Monaſteriis *cap. 7. Mulieribus, ſi quandoque ad Cœnobia venerint, non concedatur acceſſus, etiamſi Religioſæ ſint & Moniales, ad Religioſos, vel loca Regularia, aut Conventualia.*

Concilium Mediolanenſe quartum *an. 1576. p. 3. Conſtitut. tit. 10. quæ pertinent ad Regulares. Si qua fæmina cujuſvis etiam conditionis, dignitatis, gradus, ac generis, ſplendore illuſtris Virorum Regularium cujuſcumque vel Ordinis, vel Inſtituti Clauſtra ingrediatur; Epiſcopus pœnarum cenſurarumque declaratione & irrogatione contra illam ſevere agat.*

Concilium Remenſe *an. 1583. tit. de Regularibus & eorum Monaſteriis §. 12. Locos Monachorum Regulares mulieres non ingrediantur.*

Narbonenſe Concilium *an. 1609. titulo de Abbatibus cap. 33. Ex nunc vero prout ex tunc mulieres domos Religioſorum quocumque prætextu ingredi prohibemus, alias excommunicationem incurrant Religioſi & Abbates hoc ſcientes & permittentes.*

Denique in Cleri Reformationibus an. 1625. & 1641. art. 27. Religioſorum nemini licet ullis fæminis in ſua Clauſtra ingreſſum permittere.

VII. Ex his illud inferri poſſe, licet generalis, & a pœnis per Pontificum Bullas inflictis diſtincta nulla in hanc rem lex occurrat, ſemper tamen indecens, irregulare, oppoſitum Eccleſiæ menti, atque adeo ſcandaloſum eſſe, in interiora Monaſterii Virorum loca fæminas ingredi, & præſertim eo duci a Religioſis, nimirum ab iis, qui ſanctioris vitæ rationem profitentur; & quod inde conſequitur, in hac facti ſpecie conſuetas Eccleſiæ pœnas ab Epiſcopo infligi poſſe.

VIII.

VIII. Ad extremum animadvertendum eſt, diruto clauſuræ pariete, clauſuram non amplius ſubſiſtere, ut Narbonenſe Concilium jam appellatum pro certo ponit : *Intra Clauſtra Virorum debite diſpoſita non ingrediantur mulieres ſub pœna excommunicationis; ubi vero Clauſtra diruta, aut ita diſpoſita ſunt, ut intra illa mulieres admittere cogantur, volumus ea infra tres annos per Abbatem in bonum ſtatum Regularium reſtitui*; ac probabile eſt ſimplicem ſepem, quæ facile & ſine vi frangi poſſit, reſtituendæ clauſuræ ſatis non eſſe.

Bordonus *variarum reſolut. par. 2. reſolut. 76. n. 85.* videtur pro certo ponere nullam in Monaſterio clauſuram eſſe, cum nonniſi ſepibus clauſum eſt : *In quodam Conventu, qui carebat parietibus, tantum clauſus ſepibus, patebat aditus mulieribus ad Clauſtrum primum, &c.* Quod tamen de ſepibus parum elatis, ac rarioribus, quæ facile franguntur, eſt accipiendum; non autem de iis, quæ firmæ ſunt, atque adeo nonnunquam parietis inſtar ſolidam clauſuram efficiunt, quales in pluribus Provinciæ Monaſteriis occurrunt.

Hoc poſito, reſpondetur,

I. Matronas, quæ Monaſterium, de quo agitur, ingreſſæ ſunt, nullam excommunicationem *ipſo facto* incurriſſe; I. quia nulla adeſt generalis Eccleſiæ lex, quæ hanc pœnam imponat; II. quia Pii V. & Gregorii XIII. Conſtitutiones ad eas tantum Fæminas ſpectant, quæ privilegiorum ſuorum prætextu ingreſſæ ſunt; ac cæteroquin eædem Conſtitutiones in Gallia non ſunt receptæ; III. quia probabile eſt, clauſuram non amplius tunc ſubſtitiſſe, id quod bona fide Matronis perſuaſit in Monaſterium ingredi ſibi licere.

II. Religioſos iiſdem de cauſis excommunicationem *ipſo facto in* Gregorii XIII. Bulla inflictam, aut ſuſpenſionem, aliaſque pœnas in Pii V. Bulla pronunciatas non incurriſſe, niſi in hanc rem peculiare in eorum Ordine, & quidem apud eos receptum aliquod inſtitutum exiſtat. Docet id Suarez *de Cenſuris diſp. 22. ſect. 6. Conſulenda ergo ſunt peculiaria inſtituta ipſarum Religionum, & ſi in aliqua invenitur prohibitio talis a Pontifice confirmata, quæ ex verbis, vel cenſuris præſefert gravem obligationem, contra illam obligationem ingredi erit peccatum mortale: ubi autem non fuerit talis conſtitutio habens hanc vim, non erit tale peccatum, quia non eſt, unde oriatur.*

III. Ingreſſum hunc in Monaſteria, quæ, ut dictum eſt, indecens, irregularis, & Eccleſiæ menti oppoſitus eſt, cum iis circumſtantiis, eoque ſcandalo conjunctum eſſe potuiſſe, ut utrique digni fuerint, qui a ſuis Superioribus punirentur.

Matronas ab Epiſcopo excommunicatas debuiſſe ſuam ſubjectionem teſtari, excommunicationis ratione habita, ſuique errati edita pœnitentia; cum autem in præſentia hæc excommunicatio ſublata ſit, nihil amplius difficultatis quoad eas ſupereſſe.

Deciſum in Sorbona die 4. Julii an. 1698.
G. *Fromageau.*
N. *Petitpied*, G. *Bourret.*

Clauſuræ cuſtodiendæ obligationes Epiſcopis injunctæ.

CASUS IV.

1 *Epiſcopi, aliique Superiores Monaſteriorum Virginum tenentur in conſcientiæ foro clauſuram in his domiciliis cuſtodire & reſtituere.*
2 *Nulla Monialis abſque gravi ratione ab Epiſcopo approbata exire debet.*
3 *Nemo unus in Monaſterium ingredi debet abſque venia Superioris ex ſcripto, qui quidem eam concedere nequit, niſi vera neceſſitas urgeat.*

RESPONSIO.

CAput *Periculoſo in 6. l. 3. titul. 16. de ſtatu Regularium.... Præſenti Conſtitutione perpetuo irrefragabiliter valitura ſancimus, univerſas & ſingulas Moniales præſentes atque futuras, cujuſcumque Religionis ſint vel Ordinis, quibuslibet mundi partibus exiſtentes ſub perpetua in ſuis Monaſteriis debere de cætero permanere clauſura: ita quod nulli earum tacite vel expreſſe profeſſæ ſit, vel eſſe valeat quacumque ratione vel cauſa, niſi forte tanto ac tali morbo evidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo ſeu ſcandalo commorari, Monaſteriis deinceps egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ, niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem: ut ſic a publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ omnino Deo ſervire valeant liberius, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire.*

Et §. *Et quoniam* eodem titulo præcipitur Epiſcopis, ut de hoc inſtituto executioni mandando ſolliciti ſint: *Et quoniam parum eſſet condere jura, niſi eſſent, qui ea executioni debitæ demandarent, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis univerſis diſtricte ex virtute ſanctæ Obedientiæ, ſub oſtentatiotione divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in Civitate ac Diœceſi propria in Monaſteriis Monialium ſibi ordinario jure ſubjectis, in iis vero quæ ad Romanam immediate ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Abbates & alii tam exempti quam non exempti Prælati Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Ordinum quorumcumque in Monaſteriis hujuſmodi ſibi ſubjectis, de clauſura conveniente, ubi non eſt, ipſorum Monaſteriorum expenſis & fidelium eleemoſynis, quas ad hoc procurent diligentius facienda, & de ipſis Monialibus includendis, quamprimum commode poterunt, providere procurent, ſi divinæ ac noſtræ indignationis voluerint acrimoniam evitare: Contradictores atque rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo: invocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis.*

Concil. Trident. *Seſſ. 25. c. 5.* Bonifacii VIII. *Conſtitutionem, quæ incipit Periculoſo, renovans, Sancta Synodus univerſis Epiſcopis ſub oſtentatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) brachio Sæculari. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur Sancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda omnibus Magiſtratibus injungit.*

Nemini autem Sanctimoniali liceat poſt Profeſſionem exire a Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda; indultis quibuſcumque & privilegiis non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta Monaſterii nemini liceat, cujuſcumque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis; neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis vel indulti hactenus conceſſi, vel impoſterum concedendi, &c.

Conſtitutio Bleſenſis art. XXXI. „ Admonemus „ Archiepiſcopos, & alios Superiores Monaſteriorum Monialium, ut ipſarum clauſuram reſtituere ac ſervare accurate ſtudeant. In quem finem cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque juris pœnis inobedientes coercebunt: quacumque oppoſitione aut appellatione nihil obſtante. Miniſtris noſtris injungimus, ut omne iis auxilium, & præſidium præſtent; neque ulli Moniali licuerit poſt editam profeſſionem e ſuo Monaſterio egredi, quocumque tempore, & quocumque prætextu, niſi ex legitima cauſa, ab Epiſcopo, aut Superiore approbanda, & non obſtantibus omnibus in contrarium diſpenſationibus, & privilegiis; nemini etiam licuerit, cujuſcumque qualitatis, ſexus, aut ætatis fuerit, in dictarum Monialium clauſuram ingredi, abſque Epiſcopi, ſeu Superioris ex ſcripto licentia, neceſſariis tantum caſibus exceptis, ſub juris pœnis „.

Aug. de Lamet.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

COGNATIO.

Quoniam hoc loco de Cognationis gradibus agitur, Lectorem ad ea remittimus, quæ dicentur in Tractatu de Diſpenſationibus, & Impedimentis.

(DISPENSATIO.
Vide (IMPEDIMENTUM.
(MATRIMONIUM.

Cognationis gradus, in quo poteſt Epiſcopus diſpenſare.

CASUS.

Cum Pontifex tribuit Epiſcopo facultatem in cognationis gradibus diſpenſandi, res eſt favorabilis, quæ proinde magnopere extendenda eſt.

QUÆSITUM.

Spectat difficultas ad Epiſcopum P.... qui in 3. & 4. gradu diſpenſandi permiſſionem a Pontifice obtinuit. En verba articulo tertio: *Diſpenſandi in tertio & quarto ſimplici & mixto tantum cum pauperibus* &c. *in contrahendis; & in contractis cum Hæreticis in ſecundo ſimplici & mixto*. Qua in re non deſunt homines pecuniæ cupidi, qui explicent, ut Romanæ Curiæ Expeditionarius, ea verba *in tertio & quarto ſimplici & mixto*, de tertio ad quartum; cum in conceſſa facultate de tertio & quarto ſermo ſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, poteſtatem, quam Pontifex conceſſit Epiſcopo P.... diſpenſandi *in tertio & quarto ſimplici & mixto* ex obvia ac naturali verborum ſenſu intelligi poſſe de facultate diſpenſandi *in quarto ſimplici*, videlicet de quarto gradu in ea matrimonii ſpecie, de qua agitur, atque etiam *in tertio mixto*, nempe de tertio ad quartum. Quia tamen hoc loco ſermo eſt de favore, qui huic Epiſcopo conceſſus eſt, quique, quam maxime fieri poteſt, extendi debet, eſt proinde, quamobrem cenſeatur Pontifex ei facultatem tribuiſſe diſpenſandi ſimpliciter in tertio & quarto, & in tertio ad quartum. Verumtamen ut tutius conſilium ineatur, nec certorum quorumdam hominum, quibus diffiditur, quemadmodum in expoſitione declaratum eſt, avaritia foveatur; conſuli poſſunt Expeditionarii, qui & doctrina præſtent, nec lucri ſtudio ſe abripi ſinant, aut ad Romanam Curiam mitti poteſt, ut ſuper hoc articulo declaratio, quæ expetitur, obtineatur.

Deciſum in Sorbona hac die 30. Auguſti an. 1695.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

COMÆDIA.

Uſurpari fere conſuevit Comædiæ nomen ad quodque genus Dramatici Poematis ſignificandum, videlicet opera Theatro deſtinata, Comædiam, Tragediam, Tragicomædiam, aut Paſtoralem. Sed Tragædia proprie eſt gravis & ſeria repræſentatio actionis funeſtæ inter perſonas exercitæ, quarum merita ſupra vulgares homines eminent; & plerumque inter Principes ac Reges locum habet. Tragicomædia nobis ob oculos ponit egregios caſus inter perſonas, quibus magnum aliquod imminet infortunium, quod felix exitus conſequitur. Comædia eſt grati eventus inter vulgares perſonas ſimplex & læta repræſentatio, jucundam ſæpe Satyram ad morum correctionem adjunctam habens. Paſtorali ſubjecta materies eſt tantum amoris caſus inter utriuſque ſexus Paſtores, & ab Ecloga ſuam originem trahit; Dramatici Poematis genus Veteribus ignotum, & ut creditur, a Taſſo inventum an. 1573.

Comædiæ originem quod ſpectat, putant aliqui eam effectum eſſe ſapientiæ Græcorum, qui in politica perinde atque in ſcientiis Romanorum & Gallorum Magiſtri extiterunt, & Romam ac Marſiliam humaniores litteras detulerunt. Eorum Legiſlatores, qui hominibus erudiendis, elegantiamque ac virtutem, quacumque fieri poſſet, ratione docendis ſtrenue ſtuduerunt, publica ſpectacula, in quorum numero potiſſimum Comædia erat, populo exhibenda cenſuerunt; tum ut iis, qui otio marceſcerent, cogitationem atque opportunitatem adimerent in Rempublicam quicquam moliendi; tum ut populum inſtituerent, & propoſitis exemplis ad vitii odium & virtutis amorem traherent. Hinc eſt eorum Parentum induſtria, qui ut ebrietatis horrorem ſuorum filiorum animis inſpirarent, vino ſuos domeſticos ingurgitabant, eoſque ebrietate preſſos, & quadam proinde deſipientia ridendos eorum oculis proponebant. Quamobrem animadverſione dignum fuit, Reges, qui populorum parentes ſunt, opportunum pariter judicaſſe homines publico ſervitio addictos exiſtere, qui nobis avarum, ambitioſum, vindictæ cupidum naviter exhiberent, & vitiorum horrorem ingererent. Romani non minus quam Græci Comædiam utilem eſſe duxerunt; id quod in Comædia Roſcii, quem acriter defendit, cauſa Tullius teſtatur. Verum licet ea noſtris temporibus in univerſa Europa obtinuerit, eamdemque Hiſpani atque Itali inter ſolemniorum dierum celebrationis ornamenta retulerint; ſaniores tamen Doctores ejus uſum univerſim repudiant; plures porro excellentes tractatus in hanc rem prodierunt, atque hæc quidem quæſtio ſequentium Caſuum Sorbonicis Doctoribus propoſitorum materiam conſtituit.

Quoniam vero in caſu, qui ſequitur, ſermo eſt de Senatus Pariſienſis Reſcripto diei 9. Decembris an. 1541. quo Fratres Paſſionis inſtitutæ in Hoſpitali Burgundiæ ſuas elucubrationes licet ſanctas recitare prohibiti ſunt, donec alter Rex juſſiſſet: e re eſt hoc loco commemorare, quænam Comædiæ in Galliis origo fuerit. Eſt enim a Confraternitate Paſſionis fundata ante annum 1402. in Eccleſia Trinitatis Lutetiæ Pariſiorum, in via Sancti Dionyſii. Quibuſdam diebus Confratres certis in locis Paſſionis & Reſurrectionis Domini noſtri Myſteria, & nonnullorum ſanctorum aut Sanctarum martyria recitabant; idque non ſemel præſtiterant coram Rege Carolo VI. qui eos idipſum publice proſequi paſſus eſt, ſuorum Miniſtrorum nonnullis eodem accitis. Et quia per id tempus Confratres ipſi per ſe recitabant, Patentibus quoque Litteris an. 1402. iiſdem permiſſum eſt ire redire per Urbem

pro

pro repræſentandorum Myſteriorum argumento ac genere indutos. Poſt hanc permiſſionem in Trinitate Aulam habuerunt, quæ Paſſionis Aula dicta eſt, ubi ſuarum elucubrationum repræſentationes præſtiterunt ad annum uſque 1541. quo Senatus eos recitare prohibuit, donec Rex aliter ſtatuiſſet, propterea quod juxta D. Magiſtri tum Advocati Generalis Declamationem piis hiſce Comædiis admiſcerentur joci, turpeſque Sermones ad initium, finemque, ut populus traheretur, aut cum voluptate detineretur.

An. 1545. Paſſionis aula Confratribus adempta eſt; & Senatus Reſcripto ſtatutum eſt, ut ea excipiendis pauperibus inſerviret. Tunc hi Paſſionis Confratres alium ſibi locum elegerunt, & an. 1548. emerunt ſolum & dirutas ædes Hoſpitalis Burgundiæ, ubi ædificia, quæ etiamnum conſpiciuntur, extruenda curarunt. Senatus ipſis permiſit ſuas ibi repræſentationes proſequi, excepto Paſſionis Myſterio, aliiſque Myſteriis Sacris, (hæc Reſcripti an. 1548. verba ſunt) aliis omnibus, niſi hujus Confraternitatis nomine & emolumento, ullam hiſtoriam recitare aut repræſentare prohibitis. Itaque non amplius hæ piæ repræſentationes habitæ ſunt, quam eorum temporum devota ſimplicitas induxerat, & toleraverat. Cum porro ſpectaculorum & theatri ratio cum inſtituto Confratrum Paſſionis nequaquam congrueret, vero ſimillimum eſt hanc permiſſionem & hoc privilegium eo ſolum ſpectaſſe, ut hoc exercitium pedetentim aboleretur. Et ſane illi locarunt hoc Hoſpitale Comædis Italis & Gallis, qui hoc loco uti coacti ſunt, quin alibi recitare iiſdem liceret; & contenti fuere ſedem ipſis reſervare an. 1676. Hujus Confraternitatis proventus Hoſpitali unitus fuit.

Sub finem menſis Decembris an. 1693. cum aliquæ difficultates in quadam Pariſienſi Parochia ſuper Comædia excitatæ eſſent, viſum eſt aliquot Sorbonæ Doctores conſuli, rogarique, ut de ea dicerent, quid ſentirent. Ii quidem crediderunt ejuſmodi difficultates non poſſe dirimi, niſi re funditus examinata, & ad trutinam revocata quæſtione principe, quæ ad ipſam nempe Comædiam ſpectat; quod in ſequenti caſu præſtiterunt deciſionem ſuam firmiſſimis rationibus fulcientes. Occaſionem huic rei præbuit Theologi Epiſtola, impreſſis Domini Bourſault Operibus præpoſita, ad Comædiæ propugnationem. Theologus hic eamdem Epiſtolam, quippe quæ rumorem vulgo excitaſſet, alia ad Dominum *de Harlay* tunc Archiepiſcopum Pariſienſem data improbavit; hinc ea omnia Opera, quæ tunc ſuper hoc negotio prodierunt.

CASUS I.

* 1 *Comædia utpote res ſuapte natura indifferens quæ nec bona nec mala eſt, quoad uſum ac circumſtantias damnanda eſt.*

2 *Si Comædia mala eſt, quicumque proxima & determinata ratione ei cooperantur, graviter peccant, & præſertim qui Theatro componunt.*

3 *Drama eo magis perniciosum eſt, quod in eo pronior eſt animus ad cupiditates, quibus excitandis favet Muſica, ſuſcipiendas.*

4 *Ad Theatra non eſt accedendum tantum gratificandi gratia ſuis propinquis.*

QUÆSITUM.

Domini Sorbonæ Doctores rogantur, ut de quatuor hiſce quæſtionibus dicant, quid ſentiant. I. Quid de Hiſtrionibus, iiſque, qui Comœdiæ interſunt, dicendum ſit?

II. Quid de Auctoribus, qui elucubrationes in Theatris recitandas edunt, deque iis univerſim omnibus, qui Comædiæ cooperantur?

III. Idem ne de Dramate ſentiendum ſit?

IV. Poſſitne quis ad Comædiam accedere, tantum ut ſuis obſequatur?

Dubitandi momenta ſunt, quod Comædiæ Spectatores quadam veluti poſſeſſione gaudent fruendi delectatione, quam jam inſtitutam inveniunt. Certa eſt eorum poſſeſſio; certis igitur rationibus opus eſt, ut a poſſeſſione deturbentur: porro nihil certi & inconteſtabilis hactenus occurrit, cujus cauſa hoc jure cadant.

Etenim primo magno cum fundamento reſpuitur eorum Patrum auctoritas, qui prioribus quinque ſæculis floruerunt.

(*a*) Lactantius, Sanctus Chryſoſtomus, & Salvianus, qui Comædiam vel hodiernam magnopere damnare videntur, idololatriæ non parum, impuritatis autem & libidinum multum in ea ſupponunt. Comædiam his vitiis purgatam priores Eccleſiæ Patres ut vanam ſolummodo curioſitatem ſpectant; ac ſi vanam hanc curioſitatem vehementer damnant, id in Sermonibus faciunt, in quibus Auditor ad perfectionem fere ducitur, & exaggerationi locus eſt; verum in rigore Scholaſtico id quod perfectio non eſt, abſolute peccatum nequaquam cenſetur.

Secundo loco poſteriorum Sæculorum Eccleſia ſemper ea moderatione uſa eſt, ut Comædiam feſtis tantum diebus damnaret, ut ex Mediolanenſibus ſub Sancto Carolo, aliiſque poſterioris ſæculi Conciliis licet intelligi. Rituale Pariſienſe nihil præterea requirit, ubi de Parochi concione agit, de Hiſtrionibus verba faciens; & quoniam Rituale ipſum per ſe explicandum eſt, quod ibi de Ægrotantium Communione dicitur, interpretationem pati poteſt.

Recentiores Auctores omnes hodiernæ Comædiæ frequentationi non magnopere reluctantur. Iis ſubſcribere videtur Sanctus Franciſcus Saleſius, de choreis, iiſque loquens, qui ad eas accedunt; (*b*) Divus Thomas de Comædia diſſerens eam rem malam non eſſe pronunciavit. Plures, Italorum præſertim Comædiæ, ea tantum continent, quæ Sylveſter magni nominis Caſuiſta vana vocat & oblectantia; (*c*) plures Gallorum Comædorum elucubrationes ejuſmodi ſunt; atque ita ab iis ut ſummum abſtineri poſſet, quæ multum cupiditatum, (*d*) & ut S. Antoninus & Sylveſter loquuntur, *multum turpia* repræſentant.

Tertio loco ſpectari poteſt Comædiæ repræſentatio tanquam picturæ exhibitio; quo ea elegantior eſt, eo majori cum voluptate conſpicitur; admirationi eſt Pictoris ars, quin rebus exhibitis animus afficiatur. Eadem fere eſt Comædiæ ratio; viſus & imaginatio viva hac & naturali Hiſtrionis repræſentatione explentur, quin animus ea capiatur; laudatur Actor, ejuſque actio, quin exhibita res probetur.

Quod ſi timeatur, ne imbecilliores his cupiditatibus, de quibus loquimur moveantur, iis ſane, non autem aliis interdicenda Comædia eſt; aut ea Comædiæ inſeri poſſunt, quæ vehementer & ad vivum virtuti primas tribuant, & vitium damnent ad imitationem Virgilii, qui cum Neptunum indignationis impetu abreptum exhibuiſſet, eum deinde ad clementiam componit; id quod in pluribus ho-

* Caſus hic impreſſus eſt ſejunctim Pariſiis apud I. B. Coignardum an. 1694.

(*a*) Lactant. l. 6. Inſtit. Divin. c. 20. cuncta enim ſimpliciter quæ ibi fiunt, ſunt turpiſſima, omnia ibi turpi laſcivio ſunt plena. S. Chryſoſtom. homil. 38. in cap. 11. Matt. Salvian. l. 6. de Provident. Conc. Mediol. III. tit. 1. Concil. Burdegal. an. 1584.

(*b*) S. Thom. 2. 2. quæſt. 168. art. 3. ad 3.

(*c*) Sylveſt. v. ludus §. 8.

(*d*) S. Anton. 3. p. tit. 3. cap. 7. §. 11.

hodiernis Comædiis fieri conſuevit; aut ſi Comædiæ Auctor id non præſtat; Spectator ipſe præſtare poteſt. Nemo unquam ſuæ vitæ rationem ad id inſtituit, quod in Theatro aut in Comædia exhiberi conſpexit. Spectatur id tanquam hiſtoria, aut caſus ad vivum exhibitus, hujus repræſentatio & idea omnino evaneſcit, ſtatim ac conopeum demiſſum eſt. Quamobrem ſi Comædia damnetur, etiam Collegii Tragædiæ damnandæ ſunt.

Operarii porro, qui Comædiæ adlaborant, minime damnari poſſunt. Id unum in animo habent, ut rei ſuapte natura bonæ, & nonniſi utentium improbitate malæ cooperentur; eamdemque Comædiam publice exerceri ac tolerari vident. Cum ſint Operarii, in id tantum incumbunt, ut arte & functione, quam alii obirent, exercenda ſuam vitam ſuſtentent; itaque hi Operarii moneri poſſent, ut tranquillo animo eſſent, & in eos, qui ſua Profeſſione abuterentur, vitium conjicerent. Fons damnationis, inquit Tertullianus de Hiſtrionibus loquens, eſt propriæ conditionis pravus uſus; rebuſque in extrema conjectis id fortaſſe de his hominibus ſtatui poſſet, quod de ſervo, cujus Dominus aliquando fœnori dat, aut de Mercatore, qui aleas iis vendit, quos aliquando in ludo delinquere ſuſpicatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, expoſitionis quæſtiones ab alia primaria pendere, an ſcilicet Comædia ſit aliquid permiſſum necne?

Si Comædia in ſe ipſa, & in univerſum ſpectetur, videlicet ut repræſentatio, quæ ſuapte natura oblectandæ atque erigendæ mentis eſt capax, nihil in ea malum apparet. Oblectatione homo opus habet, ne ſeriis curis, quibus ob ſui ſtatus rationem addictus eſt, cedat, atque ut iis deinde repetendis aptus exiſtat. Delectatio eſt vera humanæ mentis remiſſio, quemadmodum quies, inquit D. Thomas, (*a*) quoad fatigatum corpus ſe habet; ita ut juxta hæc principia, Comædia, quæ inter has oblectationes ſuapte natura præcipuum locum obtinet, ab omnibus circumſtantiis ſejuncta minime res mala ſit, hujus Sancti Doctoris ſententia loco ad marginem laudato art. 3. *Officium hiſtrionum*, inquit ipſe, *quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum*, ibidem *art.* 3. *ad* 3. Hæc notio Comædiæ ab omnibus circumſtantiis ſejunctæ, de qua Divus Thomas verba fecit, eſt notio generalis & ſpeculativa Comædiæ, quæ tanquam res ſuapte natura indifferens, quæ nec bona nec mala eſt, ſpectari poteſt. Sed ejus uſus hanc indifferentiam non patitur, neque eſt ejuſmodi ſpectata cum circumſtantiis, quæ eam fere comitantur. Et ſane nihil occurret, quod a Divo Thoma Comædiam in praxi, & ut ætate ſua peragebatur, probatam oſtendat; immo vero videtur ipſe ejus uſum damnare voluiſſe; ad id enim reſpondens, quod ſibi oppoſuit, curioſitatem nempe peccatum non eſſe, quia inſpectio ſpectaculorum non eſt res mala, negat hanc propoſitionem, aitque 2. 2. *q.* 167. *art.* 2. *ad* 2. *inſpectio ſpectaculorum vitioſa redditur, in quantum homo fit pronus ad vitia vel laſciviæ, vel crudelitatis per ea, quæ ibi repræſentantur*. Ut autem oſtendat, per hanc particulam *in quantum*, indigitari, quamobrem mala res ſit ſpectaculis intereſſe, ſtatim ſubdit: *unde Chryſoſtomus dicit, quod adulteros & inverecundos conſtituunt tales inſpectiones*. Liquet tum ex fine, quem Divus Thomas ſibi proponit, tum ex Sancti Chryſoſtomi verbis, quæ laudat, eum loqui de Comædia quoad praxim, & ut ætate ſua repræſentabatur. Id ipſum etiam amplius conſtabit, cum de Sancto Ludovico ſubinde agetur, qui e ſuo Regno Hiſtriones exterminavit, & quo regnante D. Thomas in vivis erat.

Recenſet quidem D. Thomas loco citato quæſt. 168. conditiones quaſdam, quæ Comædiæ uſum licitum reddere poſſent, ſi ſervarentur; at fere eæ non ſervantur. Nihil igitur aliud in Comædiæ gratiam ex Divi Thomæ doctrina concludi poteſt, quam eam ſuapte natura malam non eſſe; verum quoad ſuum uſum ſpectata nunquam non a Sanctis Patribus & Eccleſiæ Canonibus damnata fuit.

Neque vero de Comædia id dici poteſt, quod de quibuſdam rebus indifferentibus, exempli cauſa de auro, de argento, de ferro, &c. Harum rerum abuſus ex prava oritur eorum diſpoſitione, qui iiſdem utuntur; harum ſæpe rerum bonus uſus eſt, ſæpe etiam malus. Quamobrem cum Tertullianus aliique Patres præpoſteram auri & argenti cupiditatem cum Comædiæ delectatione compararunt, & utramque damnarunt, non ideo tamen perſuaſum habuerunt, quemadmodum auro & argento, ita etiam Comædia in praxi bene uti licere.

Quæ comparantur, in omnibus convenire non eſt neceſſe, ſatis eſt in aliquo convenire; hæc autem in eo conveniunt, quod ſicut auri & argenti inordinata cupiditas mala eſt, ita etiam mala eſt, quæ ex Comædia percipitur, delectatio. Nunquam Patrum & Conciliorum unanimis ſententia fuit permiſſas eſſe Comædias, aut earum uſum aliquando licitum eſſe. Non deſunt (*b*) Canones, per quos aliquibus liceat ob aliquam utilitatem, non autem ob aliquam delectationem Antiquorum Comædias & Fabulas legere; at nunquam licuit Comædiis adeſſe, eaſque ſpectare.

Damnarunt Patres Comædias, ſeu propter idololatriam, turpitudinemve, qua infectæ ſunt, ſeu propterea quod univerſim eæ fere pertrahunt ad bonorum morum corruptionem, ut ad excitandas & vehementer inflammandas cupiditates, quæcumque paſſim adhibita fuerit ad earum tollendos abuſus ſollicitudo. Id allatam propoſitionem confirmat, nempe Comædiam moraliter loquendo, & quoad ejus conſuetum uſum malam eſſe; ex quo factum eſt, ut ea ſemper hactenus Fidelibus vetaretur. Idololatriam ex earum cauſarum numero fuiſſe, propter quas prioribus ſæculis Comædia damnata fuit, eſt propoſitio, de qua ſane convenit; verum Sancti Patres ob alias quoque rationes ſupra allatas eam repudiarunt, & ob hanc etiam, quæ generalis eſt, Comædia nempe bonos mores fere corrumpi, tum ob argumenta, quæ in ea exhibentur, tum ob malas circumſtantias, quæ ab ejus praxi inſeparabiles ſunt. Non igitur verum eſt, ut oſtendimus, priorum Sæculorum Patres ſpectacula damnantes idololatriam tantum, quæ iis temporibus graſſabatur, ob oculos habuiſſe; aut pro certo habuiſſe illam eo ſolum nomine dignam eſſe, quæ damnaretur, quod in ea ſemper turpitudinis, ac libidinum multum occurreret.

Tertullianus in ſuo de Spectaculis libro eam pluribus locis damnat rationibus adeo præciſis, ut non modo damnandis noſtrorum temporum Comædiis, ſed eorum quoque refellendis rationibus, qui earum defenſionem ſuſciperent, inſervire poſſent. (*c*)

Illud autem pro certo habendum Tertullianum non ſemper de Spectaculis loqui, prout ad idololatriam referuntur, ut liquet ex hiſce verbis cap. 14. *interpoſito nomine Idololatriæ, quod ſolum ſubjectum ſufficere debet ad abdicationem ſpectaculorum, alia jam ratione tractemus ex abundanti*. Et quoniam nonnulli contendebant nequaquam in Sacris litteris de Spectaculis ſermonem fieri, ac proinde ea minime eſſe repudianda: Tertullianus oſtendit ea in Sacris litteris prohiberi, dum ſæculi concupiſcentia damnatur: *quaſi*, inquit, *parum etiam de Spectaculis pronuncietur, cum ſæculi concupiſcentia damnatur*. Capitibus inſequentibus Tertullianus aliis adductis rationibus ſpectacula vetita eſſe demonſtrat.

Primum quidem univerſim oſtendit ea donis Sancti Spiritus adverſari, quia affectionum animi impetum excitant: *nam ſi quis*, inquit, *modeſte & probe ſpectaculis fruitur, non tamen immobilis animi eſt ſine tacita ſpiritus paſſione. Nemo ad voluptatem venit ſine*

(*a*) D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. Sicut autem fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem, ita etiam oportet, quod fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem; quies autem animæ eſt delectatio.

(*b*) Can. Turbat. & Can. Sacerdos diſt. 37. Nam quoad eruditionem non ſunt prohibendi, ſed quoad delectationem. Archidiaconus in cap. Sacerdotes.

(*c*) Tertull. de Spectac. cap. 14.

ſine affectu, nemo affectum ſine ſuis caſibus patitur. Denique concludit eorum Spectatores, & ex iis voluptatem capientes illorum ſe criminum reos facere, quæ in iis exhibentur: (*a*) *Nobis*, inquit, *ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi de talia facientibus non conſentiamus.*

II. Probat ſpectacula damnanda eſſe ob eam cauſam, quod qui ea repræſentant, infames communi ſententia judicentur: (*b*) *Quanta eſt confeſſio malæ rei, cujus Auctores cum acceptiſſimi ſint, ſine nota non ſunt.* Ex quo ita concludit: (*c*) *Cum igitur humana recordatio, etiam obſtrepente gratia voluptatis eos cenſeat ademptis bonis dignitatum, quanto magis divina juſtitia in ejuſmodi Artifices animadvertit?*

III. Addit de ſpectaculis id judicii ferendum eſſe, quod de iis Ethnici ferebant putantes hominem Chriſtianum evaſiſſe, cum iis renunciavit: *hoc eſt*, inquit, *pompa Diaboli, adverſus quam in ſignaculo fidei ejeramus.* Et cap. 16. *Atque hinc maxime intelligunt factum Chriſtianum de repudio ſpectaculorum.* Et ſane, ut monet idem Auctor, Chriſtianus ſuæ Religionis ſenſa ſemper in animo habere debet, quod inter ejuſmodi oblectationes præſtare non poteſt: *an*, inquit, *ille recogitabit de Deo eo tempore poſitus, ubi nihil eſt de Deo?*

IV. Facta hypotheſi, ſubdit idem Tertullianus, aliquid in ſpectaculis eſſe honeſti, fortis, &c. Chriſtiani ea ſpectare non debent niſi tanquam mel venenatum, quod ſumere nequeunt abſque mortis ſibi inferendæ periculo: (*d*) *Omnia illic honeſta, ſeu fortia &c. proinde habet ac ſtillicidia mellis de libamento venenato; nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem.*

V. Spectacula minime congruunt cum Chriſtiani ſtatu in hac vita, cujus ſpiritus non in eo ſolum ſitus eſt, ut omnes voluptates effugiat, ſed etiam ut ſuam lætitiam in pœnitentiæ lacrymis ponat: (*e*) *Vicibus*, inquit, *diſpoſita res eſt, nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum*, inquit, *gaudebit, vos triſtes eritis: lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus; ne pariter nunc gaudentes tunc pariter lugeamus.* Ea eſt etiam Chriſtianæ Religionis ratio, ut peccatorum venia obtineatur, cognoſcatur veritas, & voluptates ſpernantur. Eſtne, inquit etiam Tertullianus idem, aliquid jucundius, quam cum Deo reconciliari, perfectam veritatis cognitionem aſſequi, ſua errata cognoſcere, & præteritorum criminum veniam conſequi? Quænam major voluptas, quam quæ ex ipſius voluptatis faſtidio percipitur? Docet id cap. 29. ejuſdem tractatus de ſpectaculis?

Sanctus Cyprianus in Tractatu, quem pariter de Spectaculis edidit, non ob idololatriam tantum ea damnat, ſed etiam pro certo ponit, etiamſi nihil in iis mali eſſet, maxime dedecere Chriſtianam Religionem profitentem iis intereſſe: *Hæc*, inquit, *etiamſi non eſſent ſimulacris dicata, obeunda tamen & ſpectanda non eſſent chriſtianis fidelibus, quæ etſi non haberent crimen, habent in ſe & maximam & parum congruentem fidelibus vanitatem.* Neque vero hic Pater id ponit hoc loco Comædias culpa vacare, aut non niſi cum Chriſtiana perfectione pugnare; probat enim deinde Chriſtifideli omnia ſpectacula fugienda eſſe, & ob propenſionem ad malum ea tanquam proximam peccandi occaſionem ſpectat. Cum enim, inquit, humanus animus ſuapte natura ad malum inclinet, quid fiet, naturæ fragilis exemplis ob oculos poſitis? Quid hæc in eo natura præſtabit, quæ ipſa per ſe nonniſi peccare poteſt, ſi incitetur? *Avocandus eſt animus ab iſtis. Habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit.*

Antea dixerat Sanctus Cyprianus in Epiſtola ad Donatum, idololatriam ſecernens, quod cernitur in Theatris, non poſſe niſi dolorem parere, ac pudorem lædere: (*f*) *Converte hic vultus ad diverſa ſpectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicias, quod tibi dolori ſit & pudori.*

S. Clemens Alexandrinus, & S. Baſilius eo nomine ſpectacula damnant, quod bonos mores corrumpunt. S. Clemens aliquot mala recenſet, quibus ſpectacula locum præbent: (*g*) *magna itaque confuſione & iniquitate hi cœtus pleni ſunt, & occaſio conventus cauſa eſt turpitudinis, cum viri & fœminæ mixtim conveniant, alter ad alterius ſpectaculum, hic perperam agitur concilium; dum enim laſciviunt oculi, caleſcunt appetitiones, & oculi proximos impudentius aſpicere aſſuefacti, per quod conceſſum ſibi vident otium, intendunt cupiditates..... prohibeantur ergo ſpectacula & acroamata, quæ nequitia, verbiſque obſcœnis & vanis temere profuſis plena ſunt. Quid enim turpe factum non oſtenditur in Theatro, quod autem verbum impudens non proferunt, qui riſum movent, Scurræ, & Hiſtriones?*

S. Baſilius initio ſuæ Homiliæ 4. in Exameron loquitur de cantilenis, quarum in ſpectaculis uſus erat, eaſque pernicioſas eſſe pronunciat: (*h*) *tanta*, ait, *aviditate inhiant ex audiendis cantiunculis in mollitiem diffractis, ad morum quoque corruptelam quam maxime proficientibus, & quæ nullum non genus effrænis laſciviæ animis ingenerent Auditorum, ut nullo unquam neque fine neque modo illis exſatientur..... Ipſe equidem arbitror hos neſcire orcheſtram ejuſmodi laſcivis ſpectaculis redundantem, communem eſſe & publicam diſcendæ incontinentiæ officinam iis, qui eo pervolant conceſſuri.* Et Homilia 24. loquens de lectura librorum Gentilium ſub finem ait, ad ſervandam animi puritatem, ſenſuum voluptatem vitandam eſſe, abſtinendumque a ſpectaculis, & a muſica, quæ ibi canitur, quæque corrumpendæ tantum menti, irritandiſque cupiditatibus apta nata eſt: *Hanc animæ purgationem, ut ſemel, & quod vobis ſatis ſit, dicam, voluptates per ſenſus eripiunt. Oportet enim nec oculos ſpectaculis nec vanis præſtigiatorum oſtentationibus tradere, nec per aures animarum corruptricem melodiam haurire; hoc enim muſicæ genus ſervitutis & ignobilitatis fructus parere, præterea libidinum ſtimulos acuere ſolet...... Alia nobis muſica longe melior exiſtit, & ad meliora nos excitans ſequenda.*

S. Chryſoſtomus in pluribus ſuorum Operum locis de ſpectaculis loquitur; ſed ea potiſſimum damnat in ſua Homilia 42. in Acta Apoſtolorum: *in Theatro*, inquit, *riſus, turpitudo, pompa diabolica, effuſio, inſumptio temporis, concupiſcentiæ abſurdæ præparatio, adulterii meditatio, ſcortationis gymnaſium, intemperantiæ ſcola.... Mala magna Theatra efficiunt Civitatibus, magna, & neque bo[illegible]imus, quod magna.* Et Homilia 3. de *Saule & D*[illegible] *in hæc verba Matth. 5. Qui viderit Mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo;* adeundæ Comædiæ periculum oſtendit ob Mulieres, quæ in Theatris apparent: *Quod ſi Mulier*, inquit, *ſponte ac forte in foro obvia & neglectius culta ſæpenumero curioſius intuentem cepit ipſo vultus aſpectu: iſti, qui non ſimpliciter, [illegible]que fortuito, ſed ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi deſidentes diem, in facies abjectarum mulierum illarum defixos habent oculos; qua fronte poterunt dicere, quod eas non viderint ad concupiſcendum? Ubi verba quoque accedunt fracta laſcivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitant.* Quamobrem hic idem S. Doctor ait Spectatores Comædiarum injuria conqueri, Eccleſiæ ingreſſu, & hujus ſanctæ Congregationis Communione participanda ſibi eſſe interdictum. *Quomodo*, inquit, *poterunt abſque pœnitentia ad hæc ſacra veſtibula accedere, hujuſque præclari Conventus eſſe participes?* Et concludit in hæc verba: *Quapropter equidem hortor, rogoque, ut prius Confeſſione, ac pœnitentia, aliiſque remediis omnibus ſeſe a peccato ex theatricis ſpectaculis contracto perpurgent, atque ita divinos audiant ſermones: neque enim hoc a nobis mediocriter delinquitur.* Homilia 38. in idem caput 5. Sancti Matthæi verſus finem ait Comædiarum Actores Veterum legibus infames declaratos fuiſſe.

Divus Auguſtinus Lib. 3. ſuarum Confeſſionum cap. 2. pro certo ponit per Comædias excitari cupiditates pro earum rerum ratione, quæ in iis exhibentur; alias nulla inde voluptas perciperetur; teſtaturque ſe ipſum, cum iis intereſſet, ſæpe lætatum

(*a*) Ibid. c. 15. (*b*) Ibid. c. 22. (*c*) Ibid. c. 23.
(*d*) Ibid. c. 27. (*e*) Ibid. c. 28.
(*f*) S. Cyprian. epiſt. ad Donat. c. 28.

(*g*) S. Clem. Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 2.
(*h*) S. Baſil. homil. 4. in Exam. initio.

catum eſſe, cum prava amantium deſideria expleta videret: *ſed nunc*, inquit, *in theatris congaudebam amantibus, cum ſeſe fruebantur per flagitia*. Id quod ipſe damnat, & ſubdit: *quid autem mirum, cum infelix pecus aberrans a grege tuo, & impatiens cuſtodiæ tuæ ſcabie fœdaret*. Idem Sanctus Doctor *lib. 2. de Civit. Dei cap. 9.* de Comædiis generatim loquens ex antiquo refert, quod alias dixerat: *Nunquam Comædiæ niſi conſuetudo vitæ pateretur, probare ſua theatris flagitia potuiſſent*.

Antiquus Auctor inter ejuſdem Sancti Auguſtini Opera hæc habet: (*a*) *cohibeat ſe a ludis & ſpectaculis ſeculi, qui perfectam vult conſequi remiſſionis gratiam. Dina ſi ſe cohibuiſſet, & ſi inter ſuos remanſiſſet, ab externo raptore corrupta non fuiſſet*.

Salvianus L. 6. de Providentia de Comædiis & ſpectaculis fuſe loquens alia ſcelera cum Comædia comparat: (*b*) *alia quippe crimina*, inquit, *ſingulas ſibi ferme in nobis vindicant portiones, ut cogitationes ſordidæ animum, ut impudici aſpectus oculos, auditus improbi aures, ita ut cum ex his unum erraverit, reliqua poſſint carere peccatis. In Theatri vero nihil eorum reatu vacat, quia & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur*. Addit: *in ſpectaculis quædam eſt apoſtaſia fidei, & a Symbolis ipſius ac cœleſtibus Sacramentis lethalis prævaricatio.... Ergo ſpectacula & pompæ etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt diaboli*. Et *ſerm. 2. de Symbol. ad Cathecum. cap. 1. tom. 6. pag. 569. edit. ult. Pompæ Diaboli*, inquit, *ſunt quæque illicita deſideria carnis, deſideria oculorum, ambitiones ſeculi*.

Quod ſi quæritur, quænam in Conciliis Eccleſiæ mens fuerit, facile intellectu eſt eam a Patrum ſententia minime diſcrepaſſe, & Concilia in ſpectacula & Comædias iiſdem de cauſis tam peculiaribus quam generalibus invecta fuiſſe.

Concilium Illiberitanum an. 305. celebratum can. 62. ſtatuit, ut Hiſtrio ſi fidem amplecti velit, officium ſuum deſerat; *quod ſi*, Concilii verba ſunt, *contra interdictum tentaverint ab Eccleſia projiciantur*. Et can. 67. prohibet Mulieribus fidelibus & cathecumenis, ne Hiſtrionibus nubant: *Quæcumque hæc fecerit, a communione arceatur*.

Arelatenſis 1. Synodus an. 314. habita can. 5. ita ſtatuit: *De Theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, a Communione ſeparare*.

In Codice Canonum Afric. canone 129. qui ex Carthaginenſi Concilio an. 419. celebrato depromptus eſt, & Juri Canonico inſertus, infames, cujuſmodi ſunt Hiſtriones, accuſationem inferre prohibentur: *Servi ad accuſationem non admittantur.... Omnes etiam infamiæ macula aſperſi, id eſt hiſtriones ac turpitudinibus ſubjectæ perſonæ*. In Africanæ quidem Eccleſiæ Canone 61. ab Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano petitur, ut diebus Dominicis aliiſque majoribus Chriſtianæ Religionis feſtis ſpectacula prohibeant; id tamen non evincit Eccleſiæ perſuaſum fuiſſe ea diebus cæteris permiſſa eſſe, quoniam in eodem Canone declaratur hæc ſpectacula Dei præceptis opponi: *Nec oportere quemquam Chriſtianorum legi ad hæc ſpectacula...... quæ contra præcepta Dei ſunt*. Hac moderatione tunc uſa eſt Eccleſia, propterea quod populus hiſce ſpectaculis vehementius addictus erat, quam ut omnino prohiberi poſſent.

Concilium VI. habitum Coſtantinopoli *in Trullo* can. 51. an. 680. hæc habet: *Omnino prohibet hæc ſancta & univerſalis Synodus, eos, qui dicuntur mimi, & eorum ſpectacula, eaſque, quæ fiunt in Scena, ſaltationes perſpici: qui ſecus fecerit, ſi Clericus ſit, deponatur; ſi Laicus, ſegregetur*.

Concilii III. Turonenſis an. 813. can. 7. habentur hæc: *ab omnibus, quæcumque ad aurium & oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri poſſe credatur, quod de aliquibus generibus Muſicorum, aliiſque nonnullis rebus ſentiri poteſt, Dei Sacerdotes abſtinere debent; quia per aurium oculorumque illecebras vitia animam ingredi ſolent*.

Et can. 9. Concilii Cabill. 2. an. 813. ſtatuitur, ut Sacerdotes *Hiſtrionum ſive ſcurronum, ac turpium ſeu obſcænorum jocorum inſolentiam non ſolum ipſi reſpuant, verum etiam a Fidelibus reſpuenda cenſeant*.

In Synodo Provinciæ Cameracenſis habita an. 1550. Octobris menſe ita legitur: *Nullus fidelis amovendus, niſi ſit excommunicatus, vel interdictus, aut alio notorio crimine notatus, videlicet Meretrices publicæ, Mimi & Hiſtriones*.

In alia Synodo Provinciæ Turonenſis an. 1583. extitere Decreta, a Sede Apoſtolica, ut in Decretorum hujus Provinciæ collectione dicitur, correcta & approbata, quibus per dies Dominicos *Comædias, ludos ſcenicos, vel Theatrales, & alia hujus generis irreligioſa ſpectacula ſub anathematis pœna prohibet hæc Sancta Synodus*. Et in eodem Concilio de celebratione Feſtorum Hiſtriones appellantur *fallaces Satanæ blanditiæ*.

In Manuali Parochorum Provinciæ Salisburgenſis an. 1582. cap. 12. titulo de Euchariſtia, ubi quæritur, quinam ad ſanctam Menſam accedere permittendi, aut prohibendi ſint, ita legitur: *arceantur ab hac menſa omnes vitiorum dedecore infames, quales ſunt fures, meretrices.... hiſtriones, circulatores, aliique qui publice peſſime audiunt, quibuſcum verſari nos, cibumque capere prohibet Apoſtolus*. In eodem Manuali titulo de præparationibus ad ordines recipiendos, leguntur hæc: *Tum advertantur, ut iiſdem criminibus caveant, quibus contaminatum neminem ſacri Canones initiari volunt, ut ſi accedat hiſtrio, ſcurra, hæreticus*.

Objicitur Divum Bernardum in quodam ſuorum Operum ſpectacula vanitatis tantum arguere, aitque ſe in iis, qui ſpectaculis interſunt, id unum execrari, quod ea perdite conſectantur fugientes jucundæ quietis pacem, ut voluptate, quæ nonniſi curioſa perturbatio eſt, expleantur. At ſi hujus Sancti Patris Epiſtola 87. legatur, intelligetur ipſum credidiſſe aliud quam vanitatem in ſpectaculis reperiri; id affert, quod mundani homines de Religioſa vita garriunt, eam nempe ipſorum judicio nihil aliud eſſe quam ludum. Reſpondet, pronunciatque eam non puerilem ludum eſſe, ſed ludum, quia exercitatio ſeria eſt, & digna, quam cœleſtes Spiritus haud flocci faciant: (*c*) *Non eſt hic ludus puerilis, non eſt de Theatro, qui fœmineis fœdiſque anfractibus provocet libidinem, actus ſordidos repræſentet*. Non ergo ſequitur D. Bernardum, quod iis, qui Comædiis interſunt, vehementem tantum eas avide conſectandi ſitim exprobraverit, puram putamque vanitatem in iis detexiſſe, ut Comædiæ propugnatores contendunt.

Sane dubitari non poteſt, quin ætate S. Bernardi Comædiæ damnatæ fuerint. (*d*) Joannes Saliſburgenſis Epiſcopus Carnutenſis, qui eodem ſæculo florebat, ſpectacula improbavit, inquiens ætate ſua iis accendi libidinis flammas, & Hiſtriones in id incumbere, ut eorum, qui ſine aliqua occupatione vivere nequeunt, deſidiam detineant; hanc autem pernicioſam inordinationem eſſe, quoniam ſimplex quoque deſidia eſſet utilior, quam adeo turpis occupatio: *Noſtra ætas*, inquit hic ſapiens Epiſcopus, *prolapſa eſt ad fabulas, & quævis inania, non modo aures & cor proſtituit vanitati, ſed oculorum & aurium voluptate ſuam demulcet deſidiam, luxuriam accendit conquirens undique fomenta vitiorum..... vitanda improba Siren deſidia, & eam noſtri prorogant hiſtriones; ex occupatis etenim mentibus ſubrepunt tædia ſeſeque non ſuſtinerent, ſi non alicujus ſolatio voluptatis mulcerentur. Admiſſa ſunt ergo ſpectacula, & infinita tirocinia vanitatis, quibus qui omnino otiari non poſſunt, pernicioſius occupantur; ſatius enim fuerit otiari, quam turpiter occupari*.

Dupleſſis cap. 1. vitæ Philippi Auguſti, qui vivebat ſæculo XII. quo idem D. Bernardus in vivis erat, memoriæ prodit hunc Principem Regni ſui primitias Dei gloriæ conſecraſſe, ejectis ex Aula hiſtrionibus, utpote factis ad enervandos homines, & ad voluptatem incitandos per turpium & laſcivorum dictorum & factorum motiones.

Se-

(*a*) Auct. anonym. inter opera S. Auguſt. l. 6. de falſa & vera pœnitent. c. 15.
(*b*) Salv. l. 6. de gubernatione Dei.
(*c*) S. Bernard. Epiſt. 87. n. 12.
(*d*) Joan. Saliſbur. lib. 1. cap. 8. de nugis curialibus.

Sequenti Sæculo Sanctus Ludovicus e ſuo Regno Hiſtriones expulit, ut in ejus vita refertur. Animadvertendum eſt Divum Thomam eo tempore ſcripſiſse, atque hunc Principem ejus conſilio in rebus pluribus uſum eſse, ut conſtat ex hujus Sancti Doctoris vita, ejus Operibus præpoſita, in qua ita legimus: *Ludovicus quoque Sanctiſſimus tum ipſum, tum ejus doctrinam maximi faciebat; & quod per externa Saracenorum bella licuit, ejus ſemper graviſſimis conſiliis uſus eſt.*

Illud hoc loco dici poteſt ad id magis magiſque firmandum, quod ſupra de D. Thomæ doctrina, ad Comædiam quod attinet, dictum eſt, non eſse vero ſimile hunc Sanctum Doctorem in ſuis ſcriptis de Comædia loqui ſecundum communem & conſuetum morem, quo ætate ſua repræſentabatur, eamque defendere voluiſse; cum Sanctus Ludovicus, qui ejus doctrinam magni faciebat, conſilia, quantum poterat, capiebat, ſemperque faciebat, e ſuo Regno Hiſtriones expulerit. Eſt igitur indubitatum, Divum Thomam, cum Comædorum & Comædiæ exercitium licitum pronunciavit, nunquam de hoc exercitio loqui voluiſse, niſi prout in ſe ipſo ſe habet, non autem prout fere in uſu eſt.

Si objectio quoque expendatur, quæ paulo ante in medium allata eſt, facile intelligetur, hunc Sanctum Doctorem quoad ordinariam praxim nunquam Hiſtrionibus patrocinatum eſſe; in hac enim objectione id ſibi proponit oſtendendum, delectationis exceſſum culpa vacare poſſe; in id affert exemplum Hiſtrionis, & tibia ſonantis, qui, ut eſt in vita Sancti Paphnutii, Sanctus evaſit. Divus quidem Thomas ad hoc factum nullam peculiarem reſponſionem adhibet; at ſi de Hiſtrionis officio judicetur ex eo, quod is egit, cujus hiſtoriam (*a*) Ruffinus exhibet: cum ille nonniſi poſt repudiatum officium ſuum Sanctus evaſerit, conſequens fieret oportere Hiſtrionem ita ſe gerere, ut ſuam ſalutem in tuto collocaret. Re enim ipſa facilius eſt illud dimitti, quam ipſius abuſum emendandum ſuſcipi, quoniam vix fieri poteſt, ut Hiſtrio modum ſervet, quem honeſtas, & ratio præſcribunt in iſtiuſmodi ſolatiis, quæ ipſe pro ſuo munere omnibus exhibet.

Divus Antoninus, qui Sæculo XV. ſcribebat, aſſerit Hiſtrionis officium ſuapte natura non eſſe illicitum, ut ait Divus Thomas, modo locorum, temporum, & perſonarum requiſitæ circumſtantiæ ſerventur: (*b*) *ſed cum hiſtriones*, inquit Auctor hic, *utantur indifferenter tali exercitio ad repræſentandum etiam turpia, aut vituperandum & irridendum perſonas ſpirituales ..... illicita eſt ars, & oportet eam dimittere, & peccatum eſt talia aſpicere, & talibus pro illo opere dare, ut dicit Auguſtinus* in ſuis in Sanctum Joannem commentariis, & in Pſalmum 102. unde ductus eſt Canon *Donare diſt. 86.*

Ita ut hæc alia Sancti Antonini verba, *aut non ſunt expreſſe, & tunc ſi repræſentantur multum turpia & laſcivia, ea exercentes mortaliter peccant* (*c*); non ita ſint accipienda, quaſi vero ad mortale peccatum non ſatis eſſet exhibitas res turpes eſſe, ſed valde turpes eſſe oporteret. Auctor hic aperuit mentem ſuam per ea, quæ ſcripſit in parte tertia, & per hæc verba, quæ laudata proxime conſequuntur: (*d*) *& inſpectio voluntaria talium mortalis eſt, quia nihil aliud eſt quam delectari de turpibus, & tum etiam quia periculo tentationis ſponte ſe exponit.* Non eſt neceſſe rem eſſe multum turpem, ut ſit tentationis occaſio, turpem eſſe *ſatis eſt*. Sanctus Antoninus vocat multum turpia, eorum comparatione, quæ leviter talia ſunt; aliter ſequeretur rerum turpium repræſentationem, atque inſpectionem omnino peccatum non eſſe, quod Patrum & Theologorum ſententiæ repugnat. In eumdem ſenſum id eſt explicandum, quod ait Sylveſter verbo *Ludus* §. 8. (*e*) Et ſane hic Auctor alibi de Hiſtrionum officio loquens pronunciat, ſi rerum turpium repræſentationes ſunt, qui eas exhibent, aut iis interſunt, graviter delinquere: *eſt*, inquit, *& peccatum mortale, ut ſi fiant puta cum verbis turpibus aut actibus repræſentantibus turpia, aut incantationibus; quod patet, quia talibus Corpus Chriſti denegatur; ut in cap. Pro dilectione diſt. 2. de Conſecr. & qui venatoribus diſt. 86. Ubi Auguſtinus dicit magnum eſſe peccatum dare aliquid talibus pro opere ſuo, quia in ſcelere ſuo juvantur; & illud peccatum videtur eſſe mortale, quia eſt cooperatio ad mortale.*

Credi fortaſſe poterit, rebus ad præſens ſæculum propius accedentibus, Theatra a labe purgata eſſe, & a veteri ratione valde receſſiſſe; verum id ex eo, quod Divi Caroli tempore, & ab eo ad noſtrum uſque tempus contigit, dijudicari poteſt.

Jam in Actis Mediolanenſibus (*f*) lib. 3. Clerici Comædiis, utpote criminoſis ſolatiis intereſſe prohibentur; *Fabulis, Comædiis, & haſtiludiis, aliiſve profanis & inanibus ſpectaculis non intererunt, ne aures & oculi Sacris officiis addicti, ludicris & impuris actionibus ſermonibuſque diſtracti polluantur.* Ex ratione, qua hic Sanctus de Comædia loquitur, conjici nequit eam Clericis tantum vetitam eſſe; pariter dum titulo de celebratione Feſtorum numm. 11. & 12. Concilii III. Mediolanenſis ait Comædiam diebus feſtis, ſaltem divini ſervitii horis prohibendam eſſe, legitime concludi non poteſt eam diebus reliquis eſſe permiſſam; Sanctus enim Carolus generales rationes affert, quibus evincitur eam ſemper & perſonis omnibus interdici; ita tamen, ut Eccleſiaſticis magis, qui ſunt perſonæ Eccleſiæ addictæ, quam Sæcularibus, & magis horis Servitii, quam quovis alio tempore prohibeatur.

Hanc autem Sancti hujus Præſulis eo loco ſententiam eſſe, ratio in promptu eſt; etenim ibidem de Comædia generatim loquens monendos mandat Principes & Magiſtratus, ut a ſuis ditionibus, & a ſuæ, quam late poteſt, Juriſdictionis terminis Hiſtriones expellant: *De his etiam*, inquit, (*g*) *Principibus, & Magiſtratibus, commonendos eſſe duximus, ut hiſtriones, mimos, cæteroſque circulatores, & ejus generis perditos homines de ſuis finibus ejiciant.* Hæc cum ita ſint, non apparet, qui aſſeri poteſt, ut eſt aſſertum, nunquam D. Carolum damnaſſe Comædias, Comædoſque, diebus feſtis, & ſervitii horis eas exhibentes.

Verum ne ullus ſuperſit de hujus Sancti ſententia dubitandi locus, videri poteſt inſtructio, quam Concionatoribus tradit quoad ea, quæ populos docere debent. Ita enim ſacrum quemvis Oratorem hortatur: (*h*) *Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur; demonſtrabit incommoda, publicaſque ærumnas inde in populum Chriſtianum dimanare ...... In quam ſententiam valde populum confirmabit per ea, quæ graviſſimi Viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus aſſerunt.* Ut autem hujus teſtimonii vis, & quæ inde concludi poſſunt, intelligantur, tria veniunt animadvertenda.

Primum eſt, verum non eſse, quod Comædiæ propugnatores contendunt, priorum Sæculorum Patres ob idololatriam tantum in Comædiam invectos eſse; invecti ſunt aliis quoque de cauſis, quoniam præſumi non poteſt, Idololatriam S. Caroli ætate in ejus Diœceſi graſſatam eſse.

Alterum eſt, ne illud quidem dici poſse Sanctum Carolum ſuorum temporum Comædiis refragatum eſse ſolum ob turpitudines, quibus illæ fædatæ eſſent, quoniam qui Comædiæ defenſionem ſuſcipiunt, eamque probare volunt, eam hujus magni Præſulis mentem eſse contendunt, ut illam diebus tantum feſtis, & divini ſervitii tempore damnet, aliis autem diebus permiſſam judicet. Illud ergo pro certo habendum graves has turpitudinis & libidinis

(*a*) Ruffin. lib. 2. cap. 16. & lib. 8. cap. 62.
(*b*) S. Antonin. 3. part. tit. 8. cap. 2. §. 12.
(*c*) Id. p. 2. tit. 3. c. 7. §. 11.
(*d*) Ibid.
(*e*) Sylveſt. Parag. 7.

(*f*) Act. Mediol. l. 3. de vita, & honeſtat. Cleric. num. 34.
(*g*) Ibid. tit. de hiſtrionibus, & mimis.
(*h*) Inſtruct. ad Præd. verbi Dei.

bidinis notas ab his Comædiis abſuiſſe; alias enim eas nullo unquam tempore permiſſas eſſe crediſſet. Verum illud conveniat neceſſe eſt Divum Carolum, Eccleſiæ Patrum exemplum & mentem ſecutum damnaſſe Comædiam peculiares ob cauſas ex turpibus aut impiis rebus ductas, quæ in ea exhiberentur, & ob aliam quoque generalem rationem petitam a circumſtantiis, quæ ab ejus praxi inſeparabiles ſunt, quod ea videlicet ad morum corruptionem ducat.

Qua quidem in re a vero aberrari potuit, cum in expoſitione dictum eſt Eccleſiaſticos priorum Eccleſiæ ſæculorum Auctores, Salvianum ex. c. & Lactantium peculiaribus tantum de cauſis, quæ in hujus ſæculis Comædiis locum non habent, Comædias ipſas damnaſſe; ac de Salviano quidem ſupra. Ad Lactantium quod attinet, damnat ille ſpectacula peculiaribus de cauſis, quas *Inſtitutionum divinarum lib. 6. cap. 20.* ſingillatim enumerat: *in ſcenis*, inquit, *neſcio, an ſit corruptela vitioſior; nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum; & quo magis ſunt eloquentes, qui illa flagitia finxerunt, eo magis elegantiæ ſententiarum perſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi & ordinati; item tragicæ hiſtoriæ ſubjiciunt oculis parricidia, & inceſta, & cothurnata ſcelera demonſtrant ..... Spectacula hæc publica, quoniam maxima ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſime valent, tollenda ſunt nobis, quia non modo ad beatam vitam non conducunt, ſed etiam nocent plurimum*. Ea igitur generalis eſt ratio, quod Comædiæ ob argumenta, quæ repræſentant, aut ob circumſtantias, quæ eas comitantur, cupiditates excitant, & inflammant.

Tertium demum eſt, Divum Carolum, ſi credidiſſet, ut iis placet, qui Comædias propugnant, aliquando Sanctos Patres de Comædia perinde ac de ſimplici vanitate locutos eſſe; aut rationes, ob quas in ſuis Sermonibus eam damnarunt, ad exaggerationem quamdam ſpectare; aut denique Comædias a magnis flagitiis ſejunctas poſſe ſolum a Chriſtiana perfectione homines avocare: Divum, inquam, Carolum abſolute & indiſcriminatim juſſurum non fuiſſe ſuæ Diœceſis Concionatores Sanctorum Patrum argumentis uti. Hæ loquendi rationes nec exaggeratæ ſunt, nec Rhetoricæ figuras ſapiunt, ſed aliquid amplius ſignificant. Neque vero ſingulos Oratores monuiſſet, ut gravia mala, quibus Hiſtriones in cauſa ſunt, populo ſignificarent; ita enim de Concionatore loquitur: (*a*) *Demonſtrabit publica incommoda in populum dimanare*. Quod ſane in id cadere nequit, quod pura putaque vanitas eſt, aut a Chriſtiana perfectione tantum avertit.

Si ad ſæculum, in quo ſumus, propius accedatur, nunquam occurret Comædiam aut Comædos benignius habitos fuiſſe. Univerſitas Pariſienſis in ſuo ſtatuto 19. quod affert Fontanonius, Hiſtriones jubet ex Univerſitate ejici, atque ultra Pontes abigi: *ut omnis occaſio*, Statuti verba ſunt, *tollatur Scholaſticos a ſtudiis avocandi, aut ad nequitiam adducendi, omnes Hiſtriones ab Academiæ finibus migrent, & ultra Pontes ablegentur* (*b*).

Cum cognoſcendæ eſſent Patentes Litteræ Hiſtrionum, qui ex Italia venerant, Henrico III. regnante an. 1577. referente Mezeraio, Senatus Pariſienſis id facere recuſavit: „ e converſo, inquit „ hic Auctor, ipſe dictas litteras reſpuit, quippe „ quæ eſſent in eorum gratiam, quos boni mores, „ Sancti Canones, Eccleſiæ Patres, & Reges no„ ſtri ſemper infames duxerunt “. Hæc ſunt hujus Hiſtorici verba. Senatus eos impoſterum agere, atque ejuſmodi litteras obtinere prohibuit, aliter decem mille librarum pœna mulctandos. Addit quidem hic Hiſtoricus Hiſtriones *au petit Bourbon* agere non deſtitiſſe cum Regalis Familia Pictavio rediit; quod, inquit Mezaray, mollitiem, qua tunc Aula obruta erat, apertiſſime oſtendit.

An. 1584. idem Senatus per Reſcriptum Cameræ Vacationum editum ad poſtulationem Domini Procuratoris Generalis prohibuit, ne Hiſtriones, qui tunc in Hoſpitali Cluniacenſi Mathurinenſibus proximo verſabantur, ſuas Comædias recitarent, ullumque in quovis loco & ſuburbio conventum agerent; & ne Collegium ſub pœna librarum mille eoſdem exciperet.

An. 1588. ad querelam exhibitam a Domino Antonio Seguierio Advocato Regis, loquente loco Procuratoris Generalis, ponderatiſque ejus concluſionibus, Senatus Pariſienſis omnibus Hiſtrionibus tam Italis, quam Gallis vetuit, ne ſeu feſtis ſeu ferialibus diebus ullam Comædiam agerent in pœnam animadverſionis arbitrariæ, & punitionis corporalis, ſi id contigerit, quibuſcumque permiſſionibus impetratis, obtentiſque.

Et ſane ſi conſueta ſpectentur Comædiarum argumenta, & circumſtantiæ, quæ eas comitantur, eæ merito utraque de cauſa damnandæ ſunt.

Primo quæ in Comædia exhibentur, fere ſunt amoris negotia, & alicujus vehementis paſſionis, ut amoris, vindictæ, ambitionis, zelotypiæ &c. argumenta. Oportet, ut paſſiones, quæ repræſentantur, aliquid validi, vividi, & moventis habeant, ut in animo effectum, qui quæritur, excitare poſſint; ut autem argumenta, quæ eliguntur, poſſint placere, debent eſſe conformia diſpoſitioni plerorumque Spectatorum, qui Sæculi homines ſunt, & mundi ſententias, & mentem habent. Si hæc ſunt, exempli cauſa, argumenta odii, amoris, iræ, ſuperbiæ, ad has affectiones, quoad fieri poſſit, adamuſſim & ad vivum exprimendas, neceſſe eſt, ut Actor hos eoſdem motus in ſe ipſo excitet; ita ut cum Chriſtifidelis officium ſit, ſecundum Evangelii mentem, paſſiones in ſemetipſo reprimere, eaſque deſtruere, e converſo conſueta Hiſtrionis exercitatio ſit in ſe ipſo & in aliis eas excitare; & ad hos præpoſteros animi motus probandos, gratoſque reddendos, virtutis nomine ipſos fucare, ut ambitionem, & vindictam magnanimitatis nomine, deſperationem, & pertinaciam invictæ conſtantiæ, & ſic porro.

Comædiæ omnium maxime ad honeſtatem compoſitæ ſemper aliquos paſſionis motus, atque aliquas tecnas, aut prava negotia, ad propoſiti finis conſecutionem continent; atque ita via indigitatur iis, qui aliquando iiſdem cupiditatibus irretiti fuerint, iiſdem utendi mediis ad conſequendum pravorum ſuorum deſideriorum complementum. Sæpe quod honeſtatem redolet in Comædiæ argumento, evertitur profanis ſermonibus ethnicorum dogmatum, & ſententiarum labe infectis; ac ne dum honeſtis argumentis, quæ repræſentantur, Theatrum expurgetur, polluitur e converſo argumentorum honeſtas confictis amoribus, verbiſque laſcivis, nimiamque licentiam olentibus, quæ iis admiſcentur.

Hac de cauſa Senatus Pariſienſis Reſcripto ſuo diei 9. Decembris ann. 1541. prohibuit, ne qui erant e confraternitate Paſſionis in Burgundiæ Hoſpitali inſtituta, ſuas elucubrationes vel Sanctitate refertas recitarent, quoad ſua Majeſtas aliter juſſiſſet. Dominus Magiſter, tunc Regis Advocatus, qui poſtea Primus Præſidens fuit, tunc quidem loquens nomine Procuratoris Generalis, ad cujus poſtulationem Reſcriptum editum fuit, memorat inter alia in hujuſmodi piis Comædiis admiſceri conſueviſſe facetias, laſcivoſque ſermones ad pertrahendum detinendumque populum, qui, ut ipſe ait, nonniſi ejuſmodi nugas & voluptates avide quærit.

Secundo ſi, quæ Comædias comitantur, circumſtantiæ ſpectentur, plerumque pravæ ſunt, quamlibet earum honeſtum ſit argumentum; non adſunt niſi exornatæ Mulieres, quarum id unum ſtudium eſt, ut iis placeant, quibus ſeſe exhibent conſpiciendas, & in quarum concinnationibus, geſtibus, actionibus, aſpectibus, verbis nihil eſt, quod non proprii ſexus modeſtiam lædat, & non vanitatem, ac mundi rationem exhibeat. Si Judith exornatio furari potuit oculos, & cor hominis bellicoſi: quid viſus, elegantia, venuſtas, ſaltatio, cantus Fœminæ in id unice incumbentis, ut

pulcra

(*a*) S. Carol. Inſtruct. ad Prædicat.

(*b*) Univerſ. Pariſ. ſtat. 19. apud Font. tom. 4. pag. 426.

pulcra videatur, & placeat, quo plures ad Comædiam pertrahat.

Locus, in quo agitur Comædia, affert etiam innumeras occaſiones lædendi Dei, in conventibus, quæ ibidem habentur, & in conviviis, quæ celebrantur; quod notat Dominus Magiſter in ſua Declamatione jam citata num. 6. Tempus eidem exhibendæ deſtinatum, ſcilicet veſpertinum ad vitio favendum non parum confert, ut proinde periculum ipſum, cui hæc conventicula ſunt obnoxia, ſit ratio ſufficiens, cur evitentur: *ne tanti*, inquit Tertullianus, (a) *gulam facias* voluptatis, *quanti periculum per ſuavitatem*.

Non modo peccatum vitari par eſt; ſed ea quoque, quæ ad illud fere ducunt, inquit (b) S. Chryſoſtomus; eadem quippe, ut hic Pater animadvertit, atque ejus ratio eſt, qui prope præcipitium ambulat; timor ipſe labendi eum præcipitem agere poteſt; ita, inquit, qui non omnino a peccato recedit, ſed ad illud facile accedit, prævidere debet, formidinem, in qua vivit, in cauſa fore, cur in illud labatur. Sane, inquit hic idem Pater, infelix experientia nos docet viſis ſpectaculis Puellas minus pudoris præſeferre, Adoleſcentes impudentes & perfrictæ frontis evadere, ſenes in libidinem relabi; unde exiſtunt matrimoniorum violationes, & alia crimina bene multa. Ex hac univerſa diſputatione conficitur comparandam non eſſe, ut in Expoſitione factum eſt, Comædiam, cujus argumentum ſubturpe eſſet, aut in qua vehemens aliquis affectus exhiberetur, cum pictura, quæ aliquid ejuſmodi repræſentaret. Evidenter conſtat probatione non indigere, Comædiæ repræſentationem vividiorem eſſe, ac vehementiorem, quam imaginis, & cum omnibus circumſtantiis, quæ eam comitantur, illam multo magis, quam picturam eſſe periculoſam.

Quod porro de Comædia dictum eſt, non poteſt accommodari Tragædiis in Collegiis juxta Leges Academicas agi ſolitis, quæ potius iis exercendis, qui earum Actores ſunt, quam Spectatoribus oblectandis inſerviunt; earum quippe argumenta ſunt ſane puriora, Theatri moderatio eſt longe major, affectiones minus vividæ, minuſque vehementes, circumſtantiæ denique loci, temporis, quo aguntur Tragædiæ, atque etiam perſonarum, quæ ibidem exiſtunt, minus quidem lædendi Divini Numinis occaſionem ſuppeditant; & quod inde fit conſequens, eæ minus periculoſæ ſunt, nec cum Comædiis, de quibus agitur, ulla ratione conferri debent. Ut ut res habeat, ſi quid eſſet in his publicis exercitationibus, quæ in collegiis peraguntur, quod cum honeſtate pugnaret, earum æque ac Comædiarum uſus damnandus eſſet.

Qui Comædiæ ſpectatores excuſare contendunt, tria dicunt.

Primum eſt, inter res turpes & inhoneſtas, quæ in aliqua Comædia repræſentantur, & eas repræſentandi rationem multum diſcriminis ponendum eſſe. Ad Comædias quod attinet, in quibus res malæ repræſentantur, iis intereſſe peccatum eſt, cum voluptas res turpes pro objecto habet; at non ita, inquiunt, cum voluptas provenit ex ingenioſa & ſpirituali ratione, quæ inventione & repræſentatione continetur, exempli cauſa quoad Actorem, qui ſuam recte perſonam refert; Auctores nonnulli ita ſentiunt.

Alterum eſt, ſi quid eſſet licentiæ in ipſius elucubrationis corpore, aut in fine, non ideo tamen Comædiam malam evaſuram eſſe, niſi quoad eos, quibus ea peccati proxima occaſio eſſet, non autem quoad eos, qui Comædiam adeunt, quin inde ullum motum ſentiant, ullamque pravam notionem percipiant, & qui proinde extra peccandi periculum ſunt conſtituti.

Tertium eſt, Comædias hac ætate ejuſmodi non eſſe, cujuſmodi olim erant; Theatrum quidem honeſtius eſſe, quam erat; nihil enim ibi exhiberi, quod cum honeſtate, ac morum puritate pugnet.

Ad hæc tria generatim reſponderi poteſt, cum nulla ſit oculis mundi dulcior oblectatio, quam Comædia, ejus vehementer intereſſe ea omnia conquirere, quibus dulcem & tranquillam delectationem ſibi tutam redderet, efficeretque, ut conſcientia cum paſſione ſeſe conformaret, neque eam ſuis ſtimulis agitaret. Sed ea perfugia, quæ proponuntur, & quæ moralis diſciplinæ laxatio in eum tantum finem excogitavit, ut Comædiæ ſpectatores de malo celaret, quod eas frequentantes perpetrant, nequaquam eos a peccato coram Deo liberant.

Reſpondetur igitur, I. Diſcrimen, quod ſtatuitur inter rem repræſentatam, eamque repræſentandi modum, & inter Actoris recte ſuam perſonam agentis excellentiam, & id, quod ipſe repræſentat, theoricæ ac ſubtilioris diſputationis effectum eſſe, cujus applicatio in praxi locum habere non poteſt, in impuritatis negotio. Si homo per peccatum corruptus non fuiſſet, perfectumque in ſui cordis motus dominium ſervaſſet, credi poſſet fore, ut inhoneſtæ rei repræſentationem ſpectans malam voluptatem, quam res inſpirare poteſt, derelinqueret, ut tantummodo repræſentandi modum ſentiret; at in corruptæ naturæ ſtatu hæ duæ voluptates arctiori vinculo conjunctæ ſunt, quam ut moraliter loquendo capiatur una, & altera deſeratur. Illud ergo fit conſequens, repræſentationis voluptatem, præſertim in impuritatis negotio eſſe occaſionem proximam in alteram voluptatem conſentiendi.

Præterea ſi hæc ſententia, ſeu diſtinctio locum habuiſſet, oratio Patrum Eccleſiæ contra ſpectacula, & contra ea frequentantes eludi facile potuiſſet, omniſque eorum ſollicitudo inutilis jacuiſſet, quia ii, quos arguebant, ejuſmodi ſubtilitate utentes reſpondere potuiſſent ſe voluptate non affici niſi quoad modum, quo res inventæ erant, & repræſentabantur, non vero quoad res ipſas. Denique conſequens fit nihil mali eſſe Comædiam adire, quamlibet ea inhoneſta turpiſque ſit, quia ſejuncta voluptate, quam repræſentatæ rei aſpectus parere poteſt, a voluptate repræſentationis, reſpondere quis poteſt ſe poſteriore quidem tangi, priore autem non item.

Neque etiam credi poteſt, Auctores, de quibus in objectione dictum eſt, in hanc conſecutionem conſenſuros. Et ſane Theologi, cum dixere voluptatem ex ratione, qua res inhoneſtæ repræſentantur, percipi poſſe, quin e re ipſa repræſentata perciperetur, Comædiam ſpectarunt univerſim tantum & theorice, non autem moraliter, aut practice; re enim ipſa hæ duæ voluptates inter ſe differunt, & per mentem ſeu theorice mutuo diſtingui poſſunt.

II. Satis eſt Comædiam pravam eſſe ratione argumentorum, quæ repræſentantur, aut propter malas circumſtantias, quæ eam fere comitantur, ipſam in cauſa eſſe, cur pravi effectus in ſpectatorum animis producantur, ut aſſeri poſſit eam univerſis & ſingulis vetitam eſſe; Chriſtianus enim id omne vitare debet, quod peccati communiter occaſio eſt; & licet ipſe ſe minime lapſurum ſperet, cum tamen humanæ infirmitatis ſit conſcius, ſibi ipſi diffidere debet, & ab occaſione, quæ mala eſt, & in qua plerumque Deus læditur, declinare. Timere debet, ne occaſione hac ad peccatum inclinetur, & ne cogitans quidem pertrahatur; aut ne ideo quia obduratus, & a Deo derelictus ſit, efficiatur, ut ne pravos ſentiat motus, qui in hac facti ſpecie in aliis contingunt.

Ut ut res habeat, licet etiam ſupponeretur aliquem certum eſſe fore ut ad Comædiam ſe conferens nequaquam Deum læderet, videlicet, Comædia nullum ex iis pravis effectibus in eo produceret, quem in aliis producit: non inde tamen ſequeretur eum peccati hiſtrionum non eſſe participem. Inter Actores, ſpectatoreſque Comædiæ exiſtit aliquod pacti genus, quod utroſque peccati communione conjungit; qui pecuniam dant, Hiſtriones ad agendum obligare cenſentur; quamobrem Hiſtriones pecuniam, quam percepiſſent, reſtituere juſtitiæ titulo tenerentur, ſi Comædiam non recitarent, quemad-

(a) Tertull. de ſpectac. c. 27.

(b) Chryſoſt. homil. 15. ad pop. Antioc. Nec tantum itaque peccata fugiamus, ſed etiam quæ videntur indifferentia, paulatim in hæc nos pertrahunt. ibid Ita & qui non procul peccata fugit, ſed ſecus ipſa vadit, cum timore vivit, & in ipſa labitur ſæpius.

modum aliquando contigit, ut illi nequaquam agerent, cum ſpectatorum ſatis non adfuit, nec ſatis lucri percipere potuerunt, quo neceſſarias impenſas, ſuamque operam compenſarent. (*a*) Divus Thomas loco jam citato Quæſt. 168. videtur hanc pacti ſpeciem admittere, cum de Hiſtrionibus, qui juxta conditiones, quas notat, agerent, verba faciens, ait iis ſui ſervitii compenſationem ex juſtitiæ legibus tribui. Præterea adeſt unionis, & communis conventionis quædam ſpecies inter eos, qui in Comœdiæ loco verſantur, ſtatim atque omnes eo convenerunt, ejus ſpectandæ gratia; ex quo ſequitur, peccatum, quodcumque in hac facti ſpecie exiſtit, ſingulorum proprium evadere.

S. Joannes Chryſoſtomus *Homil. 6. in cap. 2. Matt. quoniam*, inquit, *laudant iſta dicentes, eis hæc exercere perſuadent; & iccirco ipſi potius propter hæc merentur ſubire, quod ob iſta ſancitum eſt, ſupplicium.... ſi nullus talium eſſet ſpectator, ac fautor, non eſſent quidem, qui dicerent illa, aut agere curarent.*

S. Auguſt. *in Pſal.* 102. *n.* 18. ita loquitur: *qui donat hiſtrionibus, qui donat meretricibus, quare donat? nunquid & ipſi hominibus donant? Non ibi attendunt naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani.*

S. Anton. 3. *p. tit.* 8. *cap.* 4. *§.* 12. ita pronunciat in hanc rem: *peccatum eſt talia aſpicere, & talibus pro illo opere dare.*

Sylveſt. *v. Arſ. §.* 7. id etiam addit de Comœdiarum ſpectatoribus: *videtur mortale, quia eſt cooperatio ad mortale.*

Idem ſentit Comitolus *lib.* 5. *Reſponſ. moral. quæſt.* 11. *nn.* 4. *&* 8.

Notandum eſt Comœdiam non agi in unius tantum perſonæ gratiam; ſpectaculum eſt, quod exhibetur omnibus, quorum plerique infirmi & corrupti ſunt, quibuſque proinde eſt maxime periculoſum. Ipſorum ſane culpa eſt, ita natura comparatos Comœdiæ intereſſe; at qui iiſdem malum exemplum exhibent, quantum in ipſis eſt, iis Comœdiam tanquam rem indifferentem proponunt. Quo quis in ſuis actionibus cautior eſt, eo alacrius ipſum alii imitantur, ejuſque exemplum iiſdem ſcandalum eſt: *nam etſi*, inquit S. Chryſoſtomus *Hom.* 38. *in Matt.* verſus finem, *quodam excelſi animi robore nihil inde contraxiſti: attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tui ſpectaculorum ſtudioſos effeciſti, quomodo ipſe non commiſiſti, qui cauſas committendi aliis præbuiſti.... quare quamvis animi tui modeſtia effeciſti, ut nihil tibi inde abfuerit, quod ego fieri poſſe non arbitror, quoniam tamen alii cauſa ludorum multa peccarunt, graves propter hoc pœnas lues.* Et Hom. 7. *hæc*, inquit, *aſpiciendo nihil pateris culpæ, nihilominus teneris obnoxius, factus ſcilicet ſcandalum cæterorum.*

Denique qui ſe nihil damni ex Comœdia ſentire contendunt, quod Divus Chryſoſtomus ſibi perſuadere non poteſt, debent ſane cavere, ne corruant: *audiant*, inquit *in Pſalm.* 50. *Hom.* 1. *qui inſano ſpectaculi ſtudio tenentur, qui dicunt, ſpectamus quidem, ſed ſine detrimento.* Comœdia inſenſibili quodam modo, atque adeo quin cognoſcatur, poteſt in animo diſpoſitionem parere, quæ cum ad certum gradum pervenerit, in cauſa eſſe valeat, cur quiſpiam labatur. Vitia in animum noſtrum facile irrepunt, favente potiſſimum voluptate; moraliter enim certum eſt facile percipi, quod videri conſuevit, ut monet (*b*) Sanctus Cyprianus in ſuo de Spectaculis Libro. Id in idem fere recidit, quod Tertullianus in ſuo de eadem re libro dixerat cap. 15. *Nam eſto quis modeſte ac probe ſpectaculis fruitur pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt ſine tacita ſpiritus paſſione.*

Hinc (*c*) S. Chryſoſtomus Homilia 5. de Pœnitentia abſolute concludit: *Per hoc quod ſpectaſti Theatricam iniquitatem, eam operatus es.* Comœdia dubio procul cor enervat, & remittit, nec ſolum minus aptum efficit ad vetitarum voluptatum motus reprimendos, verum etiam Chriſtianum hominem avocat a praxi pœnitentiæ, quam poſt peccatum tenetur agere, quæque laborioſa ſibique ipſi aſpera vita continetur: (*d*) *mores graves*, inquit Caſſiodorus, *in ſpectaculis quis requirat? Ad Circum neſciunt convenire Catones.* S. Chryſoſtomus in Homilia ſua 38. in caput 11. Sancti Matthæi ſub finem loquens diſtinctim de caſtitate, deque morigerata vita, qua ad ejus conſervationem opus eſt, loquitur in hæc verba, ut a Comœdia Chriſtianos avertat, & ab ea præſertim, in qua cantiones auribus obſtrepunt: *Quomodo caſtimoniæ arduos poteris perferre labores, qui riſu diffluis, & cantu meretricis caperis. Nam ſi vix quæ longe ab hujuſcemodi cantibus remota eſt anima, caſtimoniæ honeſtatem amplectitur, quomodo continenter vivere poterit, qui in his vivit? An ignoratis proclivores nos eſſe ad vitia? Cum igitur arte & ſtudio ad ea curramus, quomodo fornacem æterni ignis fugiemus?*

III. Honeſtatis porro quædam ſpecies, & Comœdiæ a rebus turpibus, ut contenditur, expurgatio periculoſiorem eam reddit, magiſque timendam; cum enim emendatio hæc numeris omnibus abſoluta non ſit, Dæmonis arte quadam fit, ut agantur Comœdiæ, in quibus nihil forte contra bonos mores occurrat, ut ita per voluptatem, quam inde percipiunt, aſſueſcant homines iis ſenſim delectari, quæ turpes & inhoneſtæ ſunt; tum vero magis formidandum Tertulliani ſententia de ſpectaculis cap. 27. *ſint etiam*, inquit, *honeſta quædam. Nemo temperat venenum felle & helleboro, ſed conditis, & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit; ita & Diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit.*

Si nulla facta eſſet Comœdiarum correctio, eæque veterem turpitudinem præferrent, iis diſſoluti tantum homines intereſſent; egregii & virtute præditi Viri ab iis abhorrerent; cum contra Comœdiam, prout quidem nunc agitur, pudore, ut videtur, facile ſuſtinente, minime caveatur a veneno, quod eo pericuſoſius eſt, quod celatur, quod ſumitur, quin cognoſcatur, quodque placet, etiam dum enecat.

Neque vero convenit pleraſque Comœdias ita purgatas eſſe, ut pravas notiones, quibus Chriſtianorum morum puritas corrumpi poſſit, non imprimant, aut non relinquant. Quod ſi nihil liberius dictum in ipſo elucubrationis Corpore occurrit, ad calcem tamen exiſtunt lepores, qui nunquam ab omni contagione liberi ſunt. Ea ſane prorſus honeſta opera dici nequeunt, in quibus negotia ſpectantur amoris, vindictæ, ambitionis, quæ incohantur, continuantur, abſolvuntur non ſine arte ac dexteritate ſingulari, quibus adduntur venuſta verba, quæ vividis actionibus, grataque pronunciatione repræſentantur, id quod in ſpectatorum animo harum paſſionum motum facilius imprimit & vehementius.

Loquendi ratio, qua Eccleſia contra Hiſtriones utitur in ſuis Ritualibus, aut in inſtructionibus, quas ad Epiſcopos dirigit, invicto argumento eſt noſtrorum temporum Comœdias a veteri labe purgatas non eſſe, & multum adhuc in iis ſupereſſe, quod emendetur.

In Eccleſiæ Ferrarienſis Sacramentali typis edito an. 1610. titulo de Ordinis Sacramento, ubi agitur de Ordinum impedimentis, præcipitur, ut *Parochus præterea, ut populus intelligat impedimenta, quibus aliquis irretitus Ordinis Sacramento initiari non poteſt, aut non debet, ea quæ ſint, quandoque denunciet, & ſi opus eſt, etiam explanet. Sane autem hujuſmodi hæreſis nomine ſuſpecti, uſurarii, ſcurræ, Mimi, Comœdi, Hiſtriones.*

In Rituali Aurelianenſi an. 1642. pag. 340. excluduntur a ſanctis Ordinibus Comœdi, Mimi, &c.

In Inſtructionibus Synodalibus Domini Godeau Vincienſis Epiſcopi an. 1644. cap. 4. tit. 9. de Sacramento Ordinis n. 5. multi ſunt, inquit hic magnus Antiſtes, qui ad Ordines accedere nequaquam debent, & peccant eos ſuſcipientes, & irregularitatem incurrunt; hujuſmodi ſunt uſurarii, Comœdi, & quicumque Theatrum conſcendunt.

In

(*a*) S. Thomas 2. 2. q. 168. ad 3. Juſte faciunt mercedem miniſterii tribuendo.

(*b*) S. Cypr. lib. de Spectac. Diſcit facere, cum conſueſcit videre.

(*c*) S. Chryſoſtomus tom. 3. pa. 538.

(*d*) Caſſiod. l. 1. Ep. 27.

In Rituali Catalaunenſi an. 1549. pag. 12. prohibetur, ne in Baptiſmate ad Patrinorum officium admittantur perſonæ publicæ infamiæ nota laborantes, ut Meretrices, Concubinarii, Comœdi, &c. Et pag. 139. hi poſteriores tanquam peccatores publici communione privantur. Pag. 224. iis, qui ab Ordinibus excluduntur, adnumerantur, qui Theatris deſerviunt, videlicet ſcurræ, Mimi, Comœdi, Hiſtriones.

In Rituali Pariſiis edito an. 1645. pag. 108. præcipitur, ut a Communione arceantur ii, qui publice indigni ſunt; cujuſmodi ſunt notorie excommunicati, interdicti, & evidenter infames, ut Fœminæ diſſolutæ, concubinarii, Hiſtriones, &c. Et pag. 291. a ſanctis Ordinibus excluduntur ſcurræ, Mimi, Comœdi, Hiſtriones.

Pariſienſis Eccleſia, poſteriore hoc Rituali nondum edito, cœperat mandata ſtatuere ad Comœdiam Comœdoſque ſpectantia. Dominus Joannes *de Gondy* Primus Archiepiſcopus Pariſienſis an. 1623. ſuam contra Hiſtriones ſollicitudinem inſignem reddidit, edito inter alios ad diſciplinam in ſua Diœceſi ſervandam articulo, quo Comœdos Sacramentorum uſu prohibuit, eorum artem infamem & Chriſtiano homine indignam declaravit, & ſi quidem in ea ad mortem uſque perſtiterint, Eccleſiaſtica ſepultura privavit: *Sanctiſſima*, inquit Synodicon Pariſienſe an. 1674. pag. 454. de hoc Archiepiſcopo loquens, *Decreta & Inſtituta tulit.... & præſertim de arcendis a Sacramentorum participatione, & Eccleſiaſtica ſepultura privandis, qui hanc artem infamem, & nomine Chriſtiano indignam non ejuraverint*. Impreſſum eſt Synodicon hoc de hujus Archiepiſcopi mandato an. 1674.

Dici nequit Rituale de Comœdiis agi ſolitis Divini ſervitii horis, diebus feſtis & Dominicis intelligendum eſſe, quia recitatur in Concionis loco, & in eos omnes anathema dicit, qui Scurrarum & Mimorum ſpectaculis per eos dies & horas vacaverint. Præterquamquod enim allata Synodici verba magis generalia ac preciſa adverſus Hiſtriones ſunt, quam ut hanc interpretationem patiantur, quoniam Hiſtrionum officium damnant indiſcriminatim, & independenter a tempore & hora: in hoc Ritualis loco de iis tantum ſermo eſt, qui ſpectaculis interſunt, non autem de iis, qui ea repræſentant. Ac ſi id in quæſtionem vocaretur, non inde tamen evinceretur Comœdiam diebus reliquis permiſſam fuiſſe, ſed ſolum gravius peccatum eſſe diebus & horis potiſſimum ab Eccleſia conſecraris ad cultum Deo exhibendum, quam alio tempore comœdiæ intereſſe, eamque repræſentare; atque ii quidem ob hanc potius peculiarem cauſam communione privantur.

Rituale Senonenſe titulo de ægrotantium Communione pag. 90. de Hiſtrionibus loquitur in hæc verba: „ Sed cavendum imprimis eſt, ne ea tri-„ buatur indignis, quod ſine ſcandalo fieri nequit, „ cujuſmodi ſunt uſurarii publici, Comœdi, & „ Mimi, Concubinarii, & perſonæ notorie im-„ probæ ".

Rituale Alectæ an. 1667. pag. 74. a Communione rejicit eos, quos publice conſtat indignos eſſe, quales ſunt excommunicati, interdicti, infames: cauſa exempli Comœdi, Scurræ, Mimi, quoad pœnitentiam egerint, & ſcandalum reparaverint.

Rituale Lingonenſe pag. 73. a communione pariter eos removet, qui manifeſte ſunt infames, ut Comici.

Rituale Sanitiæ an. 1678. pag. 372. Excommunicatos declaramus eos, qui vacant Spectaculis & Mimorum ludis.

Rituale Conſtantienſe an. 1682. titulo de Euchariſtiæ Sacramento, & infirmorum Communione pag. 147. *Cavendum*, inquit, *in primis, ne ad indignos cum aliorum ſcandalo deferatur, quales ſunt publice uſurarii, Concubinarii, Comœdi, notorie crimínoſi, nominatim excommunicati*. Et titulo de Ordinis Sacramento pag. 343. & 344. *Impedimenta Ordinis ſunt hujuſmi, Uſurarii publici, Scurræ, Mimi, Comœdi, Hiſtriones, infames &c.*

Rituale Bajocenſe an. 1687. pag. 251. inter peccatores publicos & infames refert eos, qui Comici, Scurræque dicuntur.

Rituale Remenſe pag. 119. iis, quibus communio neganda eſt, accenſet peccatores publicos, Mimos, Scurras; & pag. 619. Eccleſiaſtica ſepultura eoſdem privat.

Catechiſmus Montis Peſſulani an. 1687. pag. 230. inter ea, quæ ſervandæ caſtitatis gratia vitanda ſunt, recenſet ſolatia inhoneſta, vitia oris, choreas, Comœdias, malos libros, &c.

Catechiſmus Bituricenſis an. 1693. pag. 437. de ſexto Præcepto recenſet ea, quæ in impuritatem impellunt, ſaltationem, Choream, Comœdiam, Romanenſes fabulas.

Moralis Gratianopolitana tom. 3. pag. 175. declarat infames, & qui Patrini eſſe non valeant, & pag. 290. ad ſanctam Communionem ineptos, Scurras, Mimos, & Hiſtriones.

Nullum Epiſcopi in ſuis Ritualibus, ſuiſque Inſtructionibus, ad Comœdos quod attinet, novum Jus ſtatuerunt; ſed hac in re Eccleſiæ Patres, & Concilia ſecuti ſunt, quorum teſtimonia paulo ante in medium allata ſunt. Illi in Jure Canonico infames & irregulares cenſentur; jam vero infamia & irregularitas ei ſimilis, quam contrahunt exempli cauſa, qui matrimonium bis ineunt, quique Bigami nuncupantur, aut qui certis quibuſdam Juſtitiæ officiis addicti ſunt; hæc nempe nullam culpam ſupponit, eſtque, ut Jus loquitur, irregularitas *ex defectu* Sacramenti aut lenitatis; illa vero peccatum ſemper ſupponit, ideoque a Canoniſtis infamia, aut irregularitas *ex delicto*, aliquo ſcilicet peccato nixa. Ejuſmodi eſt Hiſtrionum infamia, ſeu irregularitas; neque enim dubitari poteſt, quin perſonæ, quæ a ſancta Communione repelluntur, quæ Eccleſiaſtica ſepultura privantur, quæ pro publicis peccatoribus habentur, quæ denique excommunicantur, ſint infames, & irregulares *ex delicto*.

Sancti Franciſci Saleſii fere in hoc negotio affertur auctoritas, qui non ſemel in ſua Introductione ad vitam devotam Comœdiæ favere videtur.

Reſpondetur a Sancto Franciſco Saleſio Comœdiam ſpectari in ſe ipſa, theorice, & quoad ſubſtantiam, ut loquitur Introductionis ſuæ prima parte cap. 23. ubi ait: „ Commedias vel honeſtas periculoſas & devotioni noxias eſſe "; ex parte 3. c. 33. inquit, " id eſſe periculoſum, & prout exer-„ ceri conſuevit, ad malum magnopere propendere, „ & quod inde conſequitur, aliæ & diſcriminis „ plenum eſſe ". Hæc hujus Sancti Epiſcopi verba ſunt, quæ potiori jure Comœdiæ accommodari poſſunt. Denique Sanctus Franciſcus Saleſius in hoc loco tertiæ partis tot conditiones præſcribit, ut qais hujuſmodi ſolatiis interſit, ut ſatius ſit ad ea non accedere, quam tot cum reſtrictionibus iis intereſſe.

Objicitur etiam Declaratio Regis diei 16. Aprilis an. 1641. in Senatus Acta die 24. ejuſdem menſis relata, ex qua conſtat ſemper Hiſtrionibus infamiæ notam inuſtam fuiſſe uſque ad eumdem annum 1641. Ab ea liberati ſunt impoſterum, ſed ea lege, ut ne quid in eorum Comœdiis eſſet, quod vel ambiguo verbo honeſtatem publicam læderet; ſunt hæc declarationis verba; unde concludi poteſt eo tempore creditum fuiſſe Comœdiam ſine peccato agi poſſe.

Verum ne dum Declaratio hæc Hiſtrionibus patrocinetur, id potius continet, quo damnentur. Id enim quæritur, ubinam exiſtat Comœdia, in qua nullum verbum vel anceps occurrat, & honeſtas omnino non offendatur? Hæc Declaratio evidenter oſtendit propoſitionis initio ſtatim allatæ veritatem, Comœdiam nempe moraliter & in praxi malam eſſe, ſive argumenta, quæ in ea repræſentantur, ſive quæ eam comitantur, circumſtantiæ ſpectentur, ac difficillimum eſſe, & practice propemodum impoſſibile, quidquid in ea vitioſum exiſtit, abradi, quoniam Hiſtriones, quantumlibet in id incumbere voluiſſe viſi ſint, conditioni per Declarationem an. 1641. ſibi propoſitæ ſatisfacere non potuerunt. Quamobrem non minus infames habiti ſunt; excluduntur, ut antea; a pubilcis muneribus, excommunicati ſunt, & abſolutione privantur, niſi artis abdicationem promiſerint; ita ut hoc loco dici poſſit facilius eſſe Comœdiarum recitationem penitus prohiberi, quam abſolutam earumdem reformationem ſuſcipi.

Sanctus Iſidorus Peluſiota in ſua Epiſtola 338. hanc veritatem ſupponit, dum inquit : *Scenicis ſummum hoc ſtudium eſt , non ut per ipſorum cavillos multi meliores reddantur , verum ut multi peccent ; etenim in Spectatorum improbitate ſuam felicitatem conſtitutam habent , ita ut ſi illi meliores efficiantur , ſua his ars peritura ſit . Quamobrem nec unquam eos , qui delinquunt , corrigere in animum induxerunt , nec ſi velint , id poſſint ; mimica enim eorum ars natura tantummodo ad nocendum comparat .*

Si ne aliquando quidem ad Comædiam pergere licet , nihil fere amplius , inquiet aliquis , ſolatii reliquum eſt magna in Urbe , cujuſmodi Lutetia eſt , ubi bene multi ſunt , qui laboribus mere ſpiritualibus vacant ; Spectaculum autem ex earum oblectationum numero eſt , quibus ſatis ſuperque refocillentur. Præterea tot , & charactere & profeſſione præſtantium Virorum exemplum oſtendit abſque gravi culpa Sæculares ad Comædiam accedere poſſe. Ad extremum ſi Comædiæ malæ eſſent , Magiſtratus eas pati non deberent . Jamdiu eſt , quod Sanctus Chryſoſtomus Homilia 38. in caput 11. Sancti Matthæi ad hujus objectionis primam partem reſpondit : *Multa* , inquit , *aliunde potes ſolatia comparare ; nam cum animum recreare volueris , poteris hortos petere , fluentes rivos conſpicere , ingentes lacus conſiderare , amæna cernere loca , cicadas audire canentes , & in Templis Martyrum converſari ; unde præcipua tibi corporis ſanitas tribuetur , ac ad animam tuam eximia perveniet utilitas , unde ſingularem capies voluptatem , quoniam nullum damnum , nullus dolor , nulla moleſtia conſequitur ; habes uxorem , non cares liberis , abundas amicis ; quæ omnia ad delectationem , honeſtatem , & emolumenta nonnunquam ſolent comparare .*

Uno verbo ſi Comædia fere practice mala eſt , ut eſt demonſtratum, nequit oblectationi inſervire : *quis enim* , inquit Imperator Juſtinianus , (*a*) *ludos appellat eos , ex quibus crimina oriuntur ? Nobis autem* , ſcribit Salvianus loco citato , *gaudere , aut videre non ſufficit , niſi cum peccato gaudeamus ? Nunquid lætari & videre non poſſumus , niſi riſum noſtrum atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus ? An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex , nec delectat videre ſine crimine ? Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus Proverb.* 10.

Eorum autem exemplum , qui Comædiam adeunt , non poteſt illud legitimum reddere , quod Eccleſia ſemper damnavit , atque etiamnum damnat . Eccleſiæ judicium hoc adverſus Comædiam adeo certum in Traditione viſum eſt , ut illud Hæretici ipſi cognoverint , & tanquam diſciplinæ caput habuerint in Libro Diſciplinæ Eccleſiarum reformatarum in Gallia , typis edito an. 1675. cap. 14. Reformationum num. 28. „ non liceat Fidelibus
„ intereſſe Comædiis , quia ſemper id inter Chri-
„ ſtianos vetitum fuit , tanquam bonorum morum
„ corruptionem afferens „ . Sunt hæc hujus Libri verba .

Quod attinet ad Magiſtratus Comædiam tolerantes , id prudentia quadam fit , & ad majus malum vitandum . In hunc modum Sanctus Iſidorus Peluſiota olim reſpondit ita de Imperatorum indulgentia loquens : (*b*) *Tametſi ſpectacula plena eſſent nequitiæ , machinationis ſeditioſæ impedimenta eſſe videbantur , & tanquam minus malum hæc condonarunt , minoribus , ut quidem arbitrati ſunt , id quod majus eſt , ementes quietem & ſecuritatem .*

Hæc agendi ratio conformis eſt Theologorum doctrinæ poſt Divum Thomam , qui 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad* 5. ita loquitur : *Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum , in quibus multæ utilitates impedirentur , ſi omnia peccata diſtricte prohiberentur* . In eamdem ſententiam olim dixerat Sanctus Auguſtinus tolerari quædam mala , ut impediantur majora : *tolle meretrices de regno , repleveris omnia libidinibus* . At licet Magiſtratus Comædiam tolerent , id tamen non impedit , quominus ea mala ſit , ſemperque ab Eccleſia ſit prohibita .

Ad expoſitionis quæſtionem aut interrogationem alteram reſpondetur , ſi Comædia , ut eſt probatum , mala eſt , & hac de cauſa tam Actores quam Spectatores graviter peccant , quamvis non uno modo , quicumque proxima & determinata ratione Comædiæ cooperantur , æque peccare , eoſque præſertim , qui in Theatri gratiam opera concinnant , quæ fere ibidem repræſentantur , propterea quod eorum actio ad rem malam determinata ratione tendit .

Ad interrogationem tertiam reſpondetur , Drama eo eſſe periculoſius , quod ope Muſicæ , cujus concentus eſt elegantior , & prorſus ad movendum compoſitus , animus longe facilius ſuſcipit paſſiones , quas excitari lubet , & potiſſimum amoris , qui fere hujuſmodi Comædiæ argumentum eſt . Videri poteſt id , quod ſupra allatum eſt ex Sancto Baſilio , S. Chryſoſtomo , aliiſque , ad Theatralem Muſicam quod ſpectat , ut liquido appareat corrumpendo animo nihil aptius eſſe , quam has enerves molleſque cantiunculas , quæ verbis ad valde movendum ſuapte natura factis , & geſtibus , ac motibus huic conſilio reſpondentibus efferantur ; ut proinde huc referri poſſit , quod S. Baſilius *Homil.* 24. *de legendis libris Gentium* pronunciavit de diſcrimine , quod intercedit inter muſicam honeſtam , quæ tantummodo rectæ voluptatis motus in animo excitare poteſt ad juſtum temperamentum , in quo animæ facultates eſſe debent , ſervandum , aut reparandum , & eam , quæ in Theatris uſurpari conſuevit : *tanta ſane* , inquit , *melodiæ rectæ differentia a turpi , ut eam , quæ nunc eſt in uſu , non minus fugere debeatis , quam rem turpiſſimam* .

Ad interrogationem quartam reſpondetur , ſi Comædiæ praxis mala eſt , nemini licere ad eam pergere vel animo ſuis Genitoribus gratificandi ; etenim nemo non jure vereri poteſt , ne id ſibi lædendi Divini Numinis occaſio ſit ; aut ne ipſe in cauſa eſſe poſſit , cur alii ipſum ibi videntes Deum offendant . Debet ergo quiſque a Comædia pro viribus abſtinere , illudque in animo habere eos , qui ad Comædiam ſuas filias ducunt , longe aliter ſeſe gerere , ac ſe geſſit Mater Sanctæ Macrinæ Sororis Sancti Gregorii Nyſſeni ; quæ , eo referente , de recta ejus inſtitutione valde ſollicita erat , & inter alia fabulas & Comædias ab ea legi minime patiebatur ; *turpe enim* , inquit ille , *& indecorum exiſtimabat tragicis fæminarum perturbationibus , unde ſcribendi argumenta Poetæ ſumpſerunt , vel Comædiarum fæditatibus tenerum & bene formatum animum infici* (*c*).

Ex his omnibus , quæ hactenus expoſita ſunt , ſequitur , ex ratione , qua Eccleſiæ Patres , & Canones de Comædia , & Hiſtrionibus locuti ſunt , quaque Epiſcopi ſeſe in ſuis Ritualibus explicuerunt , atque etiamnum ſeſe explicant , pro certo habendum eſſe ; Comædiam , prout quidem a Comicis agitur , malam ſemper hactenus habitam eſſe , quippe quæ cupiditates excitet , & ad bonorum morum corruptionem tendat , ſive ob repræſentationem , ſive ob varias , quæ eam comitantur , circumſtantias .

Illud etiam concludendum , Hiſtriones officii ſui cauſa , quemadmodum exercetur , in peccati mortalis ſtatu verſari ; quamobrem non ſunt abſolvendi , niſi ab arte ſua ſe receſſuros promittant .

Quod attinet ad eos , qui proxima & determinata ratione Comædiæ cooperantur , eique volentes lubentes interſunt , quamvis non æque rei ſint , atque Hiſtriones , nihilominus in re gravi peccatum committunt ; ut proinde iis neganda ſit abſolutio , ni utrique ſatis moniti reſipiſcere , & a ſuſcepto conſilio diſcedere voluerint .

Deciſum in Sorbona hac die 20. Martii an. 1694.

G. *Fromageau* . T. *Lhuilier* . Th. *Durieux* . Ph. *De la Coſte* . De *Blanger* . *Boilnet* .

Judi-

(*a*) Juſtinian. Imperat. ff. verſus finem §. illud.

(*b*) Lib. 5. Epiſt. 185. ſecundum textum Græcum.

(*c*) Sanctus Gregorius Nyſſenus in vita Sanctæ Macrinæ.

Judicium de Comædia, cui titulus, convivium Petræ.

CASUS II.

1 *Non licet repræſentari Comœdiam, cui titulus, convivium Petræ, aut ejus repræſentationem ſpectari.*

2 *Omnes Patres & plura Concilia Comœdiam & Spectacula damnarunt. Hoc in capite eadem ſemper Traditio fuit.*

3 *Rituale Pariſienſe prohibet, ne Hiſtrionibus Sacramenta conferantur, niſi huic arti nuncium remiſerint.*

4 *Eorum exemplum, qui Comœdiam permittunt, abuſus eſt, ineptus ad id licitum & innoxium efficiendum, quod malum, ſemperque ab Eccleſia damnatum eſt.*

QUÆSITUM.

ROgantur Domini Doctores, ut ſequentes quæſtiones decidant.

I. Admittine poteſt ad Sacramenta turma Hiſtrionum, qui repræſentant, & parati ſunt impoſterum repræſentare Comædiam, cui titulus, *le Feſtin de Pierre*, eo prætextu, quod Principes, quorum impendiis vivunt, eam ſibi exhiberi velint?

Comædia hæc eſt maxime pernicioſa, & impietatis plena; neque enim ſolum vitia maxime nefanda proponit, ſed ea quoque perpetrandi rationem docet.

Qui in ea Athei perſonam agit, Deum aperte deridet, & ſceleſtus ejus Servus, qui ſpecie tenus Religionis cauſam ſuſcipit, virtutemque defendit, id præſtat adeo inepte & oſcitanter, ut ejus oratio ſit nova deriſio.

Hujus Comædiæ argumentum, & ratio, qua tractatur, ſunt execranda.

In ea quidem Atheus ad extremum punitur, ſed Auctoris ſcopus eſt Spectatores exhilarare, ut ſe explicat in Præfatione, non autem impietatis & ſceleris verum horrorem iis inſpirare.

II. Cum Hiſtriones hi a Confeſſariis moniti eſſent, ſibi non licere Comædiam hanc agere, cumque abſolutio ipſa negata eſſet uni ex Fœminis, quæ cum iis ſcenam conſcedit, apud ſuos Dominos queſti ſunt, rumoreſque publicos ediderunt. Nonnulli excuſationis loco prætendunt ſe eam repræſentantes imperata facere. Quæritur ergo, an ipſis neganda ſit abſolutio, quoad reſipuerint, promiſerintque non modo ſe totis viribus curaturos, ut ne amplius eam agant, ſed etiam ut eam veniam a Dominis ſuis obtineant; at ſi ſolum promiſerint, ſe id ipſis ſignificaturos, & quantum in ſe eſt, effecturos, ne amplius eam repræſentent, conferrine iiſdem poterit abſolutio?

III. Ordinarii eorum Confeſſarii harum promiſſionum, quas fere nullus effectus conſequitur, nullam rationem habentes poſtularunt, ut ante abſolutionem obtinerent a ſuis Dominis certam fidem, nunquam amplius fore, ut ab ipſis hanc Comædiam agere cogerentur. Alii vero Confeſſarii, non attentis rationibus ſupra adductis, poſſuntne eos abſolvere, eo prætextu, quod ea Pariſiis, Romæ, & alibi agatur?

IV. Licetne Epiſcopo puta aut Vicario Apoſtolico, quæ dicta ſunt, non obſtantibus, ad Sacramenta hos Hiſtriones admittere, aut ut eos admittant, Confeſſariis præcipere? Conſilium hoc damnaret necne conſilium Confeſſariorum, qui eos repulerunt, atque id repararet necne quodammodo injuriam, quem ſibi illatam Hiſtriones queruntur?

V. Quæritur, an hi Hiſtriones avaritiæ aut ambitionis cauſa poſſint ſe Principis Hæretici ſervitio dedere, quamvis plurium menſium ſpatio apud eos degant nullam catholicæ Religionis functionem obeuntes, Sacramenta nonniſi in mortis articulo recipientes, & Miſſam nonniſi raro & clam audientes?

RESPONSIO.

Pariſienſes Theologiæ Doctores, qui traditam expoſitionem viderunt, exiſtimant iis Sacramenta concedi non poſſe, qui agunt, aut agendam curant Comædiam inſcriptam *le Feſtin de Pierre*, ipſoſque iiſdem indignos putant, quippe qui fovendo crimini inſerviunt; ſemper enim conſtans Eccleſiæ doctrina fuit nulli Chriſtiano licere repræſentare, atque adeo tanquam ſimplicem ſpectatorem intereſſe repræſentationi Theatricarum elucubrationum, quæ amoris & impietatis negotiis inſertæ ſunt. Docet id apertiſſime Divus Antoninus *part.* 2. *tit.* 13. *c.* 7. §. 5. Si opus continet inhoneſta & laſciva, Actores & Spectatores peccant mortaliter, quia in rebus turpibus delectantur, & rei maxime periculoſæ voluntarie ſe exponunt. Idem jam dixerat D. Thomas, & S. Joannis Chryſoſtomi auctoritate firmaverat. Omnes Patres adeo vehementer explicuere pericula, ut ſi ex animo veritas quæritur, de eorum ſententia dubitari omnino non poſſit.

Id unum ſibi propoſuit Tertullianus in ſuo de Spectaculis Libro. Ejus veſtigiis inſiſtunt S. Clemens Alexandrinus lib. 3. ſui Pædagogi cap. 11. S. Cyprianus in ſua ad Donatum Epiſtola, & in ſuo Tractatu de Spectaculis; Minutius Felix, & S. Chryſoſtomus pluribus locis, & præſertim Homilia 16. in S. Matthæum; S. Auguſtinus l. 3. ſuarum Confeſſionum, & lib. 2. Symboli ad Catechumenos; S. Gregorius Nazianzenus in ſuo Poemate ad Nicobulum. Uno verbo nemo unus eſt Patrum, qui non idem crediderit, & docuerit; ita ut mirari ſubeat noſtris temporibus Auctores eſſe, qui adeo inveteratæ, conſtanti, uniformi traditioni refragari audeant, & tam ſapienter inſtitutam doctrinam minutis diſtinctionibus æque frivolis ac ridiculis infirmandam ſuſcipiant. Sed non fuerit inutile ex omnibus Sanctorum Patrum teſtimoniis eligi loca aliquot, quæ apertis & vehementibus verbis explicant pericula, quibus iis ſe exponunt, qui Theatra frequentant. En teſtimonium ductum ex Epiſtola Sancti Cypriani ad Donatum: *Adulterium*, inquit, *diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad Spectaculum Matrona proceſſerat, de Spectaculo revertitur impudica.* „ Quam enim Hiſtrionis geſtus & actio „ poteſt cor inquinare, libidinem inſpirare, vitia „ & licentiam alere? Quid non poteſt adeo periculoſus aſpectus ſuſdeque vertere? Senſus, cupiditates, virtus ipſa fortiorum ibi concutiuntur, „ ac ſæpe proſtrantur „. Addit Cyprianus idem in ſuo de Spectaculis libro: *quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit; cui vitia non licet cogitare, quod oblectatur ſimulacris libidinis, ut in ipſis depoſita verecundia audacior fiat ad crimina? Diſcit facere, dum conſuevit videre.* Lactantius ita ſe explicat in ſuo Libro de vero cultu: „ Quid de Hiſtrionibus dicam, qui in „ id ex profeſſo incumbunt, ut mores corrumpant, „ qui ad adulteria, quæ repræſentant, perpetranda homines inſtituunt? Quomodo ſe habere poſſunt virgo, aut adoleſcens, qui univerſum populum ſpectant exardentem, intentumque ad tam „ turpes actiones ſine pudore aſpiciendas? Nonne ibi diſcunt, quod ſemper neſcire deberent? Nonne ibi inceditur cupiditas, quam viſus aſpectuſque magis magiſque inflammant? Id enim quiſque ibi videt, cujus eſt capax, quiſque approbat, & facere cupit, quod ſuiſmet oculis uſurpat; nemo inde non omnino inflammatus egreditur; non ego excipio vel pueros, quibus has „ præmaturas lectiones exhiberi non oporteret, vel „ ſenes, quos ab hujuſmodi inordinationibus deberet ſolus decor avertere.

His teſtimoniis accedat auctoritas Concilii tertii Mediolanenſis in quarta parte Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis pag. 485. „ quod in ſuam mentem declarat: „ non deſinat Concionator ita hos conventus invehi, qui peccatis publicis fovendis inſerviunt, & quos malo aſſueti homines nugarum „ loco habent; quam maximum poteſt, eorum horrorem inſpirare ſtudeat; edIſſerat, quam ibi Deus „ offendatur, quantum malorum, calamitatum publicarum, & incommodorum iidem Regnis afferant;

„ rant; & quavis oblata occaſione teſtetur, quam „ execranda ſint ſpectacula Comædiæ, ludi publi„ci, quæ ab Ethnicis originem trahunt, & Evan„gelio, ac veteris diſciplinæ regulis adverſantur; „ exhibeat identidem publicas pœnas, quas hæ „ deordinationes in Chriſtianum Populum inferunt; „ & ut Fideles in adeo gravi doctrina confirmet, „ adhibeat auctoritatem graviſſimam Patrum, cu„juſmodi ſunt Tertullianus, Sanctus Cyprianus, „ Salvianus, Sanctus Chriſoſtomus. Addit Conci„lium: Concionator oſtendet Comædias & alia „ ſpectacula omnibus fere incommodis, quæ Chri„ſtianam Rempublicam deturpant, originem præ„bere; demonſtrabit, quam ei ſint oppoſita, quam „ Ethnicorum doctrinis conformia, & quanta cum „ calliditate & arte ea Dæmon invenerit; quod „ ſatis evincit ea penitus exterminanda eſſe.

Juxta has regulas ad Chriſtianorum utilitatem tam ſancte inſtitutas omnium ſæculorum traditione facile intellectu eſt, quid judicii ferendum ſit de Comædia, quæ inſcribitur, *le Feſtin de Pierre*; cum enim ea nihil ſit obſcænius, nihil impurius, nihil a pietate magis abſonum, ſuam ipſa damnationem in fronte gerere dici poteſt. Nunquam non in ea Religioni inſultatur, licet ad eam tuendam inducatur infelix ſervus, qui quiquid in ejus favorem dicit, inſulſis ſuis ſcurrilitatibus deſtruit, ut res quaſque ſanctiſſimas cachinno aſpergat. Hæc igitur elucubratio eſt admodum digna, quæ cenſoria virga notetur, ac dubio procul ad ſpectatorum oblectationem agi publice nequit compoſitio, quæ eos omnes moleſtia afficit, quibus pietas, Deique amor cordi eſt. Pronunciemus ergo cum Tertulliano lib. de ſpectaculis cap. 16. „ Si impudicitiam deteſtari „ debemus, quomodo nobis licebit audire ſermo„nes, quos repetere nobis non licet? Paulus enim prohibet etiam nugas, & verba inutilia. Quomodo licebit ſpectari, quod fieri non licet? Theatrum ergo nobis interdicitur, dum impudicitia prohibetur. Ad hæc in caſu, de quo agitur, adeſt hujus elucubrationis impietas, quippe quæ nonniſi in Religionis dedecus edita eſſe videatur.

Itaque Confeſſarii, qui animo reputantes ſe divinorum Myſteriorum diſpenſatores eſſe, abſolutionem recuſarunt, optime ſe ſe geſſerunt, quoniam ſecuti ſunt Eccleſiæ regulas non admittentis ad ſuorum Sacramentorum participationem id genus homines, ut videre eſt in Juris Canonici Corpore *cap. Pro dilectione diſtinct.* 2. Ne in mortis quidem articulo id iis Eccleſia concedit, niſi ad bonam frugem redierint, promittantque ſe non amplius Theatrum conſenſuros, ut videri poteſt in cap. *ſcenicis* eodem loco.

Non ſatis ſuam cauſam Hiſtriones in tuto ponunt, ajentes hanc Comædiam Pariſiis & Romæ recitari; quaſi vero non conſtaret ab Eccleſia damnari ſatis multa, quæ publice fiunt ex conſuetudine, ſeu potius ex abuſu, quem ipſa impedire non poſſet; perinde ac ſi ejuſmodi abuſus poſſent divinam legem invertere, & reddere innoxium & licitum, quod ſuapte natura malum eſt. Omnis antiquitas Theatra & ſpectacula repudiavit, poſteriorum ſæculorum Concilia æque eadem damnarunt. Mandant illa ſacris Oratoribus, ut populos doceant hæc ſolatia ex Diabolo auctore eſſe, atque omnino ex Chriſtiana Societate exterminanda eſſe, & proſcribenda; nituntur auctoritate Patrum, qui ea impugnarunt, & nemo eſt, quin poſteriorum temporum cum prioribus conformitatem clare cognoſcat. Eſt igitur indubitatum ejuſmodi Comædias utpote pravas ſine culpa repræſentari non poſſe, nullaque auctoritate id coram Deo ratum fieri poſſe, quod omnis traditio condemnat, quia apud eum nulla eſt perſonarum acceptio, atque omnia ad Sanctuarii pondus penſabit, judicabitque.

Verum ut expendatur caſus, de quo agitur, ex eo, quod Pariſiis fieri conſuevit, mirari ſubit, Hiſtriones ex eo, quod ibidem fit, velle ſibi præſidium quærere, quoniam Pariſiis nullus Hiſtrionum admittitur ad Sacramenta, niſi arti ſuæ nuncium remiſerit, ut rotundis verbis declaratur in Rituali, ubi Hiſtriones, aliique peccatores publici a Communione excluduntur in hæc verba: omnes fideles admittendi ſunt ad Communionem, exceptis iis, quos impedimentum manifeſtum reddit indignos. Ab ea igitur excludendi ſunt ii, qui ob cauſam publice notoriam indigni ſunt, videlicet qui nominatim excommunicati ſunt, aut interdicti, qui notorie ſunt infames, ut Meretrices, concubinarii, *Hiſtriones*, uſurarii, niſi de ipſorum reſipiſcentia conſtet, & quod ipſi attulerunt, ſcandalum publice reparaverint. Qui ergo conſulunt, ex hac Ritualis Pariſienſis regula intelligunt, quid ſibi ineundum conſilii ſit, & quas Deo gratias habere debeant, quod eos ab Eccleſiæ regula non prorſus excluſerit. Teneant illi regulam hanc, quæ totius Eccleſiæ regula eſt, quoniam Rituale Pariſienſe nihil aliud facit, quam id exequitur, quod dicitur in Capitibus, quæ nos citavimus, *Pro dilectione*, & *Scenicis*.

Hi Confeſſarii ſerio moneant Hiſtriones, qui ad eos confugerunt, in ſua ipſorum poteſtate non eſſe iis ſacramenta conferre, niſi omnino artem ſuam ejuraverint, & peccata publica, quorum ipſi inſtrumenta ſunt, deteſtati fuerint, ut ita ſe liberent ab infamia publica, quam in eos Jus infligit. Si ii conqueruntur de infamiæ vocabulo, reſpondere debent Confeſſarii ſe loqui cum Eccleſia, quæ eodem verbo utitur in cap. *Pro dilectione*, in quod Gloſſa „ ait de Hiſtrionibus loquens, ejuſmodi homines „ ſunt infames; additque, eos jam per antiquas „ Romanorum Leges infames fuiſſe, ut videre eſt apud Sanctum Auguſtinum *c.* 20. *de Civitate Dei*, qui id aſſerit Ciceronis auctoritate nixus.

Ex hactenus dictis facile intellectu eſt, quam frivola & prava ſit excuſatio, quam Hiſtriones, de quibus quæritur, afferunt ad propugnandam ſuam diuturnam moram apud Hæreticos, ubi privantur cultu, quem Eccleſia Catholica Deo exhibet, præcipitque, ut diebus Dominicis & feſtis eidem exhibeatur; nullam quippe aliam rationem alegant, quam ſuum officium, quod in iis Regionibus obeunt, & lucrum non mediocre, quod ibidem percipiunt; quaſi Ars, quam Eccleſia improbat, poſſet ejuſmodi lucrum legitimum reddere, & coram Deo excuſare violationem, quam perpetrant, præcepti Eccleſiæ, quæ diebus Dominicis & feſtis Miſſæ auditionem præcipit, ne illud reputetur, eos ſe ſponte in neceſſitatem hanc conjeciſſe, & in ipſorum poteſtate eſſe ab ea ſe eximere. Non poſſunt igitur ſe ſe excuſare niſi apud eos, qui in ſuis peccatis excuſationes quærunt.

Deciſum in Sorbona die 13. Dec. an. 1678.
G. *Fromageau*. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

COMMENDA MELITENSIS.

COmmendæ ſunt Beneficia Equitum Melitenſium, & aliorum Ordinum Militarium, ut Sancti Lazari, Sancti Ludovici, &c. In Ordine Melitenſi præcipuæ Commendæ ſunt Equitum per gradus quatuor nobilium; nec deſunt aliæ Militum & Sacerdotum propriæ. Nuncupatur Commenda Juſtitiæ ea, quam Eques obtinet ætatis jure, & dicitur Commenda gratiæ, quam Magnus Magiſter, aut Magnus aliquis Prior, cui vult, confert ob præeminentiam, quæ ad ejus Dignitatem ſpectat, ſervatis Ordinis Statutis.

Vide EQUES.

Penſio in Commenda Melitenſi.

CASUS.

1 *Non poteſt quiſpiam ſibi comparare penſionem in Commenda Melitenſi, promittens viva voce ſe ejus ſolutionem non repetiturum.*

2 *Commendæ Beneficia quidem non ſunt, ſed ad ea accedunt, nec citra ſimoniam pactum iniri poteſt, ut in iis penſio obtineatur.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Commendator Melitenſis poſſit cum Magni Magiſtri venia aſſentiri inſtitutioni penſionis in ſua Commenda in favorem nepotis quinquennis, ea conditione, ut nunquam ipſe teneatur eam ſolvere, eidemque remiſſionis annuæ verbalis promiſſio fiat? Promiſſio hæc ſcripto non exarabitur, ita ut junior Eques, aut ejus pater, qui bonæ fidei non eſſet, poſſet Commendatorem adigere ad ſolutionem annuam penſionis hujus, quæ quingentarum, aut ſexcentarum librarum eſt.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, id quod Commendatori proponitur, ut nempe ſuo Nepoti penſionem ſtatuat ea lege, ut ille ejus ſolutionem non petat, re ipſa ad ejuſmodi pactum redigi, ut ei relinquatur penſionis fruitio, videlicet eidem certam ſummam quotannis promitti, ut ipſe jus penſionis in ſuam Commendam nepoti tribuat.

Jam vero pactum hoc eſt illicitum, & venditionis quædam ſpecies eſt argenti pretio; parum enim refert numeratam pecuniam tribui, aut id remitti, cujus exigendi jus adeſt, id quippe contractus venditionis eſſentiam non mutat omnino. Sane ſi id fieret, quin ulla conventio expreſſa aut tacita penſionis inſtitutionem præceſſiſſet, puer, aut ejus pater poſſet eam quotannis ex mera liberalitate remittere; ſed ea non eſt propoſita facti ſpecies.

Illud quoque vero conſonum eſt, Commendas Melitenſes nequaquam Beneficia eſſe, ut oſtendit Riccius 4. *p. reſolut.* 185. ſed ſimplices adminiſtrationes; ex quo licet inferri, conventionem, qua de agitur, non perinde malam eſſe, ac ſi de Beneficio ageretur; ſed ea tamen mala eſt, propterea quod Commendæ Melitenſes non ſunt bona mere profana, ſed remunerationes militares, quas Ordo tribuit Viris vere religioſis, & Deo conſecratis, aut per Religionis vota aliquando conſecrandis, id quod efficit hæc *ſtipendia quodammodo ſpiritualia*. Gaudent illa dignitate aliqua, atque aliquo privilegio ſupra temporalia, & Sæcularia bona, quamvis non habent Beneficiorum naturam, quorum titulus eſt pure ſpiritalis. Hinc ſequitur penſiones ex Commendis non poſſe ad Commercium, aut ad negotiationem referri, videlicet ad earum jus comparandum non poſſe conventionem iniri quidpiam largiendi compenſationis loco; id enim teſte Azorio *1. p. l.* 13. *cap.* 6. *q.* 3. ſimoniacum eſſet.

Nec juvat dicere conventionem, de qua agitur, nonniſi verbalem fore; I. quia cum conventio mala eſt, parum refert quoad forum internum, ſcripto ne fiat, an verbo tenus; II. quia id ipſum præſumptionem ingerit eam certo pravam eſſe, quoniam ipſam ſcripto firmare non eſt animus; quod anſam præbet cenſendi illam Ordinis rationi adverſari, ac timendi, ne a Magno Magiſtro improbetur, ſi in ipſius cognitionem venerit.

Ad extremum ſi penſio hæc nititur Superioris auctoritate, non licet Equiti, in cujus Commenda conſtituta eſt, & Eques, qui eam acceptat cum promiſſione illam non exigendi, ſine Ordinis aut Magni Magiſtri licentia eamdem ſervare nequit.

Deciſum in Sorbona hac die 1. Februarii an. 1699.
G. *Fromageau*.

COMMERCIUM.

Vide (EMPTIO. (VENDITIO.

Lucrum pecuniæ in Commercio.

CASUS.

In Commercio nequit pecuniæ pretium ultra Principis mentem extendi.

QUÆSITUM.

JUxta Regis edictum nummorum aureorum valor eſt tantum librarum Gallicarum duodecim, ſolidorum decem in commercio; eſt francorum tredecim in tribunalibus. Quidam pecuniæ vim in arca retinens, a Commiſſo in telonio rogatus eſt, ut mutuos daret centum nummos aureos, quos Commiſſus recepit tredecim librarum pretio. Licet id necne? Ex una parte videtur licere, quia non repugnat Regis menti; immo vero conformis eſt, cum Rex in eum tantum finem edictum protulerit, ut pecuniam e privatis ſcriniis educeret, & in ſua æraria traheret. Ex alia parte videtur id injuſtitiam & uſuram ſapere, quia creditor debitorem adigit ad plus dandum, quam accepit; cum enim nummi aurei nonniſi duodecim libris decem ſolidis in commercio valeant, non videntur mutui dari poſſe pretio librarum tredecim ob eam prætextum, quod in telonio ſint impendendi, ubi id valoris habent, & debitor nihil incommodi patiatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, privatum hominem, qui nummos aureos, de quibus quæritur, mutuos dedit, eorum dominium in mutuatarium tranſtuliſſe, ut iis pro libito uteretur; atque ita librarum tredecim valorem iis indere legitime non potuiſſe contra aperta Edicti verba, quibus eorum pretium librarum ſolummodo duodecim ſolidorum decem in commercio ſtatuitur. Quod ſi occaſione telonii Mutuatarius eos expendit pretio librarum tredecim, non inde oritur mutuanti titulus hujus lucri captandi; eſt hæc bona ſors pertinens ad mutuatarium, quin mutuans in ejus partem veniendi jure gaudeat. Ex quo concluditur mutuantem teneri quinquaginta libras mutuatario reſtituere.

Deciſum in Sorbona.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

COMMISSARIUS.

QUoniam Commiſſarii vocabulum latius patet, & ad varia munia refertur: accipitur in ſequenti facti ſpecie pro Miniſtro Politicæ, qui de iis enunciat, quæ contra Reformationes fiunt, qui populo ſervandas curat Conſtitutiones Judicum Politicæ punitioni ſubdit, & Pariſienſi in Urbe eos in carcerem tradit, quos ſiſtere jubetur. Hi Commiſſarii conſtituti ſunt in variis hujus magnæ Urbis locis, ubi juriſdictionem quamdam habent ſubordinatam Legato Politicæ ad tuendam pacem, tran-

tranquillitatem ac diſciplinam inter populos, qui debent una vivere. Eorum auctoritas ſpectat ad annonam, ad viarum nitorem, ad tranquillitatem noctis tempore, ad dierum feſtorum cuſtodiam quoad cauponas, & publica diverticula, ad pondera & menſuras, ad diſciplinam publicarum nundinum. & ad artes.

Vide Tractatum de Politica Domini *de la More* Commiſſarii.

Obligatio Commiſſariorum.

CASUS.

1 *Tenetur Commiſſarius eos perſequi, qui Politicæ Reformationes aperte violant.*

2 *Tolerare non debet fumi Nicotiani Captatorum conventicula in locis, quæ* Nicotiana *dicuntur; quamquam debet ſe prudenter gerere, ut in eos animadvertat.*

QUÆSITUM.

TEneturne Commiſſarius (præſertim cum rogatur a Parocho) corrigendos curare per Legatum Politicæ omnes abuſus, qui in Parochia committuntur, quoſque delinquentes moniti tollere pervicaciter detrectant?

Commiſſarius hic poteſtne tolerare conventicula fumi Nicotiani Captatorum, & prava loca ea prætextu, quod hac ratione alia crimina etiam graviora impediantur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet,

Quoad interrogationem primam, teneri Commiſſarium, quantum in eo eſt, præſertim in propoſita facti ſpecie, curare damnandos eos, qui notorie & cum ſcandalo adverſus Politicæ Reformationes delinquunt. In Libro 3. tit. 10. Collationis Conſtitutionum abdicantur Judices officiis ſuis, cum reos per diſſimulationem & conniventiam non puniunt.

Quoad ſecundam, Commiſſarius tolerare non poteſt conventicula apud fumi Nicotiani captatores haberi ſolita, ſi ea non minus quam prava loca Politicæ Reformationibus interdicuntur: debet curare pro viribus, ut Reformationes quoad utrumque caput cuſtodiantur, ſervatis tamen ad ipſum quod attinet, prudentiæ legibus, tum ut voti compos fiat, tum ne ſe in ullum diſcrimen adducat.

Verum quidem eſt ad rectam regiminis rationem ſpectare, ut quædam mala quandoque tolerentur ad impedienda graviora, ut monet Divus Thomas poſt Sanctum Auguſtinum 2. 2. q. 10. art. 11. *In regimine humano illi qui præſunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur; ſicut Auguſtinus lib. 2. cap. 4. de ordine: aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Verum ſi tempora & loca ſunt, in quibus ejuſmodi incommoda diſſimulanda ſunt, alia quoque non deſunt, in quibus ea omnino ferenda non ſunt. Exiſtit adverſus prava loca Conſtitutio a Sancto Ludovico edita an. 1254. *Expellantur publicæ meretrices tam de campis quam de villis, & factis monitionibus & probibitionibus earum bona per locorum Judices capiantur, vel eorum auctoritate a quolibet occupentur, uſque ad tunicam vel pelliceum. Qui vero domum publicæ meretrici ſcienter locaverit, volumus, quod ipſa domus incidat in commiſſum.* Videri poſſunt Regum noſtrorum Conſtitutiones in hanc rem variis temporibus editæ *l.* 9. *tit.* 7. Collationis Conſtitutionum.

At quandonam hæc mala ferenda ſint, aut non ferenda, minime pertinet ad Commiſſarium, propterea quia in eum tantum finem eſt inſtitutus, ut Politicæ Reformationes exequatur, & quia minime ſpectat ad inferiorem de Lege judicare; ſi tamen magnum malum in Conſtitutionum Politicæ executione timeretur, poſſet eam ſuſpendere, quoad Judex præceperit, quod expedire videbitur.

Deciſum in Sorbona hac die 24. Aprilis an. 1693.
Germanus *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

COMMUNIO.

Vide EUCHARISTIA.

CASUS I.

1 *Qui baptizati non ſunt, ad Communionem accedere nequaquam debent.*

2 *Per Communionem ſacrilegam Eccleſiæ præcepto non ſatisfit.*

PROPOSITIO.

EXhibita Dominis Doctoribus Facultatis Theologiæ Pariſienſis, ab ipſis ad trutinam revocanda.

Datur præceptum divinum obligans omnes ratione utentes, etiam non baptizatos, ad ſumendam Euchariſtiam ſemel in vita. Datur Eccleſiaſticum obligans omnes baptizatos ſaltem ſemel in anno in Paſchate. Utrique ſatisfieri poteſt Communione ſacrilega.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores Facultatis Pariſienſis rogati ſententiam dicere ſuper allata propoſitione, eam divinis verbis contrariam & hæreticam cenſent in eo, quod aſſerit præcepto divino ſtatuenti, ut ad Euchariſtiam accedatur, per Communionem ſacrilegam ſatisfieri; quoniam præceptum idem, quod Communionem nobis imperat, jubet, ut noſmetipſos probemus, ante quam ad Communionem accedamus juxta hæc Apoſtoli verba: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, 1. corinth. c. 11. *qui enim*, addit, *manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

In eo porro, quod eadem Propoſitio docet, exiſtere divinum præceptum obligans omnes, qui rationis uſu pollent, eos quoque qui baptizati non ſunt, ad Euchariſtiam ſaltem ſemel in vita ſumendam: Propoſitio quoad obvium ſenſum ſpectata, qui ejuſmodi eſt, eos ipſos, qui baptiſmate abluti non ſunt, debere ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere, eſt etiam hæretica, quoniam fidei caput eſt Chriſtianos tantum ſuſcipiendi hujus Sacramenti capaces eſſe, atque adeo illud in primitiva Eccleſia ne Cathecumenis quidem explicabatur, quia nondum baptizati erant, quod ex pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis facile oſtendi poſſet.

In eo denique, quod habet Propoſitio, nempe Communionis Paſchalis præcepto ſatisfieri per ſacrilegam Communionem, videtur contraria canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, &c. qui mandat, ut Chriſtiani Sanctam Euchariſtiam reverenter ſuſcipiant.

Deciſum in Sorbona die 4. Martii an. 1678.
De Lamet. Thibaut, Jacobinus.
Alexander, Jacobinus.
Rabineau, Jacobinus, *Pirot.*
Pechorel. Fromageau.

Com-

Communio Infirmorum.

CASUS II.

1 *Hæreticus, qui ſe Catholicum ſimulavit; ut in Hoſpitali reciperetur, quique in hac fictione communicat, poteſt triduo poſt Communionem percipere, poſt abjurationem morbo gravatus.*

2 *Illi Extrema Unctio iterari non debet abſque Archiepiſcopi permiſſione.*

3 *In infirmi gratiam recedere non licet a regula dierum decem inter unam Communionem in modum Viatici, & aliam ſubſequentem.*

4 *Qui communicavit in modum Viatici Sabbato Paſſionis, minime tenetur intra Paſchatis dies quindecim communicare, ut præcepto ſatisfaciat.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Domini, ut dicant, quod ſentiunt, ſuper nonnullis caſibus ad Sanctæ Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis adminiſtrationem ſpectantibus quoad aliquos in extremis laborantes in Hoſpitali Regio Pariſienſi, ubi nonnunquam contingit, Ægrotos non pervicacia quadam, neque animo contradicendi, ſed ob delicatiorem conſcientiam ægre ſibi perſuadent, quod audiunt de Sacramentorum adminiſtratione, niſi id aliquorum Auctorum gravium ac fide dignorum ſententia firmatur. Quam ob cauſam orantur humillime Sorbonæ Domini ſuam ut ſententiam ſcripto, & diſputationis in modum tradere velint ad ſequentes articulos quod ſpectat.

Primus: Quidam ex Religione, quæ Reformata dicitur, accedit ægrotus ad Hoſpitale Regium, ſe Catholicum ſimulans, quod facile creditur, & hac fide ei Sacramenta adminiſtrantur; ſed poſtea extraneorum teſtimonio palam fit, Hæreticum ipſum eſſe, neque hæreſim abjuraſſe; fatetur id ipſe propalam, inquiens, ſe in ſua Religione perſiſtere velle ad mortem uſque, & ob eam tantum cauſam ſe Catholicum ſimulaſſe, & Sacramenta ſuſcepiſſe, ne ſcilicet abjurare cogeretur. Nihilominus aliquot poſt dies ſe inſtrui patitur, abjuratque, tum confitetur, & Sanctum Viaticum ſumit, quod ei facile conceditur, quamvis illud triduo ante ſumpſerit non jejunus, quia ipſe publice ſuum crimen fatetur; verum nonnulli contendunt, ei Extremam Unctionem iterandam non eſſe, quamdiu eſt in eodem periculo, in quo erat, quando recepit, licet indigne receperit, auctoritate nixi Tridentinæ Synodi, prohibentis, ne Sacramentum hoc in eodem morbo iteretur; contendunt alii hanc regulam pati aliquam exceptionem poſſe, & peculiarem hanc facti ſpeciem excipiendam eſſe, propterea quod infirmus hic, cum ante abjuratam hæreſim extremam Unctionem perceperit, eam non percepit tanquam Sacramentum ratione ſui, quoniam percepit minime credens Sacramentum eſſe, ex quo aſſerunt ei poſt abjurationem eſſe iterandam, licet ſit in eodem periculo, cum hujus Sacramenti effectus nec perceperit, nec vero percipere potuerit propter pravum ſtatum, in quo ſponte erat, cum illud ſumpſit, præſertim cum ex Sacramenti iteratione nihil ſcandali timendum ſit, ut ſane contingit in præſenti caſu; immo vero ſi ſecus fieret, potius ſcandalum oriretur, quoniam ejus culpa publica eſt, etiam ipſius aſſertione, & nemo neſcit eum adhuc extra Eccleſiam fuiſſe, cum hoc Sacramentum, perinde atque alia percepit.

Præterea in noſtro Rituali Pariſienſi prohibetur, ne ægrotus refectus Viatico *non jejunus*, iterum reficiatur *non jejunus*, niſi diebus decem, poſtquam prima vice Viaticum ſumpſit *non jejunus*: Quæritur I. Qua ratione intervallum hoc dierum decem ſit accipiendum, *incluſive* ne, an vero *excluſive*? II. Quæritur, an hæc regula exceptionem aliquam pati poſſit, ratione præcepti, quo nos jubet Eccleſia in Paſchate communicare, v.g. ægrotus in hebdomada Paſſionis communicavit in modum Viatici, & *non jejunus*, vivit uſque ad Palmarum Dominicam diem, & judicatur diutius non poſſe vivere: debetne communione refici, ac poteſtne, non jejunus exiſtens, nondum tranſactis diebus decem in Rituali noſtro notatis? Atque is ipſe ad id ne obligatur, ut Eccleſiæ præcepto, quo Fideles eo tempore ad Communionem obligantur, ſatisfaciat? Contendunt alii ei Communionem tribuendam eſſe, ipſumque ad id obligari, quamvis jejunus non ſit, nec decem præſcripti dies ſint prætergreſſi, cum aliter fieri non poteſt, propterea quod gravius ægrotat, quam ut ipſe jejunus perſiſtere, & Communio differri poſſit, ajentes, obligationem Communionis in Paſchate ſatis juſtam cauſam eſſe, cur & non jejuno in ſimili facti ſpecie miniſtrari Communio poſſit; alii vero contra ſtant, aſſerentes præceptum Communionis in ſtatu jejunii anteponendum eſſe præcepto Communionis in Paſchate, Eccleſiam porro, numeratis caſibus, in quibus non jejuno conferri Communio poteſt, hujus omnino nullam mentionem feciſſe, nec licere non jejuno Communionem ſumere, niſi cum ad id divinum præceptum obligat, quod contingit in caſibus, in quibus Eccleſia monuit Communionem vel non jejuno adminiſtrari poſſe; ex quo inferunt, infirmum Communione refici non poſſe Paſchatis gratia, quamvis ſit morti proximus, nec dilationi ſit locus, niſi jejunus ſit, & decem dierum ſpatium præterierit, ſaltem abſque Archiepiſcopi expreſſa licentia, licet in nonnullis Diœceſibus dierum tantum ſeptem, in aliis vero amplius, in aliis minus intervallum requiratur, ut infirmo pluries in eodem morbo Communio conferri poſſit, quamvis jejunus non ſit, ſi eam etiam atque etiam flagitet, & in mortis periculo ſit conſtitutus; propterea quod ſtandum eſt regulis & conſuetudini Diœceſis, in qua degitur.

Rogantur igitur Sorbonæ Domini, ut velint ſcripto, & diſputatione ſententiam dicere, quæ teneatur tanquam regula certa in ejuſmodi caſibus, &c. remunerationem a Deo recepturi.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

Quoad quæſtionem primam, huic homini ex Religione, quæ Reformata dicitur, Sanctam Communionem in modum Viatici conferri debuiſſe, licet eam triduo ante perceperit; Si enim prout ſtatuit Innocentius XI. Communionis Paſchalis præcepto per indignam & ſacrilegam Communionem ſatisfieri non poteſt, multo ſane minus poteſt, cum de divino præcepto agitur, quale eſt Communionis in mortis articulo; jam vero in præſenti caſu de divino præcepto quæſtio eſt, ac proinde huic homini jamjam morituro poſt abjurationem Communio in modum Viatici tribuenda fuit. Neque vero aliunde extitit legitimum impedimentum, propter quod æger hic trium dierum ſpatio Viaticum bis ſumere non potuerit. Neque ei adverſabatur Ritualis Regula, quippe quæ ad ejuſmodi caſus minime pertinet. Nullum denique timendum ſcandalum erat, quoniam hic homo publice teſtatus erat ſe percepiſſe Sacramenta, quin ſuæ Religioni abrenunciaverit, ſuamque hæreſim abjuraverit; ex quo ſequitur, innotuiſſe, ipſum indigne communicaſſe; quo poſito, ipſi Communio in Viatici modum tribuenda fuit, ut reapſe tributa eſt.

Quoad ſecundam: Extrema Unctio quoad effectus, & obligationem non tantæ utilitatis ac neceſſitatis eſt, quantæ eſt Sancta Communio in modum Viatici; atque hac de cauſa poteſt hæc poſterior aliquando iterari poſt tres dies, quin inde tamen legitime inferri poſſit licere id ipſum quoad extremam Unctionem, atque in eodem caſu; ſane non eſt in more, ut bis conferatur in eodem ſtatu morbi; Ex alia quoque parte Extrema Unctio non eſt Sacramentum, quod de præcepto ſit; non debet igitur iterari in propoſita facti ſpecie; quia tamen hoc Sacramentum magno ſubſidio eſt in mortis articulo cum Archiepiſcopi licentia iterum conferri poſſet, propterea quod palam eſt, illud, uti decebat, ab eo perceptum non fuiſſe, præſertim vero ſi moribundus hic poſt catecheſim ſe ejus deſiderio flagrare ſignificavit.

Quoad tertiam: quoniam agitur de re favorabili, &

& Sacramenta in hominum bonum inſtituta ſunt, in favorem moribundi, cui Viaticum in craſtinum differri nequit, benigna interpretatione explicari poteſt Ritualis articulus, qui agit de intervallo dierum decem, qui inter Communionem in modum Viatici, & aliam ſequentem intereſſe debent; ita ut morti proximus, qui die Dominico exempli cauſa Communionem perceperit, poſſit etiam Sanctum Viaticum ſumere feria tertia alterius hebdomadæ: quod cum ita ſit, dies decem *incluſive* accipientur, & non *excluſive*, ut eſt declaratum.

Quoad quartam & poſtremam quæſtionem, reſpondetur: ægrotum, qui Viaticum ſumpſit cauſa exempli die Sabbati Paſſionis, non teneri Palmarum Dominica die Communionem percipere, ut Paſchalis Communionis præcepto ſatisfaciat; Hoc enim præceptum tum ſolum tenetur exequi, cum poteſt; porro moribundus noſter non poteſt Communionem jejunus ſumere. Ex alia vero parte non poteſt Communionem percipere in modum Viatici, quia non adeſt tempus a Rituali requiſitum inter unam Communionem tanquam Viaticum, & aliam ejuſdem generis, cum nonniſi die Sabbati Paſſionis communicaverit; atque ita conſequens fit, moribundum hunc in eo ſtatu, in quo e, Communionis Paſchalis præcepto non obligari.

Quoniam morti proximus ob corporis atque animi languorem magnis viribus opus habet, ut in mortis agone ſeſe ſuſtentet: poteſt in die Palmarum ei tribui Sancta Communio, dummodo placeat Archiepiſcopo, qui hoc in negotio adeundus eſt, in ejus gratiam reſtringere dierum decem intervallum in ipſius Rituali præſcriptum, ut altera vice Communionem ſumere poſſit in modum Viatici, & animo ſatisfaciendi præcepto Communionis in Paſchate,

Deciſum hac die 11. Aprilis an. 1697.
G. *Fromageau*.

Ægroti ſe conciliare nolentis Communio.

CASUS III.

An Parochus Sanctum Viaticum tribuere teneatur ægroto, quem novit ex confeſſione implacabili odio exardeſcere adverſus quempiam, cui parcere non vult?

QUÆSITUM.

MUlier, quæ integerrima ſemper eſt habita, in morbum incidit, & Parochus ex ejus confeſſione detegit ei acerrimam inimicitiam eſſe adverſus cujuſpiam ex ſuis amicis uxorem, cui renuit ignoſcere; ipſa, ejuſque propinqui petunt, ut ei Viaticum tribuatur. Quæritur, quomodo Parochus in hac facti ſpecie ſe gerere debeat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat debere Parochum nihil non agere, ut ægrotam hanc pertrahat ad ejuſmodi lethale odium, quo adverſus uxorem cujuſpiam ex ſuis amicis exardeſcit, ex animo deponendum, neque illi abſolutionem ante tribuere, quam odium depoſuerit; verum ſi fœmina, ne abſolutione quidem percepta, Viaticum peteret, & ſuo maximo malo vellet in hoc execrando ſtatu Communionem percipere, facta hypotheſi inimicitiam non eſſe publicam, Parochus eam ipſi negare non poſſet; quemadmodum non poſſet Communionem non concedere alicui ad Sacram Menſam accedenti in ſua Parochia, quamvis ſciret ex confeſſione eum graviſſimorum criminum reum eſſe; quoniam hæc recuſatio fieri non poſſet abſque gravi ſcandalo, & quin revelaretur, & detegeretur aliqua ratione, quod per Pœnitentiæ Sacramentum innotuiſſet.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 25. Aprilis an. 1683.
Auguſt. *de Lamet*,

Publice negata Communio.

CASUS IV.

Legitime nequit Parochus publice negare Communionem Paſchalem cuipiam ſuæ curæ concredito, quem ſcit Paſchatis tempore, ſe permittente, confeſſum eſſe Religioſo, quem ipſe monuit de publica hominis inimicitia cum pluribus e ſua familia.

QUÆSITUM.

JAmpridem Petro eſt publica inimicitia cum multis de familia, atque adeo cum matre, fratre, Sororibus, a quibus ſejunctus eſt, licet in eadem domo degat, & quibuſcum ei ſæpe graves exciterunt acerbitates, ad quarum rumorem cum, qui circum verſabantur, non ita paulo ante conveniſſent, eos reperere fuſtibus, & virgis inſtructos, ſeque contumelioſis verbis invicem laceſſentes. Ex eo tempore tantum abfuit, ut Petrus cum matre ac fratre ſe conciliaret, ut potius in poſteriorem grave odium teſtatus ſit, atque adeo aliquando eum male exceperit, & pluribus non vulgaribus viris ſpectantibus, quamvis ſit Presbyter, verberaverit; quod in cauſa fuit, ut hic Presbyter curandæ adverſus fratrem inquiſitionis a Senatu veniam peteret. Diœceſanus quidem Epiſcopus, aliique pacem in hac familia conciliare hactenus ſtuduere, ſed fruſtra.

Hoc in ſtatu Petrus Religioſum in Monaſterio una aut duabus leucis diſſito degentem arceſſit, ut ei proxime elapſo Paſchatis tempore confiteatur. Religioſus hic petit a Parocho veniam, quam obtinens admonetur, ut animo reputare velit, dictum Petrum cum ſuis acerbe vivere; tum audita ejus confeſſione, ad Monaſterium revertitur, Parocho nullis dictis. Petrus porro contendit ſe jam inde cum Familiaribus in gratiam rediiſſe, quamvis Parochus, ac cæteri de hac conciliatione ne tantillum quidem cognoverint.

Cum poſtridie ſe ſtitiſſet ad Sanctam Menſam, eum Parochus præteriit, Communionem cæteris impertiens, & ſui muneris eſſe credidit, allatis de cauſis ei Sanctam Communionem negare.

Petrus ſibi a Parocho irrogatam injuriam, ſuamque famam læſam contendens, ſuas querimonias detulit ad Miniſtrum, qui foraneus Miniſter eſt; Miniſter hic decretum edidit vocationis in jus adverſus Parochum, qui comparuit, aſtitit, & interrogatorium ſubiit, quo facto dictus Miniſter cauſam abſolvit extra ordinem, antequam etiam Parocho per tempus liceret interrogatorii exemplum a Notario obtinere; quod in cauſa fuit, ut a dicti Miniſtri ſententia tanquam abuſus appellaret.

Quia porro dictus Parochus ſibi jus eſſe putat querendi de ſententia Miniſtri, qui & ipſe Parochus eſt, quique eum monitum voluit, ipſum interdictum eſſe *ipſo facto* ab omnibus ſuis functionibus Curialibus vi hujus vocationis in jus: Miniſter vero contendit ex alia parte nihil eſſe in ſua ſententia, quod improbetur, & præterea hæc conteſtatio non mediocrem in vulgus rumorem ſpargit; quiſpiam utrique neceſſitudine devinctus, iis auctor fuit, ut Dominorum Sorbonæ Doctorum judicio ſe ſubderent; qui acquieſcentes amici conſilio, eos rogant in præſentia, ut paulo fuſius, & graviter dicant, quod ſentiunt, ſuper articulis inſequentibus.

I. An Petro Sanctam Communionem negare potuerit Parochus in propoſita facti ſpecie?

II. An cum minime noſſet dictum Petrum cum ſuis in gratiam rediiſſe, debuerit nec ne in foro conſcientiæ Communionem ei denegare; & cur eam denegaret, ſatis necne legitima cauſa fuerit publica inimicitia?

III. An dictus Parochus potuerit tuta conſcientia Communionem Petro adminiſtrare, ſi forte ipſe privatim de conciliatione certus eſſet, cæteris id ignorantibus; an videlicet id facere ipſi licuerit,

antequam de pace compoſita publice innoteſceret, & ſcandalum tolleretur?

IV. An ratio, quam Miniſter iniit, ſit regularis, & Eccleſiæ legibus conſentanea?

V. An illud ſit vero conſonum, vocationis in jus eam vim eſſe, ut *ipſo facto* Parochus ſit omnibus ſuis functionibus interdictus?

VI. Ac ſi ita ſit, an Parochi appellatio tanquam abuſus ſuſpenſivum effectum habeat, an ſolummodo devolutivum?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat;

I. Parochum legitime non potuiſſe Sanctam Communionem Petro publice denegare in caſus propoſiti circumſtantiis; etenim Religioſo, de quo in expoſitione dictum eſt, audiendæ Petri confeſſionis facultate conceſſa, eoque admonito Petrum inter ac Familiares inimicitiam intercedere, videns hic Parochus Petrum ad Sanctam Menſam accedere, rationabiliter credere potuit, Religioſum in hoc negotio ſuo muneri ſatisfeciſſe; ac Petrum ſi minus publice, at privatim cum ſuis in gratiam rediiſſe, & conciliationis publice teſtandæ commodius, aptiuſque tempus, habita ratione partium, expectari, quemadmodum fieri potuit, & reipſa factum eſt, Petro cum ſuis conciliato, ut in Expoſitione notatur; atque ita Parocho non licuit a Sancta Communione Petrum arcere; quod cum fecerit, Petrus de illata ſibi injuria queri potuit. Eodem accedit Parochum in eo etiam culpandum eſſe, quod Religioſo ſignificare neglexerit, ut Petrum moneret, ne accederet ad Sacramenta, niſi gratia cum ſuis inita, patefacta conciliatione, & ſcandalo de medio ſublato.

Quod ſi Religioſus, qui Petro fuit a confeſſionibus, de bona diſpoſitione, in qua quoad hanc conciliationem Petrus erat, Parochum non commonefecit, ut poterat: id eo fortaſſe factum, quod hic Religioſus ad id animum referre neglexerit, quod facere tenebatur; at non inde tamen extitit Parocho ſatis juſta ratio credendi, Petrum cum ſuis, uti debebat, ſeſe conciliare noluiſſe.

II. In Caſu inimicitiæ conſtanter publicæ tenetur Parochus, dummodo per tempus ei liceat, Epiſcopum ſuum de ratione conſulere, quam inire debeat, ſi partes Sacramenta petierint, aut ad Sanctam Menſam ſe ſtiterint; ſtat enim præſumptio, fore, ut Superior minus ſane fallatur, quam Parochus, ad id quod attinet, quod in ejuſmodi caſibus facto opus ſit; Epiſcopus exempli cauſa mandaſſet, ut monerentur Partes de pace ineunda, ne ſcilicet amplius ex inimicitia publicum ſcandalum oriretur, aliter, evulgata monitione, ipſis Sacramenta denegarentur.

Sin Epiſcopum conſulere Parochus per tempus non poſſit, & inimicitia notabili ſcandalo ibidem ſit, reum ad Sanctam Menſam accedentem repellere debet, quia cognita & perſpecta indignitas eſt; ita ut nihil ejus famæ detrahatur apud eos, qui bus ſpectantibus a Communione repellitur, cum tanquam ea vere indignus, ut ſupponitur, ab iis habeatur.

Verum quoniam hujuſmodi publicitates re ipſa pluribus erroribus ſæpenumero obnoxiæ ſunt, & conjecturis tantum, quas eventus falſas oſtendit, ſæpe nituntur; hujuſmodi notorietates fere non habentur tanquam ineundi conſilii certa regula, nec punitur in foro exteriore perſona tanquam ſcandaloſa, niſi quid exiſtat ex parte Superioris, quod ſcandali probationem juridicam reddat, & ſcandalum proinde conſtantius. Ex quo ſequitur, Parochum non debuiſſe Petro Communionem propria auctoritate negare ob eam notorietatem facti, ſcandaloſæ ſcilicet inimicitiæ inter eum ac Familiares. Poterat igitur eam illi concedere, & ex eo certior fieri de ipſius præparatione, & comperiens eum aliquid amplius facere debuiſſe, quo Sacramenta ſuſciperet, tenebatur Parochus id Petro ſignificare, & de re tota ſuum Epiſcopum admonere, ut ab eo doceretur, quid ſibi faciendum eſſet, ſi Petrus impoſterum ad Sacramenta accedere vellet, nihil deferens Parochi ſui conſiliis.

III. Ex hactenus dictis inferri poteſt Parocho multo minus licuiſſe Communionem Petro negare, ſi ipſi ſoli ejus conciliatio innotuiſſet; Petrus enim pace privatim compoſita, poterat gravibus de cauſis paulo poſt eam publicam reddere.

IV. Videtur Miniſter præcipitanter egiſſe cum Parocho, ſuoque confratre, qui bona fide, bonoque zelo permotus egerat; debebat imprimis eum audire, aut ei ſimplicem aſſignationem dare, ut cauſam diceret, ac ſi expedire judicaſſet, ad aliquam Petro ſatisfactionem reddendam eumdem adigere, quod ei publice Communionem negaviſſet; quod ſi Parochus facere renuiſſet, tum vero adverſus ipſum agere, & vocationem in jus decernere potuiſſet.

V. Niſi in Diœceſi Parochi, de quo agitur, peculiare ſtatutum exiſtat, quod ſuſpenſos declaret Eccleſiaſticos, contra quos adſit in jus vocatio; aut quod ſæpenumero contingit, licet Miniſter vocationem in jus decernens, addat, Eccleſiaſticum ſuſpenſum fore, non eſt tamen de jure *ipſo facto* ſuſpenſus.

VI. Denique reſpondetur, appellationis tanquam abuſus, facta hypotheſi ſuſpenſionem, aut interdictum in propoſita facti ſpecie locum habuiſſe, non ſuſpenſivum effectum eſſe, ſed ſolummodo devolutivum, quia de diſciplina, & de morum correctione ſermo eſt.

Deciſum in Sorbona hac die 5. Julii an. 1700.

G. *Fromageau*.

Sanctimoniales, quæ in ſtatis Communionibus ſecum diſpenſent.

CASUS V.

Superior Regularis Sanctimonialibus ſuæ facultatis terminos non prætergreditur, dum pœnitentiis congruis ſubdit Juriſdictionis ſuæ Moniales, quæ ſua ipſarum culpa Communiones in propriis Conſtitutionibus præſcriptas omittunt, ni ſæpe monitæ ſe correxerint.

QUÆSITUM.

In celebri Sanctimonialium maxime reformatarum Monaſterio, ubi virtus, pietas, & obſervantia regularis adamuſſim ſervatur, paucæ quædam Moniales exiſtunt, quæ ſuæ ipſarum ſalutis immemores, raro admodum accedunt ad Sacramenta, videlicet bis, aut ad ſummum ter in anno, & aliquando ne ſemel quidem; ex quibus una reipſa nuſquam acceſſit ex die 29. aut 30. Martii an. 1704. In dicti Monaſterii Conſtitutionibus cap. 19. hæc habentur: „ Communicabunt Sanctimoniales omnes ſingulis quibuſque diebus Dominicis & Feſtis ab Eccleſia præceptis, & cum in hebdomada nullus dies feſtus occurret, moneantur feria quinta ſibi communicandum eſſe, non tamen ſub ulla culpa ad id obligentur „. Præterea Moniales in ſuæ Profeſſionis actu præter paupertatis, caſtitatis, obedientiæ & clauſuræ Vota, emittunt votum aliud in hunc modum: „ & ſatisfaciendi, quantum decuerit, omnibus tranſgreſſionibus, quaſcumque commiſerim adverſus dictam Regulam & Conſtitutiones dicti Ordinis, & Congregationis ſtrictiori Obſervantiæ, cum utriuſque ſexus ſuperiores ejuſdem Congregationis id ex me requiſierint „. Idem præterea traditur in dictis Conſtitutionibus cap. 27. *de culpis & pœnitentiis*, ubi poſt pœnitentiarum in errata ibidem recenſita præſcriptarum plura genera, omnino ad finem dicitur: „ ſed quoniam non expedit hoc loco ſingillatim enumerari, quæcumque delinqui poterunt: ea de cauſa ſi quid ab aliqua peccatum fuerit, quod in hiſce Conſtitutionibus expreſſum non ſit, ei pœna arbitraria injungetur, ſpectatis accurate qualitatibus delicti, perſonæ, & intentionis Conſtitutionum, ut impoſita pœnitentia culpæ reſpondeat.

Su-

Superior Regularis dictum Monaſterium viſitans die Quinta Martii an. 1701. ut occurreret incommodis, quæ poſſent exiſtere, ſi malum hoc, quod jamdiu graſſabatur, latius ſerperet, ſui muneris eſſe credidit Conſtitutionem edere, qua Sanctimoniales cohortatus, ut ad Sacramenta diebus per Conſtitutiones deſignatis accederent, eas monitas voluit, ut juxta ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ Decretum *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſciperent ſaltem ſemel in menſe, & pœnitentiæ loco delinquentibus injungeretur, ut humi comederent, & deferrent Indevotæ libellum ſemel in hebdomada, quandiu mandata facere neglexiſſent; ſed cum ad delinquentium preces ea Conſtitutio publicata non fuerit, promittentibus ipſis ſe impoſterum mandata facturas, id quod tamen non præſtiterunt, cumque dictus Superior Septembris menſe ejuſdem anni e vita exceſſiſſet: ejus ſucceſſor tempus prætergredi paſſus eſt, & toleravit ad uſque præſentem annum 1705. quo malum perdurare atque augeri ſentiens ſe in conſcientia obligatum credidit ad renovandam dictam Conſtitutionem in ſua Viſitatione diei 21. Martii an. 1705. Utraque Conſtitutio lecta eſt, recepta, approbata, & ſubſcripta a Superiore, & Diſcretis dicti Monaſterii juxta ipſius conſuetudinem & Conſtitutiones; ac præterea poſterior publicata fuit coram univerſa Communitate in Capitulo congregata, eadem die 21. Martii an. 1705. & deinde Feria ſexta Quatuor Temporum Pentecoſtes ſequentis.

Quæritur, an ſcilicet hic Superior ultra ſuam facultatem egerit, ejuſmodi pœnitentiam imponens?

Ac ſi poteſtatis ſuæ terminos prætergreſſus credatur, quoniam ſui muneris vi tenetur in foro conſcientiæ (rebus in eum ſtatum conjectis, qui jam expoſitus eſt) jam ab exordio occurrere malo, quod prævidet probabiliter deinceps gravius fore, quod tunc ægre tolli poſſet, & regularem Obſervantiam prorſus everteret in dicto Monaſterio, quod, ut notatum eſt, inter regularia & reformata primas tenet, juxta regulam univerſim receptam, *Principiis obſta, ſero medicina paratur*;

Quæritur, quibus conſiliis ac rationibus dictus Superior uti poterit, ut malo, de quo agitur, remedium afferat: videlicet an connivere teneatur, & hoc in caſu tutuſne in conſcientia futurus ſit? Et quoniam nonniſi tres aut ad ſummum quatuor Moniales adhuc in errato perſiſtunt, quæ lenioribus remediis in ordinem redigi non potuerunt, ſi deinſceps augeatur numerus uſque ad 15. aut 20. aut 30. quemadmodum contingere facile poſſet, ſi res abire ſinerentur, & Conſtitutio abrogaretur: Quæritur, quid tunc remedii poterit afferri, atque an amplius opportunum futurum ſit?

Nota, in dicto Monaſterio, quemadmodum in omnibus Religionibus Reformatis, publicas pœnitentias edi conſueviſſe, & hanc, de qua agitur, ex levium numero eſſe, cum in ipſius Conſtitutonibus plures occurrant graviores injunctæ ob errata minora, & ex quibus minora incommoda conſequuntur.

Quod opponitur, illud eſt, ad communionem ſumendam publica pœnitentia Monialem a nullo Superiore adigi poſſe; ad quod expedita reſponſio eſt, pœnitentiam non imponi, ut ad Communionem adigatur, ſed ut ſolum puniatur, quod Communionem tunc, cum teneretur, minime ſumpſerit; ea quippe pœnitentia ſumendæ Communionis obligationem non inducit, ſed ſupponit, & defectus hic punitioni obnoxius videtur; atque ejuſmodi eſt etiam praxis Eccleſiæ, & Religionum, in quibus Obſervantia viget, in propoſita facti ſpecie; Eccleſia Excommunicationis pœna punit, & Eccleſiaſtica ſepultura privat eos, qui in Paſchate communionem ſumere neglexerint, & ne quid ex aliis Religionibus afferatur, Conſtitutiones dicti Ordinis Regularis a Sancta Sede approbatæ poſt verba hæc: *Omnes tam Clerici quam Laici, diebus Dominicis & Feſtis, Sacram Euchariſtiam profunda corporis & animæ humilitate & reverentia ſument*; addunt hæc aliaqui: *ſine ratione, debitaque licentia ſacram Communionem ſumere prætermiſerint, humi comedent, & pitantia in prandio carebunt.*

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod rationes tum a Superiori Viſitatore, qui Mandatum edidit, de quo agitur, tum a Monialibus contra ſtantibus in medium allatas vidit, & expendit, exiſtimat Superiorem in ſua Viſitatione renovare potuiſſe Tridentini Concilii Decretum *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Regul.* ad Sanctam Communionem quod attinet, potiſſimum quoad Moniales, quæ ne dum diebus, qui in Conſtitutionibus aſſignantur, communicent, menſium ſpatio id facere negligunt; ac licet neque in Regula neque in Conſtitutionibus ulla pœna mulctentur eæ, quæ a Communione per menſem abſtinent, dictus Superior jure potuit his Monialibus pœnitentiam culpæ reſpondentem imponere. Et ſane in Religioſæ Profeſſionis Actu promittunt illæ ſe ita ut decuerit, ſatisfacturas omnibus tranſgreſſionibus, quas contra Regulam & Conſtitutiones commiſerint; porro in Conſtitutionibus notantur hebdomadæ dies, quibus Moniales ad Communionem tenentur accedere; ex quo ſequitur eas pœnæ, quam Superior in eo delinquentibus imponendam judicaverit, ſubjacere, multoque magis, ſi menſis ſpatio a Communione abſtinuerint.

Sane in Conſtitutionibus nulla pœna aſſignatur, nullaque adeſt culpa, quoties præſcriptis diebus Communio non ſumitur. Quod ſpectat ad Regulam, in ea hac de re ne verbum quidem. Ipſa Tridentina Synodus loco appellato nullius pœnæ aut culpæ mentionem facit, ſi per menſem a Communione abſtineatur; id quod præcipit, eſt potius in modum conſilii & admonitionis, ut ſaltem in menſe Cummunio ſumatur, quam obligationis ſtricto modo ſumptæ; ita communiter explicant Theologi Concilii Decretum; ac re ipſa Concilium utitur verbo, *admoneantur*: *Attendant Epiſcopi & Superiores Monaſteriorum Sanctimonialium, ut in Conſtitutionibus earum admoneantur, ut ſaltem ſingulis menſibus ſacroſanctam Communionem ſuſcipiant*, &c. (*a*) Videri poſſunt Auctores in hunc Concilii locum. Cum Suarez de hoc Concilii loco verba facit, contendit id non eſſe præceptum, ſed purum putumque conſilium, aut Conſtitutionem regularem: *non ſunt* verba, *quæ* præceptum *clare exprimant, ſed ſolum conſilium, vel Conſtitutionem Regularem.*

Cum hæc ita ſe habeant, non ideo tamen conſequens ſit, Superiori non licuiſſe pœnam in eas infligere, quæ per menſem a Communione abſtinerent, ſi magna ſpectentur ſubſidia, quæ potiſſimum ex ſancta Communione percipiuntur, ad vehementer reſiſtendum tentationibus Dæmonis, ut loquitur Synodus, in id unum incumbentis, ut animas perdat, præſertim vero, quæ in eminentiori gradu poſitæ ſunt: *ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperandas*; atque ita debuit Superior alicujus pœnæ formidine Sanctimoniales ad Communionem ſaltem ſemel in menſe ſuſcipiendam movere, cum Monaſterium inviſit.

Nihilotamenſecius omnibus recte perpenſis ſi Superior non monuit, aut monendas non curavit eas, quod Communionem non ſumerent; minime creditur a Superiore ipſo in Viſitatione initio ſtatim ejuſmodi pœnitentiam imponi potuiſſe, multoque minus, ſi peculiariter ad eas ſpectat, quæ non communicant; ut nempe Monialis, quæ non communicaverit intra menſem, humi comedat, & Indevotæ libellum deferat ſemel in hebdomada, quoad in eo defecerit. Etenim ne illud dicatur, nullam ſtricti nominis obligationem adeſſe ſingulis menſibus communicandi, ut paulo ante dictum eſt: fieri poteſt, ut Sanctimonialis a Communione per menſem abſtineat, Confeſſario, qui pius doctuſque ſupponitur, id probante, atque ita re vera digna non ſit,

(*a*) Barboſa in Conc. Trid. l. 2. Pellizarius Tom. 2. Tr. 10. c. 6. q. 3. n 8. Rodriquez qq. Regul 101. q. 62. a. 7. Tamburinus de Jur. Abbatiſſ. diſp. 16. q. 6. Zerola v. Moniales &c. ad 7. Reginaldus l. 29. n. 73. Henriquez l. 5. c. 6. n. 3. Suarez Tom. 3. l. q. 88. Diſput. 66. ſect. 3.

ſit, quæ hac pœnitentia infamiam aliquam continente mulctetur. Verum ut ut res habeat, in univerſum ſatis eſſe videtur, ut Superior, ad oſtendendam de Sanctimonialium communione ſollicitudinem, initio leniorem pœnitentiam imponat, exempli cauſa, jubeat ab ea, quæ præeſt, moneri & corrigi Sanctimonialem, quod communionem non ſumat. Sane convenit hæc mandata quoad has pœnitentias cum libellis ſubſcripta fuiſſe a Superiore & Diſcretis, & publicata coram univerſa Communitate in Capitulo congregata, ut conſtat ex Libello, quem Conſilio Superior Viſitator exhibuit: at ſtatim ac plures Sanctimoniales, atque ut videtur, non ſine fundamento contra ſtant, non debet Superior obſirmato animo ſuarum Conſtitutionum executionem requirere.

Illud quoque convenit has pœnitentias cum libellis famæ minus nocere inter Sanctimoniales, quam in ſæculo, quia pœnæ paſſim apud eas in uſu ſunt vel ob errata, quæ videntur admodum levia; ſed illud etiam animadverſione dignum eſt eas in præſenti facti ſpecie minime congruere aut qualitati culpæ, aut regiminis ſuavitati, qua Sanctimoniales ad exequendum munus ſuum ducendæ ſunt. Verum quidem eſt, ſi jure timendum eſſet, ne receſſio hæc a Sancta Communione latius ſerperet, poſſe tunc ſuperiorem vel ab initio fortioribus remediis uti, ut pœnitentiam, de qua agitur, injungere, aliquam aliam afflictionem imperare, a cratibus ad aliquod tempus arcere, activa & paſſiva voce privare, atque adeo graviores aliquas pœnas adhibere, quales adhibendi jure gaudet Eccleſia, ut in Laicos Paſcha non celebrantes animadvertat (a), ſi reipſa Sanctimonialis anni ſpatio a communione abſtineret: ſed ut ad id redeamus, de quo agitur, & ad eam pœnitentiam, de qua in Expoſitione dictum eſt, Superior debuiſſe non creditur ab hujuſmodi pœna exordiri quoad Moniales, quæ per menſem Communionem non ſumerent, niſi prius ſingillatim monitæ fuerint, quæ ſunt *in reatu*.

Cæterum cum expedire judicatur, ut Superior infligat, aut minitetur graviorem pœnam Sanctimoniali, quæ abſtinet a Communione, non ſequitur, eumdem cenſeri in cauſa eſſe, cur ipſa indignis ſe communionibus inquinet ad punitionem evitandam; aliter enim numquam punire, aut gravis punitionis minis terreri poſſent eæ, quæ admodum raro Sacramenta ſuſcipiunt. Nec refert dicere in occulta peccata publicam pœnitentiam infligi, cum exterior aliqua pœnitentia imponitur Sanctimoniali a Communione abſtinenti; magis enim in Communitate notæ ſunt, quæ communicant, & non communicant, quam ut harum poſteriorum defectus occultus haberi poſſit. Neque etiam credendum eſt, cum Monialis fere deficit in aliquo ſuarum Conſtitutionum, aut ſuæ Regulæ capite, ei præſto eſſe rationes a Confeſſario approbatas: reſpondetur id ita ſe habere poſſe, ſed fere in exteriore Monaſterii regimine ſpectatur id, quod ad Regulam pertinet ob rectam adminiſtrationem, & minime expenditur, quod attinet ad Confeſſarium, & quid ipſe cogitet de ſua pœnitentia: ſemper ſupponitur facere, quod debet; ita ut eo non vituperato, judicetur ſolius Monialis, quæ pœna digna eſt, culpam eſſe. Non igitur neceſſe eſt credi aut præſumi Confeſſarium probare, quod tolerat; neque enim id evulgare poſſet, quod ad ſuæ pœnitentiæ conſcientiam ſpectat; atque ita fere compertum fieri nequit, an ipſe Monialem ita ſe gerentem approbet necne, nec fas eſt id ex eo ſciſcitari.

Concluditur ex his omnibus, Superiorem Viſitatorem, ſi minus Moniales a Communione abſtinentes ſingillatim commonuit, ſuarum Conſtitutionum executionem quoad pœnitentiam, de qua ſermo eſt, debere ſuſpendere, & reprehenſione Moniali a communione ad menſem abſtinenti facienda contentum eſſe: ita ut, ſi ea in hac omiſſione perſtiterit, aliqua graviore pœnitentia mulctetur, ſcilicet ex ſupra recenſitis aliqua, quæ culpæ & ſcandalo ex receſſione a Sancta Communione derivato reſpondeat.

Deciſum in Sorbona hac die 23. Julii an. 1703.

Germanus *Fromageau*.

Sanctimoniales trium menſium ſpatio a Communione abſtinentes.

CASUS VI.

Superior Communitatis exemptæ Sanctimonialium jure pollet arcendi a locis, quæ vulgo Parlatoria nuncupantur, eas, quæ trium menſium ſpatio a Communione abſtinuerint, eiſdemque graviores pœnas imponendi, ſi abſtinuerint ad ſex menſes, poſtquam monitæ fuerint, ut ex eo negligentiæ ſtatu emergerent.

QUÆSITUM.

Communitas exempta Sanctimonialium interrogat, jurene poſſint a Superioribus arceri a locis, quæ *Parlatoria* dicuntur, ſi ad tres menſes, & præter eam pœnam activa & paſſiva voce privari, ſi ad ſex menſes ad Sanctam Communionem non acceſſerint?

Animadverſione dignum cenſetur, ne dum ulla pœna, ad hanc rem quod attinet, in Regula ſtatuatur, altum immo ſilentium eſſe; in ipſarum ſane Conſtitutionibus mandatur, ut Communionem ſumant bis in hebdomada, niſi legitima aliqua cauſa impediantur; at ſi in hoc defecerint, in his ipſis Conſtitutionibus nulla pœna ſtatuitur, ſed integrum ea de re judicium Confeſſarii prudentiæ relinquitur.

Hæ ipſæ Conſtitutiones culpas & crimina, quæcumque patrari poſſent, præviderunt, & in errata ſingula peculiares pœnitentias inſtituerunt; quod ſemper argumento fuit has Conſtitutiones interpretatione non indigere, propterea quod earum ſenſus apertus ſit. Putant Sanctimoniales ſe ſuis Conſtitutionibus ad litteram ſatisfacere, accedentes ad Confeſſarios ab Ordinario approbatos, quamvis non ſint ex Ordine, & quos Superioribus ipſis annuentibus adſciverunt. Facta hypotheſi hos Religioſos Superiores jus non habere imponendi has pœnas his Monialibus exemptis: quærunt ipſæ, poſſint necne ſeſe opponere, & tanquam nullis repugnare Reformationibus, quas Superiores ſtatuere volunt, ob rationes ſequentes.

I. Quia Superiores, dum eas arcent a locis, quæ *Parlatoria* vocantur, hac ratione externorum Confeſſariorum, quibus hactenus uſæ ſunt, ſubſidia iiſdem adimere contendunt.

II. Quia etiamſi ad ejuſdem Ordinis Confeſſarios acceſſerint, territæ ſunt earumdem pœnarum minis, ſi (ob conſcientiæ rationes, quas habent, & ob impedimenta legitima, propter quæ nequeunt ad Communionem accedere, quo tempore his ex Ordine Confeſſariis placuerit) id facere nolint.

III. Quia horum Patrum conſilia eo ſpectant, ut activa & paſſiva voce privent eas, quas privandas temporalis lucri gratia judicaverint, ut ita nempe Moniales has regant per eas, quæ jam Familias fundos bona ex parte diſſiparunt, eidem extremum excidium allaturæ, ſi hæ ipſæ Moniales temporalia adminiſtrent.

Rogantur Doctores, ut ſuam hac in re ſententiam proferre velint, ut Religionis jura ſerventur, & ſarta tectaque ſit obſervantia, qua illæ de amicitia tantum & charitate ſollicitæ Superiores ſuos proſequuntur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

I. Licet optarit Eccleſia in Tridentino Concilio *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Regul.* ut Moniales ſemel ſaltem in menſe communionem ſumerent, quo ſe hujus Sacramenti gratia compararent adverſus Dæmo-

(a) Ad eos quod attinet, qui in Paſchate Communionem ſumere negligunt, quemadmodum teneantur id facere, quam primum poſſint, vide Layman l. 5. tr. c. 5. n. 8. pag. 827.

monem, de animarum præſertim eminentium jactura Sollicitum: *Saltem ſemel ſingulis menſibus ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperandas*: non inde tamen conſequens fieri, Sanctimonialium Superiores contra Eccleſiæ mentem facere, cum in ſuis conſtitutionibus mandant, ut, ſi potuerint, bis in hebdomada Euchariſtiam ſumant; hæc enim Religioſarum Familiarum fere praxis eſt, ita ut Eccleſia eam comprobare cenſeatur, ſtatim ac Conſtitutiones probaverit.

II. Quamvis pœnitentiæ pro culpis, quas fere Moniales commiſerint, in Regula, vel in Conſtitutionibus maxima ex parte recenſeantur: poſſunt tamen Superiores pro variis culparum circumſtantiis & effectibus novas pœnitentias imponere. Superior enim, qui in eum finem præeſt, ut Moniales ad proprii ſtatus rationem ducat, jure proinde gaudet ea omnia media adhibendi, quæ potiſſimum impedimento ſint, quominus illæ a recto tramite vel tantillum aberrent: ita ut Superioribus omnino parendum ſit, quin illi conſilii ſui rationem inferioribus reddere teneantur, præſertim ſi pœnitentiæ, & Reformationes, quas inſtituunt, legitima auctoritate nitantur.

III. Sæpe quidem juſtis de cauſis poteſt Confeſſarius impedire, quominus Monialis aliqua ad certum tempus ad Communionem accedat, ut Conſtitutiones præſcribunt; id tamen non impedit, quominus, non vituperato Confeſſarii conſilio, liceat Superiori Monialem punire, quæ ſæpe ſæpius in eo recedit a Regula, & notabili ſpatio abſtinet a Communione.

Hoc poſito, reſpondetur ad propoſitam facti ſpeciem; Superiorem poſſe Moniali trium menſium intervallo non communicanti interdicere locis, quæ *Parlatoria* nuncupantur; quoniam fere pro certo habendum eſt id ejus culpa factum eſſe; præſertim cum pœnitentia hæc non adeo gravis eſſe videatur quoad Monialem, quæ vi ſui ſtatus a ſæculari conſortio recedere, & in ſolitudine vivere debet.

Moniali ſane longe gravior pœna eſt activæ & paſſivæ vocis privatio; nihilominus Superior, præſertim poſtquam Monialem monuit, ut in viam rediret, eam poteſt imponere, cum expedire putat, ut Monialis in ordinem redigatur, & Scandalum, quod in communitate ex Communione ſex menſium intervallo a Moniali prætermiſſa oriri poteſt, impediatur. Neque vero ejuſmodi pœnitentiæ reprehendi poſſunt, ſi in Ordine jam obtineant, aut cum de iis inter Familiarum Superiores in aliqua legitima Congregatione convenit.

Etiamſi nulla cauſa ſubeſſet, quamobrem harum Sanctimonialium Superiores ejuſmodi pœnitentias ipſis imponerent, aut etiamſi eas imponerent pravis de cauſis, cujuſmodi ſunt, quæ in expoſitione notantur; Moniales tamen nulla oppoſitione aut proteſtatione contra ſuos peculiares Superiores uti deberent; ſed potius ad Superiores majores, qua par eſt, reverentia confugere tenerentur, ſperantes ſe, quod optant, impetraturas. Et ſane præſumi non debet, Viros illos, quos virtus ad primos Ordinis gradus extulit, aliquorum Superiorum minorum præpoſteris conſiliis adhærere, ut Monialium ſibi ſubjectarum animum & conſcientiam perturbent.

Uno verbo illud aſſeri poteſt, Sanctimoniales, de quibus ſermo eſt, ſi velint in ſanctæ Communionis negotio Conſtitutiones accurate ſervare, aut potius non tam longo temporis ſpatio a Communione abſtinere, ipſas ſe in tuto poſituras eſſe adverſus prava conſilia, quæ contra ſe iniri contendunt; at ex alia quoque parte ſi quæ Moniales ex Monaſterio, de quo agitur, in Communionis negotio peculiarem diſciplinam privata auctoritate inducere voluerint, perinde ac ſi injuria Communio bis in hebdomada in Conſtitutionibus præſcripta fuerit, quod tamen in aliarum quoque Familiarum Religioſarum Conſtitutionibus, aut Regula diſertis verbis exprimitur: hoc in caſu ſuperiores jure pollent imponendi Monialibus hiſce pœnitentias, de quibus in Expoſitione dictum eſt, & iiſdem adimendi Confeſſarios externos, qui quidem ejuſmodi peculiaria conſilia earum animis inſpirarent, eiſque aſſignandi Confeſſarios ex Ordine, aut alios, quos Superiores ipſi ad has Sanctimoniales juxta proprii ſtatus rationem dirigendas magis accommodatos judicaverint.

Deciſum hac die 21. Junii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Surdi ac Muti Communio.

CASUS VII.

Sacroſanctum Altaris Sacramentum adminiſtrari poteſt Surdo ac Muto, qui bonis moribus eſt, dummodo fidei noſtræ myſteriis ſatis imbutus ſit.

QUÆSITUM.

AN ſcilicet adminiſtrari poſſit Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum Adoleſcentulæ ſurdæ ac mutæ a nativitate, cujus mores admodum probi ſunt?

RESPONSIO.

Adminiſtrari poteſt Sanctum Altaris Sacramentum Adoleſcentulæ ſurdæ, ac mutæ a nativitate, quæ integræ vitæ eſt, modo ſatis fidei noſtræ, & Euchariſtiæ imprimis Myſteriis imbuta ſit, ne Domini Corpus inconſiderate atque indigne manducet. Surdi & muti a nativitate ſatis inſtructi ad Pœnitentiæ Sacramentum admitti poſſunt juxta communem Theologorum ſententiam; & quod inde conſequitur, Sacramenti matrimonii capaces ſunt, inquit Sanchez *l. 1. de Sponſal. diſp.* 18. *num.* 18. Quidni igitur poſſint, cum edocti fuerint, ad Domini Menſam admitti? Inſtructio hæc, quæ neceſſario præmittenda eſt, exiſtere poteſt aut per homines immediate, aut per Deum ſolum, aut per Angelorum miniſterium, ut docet D. Auguſtinus *c. 19. libri de dono Perſeverantiæ* in hæc verba: *Pauciſſimis eſſe donatum, ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum, vel per Angelos Cælorum doctrinam ſalutis accipiant: multis vero id eſſe donatum, ut Deo per hominem credant*; & *lib. de Corrept. & grat. cap.* 5. ait de Evangelio loquens: *quamvis etiam poſſit nec per hominem homini dari*, nixus his verbis Epiſtolæ ad Galatas: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*; & juxta Divi Auguſtini mentem Divus Thomas *in 3. ſententiarum diſt. 25. q. 4. In his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, nunquam Deus homini quærenti deeſt, vel defuit niſi ex culpa ſua. Unde explicatio eorum, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, vel divinitus providetur homini per Prædicatorem, ſicut patet de Cornelio Act. 10. & Eunucho Candacis Reginæ Act. 8. vel per revelationem, qua ſuppoſita, in poteſtate liberi arbitrii eſt, ut exerceat actum fidei*. Alenſis *p. 3. quæſt.* 82. Surdum a nativitate a Deo inſtrui per ſuſcepti baptiſmi gratiam: *De Surdo vero oportet dici, quod ſi lumen gratiæ non fuerit extinctum per peccatum, & pervenerit ad perfectam ætatem, gratia baptiſmalis docebit eum de omnibus, vel implicite, vel explicite credendis, ſcilicet ut credat, quicquid credit Eccleſia, ſi conferre poteſt & percipere, quid ſit Eccleſia; ſi autem non poteſt, ſanctificatio baptiſmalis ſufficit ad ſalutem ſibi ſicut parvulo.* Hinc ſequitur haud temere pronunciari poſſe ſurdum & mutum a nativitate ex eorum numero eſſe, qui aut per Angelos, aut immediate divino afflatu edocti ſunt, ſi Catholicæ Religionis exteriorem profeſſionem edat, divino nempe ſervitio cum pietate interſit, &, ſecundum Evangelii Regulas vivat. Quamobrem ſi hæc Adoleſcentula ad Sacerdotis pedes accedit, ſi exterioribus aliquibus ſignis ei ſua peccata patefacit, & de commiſſis ſe dolere ſignificat, ſi denique declarat ſe velle pro iis ſatisfacere: ei Sacramentalis abſolutio tribuenda eſt. Ei quoque Sancta Euchariſtia adminiſtrari poteſt, poſtquam Sacramentaliter confeſſa fuerit, ea ratione, qua dictum eſt, dummodo ſuam ejus ſuſcipiendæ deſiderium ſigno aliquo oſtendat, ſignificetque a ſe eam adorari, ut proinde merito judicetur ex

ea,

ea, qua ſe gerit, ratione Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpus ab ea diſcerni.

Deciſum die........ an. 1673.
Aug. *de Lamet.*

An Jeſu Chriſti Corpus, corruptis ſpeciebus, ſit præſens.

CASUS VIII.

Errat, qui putat Jeſu Chriſti Corpus permanere præſens corporaliter & phyſice, poſtquam ſpecies corruptæ ſunt, in ejus corpore, qui illud recepit, &c.

QUÆSITUM.

Sorbonæ Doctores rogantur humillime, ut de hac Propoſitione pronunciare velint, quid ſentiant:

„Jeſu Chriſti Corpus perdurat præſens corporaliter & phyſice, corruptis ſpeciebus, in ejus corpore, qui illud recepit: atque hæc præſentia phyſica, & proprie dicta ſubſiſtit, donec peccatum mortale Jeſum Chriſtum expulerit e corpore communicantis.“

RESPONSIO.

Doctores Theologi Familiæ Sorbonicæ ſubſcripti, qui allatam Propoſitionem ad trutinam revocarunt, judicant eam falſam eſſe, aut ſaltem erroneam; cum etiam ratio ſuppetat, cur hæretica cenſeatur, ex eo, quod traditur in Tridentina Synodo *Seſſ.* 13. *c.* 1. ubi tantummodo mentio fit de duplici Jeſu Chriſti præſentia, una naturali, cujuſmodi in cœlis eſt, & altera Sacramentali: ita ut cum Chriſtus hac ratione non ſit præſens niſi per Sacramentum, Propoſitio hæc, qua adſtruitur Chriſti præſentia, cum Sacramentum non amplius exiſtit propter ſpecierum corruptionem, huic Sanctæ Synodo adverſari videatur; en verba Synodi: *Principio docet Sancta Synodus, & aperte, ac ſimpliciter profitetur, in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum, atque hominem vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri; nec enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus*, in quo venit animadvertendum, cum verba hæc, *aliis in locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit*, referantur ad id, quod Synodus ſupra dixit de præſentia ſub ſpeciebus, intelligi licere, nullam aliam hoc loco Corporis Jeſu Chriſti præſentiam a Synodo cognoſci præter eam, quæ in Euchariſtiæ Sacramento eſt. Cui doctrinæ conformis eſt correctio Gloſſæ, *capitis, tribus gradibus, de Conſecrat. diſt.* 2. quæ hiſce verbis concepta eſt *v. miſcere: Sed nec ſpecies illæ aliis cibis promiſcentur; non enim in ſtomachum deſcendunt*, &c. *ejuſmodi porro correctio eſt: Manet Corpus Chriſti, quamdiu ſpecies manent, quæ deſcendunt in ſtomachum*; quod argumento eſt, corruptis ſpeciebus, Jeſum Chriſtum præſentem eſſe deſinere.

Eſt hæc Divi Thomæ doctrina *P.* 3. *q.* 77. *a.* 4 5. quemadmodum citatur in hac correctione, quæ pergit in hæc verba: *Nec proprie rapitur in Cœlum; unde nunquam diſcedit; eſt enim immobiliter in hoc Sacramento.*

Sed quoniam eſſe poteſt aliqua difficultas, & contendi poteſt, non ſatis in Concilio claram eſſe hujus articuli revelationem; ideo ſubſcripti de Propoſitione ſupra recitata id unum pronunciant, ſcilicet erroneam eſſe, cum error ex hactenus dictis evidentiſſime conſtet, multoque magis cum ea repugnet ſententiæ Theologorum, qui principiis in medium a nobis allatis nixi ſunt.

Deciſum Pariſiis hac die 8. Aprilis an. 1674.
Auguſtinus *de Lamet.*

Negatio Communionis Canonico ægrotanti.

CASUS IX.

An Canonico ægrotanti, qui fœminam conſanguineam, in quam cadit incontinentiæ ſuſpicio, ſecum detinet, eamque morbi tempore dimittere non vult, poſſit Parochus, cum jam confeſſus ſit, Communionem negare, & quomodo Capitulum quoad ipſum debeat ſe gerere.

QUÆSITUM.

Cathedralis Eccleſiæ Canonicus ægrotat in vitæ diſcrimine poſitus, in ſua Canonica domo, quæ in Parochia dictæ Eccleſiæ proxima ſita eſt; Canonicus hic ſecum tenet fæminam conſanguineam, notorie ſuſpectam, & cujus vitæ ratio univerſæ Urbi ſcandalo eſt.

Hoc in ſtatu conſtitutus arceſſit ejuſdem Urbis Parochum, Theologiæ Doctorem, ſibi ſanguine, & neceſſitudine conjunctum, ut ei confiteatur.

Parochus hic antea dictæ Eccleſiæ Cathedralis Decanum adit, ut hujus Canonici confeſſionis audiendæ veniam ab eo petat, quam ille lubenti promptoque animo ipſi concedit.

Audit Parochus morientis Canonici confeſſionem, eique abſolutionem impertitur; ei tamen Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum differt, quoad ille domo ſua ſcandaloſam eam fæminam expulerit; quod argumento eſt, abſolutionem ea conditione conceſſam fuiſſe, ut ea fæmina ejiceretur, ad quod Canonicum quotidie Parochus extimulabat.

Decanus, & Capitulum hujus Eccleſiæ, quibus cæteroquin ejus fæminæ vita ſcandaloſa maxime perſpecta erat, hujus optimi Parochi, doctrinæ ac pietatis laude præſtantis ſententiam & conſilium probant. Nihilominus fæmina, ejectionis ſuæ conſilio detecto, ita ſibi devincit ægrotantis animum, ut eam a ſe removere detrectet, prætendens, ſe, ſi id faceret, confeſſurum ſibi cum ea rem fuiſſe, in quo tum ipſe, tum ea quoque fæmina ſcandalum pateretur; atque ita id nihil aliud fore, quam ſcandalum ſcandalo tolli.

Has infirmi rationes Parochus & Decanus impugnant, ei denunciantes, rationabile & publicum ſcandalum, proveniens ex prava vitæ ratione ejus fæminæ, quæ laborat notoria ſuſpicione turpis commercii cum omnis ætatis, omniſque conditionis hominibus, quos ipſa recipit quibuſvis horis in ipſius Eccleſiaſtici domo, eo etiam abſente, atque ægrotante, ſcandalum, inquam, ſatis juſtam cauſam eſſe, cur ipſe eam expellere teneatur, etiamſi cum eadem rem non habuerit.

Ei quoque proponuntur conſulendi, quoſcumque voluerit, Viri graves, quorum judicio ſe ſubdat.

Reponit æger Canonicus ſe nemini auſcultare velle, ſatis ſe ſibi fidere, & nunquam ſe eam fæminam expulſurum, niſi recuperata valetudine, & nemine id ſuadente; præterea ejus opera ſibi ægrotanti opus eſſe.

Decano & Parocho ad hæc recedentibus, hujus hominis & fæminæ fautores adverſus ipſos totam per Urbem graves rumores excitant.

Aliquanto poſt Canonicus gravius ægrotans arceſſit Vicarium Parochiæ, in cujus juriſdictione degebat.

Ea de re Vicarius admonet Eccleſiæ Decanum, a quo veniam obtinet eum conveniendi, & cohortandi, ut ad bonam mentem redeat, quo dignum ſe reddat, qui Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipiat.

Eum detegit Vicarius in eadem animi præparatione, potius nempe ſine Sacramentis moriendi, quam eam fæminam ante recuperatam valetudinem domo expellendi.

Exemplum conſilii, quod Presbyter ab ægrotante primus omnium accitus inierat, & plurium Virorum pietate & doctrina præſtantium ſententia per tres quatuorve dies Vicarum ſuſpenſum detinuit.

Nihilominus amicorum ægroti, ejuſque fæminæ vehementi ſollicitatione devictus ejus confeſſionem audit, eique abſolutionem tribuit, *inſcio Decano, quem ſciebat reluctantem*, contentus ægroti promiſſione, cum ſcilicet fæminam expulſurum, cum primum convaluiſſet.

Decanus de re certior factus Vicarium alloquitur, a quo admonetur, ab eo auditam eſſe Canonici confeſſionem, ipſique in allatæ promiſſionis gratiam abſolutionem conceſſam fuiſſe. Obſtupuit Decanus, eumque redarguit, quod ſe geſſiſſet contra exemplum, & ſententiam eorum omnium, quos in eo negotio conſuluerat; & cum alioquin auditione accepiſſet ægrotum melius ſe habere, & extra periculum evidens poſitum eſſe, prohibet expreſſis verbis, ne Sanctum Sacramentum ad eum deferat, quamdiu ea fæmina apud ipſum perſtiterit.

Vicarius per Canonici emiſſarios vehementer ſollicitatus adit Epiſcopum loci, eumque de re tota certiorem facit, qui ad Canonici deſideria propendens enunciat, eum, quoniam ejus confeſſionem excepit, non amplius eidem poſſe Sanctam Communionem negare, ſe quidem id non præcipere, ſed pro certo habere id eum facere poſſe. His auditis Vicarius, qui id unum ſpectabat, ut conſilii ſui executionem auctoritate fulciret, non amplius conſulto Decano, a quo prohibitus mane fuerat id facere, ulterius progreditur, & Communionem ad ægrotum defert. Vicarii actio hæc univerſo Capitulo, probiſque Viris in Urbe degentibus dubio procul longe maximum ſcandalum attulit, cum omnes publica, atque aſſidua flagitia ab ejuſmodi fæmina in ea domo, quæ Eccleſiæ proxima eſt, perpetrata probe noſſent. Hæc cum ita ſe habeant, quæritur,

I. Quid Domini Doctores ſentiant de prioris Parochi conſilio, quid de diſpoſitione, ac rationibus ægrotantis, qui Parocho obſequi renuit, quod timeret, ne ſe turpis cum ea fæmina commercii reum faceret, ſi eam domo ſua pelleret ægrotationis tempore de Confeſſarii ſententia?

II. An Vicarius Parochiæ, intra cujus terminos Canonicus ægrotans degit, eum valide potuerit abſolvere, Eccleſiæ Decano id prohibente?

III. An poſt auditam confeſſionem debuerit Sanctam Communionem ad eum deferre, ita ut infirmus ad id eum adigere potuerit; cui rei præſidium petitur ex ſententia Domini *De Sainte Beuve*, qui id ipſum tradit, nempe ſi conſtet peccatorem, licet concubinarium publicum, confeſſum eſſe, & abſolutionem recepiſſe, non amplius Confeſſario aut alteri Sacerdoti integrum fore Sanctam Communionem eidem negare, quemadmodum etiam ſi publice ad ſanctam Menſam acceſſerit; propterea quod in Galliis facta publice notoria minime recepta ſunt, & ſententia juridica adverſus hunc hominem opus eſſet, ut a Sancta Communione arceretur; quod accipi lubet & accommodari præſenti caſui hominis ægrotantis domi ſuæ, qui abſolutionem obtinuit a Presbytero *quovis modo*.

Animadverſione dignum eſt, Eccleſiam hanc nulla ratione ſubjectam eſſe juriſdictioni Epiſcopi, qui huic negotio, ut ipſe ait, in eum tantum finem ſe immiſcuit, ut impediret, ne ille ita animo comparatus abſque Sacramentis decederet, & abſque ſolatio, quod ei Capitulum allatis de cauſis negabat.

Illud etiam obiter quæritur, quiſnam Canonicorum Eccleſiæ ab Epiſcopali Juriſdictione exemptæ proprius Parochus ſit; atque an immediata Juriſdictio reſideat in Decano, qui prima dignitate gaudet, an vero in toto Corpore?

An Canonici infirmi jus habeant, eligendi ſibi Sacerdotem ex Eccleſia, aut aliunde, quemcumque voluerint, an vero de Decani tantum, Capitulique licentia, cum nullus in dicta Eccleſia Pœnitentiarius aut in titulum, aut delegatione inſtitutus exiſtat; atque in eum finem poſſintne ex Capitulo Pœnitentiarium eligere, cum Decani præjudicio; & quænam Eccleſiæ Pariſienſis, aliarumque Gallicarum ſit praxis in hac materia?

IV. An Capitulum jure polleat ægrotum monendi, ut eam fæminam ſuſpectam extrudat, in pœnam privationis Sacramentorum, & Chriſtianæ ſepulturæ?

Quot Monitionibus opus ſit, & quo tempore faciendæ ſint, nempe quantum intervallum inter dictas Monitiones requiratur?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores Subſcripti, viſa Expoſitione, cenſent,

Quoad quæſtionem primam: Parochum, qui a Canonico infirmo primus accitus eſt, juxta Eccleſiæ regulas ſeſe geſſiſſe, abſolutione Canonico non conceſſa, niſi eam fæminam ſe dimiſſurum promitteret, cujus vita ſcandalo eſt ratione malæ famæ, ut eſt expoſitum, allataſque rationes, & ut dicitur, ab infirmo propoſitas, ne eamdem fæminam pravi commercii cum omnis ætatis, & conditionis hominibus notorie ſuſpectam cogatur expellere, nullius roboris eſſe, quoniam ſufficit eam mala fama laborare, ut ille eamdem a ſe removere teneatur; quia eam retinere non poteſt abſque publico ſcandalo, quippe quæ male audiat apud omnes, quod licentius cum iis verſetur, qui in Canonici domo ipſam inviſunt. Ipſum ſe magis, quam decet, ei devinctum oſtendere, quam retinere velit; ita ut ejus actiones probare, & ſcandaloſæ licentiæ patrocinari videatur, in quo ſe dubio procul notorie reum facit, & criminum complicem, de quibus ea fæmina ab omnibus accuſatur. Neque vero ipſum poſſe ad eam retinendam perfugium quærere vel ex eo, quod ejus opera ſibi ægrotanti opus ſit, vel ex eo, quod timeat, ne, ſi eam expulerit, ſe cum ea rem habuiſſe fateatur; quoniam e converſo ſe ei minime devinctum oſtenderet, quam, ipſius prava vitæ ratione cognita, expelleret; atque in eo pareret Eccleſiæ regulis, quæ Presbyteris non permittunt, ut in domibus ſuis habeant fæminas aliqua ſuſpicione laborantes, licet arctiſſimo ſanguinis vinculo conjunctæ ſint. Caput *inhibendum* titulo *de cohabitatione Clericorum & mulierum*, in eam rem expreſſam eſt: *Inhibendum eſt*, inquit Moguntina Synodus, *ut nullus Sacerdos fæminas, de quibus poteſt eſſe ſuſpicio, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem*. Sed quoniam non deſunt Canones, qui ſinunt Eccleſiaſticorum matres, ſorores, amitas, & neptes apud eos degere: monet Gloſſa caput hoc iis minime repugnare, quia non eſt accipiendum de conſanguineis, quarum mentio fit, niſi cum ſuſpectæ ſunt. Idem docet Panormus explicans hunc textum: *Nota*, inquit, *regulam generalem, quod nullam fæminam poteſt Clericus tenere in domo ſua, ex qua poſſit oriri ſuſpicio incontinentiæ*; cumque ſibi objeciſſet, videri, ſi ita ſit, inter conſanguineas & extraneas nullum diſcrimen eſſe, ſi nulla in eas mala ſuſpicio cadat: reſpondet in eo diſcrimen poſitum eſſe, quod fæminas extraneas, quamvis ſuſpicione non laborantes Clerici tenere non poſſant, bene vero conſanguineas: *Dixerim*, inquit Auctor hic, *quod conſanguineas juvenes, alias non ſuſpectas poteſt Clericus bonæ famæ; ſed extraneas juvenes nullo modo poteſt tenere, quantumcumque ſint bonæ famæ; quia talis commixtio eſt periculoſa; non ſic cum conſanguineis*.

Quoad quæſtionem alteram juxta regulam generalem a Parocho, vel ab ejus Vicario eos valide abſolvi poſſe, qui intra Parochiæ terminos degunt; atque ita a Vicario, de quo conſulitur, abſolvi potuiſſe Canonicum in illius juriſdictione ægrotantem, niſi per Capituli privilegium ejus ligata poteſtas ſit, & ubivis intra Urbem Canonicus exiſtat, ei ſemper ſubjectus ſit, qui Parochi officium in eos omnes exercet, qui Cathedralis membra ſeu partes ſunt, ut videre eſt in multis Galliarum Eccleſiis, præſertim Pariſienſi, & Senonenſi, quæ juriſdictionem ſuam retinent, etiam quoad forum internum, in ſuos Canonicos & Beneficiarios, in quocumque Urbis loco fuerint; itaque Decanus Beatæ Virginis Pariſienſis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta Eccleſiæ Metropolitanæ Beneficiariis, licet extra ipſius Eccleſiæ terminos ægrotantibus adminiſtrat. Si Capitulum, de quo quæritur, juris poſſeſſione gaudet, Vicarius male ſe geſſit, ægrotantis Canonici confeſſionem audiens,

diens, auctoritate deſtitutus, & quod fecit, pro nullo habendum eſt, defectu juriſdictionis, quæ ei petenti conceſſa non fuit, niſi infirmus fuerit morti proximus, quo in caſu nulla difficultas occurreret, quia tunc quilibet Sacerdos omni juriſdictione gaudet; verum ad controverſiam hanc dirimendam videndum eſſe, quid moris in hoc Capitulo obtineat.

Quoad quæſtionem tertiam: Parochum aut Vicarium publice negare non poſſe Euchariſtiam petenti, cujus ipſe confeſſionem audiit, quamvis illum indignum novit. Hæc enim poteſtas ad eos ſpectat, ad quos pertinet exterior Eccleſiæ adminiſtratio; atque ita Capitulum, cum in ſuos Canonicos abſoluta juriſdictione polleat, ut eſt expoſitum, huic Canonico mandare poteſt, ut eam fæminam a ſe depellat. I. Si ea non ſit in iis gradibus, in quibus conſanguineas apud ſe retinere Clericis per Canones licet 81. *diſt. c. cum omnibus*, quod ex Carthaginenſi tertia Synodo ductum eſt, eaſque redigit ad aviam, matrem, Sorores, amitas, & neptes. II. Etiamſi hæc eadem conſanguinea foret in hiſce gradibus, quia tamen ob pravam vitæ rationem in incontinentiæ ſuſpicionem venit, ex capite *inhibendum* ſupra laudato, Promotor hunc Canonicum impetere poſſet, & in ipſum inquirere, quippe qui eam fæminam ſecum detinens, communi ſcandalo anſam præbeat. Cum enim hæc ſuſpicio, quæ ejuſmodi ſcandalum parit, nitatur *fama* tantum, quæ in Jure diſtinguitur a *rumore*, juxta ipſius Canonici Juris regulas inquiſitione utendum eſt, ut docet Innocentius III. *extr. de cohabitatione Clericorum & mulierum c. tua nos*; quæ quidem inquiſitio ad exitum facile perducetur, ſi ejus fæminæ prava vitæ ratio, quæ recidit in Canonicum, qui eam toleravit, adeo certa eſt, ut brevi temporis ſpatio Canonicus juridica & contradictoria ſententia damnari poſſit ad eam fæminam removendam, & ab Ordinis officio ſuſpendi, quoad ſententiæ paruerit juxta *c. Archidiaconus* 81. *diſt.* prohibito Parocho, ne ante ſententiæ executionem ei ſacroſanctum Sacramentum adminiſtret; & indignus declarari, qui illud recipiat, quoad Eccleſiæ mandatis & diſciplinæ reluctans in ſuo crimine perſeveraverit. Quod ſi longo tempore in ſua pervicacia perſiſteret, poſſent in eum Monitiones inſtitui, ut excommunicatione plecteretur, ac rationi conſonum eſſet, ut cum intervallo non mediocri fierent hæ Monitiones.

Quod attinet ad quæſtionem, an Canonicorum in Eccleſiis exemptis proprius Parochus Decanus ſit, reſpondetur conſuetudinem generalem non eſſe, in multis quidem Eccleſiis proprium Parochum Decanum eſſe, at in aliis penes eum id juris non eſſe, ſed a Capitulo nonnullos Canonicos deputari, qui interrogent, & approbationes impertiantur; ita ut juriſdictio non a Decano, ſed a Capitulo derivetur. Quamobrem Eccleſiarum conſuetudinem ſpectandam eſſe, cum ea de re in Jure communi nihil expreſſum occurrat. Unam quoque Monitionem fieri poſſe pro tribus, ſi tempus urgeat, juxta *c. Conſtitutionem de Sententia excommunicationis in 6.* cujus hæc verba ſunt: *Statuimus quoque, ut inter Monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis ſententia) ſtatuunt jura præmitti, Judices ſive Monitionibus utantur, ſive una pro omnibus obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ſuaſerit moderanda*. Hinc apparet, ſive plures Monitiones adhibeantur, ſive una tantum, par eſſe, ut non exigui temporis intervallum interſit; nihilominus quia in præſenti facti ſpecie id agitur, ut ſcandalum, quod tamdiu duraret, quamdiu fæmina domi maneret, de medio tollatur, non eſt, cur Monitioni tantum temporis tribuatur, & hoc in caſu locum habet ea regula, *niſi facti neceſſitas ſuaſerit moderanda*.

Deciſum Pariſiis die 24. Februarii an. 1678.

Aug. *de Lamet*.

Communio cum Hoſtia non conſecrata.

Vidua, quæ quadraginta circiter aut quinquaginta annos nata eſt, caput & manus vehementer tremit ſingulis quibuſque matutinis horis, nec quieſcit, niſi Communione ſuſcepta, quam cum non ſuſcipit, ejuſmodi tremor eam tenet uſque ad veſpertinas horas 8. aut 10., modo diutius, modo brevius; tantaque corporis agitatione afficitur, quo tempore Communionis tempus expectans in Eccleſia moratur, ut in ejus os difficulter Hoſtia immitti poſſit. Seminarii Presbyter, qui ei a confeſſionibus eſt, quotidie ipſam ad Communionem admittit, ut huic tremori, quo quicquam agere, atque adeo, cum perdurat, edere prohibetur, remedium afferat.

Hujus fæminæ Parochus, cum rem adeo ſingularem, quæ videtur Sancti Sacramenti miraculum ſingulis diebus contingens, per duos annos expendiſſet, ſibi in animum induxit credere, illuſionem id eſſe poſſe; præſertim cum cognoviſſet ex ejus matre, quam direxit ad mortem uſque, hanc viduam ejus filiam in iram ac furorem pronam eſſe, in eam levi quaque de cauſa excandeſcere conſueviſſe, atque effeciſſe, ut quinque aut ſex menſibus antequam moreretur, ei fieret aſſignatio, qua tanto dolore perculſa eſt, ut ideo obiiſſe non temere cenſeatur, quamtumvis ejus mater ipſam rogaſſet, & vehementer rogandam curaſſet, ne id faceret. Ea ſane non ſemel antequam e vita excederet, has voces in ore habuit: *mea filia mihi cor ad mortem premit, mea filia erit meæ mortis cauſa*. Cum dictus Parochus ex multis audiviſſet, & ipſe per ſe expertus eſſet eam valde iracundam, & cum iis, quibuſcum agit, valde moroſam eſſe, & apud eos, quibus aliquid negotii cum illa fuit, etiam pios viros furibundam audire, cumque ea coram ipſo Parocho ſolemne mendacium mordicus propugnaſſet in gravi materia, quoniam de Eccleſiaſtici fama agebatur, cum denique ex viris pietatis laude præſtantibus intellexiſſet, eam ſolemnioribus horis in variis Eccleſiis ad Communionem accedere: poſtquam id ejus Directori ſignificaſſet, ipſumque rogaſſet, ut probationis gratia Communionem eidem differret, atque adeo poſtquam cum magno Pœnitentiario, magnæ experientiæ, magnæque pietatis, ac doctrinæ viro pluries ea de re ſermonem habuiſſet: Pœnitentiarius ei auctor fuit, ut ejus miraculi, quod Directoris judicio quotidie in ea contingebat, periculum faceret, ei tradito pane non conſecrato; quod ille præſtitit in hunc modum,

Quadam die cum ea ſola in Eccleſia eſſet, & Communionem ab eo petiiſſet, ille panem non conſecratum intra ſiniſtræ manus digitos ſumpſit; & cum pronunciaſſet, *Agnus Dei*, & *Domine non ſum dignus*, cum pane conſecrato, quem oſtendebat ad os Ciborii, ſumpſit ex Altari deſcendens panem non conſecratum, eumque illi porrexit dicens: *Caritas Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen*; ſtatimque illa tremere deſtitit, quemadmodum quotidie conſuevit, poſtquam Communionem ſuſcepit.

Quæritur, an huic Parocho jus fuerit utendi hac probatione cum Conſilio, & in circumſtantiis ſupra commemoratis?

An ea probatione uſus peccaverit?

Quænam pœna huic peccato debeatur?

An Promotor jus habuerit in id inquirendi; atque an Parochus id ipſum confeſſus in interrogatorio, cui ſubjectus fuit, idem confiteri teneatur, cum hoc negotium ad forum contentioſum non ſpectet?

Probari necne poſſit hæc Vidua per privationem Sanctæ Communionis, quam quotidie audacter petit, apud Miniſtros accuſans Parochum, quoties ei Communionem ipſe manu propria non tribuit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, & expendit, exiſtimat, ſuſtineri non poſſe Parochi factum, quia videtur abuſus eſſe ſuo munere non uno modo. I. dum panem communem & conſuetum pro Sancta Euchariſtia ſuppoſuit, & in cauſa fuit, cur ab hac Vidua id quod nullam prorſus adorationem meretur, tanquam Jeſu Chriſti Corpus ſuſciperetur, & quod non eſt adorabile, adoraretur. Sine Parochi culpa minus gravis cenſeri poſſet, ſi conſtaret eum a Pœnitentiario conſilium petiiſſe; ſed id aperta probatione indi-

Nihilominus amicorum ægroti, ejuſque fœminæ vehementi ſollicitatione devictus ejus confeſſionem audit, eique abſolutionem tribuit, *inſcio Decano, quem ſciebat reluctantem*, contentus ægroti promiſſione, cum ſcilicet fœminam expulſurum, cum primum convaluiſſet.

Decanus de re certior factus Vicarium alloquitur, a quo admonetur, ab eo auditam eſſe Canonici confeſſionem, ipſique in allatæ promiſſionis gratiam abſolutionem conceſſam fuiſſe. Obſtupuit Decanus, cumque redarguit, quod ſe geſſiſſet contra exemplum, & ſententiam eorum omnium, quos in eo negotio conſuluerat; & cum alioquin auditione accepiſſet ægrotum melius ſe habere, & extra periculum evidens poſitum eſſe, prohibet expreſſis verbis, ne Sanctum Sacramentum ad eum deferat, quamdiu ea fœmina apud ipſum perſtiterit.

Vicarius per Canonici emiſſarios vehementer ſollicitatus adit Epiſcopum loci, eumque de re tota certiorem facit, qui ad Canonici deſideria propendens enunciat, eum, quoniam ejus confeſſionem excepit, non amplius eidem poſſe Sanctam Communionem negare, ſe quidem id non præcipere, ſed pro certo habere id eum facere poſſe. His auditis Vicarius, qui id unum ſpectabat, ut conſilii ſui executionem auctoritate fulciret, non amplius conſulto Decano, a quo prohibitus mane fuerat id facere, ulterius progreditur, & Communionem ad ægrotum defert. Vicarii actio hæc univerſo Capitulo, probiſque Viris in Urbe degentibus dubio procul longe maximum ſcandalum attulit, cum omnes publica, atque aſſidua flagitia ab ejuſmodi fœmina in ea domo, quæ Eccleſiæ proxima eſt, perpetrata probe noſſent. Hæc cum ita ſe habeant, quæritur,

I. Quid Domini Doctores ſentiant de prioris Parochi conſilio, quid de diſpoſitione, ac rationibus ægrotantis, qui Parocho obſequi renuit, quod timeret, ne ſe turpis cum ea fœmina commercii reum faceret, ſi eam domo ſua pelleret ægrotationis tempore de Confeſſarii ſententia?

II. An Vicarius Parochiæ, intra cujus terminos Canonicus ægrotans degit, eum valide potuerit abſolvere, Eccleſiæ Decano id prohibente?

III. An poſt auditam confeſſionem debuerit Sanctam Communionem ad eum deferre, ita ut infirmus ad id eum adigere potuerit; cui rei præſidium petitur ex ſententia Domini *De Sainte Beuve*, qui id ipſum tradit, nempe ſi conſtet peccatorem, licet concubinarium publicum, confeſſum eſſe, & abſolutionem recepiſſe, non amplius Confeſſario aut alteri Sacerdoti integrum fore Sanctam Communionem eidem negare, quemadmodum etiam ſi publice ad ſanctam Menſam acceſſerit; propterea quod in Galliis facta publice notoria minime recepta ſunt, & ſententia juridica adverſus hunc hominem opus eſſet, ut a Sancta Communione arceretur; quod accipi lubet & accommodari præſenti caſui hominis ægrotantis domi ſuæ, qui abſolutionem obtinuit a Presbytero *quovis modo*.

Animadverſione dignum eſt, Eccleſiam hanc nulla ratione ſubjectam eſſe juriſdictioni Epiſcopi, qui huic negotio, ut ipſe ait, in eum tantum finem ſe immiſcuit, ut impediret, ne ille ita animo comparatus abſque Sacramentis decederet, & abſque ſolatio, quod ei Capitulum allatis de cauſis negabat.

Illud etiam obiter quæritur, quiſnam Canonicorum Eccleſiæ ab Epiſcopali Juriſdictione exemptæ proprius Parochus ſit; atque an immediata Juriſdictio reſideat in Decano, qui prima dignitate gaudet, an vero in toto Corpore?

An Canonici infirmi jus habeant, eligendi ſibi Sacerdotem ex Eccleſia, aut aliunde, quemcumque voluerint, an vero de Decani tantum, Capitulique licentia, cum nullus in dicta Eccleſia Pœnitentiarius aut in titulum, aut delegatione inſtitutus exiſtat; atque in eum finem poſſintne ex Capitulo Pœnitentiarium eligere, cum Decani præjudicio; & quænam Eccleſiæ Pariſienſis, aliarumque Gallicarum ſit praxis in hac materia?

IV. An Capitulum jure polleat ægrotum monendi, ut eam fœminam ſuſpectam extrudat, in pœnam privationis Sacramentorum, & Chriſtianæ ſepulturæ?

Quot Monitionibus opus ſit, & quo tempore faciendæ ſint, nempe quantum intervallum inter dictas Monitiones requiratur?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores Subſcripti, viſa Expoſitione, cenſent,

Quoad quæſtionem primam: Parochum, qui a Canonico infirmo primus accitus eſt, juxta Eccleſiæ regulas ſeſe geſſiſſe, abſolutione Canonico non conceſſa, niſi eam fœminam ſe dimiſſurum promitteret, cujus vita ſcandalo eſt ratione malæ famæ, ut eſt expoſitum, allataſque rationes, & ut dicitur, ab infirmo propoſitas, ne eamdem fœminam pravi commercii cum omnis ætatis, & conditionis hominibus notorie ſuſpectam cogatur expellere, nullius roboris eſſe, quoniam ſufficit eam mala fama laborare, ut ille eamdem a ſe removere teneatur; quia eam retinere non poteſt abſque publico ſcandalo, quippe quæ male audiat apud omnes, quod licentius cum iis verſetur, qui in Canonici domo ipſam inviſunt. Ipſum ſe magis, quam decet, ei devinctum oſtendere, quam retinere velit; ita ut ejus actiones probare, & ſcandaloſæ licentiæ patrocinari videatur, in quo ſe dubio procul notorie reum facit, & criminum complicem, de quibus ea fœmina ab omnibus accuſatur. Neque vero ipſum poſſe ad eam retinendam perfugium quærere vel ex eo, quod ejus opera ſibi ægrotanti opus ſit, vel ex eo, quod timeat, ne, ſi eam expulerit, ſe cum ea rem habuiſſe fateatur; quoniam e converſo ſe ei minime devinctum oſtenderet, quam, ipſius prava vitæ ratione cognita, expelleret; atque in eo pareret Eccleſiæ regulis, quæ Presbyteris non permittunt, ut in domibus ſuis habeant fœminas aliqua ſuſpicione laborantes, licet arctiſſimo ſanguinis vinculo conjunctæ ſint. Caput *inhibendum* titulo *de cohabitatione Clericorum & mulierum*, in eam rem expreſſum eſt: *Inhibendum eſt*, inquit Moguntina Synodus, *ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus poteſt eſſe ſuſpicio, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem.* Sed quoniam non deſunt Canones, qui ſinunt Eccleſiaſticorum matres, ſorores, amitas, & neptes apud eos degere: monet Gloſſa caput hoc iis minime repugnare, quia non eſt accipiendum de conſanguineis, quarum mentio fit, niſi cum ſuſpectæ ſunt. Idem docet Panormus explicans hunc textum: *Nota*, inquit, *regulam generalem, quod nullam fœminam poteſt Clericus tenere in domo ſua, ex qua poſſit oriri ſuſpicio incontinentiæ*; cumque ſibi objeciſſet, videri, ſi ita ſit, inter conſanguineas & extraneas nullum diſcrimen eſſe, ſi nulla in eas mala ſuſpicio cadat: reſpondet in eo diſcrimen poſitum eſſe, quod fœminas extraneas, quamvis ſuſpicione non laborantes Clerici tenere non poſſint, bene vero conſanguineas: *Dixerim*, inquit Auctor hic, *quod conſanguineas juvenes, alias non ſuſpectas poteſt Clericus bonæ famæ; ſed extraneas juvenes nullo modo poteſt tenere, quantumcumque ſint bonæ famæ; quia talis commixtio eſt periculoſa; non ſic cum conſanguineis.*

Quoad quæſtionem alteram juxta regulam generalem a Parocho, vel ab ejus Vicario eos valide abſolvi poſſe, qui intra Parochiæ terminos degunt; atque ita a Vicario, de quo conſulitur, abſolvi potuiſſe Canonicum in illius juriſdictione ægrotantem, niſi per Capituli privilegium ejus ligata poteſtas ſit, & ubivis intra Urbem Canonicus exiſtat, ei ſemper ſubjectus ſit, qui Parochi officium in eos omnes exercet, qui Cathedralis membra ſeu partes ſunt, ut videre eſt in multis Galliarum Eccleſiis, præſertim Pariſienſi, & Senonenſi, quæ juriſdictionem ſuam retinent, etiam quoad forum internum, in ſuos Canonicos & Beneficiarios, in quocumque Urbis loco fuerint; itaque Decanus Beatæ Virginis Pariſienſis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta Eccleſiæ Metropolitanæ Beneficiariis, licet extra ipſius Eccleſiæ terminos ægrotantibus adminiſtrat. Si Capitulum, de quo quæritur, juris poſſeſſione gaudet, Vicarius male ſe geſſit, ægrotantis Canonici confeſſionem audiens,

dieri, auctoritate destitutus, & quod fecit, pro nullo habendum eſt, defectu juriſdictionis, quæ ei petenti conceſſa non fuit, niſi infirmus fuerit morti proximus, quo in caſu nulla difficultas occurreret, quia tunc quilibet Sacerdos omni juriſdictione gaudet; verum ad controverſiam hanc dirimendam videndum eſſe, quid moris in hoc Capitulo obtineat.

Quoad quæſtionem tertiam: Parochum aut Vicarium publice negare non poſſe Euchariſtiam petenti, cujus ipſe confeſſionem audiit, quamvis illum indignum novit. Hæc enim poteſtas ad eos ſpectat, ad quos pertinet exterior Eccleſiæ adminiſtratio; atque ita Capitulum, cum in ſuos Canonicos abſoluta juriſdictione polleat, ut eſt expoſitum, huic Canonico mandare poteſt, ut eam fœminam a ſe depellat. I. Si ea non ſit in iis gradibus, in quibus conſanguineas apud ſe retinere Clericis per Canones licet 81. *diſt. c. cum omnibus*, quod ex Carthaginenſi tertia Synodo ductum eſt, eaſque redigit ad aviam, matrem, Sorores, amitas, & neptes. II. Etiamſi hæc eadem conſanguinea foret in hiſce gradibus, quia tamen ob pravam vitæ rationem in incontinentiæ ſuſpicionem venit, ex capite *inhibendum* ſupra laudato, Promotor hunc Canonicum impetere poſſet, & in ipſum inquirere, quippe qui eam fœminam ſecum detinens, communi ſcandalo anſam præbeat. Cum enim hæc ſuſpicio, quæ ejuſmodi ſcandalum parit, nitatur *fama* tantum, quæ in Jure diſtinguitur a *rumore*, juxta ipſius Canonici Juris regulas inquiſitione utendum eſt, ut docet Innocentius III. *extr. de cohabitatione Clericorum & mulierum c. tua nos*; quæ quidem inquiſitio ad exitum facile perducetur, ſi ejus fœminæ prava vitæ ratio, quæ recidit in Canonicum, qui eam toleravit, adeo certa eſt, ut brevi temporis ſpatio Canonicus juridica & contradictoria ſententia damnari poſſit ad eam fœminam removendam, & ab Ordinis officio ſuſpendi, quoad ſententiæ paruerit juxta *c. Archidiaconus* 81. *diſt.* probibito Parocho, ne ante ſententiæ executionem ei ſacroſanctum Sacramentum adminiſtret; & indignus declarari, qui illud recipiat, quoad Eccleſiæ mandatis & diſciplinæ reluctans in ſuo crimine perſeveraverit. Quod ſi longo tempore in ſua pervicacia perſiſteret, poſſent in eum Monitiones inſtitui, ut excommunicatione plecteretur; ac rationi conſonum eſſet, ut cum intervallo non mediocri fierent hæ Monitiones.

Quod attinet ad quæſtionem, an Canonicorum in Eccleſiis exemptis proprius Parochus Decanus ſit, reſpondetur conſuetudinem generalem non eſſe, in multis quidem Eccleſiis proprium Parochum Decanum eſſe, at in aliis penes eum id juris non eſſe, ſed a Capitulo nonnullos Canonicos deputari, qui interrogent, & approbationes impertiantur; ita ut juriſdictio non a Decano, ſed a Capitulo derivetur. Quamobrem Eccleſiarum conſuetudinem ſpectandam eſſe, cum ea de re in Jure communi nihil expreſſum occurrat. Unam quoque Monitionem fieri poſſe pro tribus, ſi tempus urgeat, juxta *c. Conſtitutionem de Sententia excommunicationis in* 6. cujus hæc verba ſunt: *Statuimus quoque, ut inter Monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis ſententia) ſtatuunt jura præmitti, Judices ſive Monitionibus utantur, ſive una pro omnibus obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ſuaſerit moderanda*. Hinc apparet, ſive plures Monitiones adhibeantur, ſive una tantum, par eſſe, ut non exigui temporis intervallum interſit; nihilominus quia in præſenti facti ſpecie id agitur, ut ſcandalum, quod tamdiu duraret, quamdiu fœmina domi maneret, de medio tollatur, non eſt, cur Monitioni tantum temporis tribuatur, & hoc in caſu locum habet ea regula, *niſi facti neceſſitas ſuaſerit moderanda*.

Deciſum Pariſiis die 24. Februarii an. 1678.

Aug. *de Lamet*.

Communio cum Hoſtia non conſecrata.

Vidua, quæ quadraginta circiter aut quinquaginta annos nata eſt, caput & manus vehementer tremit ſingulis quibuſque matutinis horis, nec quieſcit, niſi Communione ſuſcepta, quam cum non ſuſcipit, ejuſmodi tremor eam tenet uſque ad veſpertinas horas 8. aut 10., modo diutius, modo brevius; tantaque corporis agitatione afficitur, quo tempore Communionis tempus expectans in Eccleſia moratur, ut in ejus os difficulter Hoſtia immitti poſſit. Seminarii Presbyter, qui ei a confeſſionibus eſt, quotidie ipſam ad Communionem admittit, ut huic tremori, quo quicquam agere, atque adeo, cum perdurat, edere prohibetur, remedium afferat.

Hujus fœminæ Parochus, cum rem adeo ſingularem, quæ videtur Sancti Sacramenti miraculum ſingulis diebus contingens, per duos annos expendiſſet, ſibi in animum induxit credere, illuſionem id eſſe poſſe; præſertim cum cognoviſſet ex ejus matre, quam direxit ad mortem uſque, hanc viduam ejus filiam in iram ac furorem pronam eſſe, in eam levi quaque de cauſa excandeſcere conſueviſſe, atque effeciſſe, ut quinque aut ſex menſibus antequam moreretur, ei fieret aſſignatio, qua tanto dolore perculſa eſt, ut ideo obiiſſe non temere cenſeatur, quamtumvis ejus mater ipſam rogaſſet, & vehementer rogandam curaſſet, ne id faceret. Ea ſane non ſemel antequam e vita excederet, has voces in ore habuit: *mea filia mihi cor ad mortem premit, mea filia erit meæ mortis cauſa*. Cum dictus Parochus ex multis audiviſſet, & ipſe per ſe expertus eſſet eam valde iracundam, & cum iis, quibuſcum agit, valde moroſam eſſe, & apud eos, quibus aliquid negotii cum illa ſuit, etiam pios viros furibundam audire, cumque ea coram ipſo Parocho ſolemne mendacium mordicus propugnaſſet in gravi materia, quoniam de Eccleſiaſtici fama agebatur, cum denique ex viris pietatis laude præſtantibus intellexiſſet, eam ſolemnioribus horis in variis Eccleſiis ad Communionem accedere: poſtquam id ejus Directori ſignificaſſet, ipſumque rogaſſet, ut probationis gratia Communionem eidem differret, atque adeo poſtquam cum magno Pœnitentiario, magnæ experientiæ, magnæque pietatis, ac doctrinæ viro pluries ea de re ſermonem habuiſſet: Pœnitentiarius ei auctor fuit, ut ejus miraculi, quod Directoris judicio quotidie in ea contingebat, periculum faceret, ei tradito pane non conſecrato; quod ille præſtitit in hunc modum.

Quadam die cum ea ſola in Eccleſia eſſet, & Communionem ab eo petiiſſet, ille panem non conſecratum intra ſiniſtræ manus digitos ſumpſit; & cum pronunciaſſet, *Agnus Dei*, & *Domine non ſum dignus*, cum pane conſecrato, quem oſtendebat ad os Ciborii, ſumpſit ex Altari deſcendens panem non conſecratum, eumque illi porrexit dicens: *Caritas Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen*; ſtatimque illa tremere deſtitit, quemadmodum quotidie conſuevit, poſtquam Communionem ſuſcepit.

Quæritur, an huic Parocho jus fuerit utendi hac probatione cum Conſilio, & in circumſtantiis ſupra commemoratis?

An ea probatione uſus peccaverit?

Quænam pœna huic peccato debeatur?

An Promotor jus habuerit in id inquirendi; atque an Parochus id ipſum confeſſus in interrogatorio, cui ſubjectus fuit, idem confiteri teneatur, cum hoc negotium ad forum contentioſum non ſpectet?

Probari necne poſſit hæc Vidua per privationem Sanctæ Communionis, quam quotidie audacter petit, apud Miniſtros accuſans Parochum, quoties ei Communionem ipſe manu propria non tribuit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, & expendit, exiſtimat, ſuſtineri non poſſe Parochi factum, quia videtur abuſus eſſe ſuo munere non uno modo. I. dum panem communem & conſuetum pro Sancta Euchariſtia ſuppoſuit, & in cauſa fuit, cur ab hac Vidua id quod nullam prorſus adorationem meretur, tanquam Jeſu Chriſti Corpus ſuſciperetur, & quod non eſt adorabile, adoraretur. Sane Parochi culpa minus gravis cenſeri poſſet, ſi conſtaret eum a Pœnitentiario conſilium petiiſſe; ſed id aperta probatione indi-

indiget, quippe quod ita abſonum eſt, ut ægre admodum credi poſſit, Virum in Diœceſi dignitate atque auctoritate præſtantem conſilii adeo præpoſteri auctorem fuiſſe.

II. Suo miniſterio Parochus abuſus eſt, Sanctam Euchariſtiam ei Viduæ tribuens tanquam tremoris remedium, cum Sacerdotibus non liceat uti Sacramentis pro ipſorum arbitratu; ſed cum eorum diſpenſatores ſint Jeſu Chriſti Nomine, in iis tribuendis eum tantum finem propoſitum habere debeant, propter quem ab ipſo ſunt inſtituta; ac ſi quando ab hac regula recedendum ſit, Parochus id aggredi nequit niſi de ſui Prælati mandato; quemadmodum videmus pluribus in locis prohibitum, ne Sanctum Sacramentum ad incendia deferretur, & a multis doctis Viris hanc praxim damnatam fuiſſe, aſſerentibus, Deum tentari, cum res in alium uſum; atque inſtitutæ ſunt, transferuntur. Itaque ut quæſtioni primæ ſatisfiat, exiſtimatur Parocho jus nullum eſſe probationis hujus inſtituendæ, & per Conſilium ac circumſtantias nunquam tribui jus id agendi, quod ſuapte natura malum eſt.

Difficile Parochum in hoc negotio a culpa eximi poſſe, quia error ipſe per ſe in oculos incurrit; circumſtantiam tamen Conſilii, quod petiiſſet, argumentum fore eum bona fide & ſimplicitate quadam egiſſe: quod in cauſa eſſet, ut Judex ei pœnam longe minorem, vel etiam nullam infligeret, ſed ſolum prohiberet, ne rurſus delinqueret.

Parochum, cum interrogatus fuerit, & factum confeſſus, poſſe ad forum contentioſum vocari atque adeo judicari.

Cenſeri quidem ea omnia ſpectari poſſe, quæ in Expoſitione allata ſunt, quæque hanc Viduam reſpiciunt; at Communionem non ulterius huic fœminæ tribuendam eſſe tanquam infirmitatis remedium, niſi Epiſcopus de re tota cognoverit.

Erratum porro non fore mulctandum depoſitione ſed ſuſpenſione ad aliquot menſes cum alia canonica pœnitentia.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 29. Martii an. 1682.
August. *de Lamet*.

Schedula, quæ Communionis Paſchalis gratia peti poteſt.

CASUS XI.

Parocho jus competit petendi ab homine ſuæ curæ concredito, qui ad Communionem accedit Paſchatis tempore, ſchedulam, ex qua appareat eum confeſſum eſſe; quonam in caſu poſſit ei negari Sancta Communio, ſi ſe præſentet, ut eam ſuſcipiat, quin ſuo Parocho dictam ſchedulam exhibuerit.

QUÆSITUM.

Extat Aletenſis Epiſcopi Conſtitutio, qua mandatur, ut per Paſchatis dies quindecim quicumque ſubditus, oblata ſchedula, ſe confeſſum oſtenderit, a Parocho Sanctam Communionem recipiat; ſi petat. Quæritur, an ſi ſubditus ſchedulam minime deferat, penes Parocham jus ſit Sanctæ Communionis eidem negandæ? Illud enim convenit, publicum inter & occultum peccatorem diſtinguendum eſſe, poſteriori nempe Communionem negandam non eſſe, bene vero priori. Quod non videtur de eo ſentiendum, qui ſchedulam non defert, & a quo ejus petendæ jus adeſt, & cui ſi eam forte non offerat, exiſtit jus Communionis eidem negandæ.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod Expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Parocho jus eſſe a ſuo ſubdito, qui Paſchatis tempore Communionem petit, exigendæ Schedulæ, ex qua appareat eumdem confeſſum eſſe; juxta Epiſcopi Conſtitutionem, quæ gravibus cauſis niti; & in univerſa Diœceſi ſervari ſupponitur. Si dictus ſubditus nullam ſchedulam afferat, & a Parocho Sanctam Communionem in occulto petat, arcendus eſt, & ne eam publice petat, commonendus. Quod ſi idem ſubditus ſe tamen ſiſteret ad Sanctam Menſam Communionis gratia, non deberet Parochus eum præterire, ſed ei potius ut cæteris Sanctam Communionem adminiſtrare deberet, ad ſcandalum evitandum, quoniam ejus peccatum occultum eſt.

Quod ſi notorie conſtaret eum Epiſcopi ſui mandato non obſequi, nec ſuæ confeſſionis ullam ſchedulam afferre velle, hoc in caſu Parocho jus eſſet ei negandæ Communionis tum publice tum privatim. Sententia hæc conformis eſt doctrinæ Divi Thomæ in 4. diſt. 9. art. 5: cujus hæc verba ſunt: *Quod ſi Sacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Euchariſtiam petit, per confeſſionem, vel alio quolibet modo; diſtinguendum, quia aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum. Si eſt occultum, aut exigit in occulto aut manifeſto. Si in occulto, debet ei denegare, & monere, ne in publico petat; ſi autem in manifeſto petit, debet ei dare, quia eſſet ſcandalum, ſi denegaretur: ſi vero peccatum eſt manifeſtum, debet ei denegare, ſive in occulto, ſive in manifeſto petat.*

Deciſum Pariſiis hac die 20. Maji an. 1692.
G. *Fromageau*.

Comunionis negatio.

CASUS XII.

QUÆSITUM.

An accedenti ad ſanctam Menſam Communio denegari poſſit, licet ei ſit negata abſolutio, & prohibita Communio?

RESPONSIO.

Negari non poſſe Communionem ei, qui ad ſanctam Menſam publice accedit, quamvis abſolutionem obtinere non potuerit, & Euchariſtiam ſumere vetitus fuerit?

Deciſum hac die 23. Auguſti an. 1674.
A. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONCEPTIO BEATÆ VIRGINIS.

Eccleſia celebrat die 8. Decembris Feſtum diem Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ in ventre ejus Sanctæ Matris; & diu diſputatum eſt in Eccleſia, an hæc Conceptio fuerit immaculata, ſcilicet an ullam originalis peccati maculam ſancta hæc Creatura contraxerit. Scotus omnium acerrime opinionem hanc propugnavit, quam Religioſi Ordinis Sancti Franciſci, e quorum numero is erat, amplexi ſunt. At Dominicani Patres ei refragati ſunt, ne dum adhæſerint, nixi, ut ajebant, eo fundamento, quod ea opinio pia tantum ſit, & non de fide; quod ſacræ literæ, ſanctique Patres a cæterorum hominum communi lege clare Sanctam Virginem non exceperint, maximis licet honoribus eam cumulaverint; quod ſanctus ipſe Bernardus, licet maxime, ſi quis alius, huic Sanctæ Dei Matri addictus, immaculatæ Conceptionis ſententiam impugnaverit; quod denique veteres Theologi, ut Divus Thomas, Sanctus Bonaventura, Alexander Halenſis, unanimi ſententia ſtatuerint Sanctam Virginem in peccato conceptam fuiſſe, & ſtatim ac concepta fuit, fuiſſe in Matris utero ſanctificatam.

Nihi-

Nihilominus his rationibus non obſtantibus Baſileenſe Concilium Immaculatam Conceptionem decidit; & Theologiæ Facultas Pariſienſis eam ſententiam amplexa eſt, propugnavitque, labente ſæculo XIV. adverſus Joannem Monteſonium Theologiæ Doctorem & Profeſſorem ex Ordine Sancti Dominici, qui in ſuis Theſibus anni 1387. publice expoſuerat quatuordecim propoſitiones, quæ erroris accuſatæ ſunt, & inter quas extabant quatuor aut quinque contra Immaculatam Conceptionem. In iis contendebat non modo Sanctam Virginem in originali peccato conceptam eſſe, verum etiam contra fidem errare, qui contrarium aſſereret. Videri poſſunt apud Patrem *Echard* acta omnia diſputationis hujus, quæ abſoluta eſt, inquit ille, damnata Monteſonii perſona, & controverſia in medio relicta.

Sixtus IV. qui ex Franciſcanorum Ordine erat, liberum cuique eſſe voluit affirmantem vel negantem partem amplecti, quamvis in priorem ipſe propenderet. Tridentina Synodus *Seſſ.* 6. nihil definire voluit, tametſi *Seſſ.* 5. Virginem exceperit a Decreto, quod ſtatuit, omnes homines in originali culpa concipi, declarans ad hujus Decreti calcem, ſuam mentem non eſſe, Beatam Virginem in eo comprehendi, ſed hac in re ſervandam eſſe Conſtitutionem Sixti IV. Pius V. in Bulla an. 1570. præcepit, ut juxta Sixti IV. Conſtitutiones a Tridentina Synodo confirmatas liberum cuique relinqueretur, eam hoc in negotio ſententiam ſequi, quam magis pietati conſonam ac veroſimilem crederet. Maffejus in Sancti Ignatii vita memoriæ prodit, cum Pater Olavius Immaculatæ Conceptionis opinionem ſuis Theſibus Romæ propugnandis inſeruiſſet, Sanctum hunc juſſiſſe, ut tranſverſo calamo deleretur, ne per eam ſancti Thomæ doctrina impugnari videretur.

Sub ſæculi XVI. finem cum Maldonatus a Societate Jeſu in ſuis Lectionibus hanc Immaculatæ Conceptionis controverſiam in utramque partem agitaſſet tanquam problema, quod propugnari, vel impugnari liceret, id Doctoribus Pariſienſibus offenſioni fuit; & Societatis Rector ea de re queſtus eſt apud Petrum *de Gondy* Pariſienſem Epiſcopum, qui in Maldonati favorem pronunciavit, eique patrocinantem ſententiam edidit an. 1575. E converſo Theologica facultas peculiari concluſione declaravit Immaculatæ Conceptionis opinionem ad fidem ſpectare. Facultatis concluſione exacerbatus Pariſienſis Epiſcopus, Facultatis Syndicum & Decanum anathemate perculit. Illi ab ea tanquam abuſiva appellarunt ad Senatum; acta eſt cauſa coram Præſule; ſtatutumque, ut uterque Doctor abſolveretur *ad cautelam*, nec res ulterius in Senatu progreſſa eſt; at Gregorius XIII. Pariſienſis Epiſcopi ſententiam confirmavit. Ex eo tempore Immaculatæ Conceptionis ſententiam Theologi fere tuentur; atque adeo in Sorbona Doctores jurejurando affirmant & promittunt ſe hanc opinionem propugnaturos; utrum vero eam ſpectent tanquam fidei caput, atque utrum hoc in ſenſu jurent, in incerto eſt.

Votum propugnandæ Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis.

CASUS.

1 *Quamvis ita quiſque animo comparatus eſſe debeat, ut pro omnibus fidei veritatibus mortem occumbat, non tenetur tamen peculiari voto ad id ſe obſtringere.*

2 *Non debet emitti votum tuendi tanquam fidei capita Conceptionem Immaculatam, & Aſſumptionem Beatæ Virginis, nec martyr eſſet, qui propter hos duos articulos moreretur.*

QUÆSITUM.

Non deſunt, quibus adeo cordi ſit Beatæ Virginis prærogativas, quas eidem tribuunt, propugnare, ut votum edant fundendi ſanguinem pro defenſione ejus Immaculatæ Conceptionis, & corporalis in cœlum Aſſumptionis, perinde atque ipſius maternitatis, ac perpetuæ virginitatis. Quamobrem rogantur Domini Sorbonæ Doctores, ut velint pronunciare, de hoc extraordinario & novo voto quid ſentiant.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

I. Non eſſe multiplicandas Fidelium obligationes, ſed iis etiam atque etiam inculcandum eſſe, ut officia proprii ſtatus, in quo a Deo poſiti ſunt, fideliter exequantur. Hac de cauſa Superiores & Directores non debent extraordinaria vota permittere, quin antea perſonarum, & votorum, quæ ipſis proponuntur, rationem accurate exploraverint, quia ſæpe inde aut offendendi Divini Numinis, aut innumerabilium ſcrupulorum occaſiones exiſtunt.

II. Etſi fideles omnes ita debeant animo parati eſſe, ut pro tuenda fide vitam dent, cum id occaſio poſtulaverit; non tamen ſatis graves cauſæ ſubeſſe videntur, cur iis conſilium detur in id emittendi votum aut promiſſionem peculiarem. Sunt quidem in Eccleſia, qui vi proprii ſtatus in id incumbunt, ut in Religionis dogmatis alios inſtituant. Ex eo munere contrahunt illi majorem obligationem pro eorum defenſione moriendi. Sed hæc eadem obligatio ad omnes promiſcue non pertinet, cum nonniſi priores ſibi promittere poſſint auxilia ad obeundum munus ſuum neceſſaria, quippe quæ partes gratiarum ſint, quas eorum ſtatui, & obligationi tuendi dogmata fidei ad mortem uſque Deus addidit.

III. Veritates, quas Deo promittimus nos ad mortem uſque propugnaturos, & quæ martyrii gloriam merentur, ſunt fidei veritates, inquit D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *art.* 5. quas Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ revelavit: *Veritas, quæ ſecundum pietatem, quæ per Chriſtum nobis innotuit*. Divina maternitas, & virginitas Mariæ ſunt ex earum numero; ita ut fidelis quiſque teneatur eas credere, & propugnare ad mortem uſque; at ejus Immaculatæ Conceptionis aut Aſſumptionis non eadem ratio eſt. Etenim ne expendatur eorum ſententia, qui contendunt Eccleſiæ non licere hos duos articulos tanquam de fide definire, quia nihil occurrit in ſacris litteris aut traditione, quod huic deciſioni fundamento eſſe poſſit: certum eſt Eccleſiam hactenus non propoſuiſſe Fidelibus credendas tanquam de fide aut Immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem, aut Aſſumptionem.

Porro in Expoſitione hi duo articuli duobus aliis prioribus adduntur, perinde ac ſi eadem ratione credendi eſſent; quod tamen non ita ſe habet. „ Credo ego, inquit Alphonſus a Caſtro Franciſcanus, immaculatam Conceptionem, non ita tamen, ut pro ejus defenſione mori paratus ſim. “ *Ego quidem Deiparam Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam credo*, l. 1. de juſta punit. hæret. cap. 8. *quia hoc magis pium eſt, & magis dignitati matris Dei conveniens, & filii ejus totius generis humani Redemptoris dignitati nec pilum detrahens, attamen non tam firmo animo teneo hanc ſententiam, ut illam putem eſſe fidem catholicam, atque ideo pro hujus ſententiæ tutela non libenter cervicem gladio ponerem.*

Thomas Hurtado in ſuo Tractatu de fidei martyrio *reſolut.* 25. *§.* 5. quem inter alios Antonius a Jeſu Maria Diſcalceatus approbavit an. 1551. pronunciat non licere ſanguinem fundere ad tuendam immaculatæ Conceptionis ſententiam: *Dico 2. Defenſio præſervationis Beatæ Virginis Matris Dei ab originali culpa non eſt cauſa martyrii veri & proprii; imo vitam perdere per hoc non eſt licitum*. Deinde in medium affert cenſuram Inquiſitionis Portugalliæ in hæc

ver-

verba: *Propoſitio cujuſdam, qui dixerat, quod licet articulus Conceptionis non eſſet de fide, erat tamen de pertinentibus ad fidem, quodque qui pro eo moreretur, eſſet vere martyr, fuit damnata a ſupremis Inquiſitoribus in Portugallia annuente SS. Paulo V anno 1619.*

Ex his omnibus inferri poteſt, votum moriendi pro tuenda Sanctæ Virginis Immaculata Conceptione atque Aſſumptione nullum eſſe, quia falſa nititur ſuppoſitione, ſcilicet hos duos articulos tanquam de fide credendos ab Eccleſia proponi. Verum eſto ita definiti eſſent, & pro fidei capitibus haberentur, hoc tamen peculiare votum regulis adverſaretur, quoniam generalis obligatio, qua pro fidei defenſione Fideles omnes propriam vitam tenentur exponere, ſatis eſt, quin ſanguinis ob hos peculiares articulos effundendi nova promiſſio eidem addatur. Præterea rectæ ordinis rationi repugnat novam devotionem induci in Communitate aut Diœceſi abſque Epiſcopi approbatione, & quæ typis editæ ſunt, diſſeminari, in quibus ejuſmodi vota proponuntur, quin antea ei fuerint exhibitæ, cui ſoli caracteris vi jus competit expendendi devotiones novas, quas in ipſius Diœceſi lubet inſtitui.

Deciſum hac die 21. Decembris an. 1698.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONCUBINARIUS.

NIhil frequentius occurrit in Jure Canonico, & in Conciliis, quam pœnæ Clericis concubinariis inflictæ, de quibus in ſequenti caſu. Omnium punitionum iis impoſitarum minima eſt propriorum Beneficiorum privatio; pœnitentia tam gravi ſcandalo minus reſpondet.

Regulæ in puniendis Eccleſiaſticis Concubinariis ſervandæ.

CASUS.

QUÆSITUM.

PRagmatica Sanctione tit. 19. *de Concubinariis*. Concordato tit. 13. *de publicis Concubinariis*, & Tridentino Concilio *Seſſ. 25. de reformat. c. 14.* non idem ſtatuentibus de pœnis, quibus Eccleſiaſtici Concubinarii puniendi ſint, quæritur;

I. Quinam Canon in Galliis locum habere debeat?

II. Cum Beneficiarius Concubinarius non modo concubinatus ſuſpicione laborat, qui dictorum Canonum caſus eſt, verum etiam omnino convictus eſt, aut ex ejus propria Confeſſione per ſatis validas probationes, aut ex collectis, collatiſque teſtium depoſitionibus: Eſt necne deponendus, præſertim ſi ſit Parochus aut alius Beneficiarius cum animarum cura, etiamſi nulla monitio præceſſerit? Hæ monitiones non videntur requiri, niſi cum receditur ab ordinaria procedendi ratione, ſcilicet accuſationis, inquiſitionis, collectionis, & collationis; & ſæpe cæteroquin contingit Beneficiarium non detegi Concubinarium, niſi ex fœminæ liberæ, aut viduæ prægnatione, quin prius ulla extiterit incontinentiæ ſuſpicio. Vide Conteſtationem & Reſcriptum in hoc negotio in Ephemeridum Aulicarum *Tom. 1. pag. 354. & ſeqq.*

III. An in Gallia probaretur Epiſcopi conſilium, qui citra formam aut ſpeciem judicii, ſeu citra regularem rationem Eccleſiaſticum Concubinarium deponeret; juxta *§. Supradictorumque omnium* laudati capitis 14. *de reform. Seſſ.* 25. Concilii Tridentini, dummodo Epiſcopus omnes monitionis & pœnarum gradus ſervaret, priuſquam deveniret ad depoſitionem, de qua ſermo eſt in eodem cap. 14. aut in titulis pragmaticæ, & Concordati; neceſſaria ne eſſet ſummaria inquiſitio ei ſimilis, de qua mentio fit ad medium cap. 6. ſeſſ. 25. ejuſdem Concilii?

Poſſunt necne Epiſcopi Eccleſiaſticos interdicere etiam ob crimina occulta, viva voce, & abſque interdicti declaratione conſuetis formis edita, juxta *caput 1. de Reform.* Seſſ. 14. laudatæ Synodi?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

I. Uſitatiorem regulam quoad Concubinarios tenendam eam eſſe, quæ in Pragmatica, & Concordato traditur, non vero quæ in Tridentina Synodo, quæ, quoad hoc diſciplinæ caput, in Galliis recepta non eſt; illud quoque dici poteſt ne id quidem omne probari, quod in iis duobus prioribus titulis occurrit, exempli cauſa quod ſpectat ad facti notorietatem, ita ut Eccleſiaſticus hac ſola ratione hujus peccati convictus annorum trium ſpatio Beneficiorum ſuorum fructibus nunc temporis privari poſſet. Quoniam porro materia, de qua agitur, pertinet ad diſciplinam, quæ quidem ſæpe mutatur, fit inde, non ita facile certas regulas ſtatui poſſe, quibus innoteſcat, quomodo contra Eccleſiaſticos Concubinarios agendum ſit: hac in re ſtandum eſt conſuetudini, ſpectandumque, quænam Reſcriptorum ratio ſit, ut Miniſter aut Epiſcopus ſibi cavere poſſint, ne per appellationes tanquam abuſus eorum judicium reformetur, aut abrogetur.

II. Cum inter eas pœnas, quas Eccleſia Clerico imponere poteſt, poſt actualem degradationem præcipuum locum teneat depoſitio, non eſt ea imponenda, etiamſi quis formiter concubinatus convictus eſſet; ſi enim depoſitio integra, & perfecta ſit, in ea agitur de Ordinis ſuſpenſione, de Officiorum, & Beneficiorum omnium privatione cum inhabilitate ullius imposterum poſſidendi. Hæc ſane pœna quondam in uſu erat, & quidem ex antiquorum Canonum auctoritate, ſed temporibus noſtris non amplius in uſu eſt, aut ſaltem raro, inquit Guimerius in Pragmaticam *tit. de Concubin. §. necnon v. teneatur*. In uſu ponitur exempli gratia, ſi concubinatus magni ſcandali cauſa ſit, & aliquæ circumſtantiæ aggravantes eam punitionem requirant; quo quidem in caſu non eſt concubinarius, inquit hic Auctor, ſine monitionibus deponendus: *Olim jura circa delictum fornicationis & concubinatus vario modo diſponebant, quandoque apponebant pœnam acerbam, ita quod aſpere procedebatur aliquando contra Clericum Concubinarium etiam uſque ad depoſitionem, ſed hodie defectus noſtri temporis, in quo non ſolum incerta, ſed etiam corpora hominum defecerunt, non patitur cenſuram antiquorum Canonum manere, & ideo monitio debet præcedere privationem Beneficiorum, multo fortius depoſitionem, ad quam judex poterit procedere, ſi ſibi videatur, conſideratis circumſtantiis, continuatione delicti, & ſcandalo inde ſurgente.* Barboſa quoque idem ſentit in Tridentini Concilii locum citatum *n.* 18.

Hinc ſequitur Eccleſiaſticum pravi commercii cum fœmina convictum condemnatumque deponi poſſe, ſi monitus, ut ad bonam frugem redeat, & a ſuo pravo commercio recedat, in eo tamen perſiſtat; poteſt ille quidem, cum concubinatus juxta Juris ordinem convictus eſt, adigi ad Beneficium certo tempore dimittendum; at eo privari non poteſt, multoque minus deponi, citatorum Auctorum ſententia, niſi monitiones præceſſerint.

III. Ut Eccleſiaſticus Concubinarius Beneficio privetur, aut deponatur, neceſſe eſt, ut a Miniſtro in eum ſervato Juris ordine procedatur, cum antea monitus fuerit, ut paulo ante dictum eſt; ut proinde non temere credi poſſit, in Galliis receptum noniri illud diſciplinæ caput, quod à Tridentina Synodo tradi contenditur *Seſſ. 25. cap. 14. §. Supradictor. & cap. 6. ejuſdem ſeſſ.* ut nempe abſque juris ordine, aut ſolum per ſummariam inquiſitionem, qualem ſæpe viſitationis tempore inſtituit Epiſcopus, Beneficiarius Concubinarius deponi poſſit.

Ad caſum alterum reſpondetur, Epiſcopum poſſe cenſuram infligere viva voce ob gravem cauſam,

ut

ut Eccleſiaſticum interdicere, modo rogatus intra menſem, inflictæ cenſuræ exemplum exhibeat *cap. cum Medicinalis de ſentent. excomm. n.* 16. Nec refert ad cenſuræ validitatem, utrum peccatum occultum ſit necne, ſatis eſt illud externum eſſe.

Tridentinæ Synodi loco laudato *Seſſ.* 14. *c.* 1. agitur de Eccleſiaſtico, qui ad ulteriores Ordines progredi non debet, cum ab Epiſcopo prohibitus eſt, aut eſt ſuſpenſus a functionibus Ordinum, quos ſuſcepit, & Officiorum ſeu Dignitatum, quas habet. Verum quidem eſt Epiſcopum non teneri ulli prorſus rationem reddere, cur Ordines Eccleſiaſtico non conferat; at ſi ejus prohibitio, atque etiam ſuſpenſio eſt veri nominis cenſura, qua privetur Eccleſiaſticus Ordinum & graduum, quos in Eccleſia poſſidet, functiones obire; non videtur Epiſcopis hujus interdicti aut ſuſpenſionis exemplum eidem Eccleſiaſtico negare poſſe, ſi illud poſtulet, ut ad Superiorem confugiat.

Deciſum hac die 14. Aprilis an. 1699.
Germanus *Fromageau.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONFESSARIUS.

QUo nomine primis Eccleſiæ ſæculis deſignabatur Chriſtianus, qui in carceribus & inter ſupplicia Jeſu Chriſti nomen conſtanter confitebatur, quin tamen in tormentis occumberet, iis deinde idem nomen accommodatum eſt, qui, cum in ſolitudine ac pœnitentia vitam duxiſſent, ſancte moriebantur, aut Epiſcopis, qui ſedulo operam ſuam in Eccleſiæ bonum contulerant, unde in Officio Divino Confeſſoris Pontificis, & Confeſſoris non Pontificis diſtinctio eſt. In præſentia Confeſſarius dicitur Presbyter, qui peccatores ad confeſſionem admittendi, & Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandi poteſtate pollet, poteſtate, inquam, Epiſcopis aut Presbyteris tantum conceſſa, præterea nemini, id quod tanquam fidei dogma definitum eſt in Tridentino Concilio *Seſſ.* 14. *c.* 6. idemque in Florentina Synodo Eugenius Pontifex declaravit. Verum ad confeſſionis validitatem Presbyterum eſſe non ſufficit: præter Ordinis poteſtatem, qua gaudent omnes Presbyteri, Juriſdictionis poteſtas requiritur, quod ipſum ſtatuit eadem Synodus Tridentina, pronuncians, abſolutionem a Presbytero prolatam in ejus gratiam, in quem ordinariam ſeu ſubdelegatam Juriſdictionem non habet, nullam eſſe. Epiſcopis in univerſa ipſorum Diœceſi, & Parochis in propria Parochia competit hæc Juriſdictio; at cæteris Presbyteris neceſſaria eſt Epiſcopi approbatio; quæ quidem approbatio ſi temporis, aut locorum, aut perſonarum certis limitibus ſit circumſcripta, tenentur Presbyteri eam non prætergredi, ut definitum eſt a Sancto Carolo in VI. Mediolanenſi Concilio, & a Clemente X. anno 1671. in Bulla, quæ incipit verbis hiſce: *Superna magni Patrisfamilias*. Excipitur mortis periculum, in quo quilibet Sacerdos poteſt abſolvere propter neceſſitatem.

Ad officium Confeſſarii requiruntur plura, quæ ad quatuor revocari poſſunt. Primum locum tenet ſcientia, quæ quidem tum ad ipſius Confeſſarii, tum ad Pœnitentium ſalutem eſt omnino neceſſaria; quod ex duabus qualitatibus evincitur, quas Confeſſariis Concilia tribuunt, Judicis ſcilicet & Medici. Tanquam Judex, debet ille de iis rebus cognoſcere, de quibus pronunciare debet; tanquam Medicus, pii Samaritani Evangelici exemplo vinum & oleum apponat neceſſe eſt ægroti vulneribus, accurate expendens peccata, eorumque circumſtantias, ut iis perſpectis, ei conſilium dare, & convenientia remedia aptare norit. Jeſus Chriſtus ſcientiæ neceſſitatem, quæ Confeſſarios obſtringit, paucis complexus eſt, cum Matthæi cap. 15. pronunciavit, ſi cæcus cæcum ducat, ambos in foveam, videlicet in æternam damnationem caſuros eſſe. Quæ Divini Filii verba, monente Divo Auguſtino, non ei ſolum, qui ducit, ſed ei quoque, qui ſe duci ſinit, timorem incutere debent; quoniam non ſcriptum eſt, cæcum, qui ducit, in foveam cadere, non item illum, qui eumdem ſequitur, ſed utrumque præcipitem ruere, tum Confeſſarium ignorantem, tum pœnitentem, qui ſe a cæco duci patitur. Atque hæc quidem ſcientia refertur præſertim ad Sacram Scripturam, ad ſanctos Canones, uno verbo ad id omne, quod ad ejus officium ſpectat, ut docet Innocentius III.

Præter hanc ſcientiam eſt etiam Confeſſariis neceſſaria pietas, id quod Diſcipulo ſuo Timotheo ſuadebat Paulus, cum cohortatus, ut ad pietatem, quæ ad omnia utilis eſt, incumberet. Hujus porro pietatis, docente Divo Thoma, duplex objectum eſt, Dei cultus, & opera miſericordiæ erga proximum. Illum comparat aſſidua oratio, & ſanctorum librorum lectio, animo & cogitationibus indentidem ad Deum erectis, ut amor & devotio erga eum excitetur. Alterum quoque eſt apprime utile Confeſſario, qui, ut ait Divus Auguſtinus relatus in canone *Qui vult*, debet ſuas omnes vires in id intendere, ut peccatores ad ſe accedentes convertat ad Deum, ſuis precibus opem iis præſtans, eleemoſynas erogans, & bona id genus opera exercens, ut a Deo eorum converſionem obtineat, eos humaniter adjuvens, & conſolans, denique promittens certam a Deo veniam, ſi ipſi ex animo ad eum ſe convertere, & peccatorum ſuorum pœnitentiam agere velint; & cum pœnitentium ſaluti conſentaneum judicaverit, iis minitans Inferorum pœnas, quæ ipſorum culpas manent, factus ipſorum pœnarum particeps, ut de eorumdem converſione lætetur, eos rationem docens, qua in gratia perſeveret, ipſiſque remedia præſcribens, ne recidant, veritus, ne Deo rationem reddat, quod Judicis perſonam digne non ſuſtinuerit.

Boni mores & integritas vitæ ſunt tertia Confeſſarii qualitas. Presbyter, inquit Auguſtinus relatus in Canone jam laudato, ad quem peccatores confugiunt, ut a ſuis morbis ſanentur, ab omnibus peccatis, quæ in pœnitentibus dijudicare debet, immunis ſit neceſſe eſt, quod ſaltem de peccatis mortalibus eſt accipiendum; nec ſolum debet a peccatis immunis eſſe, ſed etiam vitæ ſanctitate ita aliis præire, ut ſecundum Domini noſtri Jeſu Chriſti exemplum *Joan. cap.* 8. *v.* 48. adverſarios provocet, certus ab iis ſibi nullum peccatum exprobrari poſſe: *quis ex vobis*, inquit Divinus Filius, *arguet me de peccato?* Itaque ſuæ propriæ perfectioni eo magis invigilare debet, quo magis ſe aliis inſtituendis addictum videt. Debet quotidie magis ſenſuum cuſtodia, cupiditatum repreſſione, & Chriſtianarum, Eccleſiaſticarumque virtutum ſedula exercitatione in pietate proficere.

Quarta denique qualitas prudentia eſt, in eo poſita, ut in pœnitente animi præparationem exploret, eique accommodata remedia tribuat, quo e peccati ſtatu eumdem educat, & ad eam pertrahat perfe-

perfectionem, cujus eum capacem judicat. Hæc autem prudentia elucere debet in ratione, qua ad conſcientiæ ſuæ receſſus intimos detegendos pœnitentem adducet; in quo quidem debet, ut monet Sanctus Carolus in ſuis ad Confeſſarios admonitionibus, valde prudenter ſe gerere, & illud imprimis cavere, ut pœnitentem de iis peccatis interroget, in quæ ejuſdem ſtatus perſonæ frequentius labi conſueverunt; & juxta hujus prudentiæ regulas debet ſuper ſexto Decalogi Præcepto caute admodum interrogare, & ab inutilibus atque adeo pernicioſis quæſtionibus abſtinere, ſatis habens ſibi peccati ſpeciem & circumſtantias notorie aggravantes innotuiſſe; cavens, ne aliis utatur verbis, quam quæ honeſtatem ſapiant, & Sacramenti, quod adminiſtrat, Sanctitatem; & ne pœnitentibus Peccatorum, quæ forte ignorant, notitiam ingerat, a curioſis in hoc negotio interrogationibus abſtinens, contentuſque de rebus abſolute neceſſariis quærere, quam maxima poterit, brevitate, exorditus interrogationes a cogitationibus inhoneſtis, ut cognoſcat, an earum ulli aſſenſum præbuerint, & prout illi ſe ſe explicuerint, aut interrogationes proſecutus, aut non ulterius progreſſus. Sed multo latius patet prudentia hæc.

Ea enim præterea in eo ſita eſt I. Ut cognoſcatur, an pœnitentes de culpis doleant propter amorem Dei, & ut ad hunc dolorem in iis excitandum aptiſſimæ quæque rationes adhibeantur, aliis quidem propoſita conſideratione Mortis & Paſſionis Domini Noſtri, ejuſque erga nos amoris; aliis vero ob oculos poſitis punitionibus, & ultionibus, quibus in peccatores Deus utitur, nempe pro diſpoſitionibus, quæ in pœnitentium animo detegentur. II. ut pœnitentibus tribuantur conſilia eorum ſpiritalibus neceſſitatibus congruentia; potiſſimum vero ut impoſita pœnitentia peccatorum gravitati, numero, & durationi reſpondeat, habita ratione ætatis, conditionis, ſtatus, exterioris denique interioriſque habitudinis. III. ut pœnitens ad perfectioris vitæ rationem ducatur pro diſpoſitione in ipſo detecta & prout in ejus animo Deus operatur. Debet igitur Confeſſarius cum humilitate ad Deum confugere, & humanæ ac naturali prudentiæ non fidere, ſed ei renunciare, præſertim ante quam ad confeſſiones audiendas accedat, & ab eo lumen & conſilium neceſſarium petere, ut ad perfectam converſionem, & propriæ ſalutis curam ex animo ſuſcipiendam peccatoribus opituletur.

Confeſſarii tenentur omnino ſervare ſecretum, ita ut abſolute non poſſint aut verbis aut factis, aut ullo ſigno, inquit Sanctus Thomas, revelare peccatum, quod ex Confeſſione cognoverunt, quia ſe Sacrilegii reos faciant, quia Sacramenta Legis novæ id faciunt, quod ſignificant. Porro effectus Sacramenti Pœnitentiæ eſt occultare peccata oculis Dei Viventis (qui eadem remittit in hoc Sacramento) atque id ſignificat Confeſſionis ſecretum; quamobrem quemadmodum Divini Filii Corpus & Sanguinem profanaret, qui alia ratione quam pane & vino conſecraret: ita qui Confeſſionem detegeret, Sacrilegium committeret. Ita prorſus Divus Thomas *Quodlibet* 12. *art.* 16. Ex Canone *Omnis utriuſque ſexus*, qui Lateranenſis generalis Concilii eſt, qui Confeſſionis ſigillum violat, non ſolum deponendus, verum etiam ad perpetuam in Monaſterio pœnitentiam damnandus eſt. Idem ſtatuerat Gregorius Pontifex, ut dicitur in Canone *Sacerdos*, *de pænit. diſt.* 6. Nec modo ſecreti neceſſitate adſtringitur Confeſſarius quoad pœnitentis peccata, ſed id etiam omne tacere debet, quod ei pœnitens dixit in Confeſſione, quodque cognoſcendis ejus peccatis inſervire poteſt, & generatim quicquid poteſt Confeſſionem odioſam reddere.

Debet ſigillum hoc quoad omne genus hominum cuſtodire, etiam juridice a Judice interrogatus. Dicere debet, affirmare, atque adeo, ſi opus fuerit, jurare, ſe nihil eorum ſcire, quæ ex ſe quæruntur. Ita enim conſtat inter Catholicos, Sacerdotem id, quod ex Confeſſione tantum ſcit, revelare non poſſe, & de iis ſolum interrogandum eſſe, quæ ſcit communi & ordinaria ratione, ut Confeſſarius Judicem fallere non cenſeatur, affirmans ſe omnino id ignorare, quod ex ſe quæritur, cum id ipſum hac poſteriore ratione prorſus neſcit, ſed tantummodo ſcit ex Confeſſione: *Non enim ſicut homo, ſed ut Deus*, ut notatur in Jure Canonico. Secretum hoc ad eos etiam extenditur, qui res ipſas certo ſcirent, & ad eum præterea, qui confeſſus eſt, quicum non debet Confeſſarius de peccatis verba facere, quæ hic pœnitens ei declaravit, niſi in quibuſdam caſibus, ut ad grave aliquod periculum præveniendum, aut ſi ab hoc ipſo pœnitente extra Confeſſionem conſuleretur.

Confeſſionis ſecretum minime violaret Confeſſarius, qui perſonæ ad turpia peccata in Confeſſione ſollicitatæ auctor eſſet, ut eum execrandum Confeſſarium Epiſcopo detegeret, aut ſibi permitteret, ut Epiſcopum ipſe moneret, ſi pœnitens non poſſet aut pudore prohiberetur id facere, quia licet Confeſſario cum pœnitentis venia id patefacere, quod ipſe ei dixit in Confeſſione: atque hoc in caſu maxime tenetur Confeſſarius perſonam in Confeſſione ſollicitatam monere, ab ea declarandum Epiſcopo eſſe Confeſſarium, a quo ſollicitata eſt, ut rotundis verbis ſtatuitur in Bulla Gregorii XV. Cum enim hic Pontifex declaraſſet, per ſollicitantes in Confeſſione intelligendos eſſe generatim eos omnes, qui inducunt ad turpia vel ſecum ipſis, vel cum aliis patranda, aut inhoneſtos ſermones inſtituunt, & amoris negotia tractant, vel in Sacramentalis Confeſſionis actu, vel immediate ante, vel poſt, vel occaſione & prætextu Confeſſionis, etiamſi deinde Confeſſio facta non eſſet, cum id agitur in Confeſſionis loco, aut ubicumque Confeſſiones audiuntur, etiamſi ſolum viſa fuerit audiri Confeſſio: deinde idem Pontifex omnibus Confeſſariis mandat, ut perſonas ex quarum confeſſione cognoverint, eas ab aliis Confeſſariis ſollicitatas fuiſſe, moneant obligationis, qua illæ tenentur, denunciandi Inquiſitoribus & Ordinariis eos Confeſſarios, a quibus ſollicitatæ fuerint. Illud addit hic Pontifex, ſi Confeſſarii poſteriores eas admonere negligant, aut doceant ad hanc denunciationem faciendam non obligari, omnino ipſos ab Ordinariis aut Inquiſitoribus pro delicti qualitate puniendos eſſe. Occurret infra Caſus Sorbonæ Doctoribus propoſitus, qui ad hanc Gregorii XV. Bullam ſpectat, eorumque deciſio.

Con-

Confeſſarius, qui ſuam pœnitentem ſollicitat ad turpia.

CASUS I.

1 *Quibuſdam in caſibus tenetur pœnitens Superiori denuntiare Confeſſarium, qui eam ad malum ſollicitavit.*

2 *Obligatio hæc divini juris eſt, nec ſine gravi cauſâ licet ab ea recedere.*

3 *Regulæ, quibus innoteſcat, quandonam hujus denunciationis obligatio pœnitentibus imponenda ſit.*

4 *Hac obligatione minime tenetur pœnitens, ſi ſuum ipſa Confeſſarium ſollicitavit.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Confeſſarius poſſit pœnitentem adigere ad Sacerdotem Superioribus denunciandum, a quo ſollicitata ſit ad turpia, in omnibus caſibus inſequentibus?

I. Si Sacerdos hic ejus Confeſſarius eſt, eamque ſollicitavit in actu & loco Confeſſionis, aut extra actum & locum Confeſſionis, ſive ea conſenſerit, ſive non.

II. Si pœnitens Sacerdotem Confeſſarium ſuum ipſa ſollicitavit, ſive in actu, ſive extra actum & locum Confeſſionis.

III. Si Sacerdos, qui pœnitentem ſollicitavit, jam inde a multis annis ejus Confeſſarius amplius non eſt, aut ipſius Parochus eſt, non autem Confeſſarius, aut ſi nec ejus Parochus eſt, nec Confeſſarius, ſive pœnitens aſſenſum præbuerit, ſive non.

IV. Quæritur & illud, an cum Epiſcopus hæc omnia peccata reſervaverit, & abſolvendi facultatem iis tantum Confeſſariis reliquerit, qui denunciationis obligationem pœnitentibus imponere conſueverunt: poteſt necne pœnitens tuta conſcientia ejuſmodi peccata reticere, cætera confitens, parata tamen ſe ſubdere Eccleſiæ clavibus, cum primum occaſio ſe obtulerit?

Illud etiam obiter quæritur, an hæc pœnitens ſuum proprium Epiſcopum, æque ac ſuum Parochum Superioribus denunciare teneatur, ſi Epiſcopus aut ejus Parochus in aliquem ex propoſitis Caſibus lapſus fuerit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ut propoſitis interrogationibus ſolidius reſpondeatur, expendendam eſſe difficultatem, quæ præcipua eſt, & ſolvenda, priuſquam de cæteris, quæcumque in hac materia occurrere poſſunt, quicquam definiatur.

In eo nempe vertitur difficultas, an adſit obligatio denunciandi Superioribus Confeſſarii, qui ſuas pœnitentes ad turpia ſollicitat, ſive illæ conſenſerint, ſive non; & facta hypotheſi denunciationis obligationem exiſtere, quænam conditiones hanc denunciationem comitari debeant? Si quæ enim adſunt conditiones, pœnitenti ſemper & indiſcriminatim id oneris imponi non poteſt, ut ad Superiorem deferat Confeſſarium, a quo ſollicitata eſt, nulla harum conditionum ratione habita.

Confeſſarios, qui ſuas pœnitentes ad turpia ſollicitant, detegendi obligationem generatim exiſtere inter Auctores omnes facile convenit: & ſane ad publicum, & Religionis bonum pertinet, impedire, quantum quidem fieri poteſt, ne Confeſſarius, qui ad Fidelium perniciem abutitur eo Sacramento, quod in Eccleſia eſt apprime utile, ex eo quod ei cordis receſſus intimi, propenſiones, habitudines, omneſque animi motus ingenue pateſiant, anſam arripiat cognoſcendi pœnitentis imbecillitatem, ut eam deinde facilius ſeducat, atque corrumpat.

Exiſtit hinc grave incommodum Religioni; evadunt odioſa Fidelibus Sacramenta, qui proinde ab iiſdem arceantur; ex quo ſequitur, eum, qui malum hoc privatim cognoſcit, eidem occurrere debere, quippe quod adeo pernicioſum eſt, eoque magis periculoſum, quod rationes, quibus committitur, ſanctitatis ſpeciem præſeferant, quoniam præſto eſt ſpecioſus prætextus charitatis in Pœnitentiæ Sacramento Fidelibus exhibendæ; neque huic malo promptius & efficacius occurri poſſe videtur, quam ſi Confeſſarius hic Superiori denuncietur.

Aliquando tamen, inquit Henriquez, (*a*) *tenetur pœnitens denunciare Confeſſarii crimen; ut ſi ille fœminam in Confeſſione, aut circiter illam ſollicitat ad malum, vel ut fœmina vitet moleſtiam propriam, quam patitur a Confeſſario, aut aliorum periculum.*

Quæ quidem diſputatio dum oſtendit pœnitentem teneri, Confeſſarium, a quo ſollicitatur ad malum, Superiori denunciare, evincit eodem tempore obligationem hanc juris naturalis eſſe. & quod inde fit conſequens, ab ea ſine gravi cauſa recedere non licere.

Fatendum eſt ſane Confeſſariorum ſuas pœnitentes ad turpia ſollicitantium crimen poſterioribus hiſce temporibus evaſiſſe commune, longeque magis, quam olim fuerit, quoniam in antiquis Canonibus aut apud Sanctos Patres nihil occurrit ei ſimile, quod adverſus ejuſmodi Confeſſarios in Pontificum Bullis traditur. Atque ut in Gregorii XV. Bulla potiſſimum conſiſtamus, quippe quæ cæterarum poſtrema eſt, & patet omnium latiſſime, ſiquidem ad univerſam Eccleſiam ſpectat, cum exempli cauſa Pii IV. Bulla ad Hiſpaniam tantummodo pertinuerit: Gregorius XV. in Bulla an. 1622. quæ incipit: *Univerſi Dominici gregis*, confirmat Pii IV. ejus anteceſſoris Bullam an. 1567. *Cum ſicut nuper*; deinde mandat Confeſſariis, ut ſuas pœnitentes moneant, ipſas teneri Confeſſarios, a quibus ad turpia ſollicitantur, denunciare; vocat ejuſmodi Confeſſariorum crimen *impium, ac nefandum ſcelus*, & alibi, *delictum enorme Eccleſiæ Dei tam pernicioſum*. Confeſſarium ſuas pœnitentes ſollicitantem nuncupat execrandum animarum proditorem, ex patre, veneficum ex medico: *qui*, inquit, *ad ſacras Confeſſiones audiendas deputatus Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutitur, ac pro medicina venenum, & pro pane aſpidem porrigit, ex cœleſti medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum redditur*. Denique præcipit, ut cum hi Confeſſarii convicti, & tanquam infames notati fuerint, hæreſeos ſuſpecti habeantur, & abjurare cogantur.

Plures Epiſcopi cognoſcentes, quam grave eſſet crimen hoc, & quam late ſerperet, hujus Bullæ mentem ſecuti ſunt, & pœnitentes ad Confeſſarios, a quibus ad turpia ſollicitarentur, denunciandos peculiaribus Conſtitutionibus obligarunt; ut videre eſt in Morali Gratianopolitana Tractatu de Pœnitentia, & in Rituali Alatenſi de Sigillo Confeſſionis pag. 120. Bonacina, *pluribus in locis*, inquit, (*b*) *extant edicta Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, præcipientia ſub excommunicatione denunciationem hujuſmodi Confeſſariorum ſollicitantium*. Ex quo infert Auctor hic tum pœnitentes tum Confeſſarios graviter delinquere, cum hi quidem non admonent, neque obligant pœnitentes ad denunciandos eos, a quibus ſollicitantur, & pœnitentes ipſæ admonitioni ſe non ſubjiciunt: *Excommunicatio autem ſupponit peccatum mortale.*

Hinc inferri poteſt, jure naturali & poſitivo pœnitentes teneri, Confeſſarios, a quibus in Tribunali, aut Confeſſionis prætextu ad impuras res & inhoneſtas patrandas ſollicitantur, denunciare.

Contendunt quidem non pauci Bullam Gregorii XV. in Galliis receptam non eſſe, & diſciplinam, quam quoad ejuſmodi Confeſſarios ſervari jubet, noſtris moribus conformem non eſſe; & ſane Gregorius XV. præcipit, ut illi pro hæreſeos ſuſpectis habeantur, ex quo ſequitur, abjurare cogendos eſſe; quod tamen apud nos fieri non conſuevit, cum Confeſſarii ſollicitationis convicti ſunt.

Sed reſponderi poteſt, licet ea in Galliis non habeat vim legis obligantis quoad modum agendi cum Confeſſariis, ſuas pœnitentes ſollicitantibus, & quoad pœnam, quam Bulla iiſdem infligi mandat: nihilominus prout Bulla hæc continet præceptum Superiori legitime impoſitum, ut impediatur malum

(*a*) l.6. c.22. n.6. ad fin.

(*b*) Bonacina tom. 1. pag. 756. n. 10.

malum Eccleſiæ ſummopere perniciosſum, tum quoad animarum ſalutem, tum quoad honorem reverentiæ Sacramentis debitæ, quod in quibuſdam caſibus promptius, & efficacius reprimi nequit, quam vi denunciationis ad Superiorem; videri dici poſſe Bullam hanc obligare, eique parendum eſſe ſi malum quod prohibet, in aliquas hujus Regni Diœceſes paſſim irrepſerit. Idque eo magis, quod ea nihil aliud ſit, ut ait *Rochalphul*, quam naturalis juris, cui aliquam tantummodo pœnam addit, explicatio. Denique non eſt rationi conſonum, Bullam quoad unam partem receptam eſſe, quoad aliam non item. *Rochalphul* (*a*) loco citato animadvertit eam in Hiſpaniis receptam in eo non eſſe, quod declarat ſatis eſſe, ut Confeſſarius ſollicitans ad Epiſcopum deferatur, (*b*) quoniam Hiſpaniarum conſuetudo eſt, ut ad inquiſitores etiam pergatur, ſed eam quoad cætera receptam eſſe.

Utut de hujus obligationis natura ſentiendum ſit, ſive ea proveniat a naturali jure, quo quiſque communi bono ſtudere, & proinde, quantum in eo eſt, malo adverſari debet, quippe quod eidem opponitur, ſive poſitivo & Eccleſiaſtico jure nitatur: certum eſt impendere pœnitentibus obligationem denunciandi Superioribus Confeſſarios, a quibus ad turpia ſollicitantur. Et ſane Gregorius XV. in Bulla §. 9. obligationem hanc videtur ſupponere, dum ita loquitur: *Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes*. Pius IV. in ſua Bulla de hac obligatione non meminerat omnino; Gregorius igitur XV. eam generatim ſupponit. Lex hæc generalis quidem eſt, non tamen in omnibus generatim caſibus obligat, ita ut minime ſpectatis temporis, perſonarum, aliiſque ejuſmodi circumſtantiis debeant ſemper adigi pœnitentes ad Confeſſarios Confeſſione abutentes, ut eas ad turpia pertrahant, Superioribus denunciandos.

Ne igitur tantum malum, quod ad Religionis bonum omnino impediendum eſt, impunitum relinquatur, & ex alia parte ne temere & incaſſum Superiori denunciatio fiat, notandæ ſunt regulæ, ut cognoſcatur, quandonam pœnitentes ad faciendam aut non faciendam ejuſmodi denunciationem obligari neceſſe ſit; hæ regulæ ſunt conditiones, quæ denunciationem comitari debent, & ſine quibus ea legitime fieri nequit.

Harum conditionum prima eſt, ut cognoſcatur, an priuſquam hujus denunciationis obligatio pœnitenti imponatur, arceſſendus ſit Confeſſarius, eique fraterna correctio facienda ſit; ſi enim reſipiſcat, grave malum hac ratione reprimitur, & ex alia parte ſervatur perſona, quæ utiliter Eccleſiæ ſuam operam navare poteſt; ex quo ſequitur, denunciationi locum non eſſe. Jam vero ad hanc correctionem obligat naturale jus, atque adeo divinum Matthæi *cap.* 18. *v.* 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, &c.*

Et ſane quod ſpectat ad hæreſim, quæ malum eſt Religioni longe gravius, quam ſcelus Confeſſariorum pœnitentes ſollicitantium; docet Suarez (*c*) neque in Jure Canonico, neque in Pontificum Bullis quicquam occurrere, quod obliget ad eos, antequam moneantur, denunciandos. (*d*) Si ergo ſperari poſſit, inquit *de Perinis*, fore, ut, ſi frater ne corrigatur, reſipiſcat, eſt corrigendus juxta præceptum Apoſtoli in epiſtola ad Titum *cap.* 3. *v.* 10. *Poſt unam aut alteram correctionem hæreticum hominem devita*; jam vero de Confeſſariis, de quibus agitur, idem potiori jure ſtatuendum eſt.

Quod adverſus hanc fraternam correctionem, quæ præcedere debet, ut contenditur, denunciationem, cum ſperari poteſt eam utilem fore, (*e*) Auctores gravius abjiciunt, illud eſt, quod juxta Gregorii XV. Bullam, aut Epiſcopalem, (*f*) ſi qua ſit in aliqua Diœceſi, Conſtitutionem, qua pœnitentes obligantur ad Confeſſarios, a quibus ſollicitantur, patefaciendos: denunciationis obligatio non eo præciſe refertur, (*g*) ut Confeſſarii ſe corrigant, ſed eo, ut animarum ſaluti, & honori Sacramenti impoſterum proſpiciatur, (*h*) & exemplo pœnæ in ejuſmodi Confeſſarios inflictæ, cæteri ab id genus ſceleribus abſterreantur; quod ſi ita eſt, denunciatio hæc eſt judiciaria ad ejus diſcrimen, quæ dicitur Evangelica, & cujus finis eſt ejus, qui monetur, emendatio.

Præterea, pergunt iidem Auctores, correctio denunciationem præcedens id unum fere præſtaret, ut Confeſſarius deinceps cautius ſe gereret, & melius perſonas eligeret, a quibus nihil ſibi timendum eſſet; etenim *caſus ſollicitantis*, (*i*) inquit Henriquez, *intra aut prope Confeſſionem filias ſpirituales reſervatur Cenſoribus fidei, quia ſerpit contra bonum commune, & honorem Chriſti, & vix vafer Confeſſarius emendari ſolet correctione*. Addi & illud poteſt, facta hac correctione, nunquam cognoſci poſſe, an Confeſſarius certo reſipuerit, ut proinde denunciationis obligatio non amplius exiſtat, & Religionis bono, animarum ſaluti, Sacramenti denique honori ſatis ita conſultum ſit; & quod inde conſequitur, hæc fraterna correctio videtur inutilis.

Denique Divus Thomas pluribus in locis eam regulam tradit, cum peccatum bono communi, aut ſive temporali ſive ſpiritali multorum bono eſt perniciosſum, eſto ſit occultum, illud ad Superiorem ſtatim deferendum eſſe: *quando imminet periculum multitudinis, non habent hic locum verba Domini* (loquitur de Sancti Matthæi textu cap. 18.) *quia tunc frater peccatis non peccat tantum in te* (*K*); hæc ſunt verba Divi Thomæ in Summa, & in quæſtionibus diſputatis. Statuit hic Sanctus Doctor principii loco: *in quibus mora denunciationis eſt periculoſa, non oportet expectare admonitionem, ſed ſtatim procedere ad denunciationem*. Ratio autem, quam in Summa affert, ea eſt, quod commune bonum particulari eſt præferendum. Cum porro eo loci ſibi objeciſſet Sancti Matthæi textum cap. 18. ad fraternam correctionem quod attinet, duo reſpondet. Primum eſt, eo loco de peccato agi, quod adverſus unum tantummodo commiſſum eſt: *ſi in te peccaverit frater tuus*; alterum eſt, apud Matthæum ſermonem non eſſe de peccato, quod impoſterum ſit præveniendum, aut de damno, quod multis, aut cuipiam contingere poſſit, ſed de peccato præterito, quod corrigendum eſt, & de ejus, qui peccavit ſalute curanda; *nec hoc eſt contra præceptum Chriſti, propter duo: primo quidem quod peccatum iſtud, quod vergit in periculum multorum, non eſt ſolum in te, ſed in multos: Dominus autem dicit: ſi peccaverit in te frater tuus; Secundo quia Dominus non loquitur de culpa futura cavenda, ſed de culpa præterita jam præcommiſſa*.

Doctrinam hanc tradit Divus Thomas in pluribus ſuorum Operum locis; videri poteſt id quoque, quod ait in ſuis quæſtionibus quodlibetariis: (*l*) *Credo, quod ſi eſſet aliquod peccatum carnale ſpirituale quod vergeret in detrimentum multitudinis, ſtatim eſt revelandum, cum præponderet bonum commune in ordine charitatis, bono proximi, ſive ſit famæ, ſive conſcientiæ*. En carnale peccatum, ad quod pertrahit Confeſſarius pœnitentes ſollicitans, quod revelandum eſt, haud præmiſſa correctione fraterna juxta mentem Doctoris Angelici.

Ad hujuſmodi rationes tres reſpondetur;

Quod attinet ad primam: fruſtra dici Gregorianæ Bullæ eam mentem eſſe, ut Confeſſarii denuncientur, non tam ut ſe corrigant, quam ut in exemplum puniantur; ſi Bulla hæc in Galliis recepta non eſt, ut multi contendunt, ſive quod promulgata non fuerit, ſive quod in pleriſque hujus Regni locis in uſu non ſit; porro inter Auctores, qui eam admittunt, aſſerunt multi correctione opus eſſe, ſi fieri poſſit, ita ut Bullæ mens eidem non opponatur.

Quoad

(*a*) Rochalphul tom. 2. pag. 142. n. 301.
(*b*) Idem n. 365.
(*c*) Diſp. 20. n. 11 de fide.
(*d*) Conſtit. 4. Greg 15. §. 9. n. 25.
(*e*) Pelizarius Tom. 2. tract. 8. c. 6. ſect. 1. n. 28.
(*f*) Bonacina Tom. 1. pag. 756. nn. 9. & 11.
(*g*) Diana 4. tr. 5. reſol. 23. 24. & 29.
(*h*) Rochalphul tom. 2. l. 4. c. 4. de ſexto præcep. nn. 369. & 381.
(*i*) l. 6. c. 17. in gloſſa litt. L.
(*K*) 2. 2. q. 33. a. 7. ad tertium, qq. diſp. de correct. frat. a. 2. ad 3.
(*l*) Quodl. 11. art. 12.

Quoad Conſtitutiones, quæ in hoc negotio ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus ederentur, nunquam præſumendum eſſet eorum animum fore, ut nulla fraterna correctio fieret, ſi ſpes eſſet, fore, ut hac ratione remedium malo afferretur, niſi rotundis verbis contrarium ſtatuiſſent, exempli cauſa ſi malum hoc evaderet commune, nec proinde alia ejus impediendi ratio præſto eſſet.

Quod ſi principii loco ſemel ſtatuitur, Confeſſarios, qui pœnitentes ad turpia ſollicitant, Superioribus omnino denunciandos eſſe, periculum eſt, ne Confeſſarii ii ipſi, qui omnium maxime charitati ſtudent, & de proprio munere ſunt ſolliciti, ſuarum pœnitentium querelæ, ac zelotypiæ exponantur; fœminarum enim animus his paſſionibus facile trahitur. Itaque pœnitens, quæ in Confeſſario ſe quicpiam vidiſſe, aut intellexiſſe ſibi viſa fuerit, aut actionem ex charitate, aut fortaſſe inconſulto factam in pravum ſenſum detorſerit, afferet tanquam verum, quod imaginata fuerit, & deinde hunc Confeſſarium deferet ad Superiorem de ejus mandato, cui fuerit confeſſa. En infamatum Confeſſarium, & inutilem redditum, ineptumque ad ſuam operam in poſterum Eccleſiæ navandam, idque ex ſpecioſo pietatis ac Religionis prætextu, re autem vera ſuadente Diabolo, qui ſæpe Angeli luminis ſpeciem ſuſcipit, ut nos decipiat. At ſi e converſo ante denunciationem correctio fiat, poteſt Confeſſarius ſeſe explicare, & innocentiam ſuam, & quod res eſt, patefacere; aut ſi reus eſt, poteſt per tempus ad bonam frugem redire; nec opprimitur, aut perditur, quin reſipiſcentiæ locus ei relinquatur.

Quod ad alteram rationem ſpectat, ſcilicet ex correctione Confeſſarium anſam arrepturum eſſe ſe cautius occultandi; reſpondetur, ejus pravum conſilium, ſi in eo perſtiterit, diu celari non poſſe, quantumvis ſibi proſpiciat. Cum enim peccatum patrari non poteſt, quin unus aut plures exiſtant complices, & ex alia parte ſedulo expenditur, an reus ſe corrigat, difficulter fieri poteſt, ut id, quod res eſt, longo temporis ſpatio deliteſcat, neque utrum re vera quis a ſuſcepto conſilio receſſerit, innoteſcat.

Verum licet opus eſſet longiore tempore, ut hujus Confeſſarii pervicacia detegeretur, poſt correctionem, quæ ei facienda & quidem utiliter viſa eſt; præſtat tamen conſuetis regulis adhæſiſſe, quas prudentia & charitas inſpirant, quam eas neglexiſſe, atque ita in diſcrimen adduxiſſe Confeſſarii famam, qui ſe videns ſtatim Superiori denunciatum (id quod Eccleſiaſticus fere magis timet, quam ſi apud alium de ipſo verba facta fuerint) ſuumque peccatum aliqua ratione publicum evaſiſſe, emendationis cogitationem ſæpe deponit, putans nullam ſibi ſpem ſupereſſe. Id quidem Divus Thomas animadvertit in Summæ loco laudato, dum de correctione fraterna in hunc modum locutus eſt: *Ille qui ſtudet emendationi fratris, debet, ſi poteſt, ſic emendare fratrem quantum ad conſcientiam, ut fama ejus conſervetur: quæ quidem eſt utilis non ſolum in temporalibus, ſed etiam quantum ad ſpiritualia, quia præ timore infamiæ multi a peccato retrahuntur, unde quando ſe infamatos conſpiciunt, irreſrænate peccant.*

Tantum intereſt, pergit hic ſanctus Doctor, fratris noſtris, quem corrigere volumus, bonum nomen ſervari, ut ſæpe contingat, cum ejus peccatum publicum eſt, & in vulgus diſſeminatum, inde occaſionem ſumi cæteros ejuſdem ordinis infamandi: *ſecundo*, inquit, *debet ſervari fama fratris peccantis, tum quia uno infamato, alii infamantur; ſecundum illud Auguſtini in Epiſtola (137) ad plebem Hipponenſem, cum de aliquibus, qui nomen ſanctum profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.*

Hoc univerſum incommodum, ut liquet, ex eo ortum trahit, quod ob immodicum zelum præcipitanter Confeſſarii denunciatio Superiori facta eſt, ejuſque peccatum publicum evaſit; nimirum ejus infamatio recidit in cæteros Confeſſarios, & in totum Ordinem Eccleſiaſticum, pluribus inde detractionis aut ſuſpicionis occaſionem ſumentibus; ſicque maxime periculoſum eſt, etiam in præſenti facti ſpecie, correctionem fraternam negligi.

Ad objectionem tertiam reſpondetur, juxta Divi Thomæ doctrinam, etiam cum peccatum multitudini aut pluribus adverſatur, non ideo tamen omittendam eſſe admonitionem, ante quam quis denuncietur, ſi moralis ſpes adſit, fore, ut ipſe ſe corrigat; tradit id aperte in citato Summæ articulo, de eo verba faciens, qui de prodenda Urbe clam cum hoſtibus agit, aut privatim hæreſim docet: *Oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, niſi forte aliquis exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſit bujuſmodi mala impedire.*

Sylvius in hunc locum ait, quod attinet ad hæreticum, raro contingere, ut fraterna correctio utilis eſſe poſſit, propterea quod minime fit veroſimile, hominem ſuæ ſententiæ pervicaciter addictum, & totius Eccleſiæ judicio nihil deferentem, privati hominis correctionem æqui bonique facturum eſſe; ſed ut ut res habeat, Auctor hic Divi Thomæ doctrinam ſequitur, ad cætera peccata quod ſpectat.

In eo Divi Thomæ loco, qui ex quæſtionibus diſputatis depromptus eſt, quique in objectione tertia in medium allatus eſt, ut oſtenderetur, cum de malo communi agitur, etiamſi peccatum occultum ſit, ſtatim reum ad Superiorem deferendum eſſe, prætermiſſa correctione: ait tamen Sanctus Doctor, in hoc caſu ipſo ſatius eſſe correctionem præmitti: *Ad undecimum, dicendum, quod multo melius eſt, & quantum ad fratrem, cujus emendationi intenditur, & quantum ad multitudinem, ſi fieri poteſt, ut ſecretius emendetur; & ideo ille, qui corrigit ſecundum charitatem, iſto modo debet procedere.*

Ex iis igitur conditionibus, quæ, ante quam Confeſſarius pœnitentes ad turpia ſollicitans Superiori denuncietur, ſervandæ ſunt, una eſt, ut fiat correctio, ſi qua emendationis ſpes affulgeat. Cæterum convenit, Eccleſiaſticum, qui cæteroquin non ſatis probus audit, atque huic peccato ita eſt addictus, ut per admonitionem ſe parumper contineat, non tamen corrigat, dubio procul deferendum eſſe, ut malum ex Eccleſia depellatur, & punitio, quæ continget, exemplo ſit, tum ut alii in viam revocentur, tum ut alii in officio contineantur: *Si alio modo emendari, vel impediri non poſſit*, inquit Baſſæus; (a) *plerumque ſtatim Superiori denunciandum eſt*. Ratio eſt, quia impediendum eſt malum eo ſane majus, quod infertur perſonæ, quæ hoc in caſu denunciatur.

Altera ſervanda conditio eſt, ut ne ulla pœnitens cogatur Confeſſarium, a quo ſollicitata eſt, denunciare, cum illa id facere nequit, quin ſe ipſam infamet, aut ſe ſubdat alicui gravi damno, quod ad ejus vitam aut bona pertineat; id quod etiam de ejus propinquis eſt accipiendum; ita ſentit Pelizarius: (b) *Advertendum aliquos caſus admitti a Doctoribus, in quibus vel ceſſat obligatio denunciandi, vel certe ſuſpenditur. Primo quidem ſi pœnitens præſtare nequeat abſque periculo gravis mali, ſive proprii, ſive ſuorum: metus enim cadens in conſtantem virum excuſat ab obſervantia legis humanæ. De Perinis* loco citato n. 27. idem docet, & plurium Theologorum idem ſtatuentium auctoritatem in medium profert.

Auctores, qui contra ſentiunt, ut Bonacina, pœnitentem teneri (c) Confeſſarium, a quo ſollicitata eſt, denunciare, quin ullam correctionem adhibere debeat, quicquid inde mali contigerit, cum adeſt Superioris Eccleſiaſtici Conſtitutio, qua præcipiatur, ut Confeſſarii ad turpia ſollicitantes a pœnitentibus denuncientur, ajunt I. non pœnitentis eſſe, judicare, facienda ne ſit correctio, necne, ſed Superioris, qui pœnitentis officium hoc in caſu, & ad quid obligetur, longe melius debet cognoſcere; quamobrem cum Epiſcopus hac de re nihil in ſua Conſtitutione ſignificavit, tunc pœnitens ipſa ad hanc ſuppoſitam correctionem non obligatur. II. peculiare bonum ei poſthabendum, quod ad omnes, & ad Religionem ſpectat.

Sed breviſſime reſpondetur, correctionem naturalis & divini juris eſſe; conſentaneum eſſe cujuſque natu-

(a) V. Denuntiatio n. 6. (b) Tom. 2. tr. 8. c. 6. q. 11. n 19.

(c) l. cit. n. 11.

naturæ, ut ſuam ſamam, vitam, ac bona tueatur; ita ut ſi adeſſet Epiſcopi Conſtitutio, qua denunciatio abſolute præciperetur, eſſet accipienda cum hac modificatione, ita ſcilicet, ut nullum gravis damni periculum in honore & in bonis per denunciationem ſubiretur. Et ſane humanæ leges non obligant ipſæ per ſe ad conditiones tam duras, & tam repugnantes jnri, quo quiſque gaudet, propriæ conſervationi invigilandi; eædemque leges debent ejuſmodi eſſe, ut executioni mandari poſſint; hujuſmodi porro hæc lex non eſſet, quippe quæ conditiones a communi omnium hominum propenſione ac diſpoſitione adeo diſſitas contineret. Hac una de cauſa ejuſmodi lex ſaltem inutilis eſſet, & effectu careret, & quod inde ſit conſequens, ſervanda non eſſet.

Tertia conditio ad hanc denunciationem inſtituendam neceſſaria, prudentia eſt. Re ipſa triplicis generis perſonæ in denunciatione, de qua agitur, ſpectandæ ſunt; perſona, quæ denunciat, Confeſſarius, qui denuntiatur, & Superior, apud quem fit denunciatio. Prudentia opus eſt, ut cognoſcatur, quænam ratio quoad has perſonas ineunda ſit. Si enim hæc omnia non ita, ut par eſt, accurate expendantur, pœnitens ad denunciationem adigetur, & eodem tempore propriæ exponetur infamiæ, ita ut in eam inde mala redundent; exempli cauſa ſi nupta ſit, & quidem viro, qui zelotypia, & ſuſpicione ducatur. Aut ſi non ſatis attendatur, quænam agendi ratio huic pœnitenti ſit præſcribenda, fiet, ut denunciatio, quam faciet, effectum non ſortiatur quoad Confeſſarium, cujus crimen impunitum remanebit; ex alia parte ſi quarumdam pœnitentium imaginationi temere deferatur, aut aliarum zelotypiæ, vel indignationi auſcultetur, imponetur denunciatio Confeſſarii, qui bene apud omnes audiet, nullumque externum pravi conſilii ſignum exhibuerit; atque ita bona ejus opinio lædetur; quodque magis timendum eſt, Confeſſariorum vel optimorum ſama pœnitentium præpoſteris animi motibus hac ratione exponetur.

Denique prudentia requiritur, ut cognoſcatur, an Superior, ad quem deferendus eſt a pœnitente Confeſſarius, qui eam ſollicitavit, ſatis conſilii habeat, ut rem tractet adeo ſalebroſam, tantique momenti, in qua nempe agitur de crimine detegendo ac puniendo, ſalva & integra remanente eorum fama, ad quos res ipſa aliqua ratione ſpectare poterit; quamvis enim ſere præſumendum ſit, eos, qui dignitatem obtinent, iis dotibus inſtructos eſſe, quæ ad eam requiruntur, experientia tamen compertum ſit, aliquando ita non eſſe, ac ſæpe contingere, ut inter eos, qui virtutis ac ſollicitudinis ſpeciem præſeferunt, non deſint, qui immodico quodam zelo ſe abripi ſinant; quod negotii, de quo quæritur, difficultatem magis magiſque ſignificat.

In medio relinquuntur aliæ circumſtantiæ temporis, & modi, quo ea denunciatio ſacienda eſt, ut apte & prudenter fiat. Quoniam res eſt magni ponderis, & multa penſanda ſunt, ante quam executioni mandetur, prudentia requiritur longe maxima, ut denunciatio ſit utilis, & impediantur incommoda, quæ conſequi poſſent, ſi qua regularum illarum, quas neceſſario prudentia poſtulat, quæque in ſimili facti ſpecie ſervantur, prætermittatur.

Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, illud concludi poteſt, licet univerſim pœnitens Confeſſarium, a quo ad malum ſollicitata eſt, Superiori denunciare teneatur: non tamen identidem pœnitentem ſub pœna negationis abſolutionis ad hanc denunciationem faciendam adigendam eſſe. Aut enim Confeſſarius monitus, ni ſe corrigat, futurum, ut ad Superiorem deferatur, revera reſipiſcit, & tunc non amplius denunciationi locus eſt; aut difficile factu eſt hanc denunciationem a pœnitente fieri, quin ſe infamet, & iis ſubſit incommodis, quæ ei gravem moleſtiam afferre poſſent; aut demum eſt, cur timeatur, ut Superior hac denunciatione ita utatur, ut prudentia requirit; jam vero in neutro poſteriorum caſuum denunciatio locum habet. Quamobrem ſi omnia accurate perpendantur, ac ſi conditionum, de quibus ſupra, rationem

haberi lubeat, raro cogi poteſt, exempli cauſa, pœnitens honorem ſuum & ſua bona potius in diſcrimen adducere, ut bene multi contendunt, quam a Confeſſario, qui eam ad turpia ſollicitaverit, Superiori denunciando abſtinere.

Sane convenit fieri poſſe, ut hæc Confeſſariorum pœnitentes ſollicitantium depravatio in aliqua Diœceſi adeo communis evadat, & Confeſſarius aliquis ſuis pœnitentibus adeo perniciosſus ſit, ut mali tam periculoſi impediendi nulla alia ratio præſto ſit, quam ſi id Superiori poteſiat; at minime neceſſe eſt id exequi pœnitentem; moneri Superior poteſt non quidem per Confeſſarium, qui id officii ſubire non debet, ne ſuum miniſterium odioſum reddat; moneri poteſt per prudentem Virum, qui Superiori ſignificabit intendendos eſſe oculos in deſignatum Confeſſarium ſuas pœnitentes ad turpia ſollicitantem.

Si pœnitens ipſa per ſe Confeſſarium, a quo ſollicitata eſt, Superiori denunciet, tunc Superior, qui prudens ſupponitur (nam alioquin nunquam cogenda eſſet ad eum ſe conſerre) eam non interrogabit, an conſenſerit necne, ne fœmina implicetur ejuſmodi quæſtionibus, quæ fieri non poſſent, quin longius, quam par eſt, res abiret, aut muliebri pudori officeretur; ſed ſolum ejus verba diligenter expendet, & loquentis perſonæ rationem habebit, ut proinde ſi velit, quantum quidem negotium tam grave requirit, intento, promptoque animo eſſe, facile poſſit adverſus hunc Confeſſarium probationes alias detegere, quarum ope crimen cognoſcat, & quonam remedio ſit opus, intelligat, ſive eum ad aliorum exemplum graviter puniens, ſive ei tantum adimens facultatem in tam periculoſa praxi in poſterum perſiſtendi.

Hoc poſito, reſpondetur ad quatuor quæſtiones in Expoſitione contentas.

Ad primam: cum certo conſtat Confeſſarium ad turpia ſollicitare, nullumque grave damnum pœnitenti timendum eſt, & præterea prævidetur, eum nulla alia ratione a pravo conſilio abduci poſſe, niſi Superiori denuncietur; tenetur pœnitens hoc in caſu monendum curare Superiorem de Confeſſario, qui eam ſollicitavit, ſive ſollicitaverit in actu & loco confeſſionis, ſive extra actum & locum confeſſionis, ſive ea conſenſerit, ſive non.

Si Gregorii XV. Bullæ ſubſcribitur, liquido conſtant hæc duo; I. ſatis eſſe, ſi Confeſſarius turpibus ſermonibus pœnitentem detinuerit, quin actio ſecuta ſit; II. non eſſe neceſſe, ut ſuam pœnitentem in ipſo Confeſſionis tempore aut actu ſollicitaverit, ſatis eſſe, ſi poſtea ſollicitavit: *perſonas, quæcumque illæ ſint*, Bullæ verba ſunt, *ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante ſive poſt immediate, occaſione & prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis, in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Sacramentales Confeſſiones audiuntur, ſive ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibi Confeſſiones audire, ſollicitare, vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones ſive tractatus habuerint.*

Quædam ſolummodo difficultates ſubſunt, an ſcilicet denunciandus eſſet Confeſſarius, qui extra Confeſſionarium, ſeu Confeſſionis locum ſuam pœnitentem ſollicitaret. Ita ſentit *de Perinis*, (*a*) quia Bulla mandat denunciari Confeſſarium, qui ſuam pœnitentem ſollicitat; jam vero perſona cenſetur ſollicitare, ſive ipſa per ſe ſollicitet, ſive per aliam, & quod inde conſequitur, extra Confeſſionarium.

E contra Auctores alii, ut Diana, (*b*) & Bonacina, cenſent ſollicitationis nomine hoc loco eam ſignificari, quæ fit in Confeſſionario, ut proinde Confeſſarius, qui ſuæ pœnitentis animum cognoſcens eam ſequeretur poſt Confeſſionem, ut ad malum ſollicitaret, non eſſet in Bullæ caſu, neque omnino denuntiandus eſſet. Quod ſane ita eſt, ſi Bullæ verba, prout ſonant, accipiantur, & ſi ſpectetur obligatio, quæ ibidem inducitur, tanquam pœnalis lex; nihilominus juxta Bullæ mentem ſatis eſſe liquet, ut Confeſſionis occaſione ſollicitatio contingat, ſive in-

(*a*) l. cit. §. a. n. 2.

(*b*) Diana 4. p. tr. 5. reſol. 7. Bonacina l. cit. n. 21.

ve intra, ſive extra Confeſſionarium; præterea videtur id ex iis omnibus conſequi, quæ ſupra dicta ſunt.

Ad Secundam: Licet pœnitens Confeſſarium ſuum ad turpia ſollicitans violet reverentiam, qua Pœnitentiæ Sacramentum proſequi debet, juxta communem tamen ſententiam Confeſſarius non debet eam denuntiare, nec pœnitens Confeſſarium, quamvis ille ſollicitationi ceſſerit; primo quidem ſi res dijudicetur ex Bulla Gregorii XV; cum enim hic caſus minus communis ſit, non præſumitur in Bulla comprehendi. Et ſane leges humanæ id unum ſpectant, quod plerumque, non autem quod raro contingit. Deinde quia agitur de lege pœnali, quæ proinde eſt reſtringenda; ita ſentiunt plures Auctores (a) ſupra laudati.

Præterea nulla adeſt Lex poſitiva, quæ ad Confeſſarium Superiori denunciandum pœnitentem obliget, cum ipſa illum ſollicitavit; neque vero ullo alio jure ad id obligatur; cum nemo ſe infamare, ac punitioni ſe ſubdere teneatur.

Ad tertiam: non eſt cogenda pœnitens denunciare Confeſſarium, qui eam ad turpia ſollicitavit, cum ei Confeſſarius eſſet, & ex longo tempore non amplius eſt; rationes enim, quæ ſupra allatæ ſunt, facti ſpeciem in hac quæſtione propoſitam non reſpiciunt; revera pœnitens præſumere poteſt, ſuum Confeſſarium, ex quo ipſa ab eo receſſit, reſipuiſſe, nec cum alia ita ſe gerere, ut cum ipſa ſe geſſit.

Auctores quidem, qui aſſerunt denuntiandum eſſe Confeſſarium, etiamſi ad bonam mentem redierit, contra ſtant; 1. quia Bulla Gregorii XV. præcipit abſolute & indiſcriminatim, ut Confeſſarii ſollicitantes denuntientur. 2. quia denuntiatio juxta Bullæ, ut videtur, mentem non eo ſolum ſpectat, ut Confeſſarius ad reſipiſcentiam & emendationem pertrahatur, ſed ut in eum inquiratur, & punitio ſtatuatur, in eum finem, ut timor & exemplum ab hujuſmodi ſceleribus Confeſſarios alios abſterreat; ita ſentiunt Bonacina, (b) & Diana; nihilominus *de Perinis* (c) ſententiam propugnat, quæ videtur probabilior.

Si enim pœnitens a ſuo Confeſſario, cui non amplius confitetur, ſollicitata fuit, eum denuntiare non tenetur, quia Bulla de Confeſſariis tantum loquitur, qui ſuas pœnitentes ſollicitant, non autem de cæteris Eccleſiaſticis alterius ſexus perſonas promiſcue ad turpia ſollicitantibus. Uno verbo non puniuntur in Bulla Confeſſarii, qui carnalia peccata cum ſuis pœnitentibus perpetrant, ſed Confeſſarii, qui occaſione Confeſſionis ſuas pœnitentes ſollicitant, inquiunt Auctores laudati. (d)

Bulla Gregorii XV. complectitur Eccleſiaſticos prorſus omnes tam Sæculares, quam Regulares, cujuſcumque generis & conditionis ſint, quod eadem ratione de Epiſcopis eſt accipiendum, inquit Bonacina (e). Ex Bullæ verba: *Omnes & ſinguli Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares, quorumcumque Ordinum, cujuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, & quovis privilegio muniti exiſtant.* Quoniam non amplius in Galliis in uſu ſunt Provincialia Concilia, ad quæ deferri poſſet Epiſcopus, qui ſuam pœnitentem ad turpia ſollicitaret, facta hypotheſi deferendum eſſe; non apparet, quo tandem deferri poſſet, niſi conſuleretur ſummus Pontifex, ut ſtatuit Tridentina Synodus *Seſſ. 24. c. 5. de Reformat.* qui Legatos in partibus inſtituere poſſet ad inquirendum; at in hoc negotio tot difficultates occurrunt, adeoque incertus videtur exitus, ut ſatius fuerit coram Deo ingemiſcere, eumque rogare, ut tollat hoc ſcandalum ex Eccleſia, quæ ratione perſonæ grave inde damnum ſubiret.

Videri poteſt id, quod in Jure ſtatuitur adverſus Epiſcopos, & Eccleſiaſticos, qui in ejuſmodi flagitia labuntur; pœnitentiam nempe, ejuſque peragendæ tempus aſſignat 30. *q. 1. cap. Non debet; cap. Omnes, & cap. Si quis. Non debet Epiſcopus aut Presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ſua ei fuerunt confeſſæ peccata, ſi forte, quod abſit, hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali: Epiſcopus quindecim annos: Presbyter duodecim, & deponatur, ſi tamen in conſcientiam populi devenerit.*

Si Presbyter, ſi Parochus, ſi Epiſcopus fœminam ſollicitarunt, ſive ea ipſorum pravis cupiditatibus aſſenſerit, ſive non, Confeſſarius, cui ea confitetur, ipſam ad denuntiationem obligare non poteſt; quoad Epiſcopum denuntiatio locum habere non poſſet, ut dictum eſt; quod autem ad Parochum, aut alium quemlibet Eccleſiaſticum pertinet, non tanta eſt obligatio, quanta foret, ſi alteruter ei eſſet a confeſſionibus; poteſt igitur ei ſtatim præcipi, ut ne ad hunc Parochum aut Eccleſiaſticum amplius accedat, utque etiam eumdem ad Superiorem deferat, ſi conſtet eum cum aliis quoque mulieribus eodem modo ſe gerere, facta hypotheſi nullam aliam obtinendæ emendationis rationem præſto eſſe, nullumque grave malum eſſe timendum, ut ſupra dictum eſt, ei, qui Superiori denunciaret.

Ad quartam: Si pœnitens in eo caſu non verſetur, in quo cogi poſſit Confeſſarium, a quo eſt ſollicitata, deferre, poteſt reticere peccata, quæ cum ſuo Confeſſario commiſit, cum debeat alii confiteri in ea Diœceſi, in qua ſollicitatio eſt caſus reſervatus, a quo ii tantum Confeſſarii poſſunt abſolvere, qui pœnitentibus præcipere ſolent, ut eos Superiori denuntient, qui eas ad turpia ſollicitaverint; quia tunc ſpectandus eſt caſus, tanquam in quo confeſſio fieri non poſſit abſque gravi infamia proximi apud Confeſſarium, qui eumdem cognoſcit. Porro juxta probabiliorem ſententiam in confeſſione peccatum reſervatum occultari poteſt, ne proximi fama lædatur, eique grave aliquod incommodum inferatur. Videri poteſt, quod ajunt Baſſæus v. *circumſtantiæ §. 6.* aliique Auctores, quos citat.

Poteſt igitur hæc pœnitens ſuam confeſſionem partiri, ſi non confiteri non poſſit, donec per tempus poſſit eamdem perficere, & aliorum peccatorum, quæ reſervata non ſunt, abſolutionem directe percipere. Ita ſentit Layman; hæc enim pœnitens ſpectanda eſt, perinde ac ſi Confeſſarii reſervatos caſus habentis ei copia eſſe non poſſet.

Uno verbo hæc pœnitens in caſu, prout in hac quæſtione propoſitus eſt, poteſt abſolute confiteri Sacerdoti approbato peccatum ſuum, licet reſervatus caſus non ſit, quin iterum confiteri teneatur; quoniam hæc ſuppoſita reſervatio cum abſoluta obligatione declarandi Superiori Confeſſarium, qui ſuam pœnitentem ad turpia ſollicitavit, ſpectari poteſt tanquam non appoſita, ſiquidem injuſta eſt.

Deciſum hac die 23. Auguſti an. 1698.
G. *Fromageau*.

Jusjurandum in Bullam Gregorii XV. quoad Confeſſarios.

CASUS II.

Bulla Gregorii XV. quoad Confeſſarios, qui pœnitentes ad turpia ſollicitant, in Galliis recepta non eſt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat non immerito credi Bullam Gregorii XV. dici 30. Auguſti an. 1622. *cap. Univerſi* in Galliis receptam non eſſe, non ſolum quia ibi non ea ſervantur omnia, quæ præcipit quoad Confeſſarios, qui pœnitentes ad turpia ſollicitant, ſed etiam quia ad ea tantum loca videtur pertinere, in quibus obtinet Inquiſitio, quæ in Galliis non eſt recepta; præterea in ea Bulla Pontifex delegat Epiſcopos, ut contra hujuſmodi Confeſſarios agant, eoſque perſequantur. Jam vero Galliarum Epiſcopi contendunt hac ſe facultate pollere jure proprio & communi, non autem tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos, ea prorſus ratione, qua contra hæreticos agere poſſunt.

(a) Bonacina lib. 2. diſp. 6. p. 3. n. 20. Diana 1. p. tr. 4. reſol. 23. & 4. p. tr. 5. reſol. 15. De Perinis l. cit §. 4. nn. 8. 9. 10.
(b) Bonacina l. cit. n. 9. Diana 4. p. tr. 5. reſol. 23.
(c) De Perinis l. cit. §. 9. n. 3.
(d) De Perinis l. cit. §. 4. n. 8. & §. 5. n. 18.
(e) Bonacina l. cit. 21.

Denique non apparet, dum contra hos Confeſſarios agitur, iis tanquam de hæreſi ſuſpectis abjurationem imponi, ut in Bulla præcipitur; qua quidem de cauſa ſtatui poteſt eam in pleriſque ſaltem Galliarum Diœceſibus non obtinere. Id tamen non impedit, quominus pœnitentes, poſt captum prudentum, doctorumque Virorum conſilium, teneantur monere aut monendos curare Superiores, ſi forte occurrant Confeſſarii, qui per ſummam impudentiam audeant ſuas pœnitentes ad malum ſollicitare. At id præciſe non ita habet vi Bullæ Gregorii XV., ſed ob generalem rationem boni publici & Religionis, cui fidelis quiſque debet totis viribus advigilare.

Hoc poſito, nullus, ut videtur, propoſitis quæſtionibus locus ſupereſt; ſi tamen noſſe lubet peculiares caſus, in quibus denunciandus eſt juxta Bullæ mentem Confeſſarius, qui ſollicitat ad turpia, conſuli poſſunt Diana 1. *p. tr.* 4. *reſolut.* 11. *& ſeq. &* 4. *p. tr.* 5. *reſolut. & ſeq.*, Bonacina *tom.* 1. *tract. variarum quæſt. diſp.* 6.; Pelizarius *tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *ſect.* 1. *n.* 22.

Deciſum hac die 8. Octobris an. 1696.
G. *Fromageau.*

Confeſſarius, qui cum ſua pœnitente liberius ſe geſſit.

CASUS III.

1 *Confeſſarius, qui criminoſum licentiæ genus in aliquam ex ſuis pœnitentibus ſibi arrogavit, ei amplius a confeſſionibus eſſe non debet.*

2 *Etiamſi reſipuerint, & ſe ſatis firmo animo eſſe crederent, ut ne amplius reciderent, ea tamen fæmina ad illum, confeſſionis gratia, redire non debet, propter periculum, cui ſe exponeret.*

QUÆSITUM.

Quæritur I. An Parochus poſt turpes contactus, qui ipſum inter & fæminam ejus curæ concreditam contigerunt, poſſit ei permittere, ut ſibi confiteatur, eique abſolutionem tribuere?

II. Facta hypotheſi utrumque reſipuiſſe, & ex animo non amplius peccare velle, poteſtne hæc fæmina ad eumdem Parochum tuta conſcientia redire, eique confiteri?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, ad interrogationem primam quod attinet, Parochum, qui cum fæmina ſibi ſubdita deliquit, ejus confeſſionem audire non debere, niſi graviſſima neceſſitas urgeat, ſed oportere, ut eam ad alium remittat, ne forte præteritarum rerum recordatio novam peccandi occaſionem utrique præbeat. Hanc ob cauſam Suffredus Archiepiſcopus Colonienſis cap. 8. ſuorum Statutorum, ubi agit de Pœnitentiæ Sacramento, ſub excommunicationis pœna prohibet, ne quis Sacerdos fæminæ, cum qua peccaverit, confeſſionem audiat. En ejus verba: *Item præcipimus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos audiat confeſſionem mulieris, cum qua peccavit, nec etiam conſocios aut fautores, aut mediatores peccati ſui, ſed mittat eos, vel eas ad honeſtos & diſcretos Confeſſores.*

Ad interrogationem alteram quod ſpectat; fæminam, quæ cum ſuo Parocho ea ratione peccavit, abſque gravi neceſſitate ei confiteri non poſſe propter periculum, ac peccare, ſi ad eum accedat, præſertim ſi quod habeat patefaciendum intemperantiæ peccatum, in quod poſt poſtremam ſuam confeſſionem lapſa fuerit.

Deciſum in Sorbona die 9. Junii an. 1680.
Auguſt. *de Lamet.*

Vide *Oſculari.*

Obligatio Confeſſarii.

CASUS IV.

An Confeſſarius teneatur ad reſtitutionem, ad quam non eſt cohortatus fæminam, quæ occubuit, quin declararet ſe falſo titulo uſam eſſe contra Dominum, ut quoddam prædium a cenſu liberaret; atque an Confeſſarius id, quod ex hujus fæminæ confeſſione percepit, patefacere poſſit, cum ea id ipſi permiſerit?

QUÆSITUM.

Titius falſum titulum poſuit, in Domini ſchedula, ut uxoris ſuæ Titiæ bona eximeret a cenſu, qui debebatur Domino, qui falſo contra titulum ſe ſubſcripſit, licet eſſet Vir nobilis perſpectæ probitatis; cum contra Titius forte fortuna captus eſſet Pariſiis a Nepote Viri nobilis, a quo in ſuo prædio matrimonio junctus eſt Titiæ, quæ hereditatis jure gaudebat.

Titia non ſatis virium ſibi eſſe intelligens, ut contra Dominum judicio contenderet, patrocinium quæſivit; & in eum finem Collegio Urbis proximæ bonorum ſuorum donationem obtulit, ea conditione, ut ære alieno liberaretur, ſibique fieret, & ſuis filiis annua penſio; quod propter falſi tituli litem Collegium acceptare noluit; ſed Collegio Societatis Jeſu reſpuente, acceptavit ejuſdem Urbis Capitulum cum conditionibus memoratis, & prædii poſſeſſionem inivit, litem propugnans adverſus Dominum, quo defuncto, lis hæſit longo tempore propter negligentiam generi & hæredis Viri nobilis, & propter peculiarem providentiam. Titia enim poſt multos annos extremo morbo laborans declaravit ſuo Confeſſario, qui ex Capitulo erat, quod ejus donationem receperat, titulum falſum eſſe; ſeque, quod in conſcientia tenebatur, facere voluiſſe; ita tamen, ut Confeſſarius ad declarationem hanc confirmandam teſtes non adhibuerit, ſeu per ignorantiam, ſeu per affectationem, ſeu quia Capitulum ſibi fidem habiturum eſſe præſumeret, quod tamen non contigit.

Quærit nunc temporis Confeſſarius, an non Capitulum teneatur ejus aſſertioni deferre, litem falſo titulo propugnatam deſerere, ac ſolvere, quo quidem prædio frui cœpit; ac ſi forte Capitulum id facere recuſaverit, an ipſe ad aliquam reſtitutionem, & Titiæ declarationem evulgandam obligetur?

An poſſit ita negotium componere, ut præteriti cenſus & impenſæ litis ex parte Capitulo remittantur, quin declarationis certiorem faciat Virum nobilem, qui poſſet diſtinctius rem cognoſcere per Litteras Monitorias, ſi quid ei de hac declaratione ſuboluiſſet. Animadvertendum eſt, Capitulum in hac donatione ſummopere deceptum fuiſſe; nova enim quotidie emergunt æris alieni, quod ſolvere debet, incommoda; præterea longe maximis impendiis obnoxium fuit, ut donatum fundum curaret, & gravia litigia ſuſtineret, ita ut eum longe pluris emerit, quam valeret.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod præſentem Expoſitionem vidit, expenditque, cenſet reſponſionem inchoandam eſſe a conſilio, quo uſus eſt Confeſſarius in ſuo negotio, putatque eum alia ratione ſe gerere debuiſſe, ut reddendam curaret rationem Domino, adverſus quem Titius titulum finxerat, ut conjugis ſuæ Titiæ fundum, a cenſu quo in ejuſdem Domini bonum gravatus erat, eximeret; quem titulum Titia prætenderat, ne eidem Domino eum cenſum ſolveret, licet de tituli fictione cognoviſſet; proindeque tenebatur ſarcire damnum Domino illatum per litem ei intentatam tum ab ipſa Titia, tum a Capitulo, in quod ea per conventionem cum ipſo initam ſua jura tranſtulerat; & præterea Titia id quoque reſtituere debebat, quod occaſione litis cum eo Viro nobili & ejus hærede Capitulum ipſum impenderat, atque id etiam, quod detrahendum erat ex ſumma, quæ ad fun-

fundi acquiſitionem tradita fuerat ex hypotheſi, quod a cenſu, qui Domino debebatur, liber & immunis eſset. Cujus quidem reſtitutionis obligatione tenentur filii, ſi, ut id præſtent, ſatis bonorum habeant, cum eorum mater non reſtituerit.

Quod ſi Capitulum de re tota certum fuiſſet, omnia damna, quæ Viri nobilis hæredi attulerat, compenſare teneretur, & univerſim id omne præſtare, ad quod Judices defunctam damnaſſent, ſi de re cognoviſſent, ſcilicet ex quo Capitulum eo jure potitum eſt, quod contentioſum eſſe comperiebat. Cum enim ultro defunctæ jura ſubierit, non ignorans falſam inſcriptionem contra titulum factam eſſe, ejus etiam obligationem ſubiit, a qua acquiſivit, quin bonæ fidei prætextu ſe tueri poſſit. Verum non creditur oportere, ut Confeſſarii teſtimonio Capitulum omnino acquieſcat, ſed opus eſſe, ut ſuppoſitum jus ſuum attentius expendat, & ad id animum referat, quod Confeſſarius eidem aſſeruit aut aſſeret, prout quidem eum fide dignum judicaverit, hanc quoque circumſtantiam cæteris addens, quæ præſto eſſe potuerint, & pro majori veriſimilitudine, quæ ex iis omnibus circumſtantiis affulſerit, facilius in compoſitionem conſentiens, ſi res ipſi omnino perſpecta non fuerit. Si enim rem certo cognoſceret, teneretur, ut dictum eſt, ad integram reſtitutionem, quin ullam diminutionem petere poſſet propter diſpendia, quæ hujus acquiſitionis cauſa ſubiit, quia ſe periculo ſubdidit, ex quo in eam conſenſit cognoſcens litigioſum jus eſſe.

Confeſſarius porro debebat in hac facti ſpecie uti venia ſibi conceſſa ex *C. Omnis utriuſque ſexus, extra. de pœnitentiis & remiſſionibus: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit*, inquit Innocentius III. in quarta Lateranenſi Synodo, *illud abſque ulla perſonæ expreſſione caute requirat*; & hac ratione melius conſuluiſſet iis omnibus, ad quos negotium ſpectabat, ſuæque potiſſimum pœnitenti, imprimis animadvertens, an illa haberet, unde ſatisfaceret.

Neque vero poteſt Confeſſarius id revelare, quod ex hujus fœminæ confeſſione percepit, niſi ea permittente, & apud eos quidem tantummodo, quos ipſa deſignaverit. In qua controverſia Theologorum omnium non una ſententia eſt; ſunt enim, qui aſſerant Confeſſarium nunquam poſſe detegere, quod ex Sacramento cognoſcit, etiamſi pœnitens id permiſerit, ut animadvertit Navarrus *Man. cap. 17. n. 23. & de pœnitent. diſt. 6. cap. pen. Sacerdos n. 126.* Sed hæc opinio non eſt communior, Divo Thoma, & Theologorum pleriſque contra ſentientibus. Conſilium ſubſcriptum cenſet ei opinioni ſtandum eſſe, quæ paſſim obtinet, ita tamen, ut hæc permiſſio ex legitima cauſa concedatur, & ut ait Navarrus n. 126. *de pœnit. diſt. 6. cap. pen. Sacerdos*, quem citavimus, quique ita loquitur: *Nam primo tum primum dicimus, de pœnitentis licentia licet aperire Confeſſionem, quando hæc licentia præſtatur ex cauſa juſta, & quæ bonori vel utilitati conducat ipſius confitentis, vel alterius*; caveat autem Confeſſarius, ne ex declaratione, quæ in multorum notitiam veniret, non pauci in Theologicis & Canonicis rebus non ita verſati pravas adverſus Confeſſionem conſecutiones deducant, quæ ipſos a Sacramento abſterrere poſſint; timendum eſt enim, ne dicatur integrum fore Sacerdoti pronunciare bene multa poſt eorum mortem, quibus adſtiterit, cum a mortuis contradici non poſſit; ac ſi prævideatur id multis occaſionem ſcandali fore, minime crederetur Confeſſarius eloqui potuiſſe, propterea quod ex trita regula bonum particulare generali cedere debet.

Jam antiqui Theologi, cujuſmodi ſunt Angelus a Clavaſio *verb. reſtitutio q. 5.* & Roſella *verb. reſtitutio 2. ſ. 5.* Confeſſario reſtitutionis obligationem imponunt, cum ejus culpa pœnitens, qui tenebatur, eamdem non præſtitit; Navarrus *Man. cap. 17. n. 22.* in eorum ſententiam deſcendit. Contendunt alii id ad eos tantum ſpectare, qui tituli jure Paſtores ſunt, quales ſunt Parochi & Epiſcopi, qui confeſſiones audire tenentur; denique non deſunt, qui a nullo prorſus Confeſſario eam obligationem contrahi pronuncient. Quoniam prior opinio firmioribus fundamentis nititur, ideo tenenda creditur, ita tamen, ut ii tantum ad id obligentur, qui rei evaſerint *ex lata culpa*, ut monet Sayrus *Clavis Regiæ lib. 10. tr. 2. cap. 14. dub. 5.* quod antea loco citato Navarrus animadverterat in hæc verba, quæ Confeſſario ſunt expendenda: *infertur, quod Confeſſarius, qui per ignorantiam craſſam aut affectatam abſolvit ante reſtitutionem, vel antequam eam præcipiat confitenti, ad id parato, remanet obligatus ad reſtituendum, quia fuit in cauſa, ne damnificatus, quod ſuum erat, vel ei debebatur, reciperet. Quod in Confeſſario vidente, aut credente, quod niſi reſtitutionem præciperet confeſſo, non reſtitueret, & ſi præciperet, ſic; non autem in eo, qui ſolum credit confeſſum eſſe obligatum ad reſtituendum, & non præcipit propter incogitantiam, aut quia exiſtimat id ipſi confeſſo curæ fore; nam non eſt cauſa non reſtituendi.* Confeſſarius porro, de quo agitur, hac obligatione adſtringi non creditur, cum Titiæ reſtitutionem præceperit, ejuſque obligationem eidem ſignificaverit, ut ex ipſius præſenti ſollicitudine conjici licet, præſertim cum quoad media tantum hallucinatus ſit; quamobrem creditur ſuo muneri ſatisfacturus, ſi omnem ſuam operam eo conferat, ut negotium quam minimo fieri poſſit ejus incommodo, qui Domini hæres eſt, conficiatur.

Deciſum Pariſiis die 17. Decemb. an. 1687.
Aug. *de Lamet.*

Parochus confeſſiones audiens, quin Viſa receperit.

CASUS V.

1 *Parochus Reſcripti vi Parochiæ poſſeſſionem adeptus, & functionibus Curialibus ſubinde perfunctus, quin Viſa receperit, Pœnitentiæ Sacramentum, ac cætera Sacramenta, quæ Juriſdictionem requirunt, valide adminiſtrare non potuit.*

2 *Qui e Parochia ſunt ei confeſſi, non peccarunt agentes bona fide, quamvis Sacramenti gratiam nequaquam perceperint; ac ſi deinde Sacerdoti auctoritate pollenti confeſſi ſunt, Sacramenti gratiam perceperunt, etiamſi peccata præcedentia confeſſi non fuerint, ſemper in bona fide exiſtentes; at certiores facti Parochum ſuum abſolvendi poteſtate caruiſſe, confeſſiones ſuas repetere debent, præſertim quoad peccata mortalia.*

QUÆSITUM.

Quod attinet ad quæſtionem his verbis propoſitam: Petrus Sacerdos permutationis vi de Sancti Martini Parochia proviſus, cum a Vicario Generali petiiſſet *Viſa*, nec obtinere potuiſſet, acceſſit appellans tanquam ab abuſu ad Senatum ab hac negatione, poſtulans, ut ſibi liceret ejus Parochiæ poſſeſſionem adire. Receptus eſt appellans, & ineundæ poſſeſſionis veniam obtinuit ad ſuum jus ſervandum, ea conditione, ut poſſeſſionem ſuam renovaret, cum proviſiones ſecundum juris regulas obtinuiſſet. Init poſſeſſionem Petrus Reſcripti vi, & nulla interjecta mora apud Superiores Eccleſiaſticos minime proviſus, immiſcet ſe functionibus curialibus abſque ulteriori poteſtate; & quidem biennii ſpatio. Eum Epiſcopus viſitationis tempore, cum legitima inſtitutione deſtitutum comperiſſet, interdixit; quamobrem quæritur, an Petrus Pœnitentiæ Sacramentum valide adminiſtraverit, cum a ſuis Superioribus *Viſa* non obtinuerit, & tantum egerit ex poſſeſſione, quam iniit Reſcripti vi?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, cum per Senatus Reſcriptum non potuerit in hac facti ſpecie Petro concedi venia poſſeſſionis ineundæ niſi ad conſervationem juris, nec re ipſa conceſſa fuerit, niſi ea conditione, ut eam renovaret, cum primum inſtitutionem Eccleſiaſticam ſuſcepiſſet, ei non licuiſſe hujus Reſcripti vi in Parochia Sancti Martini Parochiales functiones obire; eum, cum *Viſa* non habuerit, nulla auctoritate aut juriſdictione inſtructum fuiſſe, nec proinde valide Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare potuiſſe, quia

nullum coloratum titulum habuit, quo functiones, quæ juriſdictionem poſtulant, exerceret, ejuſque intruſio eſt manifeſta. Non eamdem hujus Parochi vero titulo carentis rationem eſſe, atque eorum, qui externa ſpecie id omne habent, quod eſt neceſſarium, licet vere proviſi non ſint propter occultum, celatumque defectum, quique ſuas functiones valide obire poſſunt, quoniam communis error facti, accedente Superioris auctoritate, efficit præſumptum titulum, qui ex communi ſententia juriſdictionem tribuit. Panorm. *c. nihil de elect. n.* 12. Sylveſter *verbo Confeſſor.* 1. *q.* 19. Cajet. *v. abſolutionis impedimenta.* Navar. *manual. c.* 9. *nn.* 7. 8. *q.* 10. Avila *de cenſuris part.* 2. *cap.* 7. *diſp.* 6. *dubio* 6. Id autem in præſenti facti ſpecie non occurrit, quoniam Petrus id non præſtitit, quod in foro externo requirebatur ad obtinendam juriſdictionem, quæ in hujuſmodi caſibus obtineri non poteſt niſi per *Viſa* & *Conferimus* Epiſcopi, aut ejus Superioris, eo recuſante; ut proinde Sacramenta, quæ juriſdictionem poſtulant, valide adminiſtrare non potuerit, ſitque rationi conſonum, ut Præſul perſpecto huic malo remedium afferat, monendos curans Sancti Martini ſubditos, iiſque Viros aſſignans, qui ſedulo in id incumbentes, ne eorum animos perturbent, ad hujuſmodi confeſſiones in ordinem redigendas eoſdem perducant; declarantes tamen eos non peccaſſe, quippe cum egerint bona fide, etſi Sacramenti gratiam non perceperint, ejus culpa, qui poteſtate carebat. Si tamen hi ſubditi poſtea confeſſi eſſent cum diſpoſitionibus requiſitis alicui Sacerdoti auctoritate pollenti, recepiſſent Sacramenti gratiam, licet confeſſionum præcedentium peccata non ei ſubdidiſſent, ſemper in bona fide perſiſtentes; atque hæc peccata, quæ confeſſi non eſſent, inſtar eorum fuiſſent, quæ per oblivionem omittuntur, quæ quidem non impediunt abſolutionis effectum, quoties pœnitens in examine eam omnem curam adhibuit, quam potuit. Sed quemadmodum ea peccata Confeſſario ſubdenda ſunt, ſtatim atque in mentem veniunt: ita peccatorum mortalium confeſſio Petro facta iteranda eſt, propterea quod ille juriſdictionem non habuit.

Deciſum in Sorbona die 19. Junii an. 1682.
A. *de Lamet.*

Confeſſarius, qui pravum conſilium præbet.

CASUS VI.

Confeſſarius, qui ſuo pœnitenti pravum conſilium dedit, malum inde proveniens reparare debet.

QUÆSITUM.

Confeſſarius (qui in præſentia Romæ degit) ait, cum aliquot ab hinc annis verſaretur N., ad ſe acceſſiſſe quemdam tabernæ famulum Sacramentalis Pœnitentiæ gratia, ac declaraſſe ſe menſura juſto minore uti, dum venderet, id tamen ſe facere ab Hero coactum, & eo tantum præſente.

Confeſſarius falſis aliquibus principiis nixus, aut minori, quam par erat, ſcientia inſtructus, nullo quidem certe humano reſpectu permotus non vetuit pœnitentem in hac fraude perſiſtere, contentus eum monere, ut id faceret, quam poſſet, rariſſime.

Eodem die Confeſſarius de errore ſuo cogitans, ejus reparandi gratia pœnitentem quæſivit; ſed cum obvium non habuiſſet, nec ſe ad hanc reparationem adeo teneri crederet, diſceſſit N. haud merito pœnitente.

Romæ degens agitatur conſcientiæ ſtimulis, judicatque hoc damnum (quod ait eſſe notabile, cum diebus ſingulis hujus famuli dominus merces vendat ad ducenta ſcuta circiter, ac fraus ea ſit, ut fortaſſe quinquaginta ſcutorum jacturam ementibus afferre poſſit) hoc, inquam, damnum adhuc perſiſtere; & cum illud in confeſſione probare viſus fuerit, ne ante ſuum diſceſſum ſe retractaverit, non putat in conſcientia ſe poſſe a neceſſariis pœnitenti tribuendis admonitionibus abſtinere.

Quamobrem optat, ut ſibi declaretur, I. An vere teneatur tabernæ famulum admonere, ne deciſioni, quam ei præſtitit, acquieſcat? II. An poſita hac obligatione, debeat quamprimum Roma regredi N. ut hujus pœnitentis alloquendi occaſionem nanciſcatur, quod quidem iter ei admodum grave eſſet; an vero ulla ratio præſto eſſe poſſet, ut licite, & ſervato confeſſionis ſigillo, huic pœnitenti, quem novit neſcire legere, neceſſariæ admonitiones ſuppeditarentur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod allatam expoſitionem expendit, exiſtimat, Confeſſarium, de quo agitur, excuſari non poſſe, & peccaſſe graviſſime, dum pœnitenti ſe accuſanti, quod iniqua menſura uſus venderet, Domino præcipiente, auctor fuit, ut quam rariſſime poſſet, id faceret; quia per ea verba approbavit eum male & injuſte agere in aliquibus caſibus; atque ita is vere dici poteſt malum conſuluiſſe, & iis omnibus malis cauſam præbuiſſe, quæ famulus ex ejus confeſſionis tempore perpetravit, facti hypotheſi eum juxta hoc principium egiſſe; ipſumque proinde teneri quaſcumque poterit, occaſiones quærere, ut eum pœnitentem reviſat, eumque alloquatur in Confeſſione, quo eumdem hac ratione ab errore liberet. Eo autem magis debet ita ſe gerere, quod Conſilium ſubſcriptum cenſet eum obligari quoad eos, qui a pœnitente decepti fuerint, in ea cogitatione, futurum ſcilicet fuiſſe, ut ille Mercatorum damno conferret, præſente domino, cujus imperium faciebat. Haud ſane tam ſevere ageret Conſilium ſubſcriptum cum hoc Confeſſario, ſi ſilentio contentus fuiſſet ob defectum conſiderationis, & ob incogitantiam, ut loquitur Navarrus, & ſi in ignorantia craſſa verſatus non fuiſſet; at cum poſitivum conſilium dederit, cenſetur excuſari non poſſe. Vide Navarrum *in Manuali cap.* 17. *n.* 22. Angelum *verbo reſtitutio ultim.* §. Emmanuelem Sa *v. reſtitutio n.* 2. Bonacinam *de reſtitutione in genere puncto* 7. *præpoſit.* 4. *nn.* 22. & 23. Ille igitur, cum nequeat malo mederi, niſi Roma redeat, redire debet, ut pœnitentem nanciſcatur, ea ratione, qua ſupra dictum eſt; neque vero Confeſſarius remedium afferre poteſt niſi in Pœnitentiæ Sacramento, cum nequeat id ulli demandare pœnitenti declarandum, quin Sacramenti ſecretum violet.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 22. Auguſti an. 1687.
Auguſtinus *de Lamet.*

Confeſſarius in aliena Diœceſi confeſſiones audiens.

CASUS VII.

De poteſtate Confeſſarii, cui ab Epiſcopo conceſſa eſt juriſdictio, in alienis Diœceſibus quoad eos exercenda, qui eidem Præſuli ſubditi ſunt.

QUÆSITUM.

Vir nobilis itinerans cum familia ſecum ducit Religioſum, qui ejus ordinarius Confeſſarius, quaſique eleemoſynarius eſt. Petit ab Epiſcopo Diœceſano veniam, ut ipſe cum ſuis ei confiteatur itineris tempore; aſſentitur Epiſcopus. Hujus quoque Religioſi Superior eam omnem facultatem, quam pro Ordinis ſui privilegiis poteſt, eidem tribuit.

Plus quam anni ſpatio ita res habuit; Vir hic ejuſque Familiares bona fide, ex hujuſque Religioſi ſententia, per varias Diœceſes tranſeuntes ei confitentur ad longum tempus, ab Ordinariis venia non petita. Cum demum illi diu moratentur in Diœceſi cujuſdam Archiepiſcopi & Primatis, is ex Religioſo quæſivit, quo jure in ejus Diœceſi Sacramenta adminiſtraret abſque ipſius venia, quam

eidem

eidem exhibet, dummodo aliquod habilitatis ſpecimen dederit.

Ei ſignificavit Religioſus non Epiſcopi quidem veniam, ſed argumenta, quibus oſtendit ſe aut in ſuo Ordine aliquod Officium tenere, aut librum compoſuiſse; & Superior Ordinis in eo loco, ubi aderat, contendit ei ſuiſse facultatem confeſſiones audiendi propter Ordinis privilegia; declarat Archiepiſcopus id ſatis non eſse, nec ſe poſse Confeſſionis facultatem eidem concedere, niſi examini ſe ſubjecerit.

Prætereunt interim anni tres, & Confeſſiones a Religioſo ſemper audiuntur. Deinde a Romana ſede veniam obtinet audiendi confeſſiones hujus Viri, ac familiarium, ubicumque locorum fuerint.

In votis eſt audire, quid Facultatis Doctores ſentiant ſuper hiſce capitibus.

I. An Pater hic valide ac licite potuerit ejus Viri & Familiarium confeſſiones variis in Diœceſibus audire, venia ab Ordinariis haud petita?

II. An decem menſium ſpatio potuerit id facere in Archiepiſcopi Diœceſi, quin ab eo facultatem poſtularet?

III. An id ei licuerit, poſtquam Archiepiſcopus eum prima vice monitum voluit?

IV. An potuerit ex eo tempore, cum inſtaret Archiepiſcopus, uſque ad Brevis Apoſtolici impetrationem?

V. An in Diplomatis poſtulatione neceſſe fuerit ad ejus validitatem, ut univerſum negotium declararetur?

VI. An qui ei confeſſi ſunt, in conſcientia tuti ſint, & ſe legitime abſolutos credere poſſint, & quid in conſcientiæ foro præſtare teneantur?

Rogantur Facultatis Doctores, ut meminerint id omne extra Gallias contigiſſe.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod Expoſitionem hanc & interrogationes vidit, & expendit, exiſtimat ad cumulatam harum omnium quæſtionum ſolutionem proœmii loco ponendum eſſe Juriſdictionem Eccleſiaſticam aliam quidem voluntariam, aliam vero contentioſam eſſe; primam exerceri poſſe ubique locorum, & extra proprium territorium, quippe quæ nihil exterius ſervari dum adjunctum habeat; alteram autem extra proprii territorii terminos exerceri non poſſe, niſi acceſſerit ejus permiſſio, qui ibidem Superioris titulo gaudet. Ex quo fit, ut Epiſcopi, cæterique Beneficiorum Collatores poſſint inſtituere Collationes, & Proviſiones in alienis Diœceſibus, quin adeundus ſit Epiſcopus loci, quia poteſtas hæc ad juriſdictionem voluntariam pertinet; atque hac de cauſa Parochus ſui ſubditi confeſſionem audire poteſt non modo in ſua Eccleſia, & in Diœceſi, in qua ipſius Beneficium exiſtit, ſed etiam in quacumque Diœceſi eumdem offenderet. Auctorum clariſſimi quique ſtatuunt unanimi conſenſu principia hæc, præterquamquod hanc ſententiam uſus approbat, confirmatque; quod quidem eſſe poteſt regulæ loco, ut propoſitis quæſtionibus reſpondeatur. Facta enim hypotheſi, quæ conſtans eſt, adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ a juriſdictione voluntaria pendere, difficultas in eo vertitur, ut declaretur, an hæc poteſtas ab Epiſcopo communicari poſſit; atque ita an poſſit Sacerdoti ſeu ſæculari, ſeu regulari facultatem concedere audiendæ confeſſionis ſui Diœceſani, ubicumque illum compererit, prorſus quemadmodum ipſe audire poſſet; atque an etiam Parochus poſſit aliquem delegare, ut idem præſtet. Tradit id rotundis verbis Sanctus Antoninus, docetque non ſolum Parochos, ſed eorum quoque Vicarios ubique gentium ſubditorum ſuorum confeſſiones audire poſſe. Eſt id in tertia parte ejus Summæ cap. 10. *Nam Curati*, inquit, *poſſunt audire Confeſſiones, & eorum Vicarii, ſuorum ſubditorum in Diœceſi Epiſcopi ſui, & extra Diœceſim*. Roſella idem docet *verb. Confeſſor. 2. n. 3.* ubi cum dixiſſet licere Parocho ſubditum ſuum ubique abſolvere, *quia*, inquit, *in his, quæ fiunt ſine ſtrepitu, nullius territorium læditur*. Addit idem ſentiendum non eſſe de Confeſſariis extraordinariis, quales ſunt Mendicantes, qui debent in ea Diœceſi conſiſtere, in qua ſunt præſentati, niſi Epiſcopus eis concedat gratiam ſpecialem, eaque ampliorem, quam habent vi præſentationis: *iſti audiunt Confeſſiones de peccatis ubique commiſſis ..... ſed extra territorium non poſſunt abſolvere per verbum dictæ Clementinæ. Si tamen dicti Ordinarii ampliorem gratiam facere vellent, poſſent ſine illa præſentatione*; ita ut Auctoris hujus ſententia nullam hi poteſtatem habeant ex privilegio, quod ipſis conceſſum eſt per Clementinam. *dudum de Sepulturis*, ſuorum ſubditorum confeſſiones extra Diœceſim audiendi; poſſint tamen audire, Epiſcopo permittente. Hinc liquido conſtat, hujus Auctoris aſſertione Epiſcopum delegare poſſe ad Diœceſanos etiam extra Diœceſim audiendos; quod eo recidit, quod a Sancto Antonino traditum eſt. Sylveſter ejuſdem ſententiæ eſt *v. Confeſſor. §. 4* ubi de Mendicantibus verba faciens animadvertit eos agere poſſe vel ex auctoritate, quam ipſis tribuit Clementina *dudum de ſepulturis*, vel ex ea, quam a Parochis aut Epiſcopis acceperint; in priore caſu non poſſe confeſſiones audire extra eam Diœceſim, in qua a ſuis Superioribus electi ſunt, & Epiſcopo præſentati; at in poſteriore agentes tanquam delegatos Epiſcopi aut Parochi audire poſſe Diœceſanos ſeu ſubditos extra Diœceſim, qui caſus eſt in præſentia in Expoſitione propoſitus. En verba Sylveſtri: *ſi ſine dicta ſolemnitate* (loquitur de præſentatione Epiſcopis facienda) *committetur ab Epiſcopo vel a Curatis fratribus iſta auctoritas audiendi confeſſiones ſimpliciter, tunc ſecundum Archi. poſſent etiam extra Diœceſim audire, ſicut & alii Vicarii eorum. Et in hoc ſunt majoris poteſtatis quam dicti electi, licet in alio ſint minores, quia non habent auctoritatem, niſi quam dat Epiſcopus vel Curatus; electi vero habent vim, quam dat Pontifex Summus*. Illud igitur horum Auctorum judicio firmum eſſe debet, non ſolum Epiſcopos, verum etiam Parochos Sacerdotibus eam facultatem conferre poſſe, ut ſuos ſubditos extra proprias Diœceſes & Parochias confitentes audiant. Ejus rei Sylveſter rationem affert eodem §. in hæc verba: *quia in his, quæ fiunt ſine ſtrepitu judicii & ſub ſilentio, nullius læditur territorium ff. de offic. Proconſ. l. 2. & facit, quod notat Panormitanus in c. cum contingat de foro compet. & ita tenet Cardinalis Sanchez de Matrimonio lib. 4. diſp. 34.*

Itaque quod ad primam & alteram quæſtionem ſpectat, Conſilium ſubſcriptum cenſet, facta hypotheſi Religioſum ab Epiſcopo Viri nobilis, quem comitatus eſt, poſtulaſſe veniam ejus & familiarium confeſſiones audiendi itineris tempore, ipſum id valide facere potuiſſe, quin permiſſionem acciperet ab Ordinariis locorum, in quibus ille Vir inter iterandum exiſteret, prorſus ut ſe geſſiſſet Epiſcopus, qui ſuam poteſtatem in eum contuliſſet, ſi in iiſdem locis verſatus fuiſſet.

Quod attinet ad quæſtionem tertiam, penes Archiepiſcopum fuiſſe jus ex eo Religioſo quærendi, qua auctoritate in ejus Diœceſi confeſſiones audiret, eique Religioſum rationem reddere debuiſſe; at non item debuiſſe Præſulem ejus dictis fidem habere, ac ni ſuam ei permiſſionem de ſcripto ſignificaſſet, vetare potuiſſe, ne confeſſiones audiret, ad ſcandalum, qui oriri poterat, impediendum; ſi vero permiſſionem ſignificaſſet, vetare non potuiſſe, ne Viri nobilis ac familiarium confeſſiones audiret, dummodo permiſſionem ratam eſſe comperiſſet.

Quod pertinet ad quæſtionem quartam, ſi Religioſus hujus Viri confeſſiones clam audire potuit, & quod inde conſequitur, ſine ſcandalo, ipſum non peccaſſe; at eum id facere non debuiſſe, ſi res in vulgus eſſet abitura, quia confeſſiones audiendæ non ſont, cum id ſcandalo eſſe poteſt iis, qui dubitare poſſunt de permiſſione, quæ ſcripto exarata non cernitur, licet impetrata fuerit.

Quoad quæſtionem quintam, non fuiſſe neceſſe hanc expoſitionem Pontifici fieri, & eas omnes conteſtationes eidem exhiberi ad Diplomatis validitatem, niſi quid peculiare exiſtat, quod expoſitum non fuerit, & quod proinde dijudicari non poteſt.

Super quæſtione ſexta, facta hypotheſi Religioſo huic permiſſionem ab Epiſcopo conceſſam fuiſ-

ſe,

ſe, cum neceſsaria auctoritate fuiſse inſtructum; atque ut, quod res eſt, cognoſceretur, nullam faciliorem atque utiliorem rationem fore, quam ſi ad Epiſcopum ſcriberetur; ſi enim Religioſus prætenderet, quam non haberet, auctoritatem, utile eſset atque adeo neceſsarium, ut confeſſiones, in quibus quidem accuſata eſsent peccata mortalia, repeterentur.

Deciſum in Sorbona hac die 1. Januarii an. 1683.
Aug. de Lamet.

Confeſſarius, qui pœnitentiam imponit.

CASUS VIII.

Non licet Confeſſario pœnitentis ſui pœnitentiam mutare extra Pœnitentiæ Sacramentum.

QUÆSITUM.

SCire cuperetur, an Confeſſarius, quin ſuum pœnitentem admoneat ſe ſibi reſervare facultatem ei imponendi pœnitentiam aliam ab ea, quam injungit ei conferens abſolutionem, poſt aliquot dies eo jure uti poſſit, eidem imponens novam quaſi Pœnitentiam Sacramentalem, eamque ſatisfactionis partem conſtituens?

En facti ſpeciem: Confeſſarius, qui pius æque ac doctus habetur, imponit confeſſo pœnitentiam admodum levem, ut preces aliquas nullam habitudinem cum accuſatis peccatis habentes; biduo aut triduo poſt extra Pœnitentiæ Tribunal pœnitenti declarat, ſe, quo tempore ei abſolutionem tribuit, ſibi jus reſervaſſe pœnitentiam aliam ipſi imponendi; quam quidem ei confeſtim imponit, diſciplinam præcipiens, ſpatio unius *Miſerere* diebus ſingulis, quoad vixerit. Perſona, quæ conſulit, pœnitentiam hanc acceptavit, & quidem animo eam peragendi, perſuaſum tamen habens Confeſſario jus non fuiſſe reſervationis hujus; atque hæc perſuaſio, in qua hactenus extitit, in cauſa fuit, ut ſæpe eam pœnitentiam omitteret; nunc vero dubitare cœpit, an ad eam obligetur. Notandum eſt, hunc Confeſſarium ad tranquillandum pœnitentis animum, audita confeſſione pœnitenti dixiſſe, eum non habere peccata mortalia, quod ei tamen certum non eſt.

Quoniam hæc pœnitentia pergravis eſt, utpote adeo frequens, ac diuturna: in votis eſt ſcire, an abſolute teneat, an commutanda ſit; ac ſi ita res habeat, an confeſſio repetenda ſit, quod ægre admodum pœnitens aggrederetur? Pœnitentiam hanc peregit pœnitens fere anni ſpatio.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum judicat, quoniam jus, quo pollet Sacerdos, imponendæ pœnitentiæ, & obligatio, qua ex alia parte tenetur pœnitens, ejus acceptandæ derivatur ex juriſdictione, quam in interno pœnitentiæ foro Sacerdos exercet: ideo conſequens fieri, ut extra Sacramentum non amplius ille regulariter pœnitentem ligare, & pœnitentiam, ad quam in rigore obligetur, juridice eidem imponere poſſit.

Hinc concludi poteſt, hunc Sacerdotem, qui pœnitentem non admonens, triduo poſt collatam abſolutionem, ei declaravit, ſe ſibi retinuiſſe facultatem imponendi pœnitentiam aliam præter impoſitam, contra regulas peccaſſe, nec amplius jus habere vi prioris judicii, quod non amplius cenſetur ſubſiſtere, imponendi aliam pœnitentiam, quæ ſit Sacramentalis, & percepti Sacramenti partem conſtituat.

Verum quidem eſt, pœnitentem, cum per totum vitæ ſuæ tempus pœnitentiam hanc acceptaverit, ad eam obligari, donec ab ea ſe liberandam curaverit ab alio Confeſſario, ſi ad priorem non redeat, quo in caſu ut pœnitentiæ mutationem obtineat, aliamque ſuſcipiat, peccata ſaltem præcipua, quæ priori Confeſſario declaravit, confiteri debet. Qua enim ratione pœnitentia Sacramentalis ei potuit imponi, & ad eam obligari, eadem ratione opus eſt, ut liberetur, & aliam ſubeat; præſertim cum pœnitentia, ut regulis congruat, peccatis, & pœnitentis ſtatui reſpondere debeat, ut ſatisfactoria ſit, & medicinalis, ut docet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *c.* 8. *de Sacram. Pœnit.* Quod fieri nequit, niſi Confeſſarius ſtatum animi pœnitentis ſaltem pingui, quod dicitur, minerva cognoverit.

Deciſum in Sorbona hac die 5. Maii an. 1698.
G. *Fromageau.*

Confeſſarius, qui amplectendæ Religionis pœnitentiam imponit.

CASUS IX.

Non poteſt imponi pœnitentiæ loco, ut Religio ſuſcipiatur.

UT reſpondeam litteris tuis, mi Reverende Pater, in quibus quæris per ſchedulam inter alia, an pœnitentiæ loco ingreſſus in Religionem præcipi poſſit, (quæ quidem quæſtio earum eſt pulcherrima, quæ in ſchedula continentur;)

Ajo, fidenterque pronuncio, id pœnitentiæ loco injungi non poſſe, quia res eſt, quæ ab electione noſtra pendere debet, & ad quam impellendi non ſumus; conſilii opus eſt, & non præcepti. Quod ſi quando Canones quempiam jubebant in Monaſterium ingredi, id vero non eo ſpectabat, ut emitteretur profeſſio, ſed ut in Clauſtrali ſolitudine pœnitentia perageretur, & pœnalia opera fierent, per quæ pœnitens ſeſe corrigeret, & Deo atque hominibus ſatisfaceret. Hæc eſt ſententia Divi Thomæ *in* 4. *diſt.* 16. *initio*, *expoſitione textus & litteræ*.

Sane non deſunt Auctores, quos Diana in medium affert *p.* 11. *tr.* 7. *reſol.* 3. qui eam pœnitentiam cuipiam imponi poſſe contendant, ut matrimonium ineat; ſed opinio hæc eſt peculiaris.

Schedulæ tuæ quæſtiones aliæ ſunt in medio poſitæ, quarum proinde ſolutio facilis eſt apud Auctores.

Deciſum hac die 18. Aprilis an. 1697.
G. *Fromageau.*

Confeſſarius rei hominis; ejus obligatio.

CASUS X.

An ſcilicet Confeſſarius rei cogi poſſit id teſtari, quod ex eo intellexit independenter a Confeſſione, quodque apud alios ab eo jam non ſemel dictum eſſe probatur, præſertim cum agatur de impediendo gravi malo, cujuſmodi eſt veneni propinatio.

QUÆSITUM.

ECcleſiaſticus animarum curam exercens inviſit in carceribus hominem accuſatum, quod Mercatorem prodidiſſet, ac deprædatus eſſet; eumque inviſit trium menſium ſpatio, quo tempore ejus inquiſitio peragebatur. Is ei faſſus eſt ingenue crimen, propter quod in carcerem conjectus erat; neque illud ſolum, ſed aliud quoque magis execrandum, cujus accuſatus non erat, ſe ſcilicet aggreſſum eſſe venenum propinare magni nominis Viro, & fortaſſe ejus uxori ac filiæ, in eum finem a ſe corruptos eſſe nonnullos hujus Viri ſervos, ſe in manu unius aut duorum ex illis re ipſa venenum poſuiſſe, ſeipſum ab inimicis ejuſdem viri corruptum fuiſſe, ut hoc nefandum ſcelus patraret, omnibus denique complicibus ei detectis. Hæc ille omnia huic Eccleſiaſtico ſignificavit non ſemel, cum nempe is ipſum ſæpe inviſeret ſolandi cauſa, & quidem extra confeſſionem, & abſque ulla ad eam relatione. Eccleſiaſticus hic eos allocutus, quos Viri amicos noverat, enunciavit ſe ex eo homine audiviſſe non pauca momenti maximi, quæ ad eumdem Virum, ejuſque familiam ſpectarent, & quin negotium ipſum iis omnino declararet, edixit circumſtantias varias facinoris in eum intentati. Promiſit,

miſit, ſe nihil non facturum, ut ex reo rem omnem cognoſceret, & quicquid intellexiſſet, poſt ejus mortem dicto Viro declaraturum. Pro eo rogavit, pollicitus, ſi liberaretur, fore ut cum ad Viri domum duceret, veniam petiturum, eique omnia ſervorum molimina declaraturum. Cum Vir ipſe reum alloqui cuperet, & Eccleſiaſticum rogaſſet, ut ex eo quæreret, inde ei placeret; cumque Eccleſiaſticus mandata feciſſet, ſibi a reo reſponſum dixit, ei pergratum fore, ſi nec eum inviſeret, nec in ejus favorem compareret; quia nempe ſi quidam, quem nominavit, & quem ſuſpicio eſt unum eſſe ex molitoribus veneni, aliorumque facinorum, quæ in dicti Domini, ejuſque familiæ perniciem ſtruebantur, id cognoviſſet, de reo actum conclamatumque eſſet, propterea quod adverſus ipſum inſtaret, ut quamprimum morti addiceretur, atque ita nihil, quod ipſi noceret, dicere poſſet. Aliquot diebus antequam reus morte damnaretur, Eccleſiaſticum hunc in ſuum Confeſſarium elegit, cui ea ipſa, quæ eidem jam non ſemel dixerat, dum extra Confeſſionem colloquerentur, ab eo in confeſſione dicta eſſe eſt vero ſimillimum.

Ei deinde Eccleſiaſticus uſque ad mortis locum præſto fuit, impertiens ſolatia, quorum ſe capacem exhibuit. Poſt rei ſupplicium Eccleſiaſticus ad Matronam Viri conjugem ſe contulit, eique tanquam rei nomine ſignificavit multa de toto facinore, deque iis, quos complices noverat, ſe nempe ex dicto reo audiviſſe, eam, ejuſque virum magnis periculis obnoxios fuiſſe, & quidem veneni; eamque, ut ſibi caveret, cohortatus eſt. Cum porro ea reſpondiſſet ſe quidem non ignorare, ſuæ vitæ inſtructas inſidias fuiſſe, dum quidam viveret, qui ante octo aut novem annos mortuus erat, reſpondit ille eam non tam ante, atque adeo poſt annos quinque rurſus eidem periculo obnoxiam fuiſſe. Dixit poſtea coram viris fide dignis, a ſe memoratos fuiſſe eos annos quinque pro tempore definito, ac ſi id poſt ſex menſes contigerat, ſane poſt annos quinque eſſe potuiſſe. Multa alia dixit in eandem rem, & varia ac gravia molimina, quæ in dicti Viri bona & familiam ſtructa fuerant. Ea quoque dixit tribus quatuorve perſonis, vel ante, vel poſt quam dictam Matronam inviſeret. Se etiam optare dixit, ut omnes, qui dicto viro a famulatu erant, ad ſe mitterentur, & quidem ſeorſim, quo ſingulos privatim alloqui poſſet. Domum reverſus reperit in cubiculo ſchedulam obſignatam, ſcriptamque ignota manu, in qua ei mors indicebatur, ſi quid eorum, quæ ex reo percepiſſet, Domino aut Matronæ detegeret. Oſtendit ſchedulam Viris fide dignis, idque Epiſcopo ſignificavit, ab eo petens, ut in ſeminario reciperetur, ſe non ſatis alibi tutum putans. Ex eo tempore nonnulli ſervorum dicti Domini detenti ſunt, auditi, & interrogati de veneni negotio, deque aliis, quorum inſtrumenta erant, ac non pauca faſſi ſunt, quæ tamen non ſatis afferunt probationis, ut complices, iique, qui reum, de quo loquimur, & per eum ſervos ipſos corruperunt, detegantur, & convincantur. His omnibus poſitis, rogantur Sorbonæ Doctores & Profeſſores, ut ſuam ſuper hiſce quæſtionibus ſententiam proferant.

I. An hic Eccleſiaſticus Commiſſario duplici auctoritate pollenti reſpondere poſſit, cum ab eo interrogabitur, atque an ſe poſſit excuſare titulo Confeſſarii?

II. An in conſcientia teneatur reſpondere, cum interrogabitur, & negotiorum, paratique veneni complices ſibi a reo nominatos detegere, præſertim cum timere debeat, ne rurſus ejuſmodi facinus aggrediantur, cauſa, quæ eos movit, adhuc permanente, ipſiſque mutatæ voluntatis nullum ſpecimen exhibentibus?

III. An poſſit ea dicere, quæ ſpectant ad paratum venenum, & ad negotia, quæ ex reo percepit, dum cum eo verſaretur, & de Confeſſione non ageretur, licet ea deinde cognoverit ex confeſſione, quæ eorum criminum ipſi ab eo facta eſt?

IV. Cogi nec ne poſſit id teſtari, quod ſcit, de veneno, deque negotiis apud Commiſſarium deputatum, Epiſcopo id ei permittente?

V. An cum hac ſui Præſulis permiſſione, aut juſſione incurrat irregularitatem, deponens in hac cauſa, ſi complicum mors conſequatur?

VI. Debeat nec ne dicere, quicquid ex eodem reo ab ipſius confeſſione ad mortem uſque quoad venenum, ac negotium cognoverit?

VII. An ſi forte non cenſeretur teneri de veneno reſpondere, quia id capitale crimen eſt, teneretur ſaltem fateri, quod ſcit, de negotiis & inſidiis ſtructis in Domini bona, deque ſchedula, aliiſque factis aut dictis, de quibus ut interrogaretur, ejus ſermones in cauſa fuere?

VIII. An poſita Monitorii publicatione, poſſit necne detegere quod cognoſcit extra Confeſſionem tam quoad venenum, quam quoad alia molimina?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui præſentem expoſitionem viderunt, & expenderunt, exiſtimant titulum Parochi loci, in quo reus in carcere detinebatur, quo hic Eccleſiaſticus inſignitus erat, poſſe difficultatem ingerere, niſi certo conſtaret, eum de iis omnibus, quæ in expoſitione continentur, alia ratione cognoviſſe, quam ex Confeſſione, quia Sacramenti ſigillum, quod non expoſita ſolum peccata, ſed univerſim id omne complectitur, quod ad ea refertur, obligat ad ſecretum adeo inviolabile, ac ſtrictum, ut nullo prætextu, nullaque, quæcumque tandem ea ſit, poteſtate infringi poſſit; quoniam quod hoc modo Sacerdoti dicitur, tanquam Deo, & non tanquam homini dicitur, ut declaratur in *cap. ſi Sacerdos de Offic. ordin.*, & a Divo Thoma *in 4. Cent. q. 3. art. 3.*, ubi diſtinctim agit de obligatione ſervandi ſecreti quoad ea, quæ per Pœnitentiæ Sacramentum cognoſcuntur, pronunciatque diſertis verbis, tametſi Sacerdos id celare, quod alia ratione novit, non teneatur, non debere tamen detegere, niſi neceſſitas urgeat, ad ſcandalum, quod ex ejus declaratione oriri poſſet, evitandum: *& ideo*, inquit, *alia opinio eſt verior, quia illud, quod homo ſcit (ſive ante Confeſſionem, ſive poſt) non tenetur celare quantum ad id, quod ſcit ut homo: poteſt enim dicere, ſcio illud, quia vidi: tenetur tamen celare illud, in quantum ſcit ut Deus; non enim poteſt dicere, ego audivi hoc in Confeſſione; tamen propter ſcandalum vitandum debet abſtinere, ne de hoc loquatur, niſi neceſſitas immineat.* Quoniam ex præſenti expoſitione certo conſtat, Eccleſiaſticum de re, quæ in manibus eſt, ante locutum eſſe, quam a reo in Confeſſarium eligeretur, & reo quidem, ut videtur, ſciente, eumdemque nihil non egiſſe, ut de toto veneni, cæterorumque facinorum negotio cognoſceret, poſt rei mortem delaturus ad Dominum, cujus res agebatur; ac re ipſa, poſt rei internecionem ille hac de re cum Matrona locutus eſt: ſane ſuſpicio eſſe non poteſt eum Sacramentali cognitione uſum fuiſſe, prætertim cum locutus ſit cum Matrona tanquam ejuſdem rei nomine; atque ita accuſari non poteſt, quod ſecretum Sacramento debitum violaverit, neque ſcandalum afferre poteſt, patefaciens, quicquid alia ratione ſcit. Quod ſi quis inde ſcandali anſam arriperet, temere faceret, neque id impedimento eſſe poſſet, quominus ille veritatem teſtaretur ad impediendum tam grave malum, quam illud eſt, quod intenditur. Hæc quoque divi Thomæ doctrina eſt loco laudato, cujus hæc verba ſunt: *Ad quartum dicendum, quod non debet ita vitari peccatum ex una parte, quod alia juſtitia relinquatur: veritas enim non eſt propter ſcandalum dimittenda: & ideo quando imminet periculum juſtitiæ & veritatis, non debet remitti revelatio ejus, quod quis in Confeſſione audivit (ſi alias ſcit) propter ſcandalum; dum tamen ſcandalum, quantum in ſe eſt, evitare nitatur.* Et quoniam Parochus hic ex eo, quod egit, & dixit in hoc negotio, occaſionem præbuit, ut juridice interrogari poſſet; ideo cenſetur teneri reſpondere Judici de omnibus, quæ ex eo quærentur, quæque alia ratione, quam ex Confeſſione cognoſcet, quia tenetur in veritate reſpondere, cumque Judex jus habeat, eum de omnibus, quæ dixit, interrogandi, debet ipſe quoque in conſcientia ei reſpondere. At cum ejus teſtimonium pœnæ & mortis cauſa eſſe poſſit, debet, antequam accedat ad Judicem, ſeque

ſub-

ſubdat examini, ab Epiſcopo veniam petere, & palam edicere coram Judice, teſtimonium, quod reddet, eo tantum ſpectare, ut pareat Juſtitiæ, qua cogitur deponere, quicquid ſcit, non autem eo, ut puniendos eos curet, qui rei detecti fuerint. Omnibus porro quæſtionibus propoſitis hoc reſponſo ſatisfit.

Deciſum Pariſiis hac die 24. Octobris an. 1678.

Aug. *de Lamet.*

Confeſſarius, qui juravit ſe non amplius cujuſdam perſonæ confeſſionem auditurum.

CASUS XI.

Confeſſarius, qui juravit ſe non amplius ad Confeſſionem admiſſurum fœminam, quæ ſibi in confeſſione mentita eſt, tenetur ſuum jusjurandum ſervare, & non amplius ejus confeſſiones audire.

QUÆSITUM.

Confeſſarius, cui filia ſpiritualis eſt, nupta, & prava neceſſitudine devincta homini matrimonio juncto, a quo perdite amatur, quemadmodum eum quoque amat ipſa, nihil intentatum reliquit, ut ſolveret hoc commercium, colloquia, epiſtolas, & quicquid amoris impetum fovere poſſet. Octodecim menſium ſpatio in id incubuit, & Deus ſæpiſſime gratiam contulit ejus curis, ac vigiliis, quoad filiæ directionem, & quoad eam ab innumeris occaſionibus abducendam, ad quas amoris impetu trahebatur pro maxima imbecillitate, ſummaque complacentia, ad quam natura facta eſt. Vir, & Matrona perſuaſum habent omnino neceſſaria eſſe ad utriuſque ſalutem Confeſſarii conſilia. Itaque eluceſcente aliquoties divino auxilio, eumdem Confeſſarium ambo rogarunt, ut ſuas curas ea, quam neceſſariam judicabat, diligentia & conſtantia perſequeretur.

Nihilominus illi amoris impetu abrepti non ſemel ad vomitum redière; ac vir quidem in iis occaſionibus omne ſuum ſtudium, atque adeo increpationes, & minas adhibuit, ut Confeſſarium deterreret, aut falleret, ejuſque curas ac ſollicitudines irritas redderet; ſed ille tamen ſingularem erga eum obſervantiam ſemper retinuit, & aliquando ad mentem rediens eum per litteras precatus eſt, ut Matronam, cujus longe maximam imbecillitatem Vir noverat, in officio contineret.

Matrona porro ad dexteritatem ac ſimulationem natura facta non paucis inter confitendum mendaciis ac tecnis uſa eſt, ut de initis conventuum & colloquiorum conſiliis, deque rebus aliis, quas abſque lethali peccato exequi non poterat, Confeſſarium celaret. Ea ille ex ejus ore ſæpe deprompſit, & clam monitus ab iis, quibus ejus ſalus cordi erat, qua in ejus animum auctoritate pollet, eadem diſſolvit, æquo id animo ſemper ferente Matrona.

Cum tamen intelligeret ſe non poſſe ſemper antevertere, aut impedire ejus ad Confeſſionarium mendacia, & quod inde conſequens erat, ſacrilegia, minitatus ſe eam remiſſurum, quin ejus confeſſionem amplius audiret, quod ſibi tamen præſtandum non credidit ob eas cauſas, quæ ſupra memoratæ ſunt; cumque nullum amplius conſilium ſibi ſupereſſe animadverteret, ut ejus repetitos caſus, tecnas, mendacia, & ſacrilegia detegeret, aut omnino impediret: quadam die jusjurandum, ſeu proteſtationem coram Deo edidit ſe ejus confeſſiones impoſterum non auditurum, ſi ad Confeſſionarium mentiretur.

Ex eo tempore accidit malo fato, ut cum hæc Matrona conſenſiſſet in conventum, qui ei funeſtus futurus erat, cumque Confeſſarius, ut ſolebat, ex ea quæſiviſſet, ipſa ne in conventu futura eſſet, id ea negaret; & deinde inſtante Confeſſario, & conſcientiæ ſtimulis permota fateretur, ſuum conſilium non executa, quod ſemper contigit, quoties Confeſſarius ejus conſiliorum veritatem detegere potuit.

Interim ei ſignificat ſe jurejurando obſtrictum eſſe, & amplius ejus confeſſiones audire non poſſe. Illa dolore tacta, & ſingularia pœnitentiæ ſigna exhibens ob culpam, quam perpetrat, & ſentiens extremam perniciem ſibi imminere, ſi ab eo Confeſſario, cui generalem confeſſionem valde ſalebroſam, & alteri Confeſſario factu difficilem edere cœpit, deſeratur, ejuſque conſiliis privetur, Virumque inde cum gravi utriuſque familiæ ſcandalo multa in eam commoda reportaturum: orat, obteſtaturque Confeſſarium, qui ſemper renuit eam propter jusjurandum audire. Denique precibus, lacrymis, & promiſſis, quas impoſterum ſinceras fore, & ex conſcientiæ motibus, & ex converſionis deſiderio derivari eſt vero ſimillimum, ab eo obtinet, ut ſe in Sorbona conſulturum polliceatur.

Quærit ergo, an jurejurando, quod edidit, in conſcientia obligetur, an illud edere potuerit, an obtinenda ſit diſpenſatio, & a quo?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Confeſſario, in cujus gratiam conſulitur, non licuiſſe jurare ſe fæminam, de qua quæritur, non amplius recepturum, ſi in Confeſſione mentiretur; cum ad ejus officium, ſtatumque pertineat, peccatoribus, ex animo ad Deum reverti volentibus opitulari, ac proinde eosdem admittere, ut neceſſaria remedia ipſis afferat; quoniam juxta Divi Auguſtini principium de peccatoris, quandiu quidem in vivis fuerit, converſione deſperandum non eſt. Id quidem Confeſſario tenendum eſſe, quod Dominus noſter Petro dixit Mat. cap. 18. videndum ſcilicet etiam atque etiam eſſe, an pœnitens ad ejus pedes accedens ex animo ac ſerio loquatur, eaſque omnes regulas ſervandas eſſe, quas Eccleſia præſcribit; at id apud ſe ſtatuere minime potuiſſe, ut perſonam ad ſe redeuntem, & neceſsariis quidem probationibus ſeſe ſubdentem omnino rejiceret: itaque jusjurandum, quod edidit, adverſari conditioni, quæ jusjurandum comitari debet, ut nempe cum juſtitia cohæreat; eum propterea poſse hanc matronam ſuſcipere, dummodo in ea veræ pœnitentiæ præparationem detexerit. Si vero Eccleſiaſticus hic eſt ejus Parochus, ejus obligationem longe majorem eſse, eamque peculiari titulo poſse ab ipſo conſilium petere, & ipſum non poſse petenti negare, cum ſit ejus Paſtor. Quod ſi non eſt Parochus, non ideo tamen non obligari titulo charitatis, contra quam nequit jurejurando ſe obſtringere, præſertim cum Confeſſionis officium cum ejus ſtatu & vocatione conjunctum ſit, atque ipſe experientia compertum habeat ſe ei fæminæ utilem eſse. Poteſt igitur, ſalva conſcientia, eam confeſſionis gratia ad ſe accedentem ſuſcipere, & a majori bono nequit jurejurando impediri. Peccavit quidem juvans, ſervandi tamen jurisjurandi obligationem nequaquam contraxit juxta Divi Thomæ principia 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 2. *Si quis autem jurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator: non tamen peccat juramentum ſervando, ſed multo melius facit, ſi non ſervet.* Quod ait Divus Thomas de puris putiſque conſiliis, potiore ſane jure ſtatuendum eſt, cum agitur de miniſterio Eccleſiaſtici, qui peculiariter vocatus eſt ad juvandos eos, qui ſpirituali paupertate laborant, & hominem quærunt, cujus pietate educantur e miſeria, in qua jacent, & in qua petenti non porrigi non poteſt manus, quin contra vocationem & charitatis regulas delinquatur, quæ id a nobis requirit, ut proximo noſtro in gravi neceſſitate ſeu corporali, ſeu ſpirituali verſanti opem feramus. Itaque in his occaſionibus id ſervandum, quod nobis proponitur in Parabola Samaritani Lucæ cap. 10. atque illud huc referendum, quod apud Sanctum Antoninum legimus *Sum. part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 5. *tertio caſu* §. *quartus modus*: *Non eſt veroſimile, quod Deus acceptet talia juramenta: cum ipſe præcipiat opera charitatis exercere.*

cere. Navarr. *Sum. cap.* 12. *n.* 16. Tolet. *Inſtruct. Sacerd. lib.* 4. *cap.* 22. n. 3. & alii.

Deciſum in Sorbona die 18. Auguſti an. 1681.
Auguſt. *De Lamet*.

An Sacerdos confeſſiones audiendi facultatem obtinere teneatur.

CASUS XII.

Ad ſtatum Eccleſiaſticum vocatio ad laborem obligatio eſt, quam pro gradu, quem in Eccleſia tenet, Eccleſiaſticus quiſque contrahit.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Sacerdos in animo habens proprii ſtatus obligationes implere, ad confeſſionis examen accedere teneatur, dum reſidet in Diœceſi, in qua Epiſcopus petentium tantum opera utitur; an vero expectare poſſit, tuta conſcientia, dum ad animarum directionem vocetur, juxta priorum Eccleſiæ ſæculorum conſuetudinem. Quæcumque tandem Dominorum Doctorum, qui in hoc negotio conſulti fuerint, reſponſio futura ſit, rogantur, ut rationes, quibus moventur, ſcripto exhibere velint.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, in Eccleſia laborandi obligationem ſtatu Eccleſiaſtico contineri, nec poſſe Clericum ſine peccato otioſum morari, quin videlicet Eccleſiæ, aut proximorum ſaluti ſit utilis. Hac de cauſa olim nemo in Eccleſia ad ordines admittebatur, quin peculiari Eccleſiæ, cui deſerviret, addiceretur: ita ut univerſim vocatio ad ſtatum Clericalem nihil ſit aliud quam obligatio ad laborem, quam Eccleſiaſticus quiſque contrahit pro eo, quem in Eccleſia obtinet, gradu:

Videtur Dominus noſter Lucæ cap. 19. id ipſum docere voluiſſe, cum ſub ejus Regis Parabola, qui varia ſuis ſervis talenta diſtribuit, ut uſque ad ipſius reditum negotiarentur, *Negotiamini dum venio*, ſuis Diſcipulis ſignificavit idem ipſis præſtandum, nec inutilem reddendam eſſe gratiam, quam ipſis contulerat, ad Diſcipulorum ſuorum gradum eoſdem extollens. Et ſane antiquus Auctor, cujus opera Sancti Ambroſii libris inſerta ſunt, Sermone 78. in hanc ſententiam ait Eccleſiaſticum ſtatum obligationem eſſe cujuſdam veluti commercii ſpiritalis, quo ſalutis animarum negotio peragitur: *Clericatus officium eſt quæſtus plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum acquiritur, ſed animarum*. Quamobrem Eccleſiaſticis omnibus, ut intelligerent debere ſe ordinationis vi in Eccleſia laborare, accommodari poſſent Evangelii verba hæc: *Negotiamini, dum venio*. Quamvis enim Eccleſiæ diſciplina mutata ſit, & in præſentia qui inſignitur ordine, non ſtatim peculiaris Eccleſiæ ſervitio addicatur: obligatio tamen in Eccleſia laborandi ſemper ſubſiſtit, ut proinde Clericus otiari nequeat, quin contra ſui ſtatus rationem faciat.

Hoc poſito, reſpondetur I. Si Epiſcopus, aut qui ejus nomine Diœceſim adminiſtrant, Sacerdotem, de quo in expoſitione dictum eſt, ejuſque bonam laborandi voluntatem cognoſcunt, non tenetur ille ſtricto jure confeſſiones audiendi facultatem, aut aliquod aliud officium petere, in quo ſuam operam collocet. Eſt enim Epiſcopi videre, ſuæ Diœceſi quid ſit opus, & in quo munere Clericus quiſque valeat utiliter deſervire, pro talento, quo a Deo eſt inſtructus. Poteſt igitur Presbyter in hac hypotheſi Epiſcopi ſui Miſſionem expectare, quin eam antevertat.

Sane Presbyter, de quo quæritur, toto vitæ ſuæ tempore forſitan otiaretur; at id culpæ vertendum eſſet Epiſcopo, qui debet tamquam pater de familiæ bono ſollicitus, cuique ſervo congruum locum intra ſui regiminis terminos exhibere, ut in eo operetur.

II. Poſſet tamen contingere in aliqua Diœceſi tantam morum corruptionem eſſe, tantumve fidei periculum, ut Eccleſiaſticus, Epiſcopi Miſſione non expectata, ſolitariam, & a negotiis remotam vitæ rationem deſerere, & officium petere teneretur, quo in hac facti ſpecie Eccleſiæ in grave diſcrimen adductæ præſto eſſet. Hoc animo, referentibus Theodoreto *Hiſt. lib.* 4. *cap.* 24. & Sancto Chryſoſtomo *Hom.* 17. ad Populum Antiochenum, & Solitarii complures a deſertis & ſpecubus, in quibus conquieſcebant, receſſerunt, ut impedirent, ne Hæretici Dominicarum Ovium fidem pravis doctrinis corrumperent, aut ut aliqua alia gravia mala, quæ Fidelibus impendebant, averterent. Hoc ſalutis animarum zelo permotus Sanctus Franciſcus, poſthabita ſolitudine, & quam ex oratione percipiebat, dulcedine, ſe, ſuoſque Evangelii Prædicationi, & peccatorum converſioni omnino dedidit, teſte Divo Bonaventura in vita, quam concinnavit, hujus Patriarchæ.

III. Quoniam Clericorum aptitudo, & ad Eccleſiam juvandam diſpoſitio fere non innoteſcit; & ex alia parte non amplius paſſim obtinet conſuetudo quærendi, quinam Clerici in Diœceſi operari velint: conſequens fit, oportere, ut Presbyter de quo ſermo eſt, ad audiendas confeſſiones ſe approbandum curet, ſi qui ei eſt a confeſſionibus, & proprius Epiſcopus ipſum idoneum judicaverint; aut ſaltem ſe præſentet, ut ſeu Epiſcopo, ſeu ejus Miniſtris ſignificet ſe ad laborem paratum eſſe, ne culpa ſua, contra ſui ſtatus rationem, in otio perſiſtat.

Deciſum in Sorbona hac die 23. Octobris an. 1695.
G. *Fromageau*.

Confeſſarii in mortis articulo Monialibus conceſſi.

CASUS XIII.

Utriuſque ſexus Superiores concedere debent Confeſſarios extraordinarios Fratribus, & Monialibus, petentibus in mortis articulo.

QUÆSITUM.

IN Monialium Monaſterio obtinuit 20. aut 30. ab hinc annis conſuetudo, ut ne Monialibus vel morti proximis liceat accire quemquam gravem Presbyterum, cui illæ magnopere fiderent, ut ei confiteantur, vel ab eo in extremo vitæ diſcrimine ſolatio aliquo afficiantur. Quæ Monaſterio præeſt, conſuetudinem ſervari vult, veniamque, quam petunt, ſuis Monialibus negat, Monaſterii aditu prohibens omnes Presbyteros, iis tantum exceptis, qui Familiæ confeſſiones de more audiunt.

Quæritur, an hæc conſuetudo rationi congruat, & quæ præeſt, ita ſe ei conformare teneatur, ut ne vel latum unguem ab ea recedat, etiam dum agitur de Monialium animo tranquillando, & præſertim dum illæ in mortis articulo conſtitutæ ſunt, perſpectæque probitatis viros, & in Diœceſi approbatos efflagitant?

Animadvertendum eſt, in hoc Monaſterio Confeſſarios extraordinarios Monialibus raro concedi, eoſque ad ejus, quæ præeſt, nutum concedi, nec Monialibus liberum eſſe eos petere, quos cuperent.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſitionem hanc viderunt, expenderuntque, in ea ſunt ſententia, ut, quamvis e re non ſit in Religioſis Familiis varios identidem Confeſſarios induci, ad Superioris tamen charitatem officiumque ſpectare, ut ab ea conſuetudine recedat, cum novit Moniali ita facto opus eſſe, & extremum morbum occaſionem eſſe, in qua Moniali negandus non ſit Confeſſarius doctus & prudens, præſertim cum quem illa petit, ejuſmodi eſt; quia ſi unquam præſtandum auxilium eſt, tum certe præſtandum eſt, cum tempus adeſſe

jam

jam creditur; quo Deo totius vitæ ratio reddatur, & cum Confeſſarii extraordinarii petenti credendum eſt eo ſe indigere teſtanti; idque eo magis, quod petens moveri poteſt gravibus cauſis, aut ſpiritalibus anguſtiis, quæ ſæpe in cauſa ſunt, ut ea, quibus opus eſt, ſubſidia percipi nequeant a quibuslibet indiſcriminatim Confeſſariis, quibus vel ſcientia deeſt, vel prudentia, vel humanitas, vel aliquid aliud, quod requiritur ad ægroti ſolatium, cum ægritudo ipſa poſſit ejuſmodi eſſe, ut expelli nequeat, niſi ægrotanti humaniter ea concedantur, quæ prava non ſint, & ad peccatum non tendant. Præterquamquod contingere poteſt, quod Tridentinæ Synodo viſum eſt; ut Moniali alio Confeſſario quam ordinario ſit opus; itaque *cap. 10. Seſſ. 25. de Regularibus* ſtatuit Synodus; ut Epiſcopus aut Superiores bis aut ter in anno Confeſſarios extraordinarios aſſignent, qui Monialium omnium Confeſſiones excipiat. Quamobrem ſi in mortis articulo Confeſſariis extraordinariis illæ opus habeant, Superiores juxta Tridentinæ Synodi mentem iis obſequi debent.

Deciſum in Sorbona die 1. Septembris an. 1677.

Aug. *de Lamet*.

Confeſſarius, qui ſuum pœnitentem ſeducit.

CASUS XIV.

1 *Confeſſarius, qui ſuo pœnitenti auctor eſt, ut edat teſtamentum in quarumdam perſonarum favorem, cum damno pauperum ejus hæredum; graviter peccat, & ſuum miniſterium odioſum reddit.*

2 *Qui per fraudem aut vim impedit, quominus res ei tribuatur; cui tribui animus eſſet, quamvis ex merà liberalitate, & boni ejus voluntate, qui rei dominus eſt, peccat contra juſtitiam, & reſtituere tenetur pro ratione damni, quod intulit.*

QUÆSITUM.

Miniſter magna auri & argenti vi pollens e vita excedit, & hæredes inopia laborantes, eoſdemque in magno numero poſt ſe relinquit.

Cum dictus Miniſter integræ valetudinis tempore duo teſtamenta olographa edidiſſet, biennio circiter ante mortem; univerſamque pecuniam depoſuiſſet in Monaſterio, in quo ei duæ ſorores Moniales erant, eiſque ſuorum teſtamentorum executionem mandaſſet, ea lege, ut eadem ponerent in manu executorum ibi nominatorum cum tanta pecunia, quanta legatis implendis ſatis eſſet: dictæ Sorores ei morti proximo ſuggerenda curant alia teſtamenta, & donationes præter olographa, quæ, dum valeret, ediderat, per Confeſſarium & Directorem, qui morienti adſiſtebat; quorum teſtamentorum & conditionum prætextu ipſæ, earumque Communitas id, quod ſibi tribuendum curant, & aurum atque argentum apud ſe depoſitum ſibi arrogare volunt.

Quoniam juxta conſuetudinem & juriſprudentiam loci, in quo dictus Miniſter occubuit, donationes & teſtamenta inſinuata in mortis articulo nulla ſunt; & abrogationi obnoxia per leges: quæritur, an defuncti Miniſtri ſorores, earumque Communitas teneantur in conſcientiæ foro id reſtituere, quod eo prætextu retinent, atque an Confeſſarius & Director, qui donationem juri & juſtitiæ repugnantem inſpirarunt, reſtitutionem faciendam curare, aut ipſi facere teneantur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, Confeſſarios, ut liberius, & utilius animarum ſaluti vacent, debere ſe minus iis immiſcere, quæ ad familiarum temporales res, & bonorum diſpoſitionem ſpectant. Poteſt quidem Confeſſarius, ſi rogetur in æquitate & ſecundum Deum dicere, quod ſentit, ſuper conſcientiæ difficultatibus occurrentibus quoad bona, quæ poſſidentur, aut quæ diſponere in animo eſt: at graviſſime peccat, dum morientis animum antevertit, ut eum moveat ad diſponendum, quod poſſidet, pro deſiderio & commodo tertii, qui ad id ipſum ſollicitavit; nec morienti integrum relinquit, ut de ſuis bonis teſtetur, prout ipſi videbitur. Ita nempe Presbyter ſuum Officium odioſum efficit, atque eo quidem magis, quod ſuæ profeſſionis vi debet, quantum in ipſo eſt, prodeſſe omnibus, obeſſe nemini. Damnat hanc agendi rationem Sanctus Ambroſius in tertio Officiorum libro cap. 9. aitque turpe eſſe Presbytero morientem hortari, ne ſua bona iis tribuat, quibus debentur, aut quibus tribuere paratus eſt: *in ſupremo fine vitæ poſitos ſuum habere judicium, ut libere teſtentur; quod ſentiunt: cum honeſtum non ſit compendia aliis vel debita vel parata avertere, cum Sacerdotis vel Miniſtri ſit prodeſſe, ſi fieri poſſit, omnibus, obeſſe nemini.* Ob hanc eamdem cauſam vetat idem Pater Presbyterum pecuniariis negotiis ſeſe immiſcere, & in horum potius quam illorum gratiam rogare: *in cauſis pecuniariis intervenire non eſt Sacerdotis, in quibus non poteſt fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam interceſſoris beneficio ſe victum arbitratur.*

Hoc poſito reſpondetur, I. Confeſſarium, de quo agitur excuſari non poſſe, quod morienti Miniſtro novum teſtamentum inſpiraverit, ut ille aliter atque antea fecerat, ſua bona diſponeret. Receſſit ille magnopere a mente Filii Dei, qui in Evangelio Sancti Lucæ *cap. 12. v. 13.* rogatus, ut inter duos fratres ſederet arbiter de ſucceſſione, quæ ad eos devenerat, partitionem inſtituere recuſavit: *Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* Potuiſſet ſane Confeſſarius, a Miniſtro de teſtamentariis diſpoſitionibus interrogatus, de iis reſpondere, quæ ad eius conſcientiam unice pertinerent; at omnino non debuit ob allatas rationes teſtamentum aliud ei inſpirare, multoque minus præpoſteræ duarum ſororum cupiditati miniſterium ſuum ſubdere, ut eis earumque Communitati pecunia depoſita vindicaretur cum damno pauperum hæredum, ad quos ſucceſſio ſpectabit, & quibus in prioribus teſtamentis olographis aliquid a Miniſtro legatum fuiſſe eſt veroſimillimum.

II. Qui per fraudem aut vim impedit, quominus alicui tribuatur res, quam obtinuiſſet, quamvis ex Domini mera liberalitate, ac bona voluntate, peccat contra juſtitiam, quia eum inqua ratione privat jure, quod habet in ejus bona voluntate, qui ei bonum facere vult; & proinde cum contra juſtitiam peccetur, adeſt reſtitutionis obligatio. Ita fere ſentiunt Auctores, qui videri poſſunt apud Layman *l. 3. de juſtitia tract.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Dianam *p.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 33. Azorium 3. *p. l.* 4. *c.* 9. *q.* 1. Videtur idem ſentire Divus Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad quartum*. Molina *tr.* 2. *diſp.* 727. *n.* 7. Sylvius in laudatum Divi Thomæ locum *pag.* 351. & Bannez *p.* 104.

Quamobrem hic Confeſſarius, aut alii quicumque reſtituere tenentur pro ratione damni, quod intulerunt, ſi per fraudem, mendacia, calumnias, aut per vim impedimento fuerunt, quominus Miniſtri hæredes, aut alii id haberent, quod ipſis relictum fuiſſet, ſi Miniſter eo, quo dictum eſt, modo impeditus non fuiſſet.

Quod ſi fraus aut vis locum non habuit, & ad Confeſſarii ac Monialium preces & conſilia Miniſter libere & cum integra cognitione revocavit ſua priora teſtamenta & donationes, ut in Religioſæ Communitatis favorem diſponeret: peccavit quidem Confeſſarius, quod immodicæ earum Monialium cupiditati inſervierit, ſed ad reſtitutionem non obligatur, quia Miniſter poterat ad mortem uſque de ſuis bonis diſponere, modo liber eſset, & ſatis eſset eo quidem tempore mentis compos.

Deciſum hac die 12. Junii an. 1693.

Germanus *Fromageau*.

CASUS XV.

Confeſſarii ordinarii & extraordinarii Monialium exemptarum.

QUÆ-

Q U Æ S I T U M.

Superior Regularis Monaſterium ſuæ Juriſdictioni ſubjectum inviſens, viſis, auditiſque in ſcrutinio Monialibus omnibus, viſitationis tempore in Capitulo correctorio inter alias Reformationes, quas ſcripto exaratas reliquit, unam edidit, cui Monialium pleræque indecenter & inverecunde coram Sacroſancto Sacramento, & in Superioris conſpectu refragatæ ſunt.

R E F O R M A T I O.

Nos ſpectantes affectationem & multiplicitatem per exceſſum Confeſſariorum & Directorum in Monaſteriis, & peculiariter in hoc tanquam rem ex diametro oppoſitam voto obedientiæ, unioni charitatis, & perfectioni noſtrarum dilectarum filiarum: eas hortamur per Jeſum Chriſtum ipſarum divinum Sponſum, ut nobis credant in hoc articulo, nobis obediant, & in ſententiam noſtram deſcendant, quoniam teſtamur earum tantum æternam ſalutem propoſitam nobis eſſe. Eas oramus, ut nobiſcum reputent monſtruoſum fore in quinquaginta Virginum Monaſterio, ſi concederentur quinquaginta Confeſſarii & Directores, quos illæ poſtularent, & quoties ipſis dicere libuerit, Ego iis opus habeo. Quamobrem dictam affectationem & multiplicitatem per exceſſum Confeſſariorum & Directorum ſupprimere ſtatuimus, quemadmodum præſenti noſtra Reformatione ſupprimimus, & mandamus juxta commune jus, ut omnes Moniales Confeſſario ordinario confiteantur. Sed quia maxime alieni ſumus a turbandis earum conſcientiis, & quia fieri poteſt, ut veris gravibuſque de cauſis opus ſit Confeſſariis, qui ſolatio ſint: libentiſſime permittimus R. M. Prælatæ, ut concedat, noſtro tamen nomine, & non propria auctoritate, iis Monialibus, quæ vere conſolationis Confeſſario indiguerint, ut ſibi ſumant ex RR. PP. Jeſuitis, & Minimis, & ex Ordine Sancti Franciſci; & id aliquando, & nunquam diebus communis Confeſſionis, ſed aliquo alio hebdomadæ die, ita ut hoc *aliquando* juſto intervallo definiatur, & non quoties Monialis ſe indigere crediderit. Atque ut videre poſſimus, an in hoc exceſſus aut abuſus ullus exiſtat, ſub inobedientiæ pœna R. M. Prælatæ præcipimus, ut ſingulis quibuſque tribus menſibus nos certiores faciat, qua ratione in hoc quidem articulo Monialis unaquæque ſe geſſerit. Impertimur dicto Confeſſario conſolationis omnem noſtram facultatem, quoad Tribunal, & omnibus aliis adimimus.

Concedimus præterea extraordinarium Sancti Concilii Tridentini quater in anno, cum dicta Synodus ter tantum eumdem concedat; addentes & illud, ut modo ſupra dicto acciri poſſint omnes Religioſi noſtræ Provinciæ, qui ex ordine aut præter ordinem confeſſiones exceperunt, juxta Sanctum Concilium, in hoc Monaſterio; ac denique nobis reſervamus vi præſentis Reformationis quicquid Superioris majoris jus nobis tribuit poteſtatis in iis caſibus, in quibus id ratio & juſtitia poſtulaverint.

Quæritur ex Conſilio,

I. An poſt indictam Reformationem Moniales, quæ ei ſe ſubdere noluerunt, in conſcientia tutæ ſint?

II. An ſi abſque parendi animo confeſſæ fuerint, earum confeſſiones fuerint validæ, atque an abſolvi potuerint?

III. An Confeſſarii intruſi poſſint detinere Moniales in alienatione a Superiore, & a Confeſſario ordinario, ajentes, eas peccaturas, ſi ad officium redirent?

IV. An Superior major libertatem adeo latam concedere potuerit contra diſpoſitionem Concilii, diſciplinam Eccleſiæ, reformationem abuſuum, quos ſupponit, intentionem Epiſcoporum Galliæ, quorum extant Reformationes huic omnino contrariæ; cum ejus Monaſterii Statuta, quæ Sancta Sedes approbavit, unum tantum Confeſſarium eſſe jubeant, idemque Doctorum Sorbonicorum bene multis deciſionibus ſtatuatur?

V. An illæ poſſint a Confeſſarii directione recedere, cum id unum contendant, ut Superior ſuam Reformationem revocare cogatur, ajentes ſe, ſtatim atque id ille præſtiterit, omnes & ſingulas reverſuras, ſed arbitraria libertate gaudere velle?

VI. An omnes, nulla excepta, quinque menſium ſpatio frequentius, quam cuivis alii, Confeſſario ordinario confeſſæ, poſſint poſt lectam Reformationem dicere ſe ægro animo ad eum accedere, cum ſuas querimonias non detulerint aut ad Superiorem in Viſitationis ſecreto, aut ad coactam Congregationem, in qua totum Corpus ſua incommoda profert, ſed ſolum ob affectatam dictæ Reformationis impoſitionem?

VII. An cum Confeſſarius nominatim, & quin id ſciret, a Communitate requiſitus fuerit per Matrem Prælatam juxta conſuetudinem, & per ſuæ Provinciæ Definitorium in Capitulo congregatum nominatus: in præſentia poſſit ejus depoſitio requiri inuſitato tempore, quod cum ſcandalo ſubderet tanquam hominem minus idoneum, licet in Ordine gradu præſtet, & aliis exemplo ſit?

VIII. Quæritur demum, quid Prælatæ faciendum ſit, ut ſuam Communitatem in ordinem redigat; an poſſit contra Superioris intentionem Monialibus ſuis cujuſvis generis Confeſſarios indiſcriminatim concedere; an non Conformiſtarum ingratiis debeat necne Reformatio prævalere, atque an Superior declarare debeat, in quo ejus Reformatio deficiat?

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ut in meliori lumine collocentur reſponſa, quibus quæſtionum in expoſitione contentarum articuli dijudicandi ſunt, e re eſſe ſtatui nonnulla principia.

I. Cum Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. c. 10. de Regul.* ait Confeſſarios extraordinarios bis aut ter in anno Monialibus tribui, utitur verbo *offeratur*, quod indicat majorem libertatem id faciendi, quoties videbitur, quam ſi dixiſſet, *concedi poteſt: Præter ordinarium autem Confeſſarium alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confeſſiones audire debeat.* Superior ſuo muneri, ſuæque obligationi ſatisfecit, cum bis aut ter in anno Confeſſarios extraordinarios Monialibus obtulit, & ſub peccati pœna ulterius progredi non tenetur; ita ut illud *bis aut ter* præciſe obligationem tantum reſpiciat, nec Epiſcopi, aut Superioris Regularis poteſtatem coarctet, ac neutrum impediat, quominus frequentius offerat; id ita deciſum eſt Bordono teſte *reſol. 15. n. 11.* a Cardinalium Congregatione.

Videtur id ſane valde conforme menti Juris, volentis aliquid permiſſum eſſe, ſtatim ac non eſt vetitum, præſertim cum de rebus agitur, quæ permitti poſſunt: *cenſetur conceſſum, quod non eſt expreſſe prohibitum c. ſunt nonnulli 16. q. 1.*

II. Superiores haud ægre Confeſſarios extraordinarios Monialibus concedere debent ſæpius, quam Synodus innuit; etenim longe graviora incommoda timenda ſunt Superiori in hoc capite durius agenti, quam alteri, qui facile pateretur Moniales ad Confeſſarios extraordinarios accedere, præſertim ſi prudentes doctique Viri ſint. Quamobrem ut ex duobus malis minus eſt eligendum, ita ſatius eſt in hac facti ſpecie nimiæ facilitatis, quam ruſticitatis periculum ſubire.

Superior ita ſe gerens nequaquam facit contra Concilii mentem; animadvertendum eſt enim ejus Decretum in animarum Religioſarum favorem editum eſſe, ac proinde latius quam ſtrictius eſſe oportere; præterea infirmitas ſexus, qui ad timorem ac pudorem natura factus eſt, quique ægre detegit, quod in imo conſcientiæ latet, ejuſmodi eſt, ut majori erga ipſum indulgentia opus ſit.

III. Inter Confeſſarios extraordinarios, qui Monialibus offeruntur, etiamſi Regularibus ſubjectæ ſint, licet, atque adeo juvat, Monialibus id poſtulantibus, aliquos Sæculares ab Ordinario approbatos eligi; neque enim deſunt Sacerdotes Sæculares, qui omnes Religionis praxes probe calleant, nec minore zelo ferveant ad Obſervantiæ cuſtodiam. Pelizarius tradit id a Cardinalium Congregatio-

gatione deciſum fuiſſe *tom. 2. tr. 10. cap. 10. ſeſſ. 3. n. 253. & 254.* Ut ut res habeat, regiminis ſuavitas a Superioribus Regularibus hanc indulgentiam requirit.

IV. Barboſa in laudatum Tridentinæ Synodi locum *n.* 4. pronunciat Epiſcopo licere juxta deciſionem Congregationis Cardinalium nominare Confeſſarium in gratiam Monialis exemptæ, cum illa nequit Confeſſario Regulari ordinario Communitatis ſe conformare: *Deciſum, quod poteſt Epiſcopus dare Confeſſarium Monialibus, ſubjectis Regularibus, quæ nulla ratione induci poſſunt, ut ſuis Regularibus peccata confiteantur.* Et ſane videtur, præſertim ſi Superior Regularis Moniali eam gratiam deneget, Epiſcopus, qui jure communi privilegiatorum defectus & negligentiam ſupplere debet, ne fideles abſque ſpiritualibus ſubſidiis relinquat, ità ſe gerendi poteſtate pollere. Nititur etiam ſententia hæc Bulla *Inſcrutabilis* Gregorii XV. §. 5. an. 1621.

Hoc poſito reſpondetur,

Ad quæſtionem primam, Moniales putantes ſibi præſto eſſe juſtas cauſas, cur de Reformatione a Superiore edita conquerantur, abſque animo ſibi conſulendi conſuetis rationibus, atque interea apud ſe ſtatuentes Superiori ſuo non parere, nequaquam in conſcientia tutas eſſe. Jam illæ poſſent ad ſuperiores majores, aut quod melius foret, ad Patrem Provincialem Superiorem ſuum per appellationem confugere, quo par eſt, obſequio exhibentes querelas ſuas, quas fulcire poſſent iis, de quibus agitur, ſuper Mandato, quod ſuæ ipſarum conſcientiæ libertati officere contendunt. Ita porro cauſam agere poſſunt. I. Mandato ſtatuitur, ut omnes Moniales ad ordinarium Communitatis Confeſſarium accedant; contingere tamen poteſt, ac perſæpe contingit, unam aut plures peculiaribus gravibuſque de cauſis ad eum accedere non poſſe. II. Non permittitur dictis Monialibus ad Confeſſarios extraordinarios, quos conſolationis appellant, ſeſe conferre, niſi vera graviſque neceſſitas urgeat; porro non videtur neceſſe eſſe, Monialem in extremo diſcrimine poſitam eſſe, & ſuarum moleſtiarum pondus amplius ſuſtinere omnino non poſſe, ut ei liceat ad Confeſſarios extraordinarios accedere; ſi enim confeſſio reddatur adeo difficilis, gravibus caſibus, & magnis incommodis janua aperitur. III. edicitur, Moniales, quibus veræ cauſæ ſuberunt, ituras eſſe ad Reverendam Matrem Prælatam, ut Confeſſarios extraordinarios alloquendi veniam obtineant; hæ veræ cauſæ niti poſſunt Monialis peccatis & peculiaribus, quæ illa Prælatæ declarare minime tenetur; atque ita cauſis non cognitis, Monialem, quæ ex alia parte Communitatis Confeſſario animum ſuum aperire non poteſt, ſine conſolatione ac ſubſidio remanere neceſſe eſt. IV. Non dantur dicto Mandato pro Confeſſariis extraordinariis niſi Religioſi tantum; id vero tendit ad Confeſſionis libertatem coarctandam, excluſis Presbyteris Sæcularibus; quod poteſt Moniales vehementer angere, quippe quæ poſſint iis magis quam aliis fidere, præſertim vero ſi ante dictum Mandatum ad eos accedere conſueverint. V. Charius venditur beneficium, quod Monialibus concedi contenditur, ut nempe plus quam quater in anno poſſint ad Confeſſarios extraordinarios ſe conferre, perinde ac ſi Tridentini Concilii inſtitutio contraria ſit, quod tamen non ita habet.

Si Prælata hac ratione ſeſe geſſiſſet, & quæ relis præſidium quæſiviſſet ex his conſiderationibus, quæ multum ſoliditatis habere videntur, ejus ſuperior ad eas animum retuliſſet, & dubio procul in præſentia in ejus Monaſterio quoad caput hoc rectus ordo vigeret.

Ad ſecundam: Niſi Monialibus graves cauſæ ſubſint, cur ſe non ſubjiciant, eaſque iis ſignificaverint, quibus confeſſæ ſunt, valide abſolvi minime potuerunt, quia in inobedientiæ diſpoſitione fuiſſent in re gravi.

Ad tertiam: Si Moniales de Mandato cum Epiſcopo queſtæ ſunt, atque ille ob allatas rationes longe majorem conſcientiæ libertatem, quam in Mandato conceditur, tribuendam judicavit: Confeſſarii, qui deinde ad earum confeſſiones audiendas acceſſerunt, intruſi dici nequeunt, quoniam Epiſcopo id juris competit, ut ſupra dictum eſt. Si enim per Bullam Gregorii XV. *Inſcrutabilis*, & per Cardinalium Declarationes, quibus eadem Bulla explicata eſt, quæque referuntur a Barboſa *l. c.* Epiſcopus jus habet mutandi Confeſſarium ordinarium Monialium etiam exemptarum, cum ad eum querimoniæ delatæ ſunt, & Superiores nullam Conſtitutionem in medium proferunt: poteſt ſane extraordinarios aſſignare, cum pro majori Monialium bono id ipſi viſum fuerit. Eſt hæc diſputatio Pelizarii *l. c. n.* 172. *Liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores moneant, iiſque Superioribus detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores admonendi, quoties & quando opus eſſe judicaverit,* Bullæ verba ſunt.

Quamquam ægre credi poteſt, tot doctos Viros, & Confeſſarios, qui Moniales, de quibus quæſtio eſt, alloquuntur, præjudicio quodam, & non gravibus rationibus in earum favorem duci; ſi tamen, ut fieri poteſt, partibus Superiori repugnantibus temere adhærerent, peccarent illi graviter, dum dictas Moniales in alienatione ab eo, quod ſuo Superiori præſtare tenentur, obſequio detinerent.

Ad quartam: Superior, qui Monialibus permiſſionem tribuit accedendi plus quam ter ad Confeſſarios extraordinarios anni ſpatio, contra Tridentinæ Synodi mentem non fecit omnino, ut ſupra declaratum eſt. Neque in eo creditur Superior contra intentionem & Reformationes Epiſcoporum, & Doctorum reſolutiones quicquam egiſſe; eas afferri, & diſtinctius explicari oportebat, ut id, quod in expoſitione proponitur, in meliori lumine poneretur. Quod ſi Ordinis aut Familiæ Statuta unum eſſe volunt Confeſſarium, id vero de Confeſſario ordinario, deque eo, qui Communitatis Confeſſarius dicitur, accipiendum eſt; neque impedit, quominus Superior ſingulis Monialibus alios aſſignare poſſit, quoties id ipſarum conſcientiæ bono expedire judicaverit.

Ad quintam: Repugnat bono regimini concedi Monialibus arbitrariam libertatem Confeſſarios ſibi eligendi, quoties illæ voluerint; at ſi Epiſcopus judicet ſe in eo Monaſterio pacem reparaturum eſſe, remiſſo Mandati rigore, monitoque Confeſſario, ut ſe ſubducat, id facere debet; duo enim ei veniunt animadvertenda. I. Superiorum poteſtatem eſſe *in ædificationem*, & non *in deſtructionem*; & quia ſuavitate quam acerbitate plus obtinetur, ideo Superior de dignitatis, quam tenet, juribus tuendis minus debet eſſe ſollicitus, quam de eorum, quos regit, bono, quoniam Superiorum auctoritas ad inferiorum tantum utilitatem refertur. II. Si is Confeſſarius ſe ſuapte ſponte non abdicaverit, & Moniales ejus abdicationem obfirmato animo poſtulent, poterunt illæ ad loci Epiſcopum confugere, qui in his circumſtantiis poteſt eum dimittere, ut dictum eſt, quod dicto Confeſſario Superiori minus utile ac decorum foret.

Ad ſextam: fieri poteſt, ut Confeſſarius ordinarius, de quo Viſitationis tempore nulla querimonia facta eſt, deinde occaſionem præbuerit in ipſum inquirendi; cauſa exempli aliquid humani paſſus, & Monialium omnium animos ſibi devinciendi cupiditate permotus Confeſſarios extraordinarios apud Patrem Provincialem fortaſſe accuſavit; ut ut res habeat, dictus Confeſſarius apud dictas Moniales ſuſpicione laborare cœpit, & eſt, cur illæ credantur non amplius in eo fiduciam ſuam poſituræ. Eſt autem ſuavis regiminis, quale illud eſſe debet, quod in Monialibus uſui eſſe neceſſe eſt, ut ne iis in conſcientiæ negotio vis inferatur, & turbæ antevertantur, quæ exiſtere poſſent, ſi ipſis repugnantibus Confeſſarius in Communitate ſuſtineretur.

Ad ſeptimam: Spectat ad bonum regimen, cum de perſonis agitur, quas timori & ſuſpicioni obnoxias eſſe conſtat, ad earum conſcientiam dirigendam eum aſſignari, quem univerſa Communitas, aut major pars expetit, & poſtulat. Ita ſentit Pelizarius *l. c. n.* 259. de Confeſſario extraordinario verba faciens; quod ſane potiore jure intelligendum eſt de ejus electione, qui ordinarius eſſe debet.

bet. Quamobrem mirari non ſubit, in Monaſterio, de quo agitur, hanc conſuetudinem obtinuiſſe, & Confeſſarium, qui nunc exiſtit, hac ratione electum fuiſſe. Id quidem argumento eſt ſemper magnopere ſpectatum fuiſſe, quid in hoc capite Monialibus arrideret; ac proinde quoniam qui aliquando poſtulatus eſt, in præſentia non amplius placet. ſi prævideatur Moniales ad eum retinendum difficulter adduci poſſe, ad Superiorum prudentiam officiumque pertinet eumdem mutare; quod ſine ſcandalo fieri poteſt, ſi nempe dictus Confeſſarius occaſionem aliquam nanciſcatur, ut ipſe ſe ſuapte ſponte ſubducere videatur: omnino non debet perſiſtere cum damno tranquillitatis hujus Communitatis. Ne dum autem periclitetur de fama, occaſionem immo præbebit iis, quibus ipſius agendi ratio innoteſcet, commendandæ charitatis, qua erga Moniales uſus fuerit, multorum Sanctorum exemplo, qui in ſimilibus caſibus proximi tranquillitati, ac ſaluti ſuam ipſorum utilitatem poſthabuerunt: *Tollite me*, dicebat Jonas *c.* 1. *v.* 12. *& mittite in mare, & ceſſabit mare a vobis: ſcio enim ego, quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos*. Sanctus Gregorius Nazianzenus idem dixit ac fecit, ut in ejus vita memoriæ proditum eſt: *ſi propter me commota eſt illa tempeſtas, dejicite me in mare, ut vos jactari deſinatis*.

Ad Octavam: pro certo ponitur Communitatis incommoda potiſſimum extitiſſe occaſione Mandati, de quo ſupra dictum eſt, & Confeſſarii. Non eſt autem accommodatum ad reparandum ordinem ac pacem in Monaſterio, ut Prælata quoslibet promiſcue Confeſſarios ſuis Monialibus tribuat contra Superioris voluntatem, quod Prælata in ejuſmodi facti ſpecie facere debet, illud eſt, ut Monialium ſuarum animos Superioris ſui menti conformare ſtudeant vi ſubjectionis & obſervantiæ, quam ipſa iis inſpirabit; & ex alia parte ut Superiorem moveat ad Mandatum ſuum temperandum, Confeſſariumque mutandum, quoniam Moniales vix ac ne vix quidem adduci poſſent, ut ad eum ſe conferrent. Quia porro pars utraque ad pacem conſpirare debet, præſertim vero Superior, debet ipſe omnes acerbitates ex animo deponere, non facile credere ſuam auctoritatem lædi, ejuſque jura non adeo mordicus propugnare, ſive loquatur de Monialibus, ſive ipſis alloquatur, non uti verbis nimiam ægritudinem ſignificantibus, eas exempli cauſa, quæ ſibi reluctantur, appellans non Conformiſtis, quod vocabulum hæreticam ſectam deſignat, nec Monialibus, de quibus agitur, accommodari poteſt.

Eſto nihil in Mandato, de quo quæritur, durius eſſet, & ſummo jure propugnari poſſet, quam late patet, prudentiæ tamen eſſet in præſenti negotio illud remitti, ut majus malum impediretur. Non ſemper expedit id fieri, quod permiſſum eſt, inquit Sacra Scriptura; neque id eſſet ſuo juri cedere, & inferioribus anſam præbere Superiori inſultandi. Si Pater Provincialis in hac facti ſpecie erga Moniales indulgentia utatur, nequicquam aliud præſtabit, quam earum imbecillitatis miſeratione movebitur, ut ipſarum ſaluti proſpiciat; deponet parumper Superioris perſonam, ut ſe bonum piumque Patrem exhibeat. Pater ſane Provincialis hujus Monaſterii Superior eo magis debet ita ſe gerere, quod ejus Mandatum non omnino reprehenſionis & vitii expers eſt; quodque optat, ut quo illud vitio laboret, ſibi ſignificetur.

Animadvertitur I. Id quod ipſe ait de Tridentino Concilio, verum non eſſe, perinde ac dum ſtatuit expectandum eſſe, dum gravis urgeat neceſſitas, ut Monialis ad Confeſſarios extraordinarios accedere permittatur. II. Addi poteſt huic & aliis animadverſionibus, quæ ſupra propoſitæ ſunt, jure pronunciari non poſſe Confeſſariorum multitudinem obedientiæ voto ex diametro opponi: propoſitio hæc Mandati non eſt veritati conſona; hæc enim multiplicitas obedientiæ adverſari non poſſet, niſi quatenus a Superiore, aut Statutis hujus Monaſterii prohiberetur.

III. In hac facti ſpecie duriora videntur Mandati verba hæc: „ nos ſupprimimus de omni noſtra „ auctoritate “; ut hæc alia: „ nos præcipimus „ Reverendæ Matri Prælatæ, ſub pœna inobedien- „ tiæ, ut nos certiores faciat, &c. “

IV. Severius eſſe videtur nunquam permitti Monialem Confeſſario extraordinario confiteri ullo die communis confeſſionis, quacumque demum neceſſitate prematur. Idem aſſeritur de his aliis Mandati verbis: „ Mandamus juxta commune jus, ut „ omnes Moniales ad ſuum Patrem Confeſſarium „ ordinarium accedant “. Fieri quippe poteſt, ut una ſeu plures Moniales peculiaribus de cauſis cum Confeſſario ordinario nulla libertate gaudeant; hoc in caſu Eccleſiæ mentis, & quod inde conſequitur, communis Juris non eſt, ut illæ ad eum accedere teneantur.

V. Non ſatis apparet, qua ratione nitantur hæc alia Mandati verba: „ Permittimus quamlibentiſſi- „ me Matri Prælatæ, ut concedat, noſtro tamen „ nomine, & non propria auctoritate &c. “ Si enim ad conſolationis Confeſſarios concedendos neceſſe eſt Prælatam a Superiore permiſſionem petere, & obtinere, non eſt timendum, ne eam propria auctoritate concedat. Itaque allata verba videntur eſſe hominis de ſua ipſius auctoritate plus æquo ſolliciti, videnturque parum favere Prælatæ, de cujus conſiliis videtur timeri poſſe; certe dici poſſunt, in Mandato, de quo quæritur, redundare.

Denique de hoc Mandato, deque articulis quæſtiones propoſitas continentibus illud univerſim pronunciari poteſt, Auctoris animum in eas Moniales, quarum Superior eſt, anticipatum & exacerbatum videri, ſibique in auctoritatis negotio nimium cavere. Non videtur in toto Mandati corpore ſatis ab uſu doctus in Monialium regimine. Si enim ejuſmodi eſſet, majore indulgentia uteretur, quam uti videatur. Edicit tamen initio Mandati ſe nihil aliud ob oculos habuiſſe, quam ſuarum Monialium æternam ſalutem; eumdem deinde animum ſervare debebat; quod ſane non præſtitit.

Deciſum hac die 30. Januarii an. 1694.
G. *Fromageau*.

Monialium Confeſſarii Jubilæi tempore.

C A S U S XVI.

Moniales uti poſſunt quibuslibet Confeſſariis approbatis Jubilæi tempore. Quodlibet Jubilæi die licet ad Confeſſionis tribunal accedere.

QUÆSITUM.

MOniales Diœceſis, in qua ad earum confeſſiones audiendas ſpecialis approbatio requiritur, confeſſæ Presbytero ſimpliciter approbato Jubilæi tempore, quo juxta Diœceſanum Mandatum ſufficit approbatio, cum is Presbyter negotii gratia alio proficiſci debuerit, quæritur, an in priore Jubilæi hebdomada eidem confeſſæ, & in poſteriore cætera opera requiſita executæ Jubilæum adeptæ ſint, propterea quia non omnia, quæ in Bulla jubentur, in hebdomada priore præſtiterint, aliis in hoc negotio alia ſentientibus.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Confeſſiones Jubilæi tempore factas, licet non in ea hebdomada, in qua Jubilæum acquiſitum eſt, ratas & validas eſſe. In Pontificis enim Bulla non dicitur oportere, ut Confeſſio fiat in eadem hebdomada qua Communio percipitur, atque alia ad Jubilæum lucrandum opera peraguntur; ſed ita tantum habetur: „ & pariter qui ſua peccata confeſſi ſuſcipient „ Sanctiſſimam Communionem die Dominico pro- „ xime ſequenti.

Et ſane Confeſſio non eſt ex operibus ad Jubilæum obtinendum neceſſariis, ut alia, quæ requiruntur in Bulla, quæque, ut quæ dicta ſunt, uni hebdomadæ ſunt annexa; ea nihil eſt aliud, quam diſpoſitio, qua utendum eſt, ſi opus fuerit. Igitur quocumque die Confeſſio fiat, modo intra Jubilæum fiat,

fiat, privilegio eidem annexo frui licet; *Beneficium Principis late interpretandum eſt*. Gratia eſt Jubilæi tempore Monialibus conceſſa, ut Confeſſarium in Diœceſi approbatum, tametſi propter Moniales non approbatum eligere poſſint. Amplianda eſt potius quam reſtringenda; atque ita licet Monialibus uti Confeſſariis hiſce toto Jubilæi tempore, & non per eam ſolum hebdomadam, in qua ad Jubilæum obtinendum ſe comparant, ea perficientes, quæ ad id requiruntur.

Deciſum hac die 16. Junii an. 1701.
G. *Fromageau*.

Religioſus in Monaſterii Confeſſarium electus.

CASUS XVII.

Religioſus ſuo Superiori, à quo eligitur in Confeſſarium & Directorem Monialium ſui Ordinis, parere debet.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Religioſus obedire teneatur Superiori ſuo præcipienti, ut proficiſcatur titulo Confeſſarii & Directoris ad Familiam Monialium ſui Ordinis, & Filiationis ejus Abbatiæ, & quarum ille Pater & Superior immediatus eſt; an vero ſe excuſare poſſit eo prætextu, quod eo munere abducitur à proprio ſtatu, ab amore ſolitudinis, ſilentii, pœnitentiæ, aut alia quacumque ratione?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Religioſum reſpuere non poſſe officium aut munus a ſuo Monaſterio pendens, ad quod a ſuo Superiore electus eſt; niſi certo cognoſcat id lædendi Divinis Numinis, & propriæ ſalutis in diſcrimen adducendæ occaſionem proximam fore. Ita unanimi ſententia ſtatuunt Auctores, qui de Regularibus negotiis agunt in medium adducti a *de Peyrinis tom.* 1. *de ſubd. q.* 1. *c.* 10. & a Pelizario *Tom.* 1. *Tract.* 4. *q.* 15. & quod ſingillatim ſpectat ad audiendarum Confeſſionum munus, Navarrus *in Manual. c.* 4. *n.* 14. pronunciat Superiorem poſſe Religioſo præcipere, ut illud acceprer: *Superior autem cum ſecura conſcientia poterit hoc illi præcipere, ſi judicat illum idoneum audiendis Confeſſionibus, quibus eum præfecit*. Ex quo concludi licet Religioſum obtemperare debere; juſſio enim alioquin in hac facti ſpecie videretur inutilis. Laurentius *de Peyrinis loc. cit.* & Sanchez *l.* 6. *Moral. c.* 6. *n.* 11. idem tradunt. Sanctus Antoninus *tertia parte tit.* 16. *cap.* 1. *ſ.* 9. teſtimonia in medium affert, quibus oſtendat Religioſum ad Confeſſiones audiendas adigi poſſe: *Idem dicit de audientia Confeſſionum, ſcilicet quod poteſt cogi*.

Religioſi ſuæ ſolitudini ita addicti eſſe non debent, ut, cum Eccleſia alicubi eorum opera indigeat, minime teneantur ſilentium ſuum interrumpere, propriamque ſolitudinem derelinquere, ut ad operam, quæ ab ipſis requiritur, præſtandam ſe conferant: *Si quam veſtram operam Mater Eccleſia deſideraverit, niſi corde obtemperetis Deo*, inquit S. Auguſtinus Epiſtola 48. Religioſos alloquens, *nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini, non inveniretis*.

Agitur in præſenti negotio non de generali, ſed de particulari charitatis obligatione; inſtituendæ quippe Familiæ Monialium, de quibus agitur, munus eſt ex Monaſterii, cujus is Religioſus eſt, officiis; cum enim ea Familia ſit Filiationis ejus Abbatiæ, id muneris eidem annexum eſt. Si ergo ob ſolitudinis & ſilentii amorem, aut ob aliam ejuſmodi rationem poteſt Religioſus legitime ſe excuſare ab hoc munere, cum Superior præcepit, ſuſcipiendo: fieri poteſt, ut nemo illud ſubire velit, & proinde hæ Virgines, illuſtris portio gregis Jeſu Chriſti ab iis ſe derelictas ſentiant, a quibus ſperandi ſubſidii jure gaudebant. Timendum eſt etiam, ne, ſi quis id officii acceptare velit, Religioſi melioris, & huic charitatis officio his Divini Filii Sponſis exhibendo magis idonei illud detrectent omnium libentiſſime, quippe propriæ ſolitudini omnium maxime addicti; adeoque Confeſſariorum & Directorum munus minus aptis minuſque capacibus relinquatur.

Hujus incommodi vitandi gratia, & ob id etiam, quod ſupra dictum eſt, concludendum illud eſt, Religioſum, quem ſuperior elegit, juſſitque in Monialium ſui Ordinis Monaſterio Confeſſarii & Directoris perſonam ſuſcipere, parere debere. Uno verbo Religioſus, cui ſolitudinem ac ſilentium deſerendi nulla gravis cauſa præſto eſt, debet ibidem conſiſtere, ut rerum cœleſtium contemplationi vacet; at ſi ad miniſterium præſertim ad ſuum Monaſterium ſpectans, illudque haud perpetuum ob proximi charitatem a Superiore vocetur, debet propriam ſolitudinem deſerere. Quod ſi conſcientiæ rationes habet, cur non obediat, debet eas Superiori, iiſque, qui eum intus & in cute norunt, expendendas relinquere, ut eorum conſilia, ſuis poſthabitis amplectatur; divinarum quidem rerum contemplatio eum in ſolitudine detinere debet; at charitatis neceſſitas ab ea ipſum debet avocare, cum arceſſitur ad officium, in quo eam exercere poſſit: *Otium ſanctum quærit charitas veritatis*, inquit Sanctus Auguſtinus *l.* 19. *c.* 19. *de Civit. Dei*, *negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis, quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati*.

Deciſum in Sorbona hac die 4. Auguſti an. 1695.
G. *Fromageau*.

Obligatio Confeſſarii impedimentum occultum cognoſcentis.

CASUS XVIII.

Quid Confeſſario faciendum ſit, cum ex uxoratæ Confeſſione cognoſcit in ejus matrimonio impedimentum exiſtere, atque illud quidem occultum eſſe.

QUÆSITUM.

ROgantur humillime Sorbonæ Domini, ut ſuper difficultatibus inſequentibus deciſionem ſuam ratione & auctoritate firmatam exhibeant.

Ludovica rem habet cum Petro, & aliquanto poſt ejus patrueli nubit, ignorans, affinitatem, quam cum Petri conſanguineis per ſuum peccatum contraxit, impedimentum dirimens eſſe: ita ut bona fide ſe geſſerit. At aliquot poſt dies cum generalem Confeſſionem edidiſſet, ex Confeſſario cognovit matrimonium ſuum nullum eſſe propter ejuſmodi præcedens impedimentum. Occultum peccatum eſt, æque atque impedimentum. Hoc poſito, quæritur,

I. An Confeſſarius Ludovicam de matrimonii nullitate monere debuerit, quod illa bonum & validum ſemper credidit, & de quo nunquam dubitavit; an vero ſatius fuerit eam in bona fide relinqui?

II. Quid conſilii huic Confeſſario ineundum ſit in dictæ Ludovicæ negotio, cum jam ea de matrimonii nullitate commonefacta ſit, quidque facto ſit opus, & ad quem ob ejus confirmationem confugiendum ſit? Poſſuntne id præſtare Vicarii Generales, aut eorum aliqui, Sede vacante? Hanc quoque facultatem poſſunt nec ne conferre noxiæ Confeſſario, ut ea utatur in foro interiori, licet nullo gradu ſit inſignitus?

III. Cum hoc matrimonium nullum & invalidum ſemper extiterit propter impedimentum dirimens, quod præceſſit: quæritur, teneturne pars noxia parti innocenti ſignificare ſe conjuges nequaquam eſſe? Videtur enim ex una parte non teneri propter incommoda non pauca, eaque graviſſima, quibus ſe obnoxiam redderet, ut Sorbonæ Dominis facile intellectu eſt; alia ex parte non deſunt Au-

ctores

ctores, qui eam teneri contendant, ut matrimonium confirmet, & ob eam quidem cauſam, quod ut pars impedimentum ignorans conſenſum renovet, aut potius novum præſtet poſt diſpenſationis conſecutionem, de matrimonii nullitate monenda eſt, tametſi neceſſe non ſit impedimentum in ſpecie eidem ſignificari; propterea quod, inquiunt Auctores hi, ſi ejus conſenſus ſimpliciter, & de matrimonii nullitate nulla mentione facta, requireretur, ageret ſolum vi prioris conſenſus, qui nullus cum fuerit, is quoque, quem poſt diſpenſationem ederet, nullus eſſet. Orantur Sorbonæ Domini, ut, quamprimum poterunt, ſcripto reſpondeant, & huic malo remedia ſuppeditent, quin ullum inde incommodum timendum ſit. Rogantur præterea, ut diſtinctim expendant, verum necne ſit, partem noxiam teneri parti innocenti ſignificare matrimonium ſuum nullum eſſe, licet cauſam declarare non teneatur propter incommoda, quibus per eam declarationem ſe certo ſubderet, ut paulo ante dictum eſt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut propoſitis quæſtionibus ſatisfaciat, exiſtimat,

Quoad primam: Confeſſarium, de quo quæritur, non debuiſſe Ludovicæ ſignificare ejus matrimonium nullum eſſe, quoniam illa erat in bona fide, & ex alia parte non pauca incommoda timenda erant, quibus cum facile occurri non poſſet, complurium erratorum periculo partes ſubjiciebantur. Oportuiſſet in hac facti ſpecie Confeſſarium, antequam matrimonii nullitatem Ludovicæ detegeret, moraliter certum eſſe, Virum ac fœminam ad ſeorſim vivendum, donec impedimenti dirimentis diſpenſatio obtineretur, eſſe comparatos; virum de hujus ſeparationis cauſa non inquiſiturum fore, ac deinde futurum fuiſſe, ut rurſus uterque ſuum aſſenſum præſtaret ad matrimonii, quod antea contrahere in animo habuerant, confirmationem. Quia porro legitima cauſa ſubeſt timendi, ne quid horum, aut omnia ſimul deſiderentur, ideo Confeſſarius debebat Fœminam in bona fide relinquere, quin de impedimento dirimente, quod in ejus matrimonio occurrebat, certiorem faceret. Neque in hoc contra rationis rectique conſilii principia quicquam peccaſſet; certum enim eſt quempiam in ignorantia relinqui poſſe, cum ea ignorantia eſt bonæ fidei, atque humano tantum juri repugnat; cumque ex alia parte cognitio, quam tribuere eſt animus, inutilis futura eſt, aut eamdem pluribus erratis occaſioni fore eſt vero ſimillimum; cauſa exempli in præſenti caſu Ludovica de matrimonii ſui nullitate commonefacta non amplius poſſet conjugale debitum viro petenti reddere; quod ſatis eſſet ad anſam multis in eam ſuſpicionibus, multiſque in Deum offenſis præbendam. Præterea Ludovica cum Viro jurgata poſſet ex invalidi matrimonii notitia ejus deferendi occaſionem arripere, quod eſſe non poſſet abſque ſcandalo, aliiſque incommodis, quæ conjici facile licet.

Navarrus *n. 73. c. Si quis autem de Pœnit. diſt. 7.* ait ſe, dum viveret, matrimoniorum, quæ legitima putabantur, & re ipſa nulla erant, aliquas diſpenſationes vidiſſe, de quibus tamen nunquam voluit eos, ad quos ſpectabant commonefacere, ne ſcilicet ipſis moleſtiam afferret, & peccandi occaſionem præberet: *Sed quia circa jus erant humanum, & nulli præjudicabant; timuimus veritatem propalare, ne illi, quos juſta ignorantia excuſabat, auctoritate noſtra crederent eas non valere, & nihilominus eis utentes peccarent.* Deinde ad hujus doctrinæ confirmationem in medium adducit auctoritatem Innocentii III. *cap. Quia circa de conſang. & affin.* in quo agebatur de matrimonio, quod Epiſcopus nullum eſſe credebat, quippe quod falſa diſpenſatione contractum eſſet; qui quidem cum Innocentium III. conſuluiſſet, reſpondit Pontifex, nullitatem hanc celandam & diſſimulandam eſſe, ne ſcandalum ſuboriretur: *Diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione videas grave ſcandalum imminere.*

Quoad alteram: Ludovica de matrimonii nullitate jam monita prætextum excogitet neceſſe eſt, ne conjugale debitum viro reddat, cum revera nequeat reddere, quin peccet. Quia porro negotium urget, & impedimentum occultum eſt, rogandus eſt Ordinarius, ut in impedimento, de quo eſt quæſtio, diſpenſet. Poteſt Epiſcopus hanc diſpenſationem concedere vi *capitis 6. Seſſ. 24.* Tridentini Concilii *de Reform.* ex quo concludi licet Capitulum quoque ejus habere diſpenſationis hujus tribuendæ, Sede vacante, quia hæc diſpenſationis facultas non eſt juxta Concilii mentem annexa perſonæ Epiſcopi, ſed ejus Officio ac Dignitati; neque vero poteſtas eſt, qua gaudeat Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, ſed ordinaria poteſtas eſt, cui proinde ſuccedit Capitulum, Sede vacante. Videri poſſunt Sanchez *l. 8 diſp. 2. n. 10. de Matr.* Barboſa *de can. & dignit. cap. 42. nn. 51. & 87.* Fevretus *lib. 3. cap. 6. n. 1.* Omnes hi Auctores pro certo ponunt ex Epiſcopo & Capitulo unum tantum Corpus conſtitui, & hoc poſterius in prioris omnem ordinariam juriſdictionem ſubſtitui poſt ejus mortem.

His ita ſe habentibus Vicarii generales Capituli, Sede vacante, poſſunt, tanquam Ordinarii, cuicumque voluerint Sacerdoti facultatem concedere matrimonium, de quo quæritur, confirmandi; nec neceſſe eſt, ut Presbyter in eum finem electus dignitatem aut gradum obtineat, cujuſmodi eſſe debet quoad Litteras, Brevia, ſeu Bullas Pontificum, cum ei executio commiſſa eſt, prout ſtatuitur in Jure *c. Statutum de reſcript. in 6.* & prout animadvertit Barboſa in idem caput, & etiam Paulus de Leone in ſua Praxi de Pœnitentiaria Romana *part. 1. pag. 19.*

Quoad tertiam: pars noxia nec obligatur, nec vero obliganda eſt ad matrimonii nullitatem viro ſuo declarandam; ut enim nihil dicatur de pluribus incommodis, quæ hanc manifeſtationem conſequi poſſent, viro anſam præberet de ſe ſuſpicandi, ita ut hac ratione probabili periculo infamiæ ſe ipſam exponeret, & fortaſſe a marito desereretur. Satis eſſet in hac facti ſpecie ad matrimonium firmandum, ut Confeſſarius poſt facultatem tollendi dirimens impedimentum ab Ordinariis aut a Vicariis Generalibus, Sede vacante, impetratam fœminæ id injungeret, ut marito debitum petenti ipſa conſenſum ſuum renovaret, eumque rogaret, ut ſibi bene vellet, & ſe tanquam propriam uxorem ſpectaret. Quod ſi hæc verba commode dici non poſſent, quia magnopere timendum eſſet, ne qua viro ſuſpicio ſuboriretur: ſufficeret dictam Ludovicam renovare conſenſum ſuum, dum viro petenti debitum ſolveret. Tunc enim maritus eam haberet uxoris loco, & priorem conſenſum, quem contrahendo matrimonio præſtitit, retinere cenſeretur; videlicet in ea mariti poſtulatione conſenſus renovatio virtualis contineretur; Ludovicam nempe in ſuam conjugem accipiendi: uno verbo conſenſus hic ſatis eſſe cenſendus eſt, ſi, ſpectatis præſentibus circumſtantiis, alia non poteſt iniri ratio rurſus actualem conſenſum a viro obtinendi. Videri poteſt Sanchez *lib. 2. de Matr. diſp. 36. nn. 8. & ſeq.*

Deciſum in Sorbona hac die 1. Septembris an. 1695.

G. *Fromageau.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONFESSIO.

Confeſſionis vocabulum, prout hoc loco uſurpatur, ſignificat accuſationem ſeu declarationem, quam ſuorum peccatorum edit pœnitens apud Sacerdotem, qui in eum juriſdictione pollet, ut pœnitentiam & abſolutionem recipiat. Dicitur Declaratio, quia cum Sacerdos in Pœnitentiæ Sacramento fungatur Medici officio, ſi volumus convaleſcere, oportet animæ noſtræ morbos, qui peccata noſtra ſunt, ei pateſieri, ea prorſus ratione, qua corporis morbos iis pateſacimus, quos iis aliquod remedium credimus allaturos. Nuncupatur pariter Accuſatio, quia pœnitens apparere debet coram Confeſſario tanquam teſtis, & tanquam reus coram ſuo Judice; atque ita ipſe ſe accuſare debet. Ex quo ſequitur eos veri nominis Confeſſionem non edere, qui propria peccata imminuunt, aut in iis ſe excuſant, in alios culpam rejicientes, æque atque eos, qui proprias virtutes commemorant, aut qui peccata referunt ea æquanimitate, qua hiſtoriam recitarent.

Confeſſio, ut bona ſit, tres conditiones habere debet. Debet eſſe integra, vera, & propria. Integra ſit oportet, ut videlicet nullum mortale peccatum ſcienter omittatur, quod quidem commiſſum fuerit, ex quo Dei gratia amiſſa creditur, quia nemo eodem tempore Dei amicus & inimicus eſſe poteſt; id quod contenderet, qui quædam peccata ſubderet Eccleſiæ Clavibus, veniæ obtinendæ gratia, & ſubdere nollet cætera, quæ proinde cum remitti non poſſent, in cauſa forent, cur ipſe Deo odio eſſet. Ad hujus Confeſſionis integritatem, ſerio & bona fide ad examen revocandum eſt id, quod contra Deum factum creditur, circumſtantiæ, quæ ſpeciem mutant, ſunt declarandæ, in medio relinquendum, quicquid inutile, nulliuſque momenti eſt, peccatorum, quantum fieri poteſt, numerus exprimendus. Secundo loco debet Confeſſio vera eſſe, ita ut exempli cauſa contra Confeſſionis veritatem peccetur, cum propriæ accuſationis prætextu eo res deducitur, ut bona apud Confeſſarium opinio acquiratur, in medium adductis quibuſdam circumſtantiis, quæ licet apud Deum pravæ ſint, tamen apud homines gloriam pariunt. Illud quoque Confeſſionis veritati repugnat, ut ſeu ad bonum ſeu ad malum, ſeu accuſationis, ſeu defenſionis propriæ gratia plus æquo res exaggerentur; id enim ſolummodo arguendum eſt, cujus ſe reum quiſpiam putat, & prout quidem putat; dubitanter dubiæ res, certo certæ ſunt proponendæ, & quantum fieri poteſt, non eſt de ſe, perinde ac de cæteris temere judicandum. Tertia demum Confeſſionis conditio ea eſt, ut propria ſit, ut ſcilicet accuſemus ipſi nos, & non alios, quantumque fieri per nos poterit, proximi famam tueamur.

Qua in re juvat animadverti, I. olim vetitum omnino non fuiſſe criminum complices nominari, cum apud Epiſcopum, aut Parochum etiam extra Confeſſionem, atque adeo potiore jure in ipſa Confeſſione eos nominari liceret. II. cautius in præſentia agendum eſſe, cum aliis, quam Paſtoribus, ut Religioſis confeſſio fit, quia cum hi Religioſi malo, quod ad complices ſpectat, mederi non poſſint, illi fruſtra iis deteguntur. III. his quoque temporibus ob aliquam utilitatem, aut ob ſolam Confeſſionis integritatem eos manifeſtari poſſe, qui eorumdem criminum rei ſunt; ut exempli cauſa ſi conſilio ſit opus, ut cum iis agatur, ut evitentur, ut iiſdem inſerviatur. Itaque conditio hæc, ut de alienis peccatis nullum omnino verbum fiat, tum ſolummodo locum habet, cum abſque ulla utilitate fit, & ut propriæ culpæ pars in alios rejiciatur.

Quamvis peccata venialia confitendi obligatio non adſit, nec peccet, qui eadem non confitetur, ut definiit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 15. eſt id tamen perutile, cum requiſitæ diſpoſitiones adſunt. Periculum enim ſubeſt, ne hujuſmodi erratorum venialium confeſſio fiat abſque dolore, & abſque animo ab iis recedendi, quia peccata Sacramenti Pœnitentiæ materia non ſunt, niſi quatenus eorum confeſſio deteſtationem, & mœrorem ex ipſorum commiſſione perceptum conjunctum habet una cum firmo & ſincero eadem non amplius perpetrandi propoſito, & quod inde conſequitur, qui venialia peccata confitetur, quin ex animo ſtatuat ab iis recedere, videlicet quin adhibeat remedia, quibus uti poteſt, ut reſipiſcat, quæ in eo potiſſimum poſita ſunt, ut ad orationem, qua eam a Deo gratiam poſtulet, confugiat, ut ſibi ſtudioſius proſpiciat, ut in virtutis ſuo peccato contrariæ actibus ſe identidem exerceat: is quidem nullam & infructuoſam Confeſſionem edendi periculo ſe ſe exponit, ob materiæ ad Sacramenti Pœnitentiæ validitatem ſufficientis defectum.

Peccata mortalia, quæ involuntario, ac poſt grave & valde accuratum examen in mentem non redeunt, cum cæteris remittuntur, dummodo hæc oblivio non ex eo derivetur, quod examen oſcitanter ſit inſtitutum; juvat tamen ea deinde confiteri, ſtatim atque animo recurrerint. Non una eſt facti ſpecies, in qua iteranda Confeſſio ſit. I. cum ob examinis defectum peccata mortalia ex animo exciderunt. II. cum Confeſſionem non eſt comitata aut conſecuta vera converſio, ita ut non temere de impetrata peccatorum venia dubitetur. III. cum data opera in confeſſione omiſſa ſunt peccata mortalia, aut eorum numerus declaratus non eſt, aut aliqua circumſtantia ſpeciem mutans ſilentio eſt prætermiſſa.

Extat Eccleſiaſticum præceptum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. ut ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti confeſſio fiat; eſt id in Canone *Omnis utriuſque ſexus*. At de iis, qui per annum peccata mortalia omnino non admiſerunt, occurrit dubitatio; cui quidem Divus Thomas *in ſupplem. quæſt.* 8. *art.* 5. *ad.* 4. reſpondet eos ad Confeſſionem non obligari, quæ univerſæ peculiariter Lovanienſis Scholæ doctrina eſt. Significandum porro eſſet Confeſſario, cauſam, propter quam confeſſio nulla ſit, eam eſſe, quod integro elapſi anni ſpatio mortalia peccata commiſſa non fuerint. Sacerdos hic proprius, de quo in Lateranenſi Conſilio ſermo eſt, Parochus eſt, aut Epiſcopus; etenim penes eum proprii gregis paſcendi non modo poteſtas, verum etiam obligatio eſt; quod in Religioſos non cadit. Præcipit Synodus, ut ex eo ipſo percipiatur Paſchalis Communio, cui ſemel in anno Confeſſio facienda præſcribitur; quod evincit, primum illud de proprio Paſtore accipiendum eſſe. Eo ſane ſenſu id accepere Tridentinum Concilium, Concilia particularia, Cleri Gallicani Congregationes, Decreta Pontificum. Privilegia vero, quæ a Religioſis allegari poſſunt, a Summis Pontificibus Pio IV. Pio V. Gregorio XII. Clemente VIII. ad Tridentinæ Synodi verba redacta ſunt.

Con-

Confeſſio ante Miſſæ celebrationem.

CASUS I.

1 Parochus adſtrictus obligatione celebrandæ Miſſæ eo ipſo die, quo cum fœmina ſuæ curæ concredita rem habuit, cum alii quam ſuo Vicario confiteri non poſſit, peccatum hoc declarare omnino non debet, ne complicem detegat.

2 Si ex hujus Parochi peccatis unum eſt, quod ſit reſervatum, & a quo Vicarius nequeat abſolvere, illud in Confeſſione omittere non debet, quia abſolutio, quam recipiet, directe peccata cætera, & indirecte hoc ipſum afficiet.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Domini, ut duas haſce difficultates, quæ mirum in modum ejus animum turbant, qui in iiſdem verſatur, decidere velint. En facti ſpeciem.

I. Malo ſuo fato Parochus peccavit cum una e ſuis ſubditis mane diei, quo ſacrum facere tenetur. Cum non niſi Vicario ſuo confiteri, nec peccatum hoc ei declarare poſſit, quin perſonam detegat, quacum illud patravit, interrogat, an poſſit de hoc crimine Contritionis Actu contentus eſſe, ac de eo Confeſſarium celare, animo illud alteri declarandi, cum primum poterit?

II. Hic idem Parochus trium peccatorum reus, quorum unum reſervatum eſt, quærit, an cum Miſſam celebrare teneatur, ſuo Vicario confiteri poſſit, ſilens de reſervato, a quo is nequit ipſum abſolvere, atque expectans, dum illud alteri Sacerdoti reſervatos caſus habenti confiteri poſſit?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet quoad quæſtionem primam, ſi Parochus omnino non poteſt a Miſſæ celebratione abſtinere, quod tamen conari debet, atque alia ex parte nullus alius ipſi præſto eſt Confeſſarius, quam ejus Vicarius, probabilius eſſe, docentibus Baſſæo, Bannez, (a) Navarro, Cajetano, aliiſque compluribus, eum non teneri de impudicitiæ peccato ſe arguere, ne ſuæ ſubditæ famam lædat apud Vicarium, qui eam, ut eſt vero ſimile, honeſtam putat. Illorum ea ratio eſt, quod Confeſſionis integritas eſt juris divini poſitivi, præceptum autem non lædendæ famæ proximi juris naturalis eſt, ac proinde poſterior hæc obligatio videtur ſtrictior ac major eſſe. Nihilominus Cardinalis Toletus, aliique non pauci contra ſtant, contenduntque hunc Parochum teneri peccatum hoc declarare, quia in Confeſſionis ſecreto patrati criminis complicem detegere non eſt infamatio proprie dicta. Quamobrem vetus Auctor, cujus Layman verba refert pronunciat: *De nullo finiſtre loquaris, niſi in Confeſſione: & hoc ubi non potes aliter confiteri peccatum tuum.* Verum prior ſententia poſteriori videtur anteponenda; præterquamquod enim rationes, quibus ea nititur, probabilitatis plurimum habent, proximum quoque, cujus peccatum nemini notum eſt, ac ſi innoteſceret, incommoda afferre poſſet, magis in tuto ponunt.

Si Parochus alia commiſit peccata mortalia, ſuo Vicario debet ea confiteri, atque addere ſe aliud quoque grave peccatum contra puritatem patraſſe, nullam peculiarem circumſtantiam declarans, ne complicem manifeſtet; eam enim adeo celare tenetur, ut ſatius fuerit peccatum non declarari, quam eamdem manifeſtari. In ejuſmodi caſu ſatis eſt edi contritionis Actum, animo confitendi, cum primum per tempus licuerit.

Quoad quæſtionem alteram: tenetur Parochus peccatum reſervatum confiteri non minus quam alia duo, quia abſolutio, quam recipiet, directe cadet in hæc, & indirecte in illud, quod eſt reſervatum. Ita ſentiunt Auctores plures, quos refert Layman *l. 5. tr. 6. c. 12. n. 10.* & Divus Thomas *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. ad quæſtiunculam 4.*

Deciſum hac die 8. Januarii an. 1697.
G. *Fromageau.*

Confeſſio Sacerdotis ſemel in anno tantum.

CASUS II.

1 Nullum adeſt præceptum, quo Sacerdos ad Confeſſionem pluries quam ſemel in anno edendam obligetur.

2 Nihilominus difficile factu eſt, ut in ea vitæ integritate perſiſtat, quæ ad Sacrum faciendum neceſſaria eſt.

3 Ejus agendi ratio cum Eccleſiæ diſciplina, & piorum virorum conſuetudine pugnat.

QUÆSITUM.

ROgantur Domini Sorbonæ Doctores, ut dicant, quid ſentiant de Presbytero, qui quaque hebdomada Miſſam celebrat, & ſemel tantum in anno confitetur, licet eo loci degat, ubi magna Confeſſariorum copia præſto eſt.

Responsio.

Doctores ſubſcripti reſpondent, nullum quidem crebræ confeſſionis edendæ præceptum exiſtere, fierique poſſe, ut Sacerdos, de quo in Expoſitione dictum eſt, in aſſidua virtutum omnium exercitatione verſetur, rerum cœleſtium meditationi ſemper intentus, aſperam vitæ rationem tenens, jejuniis & orationi nunquam non vacans, atque a mundi illecebris adeo remotus, ut remedio Sacramenti Pœnitentiæ haud ſæpe opus habeat.

Verum quia humanorum negotiorum, quæ quotidie occurrunt, viciſſitudo, atque adeo Sacerdotii munia nonnunquam vel Sanctitate præſtantes homines ad mundi tumultum pertrahunt, ac neceſſe eſt, ut, quod ait Sanctus Leo, ab eo ſibi quiſque caveat, qui vel puriores animos aggreditur; moraliter loquendo, difficillimum eſt, hominem, quæ ejus imbecillitas eſt, inter tot lædendi Divini Numinis occaſiones, tot, quibus obſidetur, hoſtibus circumventum, pluribus præſentibus tentationibus expoſitum nihil incommodi ex mundi commercio ſentire, nec ſæpe incidere in aliqua ejuſmodi errata venialia, ea quidem levia, ſed quæ valde timendum eſt, ne gravia evadant, & Pœnitentiæ Sacramento, quo purgentur, indigeant. Itaque Divus Carolus in quadam e ſuis Synodis Mediolanenſibus jubet Sacerdotes, licet probatiſſimis ſint moribus, quaque hebdomada confiteri, quo majorem ad Altare puritatem afferant: (b) *ut Sacerdotes, quo puriores ad divinam rem faciendam accedant, ſaltem ſingulis hebdomadis peccata ſua confiteantur, niſi eos, ob mortalis peccati culpam, frequentius id facere, oportuerit.*

Præter has rationes timendum eſt etiam, ne hæc conſuetudo confitendi non niſi ſemel in anno, in Sacerdote, ſingulis diebus Dominicis ſacrum facienti videatur extraordinaria, & ſingularitatis ſuſpecta, ejus quoque cor inflet, efficiatque, ut de propriis viribus ipſe præſumat.

Præterea nihil magis ab Eccleſiæ diſciplina, & piorum Virorum, qui ſæpe & quidem utiliter peccata etiam venialia confitentur, conſuetudine alienum eſt. Ex quo ſequitur non immerito dubitari poſſe, ne hic Sacerdos ita ſe gerens aliquid ſcandali afferret infirmis, qui damnum inde perciperent, atque hac ratione a Sacramenti adeo ſalubris frequentatione abducerentur.

Quocirca cum omnia accurate expenderimus, exiſtimamus, moraliter loquendo, neceſſe eſſe ſæpius Confeſſionem peragi, atque hunc Presbyterum in eo

(a) Bannez 2. 2. q. 23. init. Navar. 19. Man. c. 7. n. 3. & 4. Cajet. v. Confeſſ. n. 5. & 14. Valentia tom. 4. d. 7. q. 11. aſſertio, 6. §. 4. Baſſæus tom. 1. v. circumſtantia 56 Diana 1. p. tract. 7. reſol. 40. Tolet. l. 3. c. 8. n. 6. Bonacina de reſtit. diſp. 2. q. 4. punct. 4.

(b) S. *Carol.* Concil. Mediol. 1. Conſtit. par. 1. Conſtit. 5.

tio a prudentia, conſilioque deficere, dum in anno ſemel tantummodo confitetur.

Deciſum in Sorbona die 3. Auguſti an. 1695.
G. *Fromageau*.

Confeſſio abſque dolore ſufficiente.

CASUS III.

1 *Nulla & ſacrilega Confeſſio eſt, quam non comitatur peccatorum quamvis venialium dolor ſufficiens.*
2 *Facta hypotheſi Confeſſionem hanc nullam eſſe, ſacrilegium, quod perpetratur, mortale peccatum eſt.*

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut definiant, an ejus Confeſſio, qui in Pœnitentiæ Tribunali ſe accuſat de peccatis venialibus, in quæ poſt accuratum examen ſe facile prævidet relapſurum, ſi de vita ageretur, ſacrilegium ſit necne?

De hujuſmodi Confeſſionis validitate dubitandi ea ratio eſt, quod creditur, veniale peccatum, ut Sacramenti Pœnitentiæ materia evadat, horrori, atque odio, & quidem ſummopere eſſe debere, id quod ſecum affert propoſitum non amplius illud committendi, quicquid evenerit. Porro in propoſita facti ſpecie pœnitens non proponit ſe non amplius peccata venialia, quæ confitetur, commiſſurum, quia in mortis diſcrimine ea ſe perpetraturum prope novit.

Quæritur rurſus, facta hypotheſi ejuſmodi Confeſſionem ſacrilegam fore, an hoc ſacrilegium mortale peccatum ſit, quia in Sacramenti materia dubitatur, an alterius generis ſacrilegium exiſtere poſſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, antequam duabus propoſitis quæſtionibus ſatisfiat, animadvertendum eſſe, eum, qui ex toto corde peccatum ſuum deteſtatur, eodem tempore timere poſſe, ne in illud ipſum relabatur (a), & quamvis prævideat, fore, ut ſi ſe occaſio obtulerit, probabiliter recidat ob propriam imbecillitatem, niſi, quod futurum ſperat, Deus auxilium præſtiterit: hunc tamen timorem ipſum cohærere poſſe cum voluntate, quæ peccati affectionem excludat, & cum actuali, ſincero, & efficaci propoſito non peccandi de cætero. Illud porro monendum eſt, nihil magis periculoſum eſſe, quam deſcendere ad occaſiones ſingulas, quæ ad peccatum pertrahere poſſint; cum enim objecta particularia humanam voluntatem vehementius afficiant, permoveantque, quam ea, quæ generatim proponuntur: ſummopere proinde timendum eſſet, ne, ſi propius aut ſingillatim ſpectarentur ea mala, quorum formidine peccator percelli, & ad peccatum rurſus impelli poſſet, peccati generatim vitandi propoſitum jam ante conceptum hac ipſa formidine infirmaretur, atque ita non amplius ſufficiens eſſet, & cujuſmodi ad verum Contritionis Actum requiritur.

Ad primam, hoc poſito, reſpondetur, ſi perſona, de qua quæritur, cujuſque Confeſſio circa venialia tantum peccata verſatur, ſecum reputat, ſi de vita ageretur, in eadem ſe relapſuram, quia non ignorat, cujuſmodi in ea facti ſpecie infirmitas propria, propriique animi propenſio futura ſit: periculum ſubituram eſſe, ne ſufficientem ſuorum peccatorum contritionem perciperet; ejus enim voluntas peccati affectionem non ſatis excluderet, quia videretur malle peccare, quam vitam amittere, aut de vita periclitari. Ex quo licet inferri, defectu ſufficientis doloris de propriis peccatis, ejus Confeſſionem nullam fore, ac proinde ſacrilegam.

Ad ſecundam: facta hypotheſi Confeſſionem hanc nullam fuiſſe, ut vero ſimile ſit, ſacrilegium ab hujuſmodi pœnitente commiſſum peccatum mortale eſſet, & non veniale tantum, eſto Confeſſio venialia tantum peccata ſpectaret. Sane ille in hac facti ſpecie gravem adverſus Sacramentum irreverentiam committeret, reddens illud nullum, efficienſque, ut abſolutionis verba a Confeſſario prolata nulla eſſent, nullumque effectum producerent. Theologi, qui etiam molliores audiunt, tuentur ſententiam hanc, ubi de Confeſſione agunt, iique præſertim, qui aſſerunt, eum, qui venialia tantum peccata, quæ non commiſiſſet, confiteretur, mortalis ſacrilegii reum fore, non tam propterea quod inter confitendum mentiretur, quam quia ſine ſufficienti materia ad Sacramentum accederet. Videri poſſunt Navarrus *tom.* 2. *cap. inter fratres*, *n.* 27. *pag.* 537. & *tom.* 3. *cap.* 21. *n.* 37. Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 8. *n.* 15. *de Sacram. Pœnit.* Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *p.* 2. *§.* 2. *n.* 11. *de Pœnit.* (b) Diana 11. *p. tr.* 7. *reſol.* 38.

Deciſum hac die 9. Julii an. 1700.
G. *Fromageau*.

Quæſtiones variæ ſuper Confeſſione.

CASUS IV.

1 *De Confeſſione.*
2 *De Sigillo Confeſſionis.*
3 *Perſpicacitas, quæ ad Confeſſiones audiendas requiritur.*
4 *An Confeſſario poſſit occultari peccatum, quod complicem manifeſtaret.*
5 *An Confeſſarius poſſit pœnitentiam imponere, quæ argumento foret pœnitentem graviter deliquiſſe.*

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut de ſequentibus caſibus dicant, quid ſentiant.

I.

De Confeſſione.

An Confeſſarius debeat pœnitentem repellere non declarantem peccatum, quod Confeſſario ipſo vidente patravit, licet nihil non egerit Confeſſarius, ut illud ex ejus ore depromeret; an vero tuta conſcientia poſt aliorum peccatorum declarationem poſſit eumdem abſolvere.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti cenſent quoad quæſtionem primam, Confeſſarium, cui pœnitens peccatum non patefacit, quod eo vidente commiſit, quamvis illud ex eo extorquere pro viribus conatus fuerit, non ideo ei abſolutionem negare debere; quoniam ad Sacramenti rationem pertinet, ut Confeſſarii cognitio tantummodo ex pœnitentis accuſatione derivetur. Eum tamen poſſe, atque adeo debere omnia moliri, ut ipſum ad illud confitendum adducat; atque ita poſſe eumdem repellere ob alia peccata; at ſi perſtiterit, ei abſolutionem negare non poſſe.

II.

De Confeſſionis Sigillo.

QUÆSITUM.

An Confeſſarius, cui ex Confeſſione perſonæ, quæ cum alia matrimonium inire in animo habet, impedimentum dirimens innoteſcit, debeat his perſonis matrimonii Sacramentum negare, cum a Confeſſario monitæ nolint a propoſito recedere?

RESPONSIO.

Confeſſarium, qui Parochus eſt, aut ejus delegatus ad matrimonia, quique cognovit ex confeſſione

par-

(a) Caſtro Palao tom. 4. de Sacram. Pœnit. tr. 23. diſp. 2. n. 15. p. 113.

(b) D. de Sainte Beuve tom. 2. caſus 12. contra ſentit.

partis, quæ cum alia matrimonium contrahere vult, adeſſe impedimentum dirimens, neque illud aliunde cognovit, miniſterium ſuum quoad hoc matrimonium, vel ſi clam fiat, negare non debere, quia non poſſet ita ſe gerere, quin Confeſſionis ſigillum violaret. Nititur ſententia hæc auctoritate Facultatis Theologicæ Pariſienſis, quæ in Guimenio hanc propoſitionem proſcripſit: *Prælatus, qui ex Confeſſione Sacramentali, ſubditi peccata cognoſcit, poteſt hujus notitiæ virtute ab Officio ad nutum amovibili eum amovere*, tanquam falſam, ſcandaloſam, & contrariam Confeſſionis ſigillo, quod profecto multo magis violaretur, ſi Sacerdos ad matrimonium, de quo ſermo eſt, ſuam operam conferre nollet, quam in ea facti ſpecie, in qua cenſura inflicta eſt.

III.

Perſpicacitas ad Confeſſiones audiendas neceſſaria.

QUÆSITUM.

AN Sacerdos non ſatis ingenio valens poſſit tuta conſcientia Caſuiſtis uti, ut quod illi docuerunt, executioni mandet, neſciens bonos a malis ſecernere?

RESPONSIO.

Oportere, ut Sacerdos ingenio polleat, quo rectas pravaſque rationes diſcernat, ut in eam, quam ſequi debet, ſententiam deſcendat, & tuta conſcientia Confeſſarii officium ſuſcipere valeat. Qui enim alioquin poſſet recte judicare, ignorans, quid diſtent æra lupinis? At hæc perſpicientia major minorve ſit neceſſe eſt pro locorum ratione, in quibus ejuſmodi munia Sacerdotibus demandantur.

IV.

Confeſſio.

QUÆSITUM.

AN pœnitens Confeſſario poſſit occultare crimen, ex quo complicem ille cognoſceret?

RESPONSIO.

Theologos in hac controverſia non idem ſentire; ajentibus aliis faciendam omnino non eſſe peccati declarationem, ex qua ſceleris particeps detegeretur. Ita Marcilius *in* 4. *q.* 12. *art.* 1. *p.* 4. Cajetanus *in Summa verbo Confeſſio condit.* 3. Navarrus *in Summa c.* 7. *n.* 1. *& ſeqq.* Aliis vero contendentibus pœnitentem teneri ſuum peccatum detegere, etiamſi complicem patefaceret. Ita D. Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 5. *ad* 5. Sanctus Bonaventura *in* 4. *diſt.* 21. *art.* 1. *q.* 3. *n.* 54. Paludanus *diſt.* 21. *q.* 3. *art.* 2. *&c.* Et Navarrus quidem animadvertit poſteriorem ſententiam magis communem eſſe. Quia tamen opinionem ſuam Hoſtienſis & Innocentii auctoritate niti contendit, Subſcripti perſuaſum habent in ſententiarum varietate inter tanti nominis Viros ſe melius agere non poſſe, quam ſi varia placita in medium attulerint.

V.

Satiſfactio.

QUÆSITUM.

AN Confeſſarius poſſit pœnitentiam imponere, ex qua pœnitentem graviter peccaſſe fortaſſe cognoſceretur?

RESPONSIO.

Confeſſarium in pœnitentiæ impoſitione conſilio uti debere, ita tamen, ut ſuo muneri ſatisfaciat, hoc eſt ſalutares pœnitentias imponat juxta Tridentinam Synodum *Seſſ.* 14. *c.* 8. cujus eſt hæc regula: *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerint, pro qualitate criminum, & peccantium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Ex quo apparet, Confeſſarios debere pœnitentias ſalutares imponere pro delictorum ratione, cujuſmodi ſunt jejunia, eleemoſynæ, preces, & id genus alia, quæ neceſſaria judicaverint, quæque ipſa per ſe detegendis pœnitentium criminibus non inſerviunt, quandoquidem bonus quiſque Fidelis hæc pietatis opera edere poteſt, eademque probis æque atque improbis poſſunt eſſe communia.

Deciſum Pariſiis hac die 23. Auguſti an. 1674.

Ang. de Lamet.

Reſtituere nolentium Confeſſio.

CASUS V.

Quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat quoad pœnitentes, aliena bona reſtituere nolentes, & quoad ſatisfactiones, inſignibus peccatoribus injungendas.

QUÆSITUM.

I. AN filius, qui ex Matre moriente ſe legitimum non eſſe cognoſcit, ejus bona reſtituere teneatur, qui ipſius pater exiſtimatur?

II. Qua ratione Confeſſarius debeat ſe gerere cum viro, ac fæmina, qui multos filios habent, qui aliena bona, quod facere tenebantur, non reſtituerunt, & qui ad extremam neceſſitatem redigerentur, ſi reſtituerent?

III. Qua correctione, quibuſque ſatisfactionibus opus ſit quoad eos, qui per quadraginta & amplius annos multis ſe flagitiis inquinarunt?

IV. Quæ pœnitentia injungenda iis, qui ſuos parentes male habuerunt, & cauſa ſunt eorum mortis tam corporalis, quam ſpiritualis, & id voluntario?

V. Quænam pœnitentia ſit imponenda mulieri, quæ filiorum ſuorum cuipiam animi & corporis mortem pravitate aut negligentia intentaverit?

Mater morti proxima declarat uni filiorum ſuorum, eum legitimum non eſſe, eique in mandatis dat, ut dotem, ac patris hæreditatem, eam quidem non mediocrem ſuis fratribus reddat.

Quæritur, an filius, qui perſuaſum habet matrem ſuam ita ex animo declaraſſe, & in eum tantum finem, ut ſuam conſcientiam in tuto poneret, teneatur omnino ei fidem adhibere, ſuiſque fratribus ac ſororibus quicquid ex Patre (cujuſmodi quidem putatur) & ex matre hæreditatis titulo poſſidet, reſtituere. Quomodo id fieri poteſt? Ea porro fæmina abſque viri conſenſu reſtituere non poteſt, timetque, ne, ſi eum de re certiorem fecerit, ab ipſo ſpernatur, & reliquo vitæ tempore miſere vivat, propriæ, ac filiorum famæ jacturam faciat, præterquamquod extremam perniciem afferret reſtitutio.

Quæritur, qua ratione Confeſſarius ſe gerere debeat cum viro & conjuge, qui divites & ſunt & habentur, quibuſque multi filii, iidemque matrimonio maturi ſunt, qui contra jus faſque magna bona uſurparunt, cum graviſſimo proximi detrimento, quique a genitoribus juſſi ſunt reſtituere, ita ut, ſi integre redderent, ad extremam inopiam redigerentur?

Debetne Confeſſarius hic iis imponere, ut omnino reſtituant, ſummæque paupertati ſe ſuoſque filios obnoxios reddant, cum in præſentia admodum honeſta ſint conditione? Quota, & quibus ex iis, qui damnum perceperunt, potiſſimum facienda eſt reſtitutio, facta hypotheſi non omnibus & ſingulis ſatisfieri?

Notandum eſt, alterutrum nec credere, nec ſcire ſe alieni multum tenere, ſe ſiſtere Confeſſariis, qui

qui conniveant , aut eoſdem conjugatos ad reſtitutionem cohortantur , quæ tamen poſt annos quindecim aut viginti facta non eſt, interim illi eo in ſtatu ad Communionem accedunt , & Sacramenta percipiunt, timendumque eſt, ne præ bonorum , & famæ ſtudio, & conſcientiæ ſtupore quodam , quantumvis jubeantur, unquam reſtituant . Quod ſi ad Confeſſarios alios remitterentur , id minime confiterentur , ac proinde æternæ Salutis diſcrimen ſubirent .

Quomodo corrigendi , quibuſque pœnitentiis afficiendi ſunt, qui per quadraginta & amplius annos a divino ſervitio , timore , atque obſequio alieni fuere , immo vero per ſummam impietatem ac temeritatem eum ipſi offenderunt , & omni flagitiorum genere ab aliis offendendum curarunt , atque in hac morum depravatione , ſine ulla præparatione aut diſpoſitione ad Sacramenta accedentes , ea profanarunt ; atque etiamnum licet ſua crimina cognoſcant, eademque confiteantur , ajunt ſe in graviſſimo ſtupore, ac ſeu cogitationibus ſeu verbis lædendi Dei & proximi longe maxima prurigine ac propenſione verſari ?

Quid ineundum conſilii , & quænam injungenda pœnitentia iis, qui proprios genitores, alioſque male exceperint, & directe aut indirecte tam corporis quam animæ mortem iiſdem attulerint , ut eorum bona ſibi vindicarent , Confeſſariis, & ſpiritali ſubſidio in mortis articulo eoſdem privantes , ut damnarentur ?

Quid injungeretur fæminæ, qui filiorum ſuorum cuipiam corporis aut animæ mortem quocumque modo, dolo malo, aut negligentia intentaverit ?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum , quod expoſitionem hanc vidit & expendit , exiſtimat quoad quæſtionem primam , filium , qui de ſuo illegitimo ſtatu ex matris declaratione certus eſſet, tuta conſcientia id retinere non poſſe, quod tanquam legitimus ex familiæ bonis habuiſſet, ac teneri pro viribus reſtituere ob eam cauſam , quod nemini licet alienum bonum ſibi arrogare ; eumdem tamen in hac facti ſpecie poſſe ſuæ famæ etiam atque etiam conſulere.; verum admodum raro contingere , ut matri tale quicpiam aſſerenti filius fidem habere teneretur ; ut poſt graves Auctores non paucos docet Cajetanus *in ſumma v. adulterium* : *De jure nec maritus ; nec proles tenetur matri adulteræ credere in hujuſmodi*. Et S. Antoninus 2. *p. tit.* 2. *cap.* 7. verba faciens de Tribunalis officio quoad declarationem.: *Nec vir , nec filius , nec etiam publicus judex , mulieri hoc revelanti credere obligatur , niſi probet dicta ſua per infallibilia ſigna , aut per violentas probationes , ſive per idoneos teſtes*. Hæ probationes præſto eſſent, ſi liquido conſtaret patrem ab uxore tamdiu abfuiſſe, ut filii , de quo agitur , pater eſſe non potuerit, atque id prorſus indubitatum eſſe oporteret .

Quoad quæſtionem alteram : hominum flagitia impedimento eſſe non debere , quominus Confeſſarius juxta regulas agat; conjugatos iniquis rationibus divites factos, quicquid injuſte ſumpſerunt, aut retinuerunt, reſtituere teneri ; omnia quoque damna , quæ aliena retinentes aut arripientes importarunt , ſarcire debere, cujuſmodi ſunt lites , impenſæ , & ea generatim omnia , quibus ipſi propria iniquitate cauſam præbuerunt . Debere quidem Confeſſarium curare pro viribus , ut ad regulas ſuos pœnitentes conformet ; at ſi illi ſe ab iis alienos oſtendant, quæ ad recipiendam abſolutionem requiruntur; non debere eoſdem abſolvere, quamvis futurum prævideat , ut ad alios leniores accedant ; ita ut abſolutio , quam impertiretur , eum coram Deo reum efficeret , & horum fictorum pœnitentium crimina augeret; ſemper ipſum præ oculis habere oportere , præcipuam , magiſque eſſentialem inter diſpoſitiones eſſe voluntatem non amplius peccandi , quemadmodum Tridentina Synodus tradit *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. de attritione verba faciens : cum porro e peccato nequeat emergere , qui alieni boni retinendi voluntatem ſervat , qui ita animo comparati ſunt , non poſſunt abſque ſacrilegio abſolutionem percipere, quoniam in peccati ſtatu verſantur . Is autem in reſtitutione ordo tenendus eſt , quem externum forum præſcripſerit .

Quoad quæſtionem tertiam : difficile indigitari poſſunt ſingillatim ſatisfactiones inſignibus ejuſmodi peccatoribus injungendæ , quia in ſatisfactionum Sacramentalium impoſitione ratio habenda eſt ſtatus illius , qui confitetur , ac videndum eſt, quid pro conditionis ratione valeat . Poſſunt homini , mundi bonis affluenti ſatisfactiones imponi , quæ alii ex labore vitam trahenti minime congruerent ; & quod ei ſummo cum conſilio præciperetur , qui ſolitariam vitam ducere poſſet , omnino alienum eſſet ab eo , qui in ſocietate vivere cogeretur, aut conjugali vinculo adſtrictus eſſet , & qui familiæ adminiſtrandæ ac ſuſtentandæ præeſſet . Id proinde ſervandum eſt, quod nos docet Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *cap.* 8. ubi generales regulas præſcribit, quas pro varietate circumſtantiarum Confeſſarii adhibere debent . En ejus verba : *Debent ergo Sacerdotes Domini , quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerint , pro qualitate criminum & pœnitentium facultate , ſalutares & convenientes pœnitentias injungere ; ne ſi forte peccatis conniveant , & indulgentius cum peccatoribus agant , leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo , alienorum peccatorum participes efficiantur . Habeant autem præ oculis , ut ſatisfactio , quam imponunt , non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam , & infirmitatis medicamentum , ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem ; nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat , ſed ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres credunt & docent* . In comperto eſt Tridentinam Synodum velle Confeſſarios in pœnitentiarum & ſatisfactionum Sacramentalium impoſitione non eo tantum ſpectare , ut eæ peccatoris imbecillitati medeantur , ne amplius in eadem, quibus depravatus fuit , peccata labatur : *Non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum* ; verum eo etiam , ut pro peccatorum gravitate Divinæ Juſtitiæ ſatisfiat , *ne ſi forte conniveant , & indulgentius cum peccatoribus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo , alienorum peccatorum participes efficiantur* ; & paulo poſt : *ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem*. Videri poteſt in hoc negotio, quid in Actuum Mediolanenſis Eccleſiæ Parte quarta ſtatutum ſit , non eſſe ſcilicet, quod quiſpiam miretur , eos, qui recens ad bonam frugem rediere, remiſſo animo eſſe , & ad peccatum propendere , ſed ipſos potius ſuſtentandos eſſe, ac monendos ex peccato languorem duci, qui fere non expellitur niſi orationis aſſiduitate , magna licet averſio ſentiatur , & bonis operibus , quæ cum perſeverantia , & humilitate fiunt.

Quoad quæſtionem quartam : prodeſſe plurimum horum inſignium peccatorum animum vinci , & ſinceram eorumdem converſionem certo cognoſci ; curandumque eſſe , ut non modo , quoad fieri poteſt, patratorum ſcelerum turpitudo eorum oculis ſubjiciatur , verum etiam ut divinæ , qua vocantur ad pœnitentiam , miſericordiæ ſpe confirmentur ; hac ratione facilius ad neceſſarias , & culparum gravitati aliquo pacto reſpondentes exercitationes pertrahentur, ut ſalutaribus ſatisfactionibus, prout juxta Tridentini Concilii doctrinam in reſponſione ad quæſtionem tertiam dictum eſt, ſe ſubdere parati ſint . Satisfactiones , quæ imponentur , longas, & graves eſſe debere pro pœnitentium conditione , atque ejuſmodi , ut ipſis peccatorum magnitudinem ob oculos ponant , eoſdemque adducant, ut coram Deo ingemiſcant , quin tamen opprimantur, abſterreanturque pondere ſeu magnitudine diuturnarum pœnitentiarum, quæ in dies magis remittendæ erunt pro fervoris, & virium ratione . Magnæ eleemoſynæ, magnæque preces iis injungendæ ſunt , ad eorum , quibus mortem intulerunt , juvandas animas , atque id quidem ſpectato eorum ſtatu ; imponendas iis quoque eſſe pœnales ſatisfactiones , ſi earum capaces ſint ; omnino ut ſuum ipſorum ſtatum ſæpe animo reputent, meliuſque percipiant , quid egerint, & quam ipſis gratiam Deus contulerit, ut ſua nempe cognoſcerent; iis denique præcipiendum , ut identidem cogitent de damnatorum pœnis , quas , dum aliis optarunt , ipſi ſibi pro-

merue-

meruerunt. Hæc ſecum ipſi verſantes, impoſitas pœnas æquiore animo ferent, eaſque leviores putabunt. Verum illud imprimis videndum eſt, ut eleemoſynas, aliaſque pœnitencias comitetur gravis cogitatio, & vera contritio.

Quoad quæſtionem quintam: longum latumque diſcrimen eſſe inter matrem, quæ per negligentiam animæ & corporis mortem filio curaverit, eamque, qui id egerit dolo malo; quamvis enim prius illud grave peccatum ſit, poſteriore tamen eſt longe minus; atque ita hujus ſatisfactio major eſſe debet. Quod porro in reſponſionibus ad tertium & quartum articulum dictum eſt, ſatis eſſe cenſetur, ut Confeſſarius, pœnitentium conditionem ſtatumque reputans intelligat, quid ſibi faciendum ſit.

Deciſum in Sorbona die 22. Aprilis an. 1682.
Aug. *de Lamet*.

Pœnitentia impoſita in Confeſſione.

CASUS VI.

Non poteſt pœnitens pœnitentiæ mutationem obtinere, niſi rurſus peccata confiteatur; aliter peccaret, acceptans pœnitentiam aliam, quam quæ ipſi primo impoſita fuerit, atque hæc pœnitentiæ mutatio nulla eſſet, prioriſque obligatio ſubſiſteret.

QUÆSITUM.

Pœnitens, facta generali Confeſſione, pœnitentiam ſibi a Confeſſario impoſitam acceptavit; & poſtridie Religioſus, quicum forte verſabatur, & colloquebatur, eamdem mutavit; ejus animum ſollicitum reddit dubitatio, potueritne pœnitentiæ mutationem acceptare?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat juxta communem ſententiam licere Confeſſario pœnitentiam Sacramentalem ab alio impoſitam gravibus de cauſis mutare, aliamque minorem aut majorem imponere. Quamvis enim prior Confeſſarius eam pœnitentiam injunxerit, Judicis perſonam gerens quoad pœnitentem in Sacramento, ſecundum Tridentinæ Synodi doctrinam *Seſſ.* 14. *c.* 9. & Judex alteri æqualis id deſtruere aut immutare nequeat, quod prior inſtituit, ob eam regulam, *par in parem non habet imperium*; nihilominus non eadem omnino ratio eſt interioris fori, in quo omnes Confeſſarii, quoad perſonas & peccata, ad quæ ipſorum extenditur juriſdictio, agunt tanquam Jeſu Chriſti Vicarii; atque in hoc quidem capite omnes æquales ſunt; ita ut æque poſſint in eos, qui ipſis ſubjecti ſunt, juriſdictionem exercere. Neque vero de interno foro judicium ferendum eſt ex regulis, & principiis, quæ in externo foro obtinent, & quorum unum eſt illud, quod modo allatum eſt. In exteriore foro locum habet appellatio, & evocatio Judicis unius ad alium, quod ſane ab interiore foro alienum eſt.

Sane non deſunt Auctores, ut Soto *diſt.* 20. *q.* 2. *a.* 3. *in* 4. qui contendant, *clave non errante*, Confeſſarium non poſſe pœnitentiam ab alio impoſitam vel tantillum attingere. At non ita Theologi ſentiunt, ut Sanctus Raymundus *in Summa l.* 2. *de pœnit. & remiſſ. §.* 66. Sylveſter *v. Confeſſio* 1. *§.* 27. Cardinalis Toletus *l.* 3. *c.* 11. *n.* 12. Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 15. *n.* 6. Cabaſſutius *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. aliique complures ab iiſdem Auctoribus in medium allati. Hæc poſterior ſententia locum habet non ſolum quoad pœnitentiam a Confeſſario Ordinario, ſed a Superiore etiam impoſitam, niſi ea ob peccata reſervata fuerit injuncta, inquiunt Layman, & Sylveſter l. cit.

Hac in re inter Theologos in eo vertitur difficultas, utrum pœnitentiæ mutatio facienda ſit in Confeſſione, & in Sacramento: ita ut pœnitens ſua peccata repetere, eademque iterum Eccleſiæ clavibus ſubdere debeat, quo alter Confeſſarius poſſit cum cauſæ cognitione mutationem eam inſtituere.

Illud indubitatum eſt, *clave errante*, ut loquuntur Theologi, Confeſſarium extra Confeſſionem, & quemvis alium idoneum Virum, qui de pœnitentia temere impoſita conſulatur, reſpondere poſſe eam non valere, & pœnitentem eadem non obligari; at cum mutanda ea eſt in aliam juſtis de de cauſis, neceſſarium videtur juxta probabiliorem opinionem, inquit Layman *l. cit.* ut id in Sacramento fiat; qui enim pœnitentiam mutat, perinde ac qui prima vice eamdem imponit, judiciarium actum exercet, qui in Sacramento ſolummodo locum habet. Pœnitentiæ impoſitio ad Sacramentalis abſolutionis integritatem pertinet; neceſſe eſt igitur pœnitentem rurſus peccata confiteri, & Eccleſiæ clavibus ſe ſubjicere. Et ſane pœnitentia juxta Eccleſiæ mentem in Tridentino Concilio *ſeſſ.* 14. *c.* 8. *de Pœnit.* pœna eſt, & remedium; eo ſpectat, ut præterita peccata puniantur, eademque præſidio ſit, ne ſimilia in poſterum committantur; ut ergo imponatur pœnitentia ad hunc duplicem effectum producendum accommodata, iteranda Confeſſio eſt.

Sequitur I. pœnitentem, de quo agitur, peccaſſe, dum pœnitentiæ mutationem acceptavit, cum nulla mutationis ejus cauſa ſuppeteret; idemque ſentiendum, ſi ea mutatio a dicto Religioſo contra ordinem, hoc eſt extra Confeſſionem facta fuerit, ut ex eo ſit vero ſimile, quod, prout expoſitum eſt, inter colloquendum Religioſus pœnitentiam mutavit. II. Hæc pœnitentiæ mutatio nulla eſt, ut proinde prior etiamnum obligare cenſeatur.

Deciſum hac die 28. Octobris an. 1693.
G. *Fromageau*.

Confeſſio moribundi.

Moribundus nequit, quemcumque voluerit, Confeſſarium eligere, repudiatis aliis omnibus Confeſſariis in Diœceſi approbatis, & præſentibus, aut iis omnibus, qui eidem a Superiore præſcripti ſunt.

QUÆSITUM.

In quodam conventu cum inter omnes conveniſſet, Chriſtianum quemlibet pœnitentem in mortis articulo a quolibet Sacerdote valide abſolvi poſſe, eo res deducta eſt, ut ſtatueretur, qua ratione id juxta Eccleſiæ mentem ad praxim redigi poſſet; qua in re extitit duorum virorum contraria ſententia.

Pronunciavit alter, licere Chriſtiano cuivis, cujuſcunque tandem generis fuerit, in mortis articulo, quemcumque voluerit, Sacerdotem eligere, atque arceſſere, ut ei confiteatur, repudiatis omnibus aliis Confeſſariis Parochiæ, aut Diœceſis, ordinariis, & extraordinariis, quos legitimi Superiores approbarunt, & præpoſuerunt Confeſſionibus Fidelium ſuæ auctoritati ſubjectorum audiendis.

Ut ſibi compararet auctoritatem, contendit facultatem hanc abſolvendi in mortis articulo annexam eſſe formaliter & litteraliter uni & unicæ circumſtantiæ imminentis mortis, & in hoc quidem tempore nec Epiſcopis, nec Superioribus Regularibus jus ullum eſſe deſignandi morienti Confeſſarium unum, aut plures, cum permiſſione, plenaque libertate ex eo Sacerdotum approbatorum numero, quem maluerit, eligendi.

Alter autem aſſeruit moribundum confiteri poſſe Sacerdoti approbato, & non approbato, cum alius quidem non occurrit; at cum ei plures præſto ſunt approbati, præpoſitique, qui ſe ſiſtunt, & offerunt, ut ejus confeſſionem audiant, & ex quorum numero unum pro arbitratu eligere poteſt, tum ex iis unum optandum & eligendum ab eo eſſe.

Id autem ex eo confirmare ſtuduit, quod extremum vitæ tempus hoc privilegio non gaudet, niſi quia tunc morti proximus eligere non poſſe cenſetur; quod Eccleſiæ mens hanc in eo impotentiam ſupponit; quod periculum ſine Confeſſione moriendi eſt unum & unicum hujus privilegii fundamentum; hoc autem fundamentum non occurrit in caſu morien-

tientis, cui Confeſſarii plures idonei ac præpoſiti a legitimis Superioribus offeruntur cum electionis libertate.

Illud etiam adjecit, eſto abſolutio non eſſet invalida propter impotentiam Sacerdotis in propoſita facti ſpecie, invalidam fore ob indiſpoſitionem pœnitentis, qui vellet abſque ulla ſpecie neceſſitatis extra rectum Eccleſiæ Ordinem hierarchicum, ſeu extra proprios cancellos e vivis egredi.

Doctores orantur humillime, ut utri cauſa ſit adjudicanda, pronuncient.

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet non licere morienti juxta communem Theologorum ſententiam, quemcumque voluerit, Confeſſarium ſeligere, rejectis iis omnibus, qui in Diœceſi approbati ſunt, quique adſunt, aut qui ei Superioris nomine præſcripti ſunt; propterea quod hoc in caſu, prout propoſitus eſt, ejuſmodi Confeſſarius, qui electus eſſet, cum nec in Diœceſi ſit approbatus, nec Confeſſionibus audiendis a Superiore præpoſitus, ſatis poteſtatis non habet, ut hunc moribundum abſolvat; dicere enim hanc abſolvendi poteſtatem extremi vitæ temporis circumſtantiæ adjunctam eſſe, eſt nihil dicere, & rationis loco ponere id, de quo quæritur.

Verum quidem eſt Tridentinam Synodum *Seſſ.* 14. *c.* 7. *de Pœnit.* velle ſimplicem Sacerdotem, hoc eſt a Superiore nec approbatum, nec præpoſitum poſſe, morte imminente, a peccatis omnino omnibus, etiam reſervatis abſolvere; verum hujus ſimplicis Sacerdotis facultas nititur indigentia, ac neceſſitate, in qua moribundus verſatur, nanciſcendi Sacerdotem, qui eum a peccatis abſolvat, *ne hac occaſione aliquis pereat*, Synodi verba ſunt. Jam vero ceſſat facultas hæc, ſtatim ac neceſſitas non amplius adeſt, aliique Sacerdotes approbati, & huic morienti audiendo idonei præſto ſunt. Hanc autem Concilii mentem eſſe ex eo etiam clarius apparet, quod cum ſtatuit ſimplicem Sacerdotem in mortis articulo abſolvere poſſe, de peccatis ac de cenſuris loquitur in eumdem modum: *Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint*. Porro ex cap. *eos qui de ſentent. excommunicat. in* 6. ne in mortis quidem articulo ab excommunicatione reſervata abſolvi licet cum Superior facile adiri poteſt, aut quiſpiam ejus nomine præſto eſt; videtur ergo ſimplici Sacerdoti pariter non licere uti jure, quod habet, cum qui ordinaria facultate pollet, præſto eſt, aut facile acciri poteſt: *Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo ultima neceſſitas cogat*, inquit Concilium Carthaginenſe tertium *can.* 32. relato *c. Presbytero* 26. *q.* 6. quod argumento eſt in hoc capite eamdem ſemper Eccleſiæ mentem fuiſſe.

Sunt Theologi, quorum meminit Barboſa in allatum Concilii locum, qui ſimplicem Sacerdotem in mortis puncto abſolvere poſſe contendant, etiamſi Confeſſarius ordinarius adeſſet, aut facile inveniri poſſet; ſuamque ſententiam duplici ratione confirmant. Prima eſt hæc: cum Synodus tam de Sacerdotibus loquitur, qui in mortis articulo poſſunt abſolvere, quam de pœnitentibus, deque peccatis, generalibus verbis utitur, quæ nullam reſtrictionem patiuntur: *Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis*; ex quo ſequitur cuilibet Sacerdoti abſolute & ſine reſtrictione, ſive adſit alius approbatus, ſive non adſit, cum, a quo electus fuerit, eo quidem momento temporis abſolvere licere. Et ſane Navarrus *l.* 5. *de pœnit. & remiſſ. conſil.* 23. *n.* 2. Sylveſtrum ait primum fuiſſe, qui poſt Concilium hanc limitationem adjecerit, videlicet ut ſimplex Sacerdos morientem abſolvere poſſit, dummodo alius præſto non ſit: *Moveor etiam, quod Claſſius Auctor poſuit hanc limitationem ante Sylveſtrum*. Secunda eſt hæc: voluit Synodus iis omnibus, qui morti proximi fuerint, favorem concedere, qui proinde non eſt reſtringendus; immo vero ad majorem morientis utilitatem pertinet, ut amplietur. Sane cum in laudato Concilio Eccleſia in mortis articulo abſolvendi poteſtatem omnibus omnino Sacerdotibus largita eſt, rationem habuit conditionis, in qua moribundus exiſtit, ut non modo Sacerdote opus habeat, qui eum a peccatis abſolvat, ſed eo etiam, cui ſuæ ſalutis curam majore cum alacritate committat.

Ajunt quidem Theologi hi ſimplicem Sacerdotem in mortis articulo abſolvendi poteſtate gaudere, licet alius adſit, putantque, quod ajunt, Eccleſiæ menti conforme eſſe; at non addunt, quod in expoſitione contenditur, nec Eccleſiæ, nec Epiſcopis jus eſſe impediendi, quominus moriens pro arbitratu Confeſſarium eligat, ſimplexque Sacerdos, quem elegerit, eumdem abſolvat, eſto alii vel re ipſa adſint, vel facile adeſſe poſſint.

Utut res habeat, ut uno reſponſo utrorumque placitum refellatur, Cardinalium Congregatio ad Decretorum Tridentinæ Synodi interpretationem inſtituta declarationem edidit, quam refert Gallemartus in laudatum ejuſdem Synodi locum, qua communem Theologorum ſententiam firmavit: *Congregatio cenſuit Sacerdotem alioquin idoneum, ſi tamen ad audiendas Confeſſiones approbatus non ſit, juxta caput* 15. *Seſſ.* 23. *non poſſe valide a peccatis mortalibus abſolvere pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, ubi Parochus exhibeat præſentiam, paratuſque ſit infirmi audire Confeſſionem, illumque abſolvere, neque ulla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi*.

Hinc illud conſequitur, Eccleſiam impediviſſe, quominus ſimplex Sacerdos coram Confeſſario ordinario morienti abſolutionem impertiatur; quod proinde cum ipſa fecerit, facere potuiſſe; atque ita ademiſſe morienti libertatem eligendi Confeſſarium, quemcumque voluerit, cum alii ordinarii præſto ſunt, aut facile haberi poſſunt. Et ſane conſuetudo & praxis, ex qua licet intelligi, quænam Eccleſiæ mens ſit, non ea eſt, ut ea libertate fideles utantur eo modo, quo propoſitionis primo loco allatæ Auctores contendunt; ac ſi eam praxim in aliqua Diœceſi induci liberet, poſſent Paſtores & Epiſcopi ei ſeſe opponere, eamdemque proſcribere.

Deciſum in Sorbona hac die 20. Februarii an. 1694.

Germanus *Fromageau*.

Diſpenſatio in Confeſſione cum iis, qui matrimonium contrahere volunt.

C A S U S VIII.

Parochus omnino non poteſt in Confeſſione & Communione eum recens converſis matrimonium inire volentibus diſpenſare, ſed eos ad Epiſcopum remittere debet.

QUÆSITUM.

Duo recens converſi & in conſecutionem revocationis Edicti Nannetenſis ſuæ Parochiæ Paſtori ſeſe ſiterant, ut ipſorum nomina inter Miſſarum ſolemnia declararentur, & pronunciarunt ſe nec Confeſſionis, nec Communionis Sacramenta ſuſcipere velle.

Quæritur, an in Confeſſione, & Communione, quæ in Diœceſis Manuali præſcribuntur, cum iis diſpenſari debeat, aut poſſit; quæ autem hanc diſpenſationem ſuadere poſſent, momenta ſunt hæc,

I. Quia Confeſſio & Communio ex diſpoſitionibus ad matrimonium abſolute neceſſariis omnino non ſunt.

II. Quia hæ perſonæ ſacrilegiis exponendæ non ſunt.

III. Quia ſuadere poteſt charitas de bono earumdem perſonarum ſtatu dubitandum non eſſe.

IV. Quia (pro præſentium negotiorum circumſtantiis, & pro Aulæ deſiderio) hac in re multum facilitatis, humanitatiſque requiritur.

V. Quia in ipſarum perſonarum favorem judicandum eſt, nec intima animorum ſenſa ſunt acutius introſpicienda.

VI. Quia Pariſiis hujuſmodi diſpoſitiones requiri nequaquam videntur, ubi plurimi recens converſi

-verſi non unius Diœceſis matrimonio facile copulantur.

Denique quia aliquando permittit Eccleſia Catholicos cum hæreticis matrimonium inire, quin ab iiſdem Confeſſionem & Communionem requirat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Eccleſiam in Tridentina Synodo *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. c.* 1. matrimonium contrahere volentibus ſub peccati pœna non imponere, ut antea Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcipiant. Hortatur id tantum Synodus, nec tanquam præceptum proponit: *Poſtremo Sancta Synodus Conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant.* Ex quo fit, ut qui in hunc Concilii locum ſcripſerunt, interrogent, an qui in peccati mortalis ſtatu contraheret, duplicis peccati reus eſſet, & quia Sacramentum matrimonii indigne ſuſciperet, & quia faceret contra, atque Eccleſia in Tridentina Synodo inſtituit; reſpondeantque in hac facti ſpecie unum tantum peccatum fore, in eo nempe poſitum, quod in pravo ſtatu Sacramentum perciperetur, quia in Synodi mente Confeſſio conſilii tantum eſt, & non præcepti: *Nec aliud incurrunt peccatum*, inquit Barboſa in hunc locum Trid. Concil. n. 166. *quatenus videntur præceptum Concilii in præſenti Confeſſionem præcipientis violare; quia conſilium & non præceptum quoad hoc continet Decretum in præſenti, tradunt*, &c.

Confeſſio quoad Eccleſiæ mentem de neceſſitate non eſt, ſed utilis tantum eſt & conveniens, ut Matrimonii Sacramentum decentius ſuſcipiatur, & obtineantur auxilia, quibus facilius ejus onera ſuſtineantur. Et ſane Synodus loco laudato pro certo ponit abſque Confeſſione matrimonium iniri poſſe, dummodo *ante Conſummationem* Confeſſio fiat; atque aliunde fieri poteſt, ut quis Confeſſione non indigeat, ac ſi indigeat, per Contritionis Actum ad Sacramenti gratiam recipiendam ſe comparet, ut ait Rebell. 2. *p. c.* 2. *de matrim. q.* 7. *n.* 1. *peccata confiteantur, & communicent, quod tamen conſilium, non præceptum, quamvis ſub mortali teneantur, ſe per contritionem vel attritionem reputatam pro contritione præparare ad hoc Sacramentum.*

Factum eſt poſt Concilium, ut quod conſilii tantum rationem habebat, a particularibus Epiſcopis tanquam præceptum ac lex in Ritualibus aut Synodis proponeretur, præſertim ad Confeſſionem quod attinet, quemadmodum inter alia videre eſt in Statutis Synodalibus *an.* 1591. *art.* 32. *de Matrimon.* Euſtachii Bellicenſis Epiſcopi Pariſienſis. (*a*) *Matrimonium etiam ſicut omnia fere Sacramenta, nonniſi jejuni & confeſſi ſuſcipiant.*

Hoc poſito reſpondetur Parocho non licere diſpenſare cum recens converſis matrimonium contrahere volentibus in Confeſſione & Communione, quæ in ſuæ Diœceſis Manuali præſcriptæ ſunt, ob eam cauſam, quod inferior in ſui Superioris lege nequaquam diſpenſat; at eumdem Parochum debere partes ad Epiſcopum remittere, qui ipſorum recens converſorum matrimonium differre poteſt, ut ſibi per tempus liceat ad ſervandam Eccleſiæ conſuetudinem, & Confeſſionem matrimonio præmittendam eos cohortari. Poteſt etiam idem Epiſcopus videre, jamdiune ſit, quod illi confeſſi non fuerint, nec Paſcha celebraverint; ſi enim ſecus res habeat, poteſt cum iis favorabiliter agere, eoſdemque matrimonio conjungere, quin adigat ad Confeſſionem, cui utpote recens converſi nondum ſatis aſſueverunt. Idem ſentiendum eſt, ſi cum ex longo tempore confeſſi non fuerint, ſe quamprimum confeſſuros ingenue promittant; at ſi multis ab hinc annis converſi, nec adhuc confeſſi ſint, nec ſanctam Communionem perceperint, tum vero nihil eſſet, quod cum iis in Diœceſana lege diſpenſaretur, quia non ſine fundamento in hæreſis ſuſpicionem venirent, ac jure timendum eſſet, ne hoc quidem tempore confiteri renuentes ſuis veteribus erroribus addicti eſſent, eoſdemque nonniſi ſpecie tenus abjuraſſent. Quamvis autem hujuſmodi recens converſi externa Eccleſiæ Communione gaudeant, & Sacramentorum, quoties ad eadem accedunt, ſuſcipiendorum jus habeant: nihilominus accedentes ad Sacramenta, ſuumque animum publicis ſignis aperientes ipſi repelli poſſunt ac debent. Poſſet ſane, quod hactenus dictum eſt, ſatis eſſe ſolvendis pleriſque rationibus, quæ in Expoſitione in medium adductæ ſunt; verum ut iis ſingillatim ſatisfiat,

Ad rationem primam, nempe Confeſſionem & Communionem inter diſpoſitiones ad matrimonium abſolute neceſſarias non recenſeri; hæc eſto Reſponſio. Ita ſane; at ſatis eſt aliquid eſſe apprime utile, ut id Superior tanquam legem ac præceptum ſtatuere poſſit; quod Epiſcopi præſtiterunt, dum iis, qui matrimonium contrahere vellent, in ſuis Ritualibus Confeſſionis obligationem impoſuerunt, ut in Rituali Romano, aliiſque videri poteſt.

Ad ſecundam, hujuſmodi homines ſacrilegiis perpetrandis exponendos non eſſe; *Reſponſio*. In horum recens converſorum manu poſitum eſt ea non perpetrare, ſi nempe ex animo confiteantur.

Ad tertiam, de bono eorum ſtatu ex charitate judicari poſſe; *Reſponſio*. Supra indigitatæ ſunt circumſtantiæ, in quibus ejuſmodi judicium ferri poteſt, & in quibus non poteſt.

Ad quartam, oportere (ſpectatis præſentium rerum circumſtantiis, atque Aulæ deſiderio) magna cum facilitate atque humanitate cum iis agi; *Reſponſio*. Contra divinum jus & Eccleſiæ regulas faceret, qui Sacramentum iis conferret, de quorum animo in veteribus hæreſibus obſirmato dubitandi ratio ſubeſſet; neque vero præſumendum eſt, Aulæ id in votis eſſe, ut in his circumſtantiis humanius excipiantur.

Ad quintam, in eorum favorem judicandum, nec intima animorum ſenſa acutius inſpicienda eſſe; *Reſponſio*. Id ſane convenit, ſi nulla ſuppetat præſumptio, quæ ſatis perſuadeat pravis opinionibus eorum animos corruptos eſſe; ut ſi exempli gratia multis ab hinc annis converſi nunquam ad Confeſſionem, ſanctamque Communionem acceſſerint, & ſi ex interrogationibus, quæ ipſis fiunt, innoteſcat, in ſuis erroribus eoſdem perſiſtere.

Ad ſextam, has diſpoſitiones, ut videtur, minime requiri Pariſiis, ubi converſi longe plurimi matrimonium facile contrahunt, *Reſponſio*. Non ſit vero ſimile, Lutetiæ Pariſiorum recens converſos, quos a veteribus erroribus animum non avocaſſe legitima graviſque ſuſpicio ſuppetat, abſque ulla difficultate matrimonium inire. Non deſunt Parœciæ, in quibus recens converſi, qui antea confeſſi non fuerint, ad matrimonium non admittantur; ac ſicubi diſpoſitio hæc in iis non requiritur, id in aliqua ex paulo ante memoratis hypotheſibus fit.

Denique, Eccleſiam Catholicis quandoque permittere, ut cum Hæreticis matrimonio copulentur, quin ab his quidem Confeſſionem, & Communionem exigat; *Reſponſio*. Hæc facti ſpecies non eſt ei ſimilis, de qua agitur: quæſtio nimirum eſt de duobus hæreticis, aut hæreſeos ſuſpicione laborantibus; præterea complures Auctores in dubium revocant, an Eccleſia Catholicis poſſit unquam permittere, ut cum hæreticis matrimonio jungantur; hac de re conſuli poteſt Gamachius in ſuo Tractatu de Matrimonio *cap.* 28. Ac ſi expoſita facti ſpecies ad hanc unam difficultatem redigeretur, facile oſtendi poſſet, diſpenſationis exempla, quæ fere in hoc negotio in medium adducuntur, authentica omnino non eſſe, atque ejuſmodi diſpenſationes nunquam iis formis ab Eccleſia conceſſas fuiſſe, quibus alias impertiri conſuevit; quod luculenter oſtendit Dominus *de Sainte Beuve* Tomo primo *Caſu* 80.

Deciſum in Sorbona hac die 10. Martii an. 1693.

G. Fromageau.

(a) Synod. Eccleſ. Pariſ.

Confeſſio in aliena Parochia Paſchatis tempore.

CASUS IX.

Parochus nequit Confeſſiones excipere, & Communionem adminiſtrare ſubditis in Eccleſia Parochiali alterius Parochi Paſchatis tempore, abſque proprii Parochi, aut Superioris licentia.

QUÆSITUM.

DUo quidam ante Paſchales dies quindecim D. Magno Vicario Generali Ordinarii Libellum ſupplicem obtulerunt; primus ei falſo expoſuit, futurum, ut Parochus ſibi nolit adminiſtrare Sacramenta, lite inter ipſos adhuc pendente; alter expoſuit per mendacium, fore, ut idem Parochus ſuam Confeſſionem excipere, ſibique Communionem tribuere nolit propter odium, quo in ipſum exardeſcit; ac proinde ambo petierunt, ut ſibi liceret alteri confiteri, & ab eo communionem percipere.

Vicarius Generalis ad calcem ſupplicationis, quam primus exhibuit, eidem concedit, ut abſolutionem & Communionem percipiat a Parocho N. proximo, & delegato Archipresbytero (cujus univerſum officium eſt viſitationem annuam peragere, & de re tota clauſis obſignatiſque litteris denunciare), ſi forte noluerit Parochus dicta Sacramenta eidem adminiſtrare, propterea quod lis inter eos nondum ad exitum perducta ſit. Subditus hic ejuſmodi Mandatum ſignificandum curat Parocho ſuo, qui ad ſignificationis calcem reſpondet, nullum ſibi cum eo eſſe diſſidium; atque ita neceſſe non eſſe illud abſolvi, ut Sacramenta percipiat.

Ad calcem ſupplicationis ab altero oblatæ Vicarius Generalis mandat, ut ſe ſuo Parocho ſiſtat, & ab eo ſupplex veniam petat alibi confitendi, & communicandi; ac ſi Parochus renuerit, permittit Domino N. Parocho proximo, & delegato Archipresbytero, ut ei, ſi diſpoſitum invenerit, dicta Sacramenta adminiſtret.

Neuter ſe ſtitit proprio Parocho; ſed ambo non petita ab eo venia abſolutionem & Communionem ab alio percipiendi, inſcio proprio Paſtore, ad ſuam Parochialem Eccleſiam eum proximum Parochum accivere, qui cum ornamenta cum pane attuliſſet, eorum, aliorumque complurium Confeſſiones audit, ad Magnam Aram ſacrum facit, & utrique Communionem adminiſtrat feria quinta poſt Paſcha, abſente Parocho, a quo proinde veniam non poſtulavit, ut nec ab ejus Vicario, qui quidem aderat.

Proprius Paſtor ea de re queſtus eſt, inquiens eum Parochum proximum ea ratione ad ipſius Eccleſiam ſe conferre non potuiſſe, ut Sacramenta adminiſtraret, præſertim quindecim Paſchalium dierum intervallo, & ob Paſchalem obligationem, abſque ejus conſenſu, cum potiſſimum conditiones in dictis Mandatis contentæ executioni mandatæ non fuerint, quoniam dictorum ſuppoſitorum pœnitentium neuter ad eum acceſſerat; atque ita cum id, quod debebant, non præſtiterint, eos Mandatis uti non potuiſſe, præſertim vero qui nullam permiſſionem aut petierant aut obtinuerant.

Qui porro dicta Sacramenta ſubditis, & in Eccleſia Parochi ſibi proximi adminiſtravit, palam tuetur conſilium ſuum, quod rumorem excitat, & duabus quæſtionibus occaſionem tribuit.

Prima quæſtio eſt; an Parochus poſſit abſolutionem & Communionem adminiſtrare ſubditis, & in Parochiali Eccleſia alterius Parochi, quin ab eo veniam petat, præſertim Paſchatis tempore, & ut Paſchatis obligationi ſatisfiat?

Altera quæſtio eſt, an dicti pœnitentes, qui oblato libello ſupplici, veniam obtinuerunt, abſolutionem & Communionem ab alieno Parocho ſuſcipiendi, dictis conditionibus, aliiſve, ea venia uti potuerint, Mandati conditionibus non impletis, atque an extraneus Parochus eadem uti potuerit, ut ad dicta Sacramenta ſubditis & in Eccleſia Parochiali eorum proprii Paſtoris adminiſtranda proficiſceretur, præſertim infra Paſchale tempus, & ob Paſchalem obligationem, quin antea certus eſſet, Mandati, quo ea facultas ipſi concedebatur, conditionibus dictos pœnitentes ſatisfeciſſe?

An vero ejuſmodi abſolutiones nullæ ſint, & ſacrilegæ Communiones, quod in Miniſtro quidem poteſtas & juriſdictio, in pœnitentibus autem defuerit jus petendi dicta Sacramenta a Parocho extraneo Paſchatis tempore, & Paſchalis obligationis gratia.

Rogantur humillime Doctores, ut duas haſce quæſtiones dirimant, atque ita abuſus reprimant, qui in adminiſtrandis Chriſti Domini Sacramentis occurrere poſſent.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod præſentem Expoſitionem vidit, & expendit, exiſtimat, ad interrogationem primam quod attinet, Parocho non licere abſolutionem & Communionem tribuere ſubditis in Eccleſia Parochiali alterius Parochi, præſertim Paſchatis tempore, & cum de obligatione Paſchatis agitur, abſque proprii Parochi aut Superioris licentia; quoniam I. illud tanquam principium indubitatum ponendum eſt, ſuperioritate, aut poteſtate, quæ ex ea derivetur, eum præditum eſſe oportere, qui Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat, ut illud conferre poſſit, cum adminiſtrari nequeat niſi tanquam actus juriſdictionis, & judicialis; quod in cauſa fuit, ut Boniſacius VIII. *c. ſi Epiſcopus in 6. de pœnitentiis & remiſſ.* pronunciaret: *Nulla poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis, præter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere, & ligare*. Et Concilium Remenſe an. 1583. celebratum *tit. de Pœnit. n.* 5. *Nemo exiſtimet ſibi licere, cuicumque Sacerdoti poſſe confiteri, ſed proprio tantum Parocho; ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter non poſſit abſolvere vel ligare*. Eadem Canoniſtarum ſententia eſt. Innocentius IV. *in tit. de Pœnit. & remiſſ. c. omnis utriuſque ſexus n.* 5. ita loquitur: *Nota, non ſufficere licentiam petere, niſi obtineat, ſi autem non poteſt habere licentiam, & juſta cauſa ſubeſſet, agat cum Superiore, ut det licentiam confitendi alii*. Panorm. in eumdem titulum, idemque Caput eamdem rem tradit, atque explicat paulo fuſius *nn.* 5. *&* 6. *Duo requiſita*, inquit ille, *ut quis poſſit confiteri alieno Sacerdoti: primum, ut ſubſit cauſa; nam ſine cauſa peccat Parochianus, quia videtur contemnere proprium Sacerdotem ſine cauſa, & debet eſſe cauſa juſta, ut in littera. Secundum requiſitum eſt, ut licentia poſtuletur, & obtineatur. Septimo nota, quod ab alieno Sacerdote quis non poteſt abſolvi vel ligari, & pondera, quia littera loquitur generaliter, ut non ſolum ſi ſemel in anno vult confiteri alieno, ſed etiam ſi pluries, ſemper debet obtineri licentia a proprio Sacerdote*. Ac temere aſſereretur hanc diſciplinam non amplius in uſu eſſe, & jus hoc per contrariam conſuetudinem abrogatum eſſe; quoniam ex Remenſi Concilio ſupra laudato facile apparet hanc diſciplinam vigere, eoque magis, quod eam probavit Gregorius XIII. ut liquet ex ejus Diplomate diei 30. Julii an. 1584. confirmante & approbante dictum Remenſe Concilium; cui rei fidem facit Proſper Fagnanus *in 2. part. lib. 5. Decretal. de Pœnit. & remiſſ. c. omnis utriuſque*. Quod argumento eſt antiquorum Canoniſtarum auctoritate ac dignitate præſtantium doctrinam a recentioribus quoque propugnari; ut proinde aſſeri nequeat hanc diſciplinam obſolevisse; neque ab hac regula, atque a principio, quod hujus reſponſionis initio tanquam inconcuſſum ſtatutum eſt, recedendum.

Inter ſtatuta Siffridi Archiepiſcopi Colonienſis in Collectione Synodorum Colonienſium tit. 8. qui eſt de Sacramento Pœnitentiæ, poſt allatum c. omnis utriuſque ſexus: Item Sacerdotes diligenter attendant, qui Parochianorum ſaltem in anno ſemel ad Confeſſionem non veniant, & nomina illorum ad nos, vel ad Officialem noſtrum, ſeu ad Ordinarium loci referant, ut debite puniantur, ne ab ipſis Sacerdotibus notam negligentiæ requiramus. Hoc autem ſtatutum frequenter in Eccleſiis præcipimus publicari,

ut

ut aliquis ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis tamen alieno Sacerdoti, vel alicui Religioſo voluerit confiteri, licentiam primo poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote: ita tamen, quod ſemel ad minus in anno, proprio Sacerdoti plene & integre (ut dictum eſt) confiteatur.

II. Poſita hac doctrina, quæ Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem generatim ſpectat: multo minus alieno Parocho jus eſſe ad alterius Parochi Eccleſiam ſe conferendi, ut ejus ſubditorum Confeſſiones audiat, iiſque Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtret, quod ſingulis annis eſt peragendum, juxta Lateranenſe Concilium IV. relatum in *c. omnis utriuſque ſexus*, quodque vim obtinet.

Quoad quæſtionem alteram, extraneum Parochum, de quo agitur, quoad hos duos peculiares homines nulla alia facultate pollere poſſe, niſi qua ab Epiſcopi Generali Vicario inſtructus eſt; atque ita ejus poteſtatem ex eo tantum, tanquam ex certa regula expendi poſſe; quod ad illorum libelli ſupplicis calcem poſitum eſt: ut proinde is quidem nonniſi juxta conditiones a proprio ſuperiore appoſitas illis abſolutionem & Communionem adminiſtrare potuerit; hi vero coram Deo graviſſimi ſceleris rei ſint, ſi rem, aliter atque haberet, Generali Vicario exhibuerint, nec valide ſuppoſita conceſſione uti potuerint, quod idem de Parocho delegato ſentiendum eſt.

Quocirca ſacta hypotheſi ſupplicationis expoſitionem a vero alienam fuiſſe, & extraneum Parochum conditiones ſibi aſſignatas eſſe prætergreſſum, quidquid is aggreſſus eſt, nullius roboris eſt, neque ipſum a graviſſima culpa poteſt eximere, quocunque modo ſpectetur, præſertim cum ille in ſui Confratris Eccleſiam Parochialem pedem intulerit, hoc eſt juriſdictionis ſuæ terminos prætergreſſus in alienam meſſem falcem immiſerit, quod inuſitatum eſt, & abhorrens a conſueta agendi ratione.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die prima Julii an. 1684.
Aug. *de Lamet*.

Confeſſio facta Religioſo ad alium Ordinem tranſlato.

CASUS X.

Religioſus ex Mendicantibus ad alium non Mendicantium Ordinem tranſlatus, in quo ei non licet animarum curam ſuſcipere, non poteſt adhuc confeſſiones audire, licet, cum inter Mendicantes verſaretur, approbatus fuerit.

QUÆSITUM.

Religioſus Mendicans, ab Ordinario ad Confeſſiones approbatus cum Pontificis venia ad non Mendicantem Ordinem tranſit, & Monachus fit. Ei conceſſum eſt Diploma iis conditionibus, quas Concilia, ſummorumque Pontificum Decreta ſtatuerunt, ne ita facile Religioſi ad alios Ordines migrarent, propriumque desererent, cujuſmodi ſunt, ut ejuſmodi priventur activa & paſſiva voce, nullam in Capitulo ſedem teneant, nec Prioris, aut Subprioris, aut Vicarii officiis fungi, aut Confeſſiones audire poſſint, in univerſum ne quod munus obeant, quod juriſdictione gaudeat. Quæritur, an in præſentia Confeſſiones audire poſſit vi facultatis, quam ante tranſlationem obtinebat; quod videtur impoſſibile, quoniam in eum Ordinem cooptatur iis conditionibus oneroſis, quæ adeo expreſſis verbis præſcriptæ ſunt; & quamvis Ordo voluerit, nequit tamen ejuſmodi privilegia eidem tribuere. Et rurſus an, Decretis & Conciliis repugnantibus, Ordinarii poſſint eum approbare, quæ approbatio eum tantummodo idoneum declarat, juriſdictione nequaquam donat; atque an eam conſecutus, præcedenti ſtatu, allatiſque clauſulis non patefactis, legitime, ac valide Confeſſiones audire poſſit; cum magnopere dubitetur, an Ordinarius cum cauſæ cognitione quicquam ſit conceſſurus, quod Pontificum & Conciliorum laudatis Conſtitutionibus adverſetur.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui hanc Expoſitionem viderunt, exiſtimant, Religioſum Mendicantem ad Confeſſiones ab Ordinario approbatum, atque ad Religioſorum non Mendicantium alium Ordinem deinde tranſlatum Apoſtolica auctoritate iis conditionibus, quas Concilia & ſummorum Pontificum Decreta præſcribunt, ſua approbatione non amplius uti poſſe juxta Viennenſis Concilii regulam relatam *cap. 3. Clementinarum de Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem* in hæc verba *cap. ut Profeſſores: ſacro Concilio approbante ſtatuimus Mendicantes quoslibet, qui ad non Mendicantium Ordines, etiam auctoritate Apoſtolica, tranſibunt impoſterum, quive hactenus tranſiverunt, quamvis nunc prioratus, adminiſtrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcumque obtineant inibi, vocem aut locum in Capitulo non habere; etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur.*

Ad prioratus quoque, adminiſtrationes, aut quæcumque in antea non aſſumi officia, etiam tanquam Vicarios, vel Miniſtros, vel locum aliorum tenentes; quodque animarum curam & regimen nec pro ſe poſſunt, nec pro aliis exercere: quicquid autem in contrarium attentatum fuerit, ſit irritum ipſo jure, quovis privilegio non obſtante. Concludendum proinde eſt, Religioſum ex Mendicantium ordine ad alium non Mendicantium tranſlatum non poſſe animarum curam ſuſcipere, nec pariter Confeſſiones audire; quam ob cauſam Gloſſa in hoc caput ad verbum, *Officium*, docet ei ne concionem quidem habere licere: *cum prædicare ſit officium & cura; & officium & cura ſint eis hic prohibita, nec etiam pro aliis exerceant*. Nedum igitur Religioſo Mendicanti ad alium non Mendicantium Ordinem tranſlato liceat approbatione ea uti, quam ante tranſlationem obtinuit: Subſcripti cenſent, Epiſcopum non poſſe hoc miniſterium eidem conferre, quippe qui nequeat in communi jure diſpenſare, & eorum auctoritatem contraire, quæ in Conciliis Generalibus ſtatuta ſunt, niſi diſpenſandi facultas eidem conceſſa ſit, quod in præſenti facti ſpecie non occurrit, ut intelligimus ex poſtremis verbis, quæ in Clementina relata ſunt, *quicquid autem in contrarium* &c. ita ut hujuſmodi Religioſus, cui animarum cura conferretur, aut conferenda cenſeretur, ad Romanam Curiam confugere teneretur, ut idoneus judicaretur, dignuſque fieret per diſpenſationem, qui approbari poſſet; (*a*) id quod fieri poſſe docet ejuſdem capitis Gloſſa ad verbum *Privilegio*.

Deciſum Pariſiis hac die.... an. 1674.
Auguſt. *de Lamet*.

Religioſorum promiſcua Confeſſio.

CASUS XI.

1 *Canonnicus Regularis iis tantum confiteri poteſt, qui in Communitate a Superiore nominati ſunt.*

2 *Si huic Canonico Regulari legitimæ cauſæ præſto ſint, poteſt urgente neceſſitate Confeſſarium alium eligere.*

QUÆSITUM.

Quæritur ex Dominis Sorbonæ Doctoribus,

I. Poſſit nec ne Canonicus Regularis tuta conſcientia alteri Canonico Regulari ſuo confratri, approbato ab Ordinario, vel qui in eadem Diœceſi Parochus ſit, probo cæteroquin Viro, & Religioſo confiteri. Difficultas oritur ex Capituli generalis eorumdem Canonicorum Decreto, quo ſtatuitur, ut Religioſi Canonici Conventuales iis confiteantur, quos aliquis Superiorum majorum in Communitate ad id nominaverit; id tamen non

(*a*) V. Felinum c. nonnulli virt. §. ſexto amplia, extra de reſcripti

impedit, quominus exiſtat Decretum aliud, quod eoſdem Conventuales itineris tempore non ſolum confratri aut Religioſo, ſed & Presbytero ſæculari & non Religioſo confiteri permittat. Notandum eſt in eorum Regulis aut Conſtitutionibus ea de re nihil occurrere.

II. Quæritur rurſus, an idem exponens Presbytero ſæculari approbato, vel Parocho ejuſdem Diœceſis in ſequentibus circumſtantiis confiteri poſſet. Circumſtantiæ porro rediguntur ad unam, quæ movet exponentem, qui nollet ad Familiæ Confeſſarium accedere, veritus, ne ille ſua confeſſione abutetur ad ſui damnum, propriæque famæ læſionem, aut ob alias pariter graves cauſas, cum id in aliis occaſionibus quoad ſuorum confratrum aliquos animadverterit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

Quoad quæſtionem primam: Canonicum Regularem ei tantum confiteri poſſe, quem Superiores in Communitate nominarunt, quia ad eos ſpectat juriſdictionem conferre, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum Religioſis adminiſtrandum requiritur. Videri poteſt Tamburinus, qui hanc quæſtionem pertractat *tom. 2. diſp. 6. q. 6. de jure Abb.* Et ſane in Expoſitione mentio fit Decreti Capitularis Ordinis Canonicorum Regularium id confirmantis, dum præcipit Canonicis Conventualibus, ut iis confiteantur, quos Superiores Majores ad id deputaverint.

Si opinio Soti *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. v. ſimiliter omnes*; Navarri *tom. 1. in perlut. cap. placuit diſt. 6. n. 28.* aliorumque nonnullorum Theologorum vera eſſet, omnibus nempe ſimplicibus Sacerdotibus licere, quem voluerint, Confeſſarium eligere, ſi minus de jure, ſaltem ex conſuetudine, quæ hoc privilegium iiſdem tribuit: Regularis noſter, quem Sacerdotem eſſe pro certo ponitur, ſuorum confratrum alicui, quem vellet eligere, aut Parocho in eadem Diœceſi confiteri poſſet. Verum Tamburinus loco appellato aſſertionem hanc rejicit, oſtenditque opus eſſe expreſſo aut tacito Superioris conſenſu, ut quis ſuorum Religioſorum Confeſſiones audiat; ita ut ſatis ſit in Ordine Decretum exiſtere, quod hunc conſenſum præcipiat, ut ea, quæ prætenditur, conſuetudo revocetur, cujus vi quivis Sacerdos cuivis Sacerdoti, etiam Religioſo confiteri poſſit.

Hinc ſequitur, Canonicum Regularem, de quo agitur, quoquidem tempore non itinerabitur, ei tantum fere confiteri poſſe, qui fuerit a Superioribus majoribus nominatus.

Quoad alteram: huic Canonico Regulari, qui legitimis de cauſis Confeſſarium nominatum adire nequit, licere in ea, qua premitur, confeſſionis neceſſitate, alium ſeligere. Sane Tamburinus Auctoribus, quos affert, in eo aſſentitur, ut Religioſus in neceſſitatis caſu poſſit alium Confeſſarium eligere, cum, ut id faciat, graves ei rationes præſto ſunt. Jam vero hic Canonicus Regularis, qui merito timet, ne Religioſi ad audiendas confeſſiones deputati, vel alii, ad quos forte confugeret, Confeſſionem ſuam patefaciant, graves cauſas habet, quamobrem iis non confiteatur, ſpectanduſque eſt tanquam in neceſſitatis caſu poſitus, quique Confeſſarium ſibi aſſignatum omnino non habeat. Ex quo inferri poteſt, eum, alio Regulari Canonico deficiente, ad alium Sacerdotem ſæcularem, vel ad Parochum in eadem Diœceſi, confeſſionis gratia, accedere poſſe. Juriſdictionem enim ad Sacramentum huic Religioſo adminiſtrandum Eccleſia in hac facti ſpecie ſupplere cenſetur.

Deciſum hac die 7. Januarii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Regulæ ad ſatisfactiones in Confeſſione imponendas.

CASUS XII.

De pœnitentiis indiſcretis: an pœnitentiæ loco injungi poſſit Communionis privatio. Regulæ, quas in ſatisfactionum impoſitione Confeſſarii ſervare debent.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Confeſſarius, & Director, abſque Antiſtitæ conſenſu, atque adeo ea inſciente, poſſint in Confeſſione, vel extra Confeſſionem pœnitentias extraordinarias Monialibus imponere? Ad hujus quæſtionis explicationem ſciendum eſt,

I. Pœnitentias, quæ imponuntur, eas eſſe, ut per longum temporis ſpatium humi cubent, diſciplinam ſumant, cilicium deferant, panem tantum edant, & aquam bibant, aliiſque ejuſmodi rationibus conflictentur, atque adeo ab Euchariſtiæ Sacramento ad ſex menſes abſtineant.

II. Ab hiſce Sanctimonialibus Regulam intus foriſque adamuſſim ſervari, ut nihil proinde ſit, in quo ab Antiſtita reprehendantur; earum quidem vitæ genus valde jucundum eſſe, ſed propriæ tamen Regulæ, quæ Divi Auguſtini eſt, eſſe conforme.

III. Antiſtitam Abbatiſſam regularem & perpetuam eſſe prudentiæ & virtutis laude præſtantem, cui Commune bonum unice cordi eſt.

IV. Has penitentias in cauſa eſſe, cur aliæ ægræ jaceant, aliarum infringatur animus, denique aliarum pectus graviter infirmetur, ut proinde proprii ſtatus muneribus, quorum præcipuum eſt Divinum Officium canere, explendis impares ſint.

V. Harum Sanctimonialium pleraſque ætate florere, vigere animo, tantaque patiendi cupiditate flagrare, ut in Pœnitentiæ Sacramento immodicas has afflictiones a ſuis Confeſſariis expoſtulent, ne, cum in ſuarum culparum ſatisfactionem ea incommoda perferant, eorumdem veniam ab Antiſtita flagitare cogantur, quæ quidem ejuſmodi pœnitentias eis cum modo permitteret, non ignorans, quænam inde incommoda poſſent exiſtere, idque etiam experientia compeniens in nonnullis, quæ inibi ſunt, ut animos deſpondeant.

VI. Hujuſmodi pœnitentias non paucis ſcandalo eſſe, quæ, cum ſuas ſorores tamdiu a Communione abſtinere videant, quid de iis ſentiant, ignorant; atque in cauſa eſſe cur aliæ inuſitatas earum pœnitentias imitentur, arbitrantes ſe ipſarum exemplum ſequi debere.

VII. Abbatiſſam & Antiſtitam non proinde in animo habere ſuis Monialibus pœnitentiam peragendi rationem adimere. Novit illa quidem, perſuaſumque habet Moniales publicas victimas eſſe, quæ non pro ſuis tantum, verum etiam pro univerſi populi peccatis ſe ipſas immolare debeant; ſed cenſet, cum pœnæ tam graves in earum Regula non præcipiantur, cumque ipſa ex alia parte animadvertat Moniales ſuas in exceſſum ruere, qui æque in virtute, atque in vitio vitandus eſt; cenſet, inquam, debere ſe huic fervori, qui ex temperamenti ratione potius, quam ex ſincero pœnitentiæ amore ſæpe ducitur, quique minus ex Divinæ juſtitiæ compenſandæ, quam ex proprii amoris explendi cupiditate originem trahit, modum imponere; hoc poſito

Quærit Antiſtita, an Confeſſarius & Director in Confeſſione aut extra pœnitentias extraordinarias ſe inſciente, & abſque ſuo conſenſu ſuis Monialibus imponere poſſint; atque an ipſa id ferre debeat, nec Monialibus ſuis prohibere, ne quam ejuſmodi pœnitentiam, de qua ei non conſtet, aggrediantur; an denique Novitiis Monialibus id genus pœnitentiæ injungi poſſit abſque conſenſu Magiſtræ, quæ annorum triginta experientia edocta eo munere ſanctitate ac prudentia longe maxima fungitur?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, allatam Expoſitionem ad quatuor quæſtiones redigi poſſe, quæ ſunt,

I. An Confeſſarius poſſit imponere Monialibus cæteroquin exacte viventibus pœnitentias extraordinarias extra aut inter Confeſſionem valde graves, quibus ſæpe propriis officiis fungi prohibentur, idque eo animo, ut in pœnitentiæ praxi exerceantur?

II. An inter has pœnitentias injungi poſſit Sanctæ Communionis privatio, ita ut aliqua Sanctimonialis ſex menſium ſpatio a Communione in pœnitentiam abſtineat?

III. An hic Confeſſarius ejuſmodi pœnitentias extraordinarias, inſciente & non commonefacta Antiſtita, poſſit imponere?

IV. Denique an non impedire poſſit Antiſtita, quominus Moniales, quibus ejuſmodi pœnitentiæ impoſitæ fuerint, eas exequantur? Eadem ratio eſt Novitiarum Magiſtræ quoad Novitias.

Ut his quæſtionibus ſatisfiat, reſpondetur,

Ad quæſtionem primam: Tridentinam Synodum *Seſſ.* 14. *c.* 8. *de Sacram. Pœn.* præcipere Confeſſariis, ut in pœnitentiis imponendis perſonarum & peccatorum rationem habeant; indigent proinde illi prudentia, & Sancti Spiritus lumine, inquit Synodus: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerint, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere.*

Ut id in meliori lumine collocetur, indigitandæ ſunt nonnullæ regulæ; quas a Confeſſario ſervari decet, quæque rei, quæ in manibus eſt, inſervire poſſunt. Primo *debet cavere*, inquit Sanctus Antoninus 3. *p. tit.* 17. *c.* 20. *ne talem det pœnitentiam, per quam fiat alteri præjudicium: puta ſi ſervo injungatur longa peregrinatio, vel jejunium prolixum; Dominus ejus inde reciperet detrimentum de ſervitio ſuo.*

Altera regula eſt, ob unum aut plura peccata occulta pœnitentiam publicam injungendam non eſſe, ne quis inde culpæ gravitatem conjiciat, atque ita Confeſſionis ſigillum ſedulo cuſtodiendum violetur: *Item pro peccato occulto*, inquit S. Antoninus, *non eſt manifeſta pœnitentia injungenda, ſcilicet talis, unde poſſet aliqua peccati commiſſi ſuſpicio oriri.* Quamobrem Navarrus *T.* 1. *in c. Sacerdos diſt.* 6. *de Pœn. n.* 103. ita concludit: *Infertur incautos eſſe Confeſſarios complures, qui jejunia & alias graves pœnitentias, quæ aliis neſcientibus adimpleri nequeunt, ſtatim vel paulo poſt Confeſſionem adimplenda injungunt peccatoribus pro peccatis........ in ſuſpicionem alios ducunt, ejuſmodi pœnitentes gravia commiſiſſe, quod non licet.* Hanc eamdem ob cauſam Henriquez *l.* 5. *c.* 21. *§.* 6. *de Pœnit.* ita ſtatuit: *Religioſis, qui in communi menſa cibum ſumunt, ne imponantur gravia jejunia panis & aquæ, per quæ a Prælato arguantur peccati.*

In iis ſane Monaſteriis, ut animadvertit Navarrus loco citato *n.* 106. in quibus Regula plurimum viget, & ſæpe probatiſſimi Viri graviſſimas pœnitentias ſuſcipere conſpiciuntur, ejuſmodi ſcandalo locus non eſſet; at illud ſemper pro certo ponitur has pœnitentias extraordinarias prudenter inſtituendas eſſe, atque ita ut impedimento non ſint, quominus propriis aliis officiis ſatisfiat.

Tertio loco: quamvis pœnitentes in eo ſummopere laudandi ſint quod ad id omne, quod pœnitentiæ loco in confeſſione injunctum fuerit, amplectendum longe maximam alacritatem præſeferant, ſpectat tamen ad Confeſſarium, eorum fervori ſæpe non obſequi, eaſque pœnitentias, quas optant, & exequi parati ſunt, non imponere, ſed perſonæ rationem habere, atque ita egeſtate laboranti, exempli cauſa, eleemoſynas, aut modice veſcenti jejunia non imperare, ut Sotus loquitur *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 2. *Imo quamvis pœnitens paratiſſimus ſit omnes acceptare pœnitentias, nihilominus Sacerdos debet qualitatem perſonæ æſtimare & conſiderare; non enim homini ſecundum ſtatum ſuum pauperi debent largæ eleemoſynæ imponi, aut in magnam jejuniorum inediam adigendus eſt.* Eadem Navarri *in Man. c.* 26. *num.* 18. & *de Graſſis l.* 1. *c.* 31. *num.* 6. ſententia eſt. Quoniam porro Adoleſcentes cæterorum maxime ſuapte natura fervent: Religioſi proinde aut Religioſæ ætate florentes, in hunc ſæpe fervoris exceſſum erumpunt, ita ut inuſitatis his pœnitentiis, intolerando quaſi pondere tandem opprimantur, proſperæque valetudinis jacturam faciant; Quamobrem iis Confeſſarius modum imponat neceſſe eſt: *Fervoroſis juvenibus, & Novitiis*, inquit Henriquez loco citato *§.* 2. *qui cupiunt onerari rigidis & publicis etiam operibus, ne imponat ea, quibus ſub onere gemant, aut vires brevi conſument.*

Poſtrema denique regula, quæ in hoc negotio, ad pœnitentias imponendas quod attinet, tradi poteſt, ea eſt, quod eæ ſunt potius remedia, quibus pœnitentes ab iteratis caſibus præſerventur, quam pœnæ, quibus eorum præterita peccata puniantur; quam ob cauſam iis, qui ſpiritualibus rebus addicti ſunt, ſæpe numero pœnitentiæ reprimendo animo & compeſcendis cupiditatibus inſervientes longe ſunt pœnis corporalibus utiliores; *tandem ſciat*, inquit Graſſis loco citato n. 7. *ut ſatisfactio imponenda potius ſit præſervativum a recidivo, quam expiatio præteritorum delictorum, ut docet D. Thomas, &c.* Alios citat Auctor hic. Reginaldus quoque hujus ſententiæ eſt *l.* 7. *c.* 4. *n.* 34. *& ſeq.*

Contra has omnes regulas Confeſſarius, de quo eſt ſermo, peccavit; illud enim reputare debuit, ſanctimonialem vi Profeſſionis non amplius ſui juris eſſe, ſed Monaſterii, quod eam recepit, & in eam jus acquiſivit, cujus vi tenetur ei ſervitium præſtare, ejuſque officia gerere. Jam vero hic Confeſſarius Moniales, quibus extraordinarias has pœnitentias imponit, ad id ineptas reddit, quoniam ea de cauſa aliæ in morbum incidunt, aliæ animo cadunt, & quod inde conſequitur, inhabiles prorſus evadunt; aliæ demum, quæ eo incommodorum redactæ non ſunt, inibi ſunt, ut quamprimum eo redigantur. Hinc idem Confeſſarius Monaſterio injuriam irrogat; ea enim agendi ratione plures ex ejus ſubditis inutiles reddit, ita ut quas ſibi præſidio fore ſperabat, ab iis e converſo ſe in præſentia deſeri ſentiat.

Verum ut id non eſſet, quod tamen apprime verum eſt, atque illud etiam tanquam certum poneretur, hæc in pane & aqua jejunia, has adeo diuturnas Sanctæ Communionis privationes, & id genus alias extraordinarias afflictiones aliis Monialibus anſam non præbuiſſe quicquam mali de ſuis ſororibus ſuſpicandi: eſt ſaltem indubitatum, id ipſis occaſionem ſcandali fuiſſe. Aut enim eas imitari voluerunt, ſeque iiſdem, quibus earum Sorores ſubſunt, incommodis obnoxias reddiderunt; aut quod ſæpius fit, animadvertentes ſorores ſuas ob ea incommoda, quæ pertulerunt, in ægritudines incidiſſe, ab afflictionum, atque adeo a ſpiritalis vitæ praxi deterritæ ſunt; Hunc ſcilicet effectum prava hæc exempla producunt, inquit Sanctus Bernardus *Serm.* 4. *in Cantic. Quia nimirum caſus unius alios plurimos terret, & a via ſpiritalis vitæ retrahit.* Aſperitates, quibus corpus animo ſubditur, quibuſque quaſi muro ſpiritalis vita regitur, ac veluti propugnaculo adverſus aggreſſiones ſarta tecta ſervatur, evadunt cæteris Monialibus timoris objectum, ut proinde eaſdem evitent, & a Divino ſervitio abſterreantur: *Poſuiſti firmamentum ejus formidinem*, verba ſunt Pſalmi 88.

Si hic Confeſſarius fere harum juvenum Monialium fervorem conſilio temperaſſet, eæ ſuo ipſarum zelo, afflictionumque & pœnitentiæ ardenti deſiderio ſatisfacere potuiſſent; cum contra nihil aliud in præſentia curare poſſint, quam ut priſtinam valetudinem reciperent, & animalem vitam ducant, loco vitæ ſpiritalis, quam initio ſtatim ferventius, quam par erat, aggreſſæ ſunt, ita ut impoſterum Medicorum potius, quam Directorum opera indigeant.

Quod ſi Confeſſarius ejuſmodi pœnitentiis extraordinariis errata, quæ quidem hæ Moniales committerent, punire voluit, non recte ſe geſſit; eas enim Regulæ magnopere ſtudere declaratum eſt. Is igitur non ſatis prudentia uſus eſt, cum exempli cauſa quicquid ab iis contra ſilentium, & contra regularitatem peccatum eſt, iis pœnis mulctavit, quibus gravia crimina punienda eſſent. Dum enim

impedit, quominus exiſtat Decretum aliud, quod eoſdem Conventuales itineris tempore non ſolum confratri aut Religioſo, ſed & Presbytero ſæculari & non Religioſo confiteri permittat. Notandum eſt in eorum Regulis aut Conſtitutionibus ea de re nihil occurrere.

II. Quæritur rurſus, an idem exponens Presbytero ſæculari approbato, vel Parocho ejuſdem Diœceſis in ſequentibus circumſtantiis confiteri poſſet. Circumſtantiæ porro rediguntur ad unam, quæ movet exponentem, qui nollet ad Familiæ Confeſſarium accedere, veritus, ne ille ſua confeſſione abutetur ad ſui damnum, propriæque famæ læſionem, aut ob alias pariter graves cauſas, cum id in aliis occaſionibus quoad ſuorum confratrum aliquos animadverterit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

Quoad quæſtionem primam: Canonicum Regularem ei tantum confiteri poſſe, quem Superiores in Communitate nominarunt, quia ad eos ſpectat juriſdictionem conferre, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum Religioſis adminiſtrandum requiritur. Videri poteſt Tamburinus, qui hanc quæſtionem pertractat *tom. 2. diſp. 6. q. 6. de jure Abb.* Et ſane in Expoſitione mentio fit Decreti Capitularis Ordinis Canonicorum Regularium id confirmantis, dum præcipit Canonicis Conventualibus, ut iis confiteantur, quos Superiores Majores ad id deputaverint.

Si opinio Soti *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. v. ſimiliter omnes*; Navarri *tom. 1. in perlut.. cap. placuit diſt. 6. n.* 28. aliorumque nonnullorum Theologorum vera eſſet, omnibus nempe ſimplicibus Sacerdotibus licere, quem voluerint, Confeſſarium eligere, ſi minus de jure, ſaltem ex conſuetudine, quæ hoc privilegium iiſdem tribuit: Regularis noſter, quem Sacerdotem eſſe pro certo ponitur, ſuorum confratrum alicui, quem vellet eligere, aut Parocho in eadem Diœceſi confiteri poſſet. Verum Tamburinus loco appellato aſſertionem hanc rejicit, oſtenditque opus eſſe expreſſo aut tacito Superioris conſenſu, ut quis ſuorum Religioſorum Confeſſiones audiat; ita ut ſatis ſit in Ordine Decretum exiſtere, quod hunc conſenſum præcipiat, ut ea, quæ prætenditur, conſuetudo revocetur, cujus vi quivis Sacerdos cuivis Sacerdoti, etiam Religioſo confiteri poſſit.

Hinc ſequitur, Canonicum Regularem, de quo agitur, quoquidem tempore non itinerabitur, ei tantum fere confiteri poſſe, qui fuerit a Superioribus majoribus nominatus.

Quoad alteram: huic Canonico Regulari, qui legitimis de cauſis Confeſſarium nominatum adire nequit, licere in ea, qua premitur, confeſſionis neceſſitate, alium ſeligere. Sane Tamburinus Auctoribus, quos affert, in eo aſſentitur, ut Religioſus in neceſſitatis caſu poſſit alium Confeſſarium eligere, cum, ut id faciat, graves ei rationes præſto ſunt. Jam vero hic Canonicus Regularis, qui merito timet, ne Religioſi ad audiendas confeſſiones deputati, vel alii, ad quos forte confugeret, Confeſſionem ſuam patefaciant, graves cauſas habet, quamobrem iis non confiteatur, ſpectandusque eſt tanquam in neceſſitatis caſu poſitus, quique Confeſſarium ſibi aſſignatum omnino non habeat. Ex quo inferri poteſt, eum, alio Regulari Canonico deficiente, ad alium Sacerdotem ſæcularem, vel ad Parochum in eadem Diœceſi, confeſſionis gratia, accedere poſſe. Juriſdictionem enim ad Sacramentum huic Religioſo adminiſtrandum Eccleſia in hac facti ſpecie ſupplere cenſetur.

Deciſum hac die 7. Januarii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Regulæ ad ſatisfactiones in Confeſſione imponendas.

CASUS XII.

De pœnitentiis indiſcretis: an pœnitentiæ loco injungi poſſit Communionis privatio. Regulæ, quas in ſatisfactionum impoſitione Confeſſarii ſervare debent.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Confeſſarius, & Director, abſque Antiſtitæ conſenſu, atque adeo ea inſciente, poſſint in Confeſſione, vel extra Confeſſionem pœnitentias extraordinarias Monialibus imponere? Ad hujus quæſtionis explicationem ſciendum eſt,

I. Pœnitentias, quæ imponuntur, eas eſſe, ut per longum temporis ſpatium humi cubent, diſciplinam ſumant, cilicium deferant, panem tantum edant, & aquam bibant, aliiſque ejuſmodi rationibus conflictentur, atque adeo ab Euchariſtiæ Sacramento ad ſex menſes abſtineant.

II. Ab hiſce Sanctimonialibus Regulam intus foriſque adamuſſim ſervari, ut nihil proinde ſit, in quo ab Antiſtita reprehendantur; earum quidem vitæ genus valde jucundum eſſe, ſed propriæ tamen Regulæ, quæ Divi Auguſtini eſt, eſſe conforme.

III. Antiſtitam Abbatiſſam regularem & perpetuam eſſe prudentiæ & virtutis laude præſtantem, cui Commune bonum unice cordi eſt.

IV. Has penitentias in cauſa eſſe, cur aliæ ægræ jaceant, aliarum infringatur animus, denique aliarum pectus graviter infirmetur, ut proinde proprii ſtatus muneribus, quorum præcipuum eſt Divinum Officium canere, explendis impares ſint.

V. Harum Sanctimonialium pleraſque ætate florere, vigere animo, tantaque patiendi cupiditate flagrare, ut in Pœnitentiæ Sacramento immodicas has afflictiones a ſuis Confeſſariis expoſtulent, ne, cum in ſuarum culparum ſatisfactionem ea incommoda perferant, eorumdem veniam ab Antiſtita flagitare cogantur, quæ quidem ejuſmodi pœnitentias eis cum modo permitteret, non ignorans, quænam inde incommoda poſſent exiſtere, idque etiam experientia comperiens in nonnullis, quæ inibi ſunt, ut animos deſpondeant.

VI. Hujuſmodi pœnitentias non paucis ſcandalo eſſe, quæ, cum ſuas ſorores tamdiu a Communione abſtinere videant, quid de iis ſentiant, ignorant; atque in cauſa eſſe cur aliæ inuſitatas earum pœnitentias imitentur, arbitrantes ſe ipſarum exemplum ſequi debere.

VII. Abbatiſſam & Antiſtitam non proinde in animo habere ſuis Monialibus pœnitentiam peragendi rationem adimere. Novit illa quidem, perſuaſumque habet Moniales publicas victimas eſſe, quæ non pro ſuis tantum, verum etiam pro univerſi populi peccatis ſe ipſas immolare debeant; ſed cenſet, cum pœnæ tam graves in earum Regula non præcipiantur, cumque ipſa ex alia parte animadvertat Moniales ſuas in exceſſum ruere, qui æque in virtute, atque in vitio vitandus eſt; cenſet, inquam, debere ſe huic fervori, qui ex temperamenti ratione potius, quam ex ſincero pœnitentiæ amore ſæpe ducitur, quique minus ex Divinæ juſtitiæ compenſandæ, quam ex proprii amoris explendi cupiditate originem trahit, modum imponere; hoc poſito

Quærit Antiſtita, an Confeſſarius & Director in Confeſſione aut extra pœnitentias extraordinarias ſe inſciente, & abſque ſuo conſenſu ſuis Monialibus imponere poſſint; atque an ipſa id ferre debeat, nec Monialibus ſuis prohibere, ne quam ejuſmodi pœnitentiam, de qua ei non conſtet, aggrediantur; an denique Novitiis Monialibus id genus pœnitentiæ injungi poſſit abſque conſenſu Magiſtræ, quæ annorum triginta experientia edocta eo munere ſanctitate ac prudentia longe maxima fungitur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, allatam Expoſitionem ad quatuor quæſtiones redigi poſſe, quæ ſunt,

I. An Confeſſarius poſſit imponere Monialibus cæteroqnin exacte viventibus pœnitentias extraordinarias extra aut inter Confeſſionem valde graves, quibus ſæpe propriis officiis fungi prohibentur, idque eo animo, ut in pœnitentiæ praxi exerceantur?

II. An inter has pœnitentias injungi poſſit Sanctæ Communionis privatio, ita ut aliqua Sanctimonialis ſex menſium ſpatio a Communione in pœnitentiam abſtineat?

III. An hic Confeſſarius ejuſmodi pœnitentias extraordinarias, inſciente & non commonefacta Antiſtita, poſſit imponere?

IV. Denique an non impedire poſſit Antiſtita, quominus Moniales, quibus ejuſmodi pœnitentiæ impoſitæ fuerint, eas exequantur? Eadem ratio eſt Novitiarum Magiſtræ quoad Novitias.

Ut his quæſtionibus ſatisfiat, reſpondetur,

Ad quæſtionem primam: Tridentinam Synodum *Seſſ.* 14. *c.* 8. *de Sacram. Pœn.* præcipere Confeſſariis, ut in pœnitentiis imponendis perſonarum & peccatorum rationem habeant; indigent proinde illi prudentia, & Sancti Spiritus lumine, inquit Synodus: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerint, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere*.

Ut id in meliori lumine collocetur, indigitandæ ſunt nonnullæ regulæ; quas a Confeſſario ſervari decet, quæque rei, quæ in manibus eſt, inſervire poſſunt. Primo *debet cavere*, inquit Sanctus Antoninus 3. *p. tit.* 17. *c.* 20. *ne talem det pœnitentiam, per quam fiat alteri præjudicium: puta ſi ſervo injungatur longa peregrinatio, vel jejunium prolixum; Dominus ejus inde reciperet detrimentum de ſervitio ſuo.*

Altera regula eſt, ob unum aut plura peccata occulta pœnitentiam publicam injungendam non eſſe, ne quis inde culpæ gravitatem conjiciat, atque ita Confeſſionis ſigillum ſedulo cuſtodiendum violetur: *Item pro peccato occulto*, inquit S. Antoninus, *non eſt manifeſta pœnitentia injungenda, ſcilicet talis, unde poſſet aliqua peccati commiſſi ſuſpicia oriri*. Quamobrem Navarrus *T.* 1. *in c. Sacerdos diſt.* 6. *de Pœn. n.* 103. ita concludit: *Infertur incautos eſſe Confeſſarios complures, qui jejunia & alias graves pœnitentias, quæ aliis neſcientibus adimpleri nequeunt, ſtatim vel paulo poſt Confeſſionem adimplenda injungunt peccatoribus pro peccatis........ in ſuſpicionem alios ducunt, ejuſmodi pœnitentes gravia commiſiſſe, quod non licet*. Hanc eamdem ob cauſam Henriquez *l.* 5. *c.* 21. *§.* 6. *de Pœnit.* ita ſtatuit: *Religioſis, qui in communi menſa cibum ſumunt, ne imponantur gravia jejunia panis & aquæ, per quæ a Prælato arguantur peccati.*

In iis ſane Monaſteriis, ut animadvertit Navarrus loco citato *n.* 106. in quibus Regula plurimum viget, & ſæpe probatiſſimi Viri graviſſimas pœnitentias ſuſcipere conſpiciuntur, ejuſmodi ſcandalo locus non eſſet; at illud ſemper pro certo ponitur has pœnitentias extraordinarias prudenter inſtituendas eſſe, atque ita ut impedimento non ſint, quominus propriis aliis officiis ſatisfiat.

Tertio loco: quamvis pœnitentes in eo ſummopere laudandi ſint quod ad id omne, quod pœnitentiæ loco in confeſſione injunctum fuerit, amplectendum longe maximam alacritatem præſeferant, ſpectat tamen ad Confeſſarium, eorum fervori ſæpe non obſequi, eaſque pœnitentias, quas optant, & exequi parati ſunt, non imponere, ſed perſonæ rationem habere, atque ita egeſtate laboranti, exempli cauſa, eleemoſynas, aut modice veſcenti jejunia non imperare, ut Sotus loquitur *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 2. *Imo quamvis pœnitens paratiſſimus ſit omnes acceptare pœnitentias, nihilominus Sacerdos debet qualitatem perſonæ æſtimare conſiderare; non enim homini ſecundum ſtatum ſuum pauperi debent largæ eleemoſynæ imponi, aut in magnam jejuniorum inediam adigendus eſt*. Eadem Navarri *in Man. c.* 26. *num.* 18. & de Graſiis *l.* 1. *c.* 31. *num.* 6. ſententia eſt, Quoniam porro Adoleſcentes cæterorum maxime ſuapte natura fervent: Religioſi proinde aut Religioſæ ætate florentes, in hunc ſæpe fervoris exceſſum erumpunt, ita ut inuſitatis his pœnitentiis, intolerando quaſi pondere tandem opprimantur, proſperæque valetudinis jacturam faciant; Quamobrem iis Confeſſarius modum imponat neceſſe eſt: *Fervoroſis juvenibus, & Novitiis*, inquit Henriquez loco citato *§.* 2. *qui cupiunt onerari rigidis & publicis etiam operibus, ne imponat ea, quibus ſub onere gemant, aut vires brevi conſument.*

Poſtrema denique regula, quæ in hoc negotio, ad pœnitentias imponendas quod attinet, tradi poteſt, ea eſt, quod eæ ſunt potius remedia, quibus pœnitentes ab iteratis caſibus præſerventur, quam pœnæ, quibus eorum præterita peccata puniantur; quam ob cauſam iis, qui ſpiritualibus rebus addicti ſunt, ſæpe numero pœnitentiæ reprimendo animo & compeſcendis cupiditatibus inſervientes longe ſunt pœnis corporalibus utiliores; *tandem ſciat*, inquit Graſiis loco citato n. 7. *ut ſatisfactio imponenda potius ſit præſervativum a recidivo, quam expiatio præteritorum delictorum, ut docet D. Thomas, &c.* Alios citat Auctor hic. Reginaldus quoque hujus ſententiæ eſt *l.* 7. *c.* 4. *n.* 34. *& ſeq.*

Contra has omnes regulas Confeſſarius, de quo eſt ſermo, peccavit; illud enim reputare debuit, ſanctimonialem vi Profeſſionis non amplius ſui juris eſſe, ſed Monaſterii, quod eam recepit, & in eam jus acquiſivit, cujus vi tenetur ei ſervitium præſtare, ejuſque officia gerere. Jam vero hic Confeſſarius Moniales, quibus extraordinarias has pœnitentias imponit, ad id ineptas reddit, quoniam ea de cauſa aliæ in morbum incidunt, aliæ animo cadunt, & quod inde conſequitur, inhabiles prorſus evadunt; aliæ demum, quæ eo incommodorum redactæ non ſunt, inibi ſunt, ut quamprimum eo redigantur. Hinc idem Confeſſarius Monaſterio injuriam irrogat; ea enim agendi ratione plures ex ejus ſubditis inutiles reddit, ita ut quas ſibi præſidio fore ſperabat, ab iis e converſo ſe in præſentia deſeri ſentiat.

Verum ut id non eſſet, quod tamen apprime verum eſt, atque illud etiam tanquam certum poneretur, hæc in pane & aqua jejunia, has adeo diuturnas Sanctæ Communionis privationes, & id genus alias extraordinarias afflictiones aliis Monialibus anſam non præbuiſſe quicquam mali de ſuis ſororibus ſuſpicandi: eſt ſaltem indubitatum, id ipſis occaſionem ſcandali fuiſſe. Aut enim eas imitari voluerunt, ſeque iiſdem, quibus earum Sorores ſubſunt, incommodis obnoxias reddiderunt; aut quod ſæpius fit, animadvertentes ſorores ſuas ob ea incommoda, quæ pertulerunt, in ægritudines incidiſſe, ab afflictionum, atque adeo a ſpiritalis vitæ praxi deterritæ ſunt; Hunc ſcilicet effectum prava hæc exempla producunt, inquit Sanctus Bernardus *Serm.* 4. *in Cantic. Quia nimirum caſus unius alios plurimos terret, & a via ſpiritalis vitæ retrahit*. Aſperitates, quibus corpus animo ſubditur, quibuſque quaſi muro ſpiritalis vita regitur, ac veluti propugnaculo adverſus aggreſſiones ſarta tecta ſervatur, evadunt cæteris Monialibus timoris objectum, ut proinde eaſdem evitent, & a Divino ſervitio abſterreantur: *Poſuiſti firmamentum ejus formidinem*, verba ſunt Pſalmi 88.

Si hic Confeſſarius fere harum juvenum Monialium fervorem conſilio temperaſſet, eæ ſuo ipſarum zelo, afflictionumque & pœnitentiæ ardenti deſiderio ſatisfacere potuiſſent; cum contra nihil aliud in præſentia curare poſſint, quam ut priſtinam valetudinem reciperent, & animalem vitam ducant, loco vitæ ſpiritalis, quam initio ſtatim ferventius, quam par erat, aggreſſæ ſunt, ita ut impoſterum Medicorum potius, quam Directorum opera indigeant.

Quod ſi Confeſſarius ejuſmodi pœnitentiis extraordinariis errata, quæ quidem hæ Moniales committerent, punire voluit, non recte ſe geſſit; eas enim Regulæ magnopere ſtudere declaratum eſt. Is igitur non ſatis prudentia uſus eſt, cum exempli cauſa quicquid ab iis contra ſilentium, & contra regularitatem peccatum eſt, iis pœnis mulctavit, quibus gravia crimina punienda eſſent. Dum enim

eas aſperitates impoſuit, quarum in Expoſitione mentio fit, eaſque Moniales ad ſex menſes Sancta Communione privavit, eam agendi rationem inivit, quæ quoad gravium ſcelerum reos in uſu eſſe ſolet; cum contra pœnitentiæ his Monialibus a Confeſſario imponendæ debuerint potius iiſdem præſidio eſſe, ne proprii ſtatus obligationes remiſſius exequerentur, quam ut ob errata præterita, quæ emendare paratæ erant, quæque cæteroquin gravia non erant, punirentur. Porro Sacramentorum ſubtractio, atque extraordinariæ corporis aſperitates fere non ſunt utiliora remedia, quibus Moniales, quæ regulam ſervant, quominus in laxitatem incidant, impediantur.

Sunt ſane Moniales victimæ publicæ, pro ſuis, atque adeo pro populi peccatis ob proprii ſtatus rationem immolandæ; verum hoc ſacrificium ſemper cum prudentia & conſilio fiat neceſſe eſt pro Monialis ſtatu, & prout in Regula præſcriptum eſt. Religioſæ vitæ praxis aſperior ac durior eſt, quam ut præter propriæ conditionis & vocationis rationem afflictiones & aſperitates congerendæ ſint. Sed ex eo Confeſſarius hic redditur inexcuſabilis, quod cum animadverteret non deeſſe Moniales, quæ ſibi pœnitentias in confeſſione imponi vellent, ne ab Antiſtita, quæ refragata eſſet, eas petere cogerentur; eas tamen excepit, eis pœnitentiæ loco has aſperitates impoſuit, atque ita in inobedientiæ motibus, quibus eæ ducebantur, connivit, ſecus ac facere debebat, præſertim cum ita animo comparatæ Moniales indignæ eſſent, quæ Sacramentum, quod ipſis adminiſtrabatur, perciperent.

Ad ſecundam: Sanctæ Communionis privatio ſi in ſe ipſa ſpectetur, tanquam pœnitentia Sacramentalis imponi non poteſt; abſtinentia quippe a virtutis ac religionis actu nec meriti, nec proinde ſatisfactionis vim ullam habet ipſa per ſe. Privatio hæc natura ſua nobis a malo futuro ſervandis, aut ob præteritum puniendis apta eſt, ita ut per eam Deo ſatisfiat, & pœnarum, quæ propriis peccatis debentur, remiſſio obtineatur, quæ duo Confeſſariis ob oculos habenda ſunt juxta Tridentinam Synodum *Seſſ. 14. c. 8. de Sacram. Pœnit.* cum pœnitentias injungunt. Videtur e converſo privatio hæc in nobis impedire majus bonum, meritique, & auxiliorum, quibus ad reſiſtendum tentationibus indigemus, augmentum.

Illud ſane convenit, ſecundum veteres Canones, olim Fideles gravium aliquorum criminum reos ad longum tempus, atque adeo aliquando ad mortem uſque ſancta Communione privari conſueviſſe; verum dici nequit, id pœnitentiæ rationem habuiſſe, ut proinde ii peccatores ita proprie Deo ſatisfacerent; eo nimirum ſpectabat Communionis ſanctæ privatio, ut illi indignum miſerumque ſtatum, in quem ob criminis pravitatem inciderant, animo reputarent, & Eccleſiæ, quam ita peccando læſerant, hoſtibus ejus ſanctitatis negandæ anſam præbentes, directe ſatisfacerent.

Utut res habeat, quamquam ſanctæ Communionis privatio ſuapte natura non eſt pœnitentia, quæ imponi debeat: per accidens tamen id ita eſſe poteſt. Licet enim frequens Communio res bona ſit, contingere tamen poteſt, ut Confeſſarius prudenter judicet vel honori Sacramenti, vel pœnitenti ipſi magis expedire, ne adeo frequens Communio ſit; & quoniam opera bona & utilia pœnitenti Confeſſarius injungere poteſt, poſſit etiam in aliqua facti ſpecie præcipere, ut a Communione deſiſtat, id quod habita ratione ſtatus, in quo eſt, ut ſupponitur, communione ipſa eidem utilius eſt. Eſt hæc diſputatio & ſententia Cardinalis *de Lugo de Sacr. Pœnit. diſp. 25. ſect. 5. n. 65.* aliorumque Theologorum complurium, quibus omnibus perſuaſum eſt, ſanctam Communionem abſolute rem adeo bonam non eſſe, ut in aliquibus caſibus, & in aliquibus pœnitentis diſpoſitionibus ſemper præſtet ad eam accedere, quam ab ea recedere, licet pœnitens in peccati mortalis ſtatu non ſit.

Hi quoque Theologi animadvertunt, licet ſanctæ Communionis privatio in pœnitentiam injungi quandoque poſſit, ea ratione, qua declaratum eſt, duo eſſe ſpectanda; primum, ne cui ſcandalum afferatur; alterum, ne id ſæpe fiat. Jam vero Confeſſarius, de quo agitur, duplicem hanc regulam violat. Moniales enim ſex menſium ſpatio Communione privans anſam præbet aliquid mali de hujuſmodi Monialibus ſuſpicandi; præterea ſæpius, quam par eſt, eas ad longum tempus communione privat; ideoque dici poteſt id univerſim Tridentinæ Synodi menti adverſari *Seſſ. 22. c. 5. de Sacrif.* ubi Fideles ſæpe ad Communionem accedere cupit; & quod peculiariter ad Moniales pertinet, mandat eadem Synodus *Seſſ. 25. de Regularibus cap. 10.* Superioribus, ut Moniales moneant, Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramenta ſaltem ſemel in menſe ipſis eſſe ſuſcipienda: *Attendant diligenter Epiſcopi & ceteri Superiores Monaſteriorum Sanctimonialium, ut in conſtitutionibus earum admoneantur, ut ſaltem ſemel in ſingulis menſibus Confeſſionem peccatorum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant, ad omnes oppugnationes Dæmonum fortiter ſuperandas.* Ex quibus concludi poteſt, Confeſſarium, de quo quæritur, ſententiam ſequi ſingularem, & Eccleſiæ menti contrariam, dum ad ſex menſes eas Moniales Communione privat, quæ cæteroquin, ut pro certo ponitur, caſtigatiſſimæ, votorumque & regularum obſervantiæ addictæ ſunt; id quod proinde hujus Confeſſarii conſilium maxime vituperandum & ſuſpectum efficit.

Ad tertiam: Diſtinguendæ hoc loco ſunt pœnitentiæ peculiares, quæque clam peragi poſſunt, ab iis pœnitentiis & praxibus, quæ latere non poſſunt, ut ſi exempli cauſa Monialis, quæ communis vitæ ratione adſtringitur, panis & aquæ jejunium ſervare, ad longum tempus a communione abſtinere, & alia id genus exequi jubeatur. Ad prioris generis pœnitentias quod attinet, Confeſſarii prudentiæ eſt eas imponere, quæ non modo ſalutares, verum etiam pœnitentium conditioni ſint conſentaneæ juxta regulas ſupra recenſitas; ſolus enim Confeſſarius pœnitentiarum eſt judex, ut proinde in iis imponendis Antiſtitæ conſilium ſumere nequeat, qui perſonam, & peccati, quod confeſſa fuerit, qualitatem manifeſtandi periculum ſubeat, quod ad Confeſſionis ſigillum violandum tenderet. Quod autem ſpectat ad pœnitentias extraordinarias, quæ publicæ nuncupantur, quia, Sororibus & Antiſtita non videntibus, eas Monialis exequi nequit, a Confeſſario imponendæ omnino non ſunt; & facta hypotheſi utile fore earum aliquas Moniali cuipiam imponi, eam debet, obtinendæ permiſſionis cauſa, ad Antiſtitam mittere; aliter quippe, quoniam quicquid externum eſt, & conſuetæ conſuetudini repugnat, proſpicere ad Antiſtitam ſpectat, merito ipſa poſſet conqueri, atque adeo ejuſmodi pœnitentias, quas, ſe non commonefacta, peragi cerneret, impedire. Porro quod attinet ad ſanctæ Communionis privationem, cum eam pluribus promiſcue Monialibus quaſi ex conſuetudine Confeſſarius imponat, male ſe gerit, eas arcens ad longum tempus a communione, jus habet Antiſtita ea de re apud Confeſſarium querendi: ac ſi ille querimonias ipſius non audierit, tenetur Superiorem de re tota certiorem facere.

Ad quartam & poſtremam quæſtionem reſpondetur, pœnitentiam a Confeſſario impoſitam vel injuſtam eſſe, & impoſitam *clave errante*, ut Theologi dicunt, aut regulis congruere, ſed ita tamen, ut aliqua deinde circumſtantia ſuborta fuerit, propter quam pœnitens eam exequi nequeat. In utroque caſu ſpectanda eſt hæc pœnitentia tanquam injuſta, licet non eodem modo; ita ut quis in conſilii doctrinalis modum aſſerere poſſit eam pœnitentiam obligatoriam non eſſe, nec pœnitentem poſſe eidem ſubdere, quin eorum omnium incommodorum, quæ futura prævidentur, ſe reum faceret. Si is, qui ſuam ita ſententiam dixit, jus in pœnitentem haberet, poſſet, quominus pœnitentia perageretur, impedire, vel ejus effectum ſuſpendere, donec aliter a Confeſſario ſtatutum fuerit.

Hoc poſito, Monaſterii, de quo agitur, Antiſtita impedire debet, quominus hæ pœnitentiæ extraordinariæ a ſuis Monialibus peragantur, facta hypotheſi iis pernicioſas eſſe; idem de Matre Magiſtra Novitiarum ſuarum ratione judicium eſto.

Por-

Porro ſi Antiſtita & Novitiarum Mater ita ſe gerunt, non id eo fit, quod in id, quod inter Confeſſarium & pœnitentes intercedit, ulla ſe juriſdictione gaudere putent; agunt illæ œconomica poteſtate, qua quoad externum Monialium regimen pollent, ut enim valetudinis curam gerant, & quicquid eidem graviter obeſſe poteſt, avertant, neque vero has pœnitentias ut pœnitentias, ſed ut res Filiarum ſuarum bono, & Familiæ moribus contrarias ſpectant.

Sed quoniam ea pœnitentia eſt ex earum numero, quæ mutari debet, Antiſtita mittet Moniales ad Confeſſarium, ut aliam injungat, quæ Eccleſiæ Regulis, perſonarum ſtatui, & Regulæ rationi conformior ſit. Hoc loco non attingitur quæſtio, an hæc pœnitentiæ mutatio in Pœnitentiæ Sacramento facienda ſit, præſertim ſi ante dies aliquot Confeſſio facta ſit; quod quidem probabilius eſſe videtur, quia in Sacramento quidem ligandi & ſolvendi facultatem Sacerdos habet; an vero ſolum neceſſe ſit pœnitentem Confeſſario ſe ſiſtere, ut aliam pœnitentiam obtineat, pertinebit ad Confeſſarium expendere, quid in hac facti ſpecie ſibi facto opus ſit. Videri poteſt Suarez *Tom.* 4. *de Pœnit. diſp.* 38. *ſect.* 10. Quod ſi Confeſſarius vel ſatis monitus, ut conſilium mutet, eas tamen pœnitentias, de quibus in Expoſitione dictum eſt, injungere pergat, de re tota certior fiet Superior, ut Monaſterii, de quo quæritur, Monialibus alium Confeſſarium aſſignet, ſi demum a ſuſcepto conſilio Confeſſarius recedere noluerit.

Deciſum hac die 31. Martii an. 1698.
G. *Fromageau.*

Prohibitio Monialibus facta, ne in locis, quæ Parlatoria dicuntur, Confeſſiones ſuas peragant.

CASUS XIII.

Provincialis Superior Monaſteriorum Sanctimonialium poteſt gravibus de cauſis prohibere, ne in locis, quæ Parlatoria nuncupantur, Confeſſiones edant, in pœnam nullitatis Confeſſionum ipſarum.

QUÆSITUM.

PRovincialis ſuperior plurium Monaſteriorum Sanctimonialium, de Provincialis Congregationis conſilio, ut malis occurreret, quæ tum contingunt, cum in locis, quæ *Parlatoria* appellantur, confiteri Monialibus licet, ſub pœna nullitatis Confeſſionum Monialibus ſuæ juriſdictioni ſubjectis ſcripto prohibuit, ne in iiſdem locis confiterentur.

Provinciali huic, & Provincialis conſilii Religioſis, cur ita ſtatuerent, id cauſæ fuit, quod Clemens X. in Bulla an. 1670. declarat licere Epiſcopis confitendi permiſſionem certis limitibus circumſcribere quoad loca, tempora, & perſonas.

Prohibitio hæc in Capitulo lecta eſt in Monaſterio, quod ab eodem Provinciali pendet, & in quo Confeſſarii ordinarii duo ſunt, quorum uterque ſuum in Eccleſia Tribunal habet.

Cum Confeſſarius extraordinarius juxta Tridentini Concilii Decretum, & dicto Provinciali annuente ad hoc Monaſterium accitus eſſet; Monaſterii Antiſtita contra allatam prohibitionem non aliquo Eccleſiæ Confeſſionario, ſed in *Parlatorio* eum ſtatui voluit.

In hac facti ſpecie quæritur,

I. An Provincilis, ejuſque Conſilium potuerint id, eaque, quæ dicta eſt, pœna ſtatuere?

II. An poſt indictam prohibitionem Monialium Confeſſiones in *Parlatoriis* editæ re ipſa nullæ ſint?

III. Idem Provincialis deinde commonefactus eſt nonnullas Sacerdotibus a ſe non approbatis confeſſas eſſe: quæritur, an earum Confeſſiones nullæ ſint?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, antequam reſpondeat, exiſtimat,

I. Graviſſimas cauſas ſubeſſe poſſe, quamobrem Moniales in locis, quæ Parlatoria dicuntur, confiteri prohibeantur. Sane Barboſa libro primo *de jure Eccleſ. c.* 44. *n.* 135. Congregationis Decretum refert, quod ita habet: *Confeſſionalia Monialium ex Sacriſtiis & locis occultis amoveantur, & collocentur in exterioribus Eccleſiis, eædemque Moniales, quatenus in hoc renitentes fuerint, interdicantur.* Pelizarius hoc idem Decretum affert *tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 10. *n.* 173.

II. Poſt Gregorii XV. Bullam *Inſcrutabilis* anno 1622. ad Monialium etiam exemptarum Confeſſiones audiendas Ordinarii approbationem requiri, ita ut Superiores ipſi, ſi eas audire velint, hujus approbationis indigeant. Id animadvertit Tamburinus *diſp.* 16. *q.* 2. & 3. *de jure Abbatiſs.* Pelizarius quoque loco appellato *num.* 166. & Barboſa *in Concil. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 10. *de regul.*

Hoc poſito, ad quæſtiones propoſitas, reſpondetur,

Ad primam: licuiſſe Provinciali ob graves cauſas prohibere, ne Moniales in locis, quæ *Parlatoria* dicuntur, confiterentur, ea pœna, ut earum Confeſſiones nullæ eſſent; Provincialis enim juriſdictionem qua in Moniales ſibi ſubditas gaudet, quoad certa quædam loca definire poteſt, quemadmodum eamdem quoad certum tempus coarctare potuit; ita ut, quoniam ad Confeſſionem præter approbationem neceſſaria eſt ea juriſdictio, conſequens fiat Confeſſionem nullam eſſe, defectu juriſdictionis, quam Superior, ut pro certo ponitur, denegat Sacerdoti in *Parlatorio* Confeſſiones audienti.

Ad ſecundam: nullas eſſe Confeſſiones has tum ob defectum poteſtatis in Confeſſariis, tum ob pravam diſpoſitionem Monialium, quæ ſuo Superiori non obedienti animo confitentur.

Ad tertiam: ad Provincialem non pertinere Sacerdotes approbare, quos Monialium ſibi ſubditarum audiendis Confeſſionibus deſtinat: ſed ei tantum jus eſſe eos loci Epiſcopo præſentandi, ut ab ipſo approbentur. Hi Sacerdotes in approbationis conſecutionem poſſunt Monialibus Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, quia ex quo ille eos Epiſcopo præſentavit, aut præſentari aſſenſus eſt, cenſetur juriſdictionem ad earumdem Monialium Confeſſiones audiendas neceſſarium ipſis concedere. Si ergo hi Sacerdotes a Provinciali approbati non fuerunt, videlicet ejus permiſſionem, aut conſenſum non obtinuerunt, ut Monialium, de quibus agitur, Confeſſiones exciperent, ejuſmodi Confeſſiones nullæ ſunt.

Deciſum hac die 26. Septembris an. 1699.
G. *Fromageau.*

CASUS XIV.

Quæſtiones plures ſuper Confeſſionis Sigillo.

QUÆSITUM.

CUm in aliquibus Communitatibus ii tantum Confeſſarii a Superioribus eligi conſueverint, ex quibus ea ſcire poſſint, quæ ad ſuarum Familiarum bonam adminiſtrationem licere, atque adeo neceſſaria eſſe putant, ſed quæ tamen Virorum, aut Fæminarum pœnitentium, quæ ad hujuſmodi Confeſſarios, qui in eum omnino finem eliguntur, ut cognitio, quæ expetitur, habeatur, quique eam exhibere non verentur, accedere coguntur, internam diſpoſitionem patefaciunt: praxis hæc mali ſuſpicione non caruit, id quod ſequentibus quæſtionibus cauſam præbuit.

I. Quæritur, an Confeſſarius ſuapte ſponte pœnitentis peccata detegere poſſit, ejus ſpiritalis boni prætextu?

II. An Confeſſarius legitime poſſit a pœnitente veniam petere, ut quæ ex confeſſione cognovit, eum juvandi animo manifeſtet?

III. Quomodo venia hac a pœnitente ſibi conceſſa uti poſſit? An ut cum pœnitentis Superioribus conferat, eos de pœnitentis vitæ ratione certiores faciat, eaque ratione eoſdem moveat ad eum admittendum, aut rejiciendum v.g. ab Ordinatione, ſeu Religione?

IV. An pœnitens, quæ cum Eccleſiaſtico turpe

Ali-

aliquod commercium habuit, teneatur eum in confeſſione nominare, Confeſſario id poſtulante?

V. An Confeſſarius, etiamſi Judex Eccleſiaſticus eſſet, videlicet Officialis, Legatus, aut Promotor &c. audiens in Confeſſione pœnitentem, quæ de aliquo impuro commercio, aut de aliqua indecora familiaritate cum Eccleſiaſtico ſeſe accuſat, eam ad ſe accire poſſit contra hunc Eccleſiaſticum depoſituram, aut ei, ſi id facere renuerit, abſolutionem recuſare?

Poſſitne ei præcipere, ut eum deferat ad Judicem?

VI. Poſſitne, debeatque ejus ad Judicem, aut ad Superiores, aut aliter deferendi veniam ab ea petere & obtinere, ei quoque abſolutionem negare, ni ipſa deferat, aut ejus deferendi licentiam Confeſſario tribuat?

VII. Qua ratione talibus aut ſimilibus permiſſionibus, quæ ipſis conceſſæ fuerint, uti debeant Confeſſarii?

VIII. An Superiores majores poſſint tuta conſcientia ejuſmodi notitiis uti ad crimina ſuis inferioribus exprobranda, eoſque illorum arguendos, ad indignos ab Ordinibus aut a Religione arcendos, ad reos & complices notandos damnandoſque, denique puniendos interdicto v. g. Beneficiis & Ordinum officiis privandos.

IX. An hi Superiores poſſint aſſerere rem ejuſmodi eſſe, ut de ea dubitari non poſſit, eamque ſibi innoteſcere, quia pœnitens eam in Confeſſione declaravit, ejuſque declarandæ permiſſionem Confeſſario conceſſit?

X. An ita cognoſcere liceat, ac deinde ad Superiores deferre pravam vitæ rationem, in qua ruris Parochus v. g. aut alii Eccleſiaſtici, vel laici ita verſantur, ut aliter reprehendi, & convinci non poſſint?

XI. Quæritur denique, poſſit necne Parochus hac ratione Parochiæ ſuæ mala detegere, pro concione arguere, iiſque mederi? Idem de Miſſionariis ibi, ubi Miſſionem obeunt, ſtatuendum.

Rationes, quæ ad eam agendi rationem, quæ propoſitis quæſtionibus occaſionem præbuit, confirmandam afferri poſſunt, ſunt primo loco bonum, quod inde provenire poteſt, & utilitas, quam ad rectum Familiarum aut Communitatum ſuarum regimen Superiores poſſunt inde percipere; cum ejuſmodi conſilium indignis ab Ordinatione, aut Religione arcendis, atque adeo innumeris occultis malis, quæ hoc pacto detegi poſſunt, reprimendis inſerviat. Secundo loco Eccleſiaſtici aut alii, qui aliquo ſe crimine ſeu turpitudine coinquinarunt, cum ipſi peccare non ſint verecundati, videntur infamiam, quæ patrata flagitia conſequitur, animo non reputaſſe; adeoque jus omne boni nominis, quo antea gaudebant, ea ratione amittere voluiſſe, & quod inde fit conſequens, nulla ipſis videtur injuria irrogari, detectis eorum ſceleribus, quæ diu latere non poſſe perſuaſum habere debebant.

Rogantur humillime Sorbonæ Doctores, ut velint, & quidem, quam poterunt, citiſſime ſuper quæſtionibus modo propoſitis ſententiam dicere; negotium urget, cum certiſſime pluribus in locis ea, de qua dictum eſt, agendi ratio ſervetur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, antequam propoſitis quæſtionibus reſpondeatur, fundamenti loco ponendum eſſe,

I. Servandi Confeſſionis ſigilli naturali obligatione Confeſſarium adſtringi propter pactum quoddam tacitum inter pœnitentem & Confeſſarium, per quod is quidem fidem dat ſe minime patefacturum, quod ei in aurem pœnitens declaravit; alia eſt etiam Confeſſario ſilentii obligatio, ortum trahens ex divino jure, & inſtitutione Pœnitentiæ Sacramentalis, quippe quæ ad fidelium levamen ac ſolatium a Chriſto Domino inſtituta eſt, cujus proinde uſus iis facilis eſſe debet, quod ſecus ſe haberet, ſi Confeſſarius, quod audiit in Confeſſione, patefacere poſſet.

II. Quicquid, ad Confeſſionem quidem quod attinet, de ſuo pœnitente Confeſſarius cognoſcit, in foro interno concludi debet; hi nempe hujuſmodi cognitionis limites ſunt, quos prætergredi nefas eſt; Chriſtus enim Dominus Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, ut pœnitentis peccatis remedium afferretur in foro conſcientiæ; ita ut iis eadem ratione medendum ſit, qua delata ſunt; deferuntur autem ad Confeſſionis Tribunale, & in Confeſſione; non eſt igitur rationi conſonum cum pœnitente ac peccatore alio modo agi quam in Tribunali, ac foro interiore. Hæc Divi Thomæ ſententia eſt *in 4. diſt. 21. q. 3. a. 1. ad 3. Quia non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo, quo ad ipſum defertur*. Unde in iis, *quæ deferuntur ei in foro pœnitentiæ, in eodem foro debet (quantum fieri poteſt) adhibere remedium*. Idem Sanctus Thomas, aut Auctor Supplementi eamdem rem tradit *q. 11. a. 1. ad. 2.*

III. Tam late patet Confeſſionis ſigillum, ut Confeſſarius I. non debeat vel unum verbum facere extra Confeſſionem cum ſuo pœnitente, eo non permittente, de peccatis, quæ ille ipſi confeſſus eſt. II. Clemens VIII. in ſuo Decreto quoad caſuum reſervationem diei 26. Maii an. 1594. Superioribus & Confeſſariis prohibet, ne quoad exteriorem ſuorum pœnitentium curam utantur ea cognitione, quam ipſorum culparum ex Confeſſione perceperunt. Aquaviva Generalis Societatis Jeſu prohibet ſuis, ne publice aut privatim contrarium doceant.

Videtur quidem Divus Thomas *in 4. diſt. 9. q. 1. a. 5. & quodlib. 5. a. 13.* ſentire poſſe in occulto Sanctam Communionem negari, aut pariter in occulto munus adimi ei, qui indignus ex Confeſſione cognoſcitur, dummodo violandi Sacramentalis ſigilli nullum periculum adſit; verum reſpondetur, eſto verum ſit id theorice fieri poſſe, moraliter tamen & in praxi fieri non debere, ita ut periculum fuerit, ne ſigillum læderetur; quamobrem Divus Thomas loco laudato quæſtionum *Quodl.* pronunciat melius eſſe non ea ratione agere, qua dictum eſt in objectione.

IV. Quæcumque demum incommoda poſſent exiſtere, ſi Confeſſarius ea cognitione, qua ex Confeſſione inſtructus eſt, non uteretur, non adeo gravia ſunt, quam quæ contingerent, ſi quando ea uti liceret; in primo enim caſu fieri poſſet, ut remedium minime offerretur aliquibus malis privatis aut publicis, ſed quæ tamen non tam altas radices egerint, & quæ Superiorum attentio ac vigilantia poſſet per tempus detegere, eiſque apta remedia ſuppeditare. In altero caſu ageretur de malo publico, quod Religioni inferretur in eo, quod per omne tempus fideles a Confeſſione arcerentur; videlicet ſtatim atque intelligerent aliquando extra Confeſſionem Confeſſarios peccatorum cognitione uti, non amplius confiterentur, aut ſolum raro, vel male confiterentur. Quamobrem Confeſſarius, ne Confeſſionis ſecretum violet, omnia potius mala, atque adeo mortem ipſam ſubire debet, exemplo boni militis, qui ob bonum publicum manifeſto vitæ periculo tenetur quandoque ſe ſubdere; & ſane Sanctus Thomas Supplementi loco laudato, pronunciat Confeſſionis ſigillum fidelibus ad peccata ſimplicius ac fidelius confitenda vehementius ducendis potiſſimum inſervire: *Præter hoc ſunt aliæ utilitates hujus celationis, quia per hoc homines ad Confeſſionem magis attrahuntur, & ſimplicius peccata confitentur*.

V. Si Confeſſionis ſecretum, quam late patet, ſpectetur, Confeſſarius a pœnitente non debet veniam petere ad Superiores deferendi, eumve monendi, qui in malo verſatur, & de quo in Confeſſionis Tribunali ei ſermo factus eſt. Ita communiter Theologi ſentiunt, ut Layman *l. 5. tit. 6. c. 14. n. 18. Hujuſmodi onus ſupra dixi rariſſime Confeſſarium ſuſcipere debere*. Hac agendi ratione Confeſſarius infirmioribus, & pœnitentis veniam ignorantibus anſam præberet credendi ab eo Confeſſionis ſecretum revelari, inquit Baſſæus *tom. 1. v. Confeſſio 7. n. 9.*

His principiis poſitis reſpondetur,

Ad quæſtionem primam, Confeſſarium ſuapte ſponte, & quomodolibet pœnitentis ſui peccata revelantem propter ipſius ſpirituale bonum, Sacra-

mentalis Pœnitentiæ ſecretum violare, dignumque eſſe, qui deponatur, & pœnitentiæ cauſa, quoad vixerit, concludatur; hæc eſt diſpoſitio generalis Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. *can. omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. Caveat autem omnino, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio, verum etiam ad agendam pœnitentiam, & in arctum Monaſterium detrudendum*. Videri poteſt, quod dictum eſt *n.* 1.

Ad ſecundam: licet Confeſſario a pœnitente veniam petere, ut ſibi liceat extra Confeſſionem uti notitia, quam ex Confeſſione habet, ipſius boni ſpiritualis intuitu, modo adſit I. magna neceſſitas, aut magna ſaltem utilitas quoad pœnitentis ſpiritale bonum. II. pœnitens libere & expreſſe permiſſionem concedat. III. latius, & præter intentionem pœnitentis permiſſionem ſibi conceſſam Confeſſarius non explicet, cauſa exempli ut ab aliquo officio, aut ab Ordinatione eumdem excludat. IV. id faciat ea conditione, ut ne ſcandalo ſit iis, qui ex ejus factis dictiſve ad pœnitentem ſpectantibus, ignorantes, an ab illo veniam obtinuerit necne, inde occaſionem ſumerent opinandi Confeſſionem ab eo revelari: *Tamen cavere debet Scandalum*, inquit Sanctus Thomas, vel Auctor Supplementi *q.* 11. *art.* 4. *ne fractor ſigilli prædicti reputetur*. Huc accedit, ad rectum ordinem, ad Sacramenti dignitatem, & ad Confeſſariorum officium ſpectare, ne hujuſmodi permiſſiones a pœnitentibus petant, ſed ut aliis æquioribus modis malo medeantur, & pœnitentium ſpiritale bonum procurent.

Ad tertiam: hujus quæſtionis primæ parti ſatis eſt factum iis, quæ hactenus dicta ſunt. Ad ſecundam partem quod attinet, reſpondetur pœnitentem, qui Confeſſario veniam tribuit, ut cognitione, quam habet ex ejus Confeſſionibus, uteretur, nequaquam cenſeri eam tribuiſſe, ut de ipſo nominatim cum Superioribus verba faceret. Neque enim pœnitentis licentia uti licet niſi juxta ejus mentem, ac finem, propter quem eam tribuiſſe cenſetur; jam vero non cenſetur tribuiſſe contra ſuum proprium bonum, verbi cauſa ut a Religione, ab Ordinatione, aut ab aliquo munere excluderetur. Nimirum hujus permiſſionis uſus fere ad pœnitentem ſolummodo ſpectat, vel ut ſummum eo tantum pertinet, ut Confeſſario tribuatur facultas aliquem conſulendi generatim de nonnullis difficultatibus ad pœnitentis Confeſſionem ſpectantibus, celato ejus nomine, niſi expreſſa permiſſio adſit. Quamobrem Confeſſarius, qui eadem aliter uteretur, Confeſſionis ſecretum violare cenſeretur, ac proinde pœnis obnoxius eſſet. v. n. 2.

Ad quartam: fæmina ſuum complicem in Confeſſione nominare non debet, cum aliter poteſt peccatum ſuum explicare; ſi enim Confeſſarius jus non habet ſciendi pœnitentis nomen, multo minus complicis nomen ſciendi jus habet; hac de cauſa Auctor vitæ Sancti Bernardi ita loquitur: *De nullo ſiniſtre loquaris niſi in Confeſſione, & hoc ubi non potes aliter manifeſtare ſuum peccatum*. Debet etiam Confeſſarius impedire, ne ſibi ſceleris particeps nominetur, ſi pœnitentem id facere paratum viderit, inquit Sanctus Bonaventura *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *a.* 1. *p.* 2. quia proximi fama, quoad fieri poteſt, ſervanda eſt. Videri poteſt, quod ajunt Baſſæus *v. Confeſſ. ſigillum n.* 23. Diana 5. *p. tr.* 11. *reſol.* 39. & Auctores ab ipſis in medium allati.

Ad quintam: ex tradita reſponſione conſtat fæminam in Confeſſione adigi non poſſe ad Eccleſiaſticum, de quo in hac quæſtione agitur, denunciandum; ſi enim pœnitens ſuæ culpæ complicem nominare non debet, cum abſque ea declaratione poteſt ſeſe explicare, conſequens fit ad depoſitionem adverſus eumdem complicem coram Judice inſtituendam adigi non poſſe. Videtur enim Sacramenti venerationi repugnare, ut Confeſſarius pœnitentem cogat, ſuum ipſius, atque adeo complicis peccatum, quod occultum eſt, quodque occulta tantum ratione, ſcilicet ex Confeſſione cognoſcit, publicum reddere.

Quamvis hic Confeſſarius ſit Officialis & Promotor, eamque depoſitionem in eum tantummodo finem petat, ut Eccleſiaſticum pro merito corrigat, & puniat, hic tamen zelus æquitati repugnat, quoniam Chriſtus Dominus Sacramentum hoc ob externum regimen non inſtituit, ita ut omnis diſciplina ac ratio, quæ ad hoc Sacramentum pertinet, fere ad pœnitentem tantummodo referatur, & intus concludi debeat, ut dictum eſt n. 2. Complices aliis rationibus puniri poſſunt, quam iis, quæ ex hoc Sacramento ducuntur; ac ſi hujuſmodi depoſitionibus locus tribuatur, non pauci Eccleſiaſtici, aliique probi viri certarum quarumdam mulierum indignatione, prurigine, atque imaginatione in magna ſæpe diſcrimina conjicientur.

Sequitur ergo abſolutionem negari non poſſe pœnitenti, depoſitionem, quæ in hac facti ſpecie requiritur, inſtituere nolenti; convenit quidem pœnitentem a Confeſſario adigi poſſe, ut Superiorem aut Magiſtratum de eo commoneat, quod novit rei publicæ, aut tertiæ perſonæ bono valde repugnans, ſi quidem impediri poſſit; tunc enim Confeſſarius nihil aliud agit, quam pœnitentem de propria obligatione commonefacit, in quo nihil eſt, quod hujus Sacramenti ſecreto adverſetur, ut proinde, ſi id exequi renuerit, ei abſolutionem recuſare teneatur: *quia in his*, inquit Baſſæus *l. c. n.* 5. *perfungitur munere ſuo, & tantum declarat obligationem, quam habet pœnitens in conſcientia, quam ſi non ſit paratus adimplere, non eſt diſpoſitus ad Sacramentalem abſolutionem*. Verum ea facti ſpecies, de qua agitur, ejuſmodi eſſe non videtur, ac proinde Confeſſarius pœnitenti nequit imponere, ut eum Eccleſiaſticum ad Judicem deferat.

Ad ſextam: etiamſi pœnitens eum Eccleſiaſticum deferre teneretur, quod non ita habet, Confeſſarius tamen hujus delationis permiſſionem a pœnitente ſuſcipere fere non deberet, ne ſuum ſcilicet miniſterium odioſum redderet. Videri poteſt, quod ſupra dictum eſt *n.* 5. Baſſæus id fuſius explicat *l. c. n.* 9. *Licet pœnitens teneatur crimen alterius tertii per aliam perſonam manifeſtare, non facile Confeſſarius debet id in ſe aſſumere, quia inde ſuſpiciones contra ſigillum apud infirmos & ignorantes gigni poſſunt, unde & Confeſſio redditur odioſa, & calumniis ac detractionibus malevolorum exponitur, præterquamquod malevola aut malevolus aliquis mendaciis aliquando Confeſſarium dementet, ut alteri noceat. Honor igitur ſigilli Sacri omnibus illis ſecundariis emolumentis præferendus eſt*.

Ad ſeptimam: ex hactenus dictis ſequitur Confeſſarios non debere hujuſmodi permiſſiones aſſumere, multoque minus iiſdem uti.

Ad octavam, & nonam: ex doctrina jam tradita conſequens fit, Superiores majores cognitione ex permiſſionibus, quas Confeſſarii a ſuis pœnitentibus obtinuerunt, percepta uti non poſſe ad puniendos aut removendos ab Ordinibus, aut ab aliquo munere, &c. eos Eccleſiaſticos, qui ipſis nominatim indigitati fuerint; præterquamquod enim fieri poſſet, ut ob ſimplices criminum depoſitiones injuſtis pœnis Eccleſiaſticos ipſos mulctarent, ſtatim ac noverunt eam denunciationem ex Confeſſione tanquam ex principio ſuum ortum traxiſſe, debent ſecretum ſervare, aliaſque rationes quærere, quibus pravam Eccleſiaſticorum vitæ rationem cognoſcant. Moneri quidem poſſunt generatim Superiores, ut Eccleſiaſticorum certo quodam in loco degentium vitæ invigilent; at in hac facti ſpecie nequaquam illi accuſandi ſunt, nec declarandum eſt accuſationem juſtam eſſe, quia Confeſſarius pœnitentis permiſſu id Superiori teſtatus eſt; id enim Sacramentum odioſum efficeret.

Ad decimam: ei jam ſatis eſt factum, ita ut ſi hujuſmodi Parochos convincendi nulla alia ratio præſto ſit, ab ea ſit abſtinendum; honor enim Sacramento & Sacramentali ſecreto debitus iis incommodis anteponendus eſt, quæ ruſticanorum Parochorum, de quibus eſt quæſtio, pravam vitæ rationem conſequi poſſent. Videri poteſt ſupra *num.* 4.

Ad undecimam & poſtremam quæſtionem reſpondetur, Parocho non licere ea cognitione uti, quam ex ſuorum Subditorum Confeſſione percepit, ut ſuæ Parochiæ malis remedium afferat, vel in abuſus

ibidem

ibidem graſſantes pro concione invehatur, ut dictum, notatumque eſt *n.* 2. *&* 3.

Nec magis Parocho aut Miſſionariis hac eadem cognitione uti licet vel pœnitentibus id permittentibus. Poteſt enim contingere, ut appareat eumdem Parochum, aut Miſſionarios ex Confeſſione tantum eam cognitionem hauſiſſe, quod a Confeſſione Fideles avertere, & Confeſſariorum miniſterium odioſum efficere poſſet. Hac de cauſa nonnulli Auctores crediderunt utile fore eos, qui alicubi a Confeſſionibus ſunt, concionibus non vacare, niſi aliunde id facere teneantur, ne ſcandalo aut ſuſpicioni occaſionem præbeant. Baſſæus *l. cit. n.* 12. ita ſentit, laudatque in eamdem rem Henriquez *l. 6. c. 23. n. 9.* & Bannez 22. *q.* 33. *a.* 1. *dub.* 8. *§. Sequitur* : *Quare Henriquez dicit non convenire, ut ubi quis communiter prædicat, ibidem Confeſſiones audiat. Bannez graviter perſtringit eos, qui ex Confeſſione concionantur, aut concionari curant, quando confeſſus fit inde ſuſpectus, aut magis ſuſpectus de crimine, quod in Confeſſione explicuit.*

Sane ſi Parochi aut Miſſionarii cognitione, qua ex Confeſſione pollent, uterentur in concionibus, ubi populus non ita frequens eſt, & omnes ſe mutuo cognoſcunt, timendum eſſet, ne in praxi indicarent, id quod in ſuis concionibus dicunt, ex peculiaribus aliquorum, Confeſſionibus originem ducere; id autem I. injuriam afferret Sacramento, inquit Baſſæus n. 12. *Læditur enim honor & Religio Sacramenti*, adeoque ab eo avocantur fideles, *quia non tam fidenter ac frequenter ad illud homines accedent, ſi ſciant ſibi inde malum aliquod evenire poſſe*. Adimitur quoque, pergit idem Auctor, miſeris præſidium, quod ad eorum levamen, & opem Divinus Filius in hoc Sacramento iiſdem exhibuit, *tum quia impeditur ſolatium miſerorum, quod Dominus poſuit in hoc Sacramento*. II. hac ratione læditur pœnitentis fama, quia ex quo vel generatim aliena peccata vulgantur, eſt, cur timeatur, ne eorum Auctores innoteſcant: *Læditur fama pœnitentis, quia ſi in generali defectus aliqui in Confeſſione auditi propalari poſſint, periculum eſt, ut cognoſcantur pœnitentes auctores criminum*.

Rationes, quæ in Expoſitione afferuntur ad Parochorum, Miſſionariorum, aliorumque conſilium in tuto ponendum, nequaquam ſufficiunt, quia Confeſſionis notitia in externo regimine uti non licet, ſeu quoad pœnitentem, ſeu quoad alios, ne Sacramentum, eorumque miniſterium, qui illud diſpenſant, in invidiam adducatur. Si Superiores invigilare voluerint, alias rationes invenient, quibus ſuarum Familiarum bonum procurent, aut eaſdem in ordinem redigant.

Uno verbo ſi qua ſit facti ſpecies, in qua, theorice loquendo, cum pœnitentis permiſſione ob commune bonum ſacramentali cognitione uti liceat: tanta prudentia in hujus cognitionis uſu opus eſt, ut difficile factu ſit, eam numeris omnibus abſolutam eſſe. Quamobrem ſi res moraliter inſpiciantur, & prout fere ſe habent, jure ſupra vituperatum eſt eorum conſilium, qui ea ratione, & in iis caſibus, qui in expoſitione deſignati ſunt, ad peculiaria & occulta mala, quæ certis quibuſdam in locis graſſantur, averruncanda Confeſſione uti licere contendunt.

Quod dicitur, eum, qui ſe gravi crimine, aut turpitudine coinquinavit, ſervandæ propriæ famæ jus amiſiſſe. Id vero non ita habet, ſi crimen occultum ſit, ita ut nemo in hac facti ſpecie velle fama cadere cenſeatur; quamobrem nullius culpa patefacienda, atque ita fama lædenda eſt.

Deciſum in Sorbona hac die 26. Decemb. anno 1695.

Germanus *Fromageau*.

Confeſſarius imprudens,

CASUS XV.

Cum Confeſſarius Epiſcopo ſuo per imprudentiam in conventu ſignificaſſet, non paucos ſe apud eum in Confeſſione accuſaſſe, quod a Pharmacopola in ejus Diœceſis Urbe degente venenum emiſſent: quæritur an Epiſcopus, ut huic malo occurrat, hujuſmodi notitia uti poſſit.

QUÆSITUM.

Pietate inſignis Confeſſarius in conventu cum Epiſcopo Diœceſis, in qua Confeſſiones audiebat, ei per imprudentiam ſignificavit multos ſibi confeſſos eſſe ſe a Pharmacopola in Diœceſis Urbe degente venenum emiſſe, atque utile fore, ut de Pharmacopolarum in univerſum agendi ratione primarius Judex ab eodem Epiſcopo commoneretur, quo impoſterum quoad ipſos acutius cerneret. Epiſcopus quidem hujus Confeſſarii conſilium non probavit; verum in conſultationem vocatum eſt, an ejuſmodi cognitione ad Pharmacopolæ ſpiritale bonum uti poſſet.

Aſſertum eſt poſſe, I. quia malum hoc ex Confeſſione non innoteſcit; II. quia agitur de impediendo gravi malo, cui hoc venenum cauſam præbuiſſe ſupponitur; III. quia ad Epiſcopalem vigilantiam pertinet omnia mala, quæ prævideri poſſunt, removere, atque antevertere.

Pro negante parte reponitur, I. Lateranenſe Concilium de Confeſſionis ſigillo loquens prohibere, ne illud directe aut indirecte violetur; aliqua porro ratione indirecte violaretur, ſi cognitione a Confeſſario per imprudentiam ſibi tradita ad ſpiritale tertii bonum Epiſcopus uteretur. II. contenditur Confeſſarium, & Epiſcopum unam quodammodo perſonam eſſe, quoniam Epiſcopi tantum nomine, & auctoritate Confeſſarius agit. III. Pharmacopolæ, qui hac in Urbe admodum pauci ſunt, facile poſſent in rei cognitionem venire, & reus quoque ſtatim ſibi poſſet perſuadere id nonniſi ex Confeſſione innoteſcere potuiſſe, quod Confeſſionem odioſam redderet.

I. Rogatur Conſilium, ut deciſionem tradere velit, quæ deinceps regulæ loco eſſe poſſit.

II. Addere quoque, ſi viſum fuerit, an Confeſſarius ex pœnitentis permiſſu poſſit Epiſcopum aut Superiorem Eccleſiaſticum de tertii crimine ob ipſius ſpiritale bonum commoneſacere?

III. Facta hypotheſi id ei licere, an fieri expediat, & conſuli poſſit? Difficultatem parit ſententiarum, quæ apud Theologos, Canoniſtas, & in Ritualibus occurrunt, varietas; placeat igitur difficultates propoſitas enodare.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut tribus præpoſitis quæſtionibus occurrat, exiſtimat,

I. Nefas omnino eſſe Epiſcopum ea cognitione uti, quam Confeſſarius, de quo quæritur, per imprudentiam eidem exhibuit, vel ad Pharmacopolæ ſpiritale bonum. Illud enim juxta Divum Thomam *in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. ad 4.* & Auctores pleroſque a Layman *l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 18.* & Diana 5. *p. tr. 11. reſ. 7.* relatos pro certo habendum eſt, eos, quibus Confeſſarius ſui pœnitentis peccata temere ſignificavit, ad ſilentium obligari, & in illorum numero eſſe, quos Confeſſionis ſigillum obſtringit. Explicat id Gamachius *de pœnit. c. 22. aſſert. 5. §. reſponſio*: *Notitia Sacramentalis extenditur ad alios homines; ergo hinc conſequens, ut talis declaratio eoſdem quoque obliget in ratione ſigilli Confeſſionis, quemadmodum adhuc obſtringeret, quamvis impius aliquis Sacerdos contra voluntatem pœnitentis perfide revelaret; etenim Sacerdos id ſemper faceret per illam notitiam, quam in Confeſſione eſſet adeptus, unde & cæteri adhuc obligarentur præcepto ſigilli poſt revelationem Sacerdotis, non aliter quam ſi pœnitentem ipſum actu confitentem audiſſent.* Jam vero cum aliorum cognitio ſit eadem, ac Confeſſarii, conſequens fit, ſi Confeſſarius extra confeſſionem ea uti nequit ad pœnitentis directionem, ex Decreto Clementis VIII. propter Regulares an. 1594. quod refert Diana *l. cit. reſ.* multo minus in Pharmacopolæ, de quo agitur, caſu id Epiſcopo licere, quoniam injuſta & ſacrilega quoad Confeſſarium ratione eam cognitionem adeptus eſt.

Ad magnum tertii bonum aut publicum malum quod attinet, Sacramentali cognitione uti non licet

ad

ad unum procurandum aut aliud impediendum. Sacramentalis quippe Confeſſionis ſigillum aut ſecretum eſt inviolabile, & qui illud in hujuſmodi circumſtantiis violaret, ſanctum Pœnitentiæ Sacramentalis uſum de medio tolleret, eam fidelibus odioſam reddens, quibus cæteroquin pergrave jugum videtur. Animadvertendum eſt, bonum, quod procurare, aut malum, quod impedire in animo eſt, in hoc negotio temporaneum eſſe, permiſſionem autem, quæ Confeſſariis hoc in caſu tribuitur, malum eſſe, quod ipſum per ſe fideles a Confeſſione ſemper avertere poteſt; malum, quod non Urbem aut Regnum, ſed univerſam Eccleſiam ſpectat; & quamvis abſolute aliquando liceret, in communi ſententia, Confeſſionis cognitione uti, ad inſtituendas exempli cauſa generales admonitiones, quæ neminem ſingillatim afficerent, & quibus publicum malum impediretur; tanta tamen circumſpectione in his caſibus opus eſt, ut fere, & in praxi Confeſſionis cognitione uti non liceat; nam regulæ praxis ex eo ducendæ non ſunt, quod theorice fieri poſſet. Videri poteſt hac in re Baſſæus *v. Confeſſio Sacramentalis 7. n. 5.*

Poſſet Epiſcopus in præſenti facti ſpecie, ſuam Diœceſim inviſens, mandare Parochis omnibus, ut ſubditorum ſuorum curam gerant, de ſingulorum vitæ ratione diligenter cognoſcant, & in id incumbant, ut, quod Deo & proximo debet, quiſque perficiat; ut proinde ſi deinde de aliquo commoneretur, ei pro ſua prudentia & charitate remedium afferre poſſet. Confeſſarius porro debet pœnitenti præcipere, ut ad Magiſtratum aut ad Superiorem deferat eum, quem publico bono pernicioſum eſſe novit, cum id tuto fieri poteſt, neque aliud remedium præſto eſt, quin Confeſſarius, vel ii, qui malum, quod adverſus tertium, aut contra bonum publicum intentatur, ex Confeſſione cognoſcunt, id ipſum deferendi curam ſuſcipiant.

II. Notitia, quam ſui pœnitentis peccatorum habet, extra Confeſſionem uti poteſt Confeſſarius, dummodo id faciendi liberam & non extortam permiſſionem habeat, & cæteroquin magna graviſque ratio ſuppetat; ea conditione, ut ſemper hujus permiſſionis uſus magna cum prudentia conjunctus ſit. Hæc communis ſententia eſt ſecundum Divum Thomam *in Suppl. 3. p. q. 11. art.* 4. & *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 3. *art.* 2. Non deſunt tamen Auctores, quos in medium affert Baſſæus *l. cit. n.* 20. qui contendant, permiſſionem hanc a pœnitente concedi omnino non poſſe, quippe qui nequeat id permittere, quod opponitur juri, & bono generali Sacramenti, quod requirit, ut quod in Sacramento dictum eſt, minime pateſiat.

Verum non eſt perinde certum licere Confeſſario, cum pœnitentis venia, Epiſcopo aut Superiori Eccleſiaſtico tertii ſcelus ſignificare ad tertii ſpiritale bonum. Quamvis enim Confeſſionis ſecretum præſertim in pœnitentis favorem ſit inſtitutum, ſpectare tamen videtur etiam ad favorem tertii, cujus peccatum pœnitens in Confeſſione detexit. Nimirum tertii peccatum pœnitens Confeſſario revelare non potuit, niſi quatenus id abſolute neceſſarium fuit ad peccatum proprium in Confeſſione explicandum; cæterum illud latere, & Confeſſionis ſigillo concludi debet, neque in pœnitentis poteſtate eſt, inquiunt Auctores hi, Confeſſario permittere, ut tertii peccatum evulget, & Epiſcopo pateſaciat. Videri hac in re poteſt Baſſæus *l. c. n.* 23. Quamobrem ſi Confeſſario aliquando licet, pœnitente id permittente, peccatum tertii ob ejuſdem tertii ſpiritale bonum Epiſcopo, aut Superiori Eccleſiaſtico revelare, quemadmodum licere plures Auctores docent, ipſe tamen Confeſſarius id facere non debet. Reputandum eſt enim, I. ita foveri poſſe præpoſteros animi motus eorum, qui invidia, aut vindictæ cupiditate permoti, ſpecie Confeſſionis, & proximi bonum prætendentes Confeſſarium adducerent, ut innocentes apud Superiorem accuſarent, eorumque famam deterrerent. II. timendum, ne hac ratione Confeſſionis Sacramentum odioſum reddatur, cum innotuerit Epiſcopum aut Superiorem Eccleſiaſticum ex Confeſſarii declaratione peccatum tertii cognoviſſe; quare Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 8. *n.* 13. negat hoc in caſu Confeſſarii miniſterium adhibendum eſſe, ſed ſatius eſſe docet, ut ad Superiorem, ejus alloquendi gratia, pœnitens, aliuſve ſe conferat; & facta hypotheſi pœnitentem ratione proprii ſtatus id facere non poſſe, ac melius fore, ut id officii Confeſſarius obeat, cenſet oportere, ut pœnitens extra Confeſſionem tertii peccatum ei pateſaciat, *ut tanto liberius peccati notitia uti poſſit, atque dicere corripiendo, ſe eam extra Sacramentum Confeſſionis accepiſſe, ne illud odioſum reddatur.*

III. Licet Confeſſarius abſolute poſſit, pœnitentis permiſſu, tertii peccatum Epiſcopo aut Superiori Eccleſiaſtico revelare propter ejuſdem tertii bonum; nihilominus in hoc negotio tanta prudentia opus eſt, ut aſſeri poſſit id fieri non expedire; præterea oportet nullam aliam hujus tertii corrigendi rationem præſto eſſe, ejuſque peccatum eſſe grave; quid? quod ſæpiſſime fit, ut quis malit peccatum ſuum pluribus, quam uni Superiori innoteſcere; quamobrem dum ejus animus vehementius exacerbatur, ſæpe minus ipſius correctio ſperari poteſt; ac proinde Confeſſarius raro ac fere nunquam debet id officii ſuſcipere abſque doctorum, prudentum, magnaque experientiæ laude præſtantium Virorum conſilio.

Deciſum hac die 18. Junii an. 1693.
G. *Fromageau.*

Quid reſpondere debeat Confeſſarius a Judice interrogatus.

CASUS XVI.

1 *Reſpondere debet ſe Confeſſarium eſſe, & nihil habere, quod dicat.*

2 *Non poteſt ſe tueri mendacio, reſpondens, ſe reo a confeſſionibus non fuiſſe.*

QUÆSITUM.

Sacerdos a quodam Judice interrogatus, an Cajus ei in confeſſione faſſus fuerit ſe homicidium patraſſe; ac timens, ne, ſi Judici reſpondeat, majori ſuſpicioni anſam præbeat, aut ſi ſilentium ſervet, Judex ſilentium hoc pro aſſenſu accipiat, quod reo morte damnando inſerviet: quærit, an ſibi liceat dicere, ſe Cajo a confeſſionibus non fuiſſe, aut Cajum de homicidio confeſſum non eſſe?

RESPONSIO.

Pariſienſis Theologicæ Facultatis Doctores ſubſcripti reſpondent in propoſita facti ſpecie Sacerdotem a Judice interrogatum, an ex Confeſſione perceperit Cajum homicidii reum eſſe, ei reſpondere debere ſe Confeſſarium eſſe, minimeque teneri ejus interrogationi ſatisfacere ſeu negando, ſeu affirmando. At nonnulli Theologi putant eum quicquam reſpondere non poſſe. Sylvius ita ſentit *de pœnit. quæſt. 11. art. 1. quæſito 2. Audivi*, perinde ac Soto *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. §. dubium autem*, cujus hæc verba ſunt: *Profecto non licebit reſpondere: non audivi in Confeſſione; nam reſponſio hæc non recipit moderationem illam, non audivi, ut dicam, quia totum exprimitur in interrogatione, ſcilicet utrum audiviſti, ut non dicas, aut ut Deus; & ideo reſponſio, non audivi ut Deus, eſt mendacium; quod quidem dicere, nulla de cauſa licet: ſi in hoc caſu mortem judex comminaretur, illa potius eſſet appetenda, quam verbum ullum proferendum, quod in revelationem Sacramenti Confeſſionis vergeret.*

Juxta Theologos hos in interrogatione huic Confeſſario a Judice facta diſtinguendum eſt, I. An ſciverit, vel audierit a Cajo homicidium patratum fuiſſe. II. An ſciat ex Confeſſione Caji ab eo commiſſum eſſe homicidium? In primo caſu Sacerdos reſpondere poteſt id ſe neſcire, atque adeo reſponſum jurejurando firmare, quia id ſolum ſcit ut Deus, & non ut homo, inquit Sylvius poſt Divum Thomam *in 4. diſt. 2. q. 3. ad 3.* Quemadmodum enim Judicis interrogatio ad crimen ſolummodo, de quo cognoſcere ad ipſum pertinet, eſt referenda; ita & reſponſio eodem ſpectare debet, ac proinde reſponſioni

ſioni hæc rite ſubjecta notio : ego nihil ſcio eo ſcientiæ genere, quo tibi reſpondere poſſim aut debeam. In ſecundo caſu certum eſt Sacerdotem ita reſpondere non poſſe allatis de cauſis.

Huic ſententiæ videtur opponi poſſe, quod ait Baſſæus, Sacerdotem a Judice interrogatum, an audierit Cajum, dum ei confeſſus eſt, ſe de homicidio accuſaſſe, ita reſpondere poſſe : *ego non audivi*, ſubintelligens ut purus putuſque homo. Ratio eſt, quia Confeſſarius reſpondere non tenetur juxta Judicis interrogantis mentem, & quia abſolute loquendo Confeſſario non licet uti notitia, quam habet ex Confeſſione, ita ut pœnitentis crimen patefaciat, tum directe, tum etiam indirecte. Quamobrem ſi generatim reſpondens, aut ſilentium ſervans Judici ſuſpicionem ingerat pœnitentem crimen aliquod commiſiſſe, poteſt Confeſſarius in hac facti ſpecie æquivocum & amphibologicum reſponſum dare. Verum ſententia prior eſt probabilior, & quod inde conſequitur, Sacerdos nihil aliud reſpondere debet, quam ſe Confeſſarium eſſe.

Deciſum in Sorbona hac die 23. Julii an. 1696.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONFIDENTIA.

Quoniam quæſtio hæc ſpectat ad ſimoniam, de qua fuſius alibi dicturi ſumus, hic tantum breviter attingemus, quod ad ejuſmodi pactum expreſſum aut tacitum pertinet, quod duo Eccleſiaſtici mutuo ineunt, & in quo alteruter Beneficium acceptat, ut alteri tribuat, id quod dicitur ſimonia confidentialis, quæ paucis definiri poteſt cuſtodia Beneficii, quod ad nos minime pertinet. Hinc Canoniſtæ unanimi ſententia ſtatuerunt, poſſidentem Beneficium alterius nomine, qui ejus titulo gaudet, fructibus caret, pravæ confidentiæ reum eſſe. Mentalis confidentiæ pariter reus eſt, qui cum Beneficium poſſidere non poſſit, efficit, ut alteri conferatur, ea conditione, ut illud reddat, cum incapax neceſſarias qualitates habuerit. Pura denique putaque confidentia eſt pinguem penſionem percipere ex Beneficio, quod ea conditione alteri procuratur, cum retineri non amplius poteſt. Atque hæ confidentiæ æque propemodum pravæ ſunt, ac ſimonia.

Bulla 85. Sancti Pii V. quæ incipit : *Intolerabilis multorum perverſitas*, & Bulla 86. Pii IV. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, hujus confidentiæ turpitudinem ſatis ſuperque declarant, quoniam ambo hi Pontifices pronunciant ejus reos omnibus Beneficiis, & Officiis Eccleſiaſticis, quæcumque obtinuerint, privandos, & quibuslibet poſſidendis ineptos fore, ni diſpenſationem conſecuti ſint, & pœnitentiam peccato reſpondentem peregerint. Horum ſummorum Pontificum primus confidentiam definit, ut ſit ea, quæ committitur, cum quis Eccleſiaſticum Beneficium obtinuit per reſignationem, ceſſionem, aut collationem ea conditione tacita aut expreſſa, ut illud collatori aut alteri reddat, vel fructuum partem eidem tribuat ; quemadmodum etiam cum Ordinarius aut alius Collator Beneficium confert, quacumque demum ratione vacaverit, ea conditione tacita vel expreſſa, ut is, cui collatum eſt, eo ſe abdicet in ejus favorem, quem Collator ei nominaverit.

Concilium Provinciale Rothomagenſe Confidentiarios vocat Aſinos onus portantes, mandatque, ut ſingulis diebus Dominicis inter Miſſarum ſolemnia excommunicati denuncientur ii omnes, qui harum confidentiarium Eccleſiæ perniciosarum participes fuerint, palamque edicatur non eos ſolum teneri perceptos fructus reſtituere, verum etiam eorum hæredes eadem obligatione obſtringi juxta Sancti Pii V. Bullam confirmatam alia Sixti V. diei 3. Auguſti an. 1587. quam hic Pontifex ſingillatim edidit in gratiam Regni Galliarum, cujus Cleri Congregatio generalis eodem anno Regem oravit, ut eam Bullam recipi & indici vellet, quo adverſus Confidentiarios ageretur. Porro Rex mandavit, ut negotium diſtinctius expenderetur, permiſit tamen, ut contra eos ageretur. Id præſtitit Congregatio, cohortans Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores Eccleſiaſticos, ne imposterum in Eccleſiis, Congregationibus, aut Societatibus Cleri eos probarent, reciperentve, qui confidentiæ & ſimoniæ infamia, aut nota laborarent, utque ipſos ſuorum Officialium, Promotorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiaſticorum inquiſitioni, cognitioni, & judicio ſubjicerent juxta eamdem Bullam, Legeſque Canonicas, & nihil omitterent, quod ad rem evulgandam ſpectaret ; id quod Provinciis ſignificatum fuit.

Eadem Gallicani Cleri Congregatio habita Meluni die 22. Decembris an. 1579. & an. inſequenti 1580. ad exitum perducta confidentias & ſimonias execratur, quique earum rei fuerint, excommunicatos declarat juxta Conſtitutiones Pii IV. & Pii V. Ac ne contagio hæc latius ſerpat, præcipit, ut deinceps quicumque Dignitates ſeu Beneficia obtinuerint, dum ad ſua munia aſſumuntur, jurare teneantur, ea ſe per ullam confidentiam vel ſimoniam conſecutos non eſſe, nec aliter aſſumi poſſint, ut pariter de eorum vita & moribus cognoſcatur ; & qui rei detecti fuerint, in Provinciali proxima Synodo, & in omnibus Cleri Congregationibus pro criminis ratione puniendi denuncientur ; id quod in alia generali Cleri Congregatione die 19. Junii an. 1586. confirmatum fuit. Animadvertitur Confidentiam æque ac Simoniam tempore purgari non poſſe, & Devolutarium in eadem confidentia, licet Confidentiario fidem non præſtet, ſuo Reſignatario præferri.

Vide { SIMONIA.
{ BENEFICIUM.

Beneficium cum confidentia collatum.

CASUS I.

Tacitæ Confidentiæ reus eſt, qui Beneficium recipit, non ignorans Collatoris eam mentem eſſe, ut idem Beneficium alteri reſignetur, retenta penſione.

QUÆSITUM.

Abbas N. pure & ſimpliciter Ludovico Prioratum ſimplicem confert, cujus haud mediocris reditus eſt ; neque ullum utrinque pactum intervenit. Verum quoniam Ludovicus de tam pingui reditu non eſt ſollicitus, & alias ſcit Abbatis eam mentem fore, ut Prioratus Antonio tribueretur, in Ludovici gratiam penſione retenta : is quidem illud cum penſione Antonio reſignat.

Quæ-

Quæritur, an Ludovicus Beneficium illud acceptare potuerit animo non retinendi, ſed Antonio reſignandi, ut Abbatis intentioni, quam perſpectam habebat, obſequeretur. Ea de cauſa conſtituit ita ſe gerere, quod penſio ob reſignationem eſt tutior, & in Romana Curia ſolutu levior, quam ſi Beneficio a Patrono collato connexa ſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, id quod propoſitum eſt, prout quidem eſt propoſitum, maximam confidentiæ ſpeciem præſeferre; Ludovicus enim Abbatis præſentatoris voluntatem diligentius executus eſt, Beneficium acceptans, & Antonio reſignans, quam ut credatur Abbas, ante quam Ludovico Beneficium conferret, ei nec directe nec indirecte ſuam intentionem ſignificaſſe. Et ſane in expoſitione ſupponitur id Ludovico innotuiſſe; itaque non caſu quodam ac divinando eidem adhæſit. Quæ cum ita ſint, eſt, cur inter Ludovicum & Abbatem pactum tacitum præſumatur Beneficium ad Antonium derivandi, ea conditione, ut a Ludovico penſio retineretur. Unum eſt hoc ex iis confidentiæ generibus, quæ Sanctus Pius V. damnavit in Bulla *Intolerabilis*. Ex quo ſequitur legitimum Beneficii poſſeſſorem Antonium non eſſe, & penſione, quam in reſignatione retinuit, Ludovicum frui non poſſe, quia illud acceptare non potuit tacita conditione idem Antonio cum penſione reſignandi.

Ut Ludovicus nullam confidentiam commiſerit, licet oppoſitum ſatis exploratum ſit, peccavit quidem certe alia ex parte, dum Beneficium, de quo eſt ſermo, retinuit, non eo quidem animo, ut illud retineret, ſed ut quamprimum alteri traderet; quod omnino nefas eſt. Eccleſiæ quippe Beneficium alicui tribuentis, eumque in aliqua ſede locantis non ea quidem eſt mens, ut haud ita multo poſt fiat alteri reſignatio; is enim ſpiritalium rerum uſus cum ea, quæ decet, veneratione non ſatis conjunctus eſt. Paulus ſane IV. ab hujuſmodi probando conſilio magnopere alienus erat, dum in Bulla 12. *inter cæteras* eos damnavit, qui Beneficia reciperent, ut alis reſignarent, ſeu penſionem retinentes, ſeu pure & ſimpliciter reſignantes vel idoneis digniſque: *Pro ſe ipſis principaliter animo & intentione & poſtmodum in favorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum & bene meritorum, cum penſione & commodo, aut ſine eo reſignandi abſtinere procuraverint.*

Deciſum hac die 20. Januarii an. 1693.
G. *Fromageau.*

Confidentia, in qua a Romana Curia impetrata eſt diſpenſatio.

CASUS II.

Eccleſiaſticus, qui a Romana Curia diſpenſationem obtinuit, ut Beneficium ſimplex, quod per confidentiam inierat, retineret, aliud poſſidere non poteſt, niſi id expreſſis verbis in diſpenſatione declaretur.

QUÆSITUM.

PEtrus ætatis anno 17. cum Beneficium ſimplex obtinuiſſet per realem confidentiam, confugit ad Pontificem, eique ſignificavit ſe id per ignorantiam feciſſe, atque abſolutionem, & diſpenſationem petiit, quo Beneficium ſuum retinere, & ad Sacros Ordines accedere ſibi liceret; poſtulatis annuit Pontifex, quin tamen innueret, an ei permitteret, ut poſſet in poſterum Parochialia Beneficia poſſidere. In præſentia ſe ſe offert Parochia, quærit Petrus, eamne poſſit acceptare abſque nova diſpenſatione; qui ei a conſiliis eſt, exiſtimat id licere. Ratio eſt, quia, cum ipſi conceſſerit Pontifex, ut Beneficium, quod per confidentiam inierat, retineret, quæ earum gratiarum, quæ in ejuſmodi negotiis concedi conſueverint, eſt longe maxima, ſtat præſumptio non eam quidem Pontificis mentem fuiſſe, ut ab omnibus Beneficiis, quæcumque obtinere poſſet, eumdem arceret. En verba diſpenſationis. *Ut tuum Beneficium retineas, & ad Sacros Ordines etiam ad Presbyteratus Ordinem aſcendere valeas, concedimus facultatem.*

II. Quo tempore diſpenſationem poſtulavit Petrus, erat dubio procul in bona fide; ſed ei poſtea in mentem venit, ſe, dum ad hoc ſimplex Beneficium obtinendum incumberet, in animo habuiſſe cognoſcere, an juxta regulas ageret; quod tamen non præſtitit, ratus id neceſſarium non eſſe; illud unum certo ſcit, clarum & indubitatum ſibi viſum eſſe ſibi licere agere non petito conſilio ea de re, quæ tunc ei in animo verſabatur.

III. Præter confidentiam realem extitit alia mentalis, quæ videlicet effectum ſuum ſortita non eſt; eam ſuo Expeditionario propoſuit Petrus, qui credidit fore, ut ſi hæc alia confidentia exprimeretur, quamvis mentalis tantum eſſet, in Romana Curia diſpenſationem longe difficiliorem efficeret. Itaque Petro perſuaſit, ne eam innueret, addens, ſi id neceſſarium fuerit, Romam iterum ſcriptum iri. Petrus eum, quicquid expedire crederet, facere paſſus eſt, aſſeruit tamen malle ſe Beneficio cadere, quam non propriam conſcientiam in tuto ponere. Expeditionarius de mentali confidentia omnino ſiluit, quæritur, an hoc ſilentium impediat necne diſpenſationis validitatem. Confidentia realis occulta eſt, & reis tantum perſpecta; mentalis reis, & alteri quoque perſpecta eſt; quæritur, idne rem publicam reddat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet,

I. Exploratum eſſe confidentiæ reum ineptum eſſe Beneficiis aliis recipiendis, vel obtinendis; ita ut ſi Petrus ad cujuſcumque generis Beneficia, perinde atque ad illud, cujus gratia confidentiam commiſit, habilitatem iterum non obtinuerit, Parochiam ſibi oblatam acceptare aut poſſidere omnino non poſſit.

Nec juvat dicere in eo quod factu difficilius eſt, ut nempe Beneficium, quæ fuerat confidentiæ cauſa, retineret, cum Petro Pontificem diſpenſaſſe, atque ita cenſeri id, quod minus eſt, ut ſcilicet in poſterum alia Beneficia reciperet, concedere voluiſſe.

Reſpondetur enim diſpenſationem ſtricti juris eſſe, & ad litteram eſſe accipiendam, quia legi repugnat. Cæterum favor, qui ab alio ſejungi poteſt, in eo contineri non cenſetur, ex quo inferri poteſt Pontificem, qui unum conceſſit, nequaquam præſumi alium concedere voluiſſe. Præterea de odioſa materia agitur, cujuſmodi eſt confidentia; proinde ſtricto jure explicanda eſt diſpenſatio, non autem extendenda præter verba diſpenſationis, quam Petrus obtinuit, ut Beneficium, quod recepit, retineret.

II. Conſtare Petrum egiſſe bona fide. Dubius quidem is fuit, ſed omnem deinde dubitationem depoſuit; ex quo ſequitur eum in excommunicationem confidentiæ annexam non incidiſſe. Ita ſentit Azorius *tom.* 3. *l.* 12. *c.* 10. *Reſpondeo*, inquit Auctor hic, *eum non in excommunicationem incidere*; *quia abſque culpa nemo excommunicationi ſubjacet*; *cæteræ vero pœnæ, quas prædictæ conſtitutiones imponunt, contrahuntur.*

III. Confidentiam mentalem peccatum eſſe; verum cum illa effectu careat, nulla pœna dignam eſſe. Ita ſentit Navarrus in *Manuali cap.* 23. *n.* 110. *v.* 6. *quoad hac*, &c. & Azorii loco laudato; ac proinde minime creditur, ob eam cauſam, quod illa expreſſa non fuerit, cum ad Romanam Curiam miſſum eſt, diſpenſationem, quam Petrus obtinuit, Beneficii, de quo quæritur, nullam eſſe, neque eam confidentiam cenſendam eſſe publicam, quod reis & alteri nota ſit.

Deciſum hac die 7. Martii an. 1701.
G. *Fromageau.*

Concordatum initum inter Reſignatarium, & Reſignantem.

CASUS III.

Concordatum ſequens non eſt aperte ſimoniacum; non omni tamen vacat defectu, maliquae ſpecie.

QUÆSITUM.

„ NOs ſubſcripti, quo facilius extinguatur, fi-
„ niaturque lis pendens, & indeciſa inter
„ nos in ſenatu quoad appellationem a me J. Jac.
„ L. Presbytero Priore Parocho Beatæ Virginis
„ C.... interpoſitam ſententiæ pronunciatæ in Præ-
„ fectura D..... die 14. Maii an. 1701. per quam
„ ego.... Pr... R... declaratus ſum capax & ido-
„ neus regreſſui mihi requiſito, & propterea mihi
„ permiſſum eſt ad dictum Prioratum curam ha-
„ bentem Ch..... redire, perinde ac ſi nulla meo
„ nomine extiterit reſignatio, atque ego L....
„ damnatus fui ad ſolvendam proviſionis titulo
„ quartam partem penſionis reſervatæ dicto Domi-
„ no R..... in dicto Beneficio ad 150. libras an-
„ nuas, præter ſummam 50. librarum contentam
„ in mea ſchedula diei 27. Novembris an. 1698.
„ aliamque librarum 10. in eadem pariter ſchedula
„ exiſtentem, qua ſchedula aſſertum eſt ſequeſtra-
„ tiones & detentiones in meorum debitorum ma-
„ nibus factas validas fore, & præterea ego ad
„ impenſarum duas tertias partes damnatus ſum,
„ alia parte tertia compenſata remanente: conve-
„ nimus, ut ſequitur: videlicet ut quoad dictam
„ appellationem omnibus proſecutionibus ſuperſe-
„ deamus, iis exceptis, quæ neceſſariæ fuerint ad
„ impediendam peremptionem inſtantiæ per annos
„ ſex inchoandos ab hac die, quod temporis ſpa-
„ tium ego R.... conceſſi dicto Domino L.......
„ ad homologandam per Reſcriptum dictæ Aulæ
„ Senatus, ut par eſt, dictam penſionem, quam
„ mihi reſervavi, quæque meo commodo creata eſt
„ in Romana Curia, in dicto Prioratu Ch.... dum
„ interim ego L.... promitto me proſecuturum ob-
„ tentionem dicti Reſcripti homologationis bona fi-
„ de, & quam optimis potero rationibus, & reci-
„ pio me ſoluturum dicto Domino R...... dictam
„ penſionem ad 150. libras annuas, ſcilicet cenſus
„ elapſos..... ad ſummam.... quatuor æqualibus
„ ſolutionibus, quas annorum quatuor ſpatio per-
„ ficiam, ita ut prima ſolutio fiat die..... anni
„ 1704. aliaſque deinceps in ſingulos annos; & ob
„ elapſos.... & qui elabentur in poſterum, cedo
„ dicto Domino R.... cum promiſſione propugnan-
„ di, conficiendi, & ſuſtentandi reditus decima-
„ rum B.... aſſignatarum Domino.... cujus ille
„ titulum ſervare tenebitur; & præterea ſummam
„ 20. librarum annuatim ſumendam ex.... id omne
„ dictorum ſex annorum ſpatio, ſine præjudicio di-
„ ctæ appellationis, & omnino ſervatis omnibus
„ juribus noſtris, quæ nos ambo viciſſim propugna-
„ bimus, quantum poterimus, & debebimus, poſt
„ dictos ſex annos elapſos, ſi interea temporis di-
„ cta penſio non fuerit homologata Reſcripto dictæ
„ Aulæ Senatus. Factum &c.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum in ea eſt ſententia, ut, ſi in allato Concordato decima B.... quam Reſignatarius ſuo Reſignanti cedit, & in ſe recipit, conſtituit partem bonorum Prioratus Parochialis Beatæ Virginis Ch...: & ſi eadem decima aliunde cum 20. libris, quas ille ſupplementi loco tradit, penſionem in Romanâ Curia creatam non excedit: hoc in caſu in dicto Concordato nulla adſit ſimonia.

Occurrit quidem aliquid Eccleſiæ menti reguliſque repugnans; & ad confidentiam accedens in eo, quod Reſignans utpote octuagenarius, habituali ægritudine laborans, ut in peculiari libello ſupplici declaratum eſt, & quod inde conſequitur, Parochialibus muneribus obeundis ineptus velit poſt ſex annos ſibi reſervare jus ad Parochiam ſuam redeundi; ita ut Reſignatarius ſe fere habeat, ut qui ei Parochiam ſervet, facta hypotheſi regreſſui locum fore. Quamvis autem ea veri nominis confidentia re ipſa eſſe non credatur, quia regreſſus locum non habebit, ſpectata Reſignantis ætate, & penſione, quæ ei conſtituitur; ſatis tamen eſt, ut hoc Concordatum executioni non mandetur, de prava in hoc negotio partium diſpoſitione dubitari poſſe, aut potius externam, quæ hoc Concordatum comitatur, ſpeciem malam eſſe; neque enim malum tantummodo, ſed etiam mali ſpeciem vitari neceſſe eſt. Quod porro dicitur de annis ſex, qui aſſignantur Reſignatario, ut penſionem in Senatu homologam reddat, quodque huic Concordato aliquam recti ſpeciem tribuere videtur, inutilis clauſula eſt; in libello enim ſupplici hic addito declaratur dictam penſionem in Senatu homologari nec potuiſſe, nec poſſe; fortaſſe quod aliqua eſſentiali conditione careat juxta regulas Senatus, qui homologationem impedit, exempli cauſa ſi Reſignans, juxta Regis Declarationem, annorum quindecim ſpatio non deſervierit; hoc ergo nihil eſt aliud, quam partium prætextus, quod veroſimillimum ſit, ut conſilium ſuum tegant.

Deciſum hac die.....
G. *Fromageau*.

Devolutarius, qui ſuum nomen exhibet, ut Beneficium alteri obtineat.

CASUS IV.

Qui nomen exhibent, ut Beneficium alteri obtineant, confidentiarii cenſentur.

QUÆSITUM.

SEmpronius ob demiſſionem Lentuli Titularis Canonicatu inſignitus eſt; Lentuli conſanguinei in animo habentes hoc Beneficium ad Sejum ejus fratrem nondum tonſuratum derivare, Titium ſibi ſanguine conjunctum rogarunt, ut eum Canonicatum devoluti titulo peteret, cui rei ille aſſenſus eſt, ut iis gratificaretur, & ad illum Sejo remittendum Sempronium adigeret. Dum Sempronius cum Sejo cedit, id in quæſtionem vocatur, an Titius ei jus quoque cedere debeat, quod devoluti ſui vi habere poteſt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat Titium tuta conſcientia non poſſe jus illud Sejo cedere, quod devoluti ſui vi poſſidet, cum illud non obtinuerit niſi ut Seji conſanguineis obſequeretur, turbato Sempronio, coactoque Beneficium illud Sejo remittere. Conſtat ex expoſitione Titium ægre adductum fuiſſe, ut ob ejuſmodi negotium nomen ſuum exhiberet. Quod argumento eſt eum plane cognoviſſe, quod ſibi proponebatur, eo tendere, ut Beneficium alteri caveret, non ut ipſe retineret. In quo pactum aderat, ac proinde veri nominis confidentia, quam improbant, damnantque Bullæ Pii IV. Pii V. & Sixti V.

Adeo Titius perſuaſum habuit, conſenſum, quem præſtiterat, regulis adverſari, ut poſſeſſionem devoluti ſui vi inire noluerit. Liquido conſtat Seji conſanguineorum conſilium ad Eccleſiam decipiendam ſpectaſſe, ut nempe per Titium Sempronius ad Beneficium Sejo cedendum adigeretur, aut liti foret obnoxius, quam intentaret falſa pars, & fictus adverſarius, qui, ut Sejo morem gereret, calliditatem, ac fraudem impenderet. Quoniam porro hæ technæ cum Eccleſiæ mente in Miniſtrorum vocatione ex diametro pugnant, contra Sanctos Canones graviſſime Titius peccaret, ſi Sejo jus ſuum cederet; & quæ ratio impediit, ne poſſeſſionem iniret, eadem, ne jus ſuum cedat, impedire debet. Re ſane ipſa ejus jus veri nominis jus non eſt, cum vere aſſeri poſſit eum coram Deo proviſum

non

non eſſe, futurumque, ut Eccleſiæ, aut Judicibus talis non videatur, ſi de re tota plene ac plane cognoſcerent; quandoquidem confidentiarii cenſentur in Bulla Pii IV. quæ in Bullario 87. eſt, *qui ad alterius commodum ſibi provideri obtinuerunt*, cujuſmodi profecto ſunt, qui ſuum nomen dant, ut devolutum obtineant in alicujus favorem, quem ſibi devincire in animo habent.

Deciſum Pariſiis die 11. Januarii an. 1678. Aug. *de Lamet*.

Confidentiæ ſpecies, in qua qui reſignat eodem tempore revocat.

CASUS V.

1. *Qui Beneficii reſignationem obtinet ſciens Reſignantem eodem tempore eam revocare, ut Beneficium ſibi reſervet, ſi Reſignatarius ei præmoriatur, reus eſt confidentiæ, quæ Romanæ Curiæ Proviſiones nullas reddit.*
2. *Qui ita deliquit, ob infantiam & ignorantiam pœnis delicto reſpondentibus eximitur, & Beneficium retinere poteſt.*

QUÆSITUM.

ORator Gallus Clericus ſeu Presbyter exponit humiliter S. V. quod alias Procuratorium ſeu procuratio ad reſignandum Beneficium in ſui favorem facta fuit, ſed paulo poſt & ante admiſſam reſignationem revocationi hujuſmodi Procuratoris conſenſit, ea intentione ex parte reſignantis, quod medio dictæ revocationis Beneficium ſibi conſervaret, ſi Reſignatarius præmoreretur, quæ tamen intentio non erat nota Oratori, & ignoravit, an ejuſmodi revocatio licita eſſet, vel non, & effectum reſignationis impediret. In poſſeſſionem Beneficii in vim proviſionis expeditæ Procuratorio prædicto miſſus fuit, fructuſque percepit; & poſtmodum melius conſultus, pro conſcientiæ ſecuritate dicta reſignatio a Reſignante de conſenſu prædicti retracta & lacerata fuit. Verum quia Orator dubitat propterea aliquas cenſuras incurriſſe, ſupplicat S. V. pro abſolutione, cum rehabilitate ad Ordines & Beneficia, & retentione dicti Beneficii, ac condonatione fructuum perceptorum, attento, quod illos conſumpſit in ſui ſuſtentationem, nec habet, quo illos reſtauret in foro conſcientiæ.

Reſponſio Romanæ Curiæ Nihil, ſed dimittat.

Orator, de quo agitur, dubitans, an in aliquam cenſuram incidiſſet, conſuluit Viros doctos, qui ob rationes, quæ infra afferentur, de ejus jure certi ei auctores fuerunt, ut Romam ſcriberet obtinendi gratia Breve a Pœnitentiaria, quo a cenſuris, quaſcumque incurriſſet, abſolveretur, & iterum habilis declararetur. In eum finem dedit operam, ut propoſita ſupplicatio fieret, quæ omnino rei conformis non eſt, nec circumſtantias oratori favorabiles exprimit. Rejecta eſt ſupplicatio, id quod cur conſuleret, in cauſa fuit. Unus eorum ad quos confugit, Doctor magni nominis, & Profeſſor Sorbonicus reſpondit revocationem, cum non extiterit, incompletam fuiſſe, nec impediiſſe, quominus reſignatio ſuum effectum conſequeretur; alter vero, qui celebris Familiæ Pariſienſis Religioſus erat, reſpondit reſignationis effectum revocatione impeditum non fuiſſe, quia confidentia locum non habuit, ſpectata ignorantia juris, & *ſtudioſa non fuit confidentia*.

Hæ duæ reſponſiones, quibus acceſſit Expeditionarii ſententia, præter ea, quæ ponderanda veniunt, & quæ in Expoſitione non afferuntur, diu tranquillum conſulentis animum ſervaverunt; ſed cum negotium haud ita pridem ei redierit in mentem, ita ipſum habet ſollicitum, ut putet ſe non poſſe, quin iterum conſulat.

Rationes duæ, quæ ei tranquillando inſervierunt, perperam in Expoſitione prætermiſſæ ſunt, aut ſaltem ea, de qua ſermo eſt, ſatis declarata non eſt. Videlicet Reſignatarius, ante quam poſſeſſionem iniret, intelligens non licere reſignare & revocare uno eodemque tempore, a Reſignante novam reſignationem obtinuit, quæ Romam miſſa non fuit, quia cum revocatio inſinuata non fuerit, non fuit, cur tolleretur; quod male eſt expoſitum in ſupplicatione, in qua dicitur reſignatio reſciſſa non fuiſſe, niſi poſtquam Orator poſſeſſionem iniit, fructuſque percepit.

Non liquet, quandonam ea retractata fuerit, ſed multis menſibus ante initam poſſeſſionem altera reſignatio facta fuit, & ad Expeditionarium miſſa, qui quidem ea uti noluit; illud fit veroſimile per hanc novam reſignationem Reſignantem a revocatione receſſiſſe, aut ſaltem ſignificaſſe ſe ea uti nolle. Prætermiſſum ſilentio eſt mentem Reſignantis Beneficium ſuum conſervare volentis, ſi Reſignatarius præmoreretur, huic utpote adhuc Scholari innoteſcere potuiſſe.

Alterum, quod in Expoſitione declaratum non eſt, in eo eſt poſitum, quod cum propter quaſdam clauſulas in Proviſionibus ad priorem eam reſignationem impetratis difficultates occurrerent, reciſio multo poſt petita fuit; factumque eſt, ut, quo tempore Reſignantis mors contigit, Proviſiones novæ ſumerentur, & uſui eſſent, clauſulis ibidem contentis executioni mandatis; ſumereturque alterum quoque *Viſa*, & altera poſſeſſio, idque omne *jus juri addendo*.

Quædam ſane, quæ tunc neceſſaria viſa non ſunt, declarata non fuerunt, creditumque eſt ſufficere Beneficium peti, quacumque demum ratione vacaret, *quovis modo vacet*, nec aliud ad ejus conſervationem requiri.

Hæ novæ proviſiones Patroni jus forſitan impedierunt, quia nominationem, quam is inſtituit, antevertiſſe videntur; ſed cæteroquin priores adhuc vigebant, & defectus in iis occurrentes reparari licebat.

Extant præterea adverſus validitatem Proviſionum Patroni conjecturæ non leves; nam præter defectum dati, cauſa & ratio, qua ille ſuam nominationem firmare ſtuduit, canonica fuiſſe non videtur; eſt veroſimile eam operæ compenſationem fuiſſe; ad titulum autem ſumendum Religioſi nomen uſurpatum eſt, quo deinde Commenda peteretur.

His omnibus de cauſis Conſulens tranquillo animo fuit, duorum quoque virorum, quos conſuluit, ſententiæ acquievit; ſibi quoque forſitan in eo plauſit, quod ob hujus Beneficii conſervationem gravia perpeſſus eſt; illud enim poſtquam in Commendam poſſedit, regulæ ſubdidit; & propterea pacificus ejus poſſeſſor exiſtens *Profeſſionem emiſit*; illudque in præſentia hoc in ſtatu retinet *in vim Profeſſionis*; quo tamen non excuſaretur, ſi ejus primus titulus validus non eſſet. Hunc ergo titulum expendendum ſupplex proponit; facta enim hypotheſi eum erraſſe, ac Beneficium dimittere debere, cum omnia reliquerit, *Profeſſionem emittendo*, poſſet ille necne penſionem petere, ut haberet, unde viveret, ſibique infirma valetudine laboranti ſubſidia compararet?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, priorem Proviſionem, quam Conſultans obtinuit, nullam eſſe, atque inſinuationis, & revocationis defectum ei non ſatis firmitatis afferre, quia plurium Auctorum judicio defectus hic actum jam factum non deſtruit. Ita ſentit Paſtor *l. 2. de Beneficiis c. 15. n. 10.* Cabaſſutius ejuſdem pariter ſententiæ eſt *Praxi Juris Canon. lib. 4. cap. 10. n. 9.* docentque Judices edicti ita ſtatuentis rationem non habere, niſi fictionis aut fraudis adſit præſumptio; adeoque ſtandum generali regulæ, cenſendumque negotium hoc in ſeipſo confidentiarium. Cum tamen Orator egerit bona fide, eaque ætate, in qua eum ignorantia a peccato excuſabat, quod ex ea, qua ſe geſſit, ratione compertum ſit, quoniam intelligens reſignari & revocari eodem tempore non licere, Reſignantem commonefecit, & nihil egit præterea,

terea, quam conſilium ſibi traditum ſecutus eſt: propterea Conſilio ſubſcripto perſuaſum eſt, eum, pro quo conſulitur, in nullam cenſuram & in nullum impedimentum incidiſſe, quo hujus Beneficii incapax redderetur, quia cum Scholaris eſſet, ſubiit exceptionem in lege allatam, *Regula eſt ff. 22. de juris & facti ignorantia*, cujus vi fœminæ & homines, qui 25. annos nondum attigerint, non ſunt obnoxii pœnæ, quæ Juris ignorantiam conſequitur, & *§. Sed juris* ejuſdem legis in hæc verba: *Sed juris ignorantiam non prodeſſe ea lex ita accipiendum exiſtimat, ſi Juriſconſulti copiam haberet, vel ſua prudentia inſtructus ſit, ut, cui facile ſit ſcire, ei detrimento ſit juris ignorantia*. Itaque cum Conſulens Eccleſiæ regulas cognoſcere non potuerit, utpote adhuc Scholaris, & quod eſt veroſimile, annos 25. nondum natus, excipitur a generali regula allata *de regulis juris in 6. Decretal, reg. 13. ignorantia facti, non juris excuſat*; eoque magis, quod ſtatim atque intellexit rem difficultatibus obnoxiam eſſe, Viros hujuſmodi rebus doctos in conſilium adhibuit, eorumque ſententiæ acquievit.

Is porro, cui a Patrono proviſum eſt, non debet animo angi, ſed Beneficium ſuum retinere, quippe quod a Pontifice, qui ejus conferendi jure pollet, obtinuit; niſi de ejus, qui nominatus eſt, bono titulo certus ſit, aut conſcientia repugnante, ſeu fictione aliqua Beneficium hoc obtinuerit; in his quippe caſibus omnibus eo ſe abdicare teneretur.

Deciſum Pariſiis die 14. Aprilis an. 1677.
Auguſt. *de Lamet*.

Beneficium, cujus alter titulum poſſidet, alter fructus percipit.

CASUS V.

Non poteſt Parochus tuta conſcientia Capellam petere, promittens ſe daturum fructus Matronæ, ut inde Presbytero ſacrum facienti eleemoſynæ ſuppeditentur.

QUÆSITUM.

Matrona B...... jus habet ad Capellam nominandi, quæ in uno ex ſuis prædiis in Picardia ſita eſt.

Matrona S..... ejus mater eam ab ipſa petit in favorem Parochi C..... fratris ſui naturalis.

Parochus hic ex Beneficiis poſſidet 5000. libras annuas, adeoque hujus augmenti non indiget.

Certiorem quoque fecit Matronam B.... ſe non ad proprium commodum Capellam petere, nec velle ejus fructus ſibi arrogare, ſed in animo habere Matronæ S.... eoſdem relinquere, tribuendos Presbytero Miſſam celebranti T.... 10. aut 12. leucis procul a loco, ubi Capella ſita eſt.

Aſſeritur Matronam S..... gaudere proventibus ad libras circiter 8000. ac proinde parem eſſe ſuſtentando Presbytero, quin, conventione veram negotiationem præſeferente, utatur in eum finem Capellæ reditu, qui juxta regulas ibi, ubi percipitur, eſt inſumendus: *Alienum eſt a nobis id omne, quod Sæculi eſt*, inquit Sanctus Hieronymus *Epiſt. ad Aglaſiam*.

Nihil igitur Parochus aliud quærit, quam Matronæ S...... gratificari; *Qui vult amicus eſſe hujus mundi, inimicus Dei conſtituitur. Volens placere hominibus, Deo non places*, præſertim in Beneficii negotio.

Cum Eccleſiæ bona patrimonium pauperum ſint, *res pauperum* non pauperibus dare ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. Hier.

Cardinalis Toletus expreſſis verbis ait bona Eccleſiaſtica ob Eccleſiæ tantum utilitatem danda atque accipienda eſſe. Quod ſi perſonæ ſpectatur utilitas, non ea eſſe debet, quæ ejus avaritiam foveat, ſed *quæ activa ſit, populoque Chriſtiano fructuoſa*.

Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus; nam habentibus dare nihil eſt aliud, quam perdere.

Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas, dico, communis, non propria; nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Bern. *ep 1. ad Rob. nep. & 7. ad Adam Monachum.*

Conſuetudo impedire non debet, quominus veritas prævaleat, & vincat; nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt, Cyp. *Ep.* 74. ad Pompejum poſt medium.

Rogantur humillime Doctores, ut ſuper propoſita controverſia velint ſcripto declarare, quid ſentiant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod id, quod modo eſt expoſitum, vidit, & expendit, exiſtimat Parochum..... ad Capellam, de qua ſermo eſt, nominari non poſſe duabus de cauſis.

Prima ducitur ex ipſo Parocho, qui Beneficiario reditu affluens, & ſatis habens, unde vivat, novum ſibi reditum comparare nequit, aut titulum petere, quem abſque culpa poſſidere non poſſet. Tridentina Synodus Beneficiorum pluralitatem (*a*) ita prohibet, ut, cum Eccleſiaſticus habet, quo vivat, contentus eſſe debeat. Porro Parochus, de quo agitur, poſſidet ex Beneficiis 5000. libras, ut pro certo ponitur; Non poteſt ergo abſque peccato ſe ad Capellam nominandum curare, nec licet eum nominare, aut curare, ut nominetur.

Opponi poterit, nequaquam contra Eccleſiæ regulas Beneficiorum pluralitatem vetantes hunc Parochum agere cenſeri, dum ad eam Capellam nominari poſtulat, quia ejus ſolummodo titulum retinebit, non vero fructus, quos Capellani in Pago T..... ſuſtentationi relinquit; quod non repugnat Tridentinæ Synodo, quæ Beneficiorum pluralitatem ea tantum de cauſa prohibet, quod, ea permiſſa, multis Eccleſiæ Miniſtris adimitur vivendi ratio, ut unius cupiditas & ambitio foveatur.

Reſpondetur hunc Parochum, dum Capellæ titulum ſervat, ſemper fructus exigendi jure gaudere, ſemperque poſſe cauſas prætendere, ut eoſdem fructus ſibi arroget aliquando, utcumque eos ſe Capellano T....... relicturum polliceatur. Utut res habeat, in eadem Tridentina Synodo pluralitas interdicitur cum ob alia, tum quia per eam fit, ut plurium locum unus occupet, quod in Eccleſia grave incommodum eſt, inquit Synodus (*b*).

Adverſatur præterea regulis, eum, qui Beneficii titulum tenet, ipſius reditu carere, ita ut Patronus privata auctoritate Beneficium ita partiri, ac ſolvere nequeat, eique ejuſmodi conſilium dari non poſſit. Expreſſus eſt in hanc ſententiam titulus in Jure Canonico, ſcilicet abſque diminutione ac partitione conferenda eſſe Beneficia. Videri in hanc rem poſſunt Auctores, ut Barboſa in hunc Juris titulum, & Rebuffus in ſua Praxi *n. 6. de requiſit. ad Collat.*

Altera ratio petitur ex ratione, qua Parochus Matronam B...... & Matronam S...... allocutus eſt, nempe ſi ſibi Capella conferretur, ſe Capellani T....... commodo fructus relicturum; id quod inter Parochum & Matronas conventionem conſtituit. Porro ejuſmodi conventio in Beneficiorum negotio prava eſt, & improbatur in jure *c. fin. de pact.* eſtque ſimoniaca *cap. tua nos*, quia accipitur res ſpiritalis, cujuſmodi eſt Beneficii titulus, & tribuitur res temporalis, quæ prætio æſtimari poteſt, fructus videlicet Beneficii; id quoque tanquam ſimonia reprobatur in *cap. 1. §. fin. ut Benef. ſine dim. conſ. & cap. Si quis præbend.* 1. *q.* 3. Rebuffus (*c*) hanc ſententiam propugnat loco citato *n.* 7. Hæc denique confidentia eſt, quæ in Pii V. Bulla damnatur. Ex his omnibus conſequens fit, Matronæ

B....

(*a*) Concil. Trident. ſtatuit, ut in poſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, aliud ſimplex ſufficiens eidem conferatur.

(*b*) Concil. Trid. cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat.

(*c*) Rebuff. Ita nec poteſt Epiſcopus conferre cuidam Beneficium, & retinere ſibi fructus. Quod ſi hoc faciat ex pacto, vel conventione, ſimoniam committit.

B..... non licere Parochum, de quo eſt quæſtio, nominare ad Capellam, quam poſtulat cum promiſſione tribuendi ejus fructus Capellano I....... nec licere Matronæ S....... eam illi comparare, quia utraque in culpæ & ſimoniæ, quæ occurreret in hac facti ſpecie, partem veniret.

Deciſum in Sorbona hac die 11. Maii an. 1695. Germanus *Fromageau*.

CASUS VI.

Deciſio ſuper Confidentia, quæ inter plures perſonas locum habuit.

QUÆSITUM.

Gallus orat Epiſcopum ſibi amicitiæ devinctum, ut uni e ſuis fratribus Beneficium conferat. Erat in hujus Epiſcopi poteſtate Beneficium, quod ſuapte natura regulare erat, ſed in Commendam ſemper extiterat. Non poterat illud in Galli fratrem conferre, niſi prius Regulari tradidiſſet. Epiſcopus allocutus eſt Religioſi fratrem, qui promiſit, ſi Beneficium illud ſuo fratri conferretur, ſe effecturum, ut Galli fratri reſignaretur, quod factum eſt. Collatum eſt Beneficium Religioſo, qui illud Galli fratri reſignavit, ac reſignatio in ejus manibus poſita fuit. Eam ille miſit ad patrem longe diſſitum, eique ſignificavit, qua ſe ratione res habuiſſet, & quomodo negotium omne peractum fuiſſet. Pater de re monuit filium ſuum Galli fratrem, ac neutri de ulla confidentia ſuboluit; ita ut pater eam reſignationem ad Romanam Curiam miſerit, ut probaretur, & filii ſui nomine Commenda declararetur. Rebus ita ſe habentibus, in Romana curia exiſtit reſignatio, & proviſiones expectantur; interea quoniam Gallo ejuſque fratri certo ſignificatum eſt in hujus Beneficii conſecutione confidentiam extitiſſe, quæritur, an re ipſa in hoc toto negotio confidentia locum habuerit, & an Gallus ejus particeps fuerit, quippe qui nihil ignoraverit, & de rei ſucceſſu ſollicitum ſe præbuerit. Ei quidem ab initio nulla confidentiæ ſuſpicio ſuborta eſt, ſed cum deinde quis ejus timorem ipſi incuſſiſſet, ab incepto non deſtitit, ſe in tuto poſitum putans, propterea quod ab Epiſcopo res egeretur. Si extitit confidentia, quæritur, an Galli frater ejus particeps futurus ſit, ſi vi ſignaturæ Romanæ Curiæ Beneficii poſſeſſionem ineat; & an Gallus, ejuſque pater ejus quoque participes futuri ſint, ad ejuſmodi poſſeſſionem ſuam operam conferentes? Facta hypotheſi in his omnibus caſibus confidentiam extitiſſe, quæritur, an Orator rem, ut ſe habet, Pontifici exponens poſſet necne confidentiæ hujus abſolutionem, & ineundæ Beneficii poſſeſſionis facultatem obtinere, & in hac abſolutione comprehendi necne eſſent Gallus, ejuſque pater, ille quidem quod negotium procuraverit, hic vero quod ante initam poſſeſſionem de re tota cognoverit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat hujus negotii rationem omnem eſſe confidentiariam, & Galli fratrem magnopere cavere debere, ne inceptum proſequatur, & reſignationem ſibi a Religioſo factam acceptet, quia ſi negotium conficeret, ejuſque Beneficii poſſeſſionem iniret, conſummata confidentia eſſet, adeoque ille pœnis omnibus, quæ in Bullis infliguntur, obnoxius eſſet, præterquamquod quicumque huic ſe negotio immiſcuerunt, idem incommodum ſubeunt. Gallum peccaſſe, cum ſollicitationem proſequi non deſtitit, monitus rem culpa non vacare, quia id certo cognoſcere tenebatur; idemque de aliis omnibus ſentiendum, ſi de Eccleſiaſtica prohibitione certi fuerint, aut cum dubii eſſent, ſe inſtruendos non curarunt. Non eadem eſt Epiſcopi ratio, qui a peccato liberari non poteſt, etſi per ignorantiam egerit, quia illa in eo eſſet inexcuſabilis.

Neceſſe non eſſe ad Romanam Curiam confugere, cum confidentia conſummata non fuerit per acceptationem ſignaturæ ſeu Proviſionis.

Galli fratrem non poſſe quacumque demum ratione uti reſignatione ſibi facta, quia nulla eſt; Religioſum quoque nullo jure gaudere ad Beneficium, quod ei ea conditione collatum eſt, ut illud alteri reſignaret; ac ſi quis hoc Beneficium obtinere velit, poſſe illud petere tanquam vacans ea vacatione, quæ Collationem Religioſo factam præceſſit, & in qua Pontifici videatur Commendam concedere, niſi quis ſtatuat illud petere *cupiens profiteri*.

Deciſum Pariſiis die 22. Aprilis an. 1677. Auguſt. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONFIRMATIO.

Confirmatio Sacramentum eſt a Chriſto Domino inſtitutum ad confirmandos, & roborandos per Sancti Spiritus donum Baptizatos in gratia, quam ex Baptiſmate perceperunt. Hac de cauſa Sacramentum hoc dicitur Confirmatio, illudque Patres perfectionem & complementum Baptiſmatis appellarunt. Hoc nempe veluti nativitas eſt, quæ vitam tribuit, illud vero eſt hujus vitæ perfectio & augmentum, quippe quod firmam voluntatem internumque robur communicat ad dæmonis, carnis & mundi tentationibus obſiſtendum, ad Chriſtianarum virtutum actus animoſe exerendos, ad Evangelium non erubeſcendum, & ad ejus omnia dogmata oblatis occaſionibus propugnanda, atque adeo ſanguine ipſo ſignanda, ſi opus fuerit. Quamobrem in Baptiſmo primitiæ tantum Sancti Spiritus percipiuntur, quibus ad ſanctam vitam aditus pateat; at in Confirmatione recipitur plenitudo Spiritus Sancti, qui nobis internum illud robur impertitur, ne Jeſu Chriſti nomen profiteri ſeu dictis ſeu factis erubeſcamus.

Sacramentum hoc Salvator inſtituit, cum Apoſtolis eſt pollicitus, fore, ut induerentur virtute ex alto, & Spiritu Sancto baptizarentur. Pro certo pariter habendum eſt, eum ipſis juſſiſſe, ut cum Spiritum Sanctum ipſi accepiſſent, eumdem iis, qui baptizati eſſent, impertirentur. Eſt igitur hoc novæ Legis Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum; id Traditio docet, & Tridentina Synodus definivit. Conſtat ex Actis Apoſtolorum cap. 8. oportuiſſe, ut eorum aliqui proficiſcerentur in Samariam, daturi Spiritum Sanctum iis, qui a Philippo baptizati fuerant; ex quo Innocentius I. poſt Divum Auguſtinum concludit, ejuſmodi miniſterium Epiſcopis reſervari; quod deinde varia Concilia tradiderunt, Tridentina Synodus ſatis habuit eos hujus Sacramenti Ordinarios Miniſtros dicere.

In Confirmatione diſtinguenda eſt materia & forma, ac materia quidem duplex, una remota, proxima alia. Materia remota eſt ſanctum Chriſma, ex oleo & balſamo confectum, & Epiſcopi ſolemni Conſecratione benedictum. Materia proxima eſt unctio, quam præſtat Epiſcopus in Crucis modum ſuper confirmandi fronte, ac manuum impoſitio. Demum forma poſita eſt in verbis, quæ pronunciat Epiſcopus, dum Chriſmatis unctionem applicat, & ſunt hæc: *ſigno te ſigno Crucis, confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Certum eſt manuum impoſitionem hujus Sacramenti eſſentialem materiam eſſe; utrum autem unctio quoque eſſentialis materia ſit, & per ſolam

lam manuum impoſitionem collata necne aliquando fuerit Confirmatio; Theologi certant, quorum aliqui elapſo ſæculo in eam ſententiam iverunt, ut crederent, acriterque contenderent, unctionem, & verba eam comitantia eſſe huic Sacramento accidentaria tantum, non vero eſſentialia, ejuſque materiam & formam eſſentiales eſſe ſolummodo, eorum quidem ſententia, impoſitionem manuum Epiſcopi, atque orationem huic manuum impoſitioni conjunctam; quod ex Sacris litteris & Traditione probare contendunt, eorumque probationes non parum ſoliditatis præſeferunt.

Sancti Chriſmatis Benedictio ab Epiſcopo facta ad Sacramenti validitatem eſt neceſſaria. Quod oſtenditur auctoritate Innocentii III. relata in Canone *Presbyteris*, *de Conſecr. diſt.* 4. ubi dicitur, licere Presbyteris ungere ſancto Chriſmate, dummodo ab Epiſcopo conſecratum fuerit, pueros, quos baptizant, quamvis nequeant eos in fronte eodem oleo ſignare, quia id ſolis Epiſcopis permiſſum eſt, dum in Confirmationis Sacramento Spiritum Sanctum conferunt. Et quo concludendum nunquam Chriſmate uti licere, niſi cum ab Epiſcopo conſecratum eſt, ſive in Baptiſmi cæremoniis, ſive in Confirmationis Sacramento. Hujus rei rationem affert Divus Thomas Summæ Theologicæ Parte tertia.

Videntur nonnulli Presbyteri Sacramentum aliquando contuliſſe, ſpeciali Pontificis delegatione; quod evincitur auctoritate Gregorii Magni, ad Epiſcopum, cui Januario nomen, in hæc verba ſcribentis: pervenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizandi ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus, ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos chriſmate tangere debeant, concedimus: Quod tum ſolum intelligendum eſt, inquit Divus Thomas, cum Pontifex de plenitudine poteſtatis, qua in Eccleſiam pollet, aliquem ad id delegat.

Tridentina Synodus *ſeſſ.* 7. *can.* 3. Confirmationem in trium Sacramentorum numero poſuit, quæ iterari non poſſunt, quia characterem imprimunt; quæ quidem definitio Patribus & Conciliis præcedentibus conformis eſt. Maldonatus tamen Societatis Jeſu ſcriptor, & Pater Morinus Oratorii Presbyter id tum ſolum intelligendum eſſe contendunt, cum Sacramentum hoc in Catholica Eccleſia ſuſceptum eſt, perſuaſum habentes Hæreticis, qui illud ſuſcepiſſent, idem iterum adminiſtrari conſueviſſe; quod inter Theologos controverſiam excitat ſolutu difficilem.

Olim Confirmatio immediate poſt Baptiſmum etiam infantibus conferebatur, hodie vero differtur, quoad infantes rationis uſum attigerint. Confirmandus, neceſſe eſt, ſit baptizatus, gratia præditus, & Fidei Myſteriis ſatis inſtructus. Adſunt in Confirmatione duæ peculiares cæremoniæ, una, quod Patrino & Matrina opus eſt, altera, quod Epiſcopus levem alapam dat ei, quem confirmat.

CASUS I.

1 *Religioſus Sacerdotio initiatus, dubitans, an Confirmatus fuerit.*
2 *Scrupulus Religioſi ordinem ſuſcipientis.*

QUÆSITUM.

Quæritur, I. An Religioſus, qui Sacerdotii ordinem ſuſcepit, putans ſe confirmatum fuiſſe, ſed cum deinde inquiſiverit, id certo ſcire non potuit, ita ut dubius ſit, ſequenti deciſioni Sancti Gregorii Magni *Epiſt.* 32. *l.* 12. *circa medium* ſe conformare debeat? Quicquam necne poſtea mutationis attulit conſuetudo?

De Dedidicationum Eccleſiarum dubitatione, ſuper qua nos conſulere voluiſtis (reſpondet Epiſcopo) *hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus: id eſt ut quoties tam de Baptiſmo aliquorum vel Confirmatione, quam de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis nec teſtibus ratio certa habetur, utrum baptizati vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſint; ut baptizentur tales ac confirmentur*, atque *Eccleſiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis judiciis oſtenditur rite peractum.*

II. Idem Religioſus ex eo quoque angitur animo, quod cum Presbyter ordinari cœpiſſet, aliquo ſe timore occupari paſſus eſt ſe in bono ſtatu non eſſe propter erratum, quod ſe perpetraſſe putabat. Quia religioſus homo eſt, examen inſtituere voluit, ante quam ulterius progrederetur, putans id ſibi per tempus licere, priuſquam ad eſſentialia ventum eſſet; interea Epiſcopus ordinationi inſiſtebat. Religioſus ex improviſo ſentiens cæremoniam progredi, in alium ſcrupulum incidit, nempe timere cœpit ſe non ſatis ad id attendiſſe, quod factum fuerat, & aliquid eſſentiale prætériiſſe; attamen certus non eſt ſe hac dubitatione captum fuiſſe, quo tempore manuum impoſitio, aut oratio, quæ eam conſequitur, peragerentur. Id eum tamen aliquantiſper ſollicitum habuit, & quid conſilii caperet, ignorans, tandem, re confecta, magnopere perturbatus receſſit. Qua in re ex eo deinde quæſitum eſt, an, cum Epiſcopus ei manus imponeret, id necne facere voluerit, quod facit Eccleſia? Reſpondit ille ſe non animadvertiſſe, an ſibi manus Epiſcopus impoſuiſſet; ſe tamen credere, ſe, ſiquidem eas Epiſcopus ſibi impoſuit, id, quod per eam cæremoniam faciendum eſt, facere voluiſſe, ſed ignorare, an tempore orationis, quæ eam ſequitur, & Sacramenti forma eſt, ad ſuam dubitationem redierit, aut ſi non rediit eo quidem tempore, redierit deinde, cum aliquid aliud eſſentiale perageretur; eſt enim formidoloſus. Quamobrem rogat humillime, ut aliquibus ex Sorbonica Societate placeat ſuam in hoc negotio ſententiam dicere.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet,

Quoad primam facti ſpeciem, Religioſum, de quo agitur, Presbyteratus Ordine inſignitum non teneri in dubio, in quo verſatur, an Confirmationis Sacramentum ſuſceperit, illud ſuſcipere; Quamvis enim Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *de Reform.* ita ſtatuerit: *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*; plures tamen Auctores, quos Barboſa num. 2. ſuper hoc caſu in medium producit, perſuaſum non habent a Synodo præceptum imponi, quo ſtricte ſub mortalis peccati pœna, quicumque ſacros Ordines ſuſceperint, obligentur: *Prohibetur prima Tonſura initiari*, inquit Suarez tom. 3. diſp. 38. ſect. 1. *qui Sacramentum Confirmationis non ſuſcepit, ſed ibi non imponitur cenſura, neque verbum, quod rigoroſum præceptum indicet, & ideo hujuſmodi omiſſio non erit peccatum ſaltem mortale.* Sententiam hanc Diana tuetur, oppoſitamque refellit *p.* 2. *tr.* 16. *Miſcel.* 2. *reſ.* 4. & 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 24. Layman. *l.* 5. *c.* 5. *de Sacram. Confirm.*

Hoc poſito, cum nullum præceptum adſit, quo Confirmationem ſuſcipere ſtricte vel ii teneantur, qui ad Ordines accedunt, conſequens proinde fit, eum, de quo in Expoſitione quæſtio eſt, tranquillo animo eſſe debere. Eſto enim venialis culpæ reus eſſet, qui Ordines ſuſciperet non confirmatus, poſtquam tamen eoſdem ſuſcepit, ſub peccati pœna defectum reparare non teneretur, quoniam Sacramentum hoc neque ad ſalutem, neque ad Ordinis validitatem eſt neceſſarium; & præterea ejus effectus

aliis

aliis rationibus recipi poſſunt, ut monet Suarez *loc. cit.* Itaque potiore jure Religioſus, qui dubitat, an confirmatus fuerit, nulla ejuſmodi obligatione adſtringitur.

Si S. Gregorii Magni verba, ad Confirmationem quod attinet, prout ſonant, accipiantur, nimis probant, quoniam ille videtur pro certo ponere Confirmationis defectum Fidelibus æternæ damnationis cauſam eſſe, atque ita illud Sacramentum ipſis ad ſalutem neceſſarium eſſe; quod tamen non ita ſe habet juxta Theologorum ſententiam poſt Divum Thomam in 3. part. *q.* 72. *art.* 8. ad 4. & Tridentinæ Synodi Catechiſmum *p.* 2. *de Confirm. num.* 14. Quamobrem Eſtius *in* 4. *diſt.* 7. *§.* 19. ait Sanctum Gregorium loco citato de Sacramenti Confirmationis obligatione non abſolute loqui, ſed relate ad perſecutionis tempus, quo illud magis eſt neceſſarium: *Ad Gregorium reſpondetur, Confirmationis defectum ruinam fidelibus fieri, dum mota perſecutione fidei carent fortitudine ad reſiſtendum neceſſaria.* Vel illud dici poteſt Sanctum Gregorium loqui pro ſui temporis conſuetudine, cum Baptiſmus & Confirmatio uno eodemque rempore, non autem diſtinctim conferebantur, ita ut cum de Confirmatione liquido non conſtaret, de ſuſcepto quoque Baptiſmate dubitari poſſet.

Quoad alteram facti ſpeciem, pro certo habendum eſt cum Theologis poſt Divum Thomam 3. *p. q.* 68. *art.* 7. voluntatem & intentionem, ad adultos quod attinet, neceſſariam eſſe ad Sacramenta valide ſuſcipienda, excepto Euchariſtiæ Sacramento, quod independenter a voluntate ſuſcipientis exiſtit, quamvis in adultis quidem abſque eorum intentione effectum ſuum non producat. Videri poteſt Antonius *a Spiritu Sancto de Sacram. tract.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 1. qui id fuſius explicat.

Quod cum ita ſit, Religioſus, de quo agitur, antequam in Presbyterum ordinaretur, ſuſcipiendi Presbyteratus intentionem habuit, nec neceſſe fuit, ut cum ab Epiſcopo ordinaretur, ad id, quod ille faciebat, & ad preces, quas fundebat, attentionem præſtaret; non eſt hoc loco quæſtio de attentione, ſed de intentione; jam vero ſatis eſt intentionem virtualem adeſſe, ſcilicet actualem, quam antea habuit Ordines ſuſcipiendi, revocatam non fuiſſe; id quod efficit, ut moraliter ſubſiſtere cenſeatur. Cum dictus Religioſus conſcientiæ examen inſtituere voluit, ſibi per tempus licere putans, priorem quidem intentionem abſolute non revocavit (neque enim Ordinationis ſuſcipiendæ conſilium depoſuit), ſed ut ad ejus effectum recipiendum ſe compararet, conſilii ſui executionem ſuſpendere voluit, ita ut quod ipſe facere voluit, ad Ordinationis effectum, cujus ſe capacem reddere ſtuduit, magis pertinet, quam ad ipſius Ordinationis ſubſtantiam. Id autem ex eo evincitur, quod dictus Religioſus putat, cum Epiſcopus ſibi manus impoſuit, ſe, ut ait, facere voluiſſe, quod ad hanc cæremoniam faciendum eſt; præterea quoniam idem Religioſus ſolliciti animi eſt, veroſimile ſit, id quod propoſuit, purum putumque ſcrupulum eſſe, non autem veri nominis dubium; multum enim intereſt inter eum, qui timet ſe quicpiam non fuiſſe, aut feciſſe non meminit, & eum, qui vere dubitat. Dubitatio ad probabilitatem adſtruendam ſufficit, non timor, aut oblivio; qui ſcrupulis agitantur, fere, quod fecerunt, obliviſcuntur, & ob eam cauſam, quod timeant ſe in aliquo, quod ad Ordinationis eſſentiam ſpectaret, defeciſſe, non eſt repetenda Ordinatio ſub conditione, inquit Vericellius *qq. moral. tract.* 5. *q.* 5. *n.* 251. *Advertant aliud eſſe opinionem aut dubium, aliud vero ſcrupulum: quare non ſtatim ac quis timet ſacra vaſa, in ſua ordinatione ad Sacerdotium non tetigiſſe, debet iterum ſub conditione recipere ordinem; multa enim obliviſcimur, quæ revera præſtitimus.* Diana quoque hujus ſententiæ eſt 5. *p. tr.* 13. *reſ.* 47. *in fin.*

Deciſum hac die 4. Julii an. 1693.

G. *Fromageau.*

CASUS II.

Presbyter ordinatus non ſuſcepta Confirmatione non eſt irregularis.

QUÆSITUM.

AN Presybter non confirmatus irregularis ſit, & Confirmationem ſuſcipere teneatur?

Presbyter annos natus circiter quinquaginta ſe accuſat in Confeſſione, quod octodecim ab hinc menſibus Ordines ſuſceperit, poſtquam biennii ſpatio in Seminario conſtitiſſet, quin Confirmationis Sacramentum receperit.

Quæritur, an in hoc negotio ulla exiſtat irregularitas, & an ille dictum Sacramentum ſuſcipere teneatur, ratione ſcandali, quod attulerit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, docentibus Avila, aliiſque Theologis pluribus, nullam irregularitatem exiſtere in propoſita facti ſpecie. Et ſane nihil occurrit in jure, quod hanc Eccleſiaſticam pœnam innuat: *Dubitatur tertio, utrum ſit irregularis,* verba ſunt Avilæ 7. *p. diſp.* 9. *ſect.* 1. *de cenſ. qui recipit Ordinem, antequam recipiat Sacramentum Confirmationis. Prima Concluſio, non eſt irregularis, nec ſuſpenſus, quia non invenitur in jure talis irregularitas, nec ſuſpenſio. Secunda concluſio, qui ſine Sacramento Confirmationis recipit, vel exercet Ordinem, peccat tamen venialiter.* Illud autem poteſt ſententiam hanc confirmare, quod Tridentina Synodus *Seſſ.* 23. *cap.* 4. ſtatuit, ne Epiſcopi non confirmatis tonſuram conferant. Quod autem hic Presbyter nullam irregularitatem incurrerit, Barboſæ quoque ſententia eſt *de jure Eccleſ. c.* 38. *n.* 37. ejuſdem Auctoris in Tridentinum Conſilium, *Seſſ.* 23. *c.* 4. *de Reform.* & Auctorum complurium, quos ipſe in medium adducit.

Ex Avilæ, aliorumque plurium, pro certo habentium hominem non confirmatum functiones ſuas obeuntem peccare ſaltem venialiter, conſequitur oportere, ut ille hoc Sacramentum ſuſcipiat.

Deciſum hac die 24. Aprilis an. 1702.

G. *Fromageau.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONSTITUTIONES.

C*Onſtitutionis* vocabulum generale eſt; Imperatorum Leges deſignabantur hoc nomine, quod Pontificum quoque Decretis & deciſionibus tribuebatur, quia nunquam novas Leges edebant, non coactis Epiſcopis, præcipuiſque Eccleſiaſticis, qui quidem Romæ aut prope Romam exiſterent, teſte Facundo lib. 12. cap. 3. Hoc loco ſumitur Conſtitutionis nomen, ut Statutum & Reformationem ſignificet ad diſciplinam Monaſticam cuſtodiendam. Sane non accepimus ſanctitate præſtantes Viros, qui nobis ad Familiarum Religioſarum regimen Regulas tradiderunt, ab initio ſibi illud propoſuiſſe, ut Regulam, quam deinde ſe ſervari vellent, inſtituerent. Id illi non ſtatim habuere conſilii, ſed ſe totos dedidere providentiæ Dei, qui cum eos ſociaſſet aliis in eadem voluntate ſe omnino ei devovendi, illud tantum ipſorum animis inſpirabat, ut huic voluntati conformem vitam ducerent, quin ab initio alias Conſtitutiones haberent quam Evangelii regulas, & afflatum Spiritus Sancti, agentes pro modo gratiæ, & Divini Numinis inſtinctu, nonnulliſque generalibus obſervantiis contenti, ſine quibus nulla Communitas conſtare poteſt. Quamobrem in Sanctis Virorum & Monialium familiis non ex eo ſumpta ſunt exordia, ut præſcriberetur, quod ſervandum erat, ſed ut ſervaretur, quod deinde præſcriptum eſt. Dei ſpiritus egit in hominis ſpiritu, & ſcripſit in cordibus, ante-

quam homo in pagina ſcriberet; neque aliud Conſtitutionum fundamentum extitit, quam inveterata atque accurata obſervantia.

Verum quoniam facile fit, ut initiorum fervor langueſcat, & humanus animus remittatur: opus proinde fuit, ut Religioſis & Monialibus certæ quædam Regulæ & Conſtitutiones præſcriberentur, quibus in pietate continerentur, & ad paupertatis, humilitatis, afflictationis, & cæterarum religioſarum virtutum praxim permoverentur. Id ergo Monaſteriorum Conſtitutionibus occaſionem præbuit, ut nempe ſtatuerentur officia adeo felicis vitæ rationis, ad quam Deo placuit vocare quaſdam animas electas ſingulari miſericordia, quemadmodum etiam ut impediretur, ne remiſſio, ad quam adeo propendet humanus animus, pedetentim id vitiaret, quod in hujuſmodi Familiis tam religioſe ſervabatur, & imprimis ne conſiderationibus, quas identidem prudentia carnis excitat, inficeretur paupertatis & charitatis ratio, quam potiſſimum ſanctis omnibus Fundatoribus Deus inſpiraverat. Conſtitutiones has probarunt Epiſcopi; & ſequentis quidem caſus argumentum in eo eſt poſitum, ut appareat, hinc ipſi Epiſcopi has Conſtitutiones mutare poſſint.

Mutatio Conſtitutionum in Religioſa Communitate.

CASUS.

1 *Cum Communitas inſtituta eſt Patentibus Litteris, & Epiſcopo permittente, & proprias Conſtitutiones habet, quibus adminiſtretur, Epiſcopus eas mutare non poteſt, niſi perſonæ ſingulæ, quibus Communitas conſtat, conſentiant.*

2 *Regula poteſtatis Superiorum, & obedientiæ inferiorum.*

QUÆSITUM.

MOnialium ſæcularium Communitas annorum viginti ſpatio ſervavit Conſtitutiones Monialium Chriſtiani fœderis; eas quoque ſervavit per annos tredecim, poſtquam ſe firmatam intellexit Patentibus Litteris in acta relatis Reſcripto Aulico, quo ſtatuitur, ut hæ Conſtitutiones eidem Communitati Regulæ loco ſint. Id totum factum eſt Superioribus Eccleſiaſticis conſentientibus, qui jam Conſtitutiones ipſas probaverant. Tredecim poſt annis Epiſcopus alias huic Familiæ Regulas tradere voluit, quin ulla eſſet hujuſmodi mutationis aut neceſſitas aut utilitas. Hæ novæ Reformationes in multis, iiſdemque graviſſimis capitibus cum dictis Conſtitutionibus & cum Inſtituti ratione pugnant; neque executioni mandari poſſent, quin Communitati non mediocre incommodum afferretur; ejuſque ſtatus Patentibus Litteris confirmatus magnopere perturbaretur.

Hæ novæ Reformationes Monialibus ſignificatæ non fuerunt, ſed cum Epiſcopus Viſitationis tempore eas legi juſſiſſet, ad eaſdem ſtatim ſubſcribendas Antiſtitam & Monialium aliquas adegit, quamvis illæ reluctarentur, lacrymarentur, quererenturque, ac demum rogarent, ut ſibi per tempus liceret eaſdem Reformationes ad trutinam revocare, experiri, ac videre; an utiliores, quam veteres Conſtitutiones, quæ abrogabantur, futuræ eſſent.

Poſt annos novem quam hæ Reformationes traditæ ſunt, eas Communitas non ſervavit; idque vidente & ſciente Epiſcopo, qui ſatis habuit eas monendas curare illas contra ſuam ipſarum conſcientiam facere, ac debere obtemperare, & ab Unionis Chriſtianæ Conſtitutionibus recedere.

E converſo putant Moniales hæ in Epiſcopi poteſtate non fuiſſe priores earum Conſtitutiones de medio tollere; & cum certam Regulam habet Communitas, non amplius ſuperiori liberum eſſe aliam, quæ ei deroget, inſtituere, præſertim in gravibus capitibus, quæ Regulam explicant, ejuſque executionem facilem reddunt.

Ita ſtatuit Sanctus Bernardus in tractatu *de præcepto & diſpenſat.* cap. 4. De Superioris enim poteſtate verba faciens principii loco ponit, cum Communitatis Regulæ immutabiles eſſe debeant, eum quidem, ut ſerventur, efficere poſſe non ut mutentur; cumque in eum tantum finem ſit inſtitutus, ut Regulæ violationi ſtrenue reluctetur, ſi vel addere quicquam vel demere aggrediatur, inferiorem non teneri eidem parere: *Lego profecto in regula*, inquit ipſe, *hæc conſideratio penes Abbatem ſit, hoc ſit in providentia Abbatis; ut autem pro ſua voluntate aliquid muiet, legiſſe me non recolo.*

Itaque in præſenti negotio Communitas haud ſe teneri putat novas Conſtitutiones exequi, quod Superior nulla neceſſitatis aut utilitatis ratione ad eas ſanciendas adductus fuerit, quod antea ſignificandæ fuerant, congruo temporis ſpatio ad earumdem examen, atque experimentum conceſſo; quod denique in quo primitivis Familiæ Conſtitutionibus, atque Inſtituti rationi derogant & adverſantur, per eas nullam obligationem inferri poſſe, præſertim cum earum ſubſcriptio nonniſi vi facta fuerit, & ob juſtum timorem, ne ſcilicet apertam repugnantiam gravia incommoda conſequerentur, Epiſcopi animo erga hanc Communitatem parum affecto.

Hoc poſito quæritur, I. an Epiſcopus poſſit alias Regulas ab inſtituto alienas his Monialibus præſcribere?

II. An Communitas, quæ timoris tantum cauſa novas has Reformationes ſubſcripſit, eaſdem ſervare teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Epiſcopo non eſſe jus abſolutum, quo pro libito uti poſſit, & more ſæcularium Poteſtatum, quarum ea eſt ratio, ut ſuis inferioribus dominentur, ſtruant, & deſtruant, oſtendendi gratia ſuam independentiam & jus, quod habent quidlibet faciendi, quin aliam rationem præter propriam voluntatem reddere teneantur. Cum Communitas Epiſcopo conſentiente inſtituta eſt, ejuſque erectionem & Conſtitutiones Patentibus Litteris Princeps probavit, Epiſcopi poteſtas & juriſdictio continentur cura regiminis, non prout ipſi libuerit, ſed pro Inſtituti ratione; ut proinde temere, nec ſervato juris ordine, & pro libidine eam de medio tollere, ejuſque Regulam mutare non poſſit; quod tamen contingeret, ſi Reformationes iis, quæ ab initio conſtitutæ ſunt, oppoſitas ederet.

Eccleſiæ mens, quæ charitatis & ſapientiæ ratio eſt, nunquam ad deſtructionem tendit, ſed ad ædificationem; inſtitutum bonum nedum deſtruat Eccleſia, ſervat potius ac perficit; ſi novis Reformationibus opus eſt, nonniſi urgente gravi neceſſitate deliberat, & eas eligit, quæ Communitatis rationi, & perſonarum, quibus componitur, characteri accommodatæ propriæque ſint; utiturque facilitate atque indulgentia, ut eas gratas reddat, atque ita earumdem praxim faciliorem efficiat; leges enim, quibus nos ultro ſubdimus, firmiores ſunt, majuſque robur accipiunt ex eorum conſenſu, qui ſe ipſis ſubjiciunt: *Leges confirmantur, cum moribus utentium approbantur*, ut dicitur in Jure *cap. cum in iſtis diſt.* 4.

Hoc poſito, reſpondetur.

Ad quæſtionem primam, non ſemper intelligi, quænam Superioris mens ſit, dum novas Conſtitutiones edit. Licet veteribus contrariæ quandoque videantur, fieri tamen poteſt, ut ejuſmodi re ipſa non ſint, adeoque in Superioris favorem fere præſumendum eſt, cenſendumque eum rite ac recte facere. Parendum eſt ei vel in dubio; at ſi liquido conſtet Reformationes, quas edit, prioribus Conſtitutionibus Communitatis, de qua agitur, adverſari, tunc ſane ille ſuæ poteſtatis terminos prætergreditur. Quamvis enim ejus auctoritas ſit divini juris, & aliqua ratione abſoluta ſit, cum tamen ipſe Communitatem juxta Unionis Chriſtianæ Regulas inſtituerit, ſuam ille quidem poteſtatem ita coarctare voluit, ut eam ſecundum has Regulas admi-

niſtra-

niſtraret. Non itaque aliam Regulam ei tradere nequit Epiſcopus, quod careat poteſtate, ſed quod ab initio ſuam poteſtatem ita ligaverit, ac circumſcripſerit, ut aliam Regulam omnino non inſtitueret.

Conventio eſt, & contractus veluti quidam inter ipſum & Moniales in eo poſitus, ut pro vocationis ratione eaſdem adminiſtraret. Si ergo tradantur iis Regulæ, quæ huic vocationi adverſentur, ſtatutis editis, quæ earum Sæcularitatis ſtatum deſtruant; excedit Epiſcopus eam poteſtatem, cui ſe alligavit obligatione reciproca, quam cum hac Communitate ſuſcepit; ita ut ad eam in gravibus quidem capitibus invertendam requiratur nova acceptatio ex parte omnium Monialium, quæ eamdem componunt. Cum enim de novis obligationibus primitivæ regulæ oppoſitis agitur, non ſatis eſt eas Communitatis pleriſque probari, ſed ſingularum perſonarum conſenſione opus eſt, ut ait Abbas Panorm. *in cap. Cum omnes de conſtit. n. 5. In re communi non valet, quidquid facit major pars, ſed oportet, quod omnes conſentiant, quibus ſit præjudicium*. Quod conforme eſt regulæ 29. Juris: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*.

Auctores, qui de regularibus rebus agunt, ex hoc principio concludunt, cum in Ordine inducuntur nova Statuta contraria ſtatutis aliis legitimis, quæ ſervabantur, quo tempore Religioſus Profeſſionem emiſit, eum quidem vi Votorum etiam ſolemnium ad illa non obligari; adeoque poſſe ad alium Ordinem migrare, ſeque ſui primi Superioris obedientiæ ſubducere.

Ad ſecundam: ſi factis humilibus querimoniis apud Epiſcopum, gravibuſque viris apud ipſum adhibitis, novas ille Reformationes ſervari velit, Moniales, pro quibus conſulitur, poſſunt eas repudiare, non ſolum quia nonniſi per timorem ac vim ſubſcriptæ ſunt, ut in Expoſitione declaratur, verum etiam quia aperte Inſtituto oppoſitæ ſupponuntur.

Cum Epiſcopus has novas Regulas edidit, expendere debuit, ut Superior quiſque facere debet, an illæ uſui eſſe poſſent; quamvis enim eas ſervandi obligatio non penderet ab inferiorum obligatione, ut Theologi plures contendunt, ſi Superior intelligat eas novas leges poſt annos novem, quam ipſas edidit, non ſervari, licet ea de re ſæpenumero queſtus fuerit, id ſatis evincit eas edendi nullam neceſſitatem aut utilitatem fuiſſe; ex quo ſequitur eum non debere illarum executionem urgere, & Moniales ab iis ſervandis abſtinere poſſe ob rationes in Expoſitione recenſitas.

Uno verbo Moniales hæ, dum novis, propriæque Regulæ contrariis Reformationibus reluctantur, omnino non peccant. S. Bernardus *cap. 5. de præcepto & diſpenſatione* principii loco ponit Superiorem nihil imperare debere, quod ſuſceptæ vitæ rationi conſentaneum non ſit; & inferiorem obedire non teneri, niſi prout promiſit: *Modus obeditionis eſt tenor Profeſſionis. Quamobrem quiſque profeſſus in quovis genere ſalutiferæ vitæ, nec ultra obedientiæ leges cogendus, nec citra eſt inhibendus, quam ſua ipſius videtur complecti profeſſio*. Ex quo infert idem Pater Prælatum novas obligationes ſubdito imponere non debere, niſi ille quidem eas acceptare atque exequi velit; quemadmodum cum eo in Regula diſpenſare non debet, niſi certa & vera neceſſitas adſit: *Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi, nec vota mea augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine vera neceſſitate*.

Deciſum hac die 19. Septemb. an. 1700.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONSTITUTIONES EPISCOPALES.

Poteſtas, qua Epiſcopi gaudent ad rectam propriæ Diœceſis adminiſtrationem Conſtitutiones edendi, eorum Juriſdictionem conſequitur. Et ſane Epiſcopus quoad populum, cujus ipſe caput eſt, earum rerum omnium, quæ ad Religionem ſpectant, ordinarius & naturalis eſt Judex. Ejus eſt, Sacrarum Litterarum interpretatione, fideliterque propoſita SS. Patrum Traditione, Theologicas quæſtiones decidere. Ejus eſt Eccleſiaſticam Politiam moderari, in eumque finem ſtatuta, Mandata, aliaque Conſtitutiones edere, quibus opus eſſe judicaverit, dummodo cum generali Eccleſiæ diſciplina, Sanctorumque Patrum Legibus congruant. Quia porro nihil hoc jure firmius in Epiſcopis eſt, quemadmodum ex innumeris Senatus Reſcriptis, quibus eorum Conſtitutiones firmatæ ſunt, juſſique Fideles eas exequi, iiſdemque ſe ſubdere, facile oſtendi poſſet, inutile fuerit in hoc negotio longiori ſermone uti, præſertim cum titulo de *Epiſcopo* fuſius de ipſorum Juriſdictione dixerimus.

Vide (EPISCOPUS.

Epiſcoporum Jus edendi Conſtitutiones.

CASUS.

1 *Epiſcopus edita Conſtitutione prohibere poteſt, ne Divini Officii tempore Cathedralis Eccleſiæ Chorum mulieres ſubeant.*

2 *Capitulum nec locum, nec tempus Sermonum, qui a Theologo habentur, mutare poteſt, dum Conſtitutione, quæ executioni mandata fuit, Epiſcopus utrumque definiit.*

QUÆSITUM.

Cum Epiſcopus N. abuſui, quem diu deploraverat, occurrere coactus eſſet, edita Conſtitutione, qua vetuit, ne mulieres ac puellæ Cathedralis Eccleſiæ Chorum Divini Servitii tempore ingrederentur, Capitulo præterea mandans, ut in id operam ſuam conferret, duplici Chori aditu januis nunquam non poſitis intercluſo, juſſiſque ſacrarum Ædium Cuſtodibus, ut fœminas accedentes repellerent: Capitulum odio ductum, ac tam juſtæ Conſtitutionis impugnandæ prurigine abreptum depravatæ huic atque omnino præpoſteræ conſuetudini obſecundavit.

Dum Cathedralis Eccleſiæ ſuæ viſitationem perageret, ſtatuit Epiſcopus, ut Theologus, qui nullam hactenus functionem obierat, Dominicis Feſtiſque diebus hora octava matutina concionaretur. Lecta fuit, indictaque Conſtitutio hæc in Capitulo, coram Theologali cæteriſque Canonicis, die ſecunda Junii proxime elapſi, & Capituli Syndico una cum aliis omnibus rite denuntiata. In hujus Conſtitutionis executionem Theologalis Canonicus in Navi, & conſueta Concionatorum Cathedra bimeſtri ſpatio hora octava matutina Sermones habuit; eoque id facere recuſante, is, quem Epiſcopus delegaverat, tribus omnino menſibus eadem hora eodemque in loco eſt concionatus coram Capitulo, Hebdomadarii, qui Canonicus eſt, accepta benedictione.

Poſtridie tamen a Conſtitutione, quæ mulieribus & puellis Divini ſervitii tempore Chori aditum interdicit, Syndico denunciata, Capitulum per Actum Capitularem Theologo mandat, ut in Choro ante ſolemnem Miſſam concionem habeat, & Theologus quidem mandata facit; atque ita Epiſcopi Conſtitutio, qua Theologus hora octava concionari juſſus fuerat, quæque rite indicta erat, nulla ordinis ratione habita, violata eſt; & Conſtitutio altera, qua Fœminæ a Choro arcebantur, jacuit effectus expers; facinus hoc alia bene multa ſecuta ſunt.

ſunt. Conſtitutio Epiſcopi juſſu affixa Eccleſiæ foribus, ubique reſciſſa eſt; & Parochiæ, quæ in Cathedrali adminiſtratur, Vicarius eam inter Miſſarum ſolemnia pronunciare juſſus non paruit. Cum porro Epiſcopus ſuper duplici Conſtitutionum ſuarum tranſgreſſione Capitulum e ſcripto monendum curaſſet, die Dominico, currentis hujus menſis 15. ad Veſperas profectus eſt; cumque Æditu um appellaſſet, qui fæminas puellaſque repelleret; ille impudenter ac temere obſequi renuit, inquiens ſe ad Canonicorum juſſa capienda pergere, idque cum omnium, qui aderant, ſcandalo; quod in cauſa fuit, ut Officium jam inchoatum Epiſcopus interdiceret, quoad ejus Mandata fierent, rejectis fæminis.

Ille quidem angitur animo, ac pudore ſuffunditur, quod præcipuam ſuæ poſterioris Conſtitutionis rationem proferre debeat; ſed coactus ita ſe gerit.

Sunt in ejus Capitulo publici Concubinarii, in quos ille inquiri voluit, (atque ut Juſtitiæ quidem ſeſe ſubducat, Capitulum adverſus ipſum litem intentavit, quæ in Privato Conſilio pendet ad ejus Officialis Juriſdictionem eludendam.) Eo temeritatis ii devenerunt, ut ad Epiſcopi contemptum proſtitutas has fæminas adeſſe vellent, quibus diebus ille ſacra peragit, eaſque ex Epiſcopalis Sedis regione ſtatuerent, unde Canonicos vidit capite annuentes, iiſque perditis femellis ſubridentes, exprobantis, atque inſultantis in modum. Impietati atque irreligioni huic nullo ille alio remedio occurrere potuit, quam edita Conſtitutione, cæteroquin neceſſaria, cum Divinum ſervitium peragi omnino non poſſet, quo potiſſimum die ipſe Officio fungitur, mulieribus puelliſque locum omnem circa ejus Sedem, univerſumque Sanctuarium occupantibus, & Miniſtros, quominus functiones obeant, impedientibus. Ea porro Conſtitutio praxi Eccleſiarum omnium Cathedralium, in quibus ordinis habetur ratio, conformis eſt.

Capitulum ab ordine maxime alienum, profiteri tamen non audens ſibi Conſtitutionem eam diſplicere, ut ejus effectum eluderet, Sermonem in Choro, & ante ſolemnem Miſſam habere voluit, contenditque, ſi minus Conſtitutio ipſa per ſe impugnari poſſit, ejus certe formam probari non poſſe, cum, ſe inſcio, edita fuerit.

Super ejuſmodi facinorum expoſitione, ſequentes quæſtiones proponit Epiſcopus.

I. Quoad Capituli facinus in Conſtitutionem ad Theologum pertinentem, cum illud auctoritate propria ſermonis horam locumque mutaverit; an non poteſt Epiſcopus in Theologum ipſum, univerſumque Capitulum Cenſuras Eccleſiaſticas contorquere? Animadverti par eſt a Conſilio unius excommunicationis pondus aliquod eſſe poſſe, quippe cum de Canonicis agatur, quorum plerique nullam vel interdicti vel ſuſpenſionis rationem habent, ac ni quem tritici modium lucraretur Hebdomadarius, a Miſſæ celebratione toto anni ſpatio abſtinerent.

II. Quod ſpectat ad Conſtitutionem, quæ mulieres Divini Servitii tempore Chori aditu prohibet; quærit ipſe, quomodo cum Capitulo ſe gerere debeat, poſſitne iis injuncta aliqua pœna præcipere, ut Chorum claudant, & fæminas excludant, atque Ædituo mandare, ut eaſdem removeat, atque an non in eum finem Cenſuras adhibere poſſit? Interrogat Epiſcopus, an Capitulum jure contendat, nihil ſe quoad diſciplinam ac politiam Eccleſiaſticam ſtatuere poſſe ſine conſenſu Capituli, cui quidem Conſtitutionis hujus, qua mulieres a Choro arceantur, neceſſitatem ille ſæpenumero ob oculos poſuit; præſertim cum, ſi conſenſus hic ſit neceſſarius, nihil unquam Epiſcopus mandare poſſit?

Conſilium porro animadverterit, Officialem Epiſcopi in hac duplici facti ſpecie agere non poſſe, quia in Privato Conſilio ei lis eſt cum Capitulo, quod eum tanquam Judicem habere non vult, atque ita ſolus Epiſcopus ſtatuere poteſt; quia porro de politia ac diſciplina agitur, quin id ipſe poſſit, minime dubitatur, quod ſi tamen expediat eum expectare, dum Conſilium ſuper omnibus ſibi a proprio Capitulo illatis injuriis pronunciaverit, haud ægre faciet, ut Doctorum ſententiæ ſeſe conformet.

III. Quærit Epiſcopus, an non temere dictitet Capitulum, ſe de Epiſcopi ſui Conſtitutionibus neſcire, ac penitus ignorare, etiamſi formiter Capituli Syndico ſignificatæ ſint, cum Acta non alia ratione Communitati denuntiari poſſint, quam ſi ejus Syndico ſignificentur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod quæſtiones ſibi propoſitas vidit, exiſtimat quoad primam, agendi rationem, quam Capitulum iniit, omnino probari non poſſe, quoniam, cum concionis a Theologali Canonico habendæ horam locumque definierit Epiſcopi, dum Viſitationi vacaret, Conſtitutio, nemine refragante recepta, & quinque menſium ſpatio coram Capitulo executioni mandata, Capitulum ipſum non amplius conteſtari, aut rejicere eam legem poteſt, cui paruit, præſertim cum in Conſtitutione nihil occurrat, quod Sacris Canonibus adverſetur, ac non potius eo tendat, ut pro aliarum complurium Eccleſiarum, in quibus in Navi, non autem in Choro conciones habentur, conſuetudine ac praxi Canones iidem ſerventur. Prælatus ergo ſuam Conſtitutionem tueri debet; ac ſi forte Theologus contra ſtet, ei per Actum publicum humaniter exibendum mandare debet, ut ſuæ primæ Conſtitutioni, tali die editæ obſequatur, aliter ſubiturus pœnam, quam ipſe quidem imponere voluerit, *ipſo facto* incurrendam. Sed nimirum videtur Epiſcopus ſatis habere poſſe, ſi ab Ordinibus, omnibuſque Eccleſiaſticis officiis eumdem ſuſpenderit; & quoniam Capitulum, ut vero ſimillimum fit, Capitularem Actum ſuum non profert, quo vetuit, ne Theologus, qua hora Epiſcopus ſtatuit, in Navi concionaretur, proinde Actus idem ignorari poteſt, expectarique, dum Theologus hac ſe ratione tueatur, eamque ſignificet; niſi enim eamdem ſignificaverit, eam veram non eſſe cenſendum eſt; quod ſi eam ille ſignificet, vel Capitulum eam ut Actum habeat, eo Capituli mandato, de quo in Conſtitutione mentio fiet, nihil obſtante, præcipiendum Theologo erit, ſub eadem pœna, ut juxta primam Viſitationis Conſtitutionem concionetur.

Majorem difficultatem patitur altera quæſtio, contendentibus Capitulis ſibi præſto eſſe textus in Jure Canonico declarantes, nihil, quod ad Capitula quidem ſpectet, inſciis ipſis, ab Epiſcopo ſtatui poſſe. Piaſerius Congregationis ad Tridentini Concilii interpretationem inſtitutæ Epiſtolam affert ad quemdam Epiſcopum datam die 27. Aprilis an. 1592. quæ id ipſum confirmat; affertur illa in ejus opere, quod inſcribitur, *Praxis Epiſcopalis p. 2. cap. 2. art. 2. n. 7.* Sed hæc diſciplina non videtur in uſu eſſe præſertim in Gallia, ut ſentit Paſtor in Tractatu de Juriſdictione Eccleſiaſtica *tit. 8. n. 3. Hodie*, inquit, *apud nos generali conſuetudine, in collatione Beneficiorum, & juriſdictionis exercitio, Epiſcopi non tenentur adhibere Conſilium Canonicorum*, &c. Favet porro Conſtitutioni, quod ea veteri diſciplinæ generatim in univerſa Eccleſia receptæ conformis eſt; conſuetudo autem antiquæ huic definitioni contraria ſpectanda eſt tanquam depravatio, cui occurrit Conſtitutio; atque in hac facti ſpecie Statutum Canoniſtarum doctrinæ eſt præferendum. Abb. *in C. ad audientiam n. 4. de Clericis non reſident. & in C. Cum omnes n. 1. de Conſtit.* Præterquamquod congruit Conſtitutio hæc cum poſtremo Concilio, quod Aquis Sextis in Provincia celebratum eſt an. 1585. *tit. de Choro*, niſi quod in hoc quidem Concilio graviores pœnæ infliguntur. Contendere quidem poteſt Capitulum, quod ex Burdegalenſi Provincia eſt, Concilium ea in Urbe habitum an. 1583. de mulieribus id unum mandare, ne ſcilicet ad Altare accedant, ac ne in Cathedris ac Stallis ſe Clericis miſceant; non autem prohibere, ne in Choro conſiſtant, quin potius id non obſcure permittere. Re tamen ipſa ratio hæc probanda non eſt, quia Superiori ſemper licet id præcipere, quod ad veterem diſciplinam propius accedat, & prout ipſe Fidelibus ſibi ſubditis utile ac neceſſarium eſſe crediderit. Quamvis porro Conſtitutio re ipſa juſta ſit, erit fortaſſe, quod opponatur. Quod quidem in cauſa eſt, ut Conſilium cohortetur Epiſcopum, ne in

hoc negotio ulterius progrediatur, ſed ejus exitum expectet ex Privato Conſilio, a quo petere poterit, ut proviſionis gratia Conſtitutio ſervetur, quippe cum agatur de diſciplina, cujus obſervatio impediri non poteſt appellatione, quæ devolutiva quidem eſt, ſuſpenſiva omnino non eſt; oſtendetque Conſtitutionem rectam eſſe, tum ſi in ſe ipſa ſpectetur, tum ſi cum Conciliis ſupra laudatis conferatur, quibus addi poterunt Mediolanenſe tertium ſub Sancto Carolo *Actor. Eccleſiæ Mediol. p. 1. tit. de Religioſa in ſacris locis converſatione*, quarta quoque Synodus Diœceſis Mediolanenſis *Decreto 36. actor. p. 2.* denique Decreta generalia Viſitatoris Apoſtolici in quinta Diœceſana Synodo ejuſdem Urbis *Actor. Eccleſ. Mediolan. p. 3. tit. Suum etiam munus diligenter obeant Parochi*. His addetur etiam, ſi libuerit, Turonenſe Concilium an. 1594. celebratum c. 4. atque ita ſperatur fore, ut Epiſcopus, quod optat, obtineat, & grave negotium evitet, ſi Capitulum Cenſuris impeti neceſſe fuerit.

Quoad quæſtionem tertiam, non apparet, Capitulum merito contendere poſſe ſe proprii Epiſcopi Acta & Mandata Syndico ſignificata ignorare, quia Syndicus publica perſona eſt ejuſmodi negotiis addicta; eſt tamen rationi conſonum, ut eadem congregato pariter Capitulo ſignificentur, ex abundantia juris, ne ignorantiæ cauſam prætendere omnino poſſit.

Deciſum Pariſiis hac die 29. Nov. an. 1676.
Aug. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONTRACTUS.

Contractus nomen duobus modis accipi poteſt; ſcilicet aut ſtricta notione, pro conventione inter duas pluresve perſonas, qua obligantur ad ea mutuo præſtanda, de quibus inter ipſas convenit; aut latiore ſignificatione, cum nempe unam tantum perſonam afficit obligatio. In priorum numero poni poſſunt Contractus venditionis, emptionis, locationis, atque id genus alii; inter poſteriores autem referri poſſunt Contractus donationis, promiſſionis, &c.

Plura ſunt Contractuum genera; poſſunt enim tribui, I. in Contractus gratuitos & oneroſos. Gratuiti ſunt, in quibus is, in cujus favorem initi ſunt, nullam omnino ſubit obligationem; & tales ſunt Contractus depoſiti, mandati, aut commiſſionis, & ſimiles. Contractus oneroſi ſunt, in quibus partes facere, & viciſſim reddere aut tradere quicpiam tenentur; & ejuſmodi ſunt Contractus venditionis, emptionis, locationis, permutationis, conſtitutionis dotis, & generatim omnes alii, in quibus neceſſe eſt, perſonam, in cujus favorem contractus initus eſt, tradere pretium aliquod aut aliquam compenſationem pro re, quam accepit.

II. Contractus trifariam ſpectari poſſunt; ſunt enim, in quibus rei dominium ac proprietas, æque atque uſus transfertur, cujuſmodi ſunt contractus mutui, aut emptionis, permutationis, & donationis. Sunt alii, in quibus uſus tantum transfertur, non autem dominium ſeu proprietas, ut commodati, locationis. Sunt denique, in quibus nec rei dominium nec uſus transfertur; & tales ſunt depoſiti, & pignorationis Contractus.

III. Quoad Tribunal externum, Juriſconſulti rurſus diviſerunt Contractus in eos, qui peculiari nomine gaudent, cujuſmodi ſunt venditio, mutuum, & contractus alii; & eos, qui nonniſi conventionis nomen habent, cujuſmodi ſunt, *do, ut des, facio, ut facias, facio, ut des*. De quibus Contractibus eadem ratione diſputandum eſt ac de iis, quorum ſimiles ſunt, ut dicitur in Lege *Naturalis ff. de præſcriptis verbis §. ſatisfacio*.

IV. Exiſtunt Contractus, qui dicuntur bonæ fidei, aliique, qui ſunt ſtricti Juris. Bonæ fidei Contractus ſunt ii, in quibus non id modo ſervandum eſt, de quo expreſſe inter partes convenit, verum etiam quod æquitati conſonum eſt, quamvis expreſſe inter partes de eo non convenerit, ut in Contractibus emptionis & venditionis, licet partes mutuam obligationem non ſubierint ſe rei venditæ prædes fore; nihilominus qui vendidit, ſe prædem obſtringere tenetur, ſi emptor in emptæ rei poſſeſſione turbatus fuerit, quia vadimonium Contractui eſſentiale eſt; quemadmodum etiam emptor promiſſæ ſummæ cenſus debet, poſtquam ſtatutum tempus elapſum eſt, tametſi ea clauſula expreſſa non fuerit. Ratio eſt, quia ſpectat ad æquitatem, ut venditor ſuæ pecuniæ cenſum percipiat, quo fructus, quos ex prædio recepiſſet, ei compenſentur. Contractus ſtricti Juris ſunt ii, in quibus id tantummodo præſtandum eſt, quod expreſſe inter partes ſtatutum eſt, cujuſmodi ſunt Contractus mutui, ſtipulationis, & ſimiles. Hac de cauſa in his contractibus cenſus nequaquam debentur propter ſolutionis dilationem, niſi expreſſe promiſſi ſint; licet ii debeantur in Contractibus, qui bonæ fidei nuncupantur, ut ait gloſſa *Tum Venerabilis de exceptionibus, verbo, bonæ fidei*; quia in Contractibus ſtricti Juris Contrahentes non præſumuntur in Lege propter dilatam ſolutionem ullum damnum tuliſſe; quamobrem lex ipſa partem alteram non obligat ad ſolvendos cenſus, ut contrahenti ſarciatur jactura, quam ob dilationem ſubiit.

Jam vero Contractus bonæ fidei ſunt hi. Contractus emptionis & venditionis, Contractus locationis, mandati ſeu commiſſionis, depoſiti, commodati, pignoris, permutationis, & promiſſionis verbalis, aut ſcripto firmatæ. Contractus ſtricti Juris, ſeu ſtricto modo ſumpti tribuuntur a Jure conſultis I. in eos, qui nonniſi re perficiuntur, quæ in contractum venit, cujuſmodi ſunt contractus mutui, commodati, pignorationis, & permutationis. II. in eos, qui perficiuntur conſenſu, cujuſmodi ſunt Contractus emptionis & venditionis, locationis, ſocietatis, & mandati. III. in eos, qui verbo abſolvuntur, ut ſtipulationis Contractus. IV. demum in eos, qui nonniſi ſcripto perficiuntur, ut ſunt ii, in quibus præter conſenſum illud etiam requiritur, ut ſcripto partium voluntas appareat, ſeu quia inter eas ita convenit, ſeu quia talis eſt Juris diſpoſitio, ut Contractus conſtitutionis, amphiteuſis, aut cenſus.

Error in Contractibus nihil eſt aliud, quam rei pro alia ſumptæ ſtipulatio: *Errare eſt aliquid pro alio putare*, inquit Canon *in quibus*. Jam error hic poteſt ſpectari, I. quoad ſubſtantiam, cum contrahentes, ſe de una re contraxiſſe putantes, de aliqua alia ſe deinde contraxiſſe comperiunt; ut ſi Petro anulum aureum emere credenti ac volenti æreus venditus fuerit. II. quoad qualitatem & alia accidentia; quod evenit, cum quis alicujus rei certa quadam qualitate præditæ, quam non habet, con-

tractum

tractum ſe inire putat; exempli cauſa Joannes Catharinam uxorem ducit, quam valde opulentem arbitratur, ac deinde pauperem detegit.

Error hic tam in qualitate quam in accidentibus ſubdividi poteſt in errorem concomitantem, & effectivum. Concomitans eſt, qui Contractum ita ſequitur, & comitatur, ut ejus cauſa non ſit, adeoque qui contrahit, ita comparatus animo ſit, ut a contractu non abſtineret, etiamſi eum errorem cognoſceret; exempli gratia Petrus Joannam ducit, quam putat Catharinam eſſe, quæ ſibi promiſſa eſt, ita tamen diſpoſitus, ut, licet eam Joannam eſſe noviſſet, ab ea ducenda non abſtineret. Effectivus error eſt, qui ita eſt Contractus cauſa, ut partes contracturæ non fuerint, ſi ejus notitiam habuiſſent; cauſa exempli Petrus ſuam domum vendidit, quia ipſi perſuaſum fuit eam brevi lapſuram eſſe, quam ſane non vendidiſſet, ſi rem ita ſe non habere cognoviſſet. Contractus, in quo exiſtit error quoad ſubſtantiam, non valet, quia conſenſus non adeſt; at non eadem ratio eſt erroris quoad qualitatem, & alia accidentia, ut Theologi docent.

Sunt etiam Contractus, in quibus exiſtit fraus aut dolus, qui definitur in Lege ars, aſtutia, inventio, modusque callidus, quo quis utitur, ut alterum fallat. Poteſt dolus hic eſſe duplex. Primus quidem, cum dolus fuit cauſa Contractus, nec proinde partes contrahere voluiſſent, ſi eum cognoviſſent, ut cum per fraudem quis alterum incitat ad aliquid ſibi vendendum, quod non vendidiſſet, ſi fraudis notitiam habuiſſet. Alter vero, qui Contractus cauſa non fuit, quia rei, de qua contrahitur, ſubſtantiam non afficit, ſed ſolum aliquam qualitatem, aliudve accidens; quod efficit, ut partes a contractu non abſtinuiſſent, tametſi fraudis ſibi illatæ cognitionem habuiſſent. Dolus hic tam in ſubſtantia quam in accidentibus poteſt intervenire aut per contrahentes, aut per mediatorem; quod eſſe poteſt abſque ullius partis cooperatione, aut alicujus partis contrahentis conſenſu. In his omnibus caſibus inquirunt Theologi, quænam in conſcientiæ foro adſit obligatio.

Timor Contractum invalidum reddere poteſt, ſi gravis ſit; hoc eſt, in conſtantem virum cadens. Quod contingit, quoties magnum malum apprehenditur, ut minus evitetur, cujuſmodi eſt timor mortis, alicujus gravis ſupplicii, carceris, infamiæ, ſervitutis, ut ait Divus Thomas (*a*). Ratio eſt, quia gravis hic timor adimit libertatem, & liberum conſenſum impedit, dum ita quempiam percellit, ut perpendendi otium non relinquat, atque animum acriter & vehementer afficiens, ad actionem determinet, qui malum, ad quod præcipitanter itur, conſiderari per tempus liceat. Itaque diſtinctione opus eſt; ſi enim timor juſtus ſit, ſtandum eſt promiſſis; at ſi timoris ratio injuſta ſit ut cum centum nummi aureis promittuntur latroni, ad vitam tuendam, promiſſa faciendi obligatio non adeſt, ut docet idem Divus Thomas (*b*).

Quicumque rationis uſu pollent, contrahere poſſunt, quia poſſunt aſſenſum præbere, & quod inde conſequitur, propria bona diſponere, modo facultatem hanc poſitivum Jus iis non ademerit. Hinc ſequitur eos omnes, qui liberum rationis uſum non habent, ac proinde veri nominis conſenſum exhibere non poſſunt, quod ad Contractus eſſentiam pertinet, contrahere non poſſe; ejuſmodi ſunt amentes & ſtupidi, & infantes, qui nondum ætatis annum ſeptimum attigerunt. Animadvertit Juſtinianus, filios familias ante pubertatis ætatem valide contrahere non poſſe, etiam conſentiente patre, cum pupilli, ſiquidem eam ætatem attigerint, id facere poſſint, dummodo tutores aſſenſum præbeant, in iis quidem negotiis, in quibus eorum auctoritate illi opus habent. Hujus diſcrimis ea ratio eſt, quod tutor, qui male pupilli bona adminiſtravit, ab ipſo conveniri poteſt; non item pater a filio.

Vide (EMPTIO
(VENDITIO.

Contractus Conſtitutionis proventus.

CASUS I.

Non licet conſtituere proventum ad denarium decimum quartum, dum contractus peragitur poſt Mandatum Regis Ludovici XIV. quo denarius decimus octavus proventibus aſſignatur, quamvis novi proventus denarii proveniant ex denariis veterum proventuum, qui conſtabant denario decimo quarto.

QUÆSITUM.

Petrus rogat Paulum, ut ſibi fœneretur triginta mille libras per conſtitutionis Contractum. Paulus ei ſummam hanc trium aut quatuor menſium ſpatio ſe traditurum promittit; ut eam porro conficiat, ſibi putat utilius fore, ſi tenues Conſtitutiones, quas cum multis contraxit, ad unam tantum redegerit. Itaque debitores ad id, quod debent, ſolvendum ſollicitat, aliis quidem ſortis partem, aliis autem elapſos cenſus remittens. Coactis hac ratione his parvis ſummis, & reſervata pecunia auctis, monet Petrum ſibi petitam ſummam præſto eſſe. Adit una cum eo Notarium ad firmandum contractum, perſuaſum habens denario decimo quarto, ut antea, pecuniam ſuam conſtituere; ſed cum Notarius monuiſſet Conſtitutiones infra denarium decimum octavum nova Regis Declaratione prohiberi, partes privatim contractum firmant denario decimo quarto, ſcripturæ tempore ante denarii decimi octavi Statutum poſito; & aliorum Notariorum ope contractum tanquam ante denarii decimi octavi legem initum firmant. Eo ſe tuetur Paulus, quod proventus, quos recepit, denario decimo quarto conſtituti fuerant, ac ſi in præſentia denarium modo decimum octavum ſumeret, grave damnum ſentiret.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, & expendit, exiſtimat Petrum & Paulum in conſcientia non potuiſſe contra Principis legem contrahere, aut contractus tempus antevertere; quæ circumſtantia actionem pejorem efficit, & nullam excuſationem pati poteſt; Contractum hunc omnino non valere, & Paulum non poſſe exigere a Petro proventum denario decimo quarto, quoniam Conſtitutio poſt Regis edictum peracta eſt, ex quo tempore in Provincia, de qua agitur, conſtitutionis Contractus nonniſi denario decimo octavo iniri poſſunt. Ex quo liquet rationem, quæ ad Pauli conſilium tuendum adducitur, nihil evincere, quoniam ſumma capitalis ex proventus receptione proveniens juxta præſentem tantum Principis Legem ſtatuenda eſt; atque ita ſumma ad proventus emptionem denario decimo quarto alias tradita, cum recepta eſt, & per eam novus proventus ſtatuitur, juxta præſentem Legem, ad denarium decimum octavum novas conſtitutiones redigentem impendenda eſt.

Deciſum in Sorbona ......
Aug. *de Lamet.*

Con-

(*a*) S. Thom. in Supplem. q. 47. art. 2. in corpore.

(*b*) S. Thom. 2. 2. quæſt. 86. art. 7. ad 3.

Contractus Matrimonii.

CASUS II.

1 *In bonorum familiæ partitione fratres non poſſunt tuta conſcientia Sororem adigere ad quatuor mille librarum ſummam in ejus matrimonii Contractu deſignatam ſolvendam, cum certo ſciunt eam ab ipſa receptam non fuiſſe, & ex litteris ad Sororis maritum a matre datis facti veritatem conſtare.*

2 *Nequeunt pariter hi fratres Sorori tribuere bonum, quod ejus vir emit ipſorum matris nomine, dum ſciunt emptionem illam ſororis mariti pecunia factam eſſe.*

3 *Si ad has iniuſtas poſtulationes ſuſtinendas litigarent, falſamque jurando litem vincerent, præter perjurium & injuſtitiam, cujus ſe reos facerent, reſtitutionibus longe maximis obſtringerentur.*

QUÆSITUM.

JOanna Mariam filiam nuptui tradens, ei quatuor mille libras dotis loco dedit: in contractu poſitæ ſunt octo mille, ut Viri conſanguineis mos gereretur; at Mariæ Socer dimidium attulit. Producta eſt integra ſumma, ut Notarium lateret rei veritas. Mater datis ad Philippum generum ſuum litteris profitetur ſe nonniſi quatuor mille libras dediſſe. Tribuit ea quoque filiæ poſſidendum agrum, cujus eſt tercentarum aut quadringentarum librarum reditus, ad compenſanda tum damna, quæ eidem attulerat, tum commoda, quæ ſorori præ ipſa præſtiterat; quod Provinciæ conſuetudo permittit, quin id in diviſionibus imputetur.

Defuncta Mater, Mariæ fratres octo mille libras contractu ſtipulatas cenſere contendunt, licet certo ſciant Mariæ tantum quatuor mille traditas fuiſſe, prætendentes eam per aliquot annos agro potitam eſſe, licet has poſſeſſiones Provinciæ conſuetudo non imputet. Contendunt etiam ob eamdem cauſam ſibi licere jurejurando affirmare eam re ipſa libras octo mille in contractu poſitas recepiſſe; quamobrem quæritur, an Mariæ fratres poſſint tuta conſcientia ei quatuor mille libras imputare, quas ab ea nequaquam receptas ſciunt, prætextu fruitionis ejus agri, quem mater ei dedit, & an reſtituere non tenerentur, ſi forte propter jusjurandum, quod emiſiſſent, litem vincerent? Præterea Philippus, ut Mariæ conjugi gratificaretur, Joannæ ſocrus ſuæ nomine librarum quatuor mille prædium emit pretio librarum bis mille, ibique ſtruxit, aut ſevit ad bis mille libras & amplius, acceptis a Socru litteris, quibus ea ſignificat emptionem illam ejuſdem Philippi pecunia factam eſſe, & ad eum pertinere. Factum id omne videntibus & ſcientibus Mariæ fratribus. Quæritur, an hoc bonum Mariæ imputare poſſint tanquam ab ipſorum matre proveniens, aut illud in partitionis cumulum referre pretio illo, quo primum Philippus illud emit Joannæ nomine; & an ii fratres reſtituere non tenerentur, ſi perjurio perficerent, ut illud Philippo ejuſque conjungi adjudicaretur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod Expoſitionem hanc vidit, exiſtimat Mariæ fratres ei imputare non poſſe libras quatuor mille, quas non recepit, nec poſſe jurare octo mille librarum ſummam in Contractu poſitam ab ea receptam fuiſſe, quoniam re ipſa contrarium cognoſcunt, ſciuntque communem matrem datis ad Philippum litteris declaraſſe, quod res erat, id quod præter ejuſmodi teſtimonium Mariæ hæredibus innoteſcit. Itaque cum fratres illud conſequerentur, ut Judex pronunciaret eam librarum quatuor mille ſummam Mariæ portioni addendam fore, titulus hic coram Deo nullus eſſet, quippe qui non judicat ex præſumptionibus, quemadmodum mundi Judices, ſed ex rei veritate, ex qua quidem horum fratrum jusjurandum falſum judicaret.

Ad alteram quæſtionem quod attinet, Philippum, prout eſt expoſitum, Mariæ conjugi gratificari non potuiſſe, ſi viri, dum vixerint, uxoribus ſuis ullum commodum afferre patriis Legibus aut Moribus prohibeantur, neque id ei niſi ſecundum has Leges prodeſſe poſſe. Igitur Mariæ fratres cognoſcentes hanc acquiſitionem a Philippo provenire, non autem ab ejus matre, cujus nomine Philippus eam perfecit, ut uxori morem gereret, eam Sorori adſcribere nequeunt in partiendis cum ipſa familiæ bonis, quoniam revera bonum hoc ab eorum matre non advenit, & ad eam minime ſpectat. Itaque ejus hæredes nequeunt ſibi quicpiam inde arrogare, aut ex eo ſibi præſidium quærere, quod Philippus ejus nomine in hac emptione uſus fuerit. Facerent enim contra notitiam, quam habent, veritatis, hujus boni poſſeſſores injuſti eſſent, & quod inde conſequitur, non ſolum fundos, ſed omnes quoque fructus, quos percepiſſent, reſtituere tenerentur, præterquamquod tantummodo vi perjurii eo bono frui poſſent, quæ circumſtantia coram Deo eorum crimen augeret. Philippi pariter impenſas omnes, quas cum iis contendens feciſſet, & incommoda, quæ ſubiiſſet, reparare deberent. Idem quoque de agro, quem Mater poſſidendum Mariæ dedit, ſentiendum eſt, nempe fratribus non licere illum in diviſione ſorori imputare.

Deciſum in Sorbona die 27. Auguſti an. 1680.
A. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

CONTRACTUS PIGNORATIVUS.

NUncupatur Contractus Pignorativus oppigneratio, qua bonum aut hæreditas cum facultate redimendi venditur vel oppigneratur. Contractus hic excogitatus eſt, ut uſura civilibus Eccleſiaſticiſque Legibus damnata tegeretur; neque amplius dubitatur, quin nullus ſit, niſi forte alicubi contraria conſuetudo obtineat, ut in Tractu Andegavenſi, Turenenſi, Cenomanenſi, & Pictavienſi, ubi qui hæreditate potitus eſt, præſcribit annorum quinque poſſeſſione contra creditores propter proventus jam inde ab annis triginta conſtitutos, ita ut ad præſcriptionem hanc evitandam, inquit D. Presbyter, qui hanc materiam pertractat, creditores oppigneratam rem per venditionem obtinuerint, ut, quoad debitum ſolveretur, eam tenerent ac poſſiderent. Cæterum ubique gentium generalis regula eſt, Contractum Pignorativum improbari; ſi enim probaretur, inveheretur nova ratio lucrandi ex fundo non alienato; quæ aperta uſura eſt.

Pignorativus Contractus eſt, cum ex gravibus conjecturis apparet creditorem pro ſumma, quam mutuam dat, pignoris loco certum fundum ſumpſiſſe, cujus proprietatem debitor ſemper retinet; cumque pignus nullos unquam cenſus, nullumque lucrum producat, Contractus Pignorativus cenſetur uſurarius, ac proinde Legum vi ſubſiſtere nequit. Præſto eſt etiam evidens ratio, cur prohibeatur; cum enim venditor non eſt liberatus, & incertæ fructuum perceptioni obnoxius remanet, ſæpe fit, ut cenſus quotannis accumulentur, propterea quod iis ſolvendis eſt impar, ac denique proprio bono ſpoliatus, elapſiſque cenſibus preſſus omnino depereat. His de cauſis Jure ſcripto, ac Pariſienſi Contractus Pignorativi proſcripti ſunt.

Variæ Pignorativorum Contractuum ſpecies.

CASUS III.

1 *Contractus Pignorativi non niſi ad palliandam uſuram inventi ſunt.*

2 *Schedulæ lucrum continentes, & intra definitum tempus exigibiles, ſunt uſurariæ.*

3 *Uſura eſt in ſe mala, & vetita divinis humaniſque Legibus.*

4 *Nulla vel Lege, vel Conſuetudine, vel ratione purgari poteſt.*

5 *Quantumvis damnum uſuræ prohibitio commercio afferre poſſit, præſtat ſinere illud de medio tolli, quam eam permittere.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut velint dicere, quid ſentiant de Contractibus, qui ſequuntur, ut eorum deciſio regulæ loco ſit Confeſſariis, qui de hujuſmodi negotiis conſuli ſolent.

Primus eſt Contractus annorum novem cum facultate redimendi, per quem plures hæreditates venduntur, & qui hanc clauſulam continet, ut ſcilicet emptor eaſdem hæreditates venditoribus tribuat per annos novem, ob ſummam 317. librarum 10. ſ. ei quotannis cenſus loco ſolvendam.

Alter eſt Contractus, quo quis domum 1200. librarum vendit, & ob clauſulam emptor ei tribuit eamdem villicationis titulo per annos novem annuo 55. librarum cenſu.

Tertius eſt pura & ſimplex acquiſitio proventus librorum 160. ob ſummam 3200. librarum cum facultate redimendi, haud declarato redemptionis tempore.

Quartus eſt Contractus, quo Petrus emit a Joanne proventum 1700. librarum ſortis ſibi debitæ per Contractum Pignorativum, ea conditione, ut venditor hypothecis, quæ affectæ ſunt, ſervandis invigilet, quin emptor earum diſcuſſionem facere teneatur.

Aliæ Contractuum formæ ſunt ſchedulæ puræ ac ſimplices a Turonenſis Urbis Mercatoribus editæ, intra annum mutuanti ſolvendæ, quin ulla in iis fiat cenſuum mentio. Mercatores tamen eum omnino ſolvunt; ac ſi anni ſpatio non ſolverint pretium ſchedulæ, proſequuntur cenſum uſque ad ſortis ſolutionem. Poſſunt etiam judicio adigi ad eam ſortem tempore conſtituto ſolvendam. Solvitur cenſus denario 20. & 22. Id in more poſitum eſt apud Mercatores Cæſaroduni, aliarumque Urbium, in quibus commercium viget.

In hujus conſuetudinis excuſationem illud affertur, quod fulciatur Reſcriptis pluribus, quæ eam tolerant in Urbibus commercio apprime florentibus, ubi incolarum plerique nulla alia ratione poſſunt ex propriis bonis utilitatem percipere. Additur & illud ſæpe Mercatores evadere ſolvendo impares, & decoquere. Quamobrem reddendi mutui certum tempus iis eſt præſcribendum; id quod per Conſtitutionis Contractum obtineri non poſſet. Præterea Mercatores pecuniam minime nanciſcerentur ad Conſtitutionem ſubeundam, quia eorum bona difficillime cognoſci poſſunt; nihil iis ſæpe aliud præſto eſt, quam fides, quæ æque ac commercium corrueret; ſi ipſis cum cenſu mutuum dari non poſſet. Omnino tamen Sorbonicorum Doctorum deciſioni ſtandum cenſebitur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat utile imprimis eſſe illud ſtatui tanquam prorſus indubitatum; uſuram Divino Jure vetitam eſſe. Diſerta ſunt in hanc rem utriuſque Teſtamenti oracula. In veteri quidem *Exod.* c. 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno.* In Ezechiele c. 18. *Qui uſuram non accepit.* In novo autem Teſtamento, Lucæ c. 6. dicitur: *mutuum date, nihil inde ſperantes.* Patres, Concilia, & probati omnes Auctores veritatem hanc aſſeruerunt.

Sanctus Hieronymus in Ezechielem Prophetam pro certo ponit uſuram divino Juri adverſari: *In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur: In Propheta ab omnibus uſura prohibetur, dicente Ezechiele: Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram: porro in Evangelio virtutis augmentum præcipiente Domino, fœnerate mihi his, a quibus non ſperatis accipere.* Lex nova, inquit Pater hic, addit obligationem, quæ in veteri non obtinebat, nempe non fœnerandi ſpe & animo quicpiam recipiendi, quod in veteri Teſtamento vetitum non eſt.

Sanctus Ambroſius in Librum Tobiæ *cap.* 14. & 17. *Cum Dominus nihil ab iis, quibus mutuum dederimus, ſperandum eſſe præcipiat, quomodo pignus ſecundum legem putant eſſe retinendum?*

Concilia quoque generalia & particularia ſtatuerunt uſuram cum Divina Lege pugnare. Concilium Turonenſe an. 460. allatum a Bochello in ſuis Decretalibus *lib.* 8. *de uſur. tit.* 45. *Aliud etiam ſecundum ſcripturarum auctoritatem, vel Patrum conſtitutionem addendum credimus, ut ne quis Clericus uſuras accipiat; quia ſcriptum eſt: Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram: & alio in loco: Non deficit de plateis ejus uſura & dolus: manifeſtum eſt enim beatitudinis gloriam non poſſe conſequi, qui a præceptis divinis deviaverit.* Neque vero mirandum eſt hoc Concilium de ſolis Eccleſiaſticis verba facere. Neque enim inde concludi licet eam Laicis permiſſam eſſe; ſed Concilium eam Laicis vetitam eſſe pro certo ponens, pronunciat multo potiore jure eamdem Clericis vetitam eſſe oportere. Id ex probationibus afferendis conſtabit.

Libro primo Capitularium Caroli Magni *n.* 5. *tit. de uſur. In Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, ſicut in lege ipſe Dominus præcepit omnino omnibus, interdictum eſt ad uſuram aliquid dare.*

Libro 6. n. 204. *Quoniam venerandi Canones, & divina prohibet auctoritas uſuras accipere; ideo nullus hoc Clericorum facere præſumat; & in quantum poterunt, laicis vetare ſtudeant.*

Liquet id ex aliis Conciliis, quæ Antonius Auguſtinus *l.* 35. *tit.* 6. *c.* 15. exempli cauſa ex Concilio Carthaginenſi: *Nulli Clerico liceat alicujus rei uſuram accipere. Quæ enim apertiſſime a divina Scriptura ſanciuntur, magis ſequenda, quam decernenda ſunt: quod Laicis vetatur, multo magis Clericis prohibendum eſt. Nemo contra Prophetas, vel contra Evangelia ſine periculo quis agat.*

Idem Auctor in medium adducit alterius Concilii verba *c.* 29. *Inhibemus modis omnibus cum ingenti proteſtatione peſſimam lucri rabiem, uſurarum adinventionem, quam non minus Clerici ſectantur quam laici, Dominici memores præcepti, quo dicitur: pecuniam tuam non dabis ad uſuram, & iterum; Non accipies a fratre tuo uſuram, nec amplius, quam dediſti.*

Urbanus Papa III. ſæculo XII. *c. conſuluit*, & Alexander III. *c. ſuper eo de uſur.* pro certo ponunt uſuram ſuapte natura malam eſſe, ut mendacium, in veteri ac novo Teſtamento prohiberi, eamque nulla ratione permitti poſſe: *cum uſurarum crimen*, inquit Alexander Pontifex in III. Lateranenſi generali Synodo, *utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus, quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, uſurarum crimine involvatur.*

Divus Thomas 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 2. pro certo pariter ponit uſuram per ſe malam eſſe, diſertiſque verbis Divino Jure prohiberi: *Per quod datur intelligi, quod accipere uſuram a quocumque homine eſt ſimpliciter malum*; & ad 4. probat, oraculum Divi Lucæ, *mutuum date nihil inde ſperantes*, veri nominis præceptum continere.

Noſtrorum quoque Regum edicta pro certo ponunt uſuram divinæ Legi adverſari. Edictorum collatio *l.* 4. *tit.* 7. eorum nonnulla in medium adducit.

Philippus Pulcher in ſuo Edicto menſis Januarii an. 1311. loquitur in hæc verba: *Pro reformatione publica Regni noſtri uſuras a Deo prohibitas, & a Sanctis Patribus, & a progenitoribus noſtris damnatas prohibemus, &c.* Idem in Conventu Pinciacenſi die 8. De-

Decembris an. 1312. „ Reprobamus, & prohibemus
„ cujuſcumque generis uſuras, quacumque quanti-
„ tate nitantur, quemadmodum a Deo & a San-
„ ctis Patribus vetitæ ſunt „.

Philippus Valeſius die 6. Auguſti an. 1349. „ ve-
„ tamus omnes uſuras prohibitas a Deo, a Sancta
„ Eccleſia, & a noſtris prædeceſſoribus Galliarum
„ Regibus.

Generalis Congregatio Cleri Meloduni habita *an.* 1579. *tom.* 1. Monumentorum Cleri tit. 34. *Curandum, ne quid ex mutuo vel depoſito etiam apud Judæum factis aliquid præter ſortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter ſperari poſſit, tam etſi ſint pecuniæ pupillorum & viduarum: omnes enim audire tenentur illud Chriſti, mutuum date nihil inde ſperantes.*

Leo X. in Concilio Lateranenſi V. an. 1517. ſeſſ. 10. *Cum Dominus noſter, Luca Evangeliſta atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam ſupra ſperare debeamus.* Licet hæc verba tanquam aliquorum Auctorum verba afferantur, ea tamen Concilium approbat.

Concilium Burdegalenſe an. 1582. a Bochello allatum ait uſuram eſſe *contra manifeſtum Dei præceptum.*

Concilium Remenſe an. 1583. ab eodem Auctore allatum hæc quoque habet: *Cum igitur ſacræ litteræ excludant a divino Tabernaculo, qui pecuniam dederit ad uſuram, aperteque nuncient, ut mutuum demus nihil inde ſperantes, quiſquis præter ſortem præcipuam ex mutuo aliquid amplius exegerit, vel acceperit, cujuſcumque generis, uſurarius eſt cenſendus. Quæ autem per uſuram parta ſunt, uſurarii tenentur reſtituere.*

Chopin tom. 3. *l.* 3. *tit.* 2. *actionum perſonalium* ait lucrum ex pecunia divino Jure vetitum eſſe.

Gregorius Toloſatenſis *l.* 22. *c.* 3. *n.* 10. *Syntagm. jur. Jure Divino prohibitas eſſe uſuras manifeſte docetur ex lege antiqui & novi ſacroſancti Teſtamenti.*

Ex his omnibus teſtimoniis duo ſunt concludenda; primum eſt, uſuram Divino Juri contrariam eſſe; alterum eſt, illud oraculum Divi Lucæ c. 6. *mutuum date nihil inde ſperantes,* non modo conſilium eſſe, ſed præceptum. Conſilium continet in prima parte: *mutuum date,* & præceptum in alia, *nihil inde ſperantes;* ea prorſus ratione, qua in his verbis Pſalmi 75. *vovete, & reddite Domino Deo veſtro,* adeſt conſilium edendi vota, ſed adeſt etiam obligatio, eadem, cum edita ſunt, adimplendi.

Hoc poſito reſpondetur,

I. Primum, & ſecundum Contractuum Pignorativorum, de quibus in Expoſitione dictum eſt, uſurarios eſſe, quia veri nominis venditionem nequaquam ſupponunt. Id nihil eſt aliud quam circuitio quædam ad lucrum ex pecunia mutua abſque alienatione percipiendum; non autem venditio, quoniam venditores quidem rei venditæ poſſeſſionem ſemper retinent, emptores autem vere in animo non habent rei venditæ proprietarios ſe conſtituere; neque ulla intervenit alienatio, quoniam expleto novem annorum ſpatio emptores pecuniam traditam recipere debent, eam venditoribus eo tempore reddere debentibus. Videri hac in re poſſunt Reſcripta *Louet* 1. *p c.* 10. *n.* 4. Eſt igitur parum putumque mutuum palliatum tectumque venditione, cujus nomen tantum exiſtit; ut proinde in Contractu Pignorativo tria fere ſint, venditio ſimulata, redemptio, & reconductio. Igitur veri nominis uſura eſt.

II. Si verum eſt Contractum Pignorativum uſurarium eſſe, nemo poteſt jus, quod inde habet, alteri vendere aut cedere, quia rem venderet, quæ injuſta & vetita eſt, ut ex modo dictis pro certo habendum eſt; & quod inde conſequitur, venditio quarti C ſus ſupra propoſiti locum habere non poteſt.

III. Quod ſpectat ad tertium contractum, quo acquiritur 160. librarum proventus per ſummam 3200. librarum cum facultate redimendi, poteſt is eſſe legitimus, modo qui acquirit, emere, & ſe proventus proprietarium reddere ex animo velit, & non ſolum lucrum ex propria pecunia ad certum tempus percipere; quo quidem elapſo emptor venditoris negotia animumque cognoſcens moraliter certus eſt eam dictas 3200. libras ſibi redditurum; aliter ipſe ſuam pecuniam non traderet, neque eum proventum acquireret. Si enim ita res haberet, venditio eſſet veri nominis mutuum, & revera uſura palliata.

IV. Quod attinet ad Mercatorum in Turonenſi Urbe commercium exercentium Schedulas intra annum cum lucro ſolvendas, uſurariæ illæ quidem ſunt, quia lucrum hoc eſt ex pecunia, quæ mutui naturam habet; quamvis autem lucrum idem ſit juxta Edicti denarium, id tamen in tuto non ponit ejus animum, qui illud percipit, quia non apparet ejus percipiendi ullum verum titulum penes ipſum eſſe. Itaque reſtituere tenetur.

Rationes autem in Expoſitione allatæ non evincunt his Contractibus Pignorativis, & hiſce ſchedulis uſuram non contineri; nituntur enim illæ tantum bono Commercii, quod requirit, ut tolerentur, quia ſcilicet ii, quibus eſt argenti pondus & auri, pecuniam aliter Mercatoribus mutuam non darent. Verum ſi uſura prohibetur Divina lege, ut ex iis omnibus probationibus, quæ ſupra allatæ ſunt, liquido conſtat; cumque ex alia parte hujuſmodi Contractus & ſchedulæ uſuram contineant, qui hac ratione pecuniam mutuam dant, contra Dei Legem peccant, nullamque excuſationem prætexere poſſunt; neque enim divinæ Legis eadem atque humanarum ratio eſt; hæ nempe non amplius obligant, & tuto violari poſſunt, cum graviores ſunt, quam ut ſervari queant, aut cum loci vel Regni moribus minime congruunt. At divina Lex ubique gentium obligat, atque eidem ubique parendum eſt; & in ea diſpenſare ſolius Dei eſt, cum nulla creata poteſtas eum exæquare poſſit, ne dum ſuperare. Quamobrem cum Contractus, de quibus agitur, uſurarii ſint, ſemper vetiti ſunt, neque ulla loci vel conſuetudinis ratione legitimi reddi poſſunt.

Neceſſe eſt igitur, ut qui pecuniam habent, eam collocent fundo ſtabili, aut per conſtitutionem, ſuiſque hypothecis ſervandis invigilent. Gravis ſane eſt ita invigilandi obligatio; at in aliis negotiis, ut in rei immobilis decreto, in id incumbendum eſt, ut, quando & ubi opus fuerit, debitum & hypotheca ſervetur; ſi quis domum locat, attendat, oportet, curetque, ne locatarius pluſquam tres quartas partes locationis debeat, ne ipſe ſui privilegii amittendi periculum ſubeat. Eadem ratione qui Conſtitutionis titulo Mercatori pecuniam tribuit, debet ſibi cavere, bonas hypothecas exigere, & earum conſervationi ſtudere, ad vitandam jacturam, quam ex amiſſa Mercatoris fide ſubiret.

Quod ſi Contractuum Pignoratitiorum praxis in Provinciis aliquibus toleratur, non inde concludi licet legitimos illos eſſe; nulla enim ſanctione aut lege re ipſa firmantur. Aliquando ad Conſtitutionis naturam Reſcriptis Principum redacti ſunt; non eadem ſane ſemper fuit hoc in capite Juriſprudentia; ac ſi hodie tolerantur, id eam fortaſſe ob cauſam fit, ob quam Deus olim Judæos alienis fœnerari permiſit: *Quod autem Judæi,* inquit Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 2. *ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad malum majus vitandum.* Tolerantur ut hæreſis, & res aliæ quantumvis malæ ſuapte natura, & divinæ Legi contrariæ; at non ideo a peccato ſunt immunes, qui hac ratione mutuum dant. Tolerantia hac & locorum conſuetudine non firmantur Contractus Pignoratitii contra Dei Legem, quæ uſuram prohibet, & huc referri poteſt, quod ajebat Alexander III. de Simonia in Concilio Turonenſi an. 1163. *c. non ſatis de ſim. Nec ſub obtentu cujuſcumque conſuetudinis reatum ſuum quis fucatur, quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget.*

Commercium, inquiunt, peſſum it, ſi Contractus hi prohibeantur; vero; at præſtat illud in aliquibus Provinciis everti, quam per ipſum ibidem uſura foveri, & peccatum permitti.

Deciſum hac die 7. Maii an. 1693.

G. Fromageau.

CASUS IV.

Diſſertatio Domini de Lamet ſuper Contractibus Pignoratitiis.

UT id finiatur, uſurarii ne ſint Contractus Pignoratitii propter lucrum, quod eorum cauſa percipitur, illud unum meo quidem judicio requiritur, ut res ab origine repetantur, & quid ſit id, quod uſuram Theologia nuncupat, intelligatur.

Illud eſt prorſus indubitatum, eſſentiam & naturam uſuræ in eo ſitam eſſe, ut aliquid ultra ſortem vi mutui recipiatur. Hac veritate ſemel conſtituta & recepta, dubium eſſe non poteſt, quin lucrum vi Contractus Pignoratitii perceptum ſit uſurarium, quia eſt purum putumque mutuum, non vero contractus legitimus, diviniſque Legibus conſentaneus. Ratio eſt, quia qui per hunc contractum pecuniam ſuam mutuam dat, non ita hujus pecuniæ proprietatem exuit, ut nullum ejus dominium eidem ſuperſit, quoniam ſibi ſemper reſervare jus poteſt eam ex mutuatarii manibus repetendi; quæ clauſula pugnat cum legitimo emptionis & venditionis Contractu, cujuſmodi eſt conſtitutio, quæ veri nominis venditio, verique nominis emptio eſt; aut magnam ſummam ſemel dare poteſt ob jus recipiendi proventum, qui dicitur cenſus annuus; ex quo ſequitur unius ejuſdemque rei duplicem compenſationem non fieri. Lucrum compenſat ſortem; & cum is cenſus percipitur, non eſt ille quidem fructus pecuniæ, quæ ad nos amplius non pertinet, ut in mutuo; ſed ea res empta eſt ad emptorem pertinens; talis enim hujus permutationis natura eſt. Ratio occurrit in extravagantibus communibus, *Capitibus Regiminis* per Martinum V. & Calixtum III. ubi juvat animadverti ab his duobus Pontificibus ſtatui tanquam clauſulam, quæ hunc Contractum ab uſura liberet, ut in emptoris, alias in mutuatarii poteſtate poſitum ſit cenſum redimere, & venditionis ſortem redintegrare, non autem mutuanti liberum ſit pecuniam repetere. Id porro locum habet in Contractu Pignoratitio.

Quæ inſeruntur clauſulæ, nequicquam evincunt aliud, quam eam ſpecie tenus, & ſimulatam venditionem eſſe; eodem prope actu venditur Petro fundus 6000. librarum pretio librarum 600. & aliquando minori pretio; eodemque actu Petrus reſtituit hoc idem bonum ſuo venditori ob cenſum ſummæ mutuæ reſpondentem; quæ ſane proprie dicta venditio eſſe nequit, quia læſio adeſſet ex parte venditoris, qui longe maximam jacturam pateretur. Illicitus igitur ex hoc capite Contractus eſt; ſed ejus abuſus ex eo etiam clarius apparet, quod emptor nunquam rei venditæ poſſeſſionem adit; verum ad pecuniam ſibi reddendam venditorem adigit, quod aperte oſtendit hoc ſimplex mutuum eſſe, non autem Contractum legitimum; atque ita neceſſario concludendum non alia de cauſa, quam ad palliandam hominum cupiditatem tribui Contractus rationem ſimplici obligationi, & veri nominis mutuo, in quo, ut pecunia in tuto ponatur, hypothecæ ſubduntur bona, quorum fructus per retroceſſionem pignoris titulo factam percipiuntur. Ejuſmodi nimirum ſunt Contractus Pignoratitii, atque illud eſt, quod iis magis favet, qui illos approbant. At Eccleſia eos adeo fidelibus pernicioſos cenſuit, ut in duobus diſtinctis Conciliis, quæ in Decretalibus afferuntur, eoſdem damnaverit; primum eſt magni nominis Concilium Cæſaroduni habitum ab Alexandro III. cap. 5, cujus hæc verba ſunt: *Plures Clericorum (& quod mærentes dicimus), eorum quoque, qui præſens ſæculum profeſſione votiſque & habitu reliquerunt, dum communes uſuras manifeſtius damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt, & provenientes fructus accipiunt ultra ſortem, iccirco generalis Concilii decrevit auctoritas, ut nullus amodo conſtitutus in Clero vel hoc vel aliud uſuræ genus exercere præſumat, & ſi quis hactenus &c.* Alterum eſt poſtremum Cæſarodunenſe Concilium celebratum a Simone *de Maillé* titulo de Parœciis, *& ne qui a cætero facile contractus uſurarios incauti celebrent, & ut timoratis conſcientiis magis conſulatur: Eccleſiaſticis omnibus emptionis & venditionis contractibus (quos pignoratitios vulgus vocat) quibus res venditas redimendi gratia venditoribus aliquod certum tempus præſcribitur, uti non expedit.* Ut autem eodem tempore refellatur, quod objici poſſet, hos nempe Canones ad Eccleſiaſticos tantum ſpectare, en alium textum ejuſdem Alexandri III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcribentis *c. quoniam* 1. *de uſur. Quoniam non ſolum Viris Eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet aliis periculoſum eſt uſurarum lucris intendere, auctoritate præſentium duximus injungendum, ut eos, qui de poſſeſſionibus vel arboribus, quas tenere in pignore noſcuntur, ſortem (deductis expenſis) receperunt, ad eadem pignora reſtituenda ſine uſurarum exactione Eccleſiaſtica pœna diſtricte compellas.* Idem refertur de eodem Pontifice ad Abbatem Sancti Laurentii, ejuſque Religioſos ſcribente *c. conqueſtus de uſur. Conqueſtus eſt nobis Clericus, &c. mandamus, quatenus ſi terram ipſam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus ſortem recepiſtis, prædictam terram Clerico memorato reddatis, niſi terra ipſa de feudo ſit Monaſterii veſtri.* Hæc una exceptio quoad hoc negotium occurrit in Jure. Archiepiſcopus Turonenſis eam Eccleſiam in præſentia adminiſtrans titulo de adminiſtratione bonorum Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum art. 7. Contractus Pignoratitios in lucrorum uſurariorum numero poſuit; & Canones ſupra citatos renovans, eos Eccleſiaſticis interdicit; id quod Laicis patrocinari non debet, ut ſupra declaratum eſt, quia tractatus uſurarii ſunt ex earum rerum genere, quæ non quia prohibentur, ideo malæ ſunt & illicitæ, ſed quia naturali & divinæ legi repugnant. Hic idem Archiepiſcopus eorum injuſtitiam oſtendit auctoritate Reſcriptorum Principum, quibus ſæpe in Conſtitutionis Contractus mutati ſunt; dicere enim Principem, qui eos non prohibet, ſuo ſilentio iiſdem auctoritatem tribuere, non ſufficit ad animos tranquillandos. Hæc negotia finiuntur Legibus naturalibus, divinis & Eccleſiaſticis, quæ veri nominis illarum interpretes ſunt, præſertim in Conciliis, cujuſmodi ſunt ea, quæ in medium attulimus, non autem per politicæ regulas, quæ externum tantummodo reipublicæ bonum ſpectant, interni boni, aut ejus, quod in corde contingit, nulla ratione habita: *homines non judicant de internis*, inquit axioma. Itaque cum politica id ſolum ſpectet, quod externum eſt, ejus regula eſſe non poteſt, quod eſt internum, neque ex ea judicatur, an hominis actiones coram Deo juſtæ ſint. Siquando igitur fit, ut Reges permittant & tolerent in ſuis Regnis ea, quæ Divinæ Legi contraria ſunt, id potius eo ſpectat, ut majus malum vitetur, quam ut ea tanquam bona probentur. Hæreſim tolerat in ſuo Regno Galliarum Rex, patitur Hiſtriones & Comœdos, connivet ſimoniæ, quæ in perſonarum Religioſarum receptione in dies perpetratur; & quamvis eamdem vetuerit, eam tamen in uſu eſſe probe novit, eamque ſuffert ob cauſas, quæ ad externum Regni bonum tantummodo ſpectant. At ad Contractus Pignoratitios quod attinet, eos Senatus, quantum poſſunt, in conſtitutionis Contractus mutant. Cum illos tolerant, eo animo faciunt, ut evitentur pejora mala, quæ Regni negotia vehementius everterent. Nulla enim occurrit Lex aut Sanctio, quæ eos diſerte confirmet; nihil aliud præſto eſt, quam conſuetudo, quæ in aliquibus Provinciis obtinuit, de qua illud dici poteſt, quod Alexander III. ajebat de Simonia, cui conſuetudo auctoritatem per ea tempora conciliabat: *Neque ſub obtentu hujus conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, ſed auget*; aut cum Tertulliano: *Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe non conſuetudinem cognominavit.* Quod ſi quis urgeat inquiens Contractus in univerſa Provincia peragi cum eorum approbatione, qui doctrina & virtute præditi habentur, reſpondebit Tertullianus: *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum*; & Sanctus Cyprianus: *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt.*

Aug. *de Lamet.*

Uſu-

Uſura trium Contractuum.

CASUS V.

1 *Tres Contractus fere uſurarii ſunt.*
2 *Sixtus V. Chriſtianis omnibus eos prohibuit.*
3 *Uſura damnatur in ſacris litteris quoad omnes omnino tam negotiis vacantes quam cæteros.*
4 *Contractus dictus utrinque redimibilis permitti non debet.*

QUÆSITUM.

Rogatur Conſcientiæ Conſilium, ut reſpondere velit rationibus, quæ ſequuntur, & proferuntur a multis ad trium Contractuum praxim firmandam.

I. Ajunt licere magni lucri ſpem vendere pro minore lucro, ſed certo. Operarius, Agricola, Navis Dominus quotidie contrahunt in periculis, quæ timent, & id abſque uſura; id ipſum in tribus Contractibus in uſu eſt; non igitur damnandi ſunt.

II. Contractus tres cum diſtinctis perſonis iniri poſſunt: quidni cum eadem perſona?

III. Magiſtratus eorum pœnam, qui ſolutionem differunt, taxare poteſt; quidni Mercatorum, qui tribus Contractibus utuntur, lucrum taxare poterit, ne immodicum ſit? Præſcriptionum quoque, quas Principes firmant, exemplum efferri poteſt.

IV. Argentaria Lugdunenſis permiſſa eſt; in tribus Contractibus nihil pejus occurrit; ergo &c.

V. Sixti V. Decretum, quod eos damnare videtur, I. non abſolute damnat, quoniam eos tantum damnat, qui in poſterum fierent: *Damnamus tales Contractus poſt hæc ineundos*. II. præſumptione ſolum damnat, quia fere additis conditionibus vitiantur, ut cum lucrum æquo majus exigitur, nec ejus, quicum contrahitur, periculo ſatis conſulitur. III. Pius V. in ſua Conſtitutione an. 1571. exigi vetat a debitore pœnam, cui ſe ſubjecit, niſi definito tempore ſolvat; ſed id tamen licere creditur; dicitur nempe Pius V. abuſum tantummodo condemnaſſe, in quem incidit, qui hoc pacto uſurarium lucrum ex ſimplici mutuo percipit; quod quidem fere ſemper contingit, cum additur pœna. IV. inquiunt, damnatis tribus Contractibus, de medio funditus tolli commercium, quod inter Mercatores peragitur, extremamque ſimul perniciem afferri familiis, quibus alia ratio non ſuppetit ex modica, quam poſſident, pecunia lucrandi.

VI. Licet Domino ſuum agrum, fructuſque, qui in eo reperiuntur, repetere, cum ſibi cenſus non ſolvitur: cur eodem pacto non poterit is, qui ſocietatem inivit, pecuniam traditam revocare, & producti lucri partem ſibi vindicare, quod reliquum eſt, ſuo ſocio relinquens?

Quod attinet ad eos Sacræ Scripturæ textus, qui uſuram damnant, quidni dici poſſunt eam quoad pauperes tantum damnare, & explicandi eſſe per verſiculos 35. & 36. Levitici, in quibus de pauperibus tantummodo ſermo eſt: En verba: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam & peregrinum, & vixerit tecum; ne accipias uſuras ab eo, nec amplius, quam dediſti*. Cum itaque Prophetæ & Jeſus Chriſtus ipſe quoad hanc tantum priorem Levitici legem uſuram damnaſſe videantur: nonne dici poteſt ad Mercatorum commercium, quod eos ſæpe locupletat, qui mutuantur, id minime pertinere? Cæterum Deus ipſe Judæis permiſit, ut alienigenis fœnerarent, ob commercium ſcilicet, ut eſt vero ſimillimum, quod cum iis exercebant, cum ſecum invicem nullum fortaſſe commercium peragerent.

Quæritur & illud, an cenſus utrinque redimibilis in aliqua facti ſpecie permitti poſſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum antequam ad propoſitas quæſtiones rationeſque reſpondeat, animadverſione dignum exiſtimat, ſocietatis Contractum conventionem eſſe inter plures initam, in qua lucrum & jactura diſtribuitur, prout ad ſocietatem quiſque contulerit; tres autem Contractus conſtare I. Societatis Contractu, per quem alter pecuniam, alter induſtriam curamque tribuit. II. cautionis Contractu, quo qui laborem & induſtriam confert, cavet priori ſortem, ob aliquam ſibi factam remiſſionem; hic ſecundus Contractus ſocietatem deſtruit. III. denique contractus tertius in eo eſt poſitus, ut qui pecuniam collocat, ne ſubſit incommodo rationis ab altero ſocio exigendæ, vendat univerſum lucrum, quod ex ſocietate provenire poteſt, ob certam ſummam, quæ ipſi æque ac ſors cavetur.

Hoc poſito, reſpondetur, ſi hi tres Contractus bona fide & ſeorſim fierent, licitos fore; verum palliandæ tantum uſuræ gratia fere fiunt; ſocietatis quippe Contractus ibi non niſi ſpecie tenus exiſtit, & re vera nihil eſt aliud quam mutuum, ex quo lucrum percipitur. Poſtquam porro Sixtus V. in Bulla *Deteſtabilis* diei 21. Octobris an. 1586., & Theologica Pariſienſis Facultas in cenſura an. 1657. tres Contractus damnarunt, non amplius propugnari poteſt eoſdem licere. *Binsfeld in cap. naviganti, de uſur. q. 8. Conc. 6.* de hac Bulla verba faciens concludit tres Contractus ſive in locis temporaneæ Romani Pontificis Juriſdictioni ſubjectis, ſive alibi non amplius permitti: *Ex hac Pontificis conſtitutione reprobatur Contractus ſocietatis cum aſſecuratione capitalis & certi lucri cum ſocio, eo quod magnam affinitatem habeat cum Contractibus uſurariis, & facile prudentes ſecundum carnem & mundum ſub prætextu talium Contractuum pallient uſuras.*

Nonnulli quidem Auctores apud Binsfeld loco citato, & Baſiæum *verb. Societas num.* 4. tres illos Contractus probant; & requirunt, ut bona fide peragantur, *modo abſit prava intentio*, inquit *Binſfeld Conc.* 3. & 4. & Baſſæus monet contrariam ſententiam tutiorem eſſe.

Quæ porro rationes ad tres Contractus purgandos allatæ ſunt, nimis probant, quoniam illud etiam evincunt ex mutua pecunia lucrum percipi poſſe. Sane convenit licere futuri lucri ſpem vendere, & tres Contractus cum diſtinctis perſonis inire. Abſolute quidem licet; at iidem Contractus, prout fere fiunt, uſuram continent; ut enim loquitur Silvius 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ſi Contractus ſive ſimul ſive ſucceſſive ineuntur cum ſocio eodem, revera deſtruitur ſocietas, & deſinit in mutuum*. Itaque prima & ſecunda ratio nihil probant; eadem quoque eſt tertia ratio; ſi enim lucrum, quod Mercatorum quiſque percipere debet, a Magiſtratu taxari poteſt, id ob eam cauſam fit, quod pro certo ponitur Contractus bona fide peractos eſſe, quod fere nunquam contingit; quarta ratio ducta ex Argentaria Lugdunenſi, ſi quid evinceret, illud evinceret uſuram permiſſam eſſe, quamvis juxta Divi Thomæ & Theologorum doctrinam naturali & divino Jure vetita ſit.

Quod de Sixti V. Bulla dicitur, reſpondetur ab hoc Pontifice non in poſterum tantum tres Contractus damnari, ſed abſolute, dum ita loquitur: *Uſurarum pravitatem ſapiunt*. Ac ſi eos expreſſis verbis in poſterum prohibet, *poſt hæc ineundos*, ideo prohibet, quia cum eorum uſus frequentior quam antea evaſiſſet, impediendum erat, ne eorum contagio latius ſerperet, atque ita uſurarii autentice declarandi fuerunt. Et quamvis quod hactenus factum eſt, bona fide factum eſſe præſumi poſſet, idem tamen in poſterum præſumi non poſſet, poſtquam innotuiſſet ejuſmodi Contractus ob eum tantum finem iniri, ut ex ſimplici mutuo lucrum percipiatur, quod eſt formaliter uſurarium.

Quæ ſacræ Scripturæ textibus, in quibus de uſura ſermo eſt, tribuitur interpretatio, & Judæorum exemplum eo tendit, ut ſuadeat uſuram quoad certas perſonas licitam eſſe, & quibuſdam in caſibus ex pecunia ſimpliciter mutua cenſum percipi poſſe; quod Conciliis, Patribus, & totius Eccleſiæ doctrinæ contrarium eſt. Exemplum Domini agrum ſuum repetentis cum fructuum parte, quam invenit, cum ſubditus eidem Domino, quem debet, cenſum non ſolvit, non probat eum, qui pecuniam mutuam dedit, ex ea provenientis lucri partem ſumere poſſe; ager enim, quem Dominus ſubdito tribuit, eſt fertilis ipſe per ſe, cum contra non ni-

ſi ob mutuatarii induſtriam ex pecunia quæſtus exiſtat.

Quod ſpectat ad id, quod dicitur cenſus utrinque redimibilis, ut theorice innocens ac licitus eſſet, non eſſet tamen, communi omnium prorſus hominum judicio, practice permittendus, propterea quod fere cum uſuraria intentione fit. Videndum, quod ajunt hac de re Valentia *tom.* 2. *diſp.* 5. *q.* 22. *punc.* 6. & Baſſæus *v. cenſus n.* 13.

Deciſum in Sorbona hac die 3. Auguſti an. 1695.

G. Fromageau.

CONVERSI.

An Converſi vere Profeſſi ſint.

CASUS.

Fratres Converſi Ordinis Ciſtercienſis, qui Profeſſionem edunt juxta uſus & conſuetudines hujus Ordinis, ſunt veri nominis Religioſi Profeſſi, licet aliquod diſcrimen interſit inter cæremonias eorum Profeſſionis, & eas, quæ in Profeſſione Religioſorum Chori ſervantur.

QUÆSITUM.

IN quodam Monaſterio Sancti Bernardi, ubi, quoad Abbas vixerat, nulli Fratres Converſi recepti fuerant, definitum fuit poſt ejus mortem, ut arceſſerentur, qui varia callerent officia, quorum opus eſſet; id quod præſtitum eſt; poſt quatuor menſes iis traditus eſt habitus, & Sancti Benedicti Regula lecta eſt ter in hebdomada; ſuppreſſo ſemper 58. capite, quod agit de Profeſſione. Poſtquam hi Fratres Probationis habitum anni ſpatio detulerunt, in hunc modum Profeſſionem edere juſſi ſunt.

Ducti ad Capitulum, quo Sacerdotes convenerant, ſe humi proſtrarunt; Abbati ita roganti, quid petitis, reſponderunt, miſericordiam Dei & Ordinis; reſpondit Abbas, ſurgite in Dei nomine, & ad eos brevem ſermonem habuit; tum eidem interroganti, an perſeverare vellent, reſponderunt, ita ſane, ſi Deo placuerit; deinde unus poſt alium manus ſuas intra Abbatis manus poſuerunt, & ſinguli dixerunt: Pater, promitto tibi obedientiam juxta Regulam Sancti Benedicti ad mortem uſque; reſpondit Abbas: Deus vobis tribuat vitam æternam, & Fratres dixerunt, amen; quo facto, Abbas benedixit Scapularia & pallia, cantatumque eſt *Veni Creator*.

Ut appareat, in quo a Fratrum Profeſſione diſcrepet Sacerdotum Profeſſio, en hujus formulam.

Ego Frater N. promitto ſtabilitatem meam & converſionem morum meorum & obedientiam ſecundum Regulam Sancti Benedicti, coram Deo & beatis Martyribus, quorum reliquiæ hic habentur, & omnibus Sanctis in hoc loco, qui vocatur honor Beatæ Mariæ Ciſtercienſis Ordinis, conſtructo in honorem Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, in præſentia Domini noſtri Abbatis.

Poſtquam Novitius legit verba hæc, quæ ipſe ſcribere debuit, ſcriptum Cruce ſignat, ſuper Altare ponit, & Abbati ſervandum dat, cui antea promiſit obedientiam eadem ratione, qua Fratres; atque id quidem apud eos Profeſſio nuncupatur.

Tum novus Profeſſus ter canit, *Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum & vivam*; & deinde genua flectit ante Abbatem & Religioſos, aitque: *Orate pro me*; tum ſe ante Altare proſternit, dum interim Abbas pronunciatis precibus benedicit habitum, quem novo Profeſſo imponit; poſtea cantatur *Veni Creator*, & Abbas ſacrum facit.

Profeſſionum varietas.

Sacerdotum Profeſſio eſt ſcripta, non item Fratrum, quamvis id præſcribat Sancti Benedicti Regula cap. 58, ſtatuens, ut qui ſcribere neſciunt, utantur alterius manu; ita ut inter Sacerdotum & Fratrum Profeſſionem nulla alia intercedat differentia, niſi quod eam Sacerdotes ipſi ſcribunt, ſubſcribuntque, quod Fratres non præſtant. En rationes, ob quas contenditur Fratrum Profeſſionem nullam eſſe.

Ea eſt in Ordine conſtans regula, ut ſi Clericus, poſtquam obedientiam promiſit, hoc eſt, poſtquam Fratris Profeſſionem edidit, nolit ſubſcribere, poſſit, quocumque voluerit, ſe conferre, quin ullus diſſentire poſſit, ejuſque Profeſſio abſolute nulla cenſeatur.

Sciendum tamen eſt, quicquid contra ſentiant hujus Monaſterii Sacerdotes, qui hæc duo Profeſſionum genera admittunt, Breviarium Ordinis, & caput 58. Regulæ Sancti Benedicti unius tantum mentionem facere.

Allegant Sacerdotes eam eſſe Ordinis conſuetudinem, ut Fratres ita ſuſcipiantur; at illud videndum ſupereſt, an ejuſmodi profeſſio ſuæ Sanctitati, Doctoribuſque probetur?

Videtur nulla eſſe profeſſio hæc poſt Tridentinam Synodum, ita ut Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Circa paſtoralis* data die 29. Maii an. 1566. ejuſmodi Profeſſionem impoſterum damnaverit, & vetuerit; & ſi jam facta fuerit, eam nullius roboris declaret, eoſque, vel eas, a quibus fuerit edita, a votorum obligatione prorſus liberet. Ita concluſum Duaci die prima Decembris an. 1600. Subſcripti, *Guillelmus Eſtius Sacræ Theologiæ Doctor, Bartholommæus, Petrus Lintrem Sacræ Theologiæ Doctor, Balduinus Vanderpiet J. U. Doctor, & Profeſſor.*

Responsio.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui traditam expoſitionem viderunt, in qua Doctorum quatuor Univerſitatis Duacenſis Conſultatio in medium affertur, haud cenſent decidi poſſe Fratrum Converſorum Profeſſiones nullas eſſe poſt Tridentinam Synodum, cum factæ ſint *in Religione approbata* poſt Probationis annum juxta eamdem Synodum, cum factæ non fuerint ante ætatem præſcriptam *cap.* 15, *Seſſ.* 25. *de Regularibus*; cum hæc annua Probatio coram Superioribus peracta fuerit; cum denique Abbas horum Fratrum Vota receperit; ita ut illi dubio procul, ponderatis verbis, quibus uſi ſunt, ſeſe perpetuæ obedientiæ ſubjecerint juxta Sancti Benedicti Regulam, quam ob cauſam alius quam Novitiorum habitus iis traditus eſt. Habitus hic ſolemniter benedictus fuit, adeoque ex hac cæremonia liquet habitum alium eſſe, ac ſignificare ad ſtatum ab eo diverſum, in quo antea erant, illos tranſire; qui quidem ſtatus alius quam Profeſſorum eſſe non poteſt; & quod inde conſequitur, eos hoc titulo Monaſterium recepit. Quoniam porro regulariter loquendo Religionis vota mutuam obligationem adjunctam habent, & ejus, qui vovet, & Familiæ ſeu Congregationis, cui ipſe ſe addicit: conſequens proinde fit, dummodo hac in re Ciſtercienſis Ordo peculiari aliqua exceptione non gaudeat, Monaſterium cum his Fratribus, qui Profeſſionem ſuam ediderunt, obligationem contraxiſſe, præſertim ſi id moris obtineat, ut Fratres hac ratione ſuſcipiantur.

Non apparet, quid ſibi propoſuerint Duacenſes Doctores, dum citarunt Bullam, quæ incipit, *Circa Paſtoralis* datam IV. Kalendas Junias, quæ concinit alteri diei 29. Maii, cum ea nonniſi Sanctimonialium clauſuram reſpiciat, nihilque contineat, quod ad id, de quo in præſentia agitur, referri poſſit; utut res habeat, non cenſentur hi Fratres, prætextu nullitatis Votorum, poſſe a Monaſterio recedere. Id quippe antea dijudicandum eſſet; eſt enim indubitatum eos voviſſe perpetuam obedientiam juxta Regulam Sancti Benedicti, votum hoc in Ordine haberi ſolemne, eoſque Fratres Religioſos judicari, ut intelligi licet ex libro, cui titulus: *Nomaſticum Ciſtercienſe, ſeu antiquiores Ordinis Ciſtercienſis Conſtitutiones* 2. *parte libell. Ant. deſin. Ord. Ciſt.*

Ciſt. diſt. 14. *cap.* 1. *de receptione & Profeſſione Converſorum.* En verba : *Poſt annum veniat Novitius in Capitulum Monachorum, ubi primo proſtratus veniam petat, & ſurgens ad imperium Abbatis cum interrogatus ſpoponderit de ſtabilitate ſua, dicat Abbas : Det tibi Deus perſeverantiam, & reſpondeant omnes, amen ; & relicta omni proprietate faciat Profeſſionem hoc modo. Veniat ante Abbatem, flectat genua ſua, & jungat manus ſuas, ponatque eas inter manus Abbatis, & promittat ei obedientiam uſque ad mortem, & reſponſo ab omnibus, amen, & deoſculato Abbate, exeat, & diſcedat....* Præterea *Exordii Ciſtercienſis cap.* 15. ita habetur : *Inſtituta Monachorum Ciſtercienſium de Moliſmo venientium..... Tuncque definierunt ſe Converſos laicos Barbatos ex licentia Epiſcopi ſui ſuſcepturos, eoſque in vita ſua & in morte ſuſcepturos, excepto Monachatu, & ut ſemetipſos tractaturos.*

Deciſum Pariſiis die 20. Auguſti an. 1679.
Auguſt. *de Lamet.*

CREDITA MERX.

Dicitur Credita Merx, quam Mercator alicui tribuit ſperans eum ſibi deinde ſoluturum ; & hæc quidem fides eſt ad tres menſes, & quandoque ad longius temporis ſpatium. Sequentis Caſus argumentum in eo vertitur, ut appareat, an condemnandus ſit Mercator, qui fere charius vendit ſolutione dilata, quam numerata pecunia ; nihil eſt communius, quia Mercatores pro certo habent, ſe, ſi pecunia præſto eſſet, eadem uſuros in commercio, & lucrum ex ea percepturos, quod ſibi compenſant ſine præſenti pecunia charius vendentes. Videnda hujus Caſus deciſio.

Dilata ſolutio eſtne juſta ratio majori pretio vendendi.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Mercator frumentarius vendens frumentum ſine præſenti pecunia poſſit ſtipulari cum emptore, ut ſibi ſolvat, quanti valet, quo tempore mere tradita fuerit, tribuatque vicenos quinos annuos pro centenis ob ſolutionem ad annum dilatam ; ita ut ſi ei granum vendat, cujus pretium ſit librarum centum, emptorem obliget, ut eas centum libras poſt annum, & lucri libras viginti quinque ſibi perſolvat. Mercator in ſui gratiam ait I. ſe ſuæ mercis periculum ſubire, quia nonnunquam emptor evadit ſolvendo impar. II. ſi emptor ſtatim ſolveret, ſe percepturum lucrum ex ſua pecunia, quam in negotio collocaret, atque ita ſe damnum pati. III. perſæpe ſe de grano tunc vendendo non cogitare, ſed reſervare velle in eam tempeſtatem, qua fere charius venditur.

Negotiatores veſtiarii eodem modo ſe gerunt, & quod numerata pecunia vendunt quatuor libris in ulnas, non cedunt niſi libris quinque, & aliquando uſque ad libras quinque cum dimidio progrediuntur.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti cenſent Mercatorem frumentarium ſolutione dilata granum vendentem ſtipulari non poſſe cum emptore, ut ſibi ſolvat, quanti valebit, quo tempore tradetur merx, detque vicenos quinos annuos pro centenis lucri titulo ob ejus ſolutionem ad annum dilatam ; judicantque contractum hunc abſolute uſurarium eſſe, quoniam uſura, prout quidem ex veteri novaque Lege intelligimus, in eo conſiſtit, ut a debitore plus accipiatur, quam ei datum fuerit. Quamobrem Ezechiel Propheta cap. 18. eam exprimit vocabulo *ſuperabundantiæ* ; ut proinde abſolute prohibeatur ex mutuo lucrum percipi, ut a Divo Luca ſcriptum legitur : *mutuum date, nihil inde ſperantes*, quam quidem doctrinam jam Prophetæ tradiderant. Hinc liquet hunc Mercatorem, pro quo conſulitur, Sacræ Scripturæ præcepto ex diametro repugnare, ejuſque avaritiam tantam eſſe, ut non ſolum lucro contentus non ſit, quod fere percipit, cum granum vendit pretio, quo vult, traditionis tempore, ſed etiam velit quaterni denarii novum lucrum acquirere, quod emptori ſolutionem ad annum differat, quod omnem modum excedit, ſi quis tamen in crimine modus adeſſe poteſt. Ac ſi Mercatores in Canonico Jure damnantur, tanquam qui Dei Legem, quæ in Divo Luca continetur, impugnent, facile intellectu eſt præſentem facti ſpeciem nulla excuſatione molliri poſſe.

En verba capitis *Conſuluit lib.* 5. *Decretal. tit. de Uſuris. Et an negotiator pœna conſimili debeat condemnari, qui merces ſuas longe majori pretio detrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ei in continenti pretium perſolvatur. Verum quia quid in his caſibus tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſte cognoſcitur, in quo dicitur : Date mutuum, nihil inde ſperantes ; hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent, (cum omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in lege) judicandi ſunt male agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.* Quocirca cum negotiator frumentarius, pro quo conſulitur, nonniſi ob lucri cupiditatem ſolutionem remittat, incidit in eam damnationem Legis, *pro intentione lucri, quam habent, judicandi ſunt male agere*, nec poteſt ſibi præſidium quærere ex Mercatorum veſtiariorum conſuetudine, cum ii quoque ob eamdem cauſam delinquant.

Ut autem ad id reſpondeatur, quod objicitur I. eum de ſua merce periclitari, quia nonnunquam emptor ſolvendo impar evadit ; animadvertitur, mutuum ſemper aliquod periculum ſibi adjunctum habere, quia commodata res extra mutuantis manum poſita ad alienigenas devenire poteſt ; certumque eſt, eam ipſam rem in alterius poteſtate conſtitutam ſemper periculo obnoxiam eſſe pro mutuatarii bona aut mala fide ; hoc tamen periculum percipiendi lucri cauſam non ſuppeditat, quia, cum a mutuo ſit inſeparabile, prohibitio mutuum dandi animo lucri complectitur etiam generatim, quicquid neceſſario mutuum conſequitur, ac proinde periculum ſpectari non debet tanquam ratio, quæ lucrum in mutuo juſtum efficiat.

Deciſum in Sorbona......
Germanus *Fromageau.*

DEPOSITIO JUDICIS.

Cum Judices Dei locum teneant, alios judicandi poteſtas, qua gaudent, auctoritatis ſupremi Domini (*a*) participatio quædam eſt; quoniam, ut loquuntur ſacræ litteræ, judicium, quod pronunciare debent, non hominum eſt, ſed Dei ipſius. Illud igitur ſemper ob oculos habere debent, ſe rationem ſummam reddituros eſſe uſus ejus, quem fecerint ſibi concreditæ poteſtatis. Magnum veritatis ac juſtitiæ amorem cum Dei timore conjungere debent, ut traditur in libro Sapientiæ cap. 2. ac tatnum intereſt, eos invicta quadam fortitudine, qua alacriter & intrepide eamdem juſtitiam ſuſtineant præditos eſſe, ut ob hujus firmitatis & conſtantiæ, in Judicis functionibus obeundis, neceſſitatem Deus prohibeat Eccleſiaſtici cap. 7. v. 6. ne qui eo animo carent, ſubeant hujuſmodi miniſterium, ne forte alicujus Viri auctoritate, quominus juſtitiam exerceant, abſterreantur.

Illud

(*a*) Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, 2. Paralip. cap. 19. v. 6.

Illud etiam eadem ſacra Scriptura requirit in Judice, ut, nulla lucri cupiditate ducatur, nec ſe largitionibus, aliiſque rebus, quæ ejus fidem denigrare poſſint, corrumpi patiatur, quamvis juſta ſit ſententia, quam eſt pronunciaturus. Ei Lex (*a*) obligationem imponit reſtituendi, quicquid acceperit, ut ſententiam ederet ſive juſtam ſive injuſtam. Atque Imperator Juſtinianus (*b*) in Autentica damnat Judicem, qui pecuniam, ut juſtitiam proferret, accepit, ad ter ſolvendum, quod accepit, & Judicis officio privat. Eſt hoc argumentum inſequentis Caſus, in quo Dominus, a quo Judex pendet, eumdem ſe male gerentem tenetur deponere.

An malus Judex a Domino ſuo ſit deponendus.

CASUS.

1 *Dominus, quicquid in ipſo eſt, facere debet, ut a ſua ditione removeat malum Judicem, quem probum Virum credebat, cum ei contulit id muneris. In eum finem certo & evidenter cognoſcere debet eum contra juſtitiam delinquere, & quidem graviter.*

2 *Si hic Dominus, cum poſſit, malum hunc Judicem non deponit, Deo rationem redditurus eſt injuſtitiarum, quas ille committit, & tenetur in foro conſcientiæ reparare, quicquid damni Judex hic ſuis ſubditis infert.*

QUÆSITUM.

CUm Dominus in quadam e ſuis ditionibus poſuiſſet Judicem, quem probum virum credebat, & rectæ adminiſtrandæ Juſtitiæ maxime idoneum, intellexit deinde eumdem Judicem male ſe gerere, ita ut timendum ſit, ne auctoritate ſibi tradita utatur ad innocentes opprimendos, & rectum ordinem invertendum potius, quam ad eoſdem innocentes tuendos, juſque ſervandum. Tenetur necne Dominus hic in foro conſcientiæ Judicem hunc deponere, aliumque in eius locum ſufficere, qui iis dotibus præditus ſit, quæ ad hujus miniſterii obligationes digne implendas requiruntur? Secundo loco ſi Dominus hic id facere negligit, ac ſi malus hic Judex ſuos ſubditos opprimere pergit: redditurus necne eſt Deo rationem omnium, quæ Judex hic contra jus faſque fecit facietque, ac teneturne in foro conſcientiæ eadem flagitia reparare; & jubditorum ſuorum damna, quæcumque perferunt, compenſare?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat Dominum, qui in ſuæ ditionis loco Judicem poſuit, quem putabat probum hominem, & juſtitiæ recte adminiſtrandæ maxime idoneum, cum certo cognoſcit, ac detegit eumdem Judicem ita ſe ſe geſſiſſe, ut timendum ſit, ne auctoritate ad jus ſervandum, & innocentiam tuendam ſibi tradita abutatur ad juris & innocentiæ perniciem, quantum poteſt, curare debere, ut Judicem hunc removeat, eique alium ſubſtituat, qui a recto juſtitiæ tramite non aberret; ſed oportere, ut hac in re prudenter & caute ſe gerat, & pravam, qua ejuſmodi Judex utitur, rationem perſpectam habeat. Judex porro facile deponi poterit, ſi munus hoc Dominus gratis contulerit, non autem vendiderit. Si enim Judex officium emit, difficulter a Domino deponi poterit, niſi ipſe pecuniam, quam accepit, eidem reſtituat. Sed id ipſum non careret difficultate, ſi Judex hic pecuniam ſuam recipere nollet, & contenderet ſe id officii emiſſe, ut, quoad viveret, eo frueretur. Illud convenit, clauſulam, ut tamdiu munus obtineat, quamdiu Domino placuerit, quæ fere uſurpatur in proviſionibus, fore maxime favorabilem. Eſt porſus indubitatum, pecuniam, quam accepit, a Domino reddendam eſſe, ſi id unum ſufficiat ad pravum Judicem deponendum, & impediendum, ne contra juſtitiam peccare pergat. Dominus ſuis ſubditis juſtitiam debens, tenetur ipſis rectum Judicem tribuere, nec unquam debet renuntiare juri, quo gaudet, ejuſmodi munia illis adimendi, qui iiſdem abutuntur. Verum acceptam pecuniam retinere poſſet, ſi ejus crimina ſatis perſpecta haberet, ut ipſum inquireret, eumdemque per Superiores Judices deponendum curaret; quod ille aggredi non debet, niſi de proſpero exitu certus ſit.

II. Facta hypothesi Domino jus eſſe removendi Judicis, quem improbum, & injuſtum novit, ni removeat, eumdem in ſe recipere omnia damna, quæ ejus ſubditi perferunt, ac proinde teneri ea omnia mala ſarcire, quorum pravus Judex cauſa eſt; ſed Dominus, ut eo deveniat, debet rurſus ita de malo cognoſcere, ut dubitare omnino non poſſit.

Deciſum in Sorbona die..... an. 1676.

Aug. *de Lamet*.

DEPOSITUM.

DEpoſitum Contractus quidam eſt, quo cuſtodienda res alteri traditur. Ex hac definitione facile intellectu eſt, Depoſitarium re depoſita legitime uti non poſſe, ſed ejus tantum cuſtodem eſſe; in quo quidem Depoſitum ab eo differt, quod latine dicitur Commodatum, in quo res utenda traditur, & a pignore, in quo mutuans rem accipit ad ſui crediti ſecuritatem.

Exiſtit Depoſiti forma, quæ judiciaria nuncupatur, quæque fit rei contentioſæ in manu Judicis, aut Sequeſtris, donec declaratum fuerit, ad quem demum ſpectare debeat. Eſt & alia Depoſiti ratio, qua apud perſonam publicam Debitor utitur, ut ſe a diuturniore cenſuum ſolutione hoc modo liberet. Et ſane aliquando contingit Debitorem ſuo Creditori ſolvere volentem obſtacula reperire, atque adeo Creditorem nolle ſolutionem recipere. Ad extremum proprie dictum Depoſitum eſt, cum alicui res traditur cuſtodienda; & hoc in ſenſu nuncupatur Depoſitum a verbo deponere, quod ſignificat apud alium ponere, ubi particula *de* indicat rem depoſitam Depoſitarii bonæ fidei omnino concreditam eſſe.

Certum eſt, juxta legis verba, Depoſitarium criminis Latrocinii reum eſſe, cum utitur Depoſito, cujus uſus valorem imminuit, niſi Depoſiti dominus expreſſe aut tacite in id conſenſerit; ex quo ſequitur, ſi veſtis, aut ejuſmodi res aliqua depoſita fuerit, eaque Depoſitarius utatur abſque expreſſo aut tacito Domini conſenſu, eumdem ad reſtitutionem obligari, quia depoſitæ veſtis pretium ex uſu imminutum eſt. Quod ſi depoſita pecunia eſt, aut ſacculo concluſa eſt, & tunc peccat Depoſitarius, ſi quid inde decerpat, ſatis intelligens ex ratione, qua ſibi credita pecunia eſt, ſe eadem uti Dominum nolle; ſin pecunia apud eum depoſita eſt, quin obſignaretur, Depoſitarius ea uti poteſt, dummodo tamen certus ſit ſibi aliam præſto fore, cum Dominus eam repetierit: „ (*c*) ſi ego obſignarim „ pecuniam, inquit lex, & eam deinde deponam, Depoſitarius, qui ea, me repugnante, uteretur,

„ La-

(*a*) L. item ſi ob ſtuprum ff. de conditione ob turpem cauſam.

(*b*) Novo jure eod. de pœna judicis, qui male judicaverit.

(*c*) L. Si ſacculum ff. depoſiti.

„ Latrocinii crimen committeret. Quod ſi e converſo in ejus uſum conſentiam, ſolùm tenebitur red-
„ dere cenſus a die petitionis.

Si Depoſitum pereat apud Depoſitarium, non tamen ejus culpa, non obligatur ad ullam reſtitutionem, in qua nihilominus ſecum tuta conſcientia diſpenſare non poſſet, ſi hoc idem Depoſitum ſua culpa perire pateretur. Hæc eſt ſententia D. Thomæ, qui nihil aliud docet, quam quod Lex, damnans ad Depoſiti reſtitutionem eum, qui fraude, aut culpa gravi illud perire paſſus eſt; atque in Depoſiti negotio gravis culpæ nomine venit incuria Depoſitarii in Depoſiti conſervatione, propterea quod ad Depoſiti cuſtodiam perinde incumbere debet, atque ad ea ſervanda, quæ ad ipſum pertinent; Si ſecus faxit, incidit in malam fidem; qua adſtringitur ad rem depoſitam, ſi pereat, reſtituendam; at ſi minus gravis culpa ſit, tenetur tamen reſtituere in duplici facti ſpecie I. ſi quid accepit, ut Depoſitum cuſtodiret. II. ſi Depoſitarius cum Deponente conveniat de ſolvendo Depoſito, ſi pereat. Eadem adeſt obligatio, ſi Depoſitarius ultro ſe offerat, maximam pollicitus diligentiam.

Solum Depoſitum coactum propter aliquod incendium, tumultum, aut aliam hujuſmodi cauſam probari poteſt teſtium ope, ſi negetur. Quoad voluntaria, Deponens ſibi imputare debet, quod infidelem Depoſitarium elegerit. Reſcriptis judicatum eſt jusjurandum a Depoſitario petendum non eſſe quoad Depoſiti conditiones, ſed ſimplici declarationi ſtandum eſſe. Qua Depoſitario fidei plurimum adhibetur, ac re depoſita ipſe uti nequit, ideo non recipitur ad beneficium ceſſionis bonorum. Cæterum Depoſitarius non tenetur niſi dolo ſuo, atque extrema negligentia, ut paulo ante dictum eſt. Præſcriptio in Depoſitorum negotio locum non habet.

Pecunia apud amicum depoſita, & erepta.

CASUS.

2 *Depoſitarius tenetur reſtituere Depoſitum, quod ablatum eſt, in triplici facti ſpecie; I. cum furtum contigit ejus culpa; II. cum ejus ſe cuſtodem exhibuit, ſeque illud ſervaturum promiſit; III. cum certum ei pretium ſolvitur pro illius cura & cuſtodia.*

QUÆSITUM.

Titius librarum quindecim mille ſummam Depoſiti titulo tradidit Sempronio; cum Depoſitarius hanc ſummam in ſcrinio una cum ſua pecunia, & cum alio Depoſito ſummæ..... poſuiſſet: ſcrinium apertum fuit, quin cogeretur, aut rumperetur, & duo Depoſita ablata ſunt, quin dictus Sempronius animadverteret quicquam ex propria pecunia ſibi ereptum eſſe, quamvis in eodem ſcrinio ingentes ſummas teneret. In mille quidem librarum ſacculo deeſſe comperit ſcuta circiter viginti quinque aut triginta, & parem ſummam poſitam eſſe loco librarum quindecim mille aureorum nummorum, qui ablati ſunt, ad ſacculum propemodum æqualiter craſſum reddendum. Sempronius virtute & probitate eſt ſupra ſuſpicionem omnem; ſed valde probabile eſt, ut ipſe putat, furtum commiſſum eſſe, eo vel ruri verſante, vel in Urbe prandente, ab aliquo Familiarium nacto ſcrinii clave, quam ille in armario ſatis obvio ponebat.

Calliditas reponendi nummos argenteos aureorum loco, & furandi Depoſitorum tantum pecuniam; dum Sempronii pecunia intacta relicta eſt, videtur oſtendere Furem domeſticum fuiſſe, & de re tota peritus cognoviſſe. Itaque Sempronius de quodam ex ſuis Familiaribus vehementer ſuſpicatus eſt, & ſuſpicionis quidem conjecturæ ei præſto fuere; minime tamen eum apud Judices accuſavit, propterea quod is, de quo ſuſpicatur, ejus eſt conſanguineus. Quæritur, quid hac in re Sempronius in conſcientiæ foro facere debeat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat,

I. Si negotium, quod in manibus eſt in externo foro ageretur, magnam fore præſumptionem adverſus ſempronium, qui ea Depoſita, quæ ablata ſunt, voſuerat in uno eodemque loco cum ſua propria pecunia, ex qua nihil decerptum eſt. Hæc enim circumſtantia, ſi illud quoque animadvertatur ſcrinii clavem ſatis obviam fuiſſe, quippe quæ in armario patente exiſteret, parum ſempronio favorabiles efficeret Judicum animos.

II. Ad internum forum quod attinet, pro certo habendum eſt, eum, qui Depoſitum recipit, ejuſdem cuſtodiendæ obligationem contrahere. Igitur ſi Sempronius rationabilem diligentiam ad Depoſiti cuſtodiam non contulit, exempli cauſa, ſi ſcrinii clavem in armario, quod non claudebat, ex habitu reliquit, ita ut ejus tantum Domeſtici illud aperire poſſent, graviter peccavit, craſſæ negligentiæ reus extitit, & obligationi defuit, quam Depoſitarius cum eo contrahit, qui propriam ſibi rem credit. Culpa hæc eſſet ejus ſimilis, quæ vulgo dicitur, *lata culpa, quam regulariter omnes communiter vitant*; quia nempe nemo unus eſt, qui ſuos Domeſticos relinquat ejus loci Dominos, in quo ſuam pecuniam recondit. Quocirca difficile ſempronius eximi poſſet a reſtitutionis obligatione, ſi in tam craſſam negligentiam incidiſſet, juxta doctrinam Capitis *Bona fides*, quod, ut aſſolet, utque id Depoſitorum conſervationem par eſt minime caverit.

At ſi Sempronius Depoſitum tam ſancte, quam vir prudens poteſt, cuſtodiendum ſumpſit, nulla adſtringitur obligatione, facta tamen hypotheſi eum Titio non promiſiſſe, ſe ipſius Depoſitum, quicquid acciderit, ſervaturum, nihil accepiſſe pro cuſtodia, nec ſemetipſum ad illud Depoſitum recipiendum ultro obtuliſſe, in hac enim triplici facti ſpecie jactura Depoſitarium afficit, ut ſtatuitur in capite *Bona fides*. En verba Gregorii IX. relata hoc eodem capite: *De culpa quoque teneris, ſi te ipſum Depoſito obtuliſti, vel ſi aliquid pro cuſtodia recepiſſet*. Et Gloſſa hoc verbo *culpa*: *Quandoque tamen in caſibus præſtat culpam Depoſitarius, ſi ſe obtulerit Depoſito; item ſi mercedem accipiat pro cuſtodia*. Ad hoc caput *Bona fides* iis, qui conſulunt, remittuntur.

Deciſum Pariſiis hac die 14. Martii an. 1677.
Auguſtinus *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

DEBITUM CONJUGALE.

Conjugale debitum inter Virum & Uxorem naturali & divino Jure nititur; quoniam in Geneſi dictum eſt, relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; quod fieri nequit, inquit Ben dictus I. *niſi carnali copula ſibi cohæreant*. Ea porro Legis veteris verba confirmavit Chriſtus Dominus Matthæi cap. 19. S. Paulus in prima ad Chorintios Epiſtola ſtrerba eadem confirmat: *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite frau-*

fraudare invicem, (nempe mutuum debitum negare) *niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*. Quod in cauſa fuit, cur S. Auguſtinus verba hæc pronunciaret: *Si dicat vir, continere jam volo: nolo autem, uxor; non poteſt: quod enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? . . . . . Redde debitum, & ſi non exigis, redde; pro ſanctificatione perfecta Deus tibi computabit, ſi non, quod tibi debetur, exigis, ſed reddis, quod debetur uxori*. Atque hæc obligatio tanta eſt, ut debiti Conjugalis in partium alterutra recuſatio in iis caſibus, in quibus reddendum eſt, peccati mortalis a Doctoribus arguatur. Quam ob cauſam ita ſtatuit Sanctus Antoninus: *eſt mortale in denegante debitum petenti omnino, ſi non habeat cauſam rationabilem excuſantem*.

Exiſtunt tamen caſus, in quibus vir & conjux ab hujuſmodi reddendo debito excuſari poſſunt; ejuſmodi ſunt gravis morbus, prægnatio, ſi lædendi fœtus periculum adſit, timor alicujus mali peſtiferi, & id genus alia, quæ apud Caſuiſtas occurrunt. Caſus inſequens, qui occurrit etiam apud D. *de Sainte Beuve*, ſpectat ad Fæminam, quæ quoties gravida fit, de vita periclitatur. Expenditur, an in ejuſmodi circumſtantiis illa viro ſuo debitum reddere teneatur.

Uxor, cui permittitur conjugale debitum marito negare.

CASUS I.

1 *Fæmina, quæ gravida fieri nequit abſque graviſſimo vitæ diſcrimine, Viro debitum reddere non tenetur; immo vero nequit citra peccatum.*

2 *Debet, quantum poteſt, viro ſuo perſuadere, ne cogat ipſam ſecum concumbere, neve eam deſerat, facta hypotheſi eamdem tuta conſcientia concumbere non poſſe.*

QUÆSITUM.

Thereſia, poſtquam quinque aut ſex filios ex Viro ſuſcepit, quorum poſteriores duos mortuos edidit, in præſentia ſaniorum Medicorum judicio obnoxia eſt evidenti mortis periculo, cum primum ei venter intumuerit. Orat illa Sorbonæ Doctores, ut qua ratione ſe gerere debeat in matrimonii negotio, enucleate & candide ediſſerant; ajentibus Confeſſariorum nonnullis eam debere viro obſequi etiam cum vitæ periculo; contendentibus e converſo aliis ei cum ipſo ne concumbere quidem licere, ne cum periculo vitæ concipiat.

Quamobrem interrogat illa, I. an poſſit tuta conſcientia matrimonii debitum reddere? II. An facta hypotheſi id ei ſecundum Deum non licere, poſſit tamen cum viro id ipſum omnino poſtulante concumbere? Ea quidem certa eſt, ſibi virium ſatis eſſe, ut matrimonii actum, vel concumbens, eidem recuſet. Cæterum minatur vir ſe & ipſam & filios relicturum, ſi ab ejus concubitu ſe ipſa ſubducat. Afflicta hæc fæmina, Domini, vos obteſtatur, ut difficultates, quas proponit, enodetis, quo cognoſcat, quid ſibi ineundum conſilii ſit, & ne ſibi deſit, quin propriæ familiæ perniciem afferat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, communi ſententia Theologorum, D. Thomæ *in 4. diſt. 32. art. 1.* S. Antonini *3. part. tit. 1. c. 20. §. 10.* Majoris *in 4. diſt. 32.* fæminam matrimonii debitum reddere non teneri, cum idoneis Medicis aſſerentibus, ſi venter intumeat, incidit in evidens vitæ periculum, quicquid ii contendant, quos Diana refellit *p. 6. t. 7. reſolut. 64.* D. Thomas de mutuo conjugum debito verba faciens, illud tanquam principium certum ponit, unumquemque naturæ inſtinctu, & jure, cui nemo, matrimonio contrahendo, renunciat, primum ac præcipue ad ſuam ipſius conſervationem, propriique individui perfectionem incumbere, antequam de ſpeciei propagatione cogitet: *hic eſt ordo naturalis, ut prius aliquid in ſe ipſo perficiatur, & poſtmodum alteri de ſua perfectione communicet*. Ex quo concludit hic Sanctus Doctor conjugatos teneri matrimonii debitum reddere, *ſalva tamen prius incolumitate perſonæ*. Et in Reſponſione ad ſecundum pronunciat, uxorem petentem debitum cum periculo vitæ viri (quod reciprocum eſt) injuſtitiam committere: *Unde ſi ultra exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio*.

Uno verbo Vir & Conjux non ita abſolutum invicem conſenſum habent, ut debitum exigentes ſeſe poſſint in mortis periculum moraliter certum adducere, aut grave incommodum pati; ex quo ſequitur non modo eos non debere in ſimili facti ſpecie debitum reddere, ſed ne poſſe quidem abſque peccato petenti debitum ſatisfacere. Videri poſſunt Sanchez & Auctores, quos laudat *lib. 9. diſp. 24. n. 8. de Matrim. Certum eſt*, inquit Baſilius Poncius *L. 10. c. 14. n. 3. apud Doctores, & communi ſenſu receptum* in 4. diſt. 32. *cum notabili valetudinis detrimento non teneri, nec poſſe reddere debitum, neque ab eo exigere ſine peccato propter eamdem rationem*. Layman *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. n. 5.* & complures alii ejuſdem ſententiæ ſunt. Sotus in Divum Thomam ait inverti naturæ ordinem, ſi in notabilis damni caſu conjugale debitum exigi aut reddi contendatur: *Nemo ergo hunc ordinem pervertere tenetur; immo nec ulli licet*. Denique Romanus Medicus, qui in lucem edidit quæſtiones, quas Medico-Legales inſcripſit, *l. 7. tit. 3. q. 2. n. 1.* mortale peccatum ait eſſe in propoſita facti ſpecie debitum exigi ac reddi: *Quamquam conjuges ex juſtitia teneantur ſibi invicem reddere matrimonii debitum, tamen excuſantur, quandocumque redditio futura eſt cum propriæ ſalutis periculo: unde non ſolum non tenentur eo caſu reddere, ſed reddendo & exigendo mortaliter peccant*.

Hoc poſito, reſpondetur I. Thereſiam in periculo, quod eidem imminet, non teneri Viro ſuo debitum reddere, nec vero poſſe, quin peccet.

II. Quantumvis Thereſia promittat, & ſe certam eſſe contendat ſe cum Viro concumbentem ei tamen conjugale debitum omnino non redditurum, moraliter eſſe impoſſibile id ſerius ocyus non aliquando futurum eſſe, viro cum conjuge blande ac liberius agente. Videtur igitur illa ſe ponere in occaſione proxima id faciendi, quod ei non licere animadvertimus, propterea quod voluptati & ſatisfactioni carnali, quam ex ea vir requirit, propriam vitam anteponere debet.

Debet igitur Thereſia pro viribus ſibi cavere, ne ſcilicet una concumbat, atque uti conſilio ſapientis prudentiſque Directoris, aut alterius docti viri, cui vir magnopere fidat, quique in ejus animum ea gratia polleat, ut ipſum ad eam minime deſerendam adducat. Quod rationis eſt, debet iis ſtare, quæ ſupra ſtatuta ſunt.

Deciſum hac die 25. Januarii an. 1705.

G. Fromageau.

Idem Argumentum.

CASUS II.

1 *Mulier, quæ quoties concipit, ac parit, in vitæ periculo ſemper verſatur, non tenetur Viro conjugale debitum reddere.*

2 *Quid Marito in hac facti ſpecie poſito faciendum ſit.*

QUÆSITUM.

Gillula Martini Uxor per tres poſteriores prægnationis menſes ægrotat quam graviſſime. Id experta eſt filiis tribus, quos peperit, ex quo nupſit. Horum trium menſium ſpatio nullus dies eſt, quo non pluries deficiat, nec unquam parit, quin periculoſo morbo ſex menſium ſpatio prematur. Quod in cauſa fuit, cur ejus Medicus pronuncia-

ciaret, eam, ſi parere pergat, non poſſe mortem effugere. Maritus annos natus non amplius triginta, quique apud eam, per duos tantum in anno tres-ve menſes verſatur, conjugale debitum per id tempus a conjuge vehementer petit. Quamobrem Gillula Sorbonæ Doctores rogat, ut decidant, an illa poſſit tuta conſcientia debitum viro negare, propter evidens periculum, in quo jacet prægnationis tempore, & ſex menſium ſpatio poſtquam peperit; quod periculum Medici judicio tantum eſt, ut novo partu vitæ jacturam certo factura ſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, quoniam id agitur, ut vir eo jure privetur, quod juſto titulo adeptus eſt, a propria uxore conjugale debitum exigendi, neceſſe eſſe, ut moraliter certum ſit non unius tantum Medici teſtimonio, ſed plurium aut ſaltem duorum, qui quidem in ea, quam profitentur, arte multum valeant, aſſertione, Gillulam, quod matrimonii eſt, præſtare non poſſe, quin evidens vitæ periculum ſubeat. Hoc in caſu a debito ſoluta eſt; ut enim ait Divus Thomas *in Supplem. q. 64. art. 1.* & poſt eum Theologi, tenetur mulier debitum reddere *ſalva prius incolumitate perſonæ*: Sylvius in hunc D. Thomæ locum *q. 4.* loquens de Fæmina, quæ debitum ſolvens eſſet in vitæ periculo, & non ſolvens in periculo incontinentiæ, putat eam non debere ad incontinentiam vitandam viro debitum reddere, quia ut ab incontinentia ſibi caveat, ad alia remedia confugere poteſt, eamque in hac facti ſpecie debere perinde ſe gerere, ac ſi vir æger, aut captivus apud hoſtes jaceret: *ideo*; inquit, *verius videtur, quod non poſſit petere, & quod debeat id agere, quod ageret, ſi maritus ſuus aut perpetuo morbo laboraret, aut detineretur in carcere apud hoſtes, in 4. diſt. 32. q. 1. art. 1.* Decidit univerſim Sotus conjugum neutrum teneri debitum ſolvere, cum alteruter in mortis certum periculum ſeſe conjicit; illud enim naturæ & charitatis ordo requirit, ut quiſque primum proprii individui conſervationi ſtudere debeat, ante quam de eo cogitet, quod alter petendi jus habet: *non tenetur alteri debitum reddere cum detrimento ſalutis conſervandæ ac proprii individui, quia ordo tam naturæ, quam charitatis, quæ naturam perficit, id poſtulat, ut unaquæque res accuratius ſibi conſulat, quam alteri.* Id natura nos docet; facultas enim, quæ vegetans dicitur, id quod ad individuum conſervandum neceſſarium eſt, in varias corporis partes primo diſtribuit: deinde quod ſupereſt, ad ſervandam ſpeciem accommodat. Quoniam porro a natura inſtitutum ordinem inverti non licet: ita ne fæminæ quidem licet morti ſe obnoxiam reddere, ut virum ſuum Patrem faciat: *Unde*, inquit Sotus idem, *cum nutritiva virtus conſervationi individui ſerviat, generativa vero conſervationi ſpeciei, natura provida ſic individuis conſuluit, ut nutritiva individuo prius provideat, & deinde quod ſuperfluit, generativæ ſubminiſtret. Nemo ergo hunc ordinem pervertere tenetur: imo neque id ulli licet.* Non debent tamen, addit ipſe; vir aut uxor, ſpecie mali non ita gravis, conjugali debito, quod ad juſtitiam ſpectat, deeſſe; aliter exiſteret mala fides: *Quamvis hic anſam malæ fidei ſurripere nemo debeat, ut conjugem iſto colore defraudet. Nam & ſi quandoque parvum aliquod detrimentum valetudinis timeatur, nihilominus virtuti juſtitiæ ſatisfaciendum eſt.*

Ex his omnibus ſequitur

I. Gillulam non teneri Viro ſuo debitum reddere, ſi idoneorum Medicorum ſententia conſtet ipſam in mortis periculo verſaturam, ſi forte in poſterum ventrem gerat, & prolem rurſus emittat.

II. Eam coram Deo participem non fore mali, quod vir patrabit, ſi hac occaſione contra continentiam peccaverit.

III. Virum hunc ad aliquem idoneum & prudentem Confeſſarium accedere debere, ut ex eo cognoſcat, quibus potiſſimum remediis ſibi cavere poſſit ab incontinentia, cui eſſet obnoxius, ſi non amplius matrimonio uti poſſet. Sane Conjugis ſuæ conſervationem propriæ voluptati præferre debet; præterquam quod illa in pluribus aliis rebus eidem utilis eſſe poteſt. Ita ille ſe gerat, ut ſi quis caſus eum reddendo huic debito imparem reddidiſſet: *Uxoris nomen*, veteris Auctoris verba ſunt, *nomen eſt dignitatis, non voluptatis.*

Deciſum hac die 3. Januarii 1701.

G. *Fromageau.*

Debitum negatum viro, qui comitiali morbo laborat.

CASUS III.

1 *Tenetur uxor Viro comitiali morbo laboranti debitum reddere, dum petit, ac timor, ne filii eodem morbo inficiantur, eam excuſare non poteſt.*

2 *Debet illa conſcientiæ rationibus, quæ viro ſuppetere poſſunt, reſpondere.*

QUÆSITUM.

QUædam Fæmina Viro nupſit comitiali morbo laboranti; poſt aliquot annos conjugalis commercii, ex quo filios habuit, dedignatur, nec amplius ei matrimonii debitum reddere vult. Adducit rationes tres. I. ait eum, quo vir laborat, morbum ſibi horrori eſſe; II. filios, quos ex eo conciperet, huic eidem morbo obnoxios fore, & jam eorum nonnullos eo infectos eſſe; III. virum ſuum a concubitu abſtinentem ægrotare minus frequenter.

Vir contra ſtat, nec excuſationes audire vult, contendens, ejus rationibus nihil obſtantibus, eam ſibi obedire debere.

Quæritur, an Fæmina hæc viro petenti teneatur Conjugale debitum reddere;

Sorbonæ Doctores rogantur humillime, ut hac de re dicant quid ſentiant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſita vidit & expendit, rationeſque a muliere, de qua ſermo eſt, allatas, ne viro conjugale debitum reddat, exiſtimat oportere, ut eadem Fæmina Viro petenti debitum reddat. Obligatio hæc conſequitur naturam contractus Matrimonii, quod cum validum ſit, viro in uxorem tribuit poteſtatem; ut proinde, quod ait Apoſtolus *Corinth. 7. v. 4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir.* A conjugali debito tum ſolum eximi poſſet, ſi morbi, quo vir laborat, contrahendi verum periculum adeſſet. Sed nihil tale apparet; & ſane plures ea filios habuit, quibus ejuſmodi nihil accidit.

Horror porro, quo ſe mulier ob viri morbum affici ait, in cauſa eſſe non debet, ut recedat a debito, quo obſtricta eſt ex allato Apoſtoli præcepto: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & Uxor viro*; Atque id quidem multo minus, ſi morbum, cui vir obnoxius eſt, ante quam nuberet, non ignoravit.

Ejuſdem timor, ne filii eodem, ac Pater, morbo inficiantur, eam a conjugali debito legitime non excuſat, ut docet D. Thomas (*a*). Præſtat enim, infirmum naſci, quam omnino non eſſe: & *quamvis*, ejus verba ſunt, *proles generetur infirma, tamen melius eſt ſic eſſe, quam penitus non eſſe.* S. Antoninus, Sylveſter, & Barboſa ejuſdem ſententiæ ſunt.

Denique viro, de quo quæritur, ſubeſſe poteſt aliqua conſcientiæ ratio, cur ab Uxore Matrimonii debitum petat; ea verbi cauſa, de qua loquitur Apoſtolus loco laudato: *iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Quamobrem cum detrimento conſcientiæ viri perperam conjugale debitum marito negat, inquiens eum rarius ægrotare, dum abſtinet. Uno verbo non ſpectat ad fæminam, quæ viro ſubjecta vivere debet, ſubjectioni ſuæ terminos conſtituere, allatis præſertim ſimilibuſve de cauſis.

Deciſum Pariſiis hac die 14. Maii an. 1695.

G. *Fromageau.*

An-

(*a*) S. Thom. in 4. diſt. 32. quæſt. unic. art. 2. ad 4. S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 10. Barboſa in cap. Quoniam de conjugibus leproſis. Sylveſt. V. debitum N. 2. §. Secunda eſt.

DECANUS.

DEcani titulus ætatis eſt, aut dignitatis. Ætatis quidem, cum alicujus Societatis ſeniori tribuitur; Dignitatis vero, vel officii, dum iis, qui diſtinctum in Societate gradum tenent, accommodatur, tametſi ſeniores non fuerint. Aderant antiquis temporibus apud Monachos Decani, de quibus in Sancti Benedicti Regula mentio fit. Occupabant illi gradum tertium poſt Præpoſitum & Abbatem in Monaſteriis; & deinde præpoſiti fuere regendis iis, quæ ab antiquis Monachis dicebantur, Cellæ, Prioratus, & Obedientiæ, quæ a Monaſteriis pendebant, quemadmodum in Cluniacenſi Ordine fieri conſuevit.

Subſecutis temporibus, cum in Sæcularium poteſtatem Abbatiæ deveniſſent, illi poſuere Præpoſitos & Decanos, ut ſuo nomine eaſdem adminiſtrarent; & ad horum Decanorum regularium imitationem Canonici in aliquibus Capitulis Decani nomen ei tribuerunt, qui ipſis præerat; idque evaſit valde commune, cum Præpoſiti titulus jam in multis Eccleſiis abrogatus fuerit, aut Decani titulo locum dederit.

Sunt & Decani inter Ruſticanos Parochos, qui dicuntur Decani Rurales, & aliquomodo ſunt Archipresbyteri. Verum in ſequenti facti ſpecie agitur tantum de Collegiatæ Eccleſiæ Decano, qui ſibi vindicabat diſciplinæ & correctionis Juriſdictionem, Capitulo contra ſtante.

Juriſdictio Decani Eccleſiæ Collegiatæ.

CASUS.

1 *Decanus de jure communi Juriſdictione gaudet in Corpus & Membra, quorum Caput eſt.*
2 *Quamvis Epiſcopus Superior ſit, Decanus & Capitulum poſſunt habere jus errata puniendi.*
3 *Juriſdictio hæc ad levia tantum errata refertur.*

QUÆSITUM.

IN Collegiata quoad forum contentioſum Epiſcopo ſubjecta in quæſtionem vocatur, ad quem demum quæ diſciplinæ & correctionis dicitur, Juriſdictio pertineat. Contendit Capitulum eam ad ſe ſpectare, eaque ſe in omnes ſuæ Eccleſiæ ſubditos nemine excepto, uti poſſe. Contra Decanus pronunciat ſe ab Epiſcopo tantum pendere, nullamque Canonicis in ſe ipſum, bene vero ſibi in Canonicos Juriſdictionem ſuppetere.

Rogantur Sorbonæ Domini, I. ut definiant hujuſmodi articulos; II. ut ediſſerant, in quo ſita ſit, & quatenus patere poſſit ea Juriſdictio, quæ dicitur correctionalis?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, I. Collegiatæ Eccleſiæ Decano de jure communi Juriſdictionem præſto eſſe in Corpus & Membra, quorum Caput eſt. Ita traditur in cap. *Irrefragabili de offic. in d. ord.* Ita etiam ſentit Pyrringus *tom.* 2. *lib.* 2. *tit.* 2. *ſect.* 3. *n.* 76. necnon Guimerius in Pragmaticam *tit. Quomodo off. divin. ſi celebr. v. Decanus*; ubi ita loquitur: *ubi tamen Decanus eſſet Prælatus Eccleſiæ Collegiatæ, de jure haberet Juriſdictionem Ordinariam in illos de Collegio.* In ſuæ opinionis confirmationem citat caput, *Cum ab Eccleſiarum*, additque hanc conſuetudinem in omni fere Gallia receptam eſſe: *Quaſi in omnibus Eccleſiis Regni Franciæ hæc obtinet conſuetudo, quod Decani Juriſdictionem habent in Capitulum, & in aliquam parte Cleri.* Quamobrem niſi ex Titulo, aut ex Conſuetudine immemorabili contrarium appareat, Collegiatarum Eccleſiarum Decani Juriſdictione in Canonicos gaudere debent. Cum conſuetudo ipſis non favet, varius mos eſt, inquit Fevretus *l.* 4. *c.* 4. Aliquando Capitulum in Decanum æque atque in Canonicos jus habet; aliquando Juriſdictio Decano & Capitulo communis eſt; ac proinde videndum eſt, quænam ſit Capituli, quod conſulit, conſuetudo, ut an ſit necne in poſſeſſione Juriſdictionis, intelligatur.

II. Quamvis Epiſcopus Eccleſiæ Collegiatæ Superior ſit, nihilominus errata, quæ in Eccleſia & Choro committuntur, puniendi jus penes Decanum & Canonicos eſſe poteſt, Juriſdictionis quadam ſpecie, quæ a Canoniſtis dicitur Correctionalis, & æconomica *cap. Irrefragabili de offic. in d. ord.* Eorum enim, quæ extra Eccleſiam peccantur a ſubditis, punitio ad Epiſcopum, vel ejus Officialem pertinet *cap. Cum contingat de foro compet.* niſi Capitulum ex privilegio, aut conſuetudine ordinariam in ſua Membra Juriſdictionem obtineat: *niſi forte hi, quibus delinquentes ipſi deſerviunt, ex indulgentia vel conſuetudine ſpeciali Juriſdictionem hujuſmodi valeant ſibi vindicare.*

III. Sive Decani, ſive Canonicorum Eccleſiæ, quæ conſulit, Juriſdictio ad leves tantum culpas extenditur, cujuſmodi ſunt immodeſtia in Eccleſia, notabilis in obeundo munere negligentia, coma longior, & id genus alia, ob quæ Decanus & Capitulum leviter tantum & ad tempus punire poſſunt; exempli cauſa Canonicum privare diſtributionibus, a Choro, & a Capitulo arcere, ad inferiora loca trudere, levibuſque aliis pœnis mulctare, quæ fraternam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodiendæ neceſſariam correctionem potius ſignificant, quam id quod ordinaria Juriſdictio nuncupatur. Nec Decanus enim nec Capitulum Eccleſiæ, quæ Epiſcopi Juriſdictioni ſubjecta ſit, poſſunt in carcerem conjicere, adimere Beneficia, excommunicare inobedientes, & ſcandaloſam vitæ rationem ducentes; id omne reſervantur Epiſcopo, qui plena in eos Juriſdictione civili & criminali inſtructus eſt. Fevretus libro ſupra appellato *c.* 4. hæc omnia tradit, confirmatque *n.* 3.

Hinc ſequitur, in controverſia, quæ inter Collegiatæ, qua de agitur, Eccleſiæ Decanum & Capitulum intereſt, conſuetudini & poſſeſſioni ſtandum eſſe. Videtur Decanus eam tantum honoris prælationem in Canonicos habere, ut primam ſcilicet ſedem occupet. Si proprie loquimur, ejus Decanatus eſt ſimplex Perſonatus, & non Dignitas, cui vera Superioritas cum Juriſdictionis ratione conjuncta ſit; ac proinde Decanus hic, niſi ei faveat conſuetudo, nulla in Capitulum Juriſdictione gaudere, adeoque ipſe quoque non minus quam cæteri Canonici eidem ſubeſſe videtur.

Deciſum hac die prima Julii an. 1693.
G. Fromageau.

DECIMÆ.

QUuod *Decima* & *Decuma* dicitur, proprie decimam alicujus rei partem ſignificat; ſed id nominis vulgo uſurpatur, ut id innuat, quod ruſticani Parochi ſumunt ex terræ fructibus, & quandoque, prout conſuetudo ſe habet, ex pecudibus, & volatilibus privatorum, qui intra eorum Parochias degunt. In veteri Lege Judaicus Populus ſuorum bonorum decimam Sacerdotibus & Levitis ſolvebat; atque hæ quidem decimæ dubio procul erant inſtitutionis divinæ. Contendunt Auctores nonnulli idem aſſeri non poſſe de decimis, quæ Clericis perſolvuntur, quia non apparet eas a Chriſto Domino inſtitutas fuiſſe, aut a primitivis Chriſtianis decimam partem bonorum, quæ poſſidebant, Clero ſolvi conſueviſſe. Vivebant Clerici ex eleemoſynis Fidelium, qui ipſis re vera ſubſiſtentiam debebant, propterea quod divini & naturalis juris eſt, ut qui ſervit Altari, de Altari vivat; at ſubſecutis temporibus is mos inſtitutus eſt, ut Clero tribueretur propriorum proventuum certa quædam portio, quæ decima dicta eſt ad ejus ſimilitudinem, quam in veteri Teſtamento Sacerdotibus & Levitis Judæi tribuebant. Moris hujus veſtigia occurrunt in quarto & quinto ſæculo. At mos ipſe vim legis non habuit niſi ſæculis inſequentibus, in quibus Canones anathematis pœna, & Principum Leges coegere Laicos ſuorum redditũum, fructuumque, quos collegiſſent, decimam Clericis ſolvere.

Verum maxima licet cura inſtitutæ fuerint hæ decimæ, varias ex conſuetudine reſtrictiones ſortitæ ſunt. Non amplius perſonalis decima ſolvitur in Parochiarum pleriſque, & realis nequaquam percipitur ex fructibus civilibus, ut ex ædium locationibus, & annuis cenſibus, ſed ſolum ex naturalibus terræ fructibus. Et hæc quidem decima non eſt ubique gentium decima fructuum pars; ſed in pleriſque locis eſt minor, ut ſcilicet exempli gratia ſolvatur duodecima, decimatertia, aut decimaquinta, & alicubi viceſima tantum, atque adeo triceſima tribuatur. Diſtinguuntur majores, ſeu groſſæ, & minores, ſeu minutæ decimæ, veteres, & novæ. Groſſæ decimæ ſunt tritici, aliorumque granorum, vini, & aliorum liquorum, fæni, & omnium groſſorum fructuuum pro prædiorum ratione. Minutæ, ſeu virides decimæ ſunt leguminum, graminumque. Sunt & decimæ carnis eſculentæ, videlicet pabulorum beſtiarum, ut vitulorum, agnorum, porculorumque. Omnium ratio pendet ex locorum conſuetudine. Novæ ſeu novales decimæ ſnnt agrorum novalium, qui ſcilicet alternis annis ſeruntur, ſeu prima vice fructus decimis ſubjectos producunt.

Inſtitutæ ſunt decimæ, quemadmodum dictum eſt, ut temporalis ſubſiſtentia iis tribueretur, a quibus ſpiritalis alimonia percipitur; atque ita ſervato juris ordine ſunt perſolvendæ Paſtoribus, a quibus Populus, qui eaſdem ſolvit, inſtructionem recipit, & Sacramenta. Hinc fit, ut alicubi Epiſcopi tanquam primarii Paſtores gaudeant omnibus decimis, & non paucis in locis Cathedralium Capitula earum bonam partem poſſideant, utpote quæ Matricis Eccleſiæ bona cum Epiſcopo diviſerunt. Tribuebatur olim Epiſcopo decimarum omnium tertia vel quarta pars, cum ille quidem peculiarem redditum non haberet. Ruſticani Parochi fruuntur decimarum parte maxima; & poſtremis temporibus ſpectati ſunt, tanquam qui earum jure maxime gauderent, quia revera ipſi portant pondus diei & æſtus.

Decimarum ingens copia eſt penes Monachos, aut Abbates, Prioreſque, qui eos repræſentant; & eæ quidem Monaſteriis acquiri potuere non uno modo, nempe vel opera Monachorum, qui agros, in quibus Villæ atque adeo Urbes extructæ ſunt, excoluere, vel Dominorum, qui in aliis Eccleſiis per ea tempora dirutis eas uſurpaverant, reſtitutione, vel Epiſcoporum donatione. Harum decimarum cauſa Monachos inter & Parochos varia extitere diſſidia; illis quidem eas ſibi deberi contendentibus, propterea quod a ſuis Monaſteriis penderent. Qua in re animadverſione dignum eſt Abbates perſæpe Eccleſiarum adminiſtrationem in nonnullos ex ſuis Monachis contuliſſe, qui quidem Parochorum munere fungebantur ſacerdotum ſæcularium loco. Atque ita facile tunc attribui poterant Monaſterio decimæ, quæ ad Parochos pertinebant.

Octavo ſæculo decimarum partem ſibi vindicarunt Laici, ſeu propria auctoritate, ſeu Principum indulgentia. Hinc ortum trahunt infeudatæ decimæ, ita dictæ, quia a Laicis Feudi titulo poſſidentur; & earum quidem origo juſta eſſe potuit. In Feudorum & Cenſuum inſtitutione Domini Subditis ſuis agros tribuebant, ea lege, ut ſibi fructuum partem redderent, ut ex agrarii ſolarii legendi juribus evidens eſt. Aliquando ſibi decimas aut nonas tantummodo reſervabant, videlicet decimam, ſeu nonam partem. Poſtquam autem eſt creditum decimas jure divino Eccleſiæ deberi: concluſum fuit, eas omnes, quas Laici poſſidebant, uſurpationes eſſe, quemadmodum ejuſmodi erant bene multæ, in quas Laici nihil juris habebant.

Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III. an. 1179. celebratum prohibuit, *(a)* ne Laici, qui decimas poſſiderent, eas in alios Laicos transferrent. Decretalis Innocentii III. agnoſcit exiſtere decimas in feudum perpetuum Laicis conceſſas. Et Concilium Lateranenſe quartum habitum ſub hoc Pontifice decimas, quas ad illud uſque tempus Laici poſſederant, ſilentio ſuo toleravit, ſed eas in poſterum rotundis verbis prohibuit; ita ut in Galliis ex his *(b)* Conſtitutionibus ſumptum jus fuerit ad relinquendas Laicis decimas, quarum poſſeſſione illi ante Lateranenſe quartum *(c)* Concilium gaudebant; atque illæ quidem tanquam bonum profanum ibidem ſpectantur. Infeudationes omnes laudato Concilio poſteriores cenſentur illegitimæ; at neceſſe eſt, ut ex titulo probentur tales; niſi enim titulus adſit, pro infeudationis antiquitate præſumitur, dummodo exiſtat annorum centum poſſeſſio. Illud igitur pronunciari poteſt, infeudatas decimas eas eſſe, quæ initio fuere penes Clericos & Monachos, qui eas reliquere Laicis, vel ut ſervitium Eccleſiis & Monaſteriis ab ipſis exhibitum quodammodo compenſarent, vel in titulum oneroſum, vel eas demum eſſe, quæ uſurpatæ quidem ſunt, ſed in præ-

(a) Can. Prohibemus 19. de Decimis ex Conc. Lateran. III. c. 14.
(b) Can. cum Apoſt. De his quæ ſunt &c.
(c) Louet D. 8. 9. Sacerdos, Cent. 1. cap. 3.

præſentia tanquam inſeudatæ ſpectantur, quia detegi nequit, quomodo ad Laicos devenerint. Ea eſt nunc temporis certa regula, ut Eccleſiaſticarum decimarum defectu, quæ inſeudatæ ſunt, & pro inſeudatis habentur, ſubjectæ ſint portioni congruæ; ſumendæ ſunt ante jus agrarii ſolarii, & privilegiatæ ſunt æque atque Eccleſiaſticæ; ſed obnoxiæ ſunt difficultatibus pluribus, quarum diſcuſſio Jureconſultis Gallis relinquitur.

Quod attinet ad decimas Eccleſiaſticas, eas ad Parochum ſpectare ſemper præſumitur, neque ab eo requiritur alius titulus, quam Parochialis. Si groſſæ decimæ ad alios pertinent, ſemper ei conceduntur minutæ decimæ & novales, ni titulus contra ſtet; ac ſi eidem datur optio decimæ, aut portionis congruæ, poſtquam elegit, novales tantum elapſas poſt optionem habebit. Præſcribi poteſt decimarum ratio, earumque ſolvendarum forma per annorum quadraginta poſſeſſionem; at nulla poſſeſſio ſatis eſſe poteſt ad Laicos a ſolvendis decimis eximendos, quoniam fundus præſcriptionem non patitur. Eccleſia poteſt adverſus aliam Eccleſiam præſcribere decimæ jus, & potiore ratione adverſus Laicum, qui eam tanquam inſeudatam poſſidebat. Omnes hæ præſcriptiones ſunt annorum quadraginta. Ciſtercienſes Monachi paulo poſt Ordinis inſtitutionem a prædiorum ſuorum ſolvendis decimis exempti fuere, quia propriis manibus eadem colebant; & Equites S. Joannis Hieroſolymitani eodem privilegio gaudent.

Quoniam ante quamvis aliam ſolutionem decima debetur, in agro ipſo ſumitur in ſpecie; & ob hanc cauſam Proprietarii de colligendæ meſſis die monere tenentur. Sæpe contingit Agricolæ domicilium ad unam Parochiam, & quos exercet, agros ad aliam ſpectare: in hac facti ſpecie conſuetudo communior eſt, ut in duas æquales partes decimæ tribuantur; aliæ ſequuntur Agricolæ perſonam, & Parochi mutuo percipiunt integram decimam ex prædiis, quæ alii colunt in aliorum juriſdictione. Dicitur hæc decima proſecutionis. In quo ſtandum eſt conſuetudini, tantumque cavendum, ne duarum Diœceſeon decimæ confundantur. Nunquam duæ decimæ ſolvuntur in eodem fundo; atque ita Parochus ſibi decimam arrogare non poteſt, cum ſolvitur alteri, qui ejus ſumendæ poſſeſſione gaudet, etiamſi non appareat inſeudatam decimam fuiſſe. Præterea ex Hortis, ſive clauſi ſint, ſive non, decima ſumi nequit, cum conſtat eos ad Proprietarii uſum ſpectare. Ceſſat difficultas, cum ex loci conſuetudine legumina, & gramina a decimis exempta ſunt. Denique Decimator impedire non poteſt, quominus Proprietarius ſui ſundi culturam mutet, & inde fructus percipiat, qui ex conſuetudine Decimis ſubjecti non ſunt.

Exiſtit alia quoque Decima, ſeu cenſus, qui Regi ſolvitur, cujus quidem ejuſmodi origo eſt. Jubebantur Levitæ offerre Deo decimam decimarum, quas a Populo percipiebant, eamque ſummo Pontifici tradere. Hoc fundamento nititur inſtitutio decimarum Papæ, creditumque eſt penes eum jus eſſe decimam partem fructuum Beneficiorum omnium ſumendi. Potuit Pontifex ſibi acquiſitam decimam cedere, & Principes ejus participes facere. Hinc Galliarum Reges poſt Philippum Auguſtum ſæpe a Pontificibus aliquam in proprium Clerum decimam, extraordinariis occaſionibus ſeſe offerentibus, obtinuerant. Franciſcus I. decimam impetravit a Leone X. an. 1516. cujus taxatio deinde perſtitit. Verum decimæ non evaſere perpetuæ niſi poſt Congregationem Melodunenſem an. 1580. poſtque Contractus, quos Clerus cum Rege decimo quoque anno renovat. Additur identidem decimæ donum aliquod extraordinarium. Sed harum ſubventionum ratio refertur ad peculiaria Gallicani Cleri negotia. Illud unum notandum venit ex uno eodemque vocabulo Latino, *Decimæ*, ducta eſſe Gallica nomina duo, unum, quod dicitur *Dixmes*, & id ſignificat, quod Populus ſolvit Eccleſiæ, & alterum, quod nuncupatur *Decimes*, & id innuit, quod Clerus Pontifici, aut Regi ſolvit.

Decimarum inſeudatarum poſſeſſio,

C A S U S.

1 Laici in Gallia Decimas ante omnem memoriam inſeudatas legitime poſſident.
2 Satis eſt iis præſto eſſe veteres Deciſiones, vel alios ejuſmodi Actus, quibus inſeudationem probent.

QUÆSITUM.

Conqueritur quidam Dominus Parochum ſuum pro concione legiſſe plures Canones, in quibus expreſſe Laicis cujuſvis Eccleſiaſtici boni poſſeſſio prohibetur ſub excommunicationis pœna. Et quoniam Parochus ei, quo familiariter utitur, palam edicit, ipſum de ſalute periclitari, ni reddat decimam, quam ſecum participat: ambo, nulla privati lucri ratione habita, id conſpirarunt, ut animi tranquillandi gratia Sorbonicis Doctoribus quæſtionem dijudicandam proponerent; eſt autem hæc facti ſpecies.

Dominus Villæ N. gaudet poſſeſſione dimidiæ decimæ 400. ab hinc annis & amplius. Plures ei Tituli præſto ſunt; quorum primus eſt Anteceſſorum ſuorum ſententia an. 1282. quæ mentionem facit hujus dimidiæ decimæ æſtimatæ pretio modii tritici cum dimidio, & modii avenæ. Alter eſt Actus an. 1456. quo Dominus dat cenſui dimidiam hanc decimam Ruſtico indigenæ pretio Scutorum ſex aureorum, conſtantium 22. ſolidis pariſinis, vulgari pecunia.

Alio Actu Ruſticus, qui dictam decimæ portionem acquiſivit, ſibi ſumit Dominum ſuum juribus, & obligationibus omnibus, quibus dicta portio adſtringitur, deonerandum.

An. 1502. & 1550. dicti Contractus cenſus in duas diverſas Juriſdictiones diſtracti ſunt.

Defuncto Ruſtico, ejus hæredes numero decem diviſerunt inter ſe eamdem dimidiam decimam, quam ad annum uſque 1558. retinuerunt. Poſt annos decem Dominus iiſdem hæredibus ademit eam decimam, quam ipſe, ejuſque ſucceſſores poſſederunt, Parochis omnino non repugnantibus.

Præſens Parochus Beneficium poſſidet poſt annos quindecim, quorum ſpatio decimam cum Domino ſemper diviſit. Sed in præſentia refragatur nixus deciſione Conciliorum Lateranenſis & Tridentini, quorum ſtatuta vobis, Doctores, perſpecta ſunt.

Reſpondet Dominus ſe annorum 400. & amplius poſſeſſione gaudere, ſibique Titulos ex an. 1282. præſto eſſe, idque argumento eſſe decimam hanc inſeudatam fuiſſe, ac proinde ſibi jus eſſe eamdem percipiendi juxta verba Edictorum, Declarationum & Reſcriptorum, quibus judicatum eſt licere Laico decimam inſeudatam tanquam rem temporalem poſſidere, & de ea diſponere. Hæc eadem Reſcripta declarant Actum ſimplicem ſatis eſſe ad Laici ſtatuendum jus, quia inſeudationis primigenii Tituli combuſti ſunt in Rationum Cameta, in quam Regis Philippi Pulchri juſſu delati fuerant.

Illud prærerea Dominus vos cupit animadvertere, Conciliorum Conſtitutionem in decimarum inſeudatarum negotio nec receptam in Gallia, nec executioni mandatam eſſe.

His rationibus non obſtantibus , ipſe , & Parochus orant vos, Domini, ut ad hujus Expoſitionis calcem ſententiam veſtram aperiatis.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat , I. ſive decimarum infeudatarum origo a temporibus Caroli Martelli , qui anno 730. vivebat , ſive ab aliis proximioribus ſæculis repetatur , ante Lateranenſe tamen Concilium ſub Alexandro III. an. 1179. celebratum: illud certum eſſe , eaſdem a Laicis legitime poſſideri poſſe. Ita ſentiunt Auctores noſtri, *Bouchet* in ſua Bibliotheca *v. Decimæ* , *Fevret l. 6. c. 2.* Cabaſſutius l. 2. c. 27. n. 5. in praxi, *Brodeau* in *Louet* v. Decimæ n. 9. Auctor Definitionum Juris Canonici v. Decimæ , *Van-Eſpen de jure Paroch. 3. par. §. 7. pag. 12. & §. 13. pag. 87. Gentilis tom. 3. Monumentorum Cleri pag. 141.* qui quidem affert Reſcriptum Senatus anno 1662. quoad decimas infeudatas.

Prohibentur eæ quidem in Lateranenſis Synodi Decretalibus *c. Prohibemus de decim.* in hæc verba : *Prohibemus , ne Laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes in alios Laicos aliquomodo poſſint transferre . Si quis vero receperit , & Eccleſiæ non reddiderit , Chriſtiana ſepultura privetur .*

Sed reſpondetur , juxta Brodeau in Louet loco citato , & Van-Eſpen *§. 13. pag. 88.* hoc Concilii Decretum in Gallia non recipi.

Aliorum Auctorum ſententia , non eſt re ipſa verum , Concilium prohibere Laicis , ne decimas infeudatas poſſideant , ſed ſolum vetat , ne ad alios Laicos eaſdem transferant.

Et ſane Alexander IV. Sæculo ſequenti *cap. Statuto , §. Sane de decim. in 6.* fatetur Laicis eas decimas conceſſas fuiſſe , quæ ante Lateranenſe Concilium infeudatæ fuerant . Atque ut hæc veritas confirmetur, Innocentius III. de decimis, quas Laici poſſident , in ſuis Decretalibus ſæpe loquitur , quin ejuſmodi conſuetudinem damnet , ut conſtat ex *cap. Apoſtolica de iis , quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſ. in fin. cap. Tua de Decim.*

Denique Lateranenſi Concilio opponitur , Clementem V. an. 1305. Philippo Pulchro id conceſſiſſe, ut liceret ejus Regni Laicis decimas , quas quidem ante Lateranenſe Concilium poſſidebant , retinerent , iiſque tanquam ex proprio dominio fruerentur , ut animadvertunt Fevretus loco citato *n. 1.* & Auctor Definitionum Juris Canonici *n. 12.*

Utut res habeat , in Gallia mos obtinet , ut decimæ infeudatæ cenſeantur, cum ex antiqua , & immemorabili poſſeſſione penes Laicos exiſtunt ; qui quidem tum iis tanquam ſuo patrimonio legitime frui poſſunt , eaſque venditionibus , permutationibus , aliiſque Contractibus æque ac cætera ſua bona diſponere.

II. Inutile fuerit hoc loco expendere, an decimæ divini juris ſint, an vero Eccleſiaſtici ; videri poſſunt probationes , quas in utramque partem Fevretus adducit *cap. 1. loco cit.* an tam naturalis & divini , quam Eccleſiaſtici juris ſint , ut contendit Sylvius poſt D. Thomam *in 2. 2. q. 87. art. 1. concluſ. 2. & 5.* Qui eas divini juris cenſent , ut *Brodeau* in *Louet loco cit. num. 9.* & Auctor Definitionum Juris Canonici *v. Decimæ* , non tamen inficias eunt , eas a Laicis legitime poſſideri poſſe ex contractu , & conventione publica.

Nihil igitur refert oſtendere ex Conciliorum Canonibus , & ex compluribus Juris textibus Decimam eſſe rem ſacram , divino jure Parochis debitam pro miniſterio , eam eſſe imperſcriptibilem , ejus poſſeſſionem nec longo tempore nec bona fide legitimam reddi ; Parochum eam tantum petendi jus habere . Nihil horum in dubium vertitur ; ſtatuiturque tanquam certum Laicos non poſſe Eccleſiaſticam decimam poſſidere , & temporis beneficio ejus immunitatem acquirere. Verum hic agitur de Decima , quæ evaſit profana ex voluntate Superioris , qui eam alienare potuit , cui viſum eſt eam in ſæcularium rerum claſſem referre , quique eam infeudari aſſenſus eſt . Hoc in caſu , ajunt omnes Auctores noſtri, Laici ejus poſſidendæ capaces ſunt.

III. Non eſt neceſſe infeudationis primigenium titulum afferri , ſed ad eam præſumendam ſufficit poſſeſſio , cum ſententiæ veteres , aliique Actus ſimiles proferuntur . Et ſane Louet *litt. D. num. 35.* in medium adducit Reſcriptum an. 1508. quo definitum eſt ex poſſeſſione immemorabili ſatis oſtendi decimam infeudatam eſſe, quia poſſeſſio tituli vim habet. Alioquin, ut monet Louet , cum Tituli poſt Lateranenſe tertium Concilium perierint, Viri Nobiles jure caderent decimarum infeudatarum , quas antea poſſidebant. Fevretus quoque pronunciat *c. 2. n. 2.* ſatis eſſe poſſeſſionem probari ex tempore immorabili, ex aliquibus vetuſtis Sententiis , & Rationibus , aut ex aliis legitimis monumentis , quæ ingerant antecedentis tituli præſumptionem. Utenim Auctor hic animadvertit , diuturna Galliæ bella cum Anglis in cauſa fuere , cur pars infeudationis Contractuum excideret, alia vero pars caſu combuſta eſt in Pariſienſi Rationum Cubiculo, ubi Rex Philippus Pulcher eas poni mandaverat. Hac de cauſa judicatum eſt ad probandam infeudationem ſufficere immemorabilis temporis Acta proferri.

His ita ſe habentibus , reſpondetur Dominum , de quo agitur , ab annis plus quam 400. dimidiæ decimæ poſſeſſione gaudentem, ut conſtat ex variis Actis , & inter alia ex deciſione an. 1282. ab ejus Deceſſoribus edita , ea legitime frui poſſe; quia vetus hoc monumentum , & ſubſecuta ſatis evincunt eam decimam infeudatam eſſe , & præbent præſumendi cauſam , originarium titulum longe antiquiorem extitiſſe. Ex quo proinde concludi poteſt, Dominum hunc in ea facti ſpecie verſari , in qua Canoniſtæ decidunt infeudatam decimam a Laico retineri poſſe, cum eam poſſidet ab immemorabili tempore , atque adeo antiquo titulo , ut ejus origo indigitari non poſſit ; Id quod legitimum fundamentum ſuppeditat credi , eum cum aliis multis , qui in Rationum Cubiculo exiſtebant, periiſſe.

Ex his omnibus illud conficitur oportere , Parochum, ut hactenus, ita & impoſterum cum Domino partiri decimam , qua de agitur , quin ullum ejuſdem Domini animo ſcrupulum injiciat.

Deciſum hac die 28. Aprilis an. 1699.
Germanus *Fromageau*.

DECOCTIO.

NUncupatur univerſim fidei amiſſio , ſeu Decoctio , alicujus fuga , qui ſe ære alieno oppreſſum animadvertens Creditorum bona aſportat , alioque pergit , ut perſecutiones declinet , quibus impeti poſſet: verum decoctio hæc poteſt aut dolo malo exiſtere, aut bona fide . In hac poſteriore, in qua ſcilicet neceſſitas, adverſa fortuna, & temporum malitia maxime locum habent, ejuſmodi Decoctores multo benignius quam alii legibus excipiuntur : ei tantum periculo obnoxii ſunt , quod a ſuis Creditoribus moleſtiis affici, & quoad iis viſum fuerit, in carcere detineri poſſunt, niſi Judex ipſos, quos ſatisfactioni prorſus impares noverit, ad ceſſionis beneficium admittat , & libertate donet.

Sed quæcumque ab iis conventio cum ſuis creditoribus ſtatuatur , non ideo tamen a reſtitutione liberantur , ſi negotia ſua deinde componant ; quoniam remiſſio non niſi ſolutionis deſperatione facta invalida eſt ; ita ut ſi Creditores ea tantum de cauſa debiti partem remittant , quod ſpe integræ ſatisfactionis exciderint, & ſatius duxerint ſibi ex parte ſatisfieri, quam de toto periclitari , hæc remiſſio non ſit libera, & coram Deo ſit inutilis: atque ita Decoctus id, de cujus remiſſione conventum eſt, redde-

reddere teneatur, quamprimum poteſt. Id cum ita ſe habeat, Decoctores doloſi multo etiam majore obligatione adſtringuntur; cum Mercator ex. c. ob aliquod infortunium decoquens bonorum ſuorum maximam partem celat, ne Creditores iis potiantur; & deinde eos orat, ut ſecum conveniant, ſibique debiti partem remittant, & acquieſcant promiſſioni, qua ſe ipſis obſtringit, dimidium, aut tertiam partem, videlicet decem, aut quindecim ſolidos pro libris ſingulis ſe ſoluturum; licet reipſa poſſit iis integram ſatisfactionem perſolvere, aut bonorum ſuorum ceſſionem facere, etiamſi tunc Creditores in hanc compoſitionem, quæ ipſis eſt propoſita, conſenſerint, & reſiduum debitum huic Mercatori remiſerint.

Sanctus Antoninus pronunciat hunc Mercatorem coram Deo, & in conſcientiæ foro dubio procul ad id omne ſolvendum adſtringi, quod ipſi remiſſum eſt, tametſi in foro fori obligari non poſſet, fraude nondum perſpecta; propterea quod libera non fuerit remiſſio hæc, & ob id ſolum eam acceptarint Creditores, quod vererentur, ne, quicquid ipſis debebatur, amitterent. Verum licet ille integre & fideliter ſuis bonis omnibus bona fide ceſſerit, nulla ſibi facta reſervatione, ſemper tamen ſuis Creditoribus ſatisfacere teneretur, ſi in poſterum ea ſibi bona compararet, quibus id exequi poſſet, facta hypotheſi per venditionem bonorum, quæ ipſis ille ceſſiſſet, integrum prorſus debitum ſolutum non fuiſſe. Ex his omnibus illud apparet, ſæpe contingere, & remiſſiones, & condonationes eorum, quibus alicujus rei reſtitutio, aut ſolutio debetur, coram Deo inutiles eſſe, iiſque proinde in praxi tunc ſolum utendum eſſe, cum tales ſunt, quales eas eſſe volunt Canoniſtæ, atque imprimis cum ab errore, fraude, & vi ſunt exemptæ.

CASUS I.

1 *Mercator, qui fidem amiſit, & quidem haud propria culpa, de ſuis bonis, quæ Creditoribus cedit, id ſibi reſervare poteſt, quod ei abſolute neceſſarium eſt, ne mendicare cogatur.*

2 *Ejus Uxor in viri ſui incommodorum partem venire debet, atque id tantum Creditoribus ſubtrahere poteſt, unde cum eo parce vivat.*

3 *Si eorum negotia redintegraventur, dubio procul ſuis Creditoribus integre ſatisfacere tenerentur.*

QUÆSITUM.

MErcator in ſuo commercio ad incitas redactus illud oportere credidit, ut omnia ſua bona Creditoribus ſuis cederet: ſibi tamen retinendæ duodecim mille librarum ſummæ rationem excogitavit, debitum in anteceſſum commentus. Quæritur, an ad ſuam ſuſtentationem hanc ſummam legitime ſervare poſſit, an vero teneatur ſuis Creditoribus fundum relinquere, & ſolum uſufructu contentus eſſe? Animadverſione dignum eſt, in hæc incommoda haud vitio ſuo hunc hominem incidiſſe.

II. Ei fuiſſe ex bonis propriis proventus ſcuta quingenta, quæ amiſſa ſunt, fuiſſe etiam ex conjuge triginta ſeptem mille libras, quæ pariter amiſſæ ſunt.

III. Ab eo ante hæc detrimenta Filiam matrimonio junctam fuiſſe, triginta quatuor mille librarum dote, eumdemque propter Uxoris ſuæ negotia quindecim mille libras circiter expendiſſe; id quod ad ejus excidium omnino non contulit.

Ejus Uxor ſe poſſe putat hanc ſummam ſibi retinere propter bona, quæ attulit. Verum quidem eſt ex iis bonis viginti quatuor mille libras in commune collatas fuiſſe; ſed illa minor erat, ſibique illatam injuriam quæritur, tanta bonorum ſuorum parte in commune collata; eas proinde duodecim mille libras ſibi retinere ſe poſſe contendit, ex iiſque ſcutorum mille emphyteuſim ſuſtentationis gratia a viro ſuo conſtitui aſſentitur. Qua in re quærit Mercator hic, an, ut melius ſubſiſtat, hanc ſummam in fundum amiſſum referre poſſit, an vero debeat fundum ſuis Creditoribus reſervare?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, eum, quem bona ſua ſuis Creditoribus cedere neceſſe fuit, duodecim mille librarum ſummam debito in anteceſſum per fraudem poſito ſibi retinere minime potuiſſe, I. quia mendacium nunquam permiſſum eſt, præſertim cum adeſt obligatio ejus jurejurando firmandi; II. cum homo hic negotiorum calamitate preſſus jacuerit, facta hypotheſi id ejus vitio non contigiſſe, malis nempe rationibus, cujuſmodi eſſet profuſio, eumdem id unum retinere poſſe, quod ipſi eſt neceſſarium, ne in extremam miſeriam incidat, & cogatur id agere, quod omnino non decet, ex c. vitæ alimonia oſtiatim quærere: quod deciſioni Dominici Soto conforme eſt *de juſtitia & jure lib. 4. quæſt. 7. art. 4.* cui ſubſcribunt Auctores plures, & inter alios Cardinalis Toletus *Inſtruct. Sacerd. c. 27.* cujus en verba: *tertio ſecundum fere communem ſententiam quilibet tenetur quamcumque rei neceſſitatem (citra extremam) ſubire, ut reſtituat, vel manibus laboret. At vero Soto lib. 4. q. 7. art. 4. hunc rigorem temperat. Dicit enim, cum aliquis debitor eſt, quia res male accepit, quia furto, aut rapina, aut in culpa eſt, ut aliter reſtituere non poſſit, quia dilapidavit bona ſua, prodigaliter, & luxurioſe vivendo, tum tenetur reſtituere, & ſubire quamcumque neceſſitatem: at cum bona fide debita contraxit, & in talem difficultatem reſtituendi aliquo infortunio pervenit, reſtituere quidem debet mutando ſtatum, & vilius vivendo; tamen poteſt aliquid ad ſuam ſuſtentationem retinere.* Videtur propterea Mercator, de quo conſulitur, id tantum retinere poſſe, quod ipſi neceſſarium eſt: *ut vilius vivat, & abjectius, denique miſere, atque omnem deponat pompam*, uſufructu contentus, & fundum cedens ſuis Creditoribus, quibus, quantum poteſt, dare tenetur, cum ſolummodo impotentia coram Deo eum poſſit in tuto ponere: ita ut ſi quando ejus negotia repararentur, in totum ſolvere teneretur juxta deciſionem Gregorii IX. c. *Odoardus extra de ſolutionibus*.

Ad alterum quod ſpectat, ejus uxorem de ſuo matrimonii contractu queri non poſſe, ſi ſecundum loci leges extitit, ejuſque minoritatem non ſatis obeſſe, ſi contractus ſecundum regulas peractus eſt. Cæterum ea nullo jure gaudet, ex Creditorum bonis aut omnino aut partim ſuum incommodum farciendi; atque ipſa bonis tam viro ſuo quam ſibi neceſſariis contenta eſſe debet, facta etiam hypotheſi ſcuta mille ſatis eſſe poſſe, *ut miſere vivant*, nihil præterea retinere poſſent, & quod remanet, ad ſolutionem Creditoribus faciendam eſſet conferendum. Hinc ſequitur hujus mulieris contentiones falſo niti fundamento, cum rationi conſonum ſit ipſam de ſuis bonis ad filiam ſuam collocandam conferre. Uno verbo Vir, & conjux in ſuorum Creditorum bona nullum prorſus jus habent, neque ex iis retinere, niſi modicam ſubſiſtentiam poſſunt, ut dictum eſt.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 6. Decembris 1689.

Auguſt. *de Lamet.*

CASUS II.

Quandonam in Decoctione Creditorum unus alii præferri poſſit, atque an bona Debitoribus remiſſa ad eum ſpectent.

DAliquot ab hinc annis ſubjectus eſt graviſſimo judicio veſtro decidendus Conſcientiæ Caſus, & qua par erat, obſervantia deciſio veſtra recepta eſt.

Tres

Tres deinde Lugdunenſes Doctores, quibus idem Caſus expoſitus fuit, illum, contra ac vos, dijudicarunt, brevemque libellum exhibuerunt; ut opinionem ſuam explicarent. Id exponentis ſcrupulum renovavit, qui proinde vos rogat humillime, ut libellum hunc, atque etiam reſponſum eidem datum legere velitis.

Poſita eſt hac in pagina primo loco caſus expoſitio, & veſtra deciſio: tum Lugdunenſium Doctorum ſcriptum, & deciſio, & demum ad hoc ſcriptum data reſponſio.

Porro expectatur, ut, lecto horum Doctorum ſcripto, atque oppoſita reſponſione, pro humanitate veſtra vobis placeat aperire ſententiam veſtram, cui firmiter auſcultabitur, ac ſi e re eſſe judicatis, eam quoque ab aliquibus aliis in Facultate illuſtribus firmatam velitis, ut Doctorum Lugdunenſium numerus exæquetur. Interea exponens orare pergit, ut Deus vos ſoſpitet.

Caſus Conſcientiæ in Sorbona propoſitus, deciſuſque a Dominis Fromageau, & Bourret, Doctoribus, die 8. Maji 1701.

Cum quidam Mercator decoxiſſet, ejus ſoror Creditores aliquot, atque Exponentem certos reddidit fore, ut perinde ac cæteri ſanguine conjuncti nihil inde detrimenti caperent. Poſtridie contractus ſignandus exponenti eſt exhibitus, quo duas quintas partes ſe ſoluturum Mercator hic promittebat. Signavit Exponens, & licet id recordaretur, quod ejuſmodi ſoror ei pridie dixerat, ſignavit tamen cum periculo, ut inquit, & abſque ulla ejus, quod ei dictum fuerat, certitudine. Contractum ſubſecuta eſt executio, & deinde Exponens a Debitoris fato functi hæredibus integram ſolutionem recepit. Quæritur, an quod præter duas quintas partes recepit Exponens, acquiſitum fuerit tuta conſcientia. Notandum eſt nullam bonorum Debitoris ſequeſtrationem aut decoctionis tempore aut poſtea factam fuiſſe; conſtat eum aliis Creditoribus gratificatum fuiſſe. Hic etiam Debitor ex mercibus, quas ei Creditores remiſerant, lucratus creditur; earum enim pretium de repente auctum eſt.

Additur etiam, ſignato contractu, Debitoris uxorem, abſente Marito, Schedulam Exponenti miſiſſe, qua integram ſolutionem pollicebatur; ſed hæc ſchedula nonniſi uxoris nomine ſignata eſt, quæ viri ſui procurationem prætendebat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ſi Mercatoris Creditores ſua bona apud ſequeſtrem non depoſuerunt, ſed contenti fuerunt ab hoc Mercatore, ſpectatis ejus mercibus, aliiſque bonis, quin quid celaretur, ſibi ſolvi duas quintas debiti partes, remiſſo, quod reliquum erat, ſi mercium pretium poſt hanc remiſſionem auctum eſt, videri emolumentum hoc ex eodem augmentatione ductum ad Debitorem ſpectare; ex quo ſequitur ei liberum fuiſſe pro arbitratu hoc emolumentum impendere: re ipſa Creditores cenſentur, ut videtur, id ei integrum reliquiſſe.

Hoc loco veniunt animadvertenda duo: primum eſt, Debitorem peccare potuiſſe præferendo ſuorum Creditorum unum, licet ſuum conſanguineum alii pauperiori, qui inopia laboraſſet, & cui proinde remiſſio maximum detrimentum attuliſſet; ſed quamvis hoc in caſu prælatio hæc illicita ſit, tamen, ſi ſtricte loqui volumus, ea non efficit nullum, & invalidum id, quod Debitor in favorem alicujus ex ſuis Creditoribus fecit. Alterum eſt, Creditorem, de quo agitur, id retinere poſſe, quod a ſuo Debitore recepit, niſi re ad Judices delata, aliter ſtatutum fuerit.

Deciſum in Sorbona die 8. Maii 1701.
Nomine G. *Fromageau*, G. *Bourret*.
Domini *Habert*, *Precelles*, *De Beyne*, & *Petit Pied* deinde ſubſcripſerunt.

Exemplum Scripti, & deciſionis Dominorum Doctorum Lugdunenſium ſuper eodem Caſu, Aprilis die decima tertia 1702.

Difficultates tres in Caſu propoſito continentur.

Prima eſt; Licetne Mercatori, qui decoxit, ex ſuis Creditoribus unum ſeligere, cui totum debitum ſolvat, dum alii jacturam faciunt: Creditor hic teneturne in cumulum referre, quicquid ne petens quidem ex contractus conventione percepit?

Altera eſt; Creditor, qui conventionis contractum ſuo nomine ſubſignaverit ob ſibi factam a Debitore fidem ſe nihil ab eo damni paſſurum, teneturne Creditores alios ipſius obſignatione obligatos compenſare?

Tertia eſt; hic Debitor, qui fidem amiſit, ex bonis a ſuis Creditoribus ſibi remiſſis commodum non mediocre percipiens poteſtne illud ſibi retinere, an vero ſuis Creditoribus in capita partiri debet?

Conſilium ſubſcriptum ſentit in propoſita facti ſpecie: ad primam quidem difficultatem, Mercatorem, qui decoxit, nulla ratione poſſe ſuorum Creditorum uni in aliorum damnum gratificari; ita enim rem daret, quæ ad eum non pertinet: quamobrem Creditor, qui integram ſolutionem recepit, quin ulla tamen privata obligatione eamdem exegerit, reſtituere tenetur, & in Creditorum cumulum conferre, quicquid ultra duas quintas partes percepit; eo enim ſibi reſervato, contra juſtitiam commutativam ageret, quæ cuivis id tantum dat, quod ad eum ſpectat, quicquid autem duas quintas partes excedit, ad Creditorum cumulum poſt conventionis contractum pertinet; debet igitur id æque partiri in Creditores ſingulos pro crediti ratione: ageret etiam contra naturæ legem, ea ratione cum creditoribus aliis ſe gerens, qua eos in re ſimili ſecum ſe gerere nollet: demum ageret contra bonam fidem, quæ adeo ad commercii eſſentiam pertinet, bonum percipiens ex Decoctoris fraude, qui in aliorum Creditorum damnum aliqua bona occultaſſet, ut inde totum commodum ipſe tantum perciperet.

Ad difficultatem alteram reſpondetur, Creditorem, qui Contractum obſignat, propterea quod ejus Debitor integram ſolutionem ei ſe præſtiturum promiſerat, quin aliunde certus ſit, ejuſdem Debitoris malæ fidei facere, qui fidenter Creditorum ſuorum bona ſibi arrogare poteſt, pro certo habens majorem partem ſibi præſto fore, & proinde ipſos eo fruſtrari, quod iis legitime debitum eſt: hoc in caſu exiſtimatur creditor contractum doloſum acceptans teneri non ſolum id reſtituere, quod ſupra duas quintas partes recepit, verum etiam incommodum reparare, quod cæteris Creditoribus attulit ſua obſignatione vim addens contractui, qui eos obligavit.

Ad tertiam, conventionis contractus in decoctione initus bonæ Debitoris fidei derogare nunquam debet; Supponit eum imparem eſſe prorſus, ac fore ſolvendo ſuis Creditoribus plus quam duas quintas partes ſummæ remiſſionis tempore debitæ; propterea quod penſato bonorum pretio, judicatum non eſt ea plus quam duas quintas partes de quibus convenit, producere debere: porro ſublata hac inhabilitate propter emolumentum non mediocre, deductum ex iiſdem bonis, quorum pretium auctum eſt, tenetur Debitor ſuis Creditoribus pro viribus ſatisfacere. Altera ratio: Debitor ſpectare non debet merces a Creditoribus ſibi remiſſas tanquam bona ſibi abſolute conceſſa, ut ex iis utilitatem ipſe percipiat: non id in animo habent Creditores, ut Debitorem impenſis ſuis locupletent. Tertia ratio: ad quem ſpectat harum mercium proventus, niſi ad eos, qui periculo obnoxii ſunt? Jam vero certum eſt Creditores periculo obnoxios fuiſſe, quoniam Debitor ne duas quidem quintas partes de quibus convenit, unquam ſolvere potuiſſet, ſi illarum mercium pretium ne dum auctum, diminutum fuiſſet. Quare ſubſcripti putant, Creditorem conſulentem, cum in aliorum Creditorum damnum integram ſummam ſibi deditam recipere non potuerit, etiamſi ei ſo-

ſoluta fuerit ex emolumentis, quæ ex iiſdem mercibus provenerunt, teneri, ut diximus, id quod duas quintas partes excedit, in Creditorum cumulum referre; ac ſi ſibi conſcius eſt ſe Debitori anſam præbuiſſe celandi ex parte Creditorum bona, cum contractui ſubſcripſit, excuſari non poſſe a jactura, quam ipſis attulit, ſarcienda.

Editum Lugduni hac die 13. Aprilis 1702.
Nomine *Cobade*, *Dareſte*, *Michel*.

Ad Doctorum Lugdunenſium Scriptum reſponſio.

Sciendum eſt iis propoſitum fuiſſe caſum eumdem, & quidem iiſdem verbis, quibus in Sorbona propoſitus fuerat.

Hi Lugdunenſes Domini Caſum tribuunt in partes tres.

Prima Propoſitio.

In prima quærunt, liceatne Debitori, qui decoxit, certo cuipiam Creditori favere in aliorum damnum, atque an hic Creditor reſtituere, & in molem referre teneatur?

Equidem reſpondeo hunc Mercatorem peccare potuiſſe, ſed Creditorem ad ullam reſtitutionem non obligari.

Debitorem peccare potuiſſe dico, quia fieri poſſet, ut non peccaret, ſi rationes ei præſto eſſent, cur unum alii præferret, cujuſmodi eſſet paupertas, juxta D. Thomam Opuſc. 73. cap. 28.

Dico ſecundo loco ad nullam reſtitutionem teneri Creditorem hunc, & hæc reſponſio nititur auctoritatibus, & rationibus, quæ ſequuntur.

Cabaſſutius *lib. 6. Juris Can. Ep. 22.* hanc eamdem quæſtionem pertractans hæc habet: *non licet quidem debitori creditorem perſonalem præferre, itidem perſonalibus creditoribus, quamvis creditor, qui recepit, poſſit ſibi ſolutum retinere, quamdiu a judice non compellitur.*

Deciſionem hanc calculo ſuo firmarunt Domini *Fromageau*, & *Bourret*, ajentes hunc Debitorem peccare potuiſſe, ſed Creditorem retinere poſſe, quod a ſuo Debitore recepit, niſi re ad Judicem delata, aliter ſtatutum fuerit, *non enim*, (addit Cabaſſutius) *creditor tenetur rei ſuæ jacturam ſubire, ut aliis proſpiciat*. Cabaſſutius plures in hanc ſententiam Auctores ibidem laudat.

Raymundus Bonnal Tractatu II. de Reſtitut. lectione 42. eumdem caſum ſibi proponit in hæc verba. Paulus debet Petro, & Joanni, & ſentiens ſe ſatis utrique non poſſe facere, gratificandi animo Petro ſatisfacit: Paulus peccatne? & Petrus teneturne reſtituere? (en expreſſum caſum;) Reſpondeo, inquit Bonnal, Paulum peccare; Joanni enim injuriam affert; ſed Petrus, licet Joannis detrimentum noſſet, reſtituere non teneretur. Ratio eſt (inquit ille) I. quia Petrus non accipit a Paulo rem Joanni pigneratam: II. quia jure ſuo Petrus utitur, accipiens, quod ipſi debetur.

Dominus *de Sainte Beuve* caſu 136. Tom. 3. editionis Lugdunenſis ita ſtatuit. Notarius decoquit, creditur fraudulenta decoctio, vulgatur Monitorium: quæritur, an Creditor per ſimplicem Schedulam cum aliorum damno ante declaratam decoctionem potuerit ſolutionem accipere, quamvis hic Creditor Notarii impotentiam cognoverit, eumque decoctioni proximum eſſe, ſuum debitum eſſe in tuto poſitum, ſeque nulli jacturæ obnoxium fore. Creditor hic teneturne id patefacere, & in molem referre? Reſpondet eum neque ad collationem, neque ad declarationem teneri, ſi quod recepit, nec depoſitum fuit, nec hypotheca.

Ratio, qua hi Caſuiſtæ nituntur, eſt, quia quod ſuum eſt, ubicumque eſt, ſumi poteſt, ſi illud nec depoſitum eſt, nec hypotheca, nec pignoriſcapione obſtrictum: jam vero nulla unquam apud Debitorem extitit uſucapio: *non metuit* (inquit Cabaſſutius) *Prætoris edictum, quæ in fraudem creditorum facta ſunt: is qui pecuniam ſuam recepit, ante quam bona debitoris poſſeſſa, id eſt diſtributa ſint creditoribus; ſibi enim diligenter proſpexit; . . . . , ſecus ſi bona jam ſint diſtributa, nemini enim præripere licet.*

Argumentum, quod Dominis Lugdunenſibus fucum fecit, eſt hujuſmodi: Debitor (inquiunt illi) non eſt earum rerum Dominus, quas Creditores ei remiſerunt, proinde hic Creditor non potuit id accipere, quod ad alios Creditores ſpectabat: remiſſio vi facta ponitur. Diſtinguendum eſt hoc vocabulum, dominus. Reſponſionis auctor hoc loco fallitur, ubi ſe ſatis clare non explicat: Debitor, qui bonæ fidei ſupponitur, eſt eorum dominus, quæ ipſi remiſſa ſunt, ita ut poſſit ea tum quoad exteriorem, tum quoad interiorem fundum impendere, ſolvens duas quintas partes, de quibus convenit. Debitor non eſt dominus eorum, quæ ipſi remiſſa ſunt, ita ut ea non poſſit ſua facere, & pro libito diſtribuere, conceditur: non eſt dominus, ita ut hæc bona Debitori remiſſa in Creditorum poteſtate adhuc exiſtant, iidemque in ea jus aliud habeant, quam quod a Debitoris conſcientia pendet, negatur: Debitor hic ſuum conventionis contractum exequens bonorum remiſſorum verus dominus remanet; bona ſunt non amplius hypothecæ, aut pignoriſcapioni ſubjecta, & proinde Creditor, qui ſua bona a Debitore accipit, nemini injuriam irrogat.

Ponamus, quod perſæpe contigit, & quod quotidianis exemplis non caret, ponamus, inquam, Debitorem hunc Creditorum ſuorum bona ſibi arrogare voluiſſe, & decoxiſſe, ut diteſceret; ſibique non ſolum id quo ſuis omnibus Creditoribus ſatisfaceret, verum etiam centum mille præterea libras reſervaſſe; tamen ille non niſi duas quintas partes nonnullis ex ſuis Creditoribus vult ſolvere: peſſime facit: vult quidem nonnullis aliis integram ſolutionem reddere, tanto his ſane melius; tenebuntur ne illi iis ſatisfacere, quorum hic malæ fidei debitor bona retinuit. Certo certius eſt eos omnino non teneri, quoniam id receperunt, quod ad ipſos ſpectabat, quodque nec hypotheca, nec pignoriſcapione obligatum erat. An vero non licet a fure bonum accipi, quod nobis eripuit, licet aliis quoque eripuerit, quibus nondum reſtituit? Exponens non poteſt certo ſcire, bonæne, an malæ fidei ſit ejus Debitor; nonne ſibi perſuadere poteſt, eum habere, unde ſuis omnibus Creditoribus ſatisfaciat? Conſtat etiam ipſum poſtea pluribus eſſe gratificatum. Itaque Lugdunenſes Doctores immerito aſſerunt hunc Creditorem contra juſtitiam commutativam peccaſſe; non illud reputant eas res non amplius ad Creditores pertinere, niſi prout Debitor ad eas ipſis partiendas ſuapte conſcientia movebitur: at enim additur, contra naturæ legem facit hic Creditor, alia ratione cum aliis agens, ac ſecum ipſe agi vellet; ſi ita argumentari licet, dicam ego, Creditorem contra naturæ legem peccare, ſi ſuum Debitorem in carcerem trudendum curet; verum e converſo *laudatur creditor in jure ſuo proſequendo diligentior*, inquit Cabaſſutius.

Secunda Propoſitio.

Creditor, qui conventionis contractum firmavit ob fidem Debitoris ſui nomine ſibi datam ſe nil detrimenti paſſurum eſſe, teneturne aliorum Creditorum, quos ipſe contractum obſignans obligaverit, damnum ſarcire?

Lugdunenſes Doctores abſolute, nullaque adhibita reſtrictione reſpondent, Creditorem, qui doloſo contractui anſam præbuerit, eumdem obſignans, ad reſtitutionem, & compenſationem iis exhibendam, quibus aliquid incommodi importare potuit, obligari: an vero diſtinctione utendum non eſt? Si anſam præbuit mala fide, *ex delicto ſuo*, aut pravam actionem exerens, ſane conceditur; at ſi bona fide anſam præbuit, abſque malitia, & ut ſibi ſolum conſuleret, profecto negatur. Jam Exponens hunc Contractum ſubſcribens id egit, quod licebat, quodque ad ſuum jus conſequendum erat neceſſarium. Subſcripſit abſque ulla ſolutionis certitudine, ac licet ſubſcribens recordaretur quidem fidei ſibi a Debitoris ſorore datæ, ejus tamen haud magnam rationem habuit, omnique cum periculo ſubſcripſit,

ut

ut inquit, perſuaſum habens id fere Decoctoribus in more eſſe, ut omnibus omnia polliceantur, quo eos ad ſui contractus obſignationem pertrahant; eſtque vero ſimile hunc Debitorem curaſſe, ut Creditoribus aliis eadem fides daretur: ut tres habeat, Exponens aſſerit ſe propter hanc incertam fidem non ſubſcripſiſſe, neque ulli nocere in animo habuiſſe; nulla eſt igitur illius obligatio. Cabaſſutius hunc Caſum decidit expreſſis verbis *l. 6. c. 23. Juris Can. non raro contingit, ut quis res ſuas proſequendo, alteri noceat. Quæritur, an reparandi damni ſit obligatio.* Reſp. *qui ſuo jure utitur, nemini facit injuriam, ſupponitur bona fides . . . hinc nulla reparandi damni obligatio.*

Tertia Propoſitio.

Poteſtne hic Debitor emolumentum non mediocre ex bonis a ſuis Creditoribus ſibi remiſſis perceptum in ſuam utilitatem convertere, neque illud partiri debet?

Reſpondeo cum Dominis *Fromageau*, & *Bourret* fieri poſſe, ut Creditores ultro quidem remiſerint Debitori merces, quas habebat in manibus per duas quintas partes; hoc in caſu cum Debitor nihil occultaverit, augmentatio ad eum pertineret. Hæc quidem remiſſio voluntaria ſupponitur. Domini Lugdunenſes hallucinantur, cum ajunt merces Debitori remiſſas emolumentum ipſi non gignere; quia, inquiunt illi, Creditores obnoxii fuiſſent periculo ſolutionem non recipiendi, ſi eorum merces deteriores evaſiſſent. Hæc argumentandi ratio illud evinceret, cum Mercator ſuas merces vendidiſſet alicui, qui ex iis commodum non perciperet, & unde ſolveret, non haberet, ad Mercatorem venditorem ſpectare eam in conſcientia jacturam ferre; ita ut ſolutionem exigere non poſſet. Si enim horum Doctorum ſententia, hæ merces Debitori utilitatem non pariunt, illæ igitur non ipſi quoque perirent, illæ igitur venditori perirent?

Certum eſt, ex quo Creditores Debitori merces remiſerunt, eum ipſarum dominum eſſe ſenſu ſupra explicato: ita ut ſi tantum earum augmentum factum fuiſſet, ut Debitori non ſolum afferrent, unde ſuis omnibus Creditoribus integre ſatisfaceret, verum etiam libras viginti mille, dubio procul id emolumenti ad eum pertineret: ac ſi earum diminutio contigiſſet, infelix hic Debitor non minus teneretur id ſolvere, de quo in remiſſionis contractu convenit, aliter Creditores tuta conſcientia perficere poſſent, ut in carcerem conjiceretur.

Ex his omnibus concludendum:

I. Debitorem, qui Creditorem præfert in aliorum incommodum, peccare potuiſſe.

II. Creditorem hunc, qui a ſuo Debitore accepit, omnino non teneri id, quod accepit, in cumulum referre.

III. Creditorem, qui bona fide, & ſolum ad ſuum bonum conſequendum, & ſe negotio liberandum contractum obſignavit, nulla ratione obligari ad eorum, quibus hic contractus aliquid detrimenti afferre potuit, compenſationem.

IV. Debitorem, cui mercium remiſſio a Creditoribus facta eſt, earum dominum evadere ſenſu paulo ante expoſito; ita ut hæ merces ei vigeant, aut pereant, quem tamen ſemper tenet obligatio integre ſuis Creditoribus ſatisfaciendi, ſi remiſſio ſatis voluntaria non fuerit.

DENUNCIATIO MATRIMONII.

Publicatio Denunciationis nihil eſt aliud, (*a*) quam matrimonii publicatio ſolemniter in Eccleſia Parochiali tribus diebus Dominicis conſequentibus facta inter Parochialis Miſſæ ſolemnia, ut innoteſcat, utrum matrimonio inter concordes perſonas contrahendo aliquid legitimo impedimento ſit. Solemnitas hæc in Tridentino Concilio ſecundum Lateranenſe ſtatuta eſt, ut hac ratione detegerentur impedimenta, quæ matrimonium illicitum reddere, aut etiam ſolvere poſſent. Atque hæc quidem publicatio, quæ tribus Dominicis, aut Feſtis diebus a Parocho peragitur, detegendi, ſi innotuerit, veri alicujus impedimenti legitimi & canonici tantam ingerit obligationem, (*b*) ut Cameracenſis Synodus excommunicationis ſententiam in eos pronunciet, qui impedimenta ſibi nota non patefecerint, eademque eos pœna mulctet, qui pravo animo fictitium aliquod impedimentum objecerint, ut futurum matrimonium interrumpere conarentur. (*c*) Idem ſtatuit D. Carolus.

Dominus *Fevret* in ſuo Tractatu de abuſu matrimoniorum publicationem primis Eccleſiæ ſæculis in uſu fuiſſe demonſtrat, ſed cum aliquo tamen diſcrimine, & magna etiam cum oſcitantia & remiſſione. Sane cum Matrimoniorum clandeſtinitas in Galliis præſertim obtinuiſſet, magnaſque in familiis perturbationes ibidem excitaſſet, Regis Oratores Tridentinæ Synodo libellum ſupplicem obtulerunt, ut ejuſmodi matrimoniorum nullitatem obtinerent, aut ſaltem ut Concilium, quoad fieri poſſet, in poſterum abuſui adeo pernicioſo, atque etiam adeo matrimonii dignitati, eſſentiæque contrario remedium afferret. Hujus Concilii Hiſtorici duo, Frater Paulus, & Pallavicinus minime conſentiunt in hac re, quæ diu ſollicitos habuit Patres, qui poſt Deliberationes plures declararunt Seſſione 24. de reformatione, matrimonia clandeſtina eſſe veri nominis matrimonia, ea ſemper ab Eccleſia in horrore habita, ſemperque vetita fuiſſe; ſed cum intelligeret ſuis prohibitionibus abuſum, & perturbationem aboleri non poſſe, Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inſiſtens eadem Eccleſia conſtituit, ut deinceps contrahentium partium proprius Parochus Miſſæ ſolemnis tempore per tres feſtos dies conſequentes publice ter in Eccleſia pronunciaret eorum nomina, qui matrimonium inire in animo haberent. Porro Synodus matrimonii ante celebrationem enunciandi obligationi hoc addit temperamentum, ut ſi conſtiterit oppoſitiones matrimonio ingeſtas mala fide laborare, & publicationum proſecutione majora impedimenta gigni poſſe; hoc in caſu fiat una tantum, aut ſine ulla publicatione matrimonium celebretur ſaltem cum Parochi, & duorum aut trium teſtium præſentia; & deinde ante quam conſummetur, publicationes in Eccleſia peragantur, ut ſi qua occulta impedimenta adſint, facilius detegantur, niſi Ordinarius expedire judicet ſuper his publicationibus diſpenſare, quod Synodus ejus judicio & prudentiæ integrum relinquit.

Deciſionem hanc Gallicana Eccleſia acceptavit, ejuſque executionem præcepit; atque in nonnullis Diœceſibus eidem addita eſt excommunicationis pœna in eos, qui ſine publicatione, aut ſine diſpenſatione matrimonium inirent. Bleſenſis Conſtitutio effertur in hæc verba Art. 40. „ ne ſubditi noſtri, „ cujuſcumque ſtatus, qualitatis, & conditionis ii fuerint, valide matrimonium contrahere poſſint „ abſque præcedentibus proclamationibus, per tres dies Feſtos congruo intervallo diſtinctos peractis, „ in

(*a*) Concil. Lateranenſe cap. ult. de cland. deſponſat. Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. c. 1.
(*b*) Conc. Camerac. an. 1565. de matrim. c. 9.
(*c*) S. Carol. in Conc. Prov. VI. Tit. Quæ ad matrimonium pertinent.

„ in quibus obtineri diſpenſatio non poterit, niſi poſt primam publicationem ; atque id quidem tan„ tummodo propter aliquam gravem & legitimam cauſam , & præcipuis , ac proximioribus contra„ hentium partium conſanguineis id poſtulantibus ". Ludovicus Rex XIII. Edicto ſuo an. 1639. hujus Conſtitutionis diſpoſitionem confirmat. Verum ex Tridentini Concilii Decreto , atque ex noſtrarum Conſtitutionum diſpoſitione ortum traxere controverſiæ duæ, quæ Canoniſtas bifariam ſecuerunt. Prima eſt, an Denunciationum publicatio ſit abſolute neceſſaria, & ut ajunt, de neceſſitate Contractus & Sacramenti. Dubitandi ratio ea eſt, quod Concilio, & Regum noſtrorum Conſtitutionibus id unum videtur fuiſſe propoſitum, ut clandeſtinitas, quam Concilium declarat impedimentum dirimens , de medio tolleretur; itaque publicatio æque neceſſaria eſt ac Parochi præſentia. Cum porro Bleſenſis Conſtitutio id ipſum ſpectaverit, addideritque Regis Subditos abſque præcedentibus proclamationibus valide contrahere non poſſe, videtur hæc formula magis eſſe de neceſſitate , quam de præcepto . Sed Congregatio ad Tridentinæ Synodi interpretationem inſtituta declaravit diſertis verbis Denunciationum omiſſione matrimonium nullum omnino non effici . Eſt hæc ſententia *Gerbais* in ſuo Tractatu *de poteſtate Principum in matrimonia :* hæc etiam eſt Theologorum, Canoniſtarum , & Jure conſultorum Gallorum opinio, ea verba, *non valide contractum* , (*a*) Bleſenſis Conſtitutionis explicantium quoad civilia negotia, non autem quoad Sacramentum.

Sed præcipua difficultas eſt ſuper Denunciationum diſpenſationibus, quæ raro ſunt concedendæ, ut Synodi mens, & diſciplina in pluribus Diœceſibus ſervari ſolita, atque adeo Conſtitutio non niſi in duabus Denunciationibus diſpenſationem probans teneatur : at Fevreti judicio ſolus Epiſcopus in tribus Denunciationibus diſpenſare poteſt, niſi expreſſis verbis facultatem hanc ipſam ſuo Generali Vicario conceſſerit . Nec deſunt Epiſcopi , qui in tribus Denunciationibus diſpenſationem ægre concedunt; quaſi vero Concilium, & Conſtitutio generale vocabulum *Ordinarii* indefinite non uſurpaverint. Cæterum Denunciationum defectus civilium tantum effectuum ratione vim habet ; eoque in caſu filii ex hujuſmodi matrimonio ſuſcepti inter illegitimos recenſentur.

Notatu dignum eſt hanc Denunciationum publicationem eo in loco inſtituendam eſſe , ubi Contrahentes diuturnius domicilium tenuerunt , atque ubi facilius detegi poſſunt impedimenta , quæ matrimonio obeſſe poſſent; non licere ipſa poſtremæ publicationis die matrimonium celebrare , ſed expectandum eſſe, ut inter publicationem, & Sacramenti celebrationem ſaltem dies interſit , quo ii , qui aliquid haberent, quod opponerent, poſſint ſe ſiſtere, niſi Epiſcopus aliter fieri permittat . Quod ſi duorum menſium ſpatio poſt publicationes matrimonium non celebretur , eæ renovandæ ſunt, ut in Rituali Romano diſertis verbis animadvertitur.

CASUS I.

Matrimonii Denunciatio, in qua petitur diſpenſatio.

QUÆSITUM.

ORantur Domini Doctores, ut Matronæ cujuſdam negotium expendant, diſpenſationem ſuper Denunciationibus poſtulantis, quamvis duo Contrahentes in Diœceſi a ſex tantum menſibus degant, cum Rituale annum poſtulet, ut incolæ cenſeantur.

RESPONSIO.

Quoniam ſtatuendi domicilii tempus, quod in Rituali præſcribitur, ex Diœceſana Lege ducitur, poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare: itaque Dominus Grandinus , quicum ego hoc negotium contuli , minime dubitat, quin Illuſtriſſimus Archiepiſcopus id facere poſſit. In eo ſolum difficultas verti poſſet, ſi Denunciationum diſpenſatio concederetur, & tempus ad id præſcriptum minime expectaretur. In ea is eſt ſententia , ut ſi res urgeat , puta ſi hæc perſona eſſet partui proxima, poſſit id ille facere, modo Adoleſcentulæ conſanguineorum voluntatem perſpectam habeat; ego vero non poſſum, quin mei Majoris ſententiam amplectar.

Pariſiis in Sorbona hac die 15. Februarii.....
Aug. *de Lamet.*

CASUS II.

1 *Matrimonium ab Adoleſcentula annos nata 26. cum homine libero initum, abſque Patris, & Matris conſenſu , ſecundum regulas initum non eſt, & in foro exteriore aboleri poſſet ; ſuſtinetur tamen in foro conſcientiæ.*

2 *Parochus , qui Adoleſcentulæ Matrimonium celebravit , abſque ulla Enunciationis publicatione in Parochia, ubi ejus Pater domicilium habet, declarari poteſt ſuſpenſionem incurriſſe: verum quoad per ſententiam declaretur eam incurriſſe, poteſt ſacrum facere, quin in irregularitatem incidat.*

QUÆSITUM.

DE Matrimonio, cujus non eſt facta Denunciatio in Mulieris Parochia.

Petrus perſona liber cum Adoleſcentula 26. annos nata, & cujus ſuperſunt Pater & Mater in Bajocenſi Diœceſi degentes, conjugium inire vult. Adoleſcentula inviſebatur a quodam, qui eam in uxorem ducere in animo habebat; ſed cum hæc cognatio Adoleſcentulæ Patri non arrideret, ille penſione ſoluta eam in Abrincenſis Diœceſis Monaſterium miſit, ubi Petrus, qui de eadem Diœceſi erat, ſex aut ſeptem menſium ſpatio illam pluries inviſit, eique ſignificavit ſe cum ea Matrimonium contrahere apud ſemetipſum ſtatuiſſe, facta hypotheſi eam velle ſuum aſſenſum præbere; acquieſcit poſtulationi Adoleſcentula , & Petrum ad promiſſionem & contractum matrimonii pro temporis & loci opportunitate celebrandi ſecum ſcripto privato firmandum inducit.

Egreditur e Monaſterio Adoleſcentula, ſeptem aut octo menſes ibidem morata, & ad ſuum Patrem revertitur, quicum per ſex, aut ſeptem circiter hebdomadas degit, quo tempore Petrus eam pluries inviſit, quod Mater probat , nec improbare videtur Pater, licet non eo ſit animo , ut filiam matrimonio tam cito jungat, propterea quod gradu præſtat, nec ſuis ſe bonis ſpoliare vult. Petrus tamen poſtulationem ſuam non improbari animadvertens, tametſi nondum Pater velit cum eo rem ad exitum perducere, ſibi factæ promiſſionis executionem Adoleſcentulæ proponit; aſſentit illa, equum conſcendit, ſuaque ſorore natu majore comitante, futurum ſuum conjugem ſequitur, & ad Petri Parochiam pervenit, eo ſcilicet, ubi erat Monaſterium, in quo ipſa penſionis titulo ſeptem aut octo menſibus degerat, in Abrincenſi Diœceſi . Semel ibi, curante Petro, matrimonii Denunciatio peragitur, tum ille ad Miniſtrum accedit, & in duobus aliis Denunciationibus diſpenſationem obtinet, nulla facta mentione publicationis Denunciationum in Adoleſcentulæ Parochia, quæ in Bajocenſi Diœceſi exiſtit: peragitur denique matrimonium inter juvenem hominem & Adoleſcentulam , quam Petrus ducit.

Mone-

(*a*) Vide hac in re Fevret Tractatu de abuſu c. 1. lib. 5.

Monetur deinde Petrus ejus matrimonium nullum eſſe & clandeſtinum, propterea quod in ſuæ Sponſæ Parochia nullam ipſe Denunciationem faciendam curaverit, nullamque inde teſtium fidem attulerit. Reponit Petrus id neceſſarium non fuiſſe, quia cum Adoleſcentula in ea Parochia, ubi ipſe natus eſt; atque ubi Denunciationis publicationem primam peragendam curavit, morata fuerit, Denunciationes in Patris & Matris Uxoris ſuæ Parochia fieri minime oportuit, præſertim cum in Diœceſi Abrincenſi Lex vigeat, quæ expreſſis verbis jubet, ut qui in Diœceſi per duos integros menſes re ipſa domicilium habuerint, ſuas matrimonii Denunciationes ibi faciendas curare debeant, nec eas alibi fieri neceſſe ſit; ac proinde liceat Parochis poſt ſemel peractam in ipſorum Parochiis Denunciationem, dummodo in duobus aliis diſpenſatum fuerit, ad partium matrimonium devenire.

Hoc poſito quæritur, validum ne ſit Petri cum ea Adoleſcentula matrimonium, ſiquidem in ſolius Petri favorem ab Abrincenſi Epiſcopo impetrata fuerit diſpenſatio, licet in ea facta ſit etiam Adoleſcentulæ mentio? Præterea ſit nec ne Parochus, qui matrimonium hoc celebravit, ob Ordinum ſuorum officio ſuſpenſus, & cum deinde ſacrum fecerit, irregularis? Non eſt omittendum Adoleſcentulæ Sororem natu majorem, quæ ipſam eſt comitata, nuptiarum celebrationi interfuiſſe, recens nuptæ Matrem biduo ſeu triduo poſt matrimonium ad eam inviſendam veniſſe, & Patrem trium menſium ſpatio alte ſiluiſſe, nullaque forenſi ratione uſum eſſe, ut matrimonium ſolvendum curaret.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum viſa hac expoſitione cenſet, I. Adoleſcentulam contra obſequium, quo ſuos Patrem & Matrem proſequi debebat, peccaſſe graviſſime, pollicitam ſe Petro nupturam, inſcientibus iis, a quibus vitam accepit; eam ejuſdem peccati ream fuiſſe, cum e Patris domo, ipſo inſcio, egreſſa eſt, ut Petrum ſequeretur; hac de cauſa ipſam a patre & matre exhæredari merito poſſe juxta Conſtitutionem Henrici II. Conſtitutionem Bleſenſem, & Declarationem Ludovici XIII. an 1639. propterea quod juxta Henrici II. verba ad requirendum patris & matris conſenſum ea ſe minime comparaverit, in illud ſe diſcrimen conjecerit, ut ejus a Patre receſſus poſſet fuga, raptuſque cenſeri, atque ita cauſam præbuerit, ut ipſius matrimonium nullitatis inſimularetur ſecundum Tridentinæ Synodi decretum *Seſſ. 24. c. 6. de Reform.* Conſtitutionem Bleſenſem, & Ludovici XIII. Declarationem an. 1639. cujus en verba:
„ Declaramus juxta ſancta Decreta, & Conſtitu-
„ tiones canonicas matrimonia cum iis inita, qui
„ rapuerunt & ſuſtulerunt viduas, Viros, & Fæ-
„ minas, cujuſcumque ætatis & conditionis fue-
„ rint, non valide contracta „. Neque vero Adoleſcentulæ ſatis præſidii affert ejus ætas annorum 26. aut ratio, qua a Patre receſſit, quæ quidem omnem raptus ſpeciem præſefert, cum ipſa Petrum ſequendi, eique nubendi veniam a Patre non poſtulaverit. Nec deſunt Auctores, qui doceant Puellæ promiſſione & jurejurando obſtrictæ raptu dirimens impedimentum afferri. Valde quidem ſingularis eſt hæc aſſertio, eamque Conſilium ſubſcriptum minime ad veritatem accedere ſecundum id, quod occurrit in capite *cum cauſam extr. de raptoribus & incendiariis*. Sed inde tamen non levis anſa, cur Petri matrimonium impugnetur, exiſtit, ſi id facere Pater aggrediatur, quemadmodum adhuc poteſt, cum hactenus nulla ratione ſignificaverit ſe matrimonio aſſentiri. Nihilominus nos animo reputantes Adoleſcentulam an. 26. natam eſſe, eamque Petro promiſiſſe ſe ipſi nupturam, atque adeo contractum iniſſe, ejus matrimonium eſſe validum judicamus, dummodo ſecundum formam contractus extiterit. Si contractus non fuiſſet ejuſmodi, velletque Pater judicio contendere, id ſane Petro grave negotium faceſſeret. Præterquam quod enim Tridentina Synodus perſonæ raptæ ætatem non diſtinguit omnino, Regis Declaratio raptas omnes complectitur, cujuſcumque tandem ætatis eæ fuerint. Conſilium tamen ſubſcriptum exiſtimat, per hunc receſſum in conſcientiæ foro impedimentum dirimens inductum non fuiſſe, ac proinde receſſum ipſum non obſtitiſſe, quominus Petrus, & quæ ei promiſit, veri nominis matrimonium inire potuerint: verum quoad forum externum a probationibus, quas illi afferre poſſunt, negotium pendere. Tutius ii quidem ſe geſſerint, ſi conſenſum a Patre impetraverint propter Declarationem Ludovici XIII.

II. Juxta juris ordinem Denunciationes in Adoleſcentulæ æque atque in Petri Parochia peragendas fuiſſe. Eſt hæc communior Theologorum & Canoniſtarum opinio. Qua in re Barboſa ad primum caput *Seſſ.* 24. Concilii Tridentini *numero* 26. hæc habet: *ubi etiam pluribus citatis Doctoribus adverto, quod ſi contrahentes plura habuerint domicilia ſeu Parochias, faciendæ ſunt ejuſmodi denunciationes in ea, in qua diutius habitant, & principaliorem habent larem, vel potius in ea, in qua veriſimilius eſt ſciri impedimenta.* Quamobrem cum Adoleſcentula non niſi per menſes octo in Monaſterio conſtiterit, & tunc temporis ibi apud Patrem extiterit, ubi ſuum conſtans domicilium ipſa tenebat, non poteſt Petrus contendere Denunciationes in Adoleſcentulæ Parochia factas fuiſſe, licet illa verſata fuerit ad breve tempus in Monaſterio, quod intra Parochiam exiſtit, in qua Petrus degit, & in qua tam in ſui, quam in Adoleſcentulæ gratiam Denunciationem ſemel peragendam curavit.

III. Abrincenſis Epiſcopi diſpenſationem tum Adoleſcentulæ tum Petro obtineri potuiſſe juxta communiorem ſententiam, quam affert Sanchez *de matrim. l. 3. diſp. 7. n. 7.* quamque haud ita pridem ad praxim redegit Archiepiſcopus Pariſienſis occaſione matrimonii inter Ducem, & Duciſſam ...... coram Rege celebrati. Verum prout in expoſitione dictum eſt, Abrincenſem Epiſcopum in animo non habuiſſe Adoleſcentulæ diſpenſationem concedere, quoniam eam ad Petrum determinavit his verbis, videlicet, dicti Petri ratione; atque ita Adoleſcentula ab Abrincenſi Epiſcopo diſpenſata cenſeri non poteſt.

IV. Juxta pleroſque Theologos & Canoniſtas defectum proclamationis Denunciationum non eſſe impedimentum dirimens & ſolvens matrimonium, non ita tamen Juriſconſultos Gallos videri, qui Conſtitutione nixi putant matrimonium defectu publicationis Denunciationum aut validæ diſpenſationis clandeſtinum eſſe; ex quo nullum eſſe concludunt, quoad matrimonium clandeſtinum veri nominis matrimonium non declaretur, cum illud etiam Tridentina Synodus damnet. Quia vero Geneveſſa major erat, cum nupſit, defectu publicationis Denunciationum matrimonium invalidum reddi non poſſe creditur, propterea quod Judices & Conſtitutio non videntur requirere tanquam aliquid abſolute neceſſarium publicationem Denunciationis aut diſpenſationis cauſa cognita, niſi quoad minores, ut *Brodeau* oſtendit in Louet *Epiſtola M. §. n. 3.*

V. Parochum, qui Matrimonium celebravit abſque Denunciationum publicatione quoad Adoleſcentulam, aut diſpenſatione, cum Epiſcopus aut Miniſter Abrincenſis eam diſpenſare noluerint, poſſe ac debere declarari ſuſpenſum ſecundum jus *c. cum inhibitio de clandeſtin. deſponſat.* Hæc eſt Barboſæ ſententia in idem caput, quod laudavimus, *n.* 31. Sed quoniam ſuſpenſionem hanc pronunciatam eſſe neceſſe eſt, neque ipſo facto ea eſt inflicta, facta hypotheſi illam in Parochum ab Eccleſiaſtico Judice pronunciatam non eſſe, Parochus in irregularitatem non incidit, propterea quod reipſa ſuſpenſus non eſt.

Deciſum Pariſiis die 29. Septembris 1679.

Aug. *de Lamet*.

DE-

Pecunia emptæ domus ab Emptore depoſita.

CASUS I.

1 *Emptor domus, apud quem Creditores aſſenſi ſunt pecuniam ſine lucro remanere, nullam iis injuriam intulit tribuens auri & argenti nummos juxta commune pretium.*

2 *Cum nonniſi quatuordecim mille libras præ manibus haberet, non potuit abſque peccato librarum viginti tria millia denunciare, cum ea non haberet.*

QUÆSITUM.

PEtrus cum domum emiſſet pretio & ſumma viginti trium mille librarum, decreti lege, ſenſit ſe a venditoris creditoribus adactum ad decretum coactum ſubeundum.

Petrus idem intelligens ad oppoſitiones finiendas longo temporis ſpatio opus fore, cum pecuniæ bonam partem in ſcrinio teneret, & certus eſſet ſe, quod ſupererat, facile comparaturum, libellum ſupplicem obtulit Magiſtratui, quo ſibi liceret emptionis pretium deponere, niſi Creditores mallent illud apud ipſum ſine lucro relinquere.

Id equi bonique fecerunt creditores, & per ſententiam, partibus omnibus conſentientibus, editam Petrus a cenſibus liberatus eſt, ea conditione, ut ſummam ſolveret, ſtatim ac rite juberetur.

Porro per id tempus nummi aurei redacti ſunt ad libras decem, ſolidos quinque, & nummi argentei ſeu ſcuta ad quinquaginta octo ſolidos, & Reſcriptum declarabat fore, ut deinceps redigerentur nummi quidem aurei ad libras decem, ſcuta vero ad ſolidos quinquaginta. Quamvis autem Petrus nonniſi quatuordecim mille libras præ manibus haberet, juridicam tamen declarationem edidit ſibi certos auri & argenti nummos præſto eſſe, & ex ſententia diei 31. Martii an. 1666. extitit actus ejus declarationis, ei eſſe ſeptendecim mille libras ex nummis aureis, & ſeptem mille libras ex ſcutis argenteis; & per eamdem ſententiam ſtatutum fuit, ut adverſarii eoſdem nummos pretio, quod tunc obtinebat, acceptarent.

Interea nedum decreſcerent, aucti ſunt argentei nummi, & redierunt aurei nummi ad libras undecim, ſcuta vero ad libras tres. Itaque cum Petrus ſolutionem præſtitit, nummos quidem aureos librarum undecim, ſcuta vero librarum trium prætio dedit. Quæritur, an ipſe lucri, quod in hoc negotio percepit, rationem Creditoribus reddere teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Petrum ſuo muneri ſatisfeciſſe, ſoluto emptæ domus totali pretio; eum potuiſſe a magiſtratu petere, ut ſibi liceret pecuniam deponere, niſi creditores opponentes mallent eam penes ipſum ſine lucro reliquere, facta hypoteſi pecuniam ei præſto eſſe, aut pro arbitratu præſto fore; at non potuiſſe coram Judice declarare ſibi univerſam ſummam ſuppetere, dum eam re ipſa non teneret, nec potuiſſe tuta conſcientia lucrum ex ea percipere, quam mutuam dedit, ſi, ut cogitabat, ſe res habuiſſet; ſed cum res non ſucceſſerit, dubio procul ille nemini injuriam intulit, quia ut quis ad reſtitutionem obligetur, aliquem lædendi voluntas non ſufficit, ſed damnum re ipſa illatum fuiſſe neceſſe eſt.

Deciſum in Sorbona die 3. Januarii an. 1685.
Auguſt. *de Lamet*.

Acceptator Depoſitionum.

CASUS II.

1 *Acceptator Depoſitionum ſuo commodo mutuum dare non poteſt.*

2 *Cum negotium hoc uſuram ſapiat, reſtituere tenetur.*

QUÆSITUM.

ACceptator Depoſitionum, ut amico morem gereret, Depoſitionem ſcripto editam recepit a mancipe, ſcilicet obligationem pretii adjudicationis nomine tertii; tum vero editur ſententia, quæ cenſus concedit. Quæritur, an hac in re uſura locum habeat? Ea eſt dubitandi ratio, quod hic proventus nullum damnum affert aut mancipi, qui prædii fructus percipit, aut creditoribus, quorum jus tutum redditur pecunia depoſita, quæ in ſcrinio remaneret, abſque ullo eorum lucro, aut ei, cujus res eſt vendita, quoniam ejus proprietatem non amplius habet. Cæterum acceptatores paſſim taxantur, quod ejuſmodi lucrum faciant, quod Rex & reſpublica probare videntur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat minime licere huic acceptatori acceptare depoſitionem ſcripto editam, prout eſt expoſitum, aut inde, ficto nomine, etiam vi ſententiæ lucrum percipere. Ratio eſt, quod hoc lucrum ex mutuo provenit, quod uſurarium eſt, ſive reale mutuum ſit, ſive virtuale, ut liquet in propoſita facti ſpecie.

Et ſane eadem in hoc negotio ejus eſt ratio, ac receptoris, qui, cum depoſitam pecuniam receperit, ad tempus eam mutuam dat; aut mancipis, qui eam depoſuit, & ex ea lucrum percipit. Lucrum hoc cenſeretur uſurarium, quia perciperetur ex ſumma, quam certo tempore is, penes quem obligatio eſt, reddere deberet, & quæ proinde alienata non eſſet.

Nec ſatis firmum fundamentum eſt ſententia, quæ obligatum damnat, ad cenſus ob defectum ſolutionis, quoniam ea, obligato, & acceptatore, aut eo, qui nomen ſuum dat, conſentientibus edita eſt.

Illud convenit, acceptatorem in facti circumſtantiis ei, cujus res vendita eſt, aut creditoribus nullum damnum inferre; ſed mancipem lædit, quoniam ab eo lucrum exigit, quod non debet & cujus exigendi jus ipſe non habet. Manceps ſane tenetur adjudicationis pretium deponere, & propterea depoſitionum coactor ejus ſollicitandi jure gaudet. At ſi vult gratificari, ſua obligatione contentus eſſe, & de adjudicationis pretio creditoribus reſpondere: non eſt hic ei legitimus titulus percipiendi lucri ex ſumma, quam amico mutuam dat, ut ei morem gerat.

Acceptator quidem obnoxius eſt periculo ſolvendi de proprio, ſi is, apud quem eſt obligatio, defecerit; ſed periculum hoc voluntarium eſt, ut ſcilicet amico gratificetur. Itaque non debet ab eo boni officii pretium exigere, quia non amplius gratificatio, ſed ſordidum lucrum eſſet.

Cæterum ſi acceptator crederet in eo negotio verum periculum timendum fore, veroſimillimum fit eum promiſſione per ſcriptum contentum non fore. Quod probat, periculum non eſſe niſi prætextum, falſumque colorem, qui tantum inſervit tegendo commercio uſurario, quod in his occaſionibus exercetur.

Sequitur ex his omnibus, acceptatorem, cum in propoſito caſu occurrat uſura, teneri reſtituere mancipi cenſus, quos inde percepit.

Deciſum die .... Julii an. 1701.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

Antiſtitæ præpoſtera Devotio.

CASUS.

1 *Antiſtitæ ſe dignitate abdicantis, ut Sanctam Virginem in ſuum locum ſubſtituat, devotio Eccleſiæ menti & praxi contraria eſt.*
2 *Confeſſarius hanc Virginem revocare debet in viam, & diviſionem impedire, quæ hac occaſione in Monaſterio gigni poſſet.*
3 *Si Antiſtita renuat reſipiſcere: monendus eſt ſuperior, a quo pendet, ut congruum remedium afferat.*

QUÆSITUM.

Religioſæ familiæ Antiſtita paulo poſt ſua ſe dignitate abdicavit coram univerſa Communitate, & ante Imaginem Beatæ Virginis, quam poſitam voluit in cathedra, quam ipſa antea in Choro occupabat. Deinde palam edixit Sanctam Virginem Communitatis Antiſtitam fore. Tum vero non amplius reſidet niſi infra hanc Imaginem, jubetque ad eam deferri portionem quotidie in pauperes erogandam.

Hujus Monaſterii Confeſſarius, cui Devotio hæc ſuſpecta eſt, quique eam nonnullis Monialibus talem apparere novit, interrogat;

I. Superſtitioſa nec ne ſit actio hujus Antiſtitæ, necnon oblatio ejus juſſu diebus ſingulis facta ei Imagini portionis ex Triclinio? Quod videtur ab eo non longe abeſſe, quod ait D. Epiphanius hæreſi 79. de Fæminis, quæ Collyridianorum hæreſi ortum dedere, quæque *currum & ſellam adornantes quadratam, ac linteo deſuper extenſo ſolemni tempore per aliquot dies panem proponebant, & in nomine Mariæ offerebant*, earum imitatione, quæ ajebant Jeremiæ *cap.* 44. *Cœli Reginam adoramus*.

II. Qua ratione ſe gerere debeat quoad hanc novam hujus Antiſtitæ devotionem, ut ab ea ipſam revocet, ſi forte Catholicæ fidei non ſit conſentanea, & quoad eas ex Monialibus, quæ ſcandalum paſſæ ſunt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, rationem, quam inivit Antiſtita, reprehenſibilem eſſe, ejuſque Devotionem Eccleſiæ menti atque ordini non congruere; eam ita ſe gerentem ſe ſuo titulo non ſpoliaſſe; non ei licuiſſe B. Virginis Imaginem in ſua ſede collocare, quia Eccleſia in locis dignioribus ponit Sanctorum Imagines; has extraordinarias devotiones imaginationis multum habere; ac ſi actio hæc ſtricto modo accipi lubeat, videri poteſt ea ſuperſtitione laborare, quæ poſita eſt *in ſuperfluo cultu, vel in eo, qui eſt contra ordinationem Eccleſiæ*; Sedes enim Chori ex Eccleſiæ inſtituto proprias eſſe Officio vacantium, non autem Imaginum; ſimplicitatem tamen, qua ita egit Antiſtita, majore excuſatione dignam eſſe; ac portionem, quam illa eidem Imagini offert, prioris erroris conſecutionem eſſe, nec proinde probari poſſe. Sanctiſſimus tamen ſummaque laude dignus mos eſſet quotidianam ex Triclinio portionem pauperibus tribuendi ad Sanctam Virginem honorandam.

Quod egit Antiſtita, cum eo conferri nequit, quod agebant Collyridiani, quia Hæretici hi Sacerdotum ſuarum miniſterio vera ſacrificia Beatæ Virgini offerre contendebant; eique latriæ cultum ſoli Deo debitum exhibebant; id quod merito rejicit D. Epiphanius, dum ait ad eorum hæreſim refellendam: *Deus e cœlo deſcendens, Verbum e Virgine ſuſceptum corpus induens, non ideo tamen ut hæc adorari debeat, aut ut eam divinam ad naturam transferat; neque ut ſacrificium illius in nomine offeratur, neque tanto intervallo mulieres Sacerdotes inſtituantur*. Jam vero id omne differt ab eo, quod Antiſtita noſtra facere in animo habuit.

Debet tamen Confeſſarius nihil intentatum relinquere, ut ſuis inſtructionibus eam cogat a conſilio recedere, B. Virginis imaginem alibi collocare, & ad ſuam in choro ſedem redire. Eam monere debet, devotiones ſolidas, & Deo gratas non eſſe, niſi quatenus Eccleſiæ ordini conformes ſint, nec unquam proprium conſilium, ſententiam propriam, propriamque oblectationem Eccleſiæ praxibus, eique, quod in omnibus Monaſteriis ſervatur, anteponi oportere.

Ad Moniales quod attinet, debet Confeſſarius earum animum componere, quæ concitatæ ſunt, quin tamen eas in errorem inducat, iiſve ſignificet ſibi Antiſtitæ conſilium probari, ipſas monens eam lenioribus remediis ad ſententiam mutandam duci oportere, ne in Familia ſchiſma oriatur; at ſi forte Antiſtita nolit acquieſcere, debet ille Monaſterii Superiorem commonefacere, ut afferat opportuna remedia.

Deciſum Pariſiis die 28. Junii an. 1677.
Aug. *de Lamet.*

Sæcularis Dignitas in Hæreticum Dominum collata.

CASUS.

1 *Princeps Catholicus poteſt in ſuis Ditionibus Hæreticos de ſe benemeritos ad ſæculares Dignitates evehere, dummodo ii, quibus eas tribuit, non iiſdem utantur contra Catholicam Religionem, vel ad ſuæ ſectæ propagationem.*

QUÆSITUM.

Princeps Regens Luſitaniæ ſibi perſuaderi paſſus eſt, ſe non poſſe tuta conſcientia inſignire Grandis titulo Comitem *de Schomberg*, quamvis eumdem antea Marecallo *de Schomberg* ejus Patri contulerit. Non id tamen novum eſt, ſed ſæpe uſitatum; atque adeo cum Marecallus in Luſitaniam nuperrime profectus eſſet, Filio Pradenſis Comitis, Armorum Præfecti in Provincia Minlienſi Rex eumdem titulum tribuit; & quoad Religionem nihil objectum eſt, cum eidem Marecallo Grandis titulus collatus eſt, Reginæ Matris tempore, etiam poſtquam ab adminiſtratione per Regem Filium remota eſt. Comes *de Caſtelmelhoor* tunc a ſecretis *de la Puntade* eamdem dignitatem honorificentius obſignavit. Cum Marecallus *de Schomberg* teſtatus eſſet ſe ægro animo in Ulyſſiponenſi belli Conſilio partem habere, quia Grandes ei ſe præferri volebant, quod tantummodo Comes eſſet, declaravit, eum, cum Imperii Comes eſſet, in Luſitaniam non veniſſe, ut ſuo gradu caderet. Neque vero contentus fuit oblata ſibi dignitate, quippe quæ ad ejus filios tantummodo pertineret, eamdemque ea tantum conditione acceptavit, ut eſſet earum ſimilis, quæ ſunt in forma *de Leymental*. Eſt etiam animadvertendum ei dignitatem collatam non fuiſſe, niſi cum Princeps Regens adminiſtrationem ſuſcepit; ut proinde cum Princeps eam illi gratiam tribuere voluerit, licet quam Religionem tum ipſe tum ejus filii profiterentur, optime noſſet, quemadmodum nihil in hac re ſcrupuli tunc extitit, ita nihil in præſentia exiſtere videatur. Sed quoniam Princeps Regens cupit ex Galliæ Præſulibus ediſcere, quid in ſimilibus caſibus ibidem moris obtineat; putat Marecallus ei tuto ſatisfieri poſſe, certus hos Præſules, quo flagrant amore juſtitiæ, libenter id, quod ex ipſis quæritur, edicturos, nempe declaraturos morem hunc in Galliis adeo probatum, graviterque inſtitutum eſſe, ut nuperrime ſervatus ſit in Marchione *de Boer*, qui quamvis eamdem ac Comes *de Schomberg* Religionem teneret, Marecalli *de la Force* Proavi ſui Ducatui inconteſtabiliter ſucceſſit.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſitionem hanc viderunt, exiſtimant Altitudinem ſuam Principem Regentem Luſitaniæ nihil contra Eccleſiæ Leges acturum, ſi Comiti *de Schomberg* eamdem gratiam tribuerit, quam Marecallo ejus Patri largitus eſt; quia Religionis diverſitas civilem communionem non niſi quoad eos impedit, qui ab Eccleſia

cleſia nominatim ſejuncti ſunt, juxta Conſtantienſis Concilii doctrinam. Ejuſmodi ſunt Hæreſiarchæ, quos in propria perſona, propriiſque nominibus Eccleſia damnavit. Nec magis diverſitas hæc canonicus obex eſt, qui impediat, quominus Princeps hominem aliam Religionem profitentem de ſe bene meritum Dignitatibus iis compenſet, quæ tum ejus perſonæ, tum toti Familiæ ſplendorem afferant. Chriſtiana nempe Religio non pugnat cum grati animi ſignificatione, quæ recte factis debetur; ea ſiquidem obligatio eſt, quæ nititur jure naturæ. Et ſane nos docent ſacræ Litteræ Deum temporalibus beneficiis compenſaſſe Ethnicorum Principum res bene geſtas, tametſi eorum Religionem odio haberet; Eccleſiæ Patres omnes ad unum in hanc ſententiam conſpirant. Et ita quidem ſe ſentire veteres Imperatores Chriſtiani ſignificarunt, gratique animi monumenta Ethnicis & Hæreticis exhibuerunt, qui & ſibi & Reipublicæ utilem operam præſtiterant, eos ſcilicet ad ſummas quaſque Imperii Dignitates evexere, quin Pontifices & Epiſcopi refragarentur, dummodo illi tradita ſibi poteſtate non abuterentur ad Religionis perniciem, & ad patrocinandum Hæreticis, quorum erroribus addicti erant. Alii Principes bene multi adhæſerunt exemplis hiſce, quæ poſtremis quoque temporibus occurrunt quam ſæpiſſime. Imperatores id fecerunt, & adhuc faciunt in Germania. Id facit Rex Chriſtianiſſimus in ſuo Regno, in quo non pauci inſigniti fuere Ducum titulo, qui in eorum Familias propagatus eſt, licet Religionem, ut dicitur, Reformatam profiterentur, cujuſmodi fuere Domini *de la Force*, *de Sallì*, quos titulis ipſorum Familias illuſtrantibus donarunt Reges noſtri, arbitrati ſe poſſe tuta conſcientia compenſare eorum merita, quorum diverſa communio eſſet, iis quidem rationibus, quæ Religioni non officerent, quin omnino in animo haberent eorum ſectæ favere, quorum præclara facinora compenſabant.

Deciſum Pariſiis die 2. Octobris an. 1680.
Subſcripti A. *de Lamet*.
Deſperiers. *Le Feron*. *Pirot*.

Et ad marginem ſcriptum eſt.

Subſcripti, qui ad propoſita reſponderunt, eorum dignitate carentes, quorum rogata ſententia eſt, Principis Regentis nomine, hanc ſibi facultatem non arrogaſſent, niſi ipſis negotium propoſitum fuiſſet a ſummo viro, qui eorum ſententiam audire voluit, & cujus auctoritati non obſequi non potuerunt.

Subſcriptus N. A. *De Lamet*.

DISPENSATIO MATRIMONII.

TRridentina Synodus ita mentem ſuam explicat ſuper Diſpenſationibus: *Sicut publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, Sacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

Diſpenſatio dicitur obreptitia, cum ad eam impetrandam partes falſum expoſuerunt; & eſt ſubreptitia, cum quicpiam, quod aperiendum erat, celatum eſt. Verum ſæpenumero obreptionis & ſubreptionis vocabula confunduntur in Jure, quia certum eſt horum defectuum alterutro diſpenſationes nullas reddi, ita ut qui eas ita obtinuerint, iiſdem uti nequeant, quin graviter peccent, ut deciſum eſt in pluribus Canonici Juris locis, & præſertim in cap. *Si Motu*.

Cum perſonæ, quæ Diſpenſationem obtinent, non falſum quidem exponere, aut quicpiam dicendum tacere voluerunt, ſed id Expeditionarii malitia ſeu negligentia contigit, æque tamen nulla eſt Diſpenſatio; & hæc ignorantia partes a peccato non excuſat, quia, ut ait D. Thomas, eſt quodammodo voluntaria, dum id ignoratur, quod ſciri poteſt ac debet. Porro certum eſt oportere Partes de iis rationibus cognoſcere, quæ earumdem gratia ac nomine proponuntur ad Diſpenſationem aliquam obtinendam. Verum licet hæc ignorantia eſſet invincibilis, & partes proinde a peccato excuſaret; ex quo tamen ſcirent Diſpenſationem ex falſa Expoſitione conceſſam fuiſſe, dubio procul Diſpenſationem ſuam tanquam nullam ſpectare deberent, eademque uti non poſſent.

Ex iis, quæ neceſſario ſunt exponenda, ne in Matrimonii negotio ſubreptitia & nulla ſit Diſpenſatio, imprimis expreſſe declarandus eſt conſanguinitatis aut affinitatis gradus, in quo verſantur, qui matrimonium inire volunt. Idem ſentiendum de publica honeſtate, deque cæteris, quæcumque demum fuerint, impedimentis, quæ abſolute & clare, quam late patent, ſunt exprimenda; ac ſi plura adſint impedimenta, in eadem ſupplicatione declaranda ſunt. Fornicatio aut inceſtum ſunt juſtæ cauſæ petendi, obtinendique Diſpenſationes, ut cum iis matrimonium contrahatur, quibuſcum peccatum eſt. Quæ quidem Diſpenſationes eam continent conditionem, ut ne inceſti vel nimiæ familiaritatis finis fuerit Diſpenſationis facilior impetratio. Quamobrem Commiſſario delegato mandatur, ne Diſpenſationis gratiam concedat, niſi prius Orantes coram eo jurejurando affirmaverint ſe non ideo inceſtum perpetraſſe, aut familiarius una verſatos eſſe, ut facilius Diſpenſationem conſequerentur.

Cum Matrimonium contractum eſt, quod alicujus impedimenti dirimentis cauſa nullum eſt, petenda eſt Diſpenſatio; atque ita quidem Matrimonium hoc deinde validum reddi poteſt; aut enim impedimentum dirimens, cujus Diſpenſatio poſt contractum Matrimonium impetrata eſt, occultum eſt, aut non; ſi eſt occultum, ita ut abſolute in foro externo nunquam probari poſſit, non eſt neceſſe Parochum & teſtes conſenſui, qui renovandus eſt, præſentes eſſe. Itaque cum Pars alterutra novit impedimentum occultum, quod Matrimonium nullum efficit, ejuſque diſpenſationem obtinet, neceſſario tenet illud alteri Parti detegere, quo & ipſa conſenſum renovet.

Animadvertendum eſt paucis, I. Diſpenſationes ſuper Matrimonii impedimentis dirimentibus a Pontifice conceſſas non quidem ad Epiſcopum, ſed ad ejus Officialem ſolummodo, ad quem directæ ſunt, ſpectare; II. Officialem hunc id exequi debere, quod ipſi per illud Mandatum præſcriptum eſt, itaut de rei propoſitæ veritate cognoſcat juxta eam ſolemnem clauſulam, *ſi preces veritate niti repereris*, & diſpenſare clauſulis in dicto Mandato contentis, poſtquam veritatem Supplicatione conti-

reri intellexit. Diſpenſatio porro publicationis futuri Matrimonii, ad Epiſcopum pertinet. III. In Epiſcoporum poteſtate eſſe ſuper impedimentis dirimentibus Diſpenſationes concedere, cum Matrimonium contractum eſt, & impedimentum occultum eſt, nec ſine ſcandalo ejus celebratio retardari poteſt. Hac de re conſuli poteſt D. *de Sainte Beuve* Tom. 2. Caſuum Conſcientiæ *in* 8. pag. 129. & ſequentibus.

Vide (MATRIMONIUM.
(IMPEDIMENTA.

Diſpenſatio Matrimonii in facto Propinquitatis.

CASUS I.

1 *Poteſt Epiſcopus cum ſuæ Diœceſis pauperibus diſpenſare in quarto gradu Propinquitatis.*
2 *Quamvis nullum hac in re Indultum ei præſto ſit, paupertas tamen & Epiſcopi titulus hanc ipſi tribuit poteſtatem.*
3 *Poteſtas hæc non modo ſpectat ad pauperum Diſpenſationem in contrahendis, ſed etiam ad Diſpenſationes, quibus opus eſt in contractis.*

QUÆSITUM.

Ruſticus Diœceſis Atrebatenſis impediit duos alios Ruſticos, quorum in ejus Parochia eſt antiquitas longe maxima, quominus Parocho ſignificarent, eum Adoleſcentula, quam in uxorem ducere volebat, quarto propinquitatis gradu conjunctum eſſe. Id ut obtineret, ſe una cum conjuge meſſis tempore iis adlaboraturum promiſit. Hoc promiſſo illecti Villici ſiluerunt, atque is, de quo agitur, a Parocho matrimonio conjunctus eſt, & jam ex uxore filium ſuſcepit. Qua in re quæritur a Doctoribus;

I. Satis necne probetur viri & mulieris mala fides?

II. An hoc in caſu poſſit Epiſcopus diſpenſationem, qua indigent, ipſis concedere, quia pauperes ſunt, & ob immodicas impenſas ad Pontificem confugere nequeunt?

III. An Atrebatenſis Epiſcopus Indulto, quo in pauperum gratiam gaudet *in contrahendis in* 4. & 3. *mixto*, & *ſimplici*, uti poſſit etiam in hac facti ſpecie?

IV. An cum diſpenſare poſſit *in contrahendis*, poſſit etiam *in contractis*?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod quæſtiones in expoſitione contentas vidit & expendit, exiſtimat,

Quoad primam, ſatis conſtare eos, de quibus ſermo eſt, mala fide matrimonium iniviſſe.

Quoad ſecundam, licet mala fides hos, ut contenditur, conjugatos omni favore indignos efficiat, quia tamen conjugati cenſentur, iis ex ejuſmodi conjugio filius eſt, eorumque gradus cognationis remotus eſt, ideo eſt, cur diſpenſatio, quam poſtulant, iis concedatur, quam quidem ipſis Pontifex impertiretur, impoſita aliqua pœnitentia, ſi poſſent ad eum accedere; ſed cum paupertate id facere prohibeantur, poteſt Epiſcopus in his circumſtantiis diſpenſationem qua opus habent, ut eorum matrimonium validum & legitimum ſit, iiſdem concedere.

Quoad tertiam, etiamſi Epiſcopus nullo Indulto, nullaque peculiari poteſtate polleret, tamen hoc in caſu diſpenſare poſſet, hoc principio ductus: Quoties Romana Curia adiri nequit ad petendam a Pontifice diſpenſationem, quam ſane concederet, &c. eam poteſt Epiſcopus impertiri, ne Fideles relinquantur abſque ſubſidiis, quæ ad eos a peccato abducendos neceſſaria ſunt; quæque in ſimilibus caſibus Eccleſiæ ſuavitas ipſis non denegat.

Quoad quartam, & poſtremam quæſtionem, fruſtra illud ad examen revocari, quo ſenſu accipienda ſint Indulti Epiſcopo a Pontifice conceſſi verba hæc *pro pauperibus in contrahendis*; quoniam poteſtas, qua gaudet Epiſcopus diſpenſandi in propoſita facti ſpecie, eo indulto, eoque privilegio minime nititur. Reſpondetur tamen valde probabile eſſe Epiſcopum, qui diſpenſandi poteſtate gaudet in matrimonio contrahendo, in contracto diſpenſare poſſe, licet male contractum fuerit, quoniam in hoc poſteriore caſu diſpenſatio magis eſt rationi conſona, magiſque neceſſaria juxta eam regulam: qui poteſt majus, poteſt & minus in eodem genere, & in eadem materia.

Deciſum hac die 12. Maii an. 1698.
G. *Fromageau.*

Idem Caſus fuſius explicatus.

Epiſcopus quidam accepit a Pontifice poteſtatem *diſpenſandi in tertio & quarto ſimplici tantum & mixto tantum, cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis converſis etiam in ſecundo ſimplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum ..... Et in his caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.* Quæritur,

I. An hujus poteſtatis vi poſſit ille diſpenſare cum pauperibus *in matrimoniis contractis* ſuper impedimento *in tertio & quarto ſimplici & mixto*? Dubitandi ea ratio eſt, quod *in contrahendis* ſolummodo dicitur, & quoad Hæreticos additur *in contractis*. Ex alia parte I. magis opus eſſe diſpenſatione in *contractis* quam in *contrahendis*, atque ita præſumendum non eſſe unam poteſtatem ſine alia conceſſam non fuiſſe; niſi forte Pontifex judicavit alia poteſtate præter Epiſcopatum opus non eſſe ad diſpenſandum cum pauperibus *in matrimoniis contractis* propter difficultatem, in qua illi verſantur, Supremi Pontificis adeundi. II. aſſeri poteſt ideo quoad Hæreticos converſos poſitum eſſe tantum *contractis*, quia diſpenſationem nonniſi poſt converſionem petunt, nunquam autem *in contrahendis*.

II. An vi poteſtatis hujus poſſit Epiſcopus necne diſpenſare *in tertio mixto cum quarto*?

III. An per eamdem poteſtatem diſpenſare poſſit *in tertio mixto cum ſecundo*? Pro affirmante parte eſt coma, quod extitit inter ea duo *ſimplici & mixto*; ex quo videtur illud ſignificari voluiſſe *in tertio ſimplici & mixto, & in quarto ſimplici & mixto*; quo in caſu cum poſterius eſſe non poſſit in mixto niſi quarti cum tertio, prius *in tertio ſimplici & mixto* intelligendum eſt *in tertio mixto cum ſecundo*. Pro negante parte ratio eſt I. quod ſenſu ſatis accommodo, comate non obſtante, illud *in tertio & quarto ſimplici & mixto* accipiendum eſt de tertio & quarto invicem mixtis. II. cum in poteſtate de Hæreticis ſermo eſt, ac dicitur *in ſecundo ſimplici & mixto* cum comate perinde atque in poteſtate alia, id nonniſi de *ſecundo mixto cum tertio* accipi poteſt; ſiquidem additur, *dummodo nullo modo attingat primum gradum*. Ex quo ſequitur, Pontificem, ſi eamdem poteſtatem pro pauperibus non Hæreticis converſis concedere voluiſſet, uſurum fuiſſe iiſdem verbis, *in ſecundo mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum*, non autem hiſce, *in tertio & quarto ſimplici & mixto*.

IV. Facta hypotheſi Epiſcopum carere facultate diſpenſandi *in contrahendis* cum pauperibus *in ſecundo mixto cum tertio*: quæritur, an, ſi duo pauperes promiſcue rem habuiſſent, *ſecuta & ſuperſtita adhuc prole*, & impedimentum publicum eſſet, difficultas ad Pontificem confugiendi eſſet ſufficiens ratio, cur Epiſcopus diſpenſare poſſet, licet matrimonium contractum non fuerit?

V. An adeundi Pontificis unica difficultas ſaltem

in matrimoniis contractis, ſatis necne ſit, ut Epiſcopus diſpenſare poſſit in uno vel pluribus impedimentis *cum pauperibus*, quamvis impedimentum ſit publicum. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſuam ſententiam ſuper his omnibus difficultatibus proferant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

Quoad quæſtionem primam, Epiſcopum, ſi diſpenſare poteſt cum pauperibus *in contrahendis*, potiori ratione poſſe *in contractis*, quoniam poſterior caſus eſt favorabilior quam prior; huc etiam referri poſſunt rationes in expoſitione allatæ ad ſententiam hanc magis magiſque firmandam.

Quoad quæſtionem alteram, Epiſcopum diſpenſare poſſe vi poteſtatis hujus, *in tertio mixto cum quarto*.

Quoad tertiam. Verba hæc, *in tertio & quarto ſimplici & mixto*, eo ſenſu accipienda ſunt, ut Epiſcopus non ſolum diſpenſare poſſit *in tertio ſimplici & quarto ſimplici*, videlicet cum inter partes adeſt propinquitas in tertio aut quarto gradu ex una tantum parte, verum etiam quod majus eſt, cum adeſt propinquitas in tertio, aut quarto gradu ex duplici capite, exempli cauſa ex parte Patris & Matris.

Quoad quartam. Epiſcopus, qui diſpenſare poteſt *in tertio in contrahendis*, poteſt diſpenſare *in ſecundo mixto cum tertio*; ſcilicet cum in uno contrahentium exiſtit propinquitatis gradus ſecundus, & in altero tertius; tunc enim propinquitatis gradus cenſetur tertius. Et ſane conſanguinitatis aut affinitatis gradus in Jure Canonico numerantur a remotiore: (a) *Quoto enim gradu diſtat remotior a ſtipite, tanto diſtant inter ſe*; ita ut ſtipitis gradus remotior ſecum trahat minus remotum. Ex quo fit, ut quis alteri conſanguinitate aut affinitate conjunctus cenſeatur, gradu magis a ſtipite diſtante, non autem minus. Hoc poſito nihil eſt in propoſita facti ſpecie, cur Pontifex adeatur obtinendæ diſpenſationis gratia; ſed Epiſcopus (b) poteſt Indulti ſui vi eamdem tribuere, ſi e re eſſe judicet, habita ratione perſonarum, aliorumque, quæ rem circumſtant.

Quoad quintam. Magna difficultas ad Pontificem confugiendi, quæ dici poteſt moralis impotentia, ſatis eſt, ut Epiſcopus diſpenſare poſſit *in contractis* cum pauperibus, licet impedimentum publicum ſit, præſertim cum res bona fide peracta eſt; ſentiendum enim eſt, in his circumſtantiis mentem Eccleſiæ, cujus ratio eadem eſt ac charitatis, non eam eſſe, ut ſuis filiis ea, quibus neceſſario indigent, ſubſidia præſto ſint; ut exempli cauſa mulier, quæ cogitur a viro recedere propter impedimentum dirimens, innupta, cui tamen ineundi conjugii graves cæteroquin cauſæ præſto ſunt, ob eam cauſam, quod ad Pontificem confugere cum nequeat, Epiſcopus in ejuſmodi impedimento cum ea diſpenſare non poſſit.

Deciſum Pariſiis hac die 4. Octobris an. 1689.
G. *Fromageau*.

Diſpenſatio ab alterius tantum partis Epiſcopo conceſſa.

CASUS II.

1 *Sunt, qui putant, diſpenſationem ſolius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Matrimonium contrahitur, ſatis eſſe cum partes ad Diœceſes diverſas pertinent.*

2 *Si Epiſcopus alteri contrahentium diſpenſationem conceſſit, & alterum remiſit ad proprium Epiſcopum diſpenſationis obtinendæ gratia, hac autem impetrata non eſt, Matrimonium deinde celebratum non eſt validum.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut has difficultates enodent.

Adoleſcens & Puella, quarto cognationis gradu conjuncti, unus quidem Diœceſis *de Seez*, alter vero Diœceſis Cenomanenſis, confugerunt ad Epiſcopum Cenomanenſem, ſuæ paupertatis cauſa, ut diſpenſationem obtinerent, & veniam matrimonii contrahendi. Diſpenſatione poſt cauſæ cognitionem ipſis conceſſa, Nuptiali Benedictione donati ſunt. Animadverſione dignum eſt, partes, quamvis non in eodem Epiſcopatu, proxime tamen degere, ita ut Parochiæ ſeſe contingant. En nodum difficultatis,

In Epiſcopi diſpenſatione pars altera remittitur ad proprium Epiſcopum, ut diſpenſetur. Cum porro Parochus, qui contrahentes conjunxit, ad eam clauſulam animum non retuliſſet, ipſe in præſentia interrogat: an matrimonio conſumato, atque adeo prole ſuſcepta, adeunda ſit Romana Curia, an vero Vicarii Generales, Sede vacante, poſſint ejuſmodi cognitionem probare, & diſpenſationem concedere?

Parochus vero, qui partes in matrimonium conjunxit, quomodo ſe gerere debet, ut ſuam conſcientiam in tuto ponat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, in propoſita facti ſpecie, quamvis Theologi plures contendant ſatis eſſe diſpenſationem Epiſcopi loci, ubi Matrimonium contrahitur, quia contrahentes hoc in caſu ſpectandi ſunt tanquam eadem perſona, tum ratione Contractus eos conjungentis, tum ratione cauſæ, qua moventur ad diſpenſationem petendam, quæque eadem eſt in utroque; ita ut diſpenſatio unius evadat ob connexionem communis alteri;

Attamen quoniam hoc loco generalis quæſtio non agitatur, ſed agitur de peculiari caſu, videlicet an, cum Epiſcopus Cenomanenſis uni parti diſpenſationem tribuerit, & alteram remiſerit ad Epiſcopum, ut pariter diſpenſationem obtineret, quam tamen non petiit, Matrimonium ita celebratum validum ſit? Cenſet, inquam Conſilium, non ita eſſe, quia conſtat conceſſam diſpenſationem non abſolutam, ſed conditione ſuſpenſam fuiſſe, perinde ac ſi Cenomanenſis Epiſcopus ſuper impedimento dirimente diſpenſaverit ea tantum lege, ut ad Epiſcopum *de Seez* aut ad ejus generales Vicarios accederent. Sane fieri poteſt, ut in his duabus Diœceſibus ea vigeat conſuetudo, ut duorum Epiſcoporum diſpenſatione opus ſit; hoc in caſu ſtandum fuiſſet huic conſuetudini, & diſpenſatio utrinque petenda.

Quod attinet ad Parochum, bona fide egiſſe, nec coram Deo ullius culpæ reus eſſe videtur; ita ut ſi res bene penitus inſpiciatur, ſuperiorum ſuorum auctoritatem in hac occaſione contempſiſſe præſumi nequeat. Quamobrem animo angi non debet, quoniam pura putaque imprudentia in cauſa fuit, cur partes non remitteret ad Epiſcopum *de Seez*, ut diſpenſationem obtinerent, quemadmodum in Cenomanenſi Epiſcopi diſpenſatione mandabatur.

II. Debet Parochus in hac facti ſpecie partes adigere ad matrimonium firmandum; neque vero ad Romanam Curiam confugiendum eſt, ut impedimentum tollatur; agitur enim de matrimonio inter eos initio, qui ob paupertatem ad ſanctam ſedem confugere nequeunt, quique fortaſſe citra proximum peccandi periculum abſtinere nequeunt, donec diſpenſatio a Romana Curia obtineatur. Quam ob cauſam in harum circumſtantiarum alterutra Epiſcopus, vel ejus Generales Vicarii, ſede vacante, diſpenſationem hanc concedere poſſunt.

III. Conceſſa diſpenſatione, & matrimonio coram Parocho & teſtibus renovato, Parochus in Acta ſua referet diſpenſationem recens impetratam, reno-

(a) Cap. Vir qui Gloſſ. de conſanguinit. & affinit.

(b) Sacerdos Sancti Nicolai retulit die 3. Octobris an. 1692. D. Fromageau, ſibi dictum eſſe in Archiepiſcopatu diſpenſari in 3. cum 4. cum non poſſet adiri Pontifex, licet impedimentum publicum eſſet.

renovatumque matrimonium, quod jam bona fide celebratum fuerat, quin animadverteretur, præter Epiſcopi Cenomanenſis diſpenſationem oportuiſſe, ut Epiſcopus quoque *de Seez* diſpenſaret; referet & illud, ex hoc matrimonio plures filios eo titulo natos eſſe, atque ut eorum & Partium ſtatui conſulatur, ſublato per diſpenſationem conſanguinitatis impedimento dirimente, matrimonium inſtauratum eſſe, Generalibus Vicariis *de Seez*, ſede vacante, id permittentibus. Quantumvis certa videatur deciſio hæc, his tamen rationibus nititur oppoſita ſententia.

Ut appareat Epiſcopi loci, in quo Matrimonium fit, diſpenſationem ſufficere, cum partes diverſis Diœceſibus ſubduntur, I. id proponi poteſt, quod ſupra dictum eſt. II. Auctores, qui aſſerunt Epiſcopum ejus loci, ubi Matrimonium celebratur, poſſe in publicationibus diſpenſare, quin alter adeatur, exempli cauſa cum matrimonium in mortis articulo firmandum eſt, & proinde res urget; vel cum rebus omnibus ad matrimonii celebrationem accommodatis, dirimens impedimentum detegitur, adeoque citra ſcandalum Matrimonium differri nequit, eam afferunt rationem, quod ſtatim atque una pars vult contrahere cum alia diverſæ Diœceſis, evadit ſubdita, *ratione contractus individui*, Ordinario, in cujus juriſdictione Matrimonium perficitur; & Epiſcopus indirecto jure in eamdem gaudere incipit.

Et ſane cum Matrimonii Contractus ſit inter perſonas duas, ratione connexionis una aliam ſecum trahit. Quamobrem cum unus contrahentium ſibi petit a Pontifice impedimenti matrimonium dirimentis diſpenſationem: gratia ei conceſſa & alterius communis eſt, ut monent Sanchez, & Diana (*a*). Neque id eo fit, quod Pontifex contrahentis utriuſque Superior eſt; hanc quippe rationem non afferunt Auctores hi; ſed eo, quod connexionis inter partes exiſtentis ratione favor unius evadit communis alterius, etiamſi non petierit. Auctorum contendentium diſpenſationem Epiſcopi loci, ubi Matrimonium peragitur, ad publicationum diſpenſationem ſufficere, cum partium diverſæ Diœceſes ſunt, principia accommodari poſſunt ad eam Matrimonii ſpeciem, in qua occurrit impedimentum dirimens, cujus cauſa Romana Curia adiri non poteſt.

Non deſunt quidem Theologi, qui aliter ſentiant; ſed nullam peculiarem rationem afferunt ad ſuam ipſorum ſententiam tuendam; præterea aliorum Theologorum numerus eſt longe major. Conſuli poſſunt (*b*) Barboſa, Pyrrhus Corradus, Sanchez, Bonacina cum iis, quos laudat, Auctoribus, & Reginaldus. Re ipſa quoniam impedimenta, quæ ſtatuit Eccleſia, matrimonii libertatem, quam natura inſpiravit, imminuunt, ideo cenſentur odioſa; adeoque eorum vinculum non eſt extendendum, nec eorumdem diſpenſatio difficilior reddenda, multiplicatis obſtaculis. Ex quo appellati Auctores inferunt, modo contraria conſuetudo in Diœceſi non obtineat, nihil aliud requirendum eſſe, quam diſpenſationem Epiſcopi loci, ubi Matrimonium celebratur. Horum Auctorum rationes ejuſmodi ſunt; verum non ita ſentiunt Doctores Sorbonici, qui quidem, ut ſupra declaratum eſt; contrarium definierunt.

Deciſum Pariſiis hac die . . . . . an. 1699.
G. Fromageau.

Diſpenſatio in forma pauperum.

CASUS III.

1 *Diſpenſatio in forma pauperum conceſſa in eorum gratiam, qui tales non ſunt, nulla eſt, nec executioni mandari poteſt.*

2 *Officialis eam pronuntiare non debet, ſi ſubreptitiam exiſtimat.*

QUÆSITUM.

MÆvius Filiusfamilias, & Julia natu Minor, cujus bona circiter ſexaginta mille librarum ſunt, a Romana Curia diſpenſationem *in forma pauperum* obtinuerunt, ut, non obſtante ſecundo conſanguinitatis gradu inter eos exiſtente, matrimonium contrahere poſſent.

Officialis, ad quem miſſa eſt hæc diſpenſatio, eam pronunciavit, & aliquanto poſt e vivis exceſſit. Adoleſcentulæ germanus frater ab hac Bullæ impetratione, & a denunciatione, ac promulgatione per Officialem edita tanquam ab abuſu appellavit. Et re quidem vera eum moverunt rationes hæ;

I. Declarationis falſitas ab eo in medium allata eſt; partes quippe dixere, ſe inopia, & quidem gravi laborare, & ſudore tantum atque induſtria ſibi victum quærere, cum re vera Adoleſcentula bonorum libris ſexaginta mille gauderet, & Adoleſcens non parum a Patre in hujus matrimonii gratiam acciperet.

II. Officialis poteſtatem expreſſa hac clauſula delegationis inſerta reſtrictam fuiſſe: *Dummodo ipſi pauperes & miſerabiles exiſtant, & ex ſuis labore & induſtria tantum vivant*. Partes porro ita ſeſe non habuiſſe, quippe quibus bona, quæ commemorata ſunt, ſuppeterent. Intentionem ſummi Pontificis, qui ſuæ gratiæ Dominus eſt, eam fuiſſe, ut eam hac tantum conditione concederet; atque ita Officiali, qui id ſolum poteſt, quod ei permittitur, eamdem diſpenſationem pronunciare non licuiſſe, quin facultatem ſuam expreſſis verbis definitam prætergrederetur, & quin Pontificis menti, quam formiter in eadem clauſula declarat, quaque Officialis conſcientiam onerat, adverſaretur.

In forma: Germanus frater ajebat inquiſitionum regulas in Conſtitutione præſcriptas Officialem ſecutum non eſſe; quippe qui ſine aſſignatione & confuſe teſtes audierit. Reponebant impetrantes in ſui defenſionem paupertatem non fuiſſe cauſam, ob quam Pontifex diſpenſaverat, ſed ſolum eorum conſuetudinem, quæ puellæ famam læſiſſet, ſi matrimonium contractum non fuiſſet, & ſufficere ad diſpenſationis validitatem cauſam hanc veram eſſe; paupertatis enunciatione non inſerviente niſi minuendis expeditionis impenſis; cæterum tuta conſcientia oratores poſſe cenſeri pauperes, adoleſcente utpote filiofamilias nihil in præſentia poſſidente, & adoleſcentulæ fundorum redditibus familiæ ſubſiſtentiam non conficientibus abſque induſtriæ, & alicujus laboris ſubſidio.

Diſpenſationem, ſine paupertatis clauſula, librarum pluſquam quinque mille futuram fuiſſe, eas porro comparari omnino non potuiſſe, cum adoleſcentula, penes quam bona ſunt, Minor eſſet, ac proinde nec fundos vendere, nec facile mutuari poſſet; quod ei maxime incommodum fuiſſet, & neceſſe non fuiſſet id ipſam facere, etiam eſto potuiſſet.

In Gallia ſemper repugnatum fuiſſe ſimilibus Datariæ clauſulis, quæ veluti Regis ſubditis oneroſæ ſpectatæ ſunt; atque adeo præſto eſſe Pariſienſis Senatus an. 1618. Reſcriptum prohibens rationem haberi clauſulæ *tantum*.

Quoad alterum caput abuſus, ajebant oratores, ejuſmodi denunciationes Conſtitutionis regulis ſubjectas non eſſe, quia magis ad gratioſam juriſdictionem quam ad contentioſam pertinent.

Poſt Audientias plures dictum fuit per Reſciptum juxta concluſiones Advocati generalis, primum caput ab abuſu liberum eſſe, alterius vero nullam & abuſivam fuiſſe inquiſitionem & pronunciationem, atque irritum eſſe, quicquid actum eſt, mandatumque, ut juxta Conſtitutionis verba rurſus inquireretur.

Et quia poſt hoc Reſcriptum poſtulabat germanus Frater inquiſitionem & pronunciationem demandari Judici ſuperiori, non autem ſucceſſori Officia-

(*a*) Sanchez lib. 8. de diſpenſat. matrim. diſp. 26. Diana 8. part. 3. reſol. 87. Sante Beuve t. 1. caſu 75. & 76. du Caſſe p. 227.

(*b*) Barboſa 2. p. alleg. 32. n. 35. Pyrr. Corrad. l. 7. c. 5. n. 2. & 26. Sanchez lib. 3. diſ. 7. n. 7. Bonacina t. 1. q. 2. part. 6. n. 7. Reginald. l. 31. c. 32. n. 232.

ficialis, quippe qui per mortem ſua juriſdictione defunctus eſſet; dictum eſt altero Reſcripto actum iri apud Officialem ſucceſſorem tanquam ſanctæ Sedis delegatum, non obſtantibus oppoſitionibus & appellationibus, aliiſque rationibus quibuſcumque.

Ut Senatus ita diceret, in cauſa fuit ipſe germanus frater, qui, cum hoc matrimonium conſanguineorum probatione & conſenſione firmatum nullo titulo impedire poſſet, tanta cum pertinacia per annos tres obſiſtere non deſtitit, ut in hanc rem edita fuerint ſupremarum Curiarum Reſcripta ſaltem ſex, quorum impetratio non mediocri diſpendio fuit, id quod Minoris Tutori conceſſum eſt, ut eidem adſcriberet.

Poſt Reſcripta, quæ novas inquiſitiones & pronunciationes inſtituunt, dictus germanus frater Curiæ Officialitatis ſignificandum curavit Expeditionarii reſcriptum, innuens eum ad Romanam Curiam miſiſſe, ut obtineret Breve oppoſitionis executioni diſpenſationis tanquam ſubreptitiæ, & obreptitiæ, & alius Delegatus Apoſtolicus nominaretur. Propoſuit & actum, quo declarat ſe firmiter refragari pronunciationi novæ Officialis, ac ſi pronunciet, ſe appellantem ſiſtit, adhærens oppoſitioni ſuæ, ſuæque ſupplicationi, quam obtulit ſanctæ ſedi, tam ratione Judicis incompetentis, quam ratione damni.

Quæritur I. an ejuſmodi diſpenſatio conceſſa, ut dictum eſt *in forma pauperum*, rata & valida ſit?

II. An Officialis eam pronunciare poſſit, & debeat Reſcriptorum vi, licet illius poteſtatem Pontifex ſua Bulla reſtringat, hac appoſita clauſula: *Dummodo ipſi, ut aſſerunt, pauperes & miſerabiles exiſtant, & ex ſuis labore & induſtria tantum vivant*; quo quidem ejus conſcientiam onerat?

III. An ad eamdem inquiſitionem & pronunciationem deveniri poſſit, non obſtante oppoſitione dicti germani fratris, & appellatione ad Sanctam Sedem?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

I. Diſpenſationem conceſſam *in forma pauperum* iis, qui pauperes non ſunt, nullam eſſe; eamque tuta conſcientia executioni mandari non poſſe. Re vera clauſula hæc, *dummodo* &c. non ſtili clauſula eſt, ſed tantum conditio, ſine qua Pontifex diſpenſandi voluntatem non habet; ut proinde teneatur Officialis, dum diſpenſationem pronunciat, ejuſdem conditionis veritatem aut falſitatem ad trutinam revocare, & pro ea, quam detexerit, veritate aut falſitate judicium ferre, quandoquidem Pontifex ita Officialem alloquitur: *ſuper quo conſcientiam tuam oneramus*. Præterea dici nequit, partes diſpenſationem hanc conſecutas, poſt ejus pronunciationem non teneri ea jura reddere, quæ, non obtenta nova diſpenſatione, non ſolviſſent Datariæ. Si enim prior diſpenſatio nulla eſt, executioni mandari nequit, ſed alia per novam ſupplicationem neceſſaria eſt, & conſueta jura ſunt ſolvenda, quæ Officialibus ad expediendas ejuſmodi diſpenſationes inſtitutis debentur. Ita ſentit Pyrrhus Corradus, cujus hæc verba ſunt (*a*): *Quod ſi conſtiterit ipſos Oratores tales non eſſe, quales ſe eſſe aſſeruerunt*, (loquitur de diſpenſationibus *in forma pauperum*) *denegabitur eis executio diſpenſationis, & debent petere alias litteras in forma ordinaria expediri, ac facere ſolvere conſueta jura Officialibus ad id præpoſitis*.

II. Officialis non debet pronunciare diſpenſationem, quam credit ſubreptitiam, quæque ad falſam expoſitionem conceſſa eſt, non ſolum quin mendacio auctoritatem afferret, ſed etiam quia ſuæ delegationis fines excederet, & quia diſpenſationis, quam nullam cognoſcit, acceptandæ pronunciandæque facultate caret. Epiſcopus ſuam gratiam & auctoritatem interponere debet, ut impediat, quominus Officialis eam pronunciare cogatur.

III. Conſulendi ſunt quoad poſtremam quæſtionem Advocati, & experientia edocti Viri, ut intelligatur, an inſtitui poſſit inquiſitio & pronunciatio, ejus, de quo dictum eſt, oppoſitione & appellatione non obſtante.

Deciſum Pariſiis hac die 9. Julii an. 1696.
G. *Fromageau*.

Alia reſponſio ſuper eodem negotio.

Poſt annos aliquot iidem Sorbonæ Doctores rurſus conſulti ſuper eodem caſu reſponderunt in hunc modum.

Ut tuis litteris reſpondeam, dico, Officialem propter infamiam, cujus ſatis firmum fundamentum apparet, & propter probatam partium paupertatem, cujus declarationem Ordinarius exhibere debuit, potuiſſe diſpenſationem acceptare, poſtquam iterum inquiſierit, ut certo ſciret contrahentes pauperes eſſe, & non niſi ſuarum manuum labore vivere poſſe, nam licet in Supplicatione omiſſum fuiſſet, eos, matrimonio non inito, mortis periculo obnoxios eſſe, ſatis cauſæ fuiſſet, cur Pontifex diſpenſationem concederet.

At ſi Officialis deceptus eſt, celatuſque, partes in bonis habere, nec iis laborandum eſſe vivendi gratia, diſpenſatio nulla eſt, quoniam juxta Romanæ Curiæ ſtilum nec pauperes nec miſerabiles cenſentur, ſi redditus habeant. Pyrrhus Corradus, qui Datariæ & Cancellariæ Romanæ diu vacavit, quique utriuſque morem probe callebat, in ſuo tractatu de Diſpenſationibus Apoſtolicis, loco ſupra laudato, declarat, quid per pauperum & miſerabilium vocabula intelligatur, quidque demum ſit, non niſi laborando vitam trahi. Ait ergo

I. Ad obtinendam diſpenſationem *in forma pauperum*, opus eſſe, ut orator ſit pauper; porro cenſetur pauper, qui quinquaginta nummos aureos annuos non habet: *ille dicitur pauper, qui non habet in bonis quinquaginta aureos*.

II. Miſerabilis nomine eum venire, cujus paupertas miſeratione digna eſt: *Miſerabilis vero ille dicitur, ad cujus commiſerationem natura nos inclinat*.

III. Diſpenſationes *in forma pauperum* a Pontifice nunquam concedi, niſi oratores adeo pauperes & miſerabiles ſint, ut vivendi cauſa laborare cogantur. Pontifex enim ita diſpenſans in animo non habet ſuis Officialibus ullum damnum afferre, eoſque debitis emolumentis privare: *Non conceduntur hujuſmodi diſpenſationes in forma pauperum, niſi oratores ſint adeo pauperes & miſerabiles, quod ex labore & induſtria manuum ſuarum vivant; alias enim facile fraudarentur prædicti Officiales eorum debitis emolumentis, quibus nunquam Papa intendit præjudicare*.

IV. Cum ponitur in Supplicatione oratores manuum ſuarum labore tantum vivere; vox hæc *tantum* ſignificat iis nullam aliam præter laborem præſto eſſe trahendæ vitæ rationem: *Tantum, apponitur in his diſpenſationibus, ad denotandum, quod oratores præter laborem & induſtriam manuum ſuarum, nullo alio modo vivere poſſunt, & ſic per eam excluditur omnis alius modus vivendi*.

V. Denique idem Pyrrhus Corradus *cap. 6. n. 70.* ait, cum diſpenſationum reſcriptum exhibetur, niſi conſtet oratores, qua declaratum eſt, ratione pauperes & miſerabiles eſſe, illud pronunciandum non eſſe, cogendaſque partes Romam redire, ut aliud obtineant, ſolutis conſuetis juribus Officialibus Datariæ: *quod ſi non conſtiterit* &c. Teſtimonium allatum eſt in priore reſponſo.

Auctores noſtri ſecuti ſunt Pyrrhi Corradi ſententiam, ut videri poteſt apud *du Caſſe* Officialem (*b*) Condomienſem, qui Romani Expeditionarii conſultationem in medium affert quærentis, quid habendum in bonis ad diſpenſationem in forma pauperum obtinendam; cui quidem reſponſum fuit, poſſe quempiam habere redditus libras mille; & pro ſuæ conditionis ratione pauperem eſſe, ſi abſque labore & induſtria nequeat ſubſiſtere. Si ita res habet, concludi poteſt, eos, de quibus in expoſitione ſermo eſt, & quorum unus eſt advocatus, altera ho-

(*a*) Pyrrhus Corradus l. 8. cap. 5. n. 2. de diſpenſat. Apoſtolic. & cap. 6. n. 70.

(*b*) Du Caſſe Tractatu de Juriſdictione contentioſa cap. 4. §. 3.

honeſto genere nata eſt, pauperum loco habendos non eſſe, quoniam annuas habent libras 1200. quod ſatis eſt, ut vivant gradui & conditioni congruenter, & quin laborare cogantur.

Eodem accedit, quoniam de diſpenſatione inter germanos fratres agitur, eam non niſi ob cauſas graves & certas concedendam eſſe, rationibus, quas ejus obtinendæ gratia partes allegant, reſtrictis, ne dum ampliatis, ne hujuſmodi diſpenſationibus, quæ cæteroquin odioſæ ſunt, ac proinde reſtringendæ, faveatur. Quia porro allegata paupertas ſtricto jure vera non eſt, & diſpenſatio *in forma pauperum* a partibus impetrata, eſt ſubreptitia, dici proinde poteſt Matrimonium contractum nullum eſſe.

Quamvis enim infamia eſſet obtinendæ diſpenſationis ratio ſufficiens; Pontifex tamen in animo non habuit *in forma pauperum* eamdem concedere; ex quo ſequitur eam nullam eſſe, aliamque obtinendam ſolutis Pontificiorum Officialium juribus; ii quippe citra gravem injuſtitiam privari nequeunt emolumentis, quorum jure gaudent ex conſtante Romanæ Curiæ more, atque ex taxatione in Regis conſilio ſtatuta, die 4. Septembris. Vide *du Caſſe* loco ſupra laudato.

Parochus, qui matrimonium celebravit, debet ad Epiſcopum ſuum confugere, eique difficultates proponere ſuper hoc Matrimonio, contracto vi Brevis *in forma pauperum*, quod non apparet veritati conforme; tum vero perfunctus officio ſuo, & Epiſcopo acquieſcens tranquilo animo eſſe debet.

Deciſum hac die 23. Novembris an. 1703.
G. *Fromageau*.

Diſpenſatio ſub titulo paupertatis, cum oratores divites evaſerunt.

CASUS IV.

1 *Duo filii familias nequeunt diſpenſationem petere* ſub titulo paupertatis, *quamvis nullum tunc redditum poſſideant*.

2 *Si eam obtinuerint, non poſſunt eadem uti, præſertim cum divites evaſerint*.

QUÆSITUM.

Conſobrinus & conſobrina matrimonio copulari volentes Romam mittunt, diſpenſationis obtinendæ gratia, quo tempore quicquam proprii neuter habebat; quippe cum adoleſcentis Pater, omnium bonorum dominus adhuc in vivis eſſet, & puella prædium, quo conſtabat omnis ejus cenſus, octo mille librarum pretio non poſſideret, utpote ipſius negotiis oppigneratum. Romam mittitur, obtineturque diſpenſatio *ſub titulo paupertatis*; impetrata diſpenſatio retinetur per annos duos, quin executioni mandetur, & per id tempus moritur adoleſcentis Pater, & adoleſcentula Prædii ſui poſſeſſionem init; atque cum ambo ſatis haberent, vi prædictæ diſpenſationis matrimonium contrahunt. In hac facti ſpecie quæritur ex Doctoribus,

I. An illi cum divites eſſent, quo tempore matrimonium inierunt, diſpenſatione *ſub titulo paupertatis* impetrata tunc uti potuerint, præſertim cum ejus uſum ſibi reſervaverint in tempus illud, quo bonis ſuis fruerentur, & divites evaſiſſent?

II. Si quid hac in re minus recte factum cenſeatur, quid conſilii ineundum ad eorum animos tranquillandos? Quidque faciendum Confeſſario, aut Parocho, in cujus Parochia hæ perſonæ verſantur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Adoleſcentulam, de qua ſermo eſt, inter pauperes referri non poſſe ob rationem, quam affert, quod nempe ejus prædium, præter quod nihil poſſidebat, oppigneratum eſſet; ſi enim oppigneratio injuſta eſt, & caret fundamento, ita ut credi poſſit fore, ut illa ejus poſſeſſionem haud ægre ineat: pauperis loco haberi non poteſt, ac proinde impetrata diſpenſatio nulla eſt.

At ſi poneretur, oppignerationem firmo fundamento niti; atque adeſſet timendi cauſa, ne illa Prædii jacturam faceret; licet re ipſa id non contigerit, ac propterea tunc quidem ipſa veluti perſona bonis deſtituta cenſeri potuerit; diſpenſatio haberetur perinde nulla, ſi ante pronunciationem oratores divites evaſerint, & matrimonium ſubinde contraxerint. Quamvis enim, cum a Romana Curia petitur diſpenſatio *ſub titulo paupertatis*, fere mittenda eſt paupertatis contrahentium declaratio juridica, quam nempe Ordinarii inquiſitio præceſſerit: ante tamen quam diſpenſatio a Pontifice impetrata pronuncietur, nova inquiſitio ſolet inſtitui. Ita Pyrrhus (*a*) Corradus: *Quia licet obtineant oratores diſpenſationem matrimonialem ſub hac forma, cum fide paupertatis per Ordinarium facta; nihilominus quando poſtmodum delegato præſentantur litteræ hujuſmodi diſpenſationis, erit de novo probanda eorum paupertas*.

Ratio, quam affert hic Auctor, ea eſt, quod Pontifex proprie non diſpenſat, ſed mandat Ordinario, vel ejus Officiali, ut diſpenſet, ſi ei de paupertatis veritate conſtiterit. Eſt hoc, ut monet Pyrrhus Corradus, diſcrimen inter ejuſmodi diſpenſationes, & alias, quæ delegati, aut executoris miniſterio non indigent, ut ſortiantur effectum ſuum; ſtatim enim ac quoad has poſteriores Pontificis Reſcriptum impetratum eſt, gratia conceſſa cenſetur. *Du Caſſe* (*b*) in ſuo tractatu de Officialitate, ſeu juriſdictione contentioſa tuetur ſententiam hanc.

Illud convenit, quoties paupertas, quam obtinendæ diſpenſationis gratia partes allegant, non & præcipua ratio, qua Pontifex ad eam concedendam moveatur, dummodo aliæ clauſulæ præcipuæ eſt eſſentiales, ut ita dicam, veritati conſonæ deprehendantur: hoc in caſu dici poſſe diſpenſationem ſubſiſtere, licet oratores pronunciationis tempore divites facti fuerint. Verum in præſenti facti ſpecie non alia videtur fuiſſe diſpenſationis ratio præcipua, quam Adoleſcentulæ præſertim paupertas; ut enim ſit vero ſimillimum, illa allegavit Pontifici, ſe, cum paupertate laboraret, non alium præter Conſobrinum ſuum inveniſſe, cui nuberet. Ex quo ſequitur, eam, ſi pauper non extitiſſet, in eo diſcrimine futuram non fuiſſe; atque ita paupertatem diſpenſationis rationem præcipuam fuiſſe.

Hoc poſito, ad quæſtionem primam reſpondetur, oratores diſpenſatione *ſub titulo paupertatis* impetrata uti non potuiſſe, ſi ante ejus pronunciationem, ut eſt vero proximum, divites evaſerunt; in expoſitione quippe declaratum eſt, eos in animo non habuiſſe diſpenſatione uti, niſi cum divites evaſiſſent; Nulla eſt enim hoc in caſu diſpenſatio hæc, ut dictum eſt.

Ad ſecundam. Oratores hujus diſpenſationis vi matrimonium contrahere minime potuerunt; atque hac de cauſa debent ſe thoro ſejungere, atque ad Romanæ Curiæ Pœnitentiariam confugere, niſi timendum ſit, ne in foro interno eorum matrimonium infirmetur. Conceſſa porro nova diſpenſatione, tenentur peculiariter conſenſum ſuum renovare. Quod ſi non temere credant fore, ut aliquando matrimonium nullum declaretur: ad Datariam debent accedere, ibique res, prout ſeſe habuerunt, ingenue explicare; tum vero publicationum diſpenſatione ab Ordinario impetrata, conſenſum renovabunt coram Sacerdote, quem dictus Ordinarius iis aſſignabit, & coram teſtibus, prout fieri conſuevit. Ea tutior ratio eſt, ut Confeſſarius aut Parochus, partibus annuentibus, Epiſcopum conſulant, & ex eo intelligant, quid demum in hac facti ſpecie faciendum ſit, aut conſulendum.

Deciſum Pariſiis hac die 12. Maii an. 1703.
G. *Fromageau*.

(*a*) Pyrrhus Corradus de diſpenſ. Apoſt lic. l. 8. c. 5. n. 30.

(*b*) Du Caſſe de juriſdictione contentioſa cap. 4. §. 3. n. 3.

Impedimenti ex conſanguinitate provenientis Diſpenſatio.

CASUS V.

1 *Cum inter perſonas matrimonium contrahere volentes plura adſunt impedimenta, explicanda ſunt omnia in ea, quæ Pontifici exhibetur, ſupplicatione; ſecus diſpenſatio nulla eſt, perinde ac matrimonium, quod eam conſequitur.*

2 *Si ex ignorantia, aut bona fide prætermiſſum eſt impedimentum, quod ignorabatur, poteſt Epiſcopus diſpenſare, & vel partibus in ſeparationem conſentientibus, matrimonium firmare.*

3 *Filii ex matrimonio bona fide contracto, ratoque habito progeniti legitimi ſunt.*

QUÆSITUM.

PEtrus cum Margarita tertio conſanguinitatis gradu conjunctus ex parte Matris obtinuit a Romana Curia diſpenſationem, & eam duxit. Suſceptis filiis duobus, quarto poſt anno Margarita receſſit a viro ob ejus depravatam vitæ rationem, & ad Matrem rediit. Biennio poſt compertum eſt, inter eos etiam ex parte Patris conſanguinitatem adeſſe; qua de re in ſupplicatione Pontifici exhibita nulla mentio facta eſt, quia id oratorum utrumque, ex prioris impedimenti diſpenſatione bona fide copulatos, latebat.

Hac in re quæritur, I. An Pontifex in tertio gradu diſpenſans, in quarto diſpenſaſſe cenſeatur, quamvis id ei non fuerit expoſitum, propterea quia cognationis unum idemque genus eſt, nempe conſanguinitatis?

II. Facta hypotheſi Pontificem non cenſeri in impedimento, quod ei non innotuit, diſpenſaſſe; quæritur, an Epiſcopus intelligens partes acerrima mutuo inimicitia flagrare, nullum declarare poſſit matrimonium abſque impedimenti dirimentis diſpenſatione contractum? Poſſetne id facere, partium altera requirente ſine alterius conſenſu?

III. Si matrimonium ſolveretur, quid ſentiendum de duobus filiis? Cenſendine eſſent legitimi ſaltem quoad effectus civiles, utpote nati bona fide, & ante quam novus cognationis gradus, pro quo conſulitur, detegeretur?

Rogantur Pariſienſis Officialis, & Sorbonæ Doctores, ut velint ad difficultatum propoſitarum calcem ſententiam ſuam declarare.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat exprimenda eſſe omnia conſanguinitatis impedimenta; quæ inter perſonas matrimonium contrahere volentes exiſtunt: *Quoties ſunt plura impedimenta*, inquit Sanchez l. 8. diſp. n. 2. *omnia ſunt neceſſario narranda, ut virtute diſpenſationis liceat matrimonium inire. Ratio eſt aperta, quia cum omnia illa matrimonio ineundo obſtent, illorum eſt neceſſario diſpenſatio impetranda. Et ſic docent omnes.* Diſtinctius rem ediſſerit *n.* 4. reſpondetque omnia impedimenta ſive ſimplicia ſive mutua conſanguinitatis eſſe declaranda. Pyrrhus Corradus ejuſdem ſententiæ eſt *l. 7. c. 6. n. 71. Quia ſatis eſt*, inquit, *dicere, quod pluribus impedimentis exiſtentibus difficilior redditur Princeps ad concedendam diſpenſationem*; ut proinde diſpenſatio nulla ſit, niſi ad unum omnia declarentur.

Hoc poſito, reſpondetur,

Ad quæſtionem primam, per unius impedimenti diſpenſationem in altero non diſpenſari. Nec refert his duobus gradibus unum tantum conſiſti cognationis genus, conſanguinitatis videlicet. Si enim hæc ratio quicquam evinceret, illud etiam evinceret ad Matrimonium inter perſonas tertio utrinque gradu conjunctas ineundum, ſatis fore, ſi ſimplex tantum gradus, omiſſo mixto, Pontifici declararetur; id quod adeo cum communi more pugnat, ut hæc omiſſio diſpenſationem nullam reddItura ſit, ut oſtendit Sanchez loco cit. *n.* 5.

Ad ſecundam, licet matrimonium, de quo quæritur, nullum ſit, & partes ſtricto jure aliud inire poſſint, præſertim ſi pars utraque conſenſerit: Epiſcopus tamen hanc ſolutionem pati non debet; immo vero tenetur pro viribus in id incumbere, ut partes in gratiam redeant, & hujus quarti conſanguinitatis gradus diſpenſationem expoſtulent. Multo magis poteſt ipſe in eo diſpenſare, & matrimonium firmandum curare; poteſt etiam cenſuris uti, ut impediat, ne partes aliud matrimonium contrahant, quia hæ novæ nuptiæ injuriam maximam afferrent filiis jam ſuſceptis, natiſque conſtante matrimonio bona fide contracto, habitoque legitimo per 4. aut 5. annorum ſpatium. Epiſcopus jure gaudet ita ſeſe gerendi, tametſi partes in matrimonii ſolutionem conſentirent; multo vero magis, partium altera reconciliationem petente, & matrimonii confirmationem probante.

Ad tertiam, reſpondetur ex hoc matrimonio natos filios non ſolum quoad effectus civiles cenſendos eſſe legitimos, ſed vere tales eſſe, propterea quod bona fide matrimonii, quod omnes ratum credunt, ſuſcepti ſunt.

Deciſum hac die 9. Februarii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Diſpenſatio impedimenti propter inceſtum.

CASUS VI.

Vir, cujus matrimonium nullum eſt ob inceſtum cum ſuæ conjugis matre patratum, poteſt in hoc impedimento ab Epiſcopo diſpenſari, dummodo occultum ſit, & ſatis eſt ab eo matrimonium clam renovari, petito rurſus conſenſu conjugis, cui ſignificavit vitium aliquod in priore celebratione extitiſſe.

QUÆSITUM.

PEtrus quinque circiter ab hinc annis uxorem duxit Catharinam, ex qua duos filios ſuſcepit. Ante hoc matrimonium pluries cum Margarita Catharinæ matre rem habuit; poſt matrimonium quoque non deſtitit hoc eodem ſe inceſti crimine obſtringere; ſed ab annis tamen pluſquam duobus abſtinet ob hoc ſcelere, quamvis in eadem domo cum Margarita ſocru ſua ſemper ille perſtiterit. Hæc veniunt animadvertenda, hoc genus hominum ex inopum ruſticorum numero eſſe, domum, in qua Petrus degit, ad Margaritam ſpectare, præter Catharinam non alios ei filios eſſe, & Petrum, qui profitetur ſartoris artem, in hanc Parochiam domicilii gratia ſe contuliſſe, ibique matrimonium iniviſſe.

Petrus, cum Jubilæi tempus adveniſſet, de hoc ſe inceſtuoſo commercio accuſavit. Confeſſarius, conſulto Epiſcopo, nulla interjecta mora ei auctor fuit, ut domo recederet, & alio, laborandi gratia, proficiſceretur, præſcriptis, quos perageret, actibus pœnitentiæ. Petrus ei dicto audiens fuit, & jam multis ab hinc menſibus domo ſeceſſit, ſeque ſejunxit a conjuge, quæ prudens & honeſta eſt, & de hoc pravo commercio prorſus ignorat.

Quæritur, quomodo ſe gerere debeat Epiſcopus in hujus matrimonii negotio, ne a diſciplinæ regulis vel tantillum recedat, utque horum, de quibus agitur, ſaluti proſpiciat.

Ex una parte cum hujuſmodi crimen ei geminum ſit, de quo D. Paulus pronunciat, ſimilia inter Ethnicos non patrari, cumque multorum annorum ſpatio duraverit, eſt proinde, cur Canonum ſervetur aſperitas, & impedimenti, quod matrimonium nullum efficit, diſpenſatio negetur; præſertim cum de inceſto in primo gradu in linea aſcendente ſermo ſit, atque adeo præſumi nequeat Petrum neſciſſe illud ſui cum Catharina matrimonii obſtaculum eſſe; porro in hac facti ſpecie diſpenſationes juxta Tridentinam Synodum non ſunt facile concedendæ. Præterea timendum eſt, ne, ſi hæc diſpenſatio concedatur, Petrus in crimen recidat, cui adeo in anteceſſum aſſueverat; verum licet in præſentia co-

ge-

geretur ſe domo abdicare, ut a Margarita ſe omnino ſejungeret: poteſtne certo ſtatui eum ad ipſam in poſterum non reverſurum; quod in cauſa eſſet, ut ille execrando hujuſmodi commercio iterum fœdaretur.

Ex alia parte cum impedimentum occultum ſit, & ſolum ex Confeſſione innoteſcat, atque adeo Catharina filios ſuſceperit ex hoc matrimonio, in quo hactenus conjuges magna cum animorum conſenſione vixerunt: videtur concedenda diſpenſatio, poſtquam Petrus ad aliquod tempus egerit pœnitentiam, ſibique injunctis rebus functus fuerit; alioquin Catharina, ejuſque filii, qui innocentes ſunt, grave damnum ſubirent, magnaque teneretur ſollicitudine, qua ſe tuta conſcientia liberare non poſſet. Deberet enim ex una parte ſe a Catharina ſejungere propter impedimentum, quod ejus matrimonium nullum efficit; & ex alia cum eam publice duxerit, & ſervatis Eccleſiæ regulis, ſub excommunicationis pœna cum ea degere cogeretur.

Præterquam quod diſpenſationis negatio Pœnitentiæ Sacramentum odioſum redderet, indirecte patefacta Confeſſione, detectoque inceſti crimine, unde graviſſima incommoda poſſent exiſtere.

In hac facti ſpecie opus eſſe non videtur, ut renovetur matrimonium, atque iterum ex Petro & Catharina conſenſus exigatur, quoniam id fieri non poſſet, quin Petri confeſſio revelaretur, & Catharinæ præberetur occaſio ſuſpicandi, & viri ſui crimen detegendi; id autem dubio procul pravos effectus produceret. Illud ſane magis eſſe videtur rationi conſonum, matrimonium rite ac recte in facie Eccleſiæ celebratum, firmum ac ratum fore, cum impedimentum, quo nullum redditur, ſublatum fuerit; id vero fiet per mutuum conſenſum, quem invicem Petrus & Catharina præſtabunt, pergentes vivere, prout maritum & uxorem decet.

Videtur etiam in circumſtantiis, in quibus Petrus verſatur, ad Romanam Curiam confugiendum non eſſe, & Epiſcopo licere diſpenſationem concedere; quippe cum mos, qui ab aliquot ſæculis obtinuit in hujuſmodi negotiis non niſi ad Pontificem accedendi, non ſit accommodandus peculiaribus hiſce caſibus, in quibus diſpenſatio non tam gratia eſt, quam remedium neceſſarium, ab Epiſcopo prudenter, & non ſine cauſæ cognitione adhibendum.

Incommodo porro, quod adducitur, Petrum nempe rurſus huic inceſtus crimini obnoxium fore, non parum occurritur, ſi domo, locoque, ubi hactenus verſatus eſt, egredi cogatur; præterquam quod cum duobus circiter ab hinc annis, licet cum Margarita degeret, illud patrare deſtiterit, exhibeatque præterea mutati animi argumenta, haud ægre pœnitentiam ſibi impoſitam executus: ſperare juvat fore, ut cum Dei auxilio non amplius ille ad vomitum redeat. Eodem accedit, penes ejus Confeſſarium ſemper rationem & jus fore abſolutionis ei denegandæ, ſi ad ſocrum ſuam rediens, ſe rurſus peccandi periculo exponeret. Id nempe Confeſſarius efficere poteſt, ut ipſum cogat ab ea divertere; ſed eodem tempore eum debet arcere a nuptiali commercio cum conjuge, donec diſpenſationem, de qua agitur, obtinuerit.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſuam ſententiam dicant ſuper hujus Expoſitionis difficultatibus, & ſuper tribus potiſſimum capitibus;

I. Sitne, cur diſpenſatio concedatur?

II. An eam concedere poſſit Epiſcopus, quin Romana curia adeunda ſit?

III. An conceſſa diſpenſatione, renovandum ſit matrimonium, & quid hac in re facto opus ſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ putat, quandoquidem matrimonium, de quo ſermo eſt, etſi nullum, in facie tamen Eccleſiæ celebratum eſt, uxor de impedimento omnino ignoravit, atque adeo in bona fide ſemper extitit, natique ſunt filii, putat, inquam, eſſe, cur diſpenſatio concedatur.

II. Eam ab Epiſcopo concedi poſſe, inconſulta Sede Apoſtolica, tam ratione conditionis petentium, qui pauperes ſunt, quam ratione periculi, quod diuturnam eorumdem ſeparationem procul dubio conſequeretur; id quippe ſine periculo & ſine ſcandalo fieri non poſſet. Communior hæc magiſque recepta ſententia eſt, ut videri poteſt apud Sanchez *l. 2. de Matrim. diſp.* 40. & pariter apud Rebuffum in Praxi Beneficiaria *tit. de diſpenſatione ad plura Beneficia, n.* 30. 31. 32. ubi monet Epiſcopos diſpenſare poſſe vel in caſibus ad Pontificem pertinentibus, cum neceſſitas urget. En ejus verba: *Et ex cauſa poſſet etiam diſpenſare contra Concilia generalia, licet contrariam opinionem teneat Staphil in tract. de lit. grat. t. de qualit. & ſtatu benef. Iſta ultima opinio ſervatur in Francia. Nam ignari Epiſcopi neſcientes, quam pulcra Jus Canonicum iis tribuiſſet privilegia, paulatim & conſuetudine & ſtylo Curiæ Romanæ illis derogari paſſi ſunt, & jus ſuum neglexerunt. Verumtamen adhuc jure poſſent ex præfata neceſſitatis cauſa diſpenſare: & iſta eſt communis ſententia, quia neceſſitas facit licitum, quod alias eſt illicitum.*

III. Nihil neceſſe eſſe, ut matrimonium renovetur in facie Eccleſiæ, ſcilicet coram Parocho, & teſtibus; quia Eccleſia, quæ prioris matrimonii celebrationem vidit, novum iniri non ſineret; ſed ſatis eſſe, conſenſum a partibus mutuo renovari, propterea quod nullum matrimonium extiterit, nullum quoque poſſet exiſtere, niſi poſita materia, quæ legitimus conſenſus eſt: hæc eſt Navarri doctrina *Conſil. lib. 4. de Sponſalibus conſil.* 14. *per totum*, ſed præſertim n. 14. ubi ita loquitur: *Sed dubitatio magna orta fuit, an propter decretum Concilii Trident. in hoc ſecundo conſenſu præſtando neceſſe ſit ſaltem adeſſe Parochum cum duobus teſtibus propter illa verba decreti* (& hujuſmodi contractus irritos ac nullos eſſe decernit;) *viſum fuit eſſe neceſſariam Parochi & teſtium præſentiam. Sed quia in multis caſibus non poteſt fieri ſine periculo maximi ſcandali, & in Concilio non videtur fuiſſe cogitatum de hujuſmodi caſibus occultis, dictum fuit Illuſtr. Cardinal. Pro pœnitentiario, ut nomine Signaturæ exponeret Sanctiſſimo, videri æquiſſimum, ut per aliam Conſtitutionem declararetur, quando præceſſerunt denunciationes, vel alias ſervata eſt forma Concilii, in hoc ſecundo conſenſu, ſufficere, ut ſecreto præſtetur: ſed ita, ut conjux, qui ignorabat, in genere intelligat impedimentum dirimens matrimonii ſubeſſe, & neceſſarium eſſe, ut de novo mutuo conſentiant, ut matrimonium valeat. Et ita Illuſtriſſimus Cardinalis Alciatus Pro-pœnitentiarius retulit in Signatura placuiſſe Sanctiſſimo, ut in ejuſmodi impedimentis occultis, quando matrimonium eſt renovandum, poſſit hoc fieri inter Conjuges ſecreto, & quod non ſit neceſſaria præſentia Parochi & teſtium, & ita exprimenda eſt clauſula, & ſecreto inter ſe contrahant.* Ita ſentiunt Sanchez *l. 2. de Matrim. diſp.* 37. & Pyrrhus Corradus *Diſpenſat. Apoſtol. l. 8. c. 3. n.* 41. 42. 43. 44.

Deciſum Pariſiis die 10. Junii an. 1677.
Aug. *de Lamet*.

Diſpenſatio ſuper impedimento uno tantum, dum adſunt duo.

CASUS VII.

Matrimonium, cui repugnabant impedimenta duo dirimentia, nullum eſt, cum ſuper uno tantum impetrata eſt Pontificis diſpenſatio. Redeundum eſt ad Datariam, ibique impedimentum duplex exponendum eſt, quod opponitur matrimonio, ſi lubet filios inde ſuſceptos in Jure Civili cenſeri legitimos.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſuam ſententiam aperiant ad definiendum, an matrimonium inter conſanguineos ex pluribus capitibus, qui unius tantum capitis diſpenſationem a Pontifice poſtularunt, diſpenſatione quidem nullam mentionem faciente capitis alterius, quia de eo nihil in ſupplicatione dictum eſt: an hoc, inquam, matrimonium firmum ac validum ſit? Cauſa exempli, Petrus obtinuit diſpenſationem in quarto gradu, ut matrimonium cum Joanna contraheret; deinde vero detexit ſe cum ea eodem quarto gradu

ex alia parte conjunctum eſt ; contractum interea eſt matrimonium coram Epiſcopo , aut ejus Officiali. cum hac conditione, ut ſuper hoc altero impedimento nova diſpenſatio ab ipſis obtineretur , Hac in re quæritur ex Sorbonæ Doctoribus ,

An hæc nova diſpenſatio ſit neceſſaria , atque an dici poſſit novam hanc diſpenſationem propter ejuſmodi ſecundum impedimentum requiri ? Et ſacta hypotheſi ita eſſe , an ſeparandi ſint Conjuges , quoad diſpenſatio pervenerit , præſertim cum jam filios ſuſceperint ?

RESPONSIO.

Pariſienſes Doctores ſubſcripti cenſent matrimonium a Petro & Joanna contractum nequaquam valere , nihilque ipſis prodeſſe , quod coram Epiſcopo , vel ejus Officiali contrahere voluerint , ob obſtaculum, quod ex duplici impedimento dirimente ſupervenit . Quamobrem neceſſe eſt , ut ſe illi quamprimum ſeparent, ſimul non vivant, & conjugali jure omnino non utantur, donec iterum habiles declarentur , impetratâ venia a Sede Apoſtolica , quæ illis quoad hoc duplex impedimentum novam diſpenſationem concedat. Porro diſpenſatio hæc petenda non eſt a Romanæ Eccleſiæ Penitentiario , ſed a Dataria , ne, ſi ad prioris auctoritatem confugerit, diſpenſatio in foro externo iis inutilis futura ſit , quia eorum nomina non exprimerentur, & filii jam ſuſcepti hæreditatis jure privari poſſent , ſed ad aliquod Sæculare Tribunal deducerentur, ut illegitimi declarentur.

Deciſum Pariſiis hac die 2. Martii an. 1678.
Aug. *de Lamet.*

Diſpenſatio impedimenti ex adulterio.

CASUS VIII.

1 *Qui adulterium cum Puella commiſit , poſt conjugis ſuæ mortem poteſt eam ducere ; & valet matrimonium , niſi eadem puella abuſus fuerit ex promiſſione matrimonii .*

2 *Si eam ſe ducturum promiſit poſt ſuæ uxoris mortem , eſt hoc impedimentum dirimens , ſuper quo petenda eſt a ſummo Pontifice diſpenſatio .*

QUÆSITUM.

PEtrus ducta Franciſca , conſtante matrimonio , adulterium commiſit cum puella Henrichetta nomine , ex qua duos filios ſuſcepit . Multo poſt natos eos filios Franciſca ejuſdem Petri uxor occubuit , quin ullum ex eodem Petro viro ſuo filium habuerit. Ita Petrus matrimonio ſolutus , ſecundas nuptias cum dicta Henrichetta celebravit , ex qua, ut dictum eſt, duos jam filios ſuſceperat.

Quæruntur hæc duo;

I. An hæc duo matrimonia valide contrahi potuerint , atque an Petrus & Henrichetta ſint tuta conſcientia ? Et facta hypotheſi matrimonium valere poſſe, quanam, & cujus, Epiſcopine, an ſummi Pontificis diſpenſatione opus ſit ?

II. An filii Petri & Henrichettæ ante eorumdem matrimonium nati , & vivente Franciſca , Petri priori conjuge , poſſint eſſe legitimi, & in partem venire bonorum Petri & Henrichettæ cum aliis filiis poſt matrimonium ipſum natis ; & quænam ratio iniri potuerit , aut poſſit , ut priores filii legitimi evadant, ſiquidem id fieri poſſit ?

Animadvertet Concilium, ſi ei placuerit, Franciſcam ætate provectam fuiſſe, Henrichettam autem adoleſcentulam, qua proinde Petrus abuti potuit ex promiſſione matrimonii poſt ſuæ conjugis mortem cum ea ineundi ; quo in caſu hæc Petri promiſſio poſſet eſſe dirimens impedimentum.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ad duas propoſitas quæſtiones quod attinet, exiſtimat,

Quoad primam, matrimonium , de quo agitur , validum eſſe, ſi Petrus ea non eſt abuſus cum promiſſione futuri matrimonii poſt ſuæ conjugis mortem.

Quoad ſecundam , ſi Henrichetta eſt abuſus ſub conditione eam in uxorem ducendi poſt Franciſcæ mortem, matrimonium cum Henrichetta deinde contractum nullum eſſe ex Jure *cap. ſignificaſti tit. de eo qui duxit*, &c. propterea quod adulterium conſtante priori matrimonio patratum dirimens impedimentum eſt, ut proinde prolis ex hoc adulterino commercio ſuſceptæ legitimatio quoad ſpiritalia quidem a Pontifice, quoad civilia vero vel temporalia a Principe petenda ſit. Hac de re conſuli poteſt. Fevrettus *lib. 5. cap. 3. n. 5. de abuſu.*

Deciſum in Sorbona hac die 26. Maii an. 1697.
G. *Fromageau*; G. *Bourret.*

Diſpenſatio impedimenti in linea Collaterali.

CASUS IX.

1 *Non poteſt Pater filium ſpurium nepti ſuæ maritum dare abſque Romanæ Curiæ diſpenſatione.*

2 *A Dataria petenda eſt diſpenſatio hæc.*

QUÆSITUM.

PEtrus ex Maria , quæ non erat ejus uxor , filium ſuſcepit, qui ejuſdem Petri nomine baptizatus eſt . Puer tamen hic ex matris, non autem ex Petri patris ſui nomine ſemper vulgo nuncupatus eſt; & etiamnum ex matris nomine nuncupatur.

Petrus ejus pater cuperet ei Catharinam neptem ſuam conjugem tradere . Quæritur, an hoc matrimonium citra diſpenſationem iniri poſſit ? An vero Adoleſcens & Neptis tanquam Conſobrini ſpectandi ſint , quia adoleſcens nomine Petri , qui verus ejus pater, & Catharinæ avus eſt, baptiſma ſuſcepit ? Quamvis porro ejus nativitas non omnino certa ſit, tamen ſecreta dici nequit, cum actus regeſtorum Baptiſmatum publicus ſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat exiſtere impedimentum conſanguinitatis in 2. gradu inter Petri filium naturalem, & ejus neptem, eoſque conſobrinos eſſe . Cum Auctores conſanguinitatem definiunt , ajunt eam duorum unionem ſeu vinculum eſſe, nixum communione ſanguinis ; quem illi per generationem ex eodem principio ducunt; nihilque diſtinguunt, ex licito, an ex illicito commercio id derivetur ; quod argumento eſt cognationem contrahi in utraque facti ſpecie . Et ſane Petri filius naturalis, ejuſque neptis conjunguntur in Petri patre, qui eorum communis origo eſt.

Cum de affinitatis impedimento loquuntur Theologi, diſtinguunt, aliam , quæ provenit ex copula licita, & aliam, quæ ex copula illicita . Hæc autem poſterior ad ſecundum tantummodo gradum extenditur. Verum in conſanguinitatis negotio, quoniam vinculum ſtrictius eſt , & veluti naturale, quippe quod ejuſdem ſanguinis vera communione nititur, non eadem ratione diſputandum eſt. In affinitate, inquit Pyrrhus Corradus *l. 7. n. 75.* non dicitur, perinde atque in conſanguinitate , *perſonæ ſunt ſanguine conjunctæ, ſed ſe attinent.*

Hoc poſito, ſi præſto ſunt cauſæ ſatis juſtæ ac legitimæ, quamobrem Petrus naturalem filium cum Catharina nepte conſociet matrimonii lege , confugiendum eſt ad Romanam Curiam, ut obtineatur diſpenſatio , quæ a Dataria petenda eſt, quia facile oſtendi poteſt ex Baptiſmalibus actis , quæ monumentum publicum ſunt , Adoleſcentem , de quo in expoſitione dictum eſt , ejuſdem Petri naturalem filium eſſe.

Deciſum in Sorbona hac die 19. Novembris an. 1696.
G. *Fromageau.*

Diſ-

Diſpenſatio inter Conſobrinos ſine cauſa.

CASUS X.

1 *Eccleſiæ lex generalis diſpenſationem peti prohibet, cum nulla ſubeſt ejus cauſa legitima.*

2 *Si cauſæ juſtæ ſunt, nec in Romana Curia expreſſæ ſunt, non licet uti diſpenſatione ſine cauſa; at ſi expreſſæ ſunt, quamvis diſpenſatio ſit ſine cauſa, tunc ea uti licet.*

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut ſuper his, quæ ſequuntur, dicant quid ſentiant.

I. Poteſtne a Romana Curia peti diſpenſatio, ut cum Conſobrina contrahatur matrimonium, nulla allata cauſa legitima; ac diſpenſationes etiam ſine cauſa conceſſæ valentnæ? Peccantne, qui eas petunt, quique concedunt. Huccine Pontificia poteſtas extenditur? Poteſtne Pontifex, vel debetne hoc in capite Tridentinæ Synodi conſtitutioni refragari?

II. Is, cui petendæ hujus diſpenſationi bonas & legitimas cauſas præſto eſſe ponitur tanquam certum, poteſtne uti diſpenſatione, quam ſine ullius cauſæ examine conſequeretur?

III. Aſſerine poteſt, in præſenti facti ſpecie cauſas petendæ diſpenſationis bonas & legitimas eſſe? Facti ſpecies eſt ejuſmodi.

Titius honeſto eſt genere, gaudet officio non mediocri, domiciliis, & prædiis. Laborat ære alieno, quod ut ſolvat, eo ſe adactum videt, ut bonorum partem vendat, atque adeo ipſo fortaſſe officio ſe ſpoliet. Habet ætatis annos 58. Ei proponitur matrimonium cum Conſobrina, quæ quidem aſſentitur, & eſt vidua annos nata 40. & ſatis habet in bonis, ut Titii Creditoribus ſatisfiat; ita omnia ejus negotia hoc matrimonio componentur; ac Titius quidem, inito nuptiarum conſilio, ægre parem conjugem in Urbe, ac fortaſſe in Provincia inveniret. Omnibus ad trutinam revocatis, nulla eſt hujus ætatis fæmina, quæ bonorum tantum poſſideat; & quæ junior eſſet, ei minus congrueret, eumque contemptui ducere poſſet. Idem fere ait Matrona, quod in ipſa eſt. Rogantur Doctores, ut ſuam nulla interjecta mora, & quidem ſcripto ſententiam dicant.

Cauſis porro, propter quas hujus matrimonii gratia peti contenditur a Romana Curia diſpenſatio, additur & illud, Titium ſe alias pravo commercio cum nupta immiſcuiſſe; ex hac conſuetudine natam eſſe filiam, quam Titius paucis poſt annis viro genere præſtanti uxorem dedit, ipſumque ægre abſtinere poſſe a filiæ domo, ubi ſæpe mater adeſt, & ubi proinde ipſe ſe veteris commercii renovandi periculo obnoxium videt. Quod ſi matrimonium ſibi oblatum amplectatur, gravis ei cauſa ſuberit, quamobrem in officio contineatur, præterquamquod uxor maxime, ſi qua alia, in id ſuam omnem operam conferet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, non poſſe citra peccatum peti diſpenſationem in ea re, quam conſtat generali Eccleſiæ lege vetitam eſſe, cum ejus petendæ cauſæ legitimæ minime ſubſunt.

Cardinalis (*a*) Toletus longius progreditur; pronunciatque diſpenſationem, quæ ſine cauſa conceditur, nullam eſſe in foro interno, & coram Deo: *ſine cauſa non habet locum in foro interiori, & coram Deo diſpenſatio*. Loquitur ille de Romanæ Curiæ diſpenſationibus. Corradus in ſuo tractatu de diſpenſationibus Apoſtolicis ait eum, qui ſine cauſa diſpenſationem obtinuit, coram Deo tutum non eſſe: (*b*) *Unde ſic diſpenſatus non erit tutus quoad Deum; imo peccaret toties, quoties uteretur dicta diſpenſatione; ſecus tamen eſſet in foro exteriori, in quo hujuſmodi diſpenſatio excuſat, quia taliter diſpenſatus non poterit accuſari, vel puniri, ſi contraveniat legi, virtute dictæ diſpenſationis, quæ alias nulla eſt*. (*c*) Fevrettus eamdem ſententiam tuetur, probatque pluribus teſtimoniis in medium allatis. Ex Aurelianenſi Conſtitutione art. 32. nec Pontifex, nec Epiſcopi poſſunt ullam diſpenſationem contra Canones, & Sancta Conciliorum Decreta concedere.

Verum quin hoc loco neceſſe ſit ad ejuſmodi controverſiam deſcendere, videlicet an diſpenſatio petita in Romana Curia, & conceſſa ſine cauſa valeat, necne; ſatis eſt ad caſus propoſiti ſolutionem vetitum id eſſe, quod petitur, ac proinde peti non poſſe, cum ſufficientes cauſæ non adſint, quemadmodum pro certo ponitur. Tradit Sanctus Auguſtinus (*d*) Matrimonia inter conſobrinos ætate ſua fuiſſe prohibita: *verum quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam Conſobrinorum prohibita eſſe conjugia?* Idem docet D. Ambroſius (*e*) *Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii nomine convenire, & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora*. Subſecutis temporibus diſpenſatum eſt, & Tridentina quidem Synodo id permittente, dummodo de magnis Principibus ageretur, iiſque conceſſa diſpenſatio ſpectaret ad cauſam publicam: *In ſecundo gradu nunquam diſpenſatur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*. Eadem Synodus de diſpenſationibus univerſim verba faciens accuratam Canonum cuſtodiam omnibus ad unum Chriſtianis, quicumque tandem illi fuerint, commendat. Quod ſi qua juſta graviſque cauſa, vel major utilitas id requirant, ut in iis cum aliquibus diſpenſetur, mandat id fieri cum cauſæ cognitione, & poſt ſeriam conſiderationem; aliter diſpenſationem ſubreptitiam declarat: (*f*) *Quapropter ſciant univerſi*, inquit Synodus, *Sacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, obſervandos: quod ſi urgens juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, cauſa cognita, ac ſumma maturitate atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*.

Hoc poſito, quæſtioni primo loco propoſitæ ſatis factum eſt.

Ad ſecundam quod attinet, ſi petendæ diſpenſationis ſatis juſtæ cauſæ præſto fuere, nec in Romana Curia expreſſæ ſunt, non licet uti diſpenſatione *ſine cauſa*; ſi autem expreſſæ ſunt, quamvis diſpenſatio collata fuerit *ſine cauſa*, ea tamen uti licet, quia credi poteſt Pontifex rationibus ad obtinendam diſpenſationem additis adductus fuiſſe, ut eam libentius concederet, ita ut rationes ipſæ in diſpenſatione locum habuerint.

Quod ſpectat ad tertiam, rationes ad hanc poſtulandam diſpenſationem in Romana Curia propoſitæ ſatis momenti non habent. Ait Titius fore, ut nuptiæ, quas cum Conſobrina celebrare contendit, ejus negotia componant, nec facile futurum eſſe, ut matrimonii par occaſio ſibi ibi, ubi degit, aut in Provincia ſeſe offerat; at idem Titius minime ſecum reputat, conſcientiæ ſtimulis, atque æternæ ſalutis ſollicitudine ad matrimonium ſe non impelli; immo vero conſcientia ipſa cogi videtur agere pœnitentiam, ut præteritæ vitæ ſcandalum reparet, gravique præſertim peccato, quod in expoſitione declaratum eſt, remedium afferat. Quamobrem longe melius ſe geret ſi ab hujuſmodi nuptiarum conſilio recedat, quam ſi uxorem ſibi conquirens ſe rurſus immiſceat commercio ſæculi, a quo ſe quamprimum arcere deberet, ut de ſua ipſius ſalute cogitaret, utpote natus annos 58. hoc eſt ætate ſatis provectus, ut ad mortem ſe compararet.

Ad Creditores quod pertinet, poteſt Titius ad iis præſtandam ſolutionem bonorum ſuorum partem alienare, ut proinde Creditoribus commodius ſolvendi ratio ſatis virium non habeat, quamobrem ille Conſobrinam ſuam ducat; idemque dicendum

(*a*) Tolet. lib. 5. cap. 83. n. 2.
(*b*) Pyrrhus Corradus de diſpenſ. Apoſt. c. 1. num 11, & ſeq.
(*c*) Fevret. tract. de abuſ. lib. 3. c. 1. n. 11.
(*d*) S. Aug. l. 15. de Civit. Dei cap. 16. n. 2
(*e*) D. Ambroſ. lib. 8. Epiſt. 66.
(*f*) Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 5. de Reform.

dum de commercio cum nupta, qua abuſus eſt, hac ratione evitando, quoniam præſto ſunt rationes aliæ, quam hoc matrimonium, quibus ab ejus conſuetudine, atque adeo aſpectu impoſterum ſibi caveat.

Deciſum in Sorbona hac die 13. Januarii anno 1695.
G. *Fromageau*.

Diſpenſatio in tertio gradu ſine cauſa.

CASUS XI.

1 *Poteſt Pontifex in eo gradu, qui Eccleſiaſtici tantum juris eſt, diſpenſare.*

2 *Aliis præter amorem mutuum, qui inter oratores intereſt, rationibus opus eſt.*

QUÆSITUM.

QUidam uxorem duxit primis nuptiis conſanguineam cum diſpenſatione; quæritur, an ducere poſſit ſecundis nuptiis aliam ex ſuis conſanguineis in ſecundo gradu cum tertio tuta conſcientia cum neceſſariis diſpenſationibus? Oritur ſcrupulus ex priori diſpenſatione, & ex eo, quod hujus matrimonii expetendi non alia ſuppetit ratio, quam reciprocus partium amor.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet oportere, ut qui ſuam conſanguineam ducere vult, ad Romanam Curiam accedat; ita ut ſi, hac facti ſpecie Pontifici declarata, diſpenſatio, quam expetit, ei concedatur, poſſit ille cum ſua conſanguinea legitime tutaque conſcientia matrimonium contrahere; conſanguinitatis enim gradus, de quo agitur, eſt Eccleſiaſtici juris impedimentum, in quo poteſt Pontifex diſpenſare. Præterea quamvis hujus petendæ diſpenſationis nullam ipſe canonicam cauſam habeat, poteſt tamen Pontifex aliquid habere cauſæ, cum eamdem diſpenſationem concedat. Ita quidem ſtatuit Tridentina Synodus: *in contrahendis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa*. Verum noluit Synodus hoc in negotio quemadmodum in quovis alio derogare diſpenſandi poteſtati, qua gaudet Pontifex, cum id e re eſſe judicaverit, ut ex capite 21. ſeſſionis ultimæ licet intelligi; id quod confirmatur uſu, qui obtinet, ut in matrimonii impedimentis dirimentibus Pontifex fere diſpenſet, prout ei viſum fuerit. Pyrrhus Corradus plures affert formulas diſpenſationum matrimonii, ac rationum, quæ poſſunt ad eas concedendas ſummum Pontificem permovere.

Privati hujus hominis, de quo in Expoſitione ſermo eſt, ſcrupulus non ſatis firmo fundamento niti videtur; prima enim diſpenſatio, quam antea obtinuit, ei quidem petendæ, Pontifici vero concedendæ diſpenſationis alterius poteſtatem non adimit. Diſpenſationis quippe cauſa ſpectat ad Pontificem, qui ob cauſas ſibi cognitas poteſt id, quod ex eo petitur, impertiri, tametſi privatus hic homo nullam ipſe quidem ſufficientem cauſam alleget.

Deciſum hac die 13. Julii an. 1695.
Germanus *Fromageau*.

Conſanguinitatis Diſpenſatio, in qua inceſtus expreſſus non eſt.

CASUS XII.

1 *Qui a Romana Curia poſtulant impedimenti conſanguinitatis diſpenſationem, & inceſtum commiſerant, tenentur id exprimere non quidem in Dataria, bene vero in Pœnitentiaria.*

QUÆSITUM.

MIſſum eſt ad Romanam Curiam, obtinendæ gratia diſpenſationis in tertio conſanguinitatis gradu; ſed declaratum non fuit oratores mutuo ſe commercio fœdaſſe, ne eorumdem infamia detegeretur. Immo vero creditum non eſt id exprimi oportere, ſiquidem Pontifex, ſi id fuiſſet expreſſum, multo libentius diſpenſationem conceſſiſſet. Ad Pœnitentiariam ſolummodo miſſum eſt, ut inceſtus abſolutio obtineretur.

Quæritur, an Diœceſanus Officialis eam diſpenſationem pronunciare debeat, atque an ad id faciendum impelli poſſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcripum cenſet, debere in Romana Curia inceſtum exprimi, juxta probabiliorem ſententiam; aliter diſpenſatio impedimenti conſanguinitatis invalida eſſet ad matrimonii contractum; non ideo quidem, quod inceſtus ſit impedimentum dirimens, ſed quod Romanæ Curiæ ſtilus, qui jus facit, id poſtulat, ut tradunt Sanchez, Pyrrhus Corradus, & Paulus Leo.

Non inde tamen ſequitur, prædictum inceſtum in Dataria exprimendum eſſe, quemadmodum conſanguinitatis impedimentum; ſed ſatis eſt in Pœnitentiaria expreſſum fuiſſe, ea tamen adhibita cura, quam notat Sanchez loco citato *n.* 10. ut in ſupplicatione, dum de inceſtu ſermo ſit, ſignificetur, impetratam eſſe, aut peti conſanguinitatis diſpenſationem in Dataria quoad forum externum: *Quando inceſtus eſt occultus, non oportet ejus mentionem fieri in diſpenſatione pro foro externo propoſita Pontifici. Sed ſatis eſt petere ejus diſpenſationem in ſacra Pœnitentiaria, explicata ibi quoque conſanguinitate, vel affinitate publica, ſuper qua aut diſpenſavit, aut diſpenſaturus eſt Pontifex*.

Cum hæc omnia præſtita fuerint, quemadmodum compertum ſit, ſequitur diſpenſationem validam eſſe, Officialem eam pronunciare debere, atque adeo ad id adigi poſſe.

Deciſum Pariſiis hac die 14. Maii an. 1696.
G. *Fromageau*.

Contendunt, Navarrum *Conſil.* 9. *de conſanguinitate & affinitate* contra ſentire. Verum conſulenda eſt adnotatio huic Navarri textui appoſita; præterea retractavit opinionem hanc *cap.* 22. *n.* 86. *in fine* in Manuali,

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

QUod hoc loco per id nominis intelligitur, nihil eſt aliud, quam Præbendæ redditus, qui inter eos, qui omnibus Chori Officiis interſunt, diſtribuitur, quique Beneficii fructibus non continetur. Tridentina Synodus *Seſſ.* 21. *cap.* 3. *de reform.* ſtatuit, ut in Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis, in quibus vel nullæ omnino, vel admodum modicæ ſunt quotidianæ Diſtributiones, decerpatur pars tertia omnium fructuum, emolumentorum, & redditruum tam ex Dignitatibus, quam ex Canonicatibus, Perſonatibus, Portionibus & Officiis provenientium, in quotidianas diſtributiones conferenda, & inter eos, qui Divino ſervitio interfuerint, tribuenda pro rata parte, & pro Epiſcopi diſtributione; ita ut, decente eodem Concilio, ſeſſ. 22. cap. 3. qui in earum diſtributionum partem venire deberent, ni ſingulis quibuſque diebus ipſi per ſe ei, cui addicti ſunt, ſervitio ſatisfecerint, ejus diei diſtributione priventur, quin ejus proprietatem ulla ratione acquirere poſſint; quod eadem Synodus repetit Seſſ. 26. cap. 12. Diſtributiones, inquit, qui præſcriptis horis interfuerint, recipient reli-

reliqui autem omnes citra colluſionem aut remiſſionem iiſdem priventur, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, *Conſuetudinem*. Sunt & aliæ diſtributiones, quæ dicuntur manuales, neque ex hac proventuum Præbendæ parte tertia ducuntur, ſed ſitæ ſunt in fundationibus, cujuſmodi ſunt Obitus, Anniverſaria, aliaque Officia, quorum gratia Canonicis manualis ſolutio tribuitur pro adſiſtentiæ ratione. Canonicus, qui diſtributiones tam manuales, quam quotidianas recepiſſet, cum ab Officio ſine legitima cauſa abſuerit, ad reſtitutionem teneretur. Id evincitur & ex Concilio paulo ante laudato, & ex *cap. Conſuetudinem*, ubi Pontifex Maximus Bonifacius VIII. loquitur in hunc modum: „ volumus diſtributiones cujuſque diei, quæcumque tandem illæ fuerint, tradi Canonicis, & aliis Beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum, qui Divinis Officiis interfuerint, juxta ordinem rationi conſonum Eccleſiæ cujuſvis factum aut faciendum. Volumus eos, qui, cum abſentes fuerint, ejuſmodi diſtributiones perceperint, earum dominium non acquirere, ſed teneri reſtituere, quicquid cum præſentis Decreti detrimento perceperint; quod etiam ſervari volumus in diſtributionibus, quæ dantur ob præſtitam Obitibus & Anniverſariis adſiſtentiam.

Vide (CANONICI
(BREVIARIUM.
(OFFICIUM DIVINUM.

Diſtributiones quotidianæ quibuſnam debentur?

CASUS I.

1 *Iis, qui ab Officio abſuerint, non debentur quotidianæ diſtributiones, quamvis gaudeant muneribus aut privilegiis, quibus a reſidentia eximantur; magni tantum fructus iis debentur.*
2 *Qui eas hoc in caſu percipiunt, ad reſtitutionem tenentur.*
3 *Canonici, qui privatim refragantur, non tenentur litigare ad abuſum hunc impediendum.*

QUÆSITUM.

IN quadam Regni Cathedrali, Canonicis quindecim, ſexdecimve conſtante, complures abſunt; alii quidem quia Senatus Provinciæ Conſiliarii ſunt; alii vero quia Regis & locorum Eleemoſynarii ordinarii ſunt; alii denique, quia ſtudiis vacant. Quæritur,

I. An hi Canonici abſentes, præter groſſos fructus, jure gaudeant exigendi diſtributiones quotidianas & manuales omnino, an ex parte?

II. Suntne inter quotidianas diſtributiones referendæ eæ, quæ paulo majoris momenti ſunt, quæque in aliquibus ſolemnibus Feſtis ſolvuntur.

III. Canonicus, qui in Senatu Conſiliarius eſt, juſne habet ad quotidianas diſtributiones? Et Capitulum poteſtne tuta conſcientia eas illi tribuere, veritum, ne ſi judicio contendat, Senatus in ejus favorem judicet? Teneturne privatus litigare, cum eum votorum pluralitas in hujus Conſiliarii favorem trahit?

IV. Facta hypotheſi diſtributiones quotidianas Regis Conſiliariis aut Eleemoſynariis Canonicis traditas fuiſſe, vel quod iis debitæ crederentur, vel quod lis timeretur: hi Canonici privilegiati poſſuntne eaſdem exigere, perinde ac groſſos fructus, cum ob propria negotia abſunt a Provincia, & ab Aula, ita ut nec propriæ Eccleſiæ, nec Principi deſerviant quinque aut ſex menſium ſpatio? Per id tempus Punctuarii debentne eos tanquam abſentes notare? Capitulum vero poteſtne tuta conſcientia & groſſos fructus & diſtributiones iiſdem ſolvere? Poſſuntne, qui ſunt a rationibus, id imputare Theſaurario, qui ſolverit? Si contingat ex gratificatione votorum pluralitatem his privilegiatis favere, atque unum tantummodo Canonicum repugnare, teneturne ille ſuo nomine litem intendere, ut hunc abuſum impediat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſita vidit, expenditque, in ea eſt ſententia, ut credat Canonicos in Senatu Conſiliarios, vel Ordinarios, certorumve locorum apud Regem Eleemoſynarios, eoſque, qui ſtudiis operam navant, jus habere petendi groſſos omnes fructus, donec re ipſa muneribus ſuis funguntur, vel actu ad ſtudia incumbunt; non autem quotidianas diſtributiones, quæ iis tantum debentur, qui revera Officio atque Horis Canonicis interfuerint; etenim infirmi tantum, quique ob Eccleſiæ bonum abſunt, excipiuntur ab hac regula; atque adeo infirmi, qui proſpera valetudine ab Horis Canonicis abeſſe conſueverunt, hoc privilegio gaudere non debent.

Ad quæſtionem alteram reſpondetur diſtributiones quotidianas ab iis, quæ tales non ſunt, nulla ratione melius diſcerni poſſe, quam per regulam, quæ traditur *lib. 3. extravag. Communium de præbendis & dignitatibus cap. Cum nonnullæ*; ut nempe diſtributionum quotidianarum nomine id unum veniat, quod quavis die datur Canonicis, propterea quod diei noctiſque Officio interfuerint; quod enim datur per menſem aut per hebdomadam, diſtributionis quotidianæ nomine cenſeri non debet; ut proinde, ſi diſtributiones, quæ dantur in Feſtis ſolemnibus, ob adſiſtentiam Horis Canonicis præſtitam dentur, & ad excitandam Canonicorum diligentiam tantummodo referantur: diſtributionibus quotidianis adnumerari poſſe, atque adeo abſentibus non deberi merito judicentur, juxta laudati Capitis diſciplinam, quæ pariter occurrit *extr. de Præbendis, c. licet, & in 6. de Clericis non reſident. c. conſuetudinem, pragm. ſanct. titul. Quo tempore debeat quiſque eſſe in Choro. Concil. Trid. Seſſ. 21. de reform. cap. 3. ſeſſ. 22. de reform. cap. 12. ſub finem*. Hinc facile intellectu eſt, quid de hujuſmodi diſtributionibus ſentiendum ſit.

Ac ſupra quidem reſponſum eſt ad id, quod quæritur tertio loco; addi tamen id unum poteſt, doctrinam jam traditam niti Reſcriptorum Jurisprudentia, nihilque timendum eſſe, ne Conſiliarii Senatuum ſuorum favore gaudeant, dum iis refragantur, quæ in Regni Tribunalibus adeo generatim recepta ſunt, ut videre eſt apud Fevretum *lib. 2. de abuſu cap. 2.* docentem Canonicos non poſſe tuta conſcientia diſtributiones haſce concedere, quique eas receperint, ad reſtitutionem obligari, ut ſtatuitur *in 6. c. Conſuetudinem de Clericis non reſidentibus: Rerum ſic receptarum*, Capitis verba ſunt, *dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas, immo ad omnium reſtitutionem, qui contra hujuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur*. Atque huic quidem Capiti novum robur acceſſit auctoritate Tridentini Concilii, ut ex *Seſſ. 24. de Reformat. cap. 12.* ſub finem licet intelligi. Obtinet diſciplina hæc in Eccleſia Gallicana; occurrit illa in Pragmatica Sanctione, & in Synodis Provincialibus poſt Tridentinam habitis: *Diſtributiones ii tantum percipiant, qui ſtatis horis divino officio interfuerint, reliqui vero (niſi quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſet) iiſdem priventur, quamtumvis obſtent ſtatuta, & conſuetudines contrariæ*. Quo quidem jam poſito, ut quæſtioni quartæ ſatisfiat, aſſeritur Eccleſiarum Exactores non debere Canonicis his privilegiatis, quandiu quidem ab fuerint, diſtributiones ſolvere, & qui ſunt a rationibus, non debere ſolutionem, quæ præſtita fuerit, ratam habere; atque adeo hos ipſos Canonicos magnorum fructuum parte privandos eſſe, cum non abſint ob ſer-

ſervitium Principis, cujus gratia privilegium hoc ipſis conceſſum eſt, ut videri poteſt in Gloſſa Pragmaticæ *tit. qualiter horæ ſint dicendæ: Capellani, Clerici, familiares & domeſtici Regis & Reginæ, in eorum ſervitio exiſtentes percipiunt groſſos fructus beneficiorum, tanquam ſi in eis reſiderent*; ut propterea cum non exiſtunt in illorum ſervitio, privilegium *ceſſet*, & Capitulum nequeat tuta conſcientia huic abuſui favere, aut pati Canonicos hos id recipere, quod reſtituere tenerentur. Privatus tamen Canonicus, qui ſuffragium ſuum dare, & rationes firmare ſemper renuerit, teneri non creditur ſuo proprio & privato nomine litem aggredi.

Deciſum in Sorbona die 31. Julii an. 1681.
Auguſt. *de Lamet*.

Præſentia ad Diſtributiones percipiendas neceſſaria.

CASUS II.

Obituum, atque aliarum fundationum, adeoque magni officii diſtributiones minime lucrantur ii, qui non canunt in Choro pro viribus, eaque attentione, ac reverentia, quam quævis oratio requirit.

QUÆSITUM.

Quæritur, an attentio & recitatio ſint neceſſariæ ad lucrandas diſtributiones, & alios fructus annexos Obitibus & Officiis Defunctorum in Eccleſia fundatis? An in harum conditionum alterutra deficientibus diſtributiones negandæ ſint, an reſtituendæ; atque an ſtatui poſſit, adſiſtentes, non canentes tamen, neque attendentes, ſuo muneri, & Fundatorum intentioni ſatisfacere, prætendentes Officia hæc a Cantoribus perſolvi.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet ad Obituum, aliarumque fundationum diſtributiones obtinendas non modo attentionem his Officiis exhibendam eſſe, verum etiam preces, quibus ea conſtant, cum Choro canendas eſſe, quemadmodum in magno Officio faciendum eſt. Et ſane cum totum Officium oratio ſit, reverentiam, atque attentionem requirit, atque ita ſuo muneri non ſatisfacit, qui corpore adeſſe contentus eſt. Præterea diſtributiones his Officiis annexæ *ſunt ſtipendia Chori*, danturque *pro opera & labore*, ut Canoniſtæ loquuntur; ſequitur ergo ſatis non eſſe ea recitari ſubmiſſa voce, ſed una cum Choro pſallendum eſſe pro cujuſque facultate, cum animi contentione, ac pietate. Tridentina Synodus *Seſſ.* 24. *c.* 12. *de Reform.* de diſtributionibus verba faciens, renovat initio ſtatim Decretalem, *Conſuetudinem*, Bonifacii VIII: *Diſtributiones vero*, inquit, *qui ſtatis horis interfuerint, recipiant*: additque: *Omnes vero divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia; atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis nomen Dei reverenter, diſtincte, devoteque laudare*; poſteriora verba hæc faciunt ad propoſitas quæſtiones ſolvendas, decidendumque quemlibet Canonicum ſeu Beneficiatum teneri cum Choro canere, & ad id, quod canitur, attendere: *reverenter, diſtincte, & devote laudare*. Hac in re conſulendus eſt S. Carolus *lib.* 5. *Actorum ſuorum tit. de viſit.*

Barboſa in hunc Concilii locum declarat: *teneri Canonicos ſub onere & obligatione reſtitutionis diſtributionum pſallere, ſeu canere in Choro cum aliis; & non ſatisfacere, ſi ſolum aſſiſtant & interſint horis per Capellanos, ſeu alios Beneficiarios.* Comitolus *l.* 1. *c.* 62. *n.* 3. pronunciat id in Romana Curia deciſum eſſe: *ſciant de Canonicis in Choro non pſallentibus, hoc ab Illuſtriſſima Congregatione Romana redditum eſſe reſponſum, niſi pſallant ipſi, Officio ſuo minime ſatisfacere. Itaque qui ſecus agunt, videant, quemadmodum Deo, & ſuarum animarum ſatisfaciant conſcientiæ.* Fundationes hæ in gratiam Capituli, non autem Capellanorum, Cantorumve ſtatutæ ſunt; & quoniam Fidelium, dum eas inſtituerunt, intentio ea fuit, ut pro ipſis oraretur, obligatio hæc potiſſimum ſpectat ad Canonicos, qui proinde hac in re ſuo muneri non ſatisfaciunt per ſimplicem corporalem adſiſtentiam.

Non aliter de quotidianis diſtributionibus judicandum, quam de iis, quæ in Obitibus percipiuntur; Pontifex enim Boniſacius VIII. in Decretali *Conſuetudinem de Cler. non reſid. in* 6. nullum inter eas diſcrimen aſſignat: *De diſtributionibus etiam pro Defunctorum anniverſariis largiendis idem obſervandum decernimus.* Quemadmodum ergo Canonicus, ut quotidianas diſtributiones lucretur, cum reverentia atque attentione Officium recitare debet, quia omnis oratio juxta Tridentinam Synodum *reverenter, diſtincte, & devote* facienda eſt: ita Eccleſia idem ex iis requirit, qui Obituum, aliarumque fundationum diſtributiones lucrari voluerint.

Deciſum hac die 3. Octobris an. 1693.
G. *Fromageau*.

In quo ſita ſit præſentia hæc, ut diſtributiones percipiantur.

CASUS III.

1 *Cathedralis Eccleſiæ Canonici cenſendi non ſunt præſentes Matutinis, aliiſve Officii partibus, cum celebrandæ, aut audiendæ Miſſæ gratia recedunt, niſi id requirat utilitas publica, ipſique ad eo quidem tempore celebrandum a Capitulo nominati ſint.*
2 *Neque vero percipere poſſunt diſtributiones, quæ fundationum Officiis annexæ ſunt, ſi ea deſerant, ut Miſſam celebrant.*
3 *Eccleſiæ regulæ ſuper hoc articulo.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an in Cathedrali Eccleſia Canonici Matutinis horis præſentes cenſendi ſint, qui, poſtquam partim interfuerunt, recedunt, ut ad ſacrum faciendum ſe conferant, ſive devotionis gratia, ſive ut ſatisfaciant certis quibuſdam Miſſis, quas celebrare quidem tenentur, non tamen ſtata hora?

Qui contendunt id fieri poſſe, nituntur I. Eccleſiæ utilitate, quam in eo collocant, ut ita ſacroſancto Miſſæ Sacrificio facilius omnes intereſſe poſſint, & præſertim Artifices, qui alio quidem tempore ei intereſſe non poſſent.

II. Meclinenſis Synodi an. 1570. celebratæ definitione *cap.* 6. *tit. de officio & cultu divino*.

III. Deciſione D. *de Sainte Beuve* caſu 199. relato ejus Reſolutionum Tomo ſecundo, in reſponſione ad quæſtionem ſecundam.

IV. Conſuetudine tolerata.

V. Difficultate, quæ Canonicis occurreret, ob Capellarum, quas in Cathedrali exiſtere contendunt, exiguum numerum, Miſſam celebrandi, niſi id præſtarent publicorum Officiorum tempore.

Qui contra ſentiunt, nituntur I. Sedis Apoſtolicæ deciſione, quam refert, confirmatque S. Carolus libro quarto Conſtitutionum & Decretorum Synodalium Provinciæ Mediolanenſis titulo *de diſtributionibus* &c. *nn.* 29. & 30.

II. Deciſione Proſperi Fagnani in medium allata in Diſſertatione Canonica obligationum Canonicorum Bernardi Van Eſpen celebris Canoniſtæ pag. 424. ubi poſtquam quæſivit, utrum ii, qui publicorum Officiorum tempore Miſſam celebrant, lucrentur eorumdem Officiorum diſtributiones; reſpondet, Canonicos celebrandæ Miſſæ cauſa a Choro recedentes ea diſtributione privari, qua donantur ii, qui Choro interfuerint.

III. Bonacinæ ſententia in Tractatu *de horis canon. diſp.* 2. *q.* 5. *pag.* 3. §. 4. ubi citat plures Theologos Canoniſtas, & Declarationem Congregationis Rituum, aliamque Congregationis Pœnitentiariæ Mediolanenſis, habitæ præſente ipſo in hujus ſententiæ confirmationem.

IV. Bulla Bonifacii VIII. mandantis abſentes eos reputari, qui ab adſiſtentia exempti non fuerint vel ægritudine, vel neceſſitate, vel Eccleſiæ uti-

utilitate. Et quoniam contra ſentientes eadem utilitate nituntur,

Reſpondetur, tantum abeſſe, ut Miſſarum inter Matutinas horas celebratio ſit utilis, ut potius origo ſit multorum abuſuum, quorum primus eſt Chori deſertio. II. diminutio dignitatis, qua divinum Officium canendum eſt. III. defectus Miſſarum reliquo matutino tempore. IV. abuſus alii, quibus prætendi poteſt celebrandæ Miſſæ conſilium. V. Libertas, quam ſibi arrogant, qui matutini tempore ſacrum facere in animo habent, Officii ſubmiſſa voce, & privatim recitandi, quod impedimento eſt, quominus illi publicæ recitationis ineluctabili obligationi ſatisfaciant, proximos turbat, & in Choro confuſionem parit. VI. Continuæ diſtractionis occaſio propter egredientes & regredientes. VII. Miſſæ, quæ ex ordine celebrantur a Capellanis matutinarum horarum tempore, ſufficiunt ad detinendam Artificum pietatem, ac ſi quæ aliæ addendæ forent, id certa quadam ratione faciendum eſſet, & de mandato Capituli, quod nonnullos Canonicos nominaret, qui Miſſas eo tempore celebrarent. VIII. Quoniam in hac Cathedrali Subdiaconi plures adſunt, Sacerdotum celebrandæ Miſſæ cauſa exeuntium exemplum funeſta contagione ſerpit ad Subdiaconos uſque, qui egreſſui ſuo ejus audiendæ prætextum obtendunt non ſolum diebus Feſtis & Dominicis, ſed etiam quandoque ferialibus.

Ad Meclinenſe Concilium reſpondetur, illud eſſe particularem Synodum, cujus deciſioni occaſionem præbere potuerunt rationes peculiares, & quæ utpote nobis ignotæ prudenter cenſendæ ſunt neceſſitatem aut utilitatem Eccleſiæ ſupponere; ſecus enim abuſus eſſet, Sanctæ Sedis, cujus pluris eſſe debet auctoritas, deciſioni contrarius; ita reſpondet Bernardus Van-Eſpen ſupra laudatus.

Ad D. *de Sainte Beuve* deciſionem reſpondetur, non temere dubitari, an illa eum auctorem habuerit; præſertim cum in priore Volumine referatur ejus deciſio ſuper ſecunda difficultate 42. caſus, quæ quidem ex diametro opponitur deciſioni quæſtionis tertiæ interrogationis ſextæ caſus 43. Porro præſtat hanc repugnantiam tribui oſcitantiæ Collectoris ejus deciſionum, quam ipſi D. *de Sainte Beuve*, cujus nomen tanti eſt, & cui pariter, fieri potuit, ut adjudicaretur in 199. Caſu ſecundi Voluminis deciſio, quæ non magis eumdem auctorem ſapit.

Facta hypotheſi eum ita ſenſiſſe, illud pro certo habendum eſt, Eccleſiæ utilitatem, aut Superiorum legitimorum veniam ei fuiſſe propoſitam; ſecus in eum uſurpari poſſet tritum illud: qui nimis probat, nihil probat; quia rationem legitimam, quamobrem ab Officio divino quis abſit, judicat ſtudium, cui per id tempus operam navat, perinde ac miſſam, quam celebrare in animo habet; hinc enim orirentur abuſus non pauci, ſi recedendi licentia ſtudiorum cauſa ad alios extenderetur, præterquamqui in Canonibus exprimuntur.

Objectioni ex conſuetudine ductæ occurritur D. Cypriani verbis: *vetus conſuetudo, vetus error*; præſertim cum qui doctrina & pietate præſtant, ejuſmodi pravorum exemplorum impetu haud ſe abripi patiantur.

Ad extremum exiguus, ut contenditur, Capellarum numerus nihil eſt aliud, quam vanus prætextus, quoniam exiſtunt 24. in Eccleſia, & aliquot alia ſunt Altaria, in quibus celebrari poteſt, ut proinde vel infra duas horas poſſint quinquaginta Sacerdotes ſacrum facere, id quod Canonicorum Presbyterorum hujus Cathedralis numerum excedit.

Expetitur hac in re, Domini, ſententia veſtra.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, antequam ad propoſitam facti ſpeciem reſpondeatur, animadvertendum eſſe,

I. Communi jure Canonicum, qui divino Officio non intereſt, eſto id ob Eccleſiæ utilitatem fieret, diſtributiones ſuas lucrari non poſſe, quia ſi ſpectentur cauſæ, propter quas eæ in Eccleſiis inſtitutæ ſunt, ad præſentes tantummodo referantur, ut ſtatuitur in c. *Cum non deceat de elect. in 6.* Nihilotamen ſecius, licet, ſi ſtricte loquamur, ita res habeat, poteſt in aliqua Eccleſia ſtatutum edi, aut permitti, ut inducatur legitima conſuetudo, cujus vi Beneficiarius ex juſta cauſa diſtributiones lucretur, quamvis Officio minime interſit, ut cum abeſt ob ægritudinem, vel ob utilitatem ac neceſſitatem Eccleſiæ juxta C. *Conſuetudinem de Cler. non reſid. in 6.* Hac ratione, ut monet Pyrrhing. *lib. 3. tit. 4. ſect. 2. de Cler. non reſid. n. 92.* jus cum jure conciliatur, videlicet caput modo laudatum, *Cum non deceat*, quod generatim loquitur, cum capite *Conſuetudinem*, quod coarctat commune jus ad certas cauſas, ut Officii diſtributiones etiam citra adſiſtentiam obtineri poſſint. Layman *lib. 4. tr. 2. c. 7. n. 3.* eamdem pariter ſententiam propugnat: *De jure communi*, ait, *non debentur diſtributiones quotidianæ, ſicut docet Bonifacius VIII. in cit. cap. Cum non deceat. Interim nihil obſtat, quominus conſuetudine, vel ſtatuto introduci poſſit, ut ob talem juſtam abſentiæ cauſam diſtributiones acquirantur, quod idem Bonifacius aſſerit in cap. un. Conſuetudinem de Cler. non reſid.*

II. Certum eſſe diſtributiones quotidianas in eum finem inſtitutas fuiſſe, ut Canonici, aliique Beneficiarii vehementius excitarentur, ad adſiſtentiam Officio exhibendam, illudque cum ea dignitate celebrandum, quæ Religionis noſtræ Myſteriorum ſanctitati, atque amplitudini reſponderet. Debentur itaque ejuſmodi diſtributiones *ratione præſentiæ perſonalis & laboris*.

Hoc poſito, reſpondetur, Canonicos, de quibus agitur, Matutinis præſentes cenſendos non eſſe, cum ante finem exeunt ad Miſſam celebrandam, vel ex devotione, vel ut peculiaribus Miſſis ſatisfaciant, quas quidem celebrarare tenentur, non tamen hac ipſa hora.

I. Quia mos hic tendit ad divinum cultum non mediocriter imminuendum; ut enim in expoſitione dictum eſt, Canonici Subdiaconi ad eorum exemplum, qui recedunt, ut Miſſam celebrent, recedunt & ipſi, ut eam audiant; adeoque in Choro pauci remanent Canonicorum. Ex quo porro divinus cultus graviter imminuitur per eorum abſentiam, qui intereſſe tenentur, maximam licet pietatem præſeferat ratio, quæ ad probandum adeo præpoſterum morem affertur, ille tamen tolerandus non eſt, cum ſit ex earum conſuetudinum ſeu ſtatutorum numero, quæ Tridentina Synodus, renovans caput *Conſuetudinem*, reprobat Seſſ. 24. c. 12. *de Reform. Non obſtantibus* quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus.

II. Rationes, quæ ad hunc abuſum firmandum afferuntur, non magni momenti ſunt, & quæ citantur, teſtimonia nec firma, nec clara ſunt, ut intelligi licet ex reſponſionibus contra ſtantium; atque id magis magiſque conſtabit, Meclinenſis Concilii, cujus auctoritas vel maxime proponitur, verbis in medium allatis: (a) *Illos quoque*, ejus verba ſunt, *qui ſub dictis Officiis divinis aut celebrant, aut ad celebrandum ſe præparant, vult hæc Synodus pro eo tempore præſentes in divinis reputari; modo tamen abſoluto ſacrificio ſine notabili mora in Chorum redeant.* Cabaſſutius in ſuo Libro *de Notit. Concil. fol. p. 626.* in allatum hujus Concilii locum loquitur in hunc modum: *Videtur hoc decretum adverſari juri communi, niſi intelligatur de Eccleſiis, in quibus tempora Miſſarum a ſingulis de Choro celebrandarum diſtributa in aliqua communi tabula fuere; ne ſcilicet horis officiorum, Miſſæ omnino, vel Altaria vacent. Intelligi quoque debet, ſi accidat ob juſtam aliquam occurrentem cauſam, ut dimittat (is qui Choro præeſt) aliquem de Choro ad celebrandum ſacrificium; tunc enim juſta cauſa adeſt: aliter autem contingeret, ut ſinguli de Choro immunitatem ab officiis Chori pro ſuo libito, ſub prætextu propriæ miſſæ conſectarentur, & Chorus deſereretur; imprimis ſane ſacri Canones in commune ſtatuunt, eum, qui abeſt ab officiis Chori, non debere lucrari diſtributiones, quæ ſunt ſtipendia Chori, ſolis exceptis, quos juſta & rationabilis corporis infirmitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret. Contrarias conſuetudines ac ſtatuta reprobant, eoſque, qui ſecus receperint, reſtitutioni obnoxios decla-*

(a) Vide Concilia P. Labbe t. 15. an. 1570.

tant Bonifacius VIII. & Honorius III. &c. E converſo rationes, quæ afferuntur ad oſtendendum Canonicis non licere Matutini tempore ſacrum facere, firmiores, gravioreſque ſunt; & incommoda, quæ hanc conſuetudinem conſequerentur, aperta ſunt & in expoſitione liquido declarantur; id quod ſatis eſſe poſſet ad difficultatis propoſitæ deciſionem; ſed firmari tamen præterea poteſt ſequentibus probationibus.

Baſileenſe Concilium *Seſſ. 21. tit. quo tempore quiſque debeat eſſe in Choro* (ex quo Pragmatica ſuum Decretum compoſuit) negat licere Canonico a Matutinis horis recedere, vel ab aliis Officiis abſque aliqua urgente neceſſitate, nec ab eo petita venia, qui Choro præeſt: *Qui in Matutinis ante finem Pſalmi, in Miſſa ante ultimum Kyrie eleiſon uſque in finem divino Officio non interfuerint, niſi forte neceſſitate cogente, ac petita & obtenta a Præſidente Chori licentia diſcedere oporteat, pro illa hora abſens cenſeatur.*

Cardinalium Congregatio non ſemel idem decidit, ut teſtatur Garcias, qui ejus Declarationem affert in hæc verba *3. p. c. 2. num. 398. Quo tempore cantatur una hora in Choro, qui Miſſam celebrat in eadem Eccleſia ex devotione vel obligatione, non dicitur interfuiſſe illi horæ, nec illius diſtributiones accipere poteſt. Si vero juſſus fuerit a Superiore, ut celebret, tunc reciperet; Superior tamen cavere debet a tali juſſione.*

Quoad Concilium Mediolanenſe quartum *tit. de diſtr. n. 3.* in quo S. Carolus Conſtitutionem edit in hanc rem, Sanctæ Sedis Declaratione firmatum: verba tam ſancti viri digna ſunt, quæ afferantur: *Quicumque dum alicujus horæ officium in Choro peragitur, Miſſam celebrando, tunc a Choro abſfuerit, illius horæ diſtributionis tanquam abſens particeps ne ſit, ut a Sancta Sede Apoſtolica declaratur; id vero, niſi pro abſentia Sacerdotum, qui in Eccleſia tunc Miſſæ ſacrificium faciunt, neceſſitas aliquando inciderit, ut Præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem a Choro exire, a ſtatæque horæ officio abeſſe Miſſæ celebrandæ cauſa jubeat, aut niſi a Sede Apoſtolica aliter conceſſum fuerit.*

Fagnanus idipſum diſerte tradit *in 1. p. 3. Decret. in c. Licet de Præbend. n. 118. Decimonono in Canonico celebrante Miſſam devotionis cauſa, quem ſimiliter reſponſum eſt diſtributiones non lucrari, niſi celebraverit ex onere ſibi injuncto; & alias deciſum Canonicos Miſſam celebrantes ſubmiſſa voce, dum divina celebrantur, diſtributiones itidem percipere non debere, niſi illa hora ad celebrandam Miſſam ab eo, ad quem pertinet, compulſi fuerint.*

Id omne videtur Tridentinæ Synodi menti conforme; loquens enim *Seſſ. 24. c. 8. de Reform.* de Cathedralis Eccleſiæ Pœnitentiario hæc habet: *Qui dum confeſſiones audiet, interim præſens in Choro cenſeatur.* Non ait Synodus eum præſentem cenſeri, dum Miſſam celebrabit, quamvis matutini tempore Miſſam celebrans, audiendis deinde confeſſionibus commodius vacare poſſit. Animadvertit id Barboſa in hunc Concilii locum: *Non tamen pro tempore, quo reſidet in Confeſſionario, nec audit confeſſiones, aliis in Choro divina celebrantibus, nec ita ſi dixerit Miſſam, aut ſi privatum officium dicat, etiam ut opportunius confeſſiones audiat, cenſendum eſſe præſentem in Choro.* Videtur tamen, ſi quis alius Canonicus, certe Cathedralis Eccleſiæ Pœnitentiarius, utpote Officialis ad bonum publicum inſtitutus hoc privilegio gaudere debere.

Auctores vero, qui contra ſentiunt, putantque permitti poſſe Canonicis, ut officii tempore Miſſam celebrent, præſertim cum adeſt conſuetudo, cujuſmodi ſunt Layman, Pyrrhing, Garcias locis citatis, aliique, ita ſunt explicandi, ut pro certo poſuerint, in divinum officium nihil inde incommodi derivari. Id porro in Cathedrali, de qua agitur, Eccleſia minime occurrit; nam præter abuſus, qui per eam conſuetudinem irrepſere, quique in Expoſitione declarati ſunt, prope ſolitarius remanet Chorus officii tempore, atque ita divinus cultus graviter imminuitur.

Si ad Populorum pietatem fovendam illud opportunum creditur, ut Canonici celebrent Matutini tempore, id ſtatuendum eſt auctoritate Capituli, quod eos deſignabit, qui per id tempus Miſſam celebrent, ea tunc quidem exiſtente Eccleſiæ utilitate, quæ una eſt ex cauſis, quas innuit Bonifacius VIII. in Decretali *Conſuetudinem de Cler. non reſid. in 6.* poterunt Canonici præſentes cenſeri, & diſtributiones lucrari.

Quod ſi volunt hi Canonici ſacrum facere, poſſunt extra magni Officii tempus id præſtare, ut tempore Officii parvi B. Virginis, aut dum Obituum, aliarumque fundationum Miſſæ celebrantur; ſed ita tamen, ut horum Officiorum diſtributiones nequaquam percipiant; eas quippe retinere non poſſent, ſed reſtituere tenerentur, ut capite ſupra citato ſtatutum eſt.

Concluſio. Cathedralis, de qua quæritur, Eccleſiæ Capitulum debet reformare conſuetudinem, de qua in Expoſitione dictum eſt, nec pati Canonicos, qui ad Miſſam vel celebrandam, vel audiendam Matutini tempore Chorum deſerunt, præſentes cenſeri. Si nolit Capitulum adeo gravi abuſui remedium afferre; Ordinarius in negligentiæ caſu poteſt eidem providere, ut monet Gloſſa Clementinæ *Gravi de celebr. Miſſæ v. Superiores. Voluit in his caſibus dare Diœceſanis delegatam poteſtatem.*

Deciſum hac die 29. Septembris an. 1693.
G. *Fromageau.*

Diſtributiones, quas Decanus percipere nequit.

CASUS IV.

1 *Decanus Capituli tenetur in conſcientiæ foro toti Officio intereſſe.*
2 *Non poteſt ille Miſſam celebrare, vel confeſſiones audire Matutini tempore, niſi eum gravis neceſſitas ad id faciendum impellat.*
3 *Matutini, cui non intereſt, aliæque Matutino additæ diſtributiones ei tribui non debent, neque ad eum pertinent.*

QUÆSITUM.

IN Eccleſia I....... exiſtit animarum cura, cui Vicarii perpetui deſerviunt. Hujus Eccleſiæ Decanus fere Miſſam celebrat Matutini tempore, & deinde eorum, qui accedunt, confeſſiones excipit; ut proinde fere nunquam Matutinis Horis interſit. Mos viget in hoc Capitulo, ut qui Matutinis adfuerint, adſiſtentiæ reliquarum Horarum diei dimidium lucrentur; Decanus porro recipit & Matutinarum Horarum diſtributionem, & cæterarum retributionis dimidium, licet neutris adſiſtat.

Hac in re quæritur, I. an Decanus hic Matutinarum Horarum tempore poſſit Miſſam celebrare, tum vero Confeſſiones audire, atque utrum in hac facti ſpecie earumdem Horarum diſtributiones lucretur?

II. Poſſitne diſtributionis aliarum Horarum dimidium percipere, dum iis non intereſt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Capituli Dignitates æque ac Canonicos teneri divino Officio intereſſe *Seſſ. 24. c. 12.* nec ab eo citra legitimam cauſam abeſſe poſſe. Et ſane Canonicorum inſtitutio eo tantum ſpectat, ut Dei laudes canant, & divinum cultum ſuſtentent; ita ut Decanus, qui primam Eccleſiæ Dignitatem occupat, cæterorum maxime teneatur Officio intereſſe, quippe qui omnium maxime exemplo eſſe debet.

Non poteſt igitur Matutini tempore Miſſam ut plurimum celebrare, aut per id tempus Confeſſiones audire, cum veri nominis neceſſitas nulla ſubeſt; Matutinæ enim Horæ in divino officio præcipuæ ſunt. Hinc ſequitur, eum tuta conſcientia non poſſe hujus horæ diſtributionem percipere, dum eidem non intereſt. Pragmatica Sanctio, quam in Gallia nos ſequimur, titulo *Quomodo quiſque debeat eſſe in Choro*, ſtatuit, ut qui acceſſerit ad Matutinas Horas poſt *Venite*, & ad alias poſt primum

Pſal-

Pſalmum, aut qui ante finem abſque neceſſitate receſſerit, *pro illa Hora cenſeatur abſens*; videlicet quemadmodum Guymerius explicat *ut careat diſtributionibus illius horæ, ad quam tarde venit, vel a qua præmature receſſit, tanquam ſi ſemper abſens ab ea fuiſſet*. Potiori jure Decanus in præſenti facti ſpecie diſtributione privandus eſt, quoniam ne Chorum quidem ingreditur, ut Matutinis Horis interſit. Mediolanenſe Concilium primum ſub S. Carolo celebratum *l. 4. de Min. n.* 11. ait, exceptis juris caſibus, oportere, ut Canonicus diſtributiones reſtituat, quas recepit ob Horas, quibus non adfuit, etiamſi ei a Capitulo traditæ fuerint; *ſi datæ fuerint, qui acceperit, ſuas non faciat, ſed eas reſtituat*.

Decanus hic, utpote confeſſiones audiendi, ordinariis præſertim diebus, nulla obligatione adſtrictus, & cum Miſſæ celebrationem in aliud tempus differre poſſit, nulla ſatis gravi ratione ducitur, ut ab Officio abſtineat, nec verſatur in ea facti ſpecie, quam indicat Pragmatica, mandans, ut Canonicus adſiſtat Officio, nec ab eo recedat, *niſi forte neceſſitate cogente*.

Juxta hæc principia alteri quæſtioni facile ſatisfit. Etenim ne illud ad trutinam revocetur, an in Capitulo T...... induci potuerit conſuetudo, ut quicumque Matutinis Horis adſtiterit, diſtributionis aliarum Horarum dimidium lucretur: Decanus, ut pro certo ponitur, abſens non poteſt tuta conſcientia diſtributionum aliarum Horarum dimidium percipere, quoniam ex hac ipſa conſuetudine iis tantum debentur, qui Matutinis Horis adſtiterint.

Deciſum Pariſiis hac die 13. Maii an. 1692.
G. Fromageau.

Canonicus Fundatoris Convictor ſuis diſtributionibus privandus eſt.

CASUS V.

1 *Canonici Convictores Fundatoris Eccleſiæ ſuæ manuales diſtributiones percipere non debent*.

2 *Cum aliquid occurrit difficultatis, ut eæ a groſſis fructibus diſtinguantur, conſulendus eſt a Capitulo Epiſcopus, ut de re judicet*.

QUÆSITUM.

Sorbonæ Doctores rogantur humillime, ut ſuper hac facti ſpecie dicant, quid ſentiant.

An. 1414. Dominus *de Cl.* fundavit, doctavitque ſuis bonis Capitulum Collegiatum, in quo ſunt Decanus, ſex Canonici, ſex Capellani perpetui, ſeu Semi-præbendæ, Officiales alii, & quatuor Choro inſervientes.

Fundator ſibi reſervavit nominationem ad Decanatum, ad ſex Præbendas, & ad ſex Semi-præbendas.

Sibi quoque jus reſervavit, unum, duoſve Canonicos ſibi convictores ſumendi, quibus groſſos quidem fructus, non autem manuales & quotidianas diſtributiones concedit.

Reſervavit & illud ſibi, ut intra annum poſſet fundationi addere, detrahere, mutare, corrigere, interpretari, declarare; quæ omnia conſtant ex hiſce verbis: *Quodque tam ipſe Decanus, quam ipſi Canonici in ipſa Eccleſia per ſex menſes cujuslibet anni ad minus reſidere, & infra annum a tempore receptionis ſe facere promovere ad Sacerdotium teneantur, alioquin nihil capere de groſſis fructibus valeant, & dum reſidentes fuerint, & divinis Officiis in ipſa Eccleſia interfuerint, ante finem primi Pſalmi cujuslibet Horæ, & ante primam collectam Miſſæ Chorum intrare, & abſque vagatione, niſi neceſſitate urgente, vel dum in Capitulo pro negotiis Eccleſiæ fuerint occupati, uſque ad primam Collectam incluſive, ibidem perſiſtere, ſilentiumque tenere, & dictam Eccleſiam officiare, & cum dictis Capellanis, & aliis Officiariis in Horis & Miſſis prout ſciverint, & potuerint, pſallere teneantur; alioquin quotidianas diſtributiones amittant, quas ſi contra præſentem Ordinationem capiant, exceptis illis, quos infirmitas ſeu juſta & rationabilis corporis aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſarit, ſacrilegi erunt, & non faciant eas ſuas, immo ad earum reſtitutionem tenebuntur. Et idem de anniverſariis cenſendum, ſalvo quod unus vel duo ipſorum, ſi forte in ſervitio Patroni ejus, videlicet familiares continui, vel Commenſales fuerint, quoad groſſos fructus pro reſidentibus habeantur*.

Statuimus inſuper, & ordinamus auctoritate prædicta, quod dictus Decanus de dictis fructibus & proventibus percipiat, per modum infra ſcriptum centum, & quilibet dictorum ſex Canonicorum quinquaginta libras dicti valoris, videlicet dictus Decanus pro groſſis fructibus viginti, & quilibet Canonicus pro iiſdem groſſis fructibus decem libras, & pro quotidianis diſtributionibus Decanus octoginta, & quilibet Canonicus ſupra dictis quadraginta libras; & per Capitulum in dicta Eccleſia inſtituatur ad tempus unus Marclarius de dictis Capellanis, aut aliis Miniſtris, qui ſingulis diebus, Horis & Miſſis intereſſentibus merellas diſtribuat.

Hæc ad præſens ſtatuimus, retenta nobis poteſtate infra annum addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, interpretandi, & declarandi ſecundum ea, quæ occurrerint, & quæ Eccleſiæ de perſonis ordinatis viderimus expedire; per ea vero juri Parochiali præjudicari non intendimus, ſeu cuilibet alieno. In aliis autem, quæ ex præmiſſis per nos ſtatutis, aut impoſterum ſtatuendis, non ſunt, vel erunt ad plenum diſpoſita, obſervetur conſuetudo Eccleſiæ N....

Inter Capitulum & Canonicum, qui nunc temporis Convictor eſt, in eo vertitur difficultas, quid ſcilicet hoc nomine ad ipſum pertineat, propterea quod Præbendæ, quæ fundationis tempore nonniſi quinquaginta libris conſtabant, conſtant in præſentia fere quingentis.

Ait Convictor, vi reſervatæ poteſtatis addendi, minuendi, mutandi, infra annum quoad dictam fundationem, mutatos fuiſſe articulos duos, nempe primum, qui ejuſmodi eſt, ut Commenſales groſſos tantum fructus percipiant, & ſecundum, qui mandat, ut merellæ in Eccleſia præſentibus diſtribuantur. Id probat ex conſuetudine dicti Capituli, in quo nunquam merellæ diſtributæ ſunt, & proventus per tabulas diſtribuuntur, abſque ulla groſſorum fructuum & diſtributionum quotidianarum diſtinctione, quod ita ſe habuit uſque ad annum 1664. Addit Convictores alios ad præſens uſque tempus Præbendarum ſuarum omnem proventum percepiſſe. Affert in confirmationem diſtributiones factas ab an. 1491. uſque ad 1660. & Capituli Conſtitutiones, quibus omnis proventus, quadraginta ſex ab hinc annis, Convictoribus conceſſus eſt, aitque Legem eam non ad ſe tantum, ſed ad univerſum Capitulum pertinere; ac proinde ſecum agendum eſſe perinde ac cum aliis Canonicis, qui Capituli negotiis addicti ſunt.

Convenit quidem Capitulum de jure Fundatoris, qui gaudet poſſeſſione ſumendi in Commenſales, cum ipſi libuerit, unum, duoſve Canonicos; ſed contendit, juxta Fundationem, & Bullam Bonifacii VIII. a Tridentina Synodo renovatam, & juxta placita Canoniſtarum omnium, qui quotidianas diſtributiones abſentibus largiendi libertatem adimunt Epiſcopis ipſis, Commenſalem eas ſibi arrogare non poſſe; additque nec Pontifices, nec Principes poſſe eaſdem tribuere. Nihilominus idem Capitulum Doctoribus ſe ultro ſubdit, eorumque judicium expectat, ut cognoſcat, quid tuta conſcientia poſſit Convictori concedere.

Convictor quoque eidem judicio ſe ſubjicit, præcedentibus ſuis rationibus addens auctoritatem Tridentinæ Synodi *ſeſſ. 21. c. 3. de Reform.*

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod ſupra allatam expoſitionem, necnon Joannis XXIII. Bullam pro erigenda in Collegiatam Eccleſia Parochiali Cl. Diœceſis N.... datam 2. Idus Novembris anno ſecundo Pontificatus, & Sententiam verbalem executionis ejuſdem Bullæ, Amarrici Epiſcopi V... ad quem directa eſt, die 23. Februarii an. 1411. vidit, exiſtimat Capitulum Cl. & quicumque hanc Eccleſiam Collegiatam conſtituunt, debere parere Legibus, & Regulis, quæ continentur in Sententia verbali, quæ in præſentia ſpectanda eſt tanquam

Titulus primordialis inſtitutionis hujus Eccleſiæ, quia Fundatoris Teſtamentum non aliunde innoteſcit Capitulo, quam ex verbalis ſententiæ verbis, ut Conſilio ſubſcripto ſignificatum eſt. Itaque Canonici Commenſales Domini *de Cl.* qui eſt Patronus Eccleſiæ, nec jure nec tuta conſcientia poſſunt plus accipere, quam vi Tituli datum eſt, nempe ſuarum Præbendarum groſſos fructus: *Salvo quod unus vel duo ipſorum, ſi forte in ſervitio Patroni, ejus videlicet familiares & continui commenſales fuerint, quoad groſſos fructus pro reſidentibus habeantur.* Et quoniam Prælatus hic Executor Apoſtolicus id diſertis verbis innuit, quod fundos groſſorum fructuum, & fundos diſtributionum quotidianarum debet efficere: in dubium revocari non poteſt ejus intentio, qua bonorum fundationi legatorum proventum omnem tribuit in fundos duos diverſi generis, groſſorum fructuum videlicet, & diſtributionum; præcipiens, ut diſtributionum fundus excedat quatuor partibus, quarum quinque conſtituunt groſſorum fructuum rationem omnem, quæ redigetur ad quintam partem bonorum omnium a Fundatore legatorum pro Fundatione. Ex quo illud liquido conſtat, vi hujus Tituli Commenſales Domini *de Cl.* qui Officiis minime interſunt, nihil habere juris ad quotidianarum diſtributionum perceptionem; Capitulo integrum non fuiſſe Reformationem edere ſuo primo Titulo, & Fundatoris voluntati contrariam; hujus diſciplinæ deſuetudinem Commenſalibus nihil juris afferre, quia ejus Tituli præſcriptioni nullus omnino locus eſt, præſertim cum Canonici Cl. in ejus, quem præ manibus habebant, ignoratione verſari non potuerint, præterquamquod ipſe Titulus juri communi conformis eſt. Quod autem propoſuerunt Commenſales, Epiſcopum V.... Executorem Bullæ in ſtatuto mutaſſe, quod ad eos pertinet: non cenſetur huic præſumptioni locum eſſe, vel ejus vi id retineri poſſe, quod liquet per Titulum non concedi, & in quo certum eſt eumdem Præſulem id in animo non habuiſſe, ut quod juris regulis ſancitum videbat, inverteret. Cæterum ſi præſumptione utendum eſt, vero ſimilius fit Regulæ & diſciplinæ Epiſcopum adhæſiſſe, & praxim contrariam irrepſiſſe ex ea facilitate, qua probari ſolet id, quod temporalibus negotiis favet, & ad relaxationem ducit. Neque vero Conſilio ſubſcripto facile fuerit definire ſummam quotidianarum diſtributionum, quæ verbali ſententia Bullæ executoria ſtatutæ ſunt; ſed cum quatuor partes, quarum quinque proventum omnem bonorum a Fundatore legatorum conſtituunt, efficere debeant diſtributionum fundos; vi Tituli neceſſe eſſet, ut habito diſcrimine bonorum aliorum, quæ Eccleſiæ poſt fundationem donata ſunt, aut a Capitulo Cl. acquiſita, quatuor partes pro diſtributionibus ſumerentur, juxta Tridentini Concilii Regulam a Cardinalium Congregatione explicatam, ſcilicet ut proventuum ex bonis a Fundatore legatis provenientium partes quatuor conficerent trientem omnium redditum Capituli. Putandum eſſet hos fundos ad diſtributiones ſatis eſſe, & quod ſupereſt bonorum, nempe partem quintam cum iis, quæ ex eo tempore a Capitulo acquiſita ſunt, aut eidem Capitulo Fidelium pietate acceſſerunt, groſſorum fructuum fundum eſſe: ita tamen, ut ſi ex bonis, quæ poſt fundationem Capitulo provenerunt, aliqua ſunt diſtribuenda propter aſſiſtentiam peculiaribus aliquibus Officiis præſtitam, accurate ſatisfiat; & quod reliquum eſt, tribuatur Commenſalibus, & groſſos fructus conſtituat, quin ulla ipſis diſtributionum pars tribuatur. At ſi Capitulum recte atque ordine agere vult, & ſe Tridentinæ Synodo conformare, debet Epiſcopum conſulere, qui de hac peculiari facti ſpecie ſtatuat juxta Concilii Regulam c. 3. de reform. ſeſſ. 21. & c. 3. ſeſſ. 22. habita ſemper ratione, quoad fieri poterit, Reformationis inſtitutæ in ſententia verbali executionis Bullæ edita ab Am. Epiſcopo V.... ad Teſtatoris bona quod attinet.

Deciſum in Sorbona die 30. Auguſti an. 1685.

Aug. *de Lamet.*

DOCTRINARII.

DOctrinarii, qui etiam dicuntur Chriſtianæ Doctrinæ Patres, conſtituunt in Gallia Congregationem, quæ Fundatorem habuit Cæſarem *de Bus* filium Viri nobilis, origine Comenſis in Mediolanenſi Ducatu, & Matronæ Provincialis. Cabellione natus eſt Cæſar die 3. Februarii an. 1544. Clericalem ſtatum amplexus, aſperam, & quæ pœnitentem deceret, vitæ rationem duxit; & vix creatus Presbyter, audiendis confeſſionibus, enucleandiſque Chriſtianæ Religionis dogmatibus ſe totum dedidit; & quo ſui zeli ſucceſſores haberet, Sacerdotum ſæcularium Congregationem inſtituit, in id potiſſimum incumbentem, ut cum methodo, multis, iiſdemque variis rationibus, pro alia Populorum indole Chriſtianam doctrinam traderet. Clemens VIII. Pontifex Maximus, ad quem Cæſar approbationis obtinendæ gratia ſcripſerat, negotium demandavit Tauruſio Archiepiſcopo Avenionenſi, qui ei ſua in Urbe conceſſit Eccleſiam Sanctæ Praxedis, ut ibidem Inſtitutionem hanc inchoaret. Tauruſius deinde creatus Cardinalis hujus novæ Congregationis approbationem obtinuit a Sancta Sede an. 1598. Ea porro ex Ædibus Sanctæ Praxedis ad Templum S. Joannis Senioris translata eſt. Cæſare fato functo Avenione die 15. Aprilis, qui Paſchatis dies fuit, an. 1607. Paulus V. an. 1616. conjunxit Doctrinæ Chriſtianæ Congregationem cum Somaſcha in Italia. Sed Innocentius X. an. 1647. ex ea peculiarem Ordinem fecit ſub Generali Gallo. Quæ in ea eduntur vota, non ſunt ſolemnia; id quod ſequentem caſum proponendi occaſionem præbuit.

CASUS.

1 *Doctrinæ Chriſtianæ Pater non poteſt ſuum ſtatum deſerere, non obtenta Diſpenſatione.*

2 *Non potuit Parochiam adminiſtrandam ſuſcipere, utpote ex eo tempore ſuſpenſus.*

3 *Si abſque ea Parochia ſubſiſtere nequeat, ad Romanam Sedem confugiat neceſſe eſt, ut liberetur ab irregularitate, in quam incidit, obiens Eccleſiaſticas functiones, cum ſuſpenſus eſſet.*

QUÆSITUM.

TItius, cum ante annos prope triginta apud Chriſtianæ Doctrinæ Patres ſua vota ediſſet, & per id omne tempus hilari tranquilloque animo cum iiſdem verſatus eſſet, receſſit nec petita, nec obtenta diſpenſatione. In hoc ſtatu patrimonialem titulum ſibi conſtituit, ut ad ſacros Ordines promoveretur; ac demum nominatus eſt ad Parochiam, cui adhuc deſervit, quin unquam ſtatum ſuum regularem, aut quicquam eorum, de quibus ſupra, declaraverit. Denique plurium ab exitu annorum ſpatio nonnullis conſcientiæ ſtimulis agitatus gravem Virum adhibuit, cui nihil negari poterat, quique a Chriſtianæ Doctrinæ Generali diſpenſationem obtinuit his verbis expreſſam:

„ Jacobus N. Generalis &c. Viſa ſupplicatione
„ nobis & Definitorio noſtro exhibita a Patre N.
„ Profeſſo noſtræ dictæ Congregationis, quod vi-
„ delicet expenſis ejus ægritudinibus ſubſecutis ipſius
„ egreſſum e noſtra dicta Congregatione, ut ſuo
„ fratri deinde defuncto opitularetur, & aliis ratio-
„ nibus ibidem contentis: viſo pariter titulo patri-
„ moniali, cujus gratia dictus Pater ad Sacros Or-
„ dines promotus eſt, qui titulus apud nos remanſit:
„ nobis placuit cum eo diſpenſare in votis &
„ jurejurando in noſtra dicta Congregatione perpe-

tuo

„ tuo vivendi. Nos de conſilio & conſenſu noſtri „ dicti Definitorii per has præſentes noſtra manu „ notatas, firmataſque a noſtro Secretario Genera- „ li noſtræ Congregationis, & obſignatas Officii „ noſtri ſigillo diſpenſavimus, ut diſpenſamus cum „ dicto Patre N. in dictis votis & jurejurando per- „ petuæ ſtabilitatis. Turoni in noſtro Definito- „ rio, habito in.... die.... &c.

In hac Dimiſſione, aut Diſpenſatione, Titius, qui vult ex animo ſuam conſcientiam in tuto ponere, rogat, obteſtaturque Sorbonæ Doctores, ut dicant ſententiam ſuam ſuper hac facti ſpecie:

I. An ille cum e Chriſtianæ Doctrinæ Congregatione primum egreſſus eſt, Apoſtata, vel Excommunicatus evaſerit?

II. An hujus Diſpenſationis vi, quin illud expendatur, quomodo conceſſa fuerit, haud opus habeat Titius Romam pergere, a ſua Sanctitate Breve impetraturus, aut ad priſtinum Regularem ſtatum redire?

III. An e converſo per hanc Diſpenſationem valide in ſæculari ſtatu poſitus ſit, ita ut poſſit ſuam Curam tenere, eam permutare, aliaſve ſuſcipere?

IV. An ut tutius ſe gerat, debeat Parochiæ ſuæ novas proviſiones a Romana Curia obtinere, an vero ea ſe abdicare in manu Patroni, vel Collatoris, idque vel cum magno ſuo incommodo.

V. Ad extremum an debeat obtinere a Pontifice abſolutionem a cenſuris & excommunicationibus omnibus, quas potuerit incurrere, ſi caſus hic reſervatus cenſeretur, ſecus ſatiſne ſit eum ad Ordinarium confugere? Rogantur Doctores, ut ei, qui ſuas difficultates expoſuit, rationem præſcribant, qua ſe in hoc negotio gerere debeat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod vidit & expendit expoſitionem & quæſtiones in ea contentas, exiſtimat propterea quod Congregatio Patrum Doctrinæ Chriſtianæ videtur eſſe ſtatus Regularis,

Quoad interrogationem primam, Titium Apoſtatam evaſiſſe, & quod inde conſequitur, excommunicatum, quia regularem habitum Patrum Doctrinæ Chriſtianæ ſine diſpenſatione depoſuit, eo animo, ut ſe ſuorum Superiorum obedientiæ omnino ſubduceret. Et ſane ille poſt annos plures extra dictam Congregationem exiſtit. Eum quidem excommunicatum eſſe conſtat ex capitis (a) *Ut periculoſa* expreſſis hiſce verbis: *Diſtrictius inhibemus, ne quis temere habitum ſuæ Religionis dimittat: ſi quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto*. Titius quoque ſuſpenſus eſt juxta verba Congregationis titulo de Deſertoribus, quæ ſunt ejuſmodi: (b) *Declaramus autem Deſertorem, ſive quemlibet poſt emiſſa vota a Congregatione ſine diſpenſatione recedentem, ſeu Obedientiæ Superiorum ſe ſubtrahentem, etiam non dimiſſo habitu, præter ſuſpenſionis pœnam ab ipſo ſummo Pontifice inflictam, hoc ipſo & abſque ulla declaratione ab omni jure vocis activæ & paſſivæ excidere*.

Congregationem Patrum Doctrinæ Chriſtianæ ſtatum regularem eſſe eorum Conſtitutiones pro certo ponunt, quoniam adjuncta habet vota, ſimplicia ea quidem, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, & quartum votum, ſeu jurejurandum perpetuæ ſtabilitatis, ut declaratur in primo capite. Adeſt in eadem Congregatione Probationis annus, ac deinde Profeſſio, ut conſtat ex earumdem Conſtitutionum cap. 17. adeſt Generalis, qui cogit identidem generale Capitulum Superiorum Provincialium, & Localium, ad quos pertinet adminiſtratio cum Sanctæ Sedis approbatione: *Totum noſtræ Congregationis regimen ex præſcripto S. D. N. Innocentii X. & Alexandri VII. reſpective & gradatim pertinet ad R. Patrem generalem, Capitulum generale, Provinciales & Superiores Locales*. Hæc ſunt verba cap. 2. Adſunt denique Conventualia Diſcretorum Capitula; adeſt clauſura, quo ſi inducantur fœminæ, incurritur excommunicatio. Nihilominus Doctrinæ Chriſtianæ Patres ſe regulares non eſſe contendunt.

Ad interrogationem ſecundam, ex capp. 1. & 3. licet intelligi Definitorium generale cum Titio in votis editis legitime diſpenſare potuiſſe: *Quæ vota conjunctim vel diviſim a nullo alio niſi a ſummo Pontifice, cum Capitulo vel Definitorio generali ejuſdem Congregationis diſpenſari, vel commutari poſſunt ex declaratione Clementis X.* Hujus diſpenſationis beneficio Titius ſæculari ſtatui reſtitutus eſt, ac proinde incundæ deinde Parochiæ capax evaſit. Sed antequam Definitorii generalis Diſpenſationem obtineret, valide Parochus creari non potuit abſque ſui Superioris veniam, quoniam Congregationi addictus, ei quoque per obedientiæ votum ſemper ſubjectus erat, ita ut abſque Pontificis Diſpenſatione animarum curam ſuſcipere ac retinere non poſſet. Tandem idem Titius ſuſpenſionem incurrit, ſine venia Congregationem ſuam deſerens, ut probatum eſt; & quod inde ſit conſequens, adminiſtrandæ Parochiæ ineptus fuit. Neque eam valide retinere non potuit ex Jure Canonico, quandoquidem ante Diſpenſationem Chriſtianæ Doctrinæ Pater, ſuiſque Superioribus ſubjectus adhuc habebatur. Neque vero triennali poſſeſſione uti poteſt, quia nullo colorato titulo gaudet; qua de cauſa eam Parochiam nec retinere poteſt, nec permutare.

Ad interrogationem tertiam quod attinet, ei per ea, quæ dicta ſunt, ſatisfactum eſt.

Ad quartam: Si Titio dicta Parochia opus eſt, ut habeat, unde ſubſiſtat: poteſt, cum ad Romanam Datariam mittet, ut debet, quo liberetur ab irregularitate, in quam incidit, quia, ſuſpenſus cum eſſet, Eccleſiaſticas functiones obiit, poteſt, inquam, hac occaſione petere a Pontifice ſuſpenſionis abſolutionem, novaſque proviſiones Parochiæ, de qua quæritur, poſtquam ea ſe abdicaverit, ac denique ſummum Pontificem obſecrare, ut, quos percepit, fructus ſibi remittat.

Deciſum in Sorbona hac die 22. Novembris anno 1697.

G. Fromageau.

DOMESTICI.

D. Paulus paucis præſcribit Domeſticorum obligationes, cum ita loquitur in ſua ad Titum Epiſtola: (c) *admone illos* (nempe ſubjectos) *Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe, neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*: & in Epiſtola (d) ad Epheſios: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes, quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber*. Debet igitur Domeſticus in ſuis muneribus obeundis ſupremi Domini gloriam potius, quam mortalis Domini ſervitium pro fine & ratione ſibi proponere.

(a) Cap. Ut periculoſa ne Cler. vel Monach. in 6.
(b) Lib. 1. cap. 29. tit. de Deſertorib.
(c) Epiſt. ad Tit. cap. 3. v. 9.
(d) Epheſ. c. 6. v. 5. & ſeq.

Cubicularia Matronæ haud prudenter ſeſe gerentis.

CASUS

Cubicularia, quæ ſcit Dominam ſuam inordinate vivere, non poteſt tuta conſcientia ullum eidem ſervitium exhibere, ad ejus pravum commercium quod attinet; debet eam quoque deſerere, & alibi officium quærere.

QUÆSITUM.

QUæ addicta eſt ſervitio Matronæ, quam palam novit inordinate, ac licenter vivere, teneturne in foro conſcientiæ ab eadem recedere?

Negant nonnulli, & nituntur Canone Concilii tertii Gangrenſis.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui Expoſitionem allatam viderunt, exiſtimant, Adoleſcentulam deſervientem Matronæ, quam probe novit præpoſteram vitam ducere, debere in foro conſcientiæ ab ea ſe ſubducere, quippe quæ ſemper in proxima peccandi occaſione verſabitur, quandiu apud eam Matronam manebit, quæ ipſam cogit, prout ex conſulente certum ſit, ei ſervitium præſtare, qui mali cauſa eſt, dum eamdem domum ingreditur. Quoniam porro nemo poteſt tuta conſcientia directe vel indirecte rei malæ cooperari: certum proinde eſt eam puellam peccare graviſſime, dum quæſtus, aut gratificationis, aut metus cauſa hac in domo ei ſervitium exhibet, qui non niſi peccaturus accedit. Neque vero illa ſe ſatis purgat, inquiens, ſibi Dominæ ſuæ licentiam magnopere diſplicere; deſiderium quippe, quod teſtatur, ejus ſalutis admodum leve eſſe vel ex eo ſatis apparet, quod ei ſervire, ejuſque pravis cupiditatibus explendis obſecundare non ceſſat. Illa ita ſe gerens in eamdamnationem incidit, quæ Epiſtolæ ad Romanos capite primo pronunciatur in hæc verba: *Qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Sed clarius adhuc patebit, quam graviter delinquat Adoleſcentula, ſi ejus quoad Virum obligationes ſpectentur; neque enim illa adeo ſe Dominæ addixit, dum ejus ſervitio ſeſe dedidit, ut ne potiori ratione ſit obſtricta Viro, qui fœminæ caput eſt, juxta ſacrarum litterarum doctrinam. Ex quo quidem conſequens ſit, eam teneri juſtitiæ titulo in domo directe vel indirecte nihil agere, quod Viro nocere poſſit; & Dominæ juſſa ipſam coram Deo non excuſant.

Præſto eſt tertia ratio ducta ex Adoleſcentulæ ipſius parte; nempe difficillimum factu eſſe, ut Dominæ licentia, quam illa ſemper ob oculos habet, non magnopere ejus animum turbet, non magnam ingerat peccandi pruriginem, non ejus virtutem enervet, & non eam ipſam in peccandi periculo conſtituat. Timere debet, ne ipſa præſumptione ſua in abyſſum incidat juxta illud Scripturæ Oraculum Eccleſ. cap. 3. *Cor durum habebit male in noviſſimo, & qui amat periculum, in eo peribit.*

Addunt etiam ſubſcripti rationem quartam, videlicet ſi contingat eam licentiam in Familiarium, ac vulgi notitiam venire, Adoleſcentulam hanc in propriæ famæ diſcrimen adduci, quia facile creditu eſt, puellam Extraneo præſtantem ſervitia, quæ non niſi Viro præſtare debet, cum duobus ſimul peccantibus conſpirare. Et quoniam fama tanti eſt, ut poſt bonam conſcientiam nihil eamdem exæquare poſſit, jubemurque ejus curam habere, abſque peccato eamdem proſtituere non poſſumus: *Curam habe de bono nomine*, (inquit Eccleſiaſticus cap. 41.) *hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum.* Et D. Auguſtinus in teſtimonio, quod ex Sermone 52. *ad Fratres in Eremo* depromptum refertur *in Decret.* 12. *q.* 1. *c. Nolo*, tradit neceſſitatem, quæ nos urget ſervandi boni nominis, adeoque crudelitatis eum arguit, qui de fama cuſtodienda non cogitat, quia nititur propria conſcientia, quæ ei nihil eorum exprobrat, de quibus accuſatur: *Tenete, quod dixi, atque diſtinguite, duæ res conſcientia, & fama. Conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam, crudelis eſt.* His omnibus rationibus permoventur Doctores ſubſcripti ad ſtatuendum, Adoleſcentulam teneri in conſcientiæ foro a Matrona, cui famulatur, recedere; quoniam ei nulla ſuppetit alia ratio deſerendi proximam peccati occaſionem, niſi eam ab hujuſmodi periculo liberet ipſius Matronæ reſipiſcentia.

Nihil porro ex Gangrenſis Concilii Canone deduci poteſt, quod contrarium evineat, quamquam eumdem uſurpari lubet in eorum ſententiæ confirmationem, qui Adoleſcentulam cum Matrona, de qua quæritur, verſari poſſe contendunt, licet ejus licentiam optime noverit. Qui Canonem legerit, & Concilii mentem cognoverit, ſatis intelliget eumdem Canonem huic ſententiæ minime patrocinari. Canonis verba ſunt hæc: *ſi quis docet ſervum pietatis prætextu Dominum contemnere, & a miniſterio recedere, & non cum benevolentia & omni honore Domino ſuo inſervire, ſit anathema.* Hanc Regulam inſtituit Synodus occaſione Hæreſiarchæ, qui garriebat communi vitæ ratione ſalutem obtineri non poſſe, oportere uxores a viris & contra recedere, & Captivos a propriis Dominis ſe ſubducere procurandæ ſalutis cauſa, ſumpta quoque peculiari veſte. Id in cauſa fuit, ut Synodus hunc Canonem ederet de Captivis, ad hanc hæreſim quod ſpectat; quod nihil habet affinitatis cum re, de qua agitur in præſentia, ſiquidem non agitur, an captivus ſolitariæ vitæ ſpecie ſuum Dominum deſerere poſſit, id quod indicant verba illa, *pietatis prætextu*. Spectatis eorum temporum monumentis, quæ ex Epiſtola ab hujus Synodi Patribus ad Armeniæ Epiſcopos data innoteſcunt: contendere nemo poteſt, captivum ipſum debere ſui Domini juſſa facere, ſi quid præcipiat, quod Divinæ Legi repugnet; quandoquidem tenetur ille potius ei reluctari, & quidvis pati, quam pravæ ejus voluntati parere. Quod ſi ita de captivo ſentiendum: quid porro ſtatuendum erit de Adoleſcentula, quæ libera eſt, & quæ in loco ſuæ ſaluti periculoſo perſiſtens, peccati occaſioni ſe ſemper obnoxiam videt? Nimirum obligatio recedendi ab iis occaſionibus, quæ ſunt inſeparabiles a peccato, indiſcriminatim omnes omnino afficit.

Auguſt. *de Lamet.*

DOMICILIUM.

DOmicilii nomine venit locus, in quo quis fere commoratur. Quare, ut docet Fagnanus, (*a*) Eccleſiæ alicujus Parochianum efficit ſola habitatio, dummodo habitationis cauſa non fuerit relaxatio, valetudo, aut aliquod temporale negotium non ita diuturnum, animo quamprimum domum redeundi; ita ut abſolute neceſſarium ſit ad matrimonii validitatem, ut qui illud contrahit, bona fide Parochianus ſit. Quamobrem ſi Parochiam ſuam legitimam & ordinariam deſereret, & in aliam ſe conferret, ea mente, ut proprii ſui Parochi auctoritati ſeſe ſubduceret, dubio procul ejus matrimonium, nullum eſſet defectu præſentiæ proprii Parochi, quippe cum ejus, qui matrimonio adſiſteret, vere Parochianus non eſſet. In Gallia Conſtitutio diei 2. Martii an. 1697. Domicilii tempus definit ſex menſium ſpatio quoad eos, qui in alia Parochia ejuſdem Diœceſis antea degebant, & anni

(*a*) Proſper Faguan. in cap. Significavit 5. de Parochis & alienis Parochianis, n. 18. 20. 31. & 33.

ni ſpatio quoad eos, qui in alia Diœceſi ſuum domicilium habebant, eodemque tempore dijudicat, cujuſmodi eſſe debeat Minorum domicilium.

Domicilii tempus ad matrimonium contrahendum neceſſarium.

CASUS

1 *Puella non cenſetur aliud, quam Matris, domicilium habere.*

2 *Domicilii locus is eſt, in quo quis commoratur, in animo non habens ad prius domicilium reverti, & in quo jam aliquot menſium ſpatio permanſit.*

3 *Explicatur Declaratio Regis an. 1697. domicilii annum requirens, cum Diœceſis mutata eſt, antequam matrimonium contrahi poſſit.*

QUÆSITUM.

Titia vidua Pariſios ſe confert manſura cum filia, ex Provincia magnopere diſſita. Moratur initio ſtatim in abſentis amici domo; deinde vero in Diverſorio, ſed in eadem ſemper Parochia. Puellam ſibi conjugem poſtulat vir generis nobilitate valde præſtantior. Cum partes de articulis conveniſſent, initur Contractus, quo mater dicitur Pariſiis commorans, & bona, quæ in Provincia poſſidet, vendi aſſentitur, penſione ſibi tantummodo reſervata. Contractum obſignat Aulæ Supremæ Decanus, avunculus Adoleſcentulæ. Nullus Puellæ Tutor eſt, quia ejus mater defuncti Viri Legataria generalis eſt, & librarum duo millia tantum ei tradere tenetur ex Teſtamento. Denique publicatione ſemel peracta, & aliarum duarum obtenta diſpenſatione, Matrimonium in ea Parochia celebratur, in qua Mater & filia menſibus octo, die una minus, ex quo Pariſiis erant, ſemper verſatæ fuerant.

Sponſa, & Mater ſe conferunt Sponſi domum, ibique manent duobus menſibus, quibus tranſactis Sponſa recedit a Sponſo, oblata una cum matre Officiali Supplicatione, ut matrimonium nullum declaretur; proponit nullitatis complura capita, quæ nullius quidem momenti ſunt; ſed id unum difficultatem parit, quod ait, ſe non a proprio Parocho matrimonio junctam eſſe, propterea quia per octo tantum menſes Pariſiis morata fuerit, neceſſarius autem ſit annus, ut acquiratur domicilium, ejuſque mater domicilium ſuum ſemper in Provincia retinuerit; confirmatque proprii Parochi atteſtatione, illam ſua in Urbe domicilium ſervaſſe, ibique famulam reliquiſſe, ubi tamen nulla publicatio peracta fuit.

Quæritur, an Mater, quæ ſuæ filiæ Tutrix & Dotatrix eſt, quæ probare nequit ſe ullius negotii cauſa Pariſios veniſſe, quæ omnino non venit *ad effectus matrimonii*, cum eum, cui filia nupſit, nonniſi poſt ſeptimum manſionis menſem cognoverit, quæ in Contractu ſe Pariſiis habitare profitetur, quæ ſuo domicilio renunciat, bona, quæ in Provincia poſſidet, vendi conſentiens, quæ hac in Urbe poſt filiæ nuptias trimeſtri ſpatio commoratur, & ibidem etiamnum reſidet: quæritur, inquam, an ejuſmodi mater acquiſierit domicilium ſufficiens, ut filiam nuptui dare poſſet, omnibus Principum Declarationibus, quæ Patribus & Matribus, Tutoribus, & Curatoribus proſpiciunt, in hac facti ſpecie nullum locum habentibus, immo vero eidem ſpeciei faventibus; quoniam Declaratio Ludovici XIV. an. 1697. non aliud filiisfamilias quam patrum & matrum, tutorum & curatorum domicilium aſſignat? An quod mater hac in Urbe per annum morata non fuerit, nullum declarari matrimonium poſſit? An vero eadem mater domicilium in Provincia ſervare potuerit, in domibus tantum penſione conductis commorata? An ex Contractus clauſula, cæteriſque ſupra notatis non ſatis probetur bona fides ejus domicilii, quamvis ea non conveniat, utpote litis pars? Animadvertendum eſt Maritum impotentia laborare; ſed quæ matrimonii abrogationem petunt, eam ob hanc cauſam petere non audere.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Matrimonium, de quo in expoſitione dictum eſt, validum eſſe; ſi enim filia non aliud, quam matris, domicilium habere cenſetur, & mater alioquin cenſetur habere domicilium ſuum in loco & Parochia, ubi ejus filia in matrimonium data eſt; conſequens fit, Parochum, qui matrimonium, de quo agitur, celebravit, matris, & quod inde conſequitur, filiæ proprium Parochum habendum eſſe; ita ut ex hoc capite objici nequeat matrimonium, de quo quæritur, nullum eſſe, quod proprii Puellæ Parochi præſentia defuerit.

Porro ex expoſitione, & facti circumſtantiis apparet, Matrem, quæ ex remota Provincia Pariſios venit, ibique per octo menſes morata eſt, & in eadem quidem Parochia, ibidem ſatis longo tempore verſatam eſſe, ut in dicta Parochia veri nominis domicilium acquiſiviſſe præſumatur.

Et ſane nihil evincit hanc Matrem Pariſios ſe contuliſſe, ob aliquod peculiare negotium, quod ſignificare poſſet ipſam ad Provinciam ſuam quamprimum redituram eſſe, aut ibidem ſuum adhuc domicilium ſervare; immo in filiæ matrimonii Contractu abſolutis & generalibus verbis Lutetiæ Pariſiorum commorari dicitur. Atque ut magis magiſque credatur illud ei conſilium non fuiſſe, ut ſuum conſuetum domicilium in Provincia collocaret, ipſa in eodem Contractu aſſentitur bona, quæ ibidem poſſidet, vendi; quod ſi quam domicilii ſpeciem ibi retinere videtur, dici poteſt id eo tantum ſpectare, ut eo aliquando ſe conferat, ſive ad bona, quæ in Provincia ſibi reliqua fuerint, procuranda, eorumque redditus colligendos, ſive quoad ejus univerſa bona vendita fuerint.

Addi ad extremum poteſt, Matrem Pariſiis per majorem anni partem commoratam, cenſeri domicilium ſufficiens ibidem acquiſiviſſe, quin neceſſe ſit eam ibidem commorandi formale conſilium habuiſſe.

Fruſtra autem objicitur Regis Declaratio an. 1697. ſtatuens, ut qui in aliena Provincia & Diœceſi matrimonium inire volunt, ibidem per annum domicilium ſuum collocaverint; neque enim hic agitur de matrimonio matris, ſed filiæ, cujus domicilium pro materni domicilii ratione ſtatuendum eſt. Ex quo inferri poteſt dictam Declarationem non videri ad præſentem facti ſpeciem ſpectare; etiamſi in eadem Declaratione Principis mens ea fuiſſet, ut Matrimonia ſecus contracta nulla eſſent non modo quoad effectus civiles, verum etiam, quod minime præſumitur, re ipſa, & quoad ſubſtantiam.

Deciſum Pariſiis hac die 18. Maii an. 1701.

G. Fromageau.

DOMINI.

Quam Domini ſuorum Domeſticorum curam gerere debent, eam ſæpe Patres Eccleſiæ cum ea comparant ſollicitudine, quam Epiſcopi Diœceſanorum ſuorum inire debent. Fratres chariſſimi, inquit S. Auguſtinus, (*a*) in hac magna apud Chriſtianos morum diverſitate, & in extrema corruptione, in qua nunc temporis mundus eſt, in id incumbite, ut familias veſtras recte ac

ſan-

(*a*) S. Auguſtinus in Pſalm. 5. in fine.

ſancte moderemini. Si noſtrum eſt vos alloqui, & docere in Eccleſia: veſtrum eſt pariter domos veſtras ea prudentia adminiſtrare, ut eorum, qui vobis ſubjecti ſunt, rationem reddere parati ſitis. Quamobrem aſſerere poſſumus, Dominos, ut officium ſuum fideliter impleant, id curare debere, ut inſtruant vel ipſi per ſe, vel per alios, corrigant, & ad Chriſtianarum virtutum praxim exemplo ſuo pertrahant ſuos omnes domeſticos, quicumque ſint, ea prorſus ratione, qua patres & matres tenentur ſuis propriis filiis invigilare. Hortamini, ait alibi idem Sanctus Pater, imperate, & quantum in vobis eſt, (*a*) iis perſuadete, ut evitent ſuperbiam, detractionem, ebrietatem, fornicationem, & impudicitiæ genus omne, indignationem, perjuria, denique cupiditatem, quæ omnium malorum radix eſt.

Magnus ille Sanctus Carolus (*b*) has omnes obligationes paucis complexus eſt, cum inquit Dominum de ſuorum domeſticorum ſalute imprimis ſollicitum eſſe debere, eos inſtruere debere frequentibus hortationibus, & bonis exemplis, iiſque in veræ pietatis praxi facem præferre; eumdem videre debere, ne quis in familia ignoret prima Chriſtianæ Religionis principia, & efficere, ut qui non ſatis inſtructi ſunt, Catechiſmis interſint. Neceſſe eſt, ut Paterfamilias in aliquem certum locum ſuos omnes domeſticos congreget, ſtatim atque ære campano indicta eſt communis oratio, ad preces per aliquod certum tempus Deo offerendas. Curare debere, ut qui ſibi ſubjecti ſunt, ad pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta frequenter accedant; audiantque quotidie Sanctam Miſſam, ſaltem in Quadrageſima, aliiſque per annum jejunii diebus, & nemo unus Dominicis Feſtiſque diebus eamdem omittat; interſit omnis familia ſermonibus, ſanctiſque lectionibus, Proceſſionibus, officiis divinis, aliiſque pietatis exercitiis; ac nemo ſervilia opera his ſanctis diebus exerceat; qui ætatem præſcriptam habent, jejunio vacent. Nec vero ſinere debere Dominum, ut inter domeſticos quiſquam ſit blaſphemator, perjurus, depravatis moribus, ludo deſerviens, & qui cæteris pravæ vitæ exemplum exhibeat.

Præterea tenentur Domini fideliter & ſtato tempore ſtipendia, ſeu mercedes, de quibus convenere, domeſticis ſolvere, ut declaratur in ſacris litteris: (*c*) ne differas in craſtinum eorum mercedem, qui tibi laboraverint. Tobias quoque hanc ſollicitudinem commendat filio in præceptis, quæ eidem inſinuat: fac ſatis quamprimum, inquit hic ſanctus vir, iis omnibus, qui tibi operam dederint, nec tuorum ſervorum merces in tuo ſcrinio vel temporis momento remaneat. Divus etiam Paulus ait: Domini, reddite ſervis veſtris id, quod æquitas & juſtitia a vobis requirunt, ſcientes vobis non minus quam illis dominum in cœlis eſſe. Secum animo reputantes Domini, nobis omnibus eſſe communem Dominum, & ſupremum Judicem, qui nullam perſonarum rationem habebit, eo facile adigentur, ut humaniter ſuos ſervos excipiant, ne dum temere ac ſine modo lædant, ac verberent; quoniam quamlibet abjecta conditione ſint, ſunt eorum fratres in Chriſto Domino, ſunt ejuſdem capitis membra, & ad eamdem contendunt mercedem, quam eorum Domini cupiunt in cœlo conſequi.

Id etiam poſtulat a Dominis charitas, ut ægrotantium, infirmorumque ſervorum curam gerant, iis temporalia ſubſidia, quæ neceſſaria ſunt, deeſſe non ſinant, ſed imprimis omnia, quibus indiguerint, præſidia comparent. Ita potiſſimum id perficient, quod ſuadet Apoſtolus ad Epheſios ſubſcribens: (*d*) *Et vos, Domini, eadem facite illis* (ſervis, quos ſupra monuerat) *remittentes minas: ſcientes, quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis; & perſonarum acceptio non eſt apud eum.*

Vide (DOMESTICUS.

CASUS I.

Dominus debet ſervum dimittere, qui cum alio, quicum odium inveteratum exercet, in gratiam redire non vult; præſertim ſi ſervus hic ad eam inimicitiam retinendam fovendamque Domini auctoritate abutatur.

QUÆSITUM.

Domino ſervus eſt exardeſcens antiquo odio adverſus alium ejuſdem Domini ſervum, & omnino renuens ei reconciliari, licet etiam atque etiam, ut id faciat, moneatur. Quæritur, an hic Dominus eum ſervum domo expellere teneatur, eoque magis, quod veroſimile ſit eum Domini auctoritate fretum ab odio deſiſtere nolle, quod ſibi perſuadeat fore, ut ille ſibi inſultare, nec dictis aut factis injuriam inſerre audeat, donec ipſe eidem Domino fuerit a famulatu. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut quæ Dominorum obligationes ſint, edoceant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Domini obligationem in propoſita facti ſpecie eam eſſe, ut ſervum ſuum omnibus charitatis & admonitionum rationibus ad ſe inimico ſuo conciliandum pertrahat; ac ſi ſervus abutitur miniſterio, quod exhibet Domino, quaque apud eum pollet gratia, ne concilietur, oportere, ut ipſum dimittat, quia ipſum retinens ei anſam præberet in peccato perſiſtendi.

Deciſum in Sorbona hac die ....
G. *Fromageau.*

DOS SANCTIMONIALIUM.

Etſi dotis nomen generatim ea bona paſſim ſignificet, quæ fæmina, dum nubit, affert, quibuſque vir frui debet: hoc loco ſumitur pro pecunia, quam Virgo dat, ut inter Sanctimoniales in aliquo Monaſterio cooptetur, quæque in ejus nutritione, ac ſuſtentatione eſt collocanda. Qua in re adeſt ſimonia, ſi ea exigatur, & aliunde Monaſterium fundatum ſit, ſatiſque proventuum habeat; ſiquidem exigitur res temporalis pro alia, quæ cum ſpirituali conjuncta eſt, juxta ſimoniæ definitionem, quam tradit D. Thomas, dum eam dicit eſſe determinatam voluntatem emendi aut vendendi rem ſpiritualem, vel cum ſpirituali conjunctam. Dixi, cum Monaſterium fundatum eſt, videlicet cum habet, unde conficiat, quod ad earum, quæ recipi poſtulant, ſuſtentationem eſt neceſſarium.

Nihil apertius traditur in Conciliis, Pontificumque Decretis. Lateranenſe Concilium ſub Innocentio

(*a*) Idem de ſalutaribus documentis lib. unico tom. 4.
(*b*) S. Carol. In Concil. Mediol. III. Tit. de his, quæ ad Sacram. Matrim. pertinent.
(*c*) Levitic. cap. 19. v. 13. Tob. cap. 4. v. 15. Ad Coloſſ. cap. 4. v. 2.
(*d*) Epheſ. cap. 6. v. 9.

tio III. an. 1215. celebratum, poſt quam deploravit cæcitatem, qua Sanctimonialium pleræque tenentur, quæ certæ pecuniæ ſolutione Moniales excipiunt, (*a*) conantes hoc malum tegere paupertatis prætextu:

Quoniam ſimoniaca labes adeo pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium pallire: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, Statuentes, ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiſerit, tam recipiens, quam recepta, ſive ſit ſubdita, ſive prælata, ſine ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synodale Statutum taliter ſunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monaſteriis, quæ perperam ſunt ingreſſæ, in aliis locis ejuſdem ordinis collocentur. Quod ſi propter nimiam multitudinem alibi forte requiverint commode collocari: ne forte damnabiliter in ſæculo vagentur, recipiantur in eodem Monaſterio diſpenſative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus aſſignatis.

Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus obſervandum. Verum ne per ſimplicitatem vel ignorantiam ſe valeant excuſare; præcipimus, ut Diœceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas Diœceſes publicari. Idem ſtatutum fuerat in ſecundo Generali Concilio Nicæno an. 787. idem traditum ab Alexandro III. *cap. Veniens de Simonia*, D. Thoma, S. Antonino, aliiſque compluribus.

Monaſterium porro, quod ab iis, quæ ſeſe offerunt, nihil exigere poteſt, illud eſt, quod majorem, quam habet, perſonarum numerum ſuis redditibus alere poteſt; ad paupertatis autem rationem neceſſe eſt, ut demptis iis omnibus, quæ redundant in ædificationibus, in mobilibus, in Sacriſtia, in menſa, & in aliis omnibus commodis, Monaſterium id ſolum poſſideat, quod Monialibus jam receptis eſt neceſſarium; ita ut ſi alias reciperet, inibi eſſet, ut deficeret. Id unum impedire poteſt, ne quæ ſe ſiſtunt, Virgines gratis recipiantur. Hujus incundæ rationis illuſtre exemplum occurrit in Hiſtoria Fundationum Sanctæ Thereſiæ cap. 26. Verum licet vetitum ſit quicpiam exigi, ab iis tamen, qui Religioni nomen dant, poteſt aliquid recipi, cum gratis datur, quin ullum pactum præceſſerit, & cum Moniales hoc temporale bonum ſibi non propoſuerunt.

Sed cum Monaſterium abſolute paupertate laborat, ita ut non habeat, unde accedentibus neceſſaria ſuppeditet, permiſſum eſt, ut docet D. Thomas, (*b*) aliquid ab iiſdem exigi non quidem tanquam pretium ingreſſus in Religionem, ſed ſolum ut præſto ſit, quo iis proſpiciatur. Quod oſtendi poteſt auctoritate Gloſſæ, (*c*) pronunciantis, ſi Monaſterii ea ratio ſit, ut accedentibus alendis ſit impar, iis dici poſſe: non habemus, quo vobis neceſſaria ſuppeditemus, niſi vos afferatis; modo fraus non adſit, nullumque pactum interveniat, cujus vi ingreſſus in Religionem a re temporali pendeat. Id quod Theologiæ Facultatis Pariſienſis Decreto, a Dionyſio Chartuſiano in libro ſecundo de Simonia relato, omnino conforme eſt, quo dicitur, cum Monaſterii ea eſt paupertas, ut Virgo ingreſſum petens Monaſterii bonis abſque gravi incommodo ali nequeat, gratis eidem oblatis ſpiritualibus bonis, eademque ad horum bonorum poſſeſſionem liberaliter excepta, ſi quæ ita excepta eſt, temporalia poſſideat, de quibus pro loci conſuetudine diſponere poſſit, licere hoc in caſu aliquod ab ea peti pro eo, quod ad ejus ſuſtentationem eſt neceſſarium, abſque fraude, & ut Monaſterium habeat, unde neceſſaria ſuppeditet, quod non ita accipi volumus, ut petitio coactio quædam ſit, ita ut extrudatur hæc Virgo, niſi dederit, quod petitur; ſed ita, ut legitimæ rationes adhibeantur, & adſit æquitati conſona intentio.

Non eadem eſt earum rerum ratio, quæ annuæ Probationis tempore ad accedentium ſuſtentationem exiguntur. Permiſſum id eſſe videtur juxta Tridentinum Concilium, quod præcipit nihil dari ante Novitiæ Profeſſionem, (idemque de Virorum Monaſteriis ſentiendum eſt) niſi id ad eam alendam & veſtiendam præciſe neceſſarium ſit. Ratio eſt, quia Novitio jus eſſe non videtur ex Monaſterii bonis vivendi, donec Profeſſionem emiſerit. Vide Librum Gallice editum, inſcriptumque: *Ratio Canonica pro receptione Virginum in Monaſteriis, Lutetiæ Pariſiorum in* 12.

Vide (SANCTIMONIALES.

Dos ſcripto promiſſa ante habitus ſuſceptionem.

CASUS I.

1 *Sanctimonialium Monaſterium, ut Virginem reciperet, non potuit ab ejus fratribus petere, ut ſcripto promitterent ſe pro ejus dote daturos librarum tria millia, ante quam habitum ſuſcepiſſet.*

2 *Hi Fratres ejuſmodi conventioni bona fide ſubſcribentes, cum malam eſſe ignorarent, omnino non peccarunt.*

3 *Sanctimoniales hæ non poſſunt tuta conſcientia pecuniam eam retinere, ante Monialis ſuæ Profeſſionem; multoque minus poſſunt eam propriam facere, ſi ea ante emiſſam Profeſſionem recedat; id ſi contingeret, illæ ad reſtitutionem adigi poſſent.*

QUÆSITUM.

Clericus, cujus ſoror Religionem amplecti vult, convenit cum Monaſterio, quod illa ſelegit, unum ex ſuis fratribus, ſeque ante ſuſceptum habitum pro Sororis dote librarum tria millia tradituros; Actumque a Notario firmatum, penes amicum communem deponendum. Editur Actus die veſtitionis, & inſeritur clauſula: ut illi, etiamſi ante Sororis ſuæ profeſſionem ſententiam mutaverint, dictam Summam pro dote ſolvere teneantur. Obſignatur utrinque actus, & apud Regulares pecunia deponitur. Dicti fratres duo numeratæ pecuniæ tabulam petunt a Monialibus; ſed illæ reſpondent ſe nunquam id facere conſueviſſe, ſatis habentes rem in Communitatis Acta referre. Ajentibus autem fratribus ſororem ſuam ante Profeſſionem mori aut egredi poſſe: reſpondent, licet omnino neutrum timendum eſſe videatur, ſi tamen id contingeret, librarum tria millia tanquam donum irrevocabile Monaſterio remanſura.

Hoc totum negotium Clericus animo reputans ſcrupulo tangitur, veretur que, ne propriam conſcientiam inquinet, & volens conſulere Sororis ſaluti, propriæ noceat. Quamobrem Doctores orat, ut decidant, I. An ipſe in hac occaſione peccaverit? II. Quanam in re? III. Quid facere debeat, ut ante Sororis ſuæ Profeſſionem malo remedium afferat?

Ille

(*a*) Concil. Lateran. c. Quoniam de Simonia.
(*b*) D. Thomas in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. ad 7.
(*c*) Gloſſa in caput Quoniam de Simonia. Verbo Paupertatis.

Ille quidem egit bona fide; ſe peccare non credidit, nihilque feciſſet, ſi quid delinquere credidiſſet. Non pauci ibidem pietate & doctrina præſtantes Viri ipſum certum faciunt nihil ab eo peccatum eſſe, ejuſmodi conſuetudinem in Monialium Monaſteriis ſervari videntibus ſcientibuſque Epiſcopis, nec refragantibus; iniri poſſe contractum tribuendi fundi pro dote, cum Familia Puellis gratis recipiendis par non eſt; pecuniam quippe in hac facti ſpecie ſpectari tanquam donum, quod Familiæ aut Eccleſiæ exhibetur. Verum quia exiſtunt conſuetudines, quæ veri nominis abuſus ſunt, Clericus, quo ſe magis in tuto ponat, Doctores obteſtatur, ut ad hujus expoſitionis calcem aperiant, quid ſentiant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut propoſitis interrogationibus occurrat, exiſtimat,

Quoad primam & ſecundam, ſi Monaſterium, quod hujus Clerici Soror ſubiit, locuples eſt, Moniales librarum ter mille ſummam, qua quidem ratione expoſitum eſt, in Profeſſione recipiendam ſtipulari non potuiſſe, citra ſimoniam, ac proinde Clericum ejus culpæ reum fore, ni bona fides, qua in hac occaſione videtur egiſſe, eumdem excuſet. Moniales quoque librarum tria millia, quæ ſunt Puellæ dos ante Profeſſionem, ſibi tanquam propria ſumere non potuerunt. Tridentinum enim Concilium vetat, ne Monaſterium, quod Puella ingreditur, ut Religionem amplectatur, ante Profeſſionem quicquam ex dote ſuſcipiat: (a) *ſed neque ante Profeſſionem excepto victu & veſtitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monaſterio aliquid & ex bonis ejus tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ poſſideat, non facile, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit: Quin potius præcipit Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat.* Cardinalium Congregatio in hunc Synodi locum inter Puellæ bona refert ea, quæ ejus propinqui Monaſterio tribuerint: *Ne quidem eo caſu, quo aliquid tribueretur non ex puellæ bonis propriis, ſed illorum bonis, qui ſunt parentes, vel conſanguinei.* Conſuli poteſt ad hujus capitis Tridentinæ Synodi explicationem Barboſa n. 47.

Poteſt etiam Clericum excuſare bona fides, qua Sanctimoniales librarum tria millia retinere conſenſit.

Quoad interrogationem tertiam, reſpondetur oportere, ut hic Clericus Sanctimoniales, earumve Superiorem de eo moneat, quod in ipſarum Tractatu vitioſum eſt, ut eas ad eumdem reformandum impellat, quia ſi Monaſterium locuples eſt, Sanctimoniales tria millia librarum exigere non potuerunt; ſolus quippe paupertatis caſus ejuſmodi conventiones legitimas efficit. Neque vero magis Moniales poſſunt ante Profeſſionem pecuniam hanc retinere, multoque minus poſſunt ſuam facere. Si renuent reſtituere, Novitia diſcedente, adeundus eſt Epiſcopus, qui poterit ad reſtituendum rationibus Canonicis eas adigere, quemadmodum expreſſum eſt in eodem Tridentinæ Synodi loco: *Quod ut recte fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.*

Deciſum hac die 21. Junii an. 1693.
Germanus *Fromageau*.

Dos Sanctimonialis cum pacto.

CASUS II.

1 *Cum Virginum Monaſterium ſatis fundatum eſt, non licet illis de accedentium dote paciſci.*

2 *Si Monaſterium pauper eſt, poſſunt Moniales iis, quæ Religioni nomen dare volunt, proponere ſe quidem paratas eſſe eas id, quo ſubſiſtant, afferentes excipere; quod propriæ paupertatis ſimplici expoſitione faciendum eſt, non vero per conventionem.*

(a) Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regul. cap. 16.

QUÆSITUM.

In Virginum Monaſterio, eoque fundato de Virginum, quæ recipiuntur, dote cum propinquis agitur. Conſtat dos quatuor mille librarum ſumma, donum Altaris quingentarum librarum eſt, & totidem pro penſione Novitiatus & prandiorum, quæ in Veſtitione & Profeſſione parantur. Exigitur hujus ſummæ depoſitio penes amicum, qui oblata Abbatiſſæ ſchedula promittit ſe poſt Profeſſionem ſummam illam Familiæ traditurum. Qua in re rogantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, an Tractatus hic innocens permiſſuſque ſit coram Deo?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, conveniri non poſſe, quo expoſitum eſt, modo de dote Puellæ volentis in Monaſterio, de quo agitur, Religionem amplecti; propterea quod repugnat Canonum menti de Puellarum in Religionem ingreſſu paciſci, præſertim ſi Monaſterium locuples, ſatiſque fundatum ſit. Sed ut ex principiis res definiatur: vel pauper eſt Monaſterium, vel dives; ſi pauper eſt, id accipi poteſt, quod ad alendam ſuſtentandamque Puellam neceſſarium eſt ac ſufficiens, at ſine pacto, videlicet quin de majori aut minori pretio cum propinquis agatur, atque ita ut partes acquieſcant judicio, quod hac in re Epiſcopus, aut Monaſterii Superior ediderit. Conſuli poteſt D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 3. Fagnanus 1. *part. Decret. de inſtitutione c. Non. amplius n.* 24. enucleate proponit id, quod in hac facti ſpecie Moniales facere debent, Accedentem puellam monere debent ſe ei alendæ pares non eſſe, niſi afferat, unde ſubſiſtat; ita ut expoſitione paupertatis Familiæ potius, quam conventione res tranſigatur: *Si Moniales ita pauperes ſint, ut non poſſint aliquomodo ibi aliam recipere, quia non habent ibi victum, ſub hac forma poſſunt recipere: Non habemus, quid demus tibi pro victu, niſi tu portes tecum, unde vivas; dum tamen hoc non dicatur in fraudem, nec deducatur in pactum.*

Hoc in caſu deponi poteſt, & collocari apud probatum Virum ſumma, quam puella dare debet dotis loco, prout viſum fuerit Epiſcopo, vel Superiori, non autem Monialibus, quibus caſus hujus decidendi facultas relinquenda non eſt. Cum porro puella ad emittendam Profeſſionem recepta fuerit, aut eam jam emiſerit, Depoſitarius Monaſterio pecuniam tradet. Hæc eſt reformatio Sancti Caroli in ſecundo Mediolanenſi Conſilio, in quo *lib. 6. tit. de puellis ad Religionem admittendis n.* 21. hæc habentur: *omnis pecuniæ ſumma eo nomine ab Epiſcopo decreta reipſa apud certum hominem virum probum deponatur, qui Profeſſione confecta illam ſtatim Monaſterio tradat, ut decretum eſt in Superiori Concilio.* In primo autem Concilio ſtatutum fuerat, ut pecunia recipienda in eleemoſynæ modum reciperetur, quo nempe oſtenderet D. Carolus ſe nolle rem omnino in pactum deduci; ut definita Dos apud hominem probitate præſtantem, & Monialibus, earumque Superiori acceptum deponeretur, cum puella habitum ſumeret; utque Depoſitarius, emiſſa Profeſſione, pecuniam traderet: *Quod vero Profeſſione facta eleemoſynæ gratia ad Profeſſam ſuſtentandam Monaſterio datur, id, quo tempore puella Religionis habitum ſuſcipiet, apud virum Monialibus & earum Superiori probatum deponatur.*

Sin Monaſterium dives eſt, cujuſmodi illud eſſe apparet, de quo hic ſermo eſt, nempe ſi non ſolum habeat, unde Moniales jam receptas alat, & ſuſtentet, verum etiam non mediocris præterea redditus, omnibus detractis oneribus, eidem ſuppetat, de puellæ in eadem Familia recipiendæ ingreſſu paciſci non licet. Ejuſmodi receptiones tanquam ſimoniacæ ſpectantur in Jure *Cap. non ſatis & cap. Quoniam de Simon.* ex quo ſequitur propoſitam traditionem fieri non poſſe. Poteſt quidem certe Abbatiſſa ad ſuæ Familiæ bonum 5000. libras, quæ ſibi offeruntur, recipere tanquam liberalitatis ſpecimen, ac donationem, non autem tanquam effectum Contractus, & conventionis inter puellæ propinquos, ipſamque. Pertinet ad Epiſcopum, Superiorem

remve Familiæ, ſi quidem ea dives, ſatiſque fundata ſit, ne impoſterum puellarum Dos deducatur in pactum, ne ſcilicet ſubeatur excommunicatio inflicta in Bulla Urbani IV. *Extrav. Sane de Simon.* Qua in re videri poteſt Bonacina *tom.* 2. *de cenſ. diſp.* 2. *q.* 3. *p.* 29.

Deciſum hac die 7. Septembris an. 1696.
G. *Fromageau*.

Alia pacti ſpecies in Monialis Dote.

CASUS III.

1 *Communitas, ſeu Regularis, ſeu in qua ſimplicia tantum vota eduntur, non poteſt citra ſimoniam promittere ſe gratis recepturam eſſe puellam, ad ejus liberam nominationem, cujus ope liberata fuerit a vectigalis ſolutione.*

2 *Ea nihil debet polliceri, ut jus retineat reſpuendæ Monialis, quæ Familiæ nequaquam congruerit.*

QUÆSITUM.

Regularis Familia ſe a vectigali eximi cupiens mittit ad gravem Virum, eique ſignificat, ſe, ſi ejuſmodi beneficium aſſequatur, puellæ gratis recipiendæ parem fore, ſeque in grati animi ſignum eam ſibi legem impoſituram, ut velit viro ita de ſe merito, quamcumque voluerit, puellam nominare liberum eſſe. Quæritur, an pactum hoc contineat quicpiam mali, quodque ſapiat ſimoniam?

Exiſtunt quædam Monialium Communitates, in quibus ſimplicia tantum Vota emittuntur, & e quibus egredi licet, plurium ſaltem annorum ſpatio, & e quibus etiam Moniales in gravia quædam errata labentes ſemper expelli poſſunt. Quæritur, idemne de iis, ac de cæteris Regularibus Familiis ſentiendum ſit in Dotis negotio, quoad pacta, quæ in puellarum receptione inirentur?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ſi puella in Monaſterio, aut Communitate, in qua ſimplicia Vota eduntur, recipienda præſentaretur, aut nominaretur cum promiſſione exemptionis a vectigali, ut ea puellæ dotis loco eſſet: id pejus non fore, quam dum promittitur pecuniæ ſumma pro puellæ Dote, poſtquam ad Profeſſionem admiſſa fuerit; quod ſingulis prope dixerim momentis fit.

At ſi nominatio, aut jus præſentandi puellam offeratur, ea conditione, ut vectigalis exemptio Familiæ procuretur: ejuſmodi pactum apparet Regulis contrarium, atque adeo Simoniacum; hoc enim jus eſt aliquid ſpiritale; ex quo fit, ut id dare ea conditione, ut obtineatur exemptio, nihil ſit aliud quam vendere ſpiritale pro temporali. Primo loco repugnat id Eccleſiæ menti in Tridentino Concilio declaratæ *ſeſſ.* 25. *c.* 16. *de Regul.* ut nihil de puellæ dote recipiatur ante editam profeſſionem. Secundo loco Familia, de qua agitur, vel ante præſentationem exemptione frui debet; ac proinde illa, ut veroſimillimum ſit, retinebitur, ſive ad eum ſtatum vocetur, ſive non, ne adſit exemptionis amittendæ periculum. Reciperetur igitur puella pro pecunia, vel pro re temporali, quod ſimonia eſt, vel ſaltem redolet Simoniam. Nec dici poteſt hujus exemptionis gratia locum fundari, & Patronatum ſibi reſervari, quia id hoc loco fundationis rationem non habet.

Non debet igitur Communitas hæc promittere ſe recepturam eſſe puellam ad ejus nominationem, qui exemptionem ſua gratia comparabit. Nihil promittendum eſt, ut puellæ, ſacta hypotheſi eam Familiæ non congruere, dimittendæ libertas ſervetur. Regula hæc Regulares æque ac ſæculares afficit Communitates, ipſæque tenentur ei fideliter adhærere.

Deciſum hac die 8. Februari an. 1695.
G. *Fromageau*.

Dos ante Profeſſionem recepta.

CASUS IV.

Tridentina Synodus exigi vetat Novitiæ Dotem in totum aut ex parte, antequam ad Profeſſionem admiſſa fuerit.

QUÆSITUM.

Puella in Monaſterio recipi poſtulat, conveniturque de libris quatuor mille pro Dote; in ejus ingreſſu Conſobrinus tradit librarum duo millia, quibus cenſus, quem Monaſterium debet, exſolvitur. Summa hæc conficiet partem Dotis, quæ omnino ſolvetur, ſi puella poſt Novitiatum ad Profeſſionem recepta fuerit.

Quæritur, an hæc facti ſpecies obnoxia ſit necne Tridentini Concilii prohibitioni *ſeſſ.* 26. *c.* 16. *de Regular. & Monial.*

Responsio.

Conſilium ſubſcriptum cenſet propoſitum caſum in Tridentinæ Synodi prohibitionem incidere, præſertim cum Cardinalium Congregatio declaraverit neceſſe non eſſe, ut quod datur, ex puellæ bonis ſit; ſed ſatis eſſe, ut propinqui eam pecuniam traderent ante Profeſſionem, ut liquet ex eorum Declaratione in allatum Concilii locum.

Deciſum Pariſiis die 8. Februarii an. 1686.

Chaſſebras, Leſtocq, Courcier, Becherel, Roulland, Le Caron, A. Faure, B. Marion, Boyetet.

Dos contra Regis juſſum.

CASUS V.

1 *Cujuſdam Monaſterii Sanctimoniales Contractum inire non debuerunt, in quo læditur veritas, ut puellæ dotem ſibi tutam redderent.*

2 *Hujus puellæ frater non poteſt tuta conſcientia refragari Contractui huic, quem ejus pater iniit, & ipſe probavit; quia Monaſterium nequit Monialem ſine Dote alendam, ſuſtentandamque ſibi ſumere.*

3 *Si de re, deque articulis Prioriſſa, aliave Moniales interrogentur, mendacium omnino nullum dicere debent; ſed illæ tamen non tenerentur contra ſe dicere.*

QUÆSITUM.

Puella in Monialium numero recepta eſt, quo tempore Rex edita Conſtitutione prohibuit, ne qua Monaſteria de puellarum, quas reciperent, Dotibus paciſcerentur. Cum Prioriſſa Monaſterii, in quod hæc puella ingreſſa eſt, non poſſet eam gratis recipere ſine gravi Communitatis incommodo; & puellæ pater ſatis Dotis dare non poſſet: ea eſt excogitata ratio, ut Pater in Monaſterii favorem Contractum ederet. Itaque profitetur ſe a Monialibus mutuatum eſſe librarum quatuor mille ſummam, cujus ſe pollicetur ſoluturum eſſe cenſum juxta Conſtitutionis verba uſque ad ſortis integram ſolutionem.

Statim ac puellæ pater eam pecuniam recepit, Prioriſſæ reſtituit coram teſtibus, qui Actui interfuerant.

Mutuationem hanc filii hæredis unici ratihabitio ſecuta eſt. Qui quidem prava fide honeſto homine indigna, cum ſiviſſet annua ad librarum 1500. ſummam excreſcere, Judici ordinario Libellum ſupplicem obtulit, ut Contractus abrogaretur, inquiens, imaginariam, & ut Conſtitutio eluderetur, factam fuiſſe mutuationem. Contractum abrogavit corruptus Judex, ſtatuitque, ut Prioriſſa & Communitas, quoad Monialis viveret, penſione contentæ eſſent.

An.

An. 1685. impetratum eſt Reſcriptum ſententiam abrogans. Refragatur Vir nobilis Libellorum ſupplicum Tribunali primario exhibita ſupplicatione, qua petit, ut ſibi liceat oſtendere dictum Contractum non aliud quam fictionem eſſe, & quidem per eos ipſos teſtes, qui illum obſignarunt. Id ut conficiat, adlegat Tractatum cum Monaſterii Procuratore initum, quo ille ſibi factam a Viro nobili oblationem acceptat redditus centum quadraginta librarum ex una parte, & ſexaginra librarum ex alia a Colonis ſuis exigendi, quod conſtituit ducentarum librarum redditum, quem ipſe pro ſuæ Sororis penſione vult ſolvere, ut dicitur in eodem Tractatu.

Reſpondetur; eſto dictus Tractatus verus eſſet, clauſulas eidem inſertas nullius omnino roboris fore, quia Procurator cum Actum edidit de compacto cum Exponente, quin ille Prioriſſæ, aut Communitatis Procuratione polleret; præterea cum Actus idem in Exponentis domo tranſactus fuerit, fit veroſimile eum Procuratori, homini facili poculum porrexiſſe, quo, quicquid libuiſſet, ſua ſubſcriptione firmaret.

Exponens producit Compoſitionem, in qua eadem occurrunt penſionis verba; quia porro ſcripta non eſt Prioriſſæ manu, quæ tamen eamdem obſignavit, par eſt credere, Prioriſſam, cum ſibi ex improviſo a Procuratore oblata eſſet compoſitio, impeditam fuiſſe, quominus ejus verba perpenderet.

Producit ad extremum Vir nobilis ſororis ſuæ Regularis litteras aliquot, in quibus illa utitur penſionis nomine; ſed cum illa fratris negotiorum particeps ſit, non ſine ejus conſilio id nominis uſurpaſſe præſumi poteſt. Hoc poſito, quæritur, an Monaſterium potuerit 4000. librarum Contractum edere, ut Regis Conſtitutionem eluderet?

An Prioriſſa, quæ vivit in præſens, quæque nec ſcivit, nec probavit ejuſmodi Contractum, poſſit litem, quam Vir nobilis intentat, repellere?

An hic quidem refragari poſſit Contractui, qui ſervato juris ordine a patre editus, & ab ipſo probatus eſt?

An eidem permitti poſſit, ut litiget contra id, quod ipſe, quodque ejus pater fecit? Ac ſi ei per Judicem liceat probare, quoad poſtulat, Monialeſne reſpondere teneantur? Et in Monitorii caſu debeantne dicere, quod ſciunt?

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, Moniales, ſi ſorte de factis & articulis interrogentur, nihil ſuæ ipſarum notitiæ oppoſitum dicere poſſe, & veritatem fateri debere. Aliter coram Judice mentirentur, & perjurii ſe crimine obſtringerent.

Cum porro Contractus ea de cauſa initus fuerit, quia Familia citra ſuum grave damnum non poterat alendam puellam ſumere, quæ nil attuliſſet, proinde Virum nobilem, id, quod ejus pater egit, infirmare volentem injuſtitiæ reum eſſe, quoniam in ea conventione nihil occurrit, quod re ipſa Canonicis Regulis conforme non ſit. In primo Mediolanenſi Concilio ſub Sancto Carolo ſtatuitur, ut puella habitum ſumente, ejus propinqui penes probum virum deponant ſummam, emiſſa Profeſſione, Monaſterio tradendam, *Titulo de Novitiis ad Profeſſionem admittendis: Quod vero Profeſſione facta, eleemoſynæ gratia ad Profeſſam ſuſtentandam Monaſterio datur, id, quo tempore puella Religionis habitum ſuſcipiet, apud virum Monialibus & earum Superiori probatum deponatur.* Et in Concilio Secundo cap. 1. de rebus ad Monialibus ſpectantibus: *Epiſcopus propterea tum impenſas æſtimat, quæ & in Religionis ingreſſu, & tempore Profeſſionis fieri ſolent, pro veſtitu, aut pro aliis rebus ad ipſius puellæ vel Monaſterii uſum commoditatemve pertinentibus; tum pecuniæ ſummam etiam præſcribat quam puella alimentorum nomine Monaſterio det; niſi cenſus, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus ejuſdem judicio ad illa alimenta ſatis ſint, Monaſterio attribuantur. Ea autem pecuniæ ſumma ab Epiſcopo decreta, apud certum hominem, & virum bonum deponatur, qui Profeſſione facta, illam ſtatim Monaſterio tradat, ut decretum eſt ſuperiori Concilio.* Occurrit nobis formula obligationis, qua Depoſitarius recipiebat ſe Monialibus ſoluturum librarum Imperialium 3000. ſummam, ſi Monaſterium eſſet in Urbe, vel 2500. librarum, ſi extra Urbem exiſteret, cum primum puella ad Profeſſionem admiſſa eſſet. Occurit hæc Formula in parte octava Actuum Eccleſiæ Mediolanenſis pag. 1265. editionis *Pacifici Pontii an. 1599. Mediolani.*

Non creditur Antiſtita peccaviſſe ex eo quidem capite, quod 4000. libras petierit, quoniam ea in re contra Eccleſiæ Regulas nihil egit; at circuitio, quam iniit, cum rationi non congruat, probari nequit. Si tamen præſens Prioriſſa de Conventione omnino ignoraſſet, negotium propugnare poſſet; at ſi de re certa fuit, contra conſcientiam ſuam, contraque id, quod probe novit, agere nequit, præſertim ſi de factis & articulis interrogetur.

Viro autem nobili permitti poſſe non creditur, ut adverſus id, quod ipſe ſcripſit, probationes afferre poſſit; neque vero Moniales ad manifeſtationem obligarentur vi Monitorii; propterea quia de earum propria re agitur, quæ revera juſta eſt: at ſi contingeret ipſas interrogari, & reſpondere velle, nihil veritati repugnans dicere poſſent.

Deciſum die ..... Aprilis an. 1689.

Aug. *de Lamet.*

D U E L L U M.

TRidentina Synodus ex univerſa Chriſtiana Republica Duellum extirpare volens, excommunicationis ſententiam in (*a*) Imperatorem, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, alioſque omnes temporales Dominos pronunciat, qui in ſuis Ditionibus ſingulari inter Chriſtianos pugnæ locum conceſſerint, & Duellum permiſerint. Qui pugnam inierint, quique eorum Patrini dicuntur, in excommunicationis, proſcriptionis omnium bonorum, & perpetuæ infamiæ pœnam incident, & juxta Sanctos Canones tanquam homicidæ punientur; ac ſi in pugna ipſa occubuerint, in perpetuum ſepultura Eccleſiaſtica privabuntur. Ii quoque, qui vel quoad factum, vel quoad jus in Duelli negotio conſilium dederint, aut alia quacumque ratione ad id quempiam incitaverint, æque ac ſpectatores, excommunicabuntur, & perpetuæ maledictioni ſubdentur, quocumque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam ab immemorabili tempore, nihil obſtantibus. (*b*) Clemens VIII. in ſua Bulla diei 17. Auguſti an. 1592. hoc Synodi Decretum confirmat. Et Gallicani quidem Cleri Congregationis an. 1654. Pariſiis habitæ occurrit Conſtitutio in eos omnes, qui in Duellum deſcendunt, qui ad illud provocant, aut qui provocationem indicunt, aut deferunt; & Epiſcopi excommunicationis ea Conſtitutione inflictæ abſolutionem ſibi reſervant: ita ut nunc temporis ea cenſura locum habeat, & incurratur ipſo facto in Regno univerſo. Vide Dominum *Audiguier* de Duellorum permiſſione.

Qui

(*a*) Concil Trid. Seſſ. 25. de reformat. c. 19.
(*b*) Clemens VIII. in Bulla: illius vices II. tom. Bullarii pag. 13.

Qui in Duello Patrini, vel ſecundi, ut dicitur, perſonam gerit, excommunicatus eſt.

C A S U S.

Qui in ſingulari pugna Patrinus, vel ſecundus fuit, non poteſt Ordinibus initiari, niſi Pontificis diſpenſatione liberatus fuerit ab excommunicatione & infamia, qua Duelliſtas omnes notavit punivitque Tridentina Synodus.

QUÆSITUM.

VIr nobilis ab amico rogatus, ut in Duello cum adverſario ſibi ſecundus ſit, acceptat officii gratia, pugnamque committit; ſed poſtea ex animo de ſalute cogitans, Religioni dato nomine, Profeſſionem emittit. Poſt aliquot annos inibi poſitus, ut ad ſacros Ordines promoveatur, ſed timore, ne ob ejuſmodi Duellum in irregularitatem inciderit, deterritus, ſatius ducit antea conſulere. Quamobrem Facultatis Theologicæ Doctores orat, ut ſuam deciſionem exhibeant ſuper hac difficultate: Vir hic nobilis eſtne irregularis?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, juxta Tridentinam Synodum *Seſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 19. Virum nobilem, qui in Duello ſecundus fuit, excommunicationem, & perpetuæ infamiæ pœnam, quæ ordinum ſuſcipiendorum inhabilitatem ſecum affert, incurriſſe. Diſerta ſunt in hanc rem Synodi verba: *Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, & omnium bonorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta ſacros Canones puniri debent.* Itaque is, pro quo conſulitur debet ad Romanam Curiam confugere, ut Summi Pontificis auctoritate ab hac perpetua infamia liberetur, a qua eum Epiſcopus purgare non poſſet. Ratio eſt, quia Concilium cum ſingularis pugnæ Patrinos a Sacris Ordinibus in perpetuum arcere voluerit, eoſque iiſdem pœnis ſubdiderit, quibus homicidæ voluntarii ſubjecti ſunt, quorum irregularitas ab Epiſcopo tolli non poteſt, videtur in hoc negotio diſpenſandi facultatem ſoli Pontifici reſervaſſe.

Deciſum hac....
G. Fromageau.

E C C L E S I A.

SErmo eſt in præſentia de materialibus tantum Eccleſiis, ſeu Templis, in quæ Fideles conveniunt, ut Deum laudent, Sacramenta percipiant, & divinis Officiis interſint. Conſtat antiquos Græcos uſos eſſe *Eccleſiæ* vocabulo eadem ſignificatione, qua Romani *Curiæ* & *Senatus* nominibus utebantur. Tertullianus in Libro de fuga perſecutionis *ſect.* 3. uſurpat has locutiones: *convenerunt in Eccleſiam, confugiunt in Eccleſiam*; & D. Hieronymus in cap. 10. Iſaiæ: videmus Imperatores ære publico Eccleſias ædificare.

Antiquis temporibus Eccleſia a profanis ædificiis, quoad fieri poterat, ſejuncta erat, & circumſepta Atriis, & Hortis, aut ædificationibus ab Eccleſia ipſa pendentibus. Initio ſtatim aderat Atrium, ſeu primum Veſtibulum, per quod patebat aditus ad Periſtylum, ſcilicet Atrium quadratum tectis Pergulis, quas columnæ fulciebant, circumdatum, cujuſmodi Monaſteriorum Clauſtra ſunt. Sub his Pergulis detinebantur Pauperes, quibus concedebatur, ut ad Eccleſiæ Januam mendicarent; & in medio Atrio unus aut plures fontes aderant, manibus, orique ante orandum lavandis accommodati, quibus Baptiſteria ſucceſſa ſunt. In extrema Periſtyli parte duplex Veſtibulum exiſtebat, quo per tres Portas patebat aditus ad Baſilicam, quæ Eccleſiæ corpus erat. Duplex illud quidem erat, quia unum intus erat, alterum extra. Prope Baſilicam, ſed foris, aderant fere ædificia duo, videlicet Baptiſterium, & Sacriſtia, ſeu Theſaurus. Baſilica trifariam diviſa erat ſecundum latitudinem duplici ordine columnarum, quæ utrinque Pergulas ſuſtinebant, ita ut in medio Navis eſſet, ut in omnibus antiquis Eccleſiis videre eſt.

In extrema parte ad Orientem aderat Altare, & retro exiſtebat Presbyterium ſeu Sanctuarium, ubi Presbyteri ſedebant Officii tempore, medium tenentes Epiſcopum, cujus Cathedra prorſus in Baſilicæ fundo erat, & eorum, qui per præcipuam Portam ingrediebantur, aſpectum terminabat. Ante Altare aderat repagulum, quod *Cancelli* dicebatur, eratque veluti Chorus, in cujus aditu prope Altare erat *Ambon*, nempe Tribuna erecta, quo utrinque ad publicas lectiones habendas aſcendebatur.

Ad Epiſcopi dexteram Evangelii, & ad ſiniſtram Epiſtolæ Pulpitum erat. A Pulpito uſque ad Altare aderat Cantorum locus, qui nonniſi ſimplices clerici erant huic muneri addicti. Presbyteri ſuas ſedes habebant poſt Altare cum Epiſcopo. Hujus loci fornix reliquo Eccleſiæ corpore demiſſior erat, & vocabatur *Concha*, quia in conchylii formam effectus erat propter arcum, quo ante terminabatur.

Altare erat pretioſa menſa ex argento, auro, marmore, ſeu porphyrite confecta, & gemmis ornata; ſuſtinebatur quatuor pedibus, parviſve columnis, & quoad fieri poterat, ſuper alicujus Martyris tumulum ponebatur, unde mos ortus eſt Altaris non ſine reliquiis conſecrandi. Unum tantummodo Altare erat in quaque Eccleſia, fixumque tribus prioribus ſæculis, & ad excipiendas Reliquias intus excavatum; ſolum ei ſuperimponebatur Evangelium, non Candelabra, non floribus ornata Vaſa, non Sanctorum capſæ. Vide Librum Anglice ſcriptum Georgii Wheler de antiquarum Eccleſiarum ſtructura, & Opus Domini Boquillot inſcriptum, Tractatus hiſtoricus de Liturgia ſacra, ſeu de Miſſa, impreſſum Pariſiis an. 1701.

Eccleſiæ profanari poſſunt aut per excommunicati inhumationem, aut per homicidium, quod ibidem patratum fuerit, aut alios ob caſus. Tunc non amplius in iis Sacrificium celebrari, ullave functio peragi poteſt, & ad Superiorem, qui eas reconciliet, confugiendum eſt. Sequentes Caſus declarant, ad quem ſpectet eam reconciliationem inſtituere, & quandonam Eccleſia polluta & profanata cenſeatur.

Eccleſiæ profanatio ; a quo ea reconcilianda ſit?

C A S U S I.

1 *Cum Eccleſia conſecrata polluta eſt, nonniſi ab Epiſcopo, vel Sacerdote ejus nomine delegato reconcilianda eſt.*

2 *Cum Eccleſiæ pollutio publica eſt, opus eſt reconciliatione publica. Peccat Presbyter in polluta Eccleſia Miſſam celebrans, nullam tamen irregularitatem incurrit.*

Q U Æ S I T U M.

SUperſtitione quadam jampridem Paſtores in loco ubi Abbas Juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudet, Miſſæ tempore Crucem in Altaris ſylobate tum expoſitam oſculari contendunt, rati eum, qui primus oſculatus fuerit, nullam ſuarum pecudum amiſſurum. Horum Paſtorum unus tam prope acceſſit ad Parochum, qui Miſſam celebrabat, & ad Oblationem devenerat, ut ligneis calceis ejus pedem premeret, contunderetque. Parochus baculum poſtulavit, converſuſque percuſſit dextrorſum ſiniſtrorſum. Ex his Paſtoribus unus graviter ſupra ſupercilium cæſus magnam ſanguinis copiam ſparſit. Parochus deinde Miſſam abſolvit; qua in re quæritur,

I. An Eccleſia polluta fuerit; ſtatim enim ea clauſa fuit, Abbatis Generali Vicario jubente?

II. An nonniſi ab Epiſcopo reconciliari poſſit?

III. An non ſatis reconciliata cenſeatur per Miſſam, quam Parochus ad finem perduxit?

IV. Ullam necne Parochus hic cenſuram, aut irregularitatem incurrerit?

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, effuſione ſanguinis, ut ſupponitur, copioſa Eccleſiam pollutam cenſeri.

Ad ſecundam quæſtionem quod attinet, ex Jure *c. Aqua de conſecr. l. 3. Decret.* Epiſcopo opus eſſe, cum polluta Eccleſia conſecrata eſt; atque hæc communis ſententia eſt; at ex Rituali Pariſienſi an. 1697. pag. 459. ea eſt conſuetudo, ut neceſſe non ſit Eccleſiam vel conſecratam ab Epiſcopo reconciliari. Poteſt ad id Presbyter ab Epiſcopo delegari; adeoque Auctores omnes, qui putant Epiſcopum permittere poſſe, ut in Eccleſia conſecrata, ſed polluta peragatur Officium, & ſancta Miſſa dicatur, donec ab Epiſcopo reconciliata fuerit, in eam facile ſententiam deſcendent, ut credant non oportere eam ab Epiſcopo reconciliari. Quam enim grave id Epiſcopo futurum eſt, fortaſſe longe diſſito! Et præterea poteſtne tamdiu id Populus expectare? Videri poſſunt Pontificalis Romanus, & cæremoniæ, quas Epiſcopus in Eccleſiæ conſecratæ, quæ polluta fuerit, reconciliatione ſervare debet. Si de ſtricte ſumpta, proprieque dicta reconciliatione ſermo ſit, ibidem animadvertitur eam ab Epiſcopo reconciliandam eſſe; at ſi de latiore, minuſque ſtricta reconciliatione agatur, ſufficit ſimplex Presbyter. Bonacina *pag.* 324. *tom.* 1. approbat ſententiam hanc. Cabaſſutius *l.* 5. *c.* 21. *art.* 14. *pag.* 582. Piaceſius *p.* 1. *c.* 2. *n.* 7. Caſſius *tom.* 1. p. 259. Rituale Pariſienſe an. 1646. & 1654. tradunt ſatis eſſe, ut ad Eccleſiam conſecratam reconciliandam Presbyter delegetur. Vide Van-Eſpen *tom.* 1. *pag.* 740. *n.* 52. Avila *diſp.* 7. 5. *p. dub.* 3. loquitur in hunc modum: *Si Eccleſia violata ſit conſecrata; poteſt Epiſcopus ex cauſa diſpenſare, ut in ea celebretur; ſic D. Thom. 3. p. q. 83. art. 1. ad 2. v. g. ſi Epiſcopus abeſt, & non poteſt advenire Epiſcop. ad reconciliandam Eccleſiam, tunc de licentia ejus, vel ſui Vicarii poſſet celebrari. Ita Sotus in 4. diſt. 13. q. 2. art. 3. §. ait vero, pag.* 360. Layman *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 13. *Doctores communiter affirmant Epiſcopum poſſe diſpenſare, ut in violata Eccleſia celebretur, ob aliquam cauſam neceſſitatis.* Ita Suarez *tom.* 3. *de Sacramento Euch. pag.* 1060. *in q.* 83. *D. Thom.* art. 3. ſic habet: *Addit vero hic D. Thomas de licentia Epiſcopi poſſe fieri ſacrum in Eccleſia violata ante reconciliationem; quia ſi Epiſcopus poteſt dare licentiam in loco non ſacrato ſacrificandi; ergo & in loco nondum reconciliato.* Sane in Jure, ut addit hic Auctor *c.* 12. *Miſſarum diſt. de conſecrat.* poteſt Epiſcopus abſolute permittere, ut Miſſa dicatur, & in *cap.* 14. *item quia in cap. Miſſarum, abſolute dicitur Miſſam poſſe dici, ubi Epiſcopus permiſerit*, & c. 14. *ubi Epiſcopus juſſerit. Ergo ſub hac generali regula comprehenditur etiam Eccleſia polluta, ſi Epiſcopus in ea permiſerit, vel juſſerit celebrari.*

Porro D. Thomas, & qui eum ſecuti ſunt, Auctores hoc Juris principio & fundamento nixi ajunt Epiſcopos hanc utpote commodiorem, minuſque ipſis gravem conſuetudinem induxiſſe, ut per peculiarem delegationem ſimplici Presbytero demandatam Eccleſia polluta, quamvis conſecrata reconciliaretur.

Quoad tertiam, cum hujus Eccleſiæ pollutio publica ſit, publica reconciliatione opus eſt, utut de pollutione occulta ſentiendum ſit. Vide Bonacinam, alioſque loco cit. qui putant in caſu occulto reconciliatione opus non fore, quia, ut vulgo dicitur, *Eccleſia non judicat de internis.*

Quoad quartam & ultimam, licet graviter Sacerdos peccaverit, non modo quod percuſſerit, ſed etiam quod Miſſam proſecutus fuerit, cum nonniſi ad Oblationem deveniſſet: nihilominus in irregularitatem omnino non incidit; id expreſſe traditur in *cap.* 18. *is qui de ſent. excomm.* in 6. id docetur rotundis verbis; Bonacina ita pronunciat: *is, qui in Eccleſia ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluta, ſcienter celebrare præſumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum id non ſit expreſſum in jure, laqueum* non incurrit.

Deciſum hac die ..... Martii an. 1705.
G. *Fromageau.*

C A S U S II.

Eccleſiæ profanatio.

Q U Æ S I T U M.

ROgamus vos, Domini, & Magiſtri noſtri, ut ſententiam veſtram nobis aperire velitis in re, quæ ſcrupulum nobis ingerit, quæque nos impoſterum cum Reverendiſſimo noſtro Patre Abbate turbare poſſet.

Centum jam ſunt & amplius anni, ex quo Hugonotti nobis proximi flammis dedere Monaſterium noſtrum, & præcipue Eccleſiam, cujus nulla pars integra remanſit præter Sanctuarium, quod extructo ſatis firmo pariete concluſum fuit, ut divinum ſervitium ibidem peragi, & Miſſæ celebrari poſſent. Cætera combuſta ſunt, antiquus Chorus Navis, & decuſſati bacilli, & ex eo tempore locus omnis lapidibus, & ruderibus obſitus jacuit. Eſt ad Eccleſiam hanc non nihil quadrati ſoli, & in medio Crux, id quod Cœmeterii loco fuit ſepeliendis Domeſticis, Incoliſque ad hoc uſque tempus, quo Abbati noſtro viſum eſt dirutam Eccleſiam a fundamentis reficere, & Sanctuario, quod firmum & integrum eſt, edificium omne conjungere. In hunc finem ejus juſſu congeſta lapidum vis in idem cœmeterium delata eſt ad opus urgendum; ut proinde nemo unus ibidem tumulari poſſit; adeoque cum forte tres aut quatuor Incolæ fato functi eſſent, eos Abbas ſepeliendos mandaverit in extrema parte Eccleſiæ collapſæ, quam, utpote aptiorem locum, reſtituendam curavit. Cum ibidem biennii ſpatio duo treſve ſepulturæ mandati eſſent, contigit, ut, cum Incola mortuus eſſet, ei tumulum Abbas extruendum juberet ibi, ubi alii ſepulti erant. Extructo tumulo, noſtrorum ſeniorum Confratrum quidam injecit nobis ſcrupulum, de quo quæritur, inquiens ſe citius nobis ſignificare non potuiſſe, jam inde ab annis circiter quadraginta Fabros lapidarios, aut Operarios, aut ſervos ſibi dixiſſe, incolam neſcio quem apud eos jactitaſſe ſe rem habuiſſe cum conjuge in decuſſatæ Eccleſiæ angulo,

gulo, id quod univerſam veterem Eccleſiam polluerat, & quoniam ea reconciliata non fuerat, ibidem neminem Incolarum ſepeliendum eſſe; Se quidem angi, quod rem haud citius aperuiſſet, ſed id eo factum, quod in mentem non venerit, atque ita neminem amplius ibidem humo dandum eſſe. Quod audiens Abbas haud magni fecit nos admonens, I. factum incertum eſſe, impudentibus hominibus id ſæpe oſtentantibus, quod non fecerunt; II. id nonniſi auritis teſtibus niti, plus autem valere, ut ille ait, oculatum teſtem unum, quam auritos decem; III. ſe, cum per annos octodecim Abbatis munere functus eſſet, nihil tale unquam auditione accepiſſe, & neminem unum reperiri, qui ipſe per ſe teſtari poſſet factum reale, verax, & effectivum eſſe, atque ita id eſſe poſſe, & non eſſe; IV. cum factum publicum cenſeri non poſſet, utpote non publice patratum, ſed clanculum ab adoleſcente, qui matrimonio in Eccleſia contracto, abſque prava intentione, cum florentis ætatis ſponſa affinitatem perfecerit, eamque primum cognoverit, quin id explorato conſtiterit; cumque ſolum bis terve benedictum fuerit benedictis tumulis, in quibus alii prope conditi fuerant, publiciſque precibus ibidem editis, omnia proinde reconciliata, atque iterum benedicta fuiſſe; V. reſtituta Eccleſia veteri quemadmodum in præſens in id incumbitur, & univerſa mole Sanctuario addita, cum tecto tefecto una tantum, ut olim erat, exiſtet Eccleſia, eam conſecratam, benedictam, atque omnino reconciliatam cenſeri, tametſi facinus reale foret, & effectivum. His omnibus rationibus permotus Abbas in mandatis dedit, ut defunctus parato tumulo conderetur, pronuncians id omnino abſonum non eſſe, immo vero, ſi ſecus fieret, id omnibus ſcandalo fore, qui de re incerta certi fierent; ſuam porro ſententiam noſtræ præferendam eſſe, & ad ſe ſpectare, quid in caſibus ſubitis, & celeritatem poſtulantibus facto opus eſſet, definire; rationeſque in contrarium allatas haud magnifaciens, cuidam Confratrum noſtrorum ſub inobedientiæ pœna præcepit, ut cadaver in eadem Eccleſia, ubi facta foſſa fuerat, tumularet, qui tamen obſequi noluit; ut proinde, eo recuſante, Abbas ipſe manu propria id exequi coactus fuerit; ex quo tempore ſepeliendi curam Abbas Confratrum alteri demandavit. Cum porro haud ita pridem ſimilis caſus contigiſſet, recuſavit pariter Confrater Incolam ſepelire, Abbate id ei ſuadere fruſtra conante, qui quidem ad ſcandalum evitandum aſſenſus eſt defunctum in Clauſtro prope Capitulum ſepeliri.

Hac nempe de re veſtram, Doctores, ſententiam petimus; an ſcilicet ſatis gravi fundamento nitatur ſcrupulus noſter, cum detrimento obedientiæ & ſubjectionis, quam nos Superioribus noſtris edito voto promiſimus; an inobedientia noſtra hoc in caſu legitima ſit; an Confratres noſtri, qui Abbati in faciem reſtiterunt, recte egerint, necne; atque an nos in hac inobedientia formali perſiſtere debeamus, facta hypotheſi eamdem facti ſpeciem contingere, idemque ab Abbate nobis præcipi, an vero minime peccemus talia funera tolerantes & exequentes eo in loco, in quo probabiliter credimus hominem cum conjuge rem habuiſſe, prout nobis narratum eſt id eum jactaſſe? Stat ſententia veſtrum judicium ſequi, ſive affirmans, ſive negans, ne forte Abbatis, nihil aliud hac in re quam bonum quærentis voluntati reſiſtentes lædamus conſcientias noſtras, & pacem turbemus, præſertim cum locus hic ſepulturis aptiſſimus ſit.

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Eccleſiam cenſendam eſſe violatam & pollutam, ſi certum ac publicum factum fuit. Hæc veterum Canoniſtarum communis doctrina eſt. At ſi caſus tanquam verus & conſtans probari nequeat: nova Eccleſiæ conſecratione aut reconciliatione opus non eſſe. Nihil occurrere, quod evincat factum publicum fuiſſe, & *famoſum*, ut loquitur Archidiaconus in *C. Eccleſiis de conſecrat. diſt.* 1. ſi tam paucis innotuit. Cæterum haud ſtandum foret dictis hominis de ſua ſuppoſita culpa gloriantis, ni id fœmina fateretur, & coram Judice probari poſſet. Quamobrem id quod ſeniori Religioſo Domeſtici & Operarii narrarunt, inter incertos rumores referendum eſſet, ſi major notitia haberi non poſſet: & omnino Abbatis judicium ſenioris Religioſi narrationi anteponendum eſt. Si ergo negotium coram Judice probari non poteſt, & inter virum ac fæminam de re non convenit, rumoris hujus nulla habenda ratio eſt, niſi explorati teſtes adſint, ut tradit Pyrrhing. *de conſecrat. Eccleſ.* §. 3. *n.* 12. *ſub finem*: *Si vero fornicatio, vel ſeminis effuſio occulte facta ſit in Eccleſia; poſtea publice innoteſcat; ex eo tempore habetur Eccleſia polluta, & neceſſario reconciliari debet. Sylveſt. l.c. Azor. cit.c.* 5. *q.* 2. *ubi ait*: *Idem dicendum de ſupradictis caſibus, in quibus polluitur Eccleſia, haberi pro polluta, poſtquam cæperunt eſſe notorii per rei evidentiam, aut confeſſionem rei judicialem.* Nititur id auctoritate veterum Canoniſtarum in ſuæ ſententiæ confirmationem afferentium *cap.fin. de cohabitatione mulierum & Clericorum*, quod Clericum ſuſpenſum haberi vetat, *niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.* Porro cum aſſeri nequeat rem ipſam per ſe, & de facto evidentem eſſe, quippe quæ ratione non ſatis firma narrata fuerit, præſertim cum homo levitate ductus id jactare potuerit, neque id fæmina confirmaret, ſi in præſentia coram Judice probari nequit Religioſo ſeniori in eo, quod a ſervis, & Mercenariis ſe audiviſſe teſtatur, acquieſcendum non eſt; idque eo magis, ſi Monaſterium, de quo agitur, eſt in Gallia, ubi non admittitur notorietas facti propter externas res, & Juſtitiæ obnoxias, ſed ſolum notorietas Juris ex indagatione, & perquiſitione proveniens. Atque ita ſatisfactum creditur quæſtionibus ſingulis, ea dijudicata, quæ fundamentalis eſt; facta enim hypotheſi Religioſos non ſatis firmo fundamento niti, hinc cætera conſequuntur.

Deciſum hac die 25. Octobris an. 1690.

Auguſt. *de Lamet*.

C A S U S III.

Sacellum non eſt pollutum, propterea quod Hæretici ibidem ſepulti fuerint.

QUÆSITUM.

POteſtne Epiſcopus, aut Presbyter ab eo delegatus Sacellum benedicere ad Miſſam celebrandam, in quo inhumata fuerint hominum Religionem, quæ reformata dicitur, profitentium corpora, abſque exhumatione, quæ fieri non poteſt ob clauſulas in contractu inter venditorem, & emptorem ſoli, in quo dictum Sacellum poſitum eſt, inito exiſtentes?

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Sacellum minime cenſeri pollutum, profanatumve, propterea quod Hæretici, & Religionem informatam dictam profitentes homines ibidem ſepulti fuerint; quamvis enim Hæretici ſint excommunicati; & ex caſibus, in quibus locus ſacer profanatus cenſetur, is quoque ſit, cum nempe excommunicatus ibidem ſepultus eſt *cap. Conſuluiſti de conſecrat.* id accipiendum eſt poſt Extravagantem *ad evitanda* de excommunicatis denunciatis, quod ad omnes Hæreticos accommodari non poteſt.

Sane *cap. Quicumque de Hær. in* 6. quod Alexandri IV. Pontificis eſt, declaratur, locum ſacrum, in quo quis Hæreticos, eorumque fautores ſepelire auſus fuerit, Fidelium ſepulturæ in perpetuum ineptum fore. Additque deinde idem Pontifex dictorum Hæreticorum, eorumque fautorum corpora extrahenda, & extra eumdem locum projicienda eſſe, dummodo, quod ſupponendum eſt, a Catholicorum corporibus ſecerni poſſint, *cap. Sacris, de ſepult.*

Verum animadvertendum eſt cum Barboſa (*a*) Suarez (*b*) Bonacina (*c*) Sayro (*d*) Diana (*e*) aliiſque compluribus, citatum caput *Quicumque* id unum evincere eum locum ſacrum, de quo ſermo eſt, interdictum fore quoad ſepulturam, ne quis nempe Fidelium ibidem unquam ſepeliri poſſit; ad cætera vero nequaquam extendi. Quamobrem ibi ſacrum fieri, & divinum Officium recitari poteſt; quæ quidem legitime peragi non poſſent, ſi Sacellum, de quo quæritur, vere ac proprie pollutum, aut profanatum eſſet. En verba Sayri: *Quando Hæreticus traditur ſcienter Eccleſiaſticæ ſepulturæ, locus ille in perpetuum interdicitur quoad ſepulturam; ita ut nullus ibi poterit ſepeliri; quantum ad alia, locus ille non cenſetur interdictus.*

Hinc ſequitur nihil eſſe, cur Sacellum, de quo agitur, iterum benedicatur, quoniam pœna Juris nihil eſt aliud, quam interdictum, & prohibitio, ne quod Fidelium cadaver in eodem Sacello ſepeliatur. Ut hoc interdictum tollatur, confugiendum fortaſſe eſt ad Romanum Pontificem appellatorum Auctorum ſententia; non item quoad cætera, ſed ibidem licet, prorſus ut antea, Miſſam celebrari, & Officium recitari. Cadaveris autem extractio, ſiquidem locum haberet, abſque publica auctoritate facienda non eſſet; quamquam ejuſmodi exhumationi locus eſſe non creditur. Vide Suarez *loco cit. diſp.* 13. *ſect.* 4. *n.* 5. & Bonacinam *loco cit.* Et ſane ſi in Jure *c. Quicumque* Hæreticorum, de quibus ibi ſermo eſt, cadavera exhumanda eſſe declaratum eſt; id ſibi voluit Pontifex, ut ei obligationem & pœnam peculiarem imponeret, qui eoſdem Hæreticos ſepelire auſus fuerat, non autem generalem regulam iis verbis proponeret.

Deciſum in Sorbona hac die 12. Junii an. 1697.

G. *Fromageau*.

CASUS IV.

De profanatione Eccleſiæ Sancti S.....

QUÆSITUM.

SEmper mihi quidem, Domine, viſum eſt ad te confugere, tibique valde fidere. Eminentiſſimus Cardinalis abrogans Parochiam Sancti S... eamque redintegrans M..... præcepit, ut transferrentur terræ Sanctæ, ac deinde Eccleſia profanata remaneret; hæ terræ translatæ ſunt, excepta minima parte. Quidam indigne ferens locum ſanctum profanari, eum emit, & in Sacellum convertendum Pictoribus, & Sculptoribus tradidit. Eſt illud ſane pulcherrimum inter antiquitatis, quæ quidem nobis ſuppetunt, monumenta; exiſtit enim Eccleſia ſubterranea ter concava, quam ferunt omnium primam Sancti Dionyſii opera extructam fuiſſe. Sacellum hoc, poſtquam terræ aſportatæ ſunt, nulli profano uſui deſerviit; ajunt id unum, Bidellum nequam id ibi facere non eſſe veritum, quod celari poſtulat pudor. Tu me, quæſo, certiorem facias, an cum Cardinalis Sacellum hoc, aſportatis terris, profanatum iri pronunciaverit, nova benedictione opus ſit, meque tibi ſummopere devinctum ſcias.

RESPONSIO.

Ad actualem, Domine, hujus Eccleſiæ profanationem videtur neceſſe fuiſſe ædificia mutari, extructa, verbi cauſa, aliqua parte ædium, ne locus idem amplius cenſeri poſſet. Parietes ſunt adhuc benedicti, quamvis Cardinalis permiſſu terra ſancta ſublata fuerit; & quamvis Bidellus ibi turpia fecerit, id non impedit, quominus benedictio remaneat; ex quo concluditur, Sacellum, quod ibidem erigi placet, ſi ſtricte loqui velimus, nova benedictione opus habiturum non eſſe. Præſtat nihilominus, antequam manus operi admoveatur, Cardinalem adiri, ad ejus explorandam voluntatem, cognoſcendumque, an eam Eccleſiam, terris translatis, venalem reddens, jam tum voluerit necne eamdem profanatam cenſeri; uno verbo quemadmodum ſignificandum eſt Cardinali, in quem uſum placeat Eccleſiam hanc emptione converti, ita poteſt eodem tempore eidem proponi difficultas, de qua me honorificis litteris tuis conſulere voluiſti.

G. *Fromageau*.

CASUS V.

Nemini privato locari, vendi, aut fœnori dari poſſunt Domicilium, Clauſtrum, Eccleſia Prioratus Conventualis, in quo non amplius viget Conventualitas, vel ſi Ordinarius permiſerit; ſed ad Romanum Pontificem confugiendum eſt.

QUÆSITUM.

CApitulum N..... impetrata unione Prioratus Conventualis, in quo Conventualitas non amplius ſervabatur, Domicilii, Clauſtri, Eccleſiæ, omniumque ejuſdem Prioratus ædificiorum proprietarius evaſit. Ædificia hæc, ut ſe quidem habent, Capitulo quodammodo incommodo ſunt, cum non facile reperiri poſſit alia Communitas regularis, quacum res componi poſſint. Publicani ſibi poſtulant hæc ædificia, ut publici ſalis Horreum conſtituant; & quia domicilium non ita capax eſt, ſibi quoque concedi petunt Eccleſiæ Navem, ut Horreum ædificent; Navis hæc pergrandis eſt, ſed inelegans, ſemperque extitit perinutilis; ſtructura eſt valde ſimplici, ac valde rudi, non eſt arcemata, & hoc potiſſimum tempore nulli uſui eſſe poteſt.

Si Chorus hinc, quantum rectus ordo requirit, ſejungatur, Sacellum ſatis elegans, & ſatis juſtæ magnitudinis conſtrui poteſt, quod, ut decet, ſervari poterit, & in quo aliquot Miſſæ celebrari poterunt, quodque ſatis veterem Eccleſiam repræſentabit.

Quæritur, an Epiſcopus (ſuppoſita unione a Pontifice conceſſa) permittere poſſit ea loca regularia, eamque Eccleſiæ Navem locari, vendi, ſeu fœnori dari iis, quos diximus, Publicanis, ut in finem propoſitum iiſdem utantur?

Epiſcopi, qui poſſunt Eccleſias corruentes deſtruere, cum non eſt, quo, aut cur reficiantur, & rudera in profanos uſus conferre, nonne poſſunt etiam Eccleſiæ partem, quæ jacet inutilis, quæque gravibus reparationibus obnoxia eſt, profanare, cum ſit pars minus nobilis, cumque pars, quæ ſupererit in Sacellum converſa, ſatis valeat Eccleſiam veterem exhibere?

Dictum Capitulum ob unionis Bullas, ob aliquorum Religioſorum penſiones; & ob non parum æris alieni, quo Prioratus laborat, gravibus impenſis ſubditur, ut proinde admodum ſero ex unione lucrum ſperare poſſit; cum contra ædificiorum locatio, vel proventus, qua propoſitum eſt ratione, magno ei ſubſidio futurum ſit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Capitulum, de quo quæritur, in præſentia donatum proprietate Domicilii, Clauſtri, & Eccleſiæ Prioratus Conventualis, in quo non amplius adeſt Conventualitas, & cujus unionem a Pontifice dictum Capitulum impetravit, non poſſe locare, vendere, fœnori dare loca regularia Publicanis, ut ex iis ſalis horrea conficiant, vel Ordinario permittente, multoque minus Eccleſiæ Navem.

Quod attinet ad quæſtionem primam, quæ ad regularia loca ſpectat, Chalcedonenſe Concilium Can. 23. prohibet, ne Monaſteria annuente Ordinario extructa alienentur, & Sæcularibus habitanda tradantur: *Quæ ſemel dedicata ſunt Monaſteria cum Conſilio Epiſcoporum, maneant perpetuo Monaſteria; & res, quæ ad ea pertinent, Monaſteriis reſervari oportet, nec poſſe ultra fieri ſecularia habitacula; qui vero permiſerint hæc fieri, ſubjaceant iis condemnationibus, quæ per Canones conſtitutæ ſunt.* Gratianus affert in ſuo Decreto

(*a*) Barboſa in cap. Quicumque de Hæret. in 6.
(*b*) Suarez tom. 5. diſp. 37. ſect. 1. circa finem.
(*c*) Bonacina tom. 2. de excom. in part. diſp. 2. q. 2. punct. 30. p. 177. & de interd. in partic. diſp. 4. q. 3. p. 7.
(*d*) Sayrus lib. 5. cap. 2 de cenſ. n. 1.
(*e*) Diana 9. p. tr. 8. reſol. 1.

creto Canonem hunc 19. *q.* 3. *c.* 4. *quæ ſemel*. Urbanus IV. *cap. Ad hæc de Religioſ. domib.* ait locum religioſo cultui ſemel dicatum ad profanos uſus non amplius transferri poſſe, eamque eſſe veterem conſuetudinem Sanctorum Patrum ſententia firmatam: *Quod ſi locus ad hoſpitalitatis uſum & pauperum proviſionem fuerit, ſicut moris eſt, auctoritate Pontificis deſtinatus, cum ſit Religioſus, non debet mundanis uſibus deputari, ſicut antiqua conſuetudo indubitanter obſervat, & venerabilium PP. docent ſanctiones.*

Id ſane conforme eſt Juris Regulæ, quæ quinquageſima prima eſt *in* 6. *ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum*. Henricus Caniſius Juriſconſultus magni nominis in ſuis in hanc Regulam adnotationibus ait eam de Monaſteriis, quemadmodum de rebus aliis Divino ſervitio conſecratis intelligendam eſſe: *Deo dicata dicuntur Ædes Sacræ, altaria, Cœmeteria divino cultui vel Religioni conſecrata, quæ idcirco humano commercio exempta ſunt, ac nullius in bonis eſſe dicuntur, adeo ut ne ligna quidem Eccleſiæ dirutæ, vel collapſæ, in uſum Laicorum transferri poſſint, ſed vel alteri Eccleſiæ ſive Monaſterio applicanda, vel igne exurenda ſunt. Continentur & hac Regula noſtra Monaſteria & Hoſpitalia Epiſcopi auctoritate erecta.*

Ita communiter ſentiunt Theologi & Canoniſtæ, Sylveſter *v. Eccleſia* 2. *q.* 2. & *v. Benedictio* §. 7. Barboſa *de jure Eccleſ. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 14. Pyrrhing *tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 48. *n.* 24. *de Eccleſiis ædific. & reparand. & tit.* 36. §. 4. *num.* 21. & 32. *de Religioſ. domib.* Azor. *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 11. Layman *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 13. *n.* 6. Tamburinus *tom.* 3. *de jure Abbat. diſp.* 5. *q.* 7. *n.* 4

Quoniam ergo Monaſterii ad profanos uſus translatio prohibetur in Jure, hac in re ſolus Pontifex diſpenſare poſſe videtur; atque ita poſſunt quidem hujus Capituli Canonici regularibus locis uti, prout ſe habent, in proprium commodum, propriumque Domicilium; is enim eſſe videtur unionis effectus; at minime poſſunt eadem loca non mutata ad profanos uſus transferre, aut ad Laicorum habitationem; adeoque niſi per Bullam unionis dicti Prioratus Capitulo, de quo agitur, id liceat, eam veniam a Pontifice petere debet.

Quoad quæſtionem alteram reſpondetur, dicto Capitulo minus indecorum fore, ſi de Ordinarii licentia tradat loca regularia Publicanis, de quibus dictum eſt, ut inde ſalis horreum conſtituant, niſi mos obtineat, ut Romanus Pontifex adeatur, quam ſi iiſdem in eumdem uſum ejuſdem Eccleſiæ Navem concedant; Eccleſia enim, omneſque partes, ex quibus coaleſcit, donatæ ſunt benedictione, quæ eas conſecrat, quæque ex profanis ſacras efficit, ad earum rerum diſcrimen, quæ in eum tantum finem ſunt benedictæ, ut ſpeciali Dei præſidio gaudeant; ita ut ſi nulla adſit mutatio, nec ſerventur eæ cæremoniæ, quæ ad earum conſecrationem delendam faciunt, nunquam ad profanos uſus transferri poſſint. Quod ut clarius explicetur, poſſunt tria vel quatuor animadverti.

Primum. Non poſſe res ſacras profanis uſibus deſtinari, donec integræ remanent, propriamque figuram retinent; hæc D. Thomæ ſententia eſt 2. 2. q. 88. art. 11. *Illud quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios uſus commutari: non poteſt autem facere aliquis Eccleſiæ Prælatus, ut id quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta quod calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer.* Gregorius Toloſanus in Jus Canonicum *l.* 1. *tit.* 4. *c.* 13. *n.* 2. huic ſententiæ ſubſcripſit *Quamdiu conſecrata manent, non debent uſibus mundanis deputari, niſi formam amittant, vel conſecratio deleatur; veluti ſi vaſa ſacra frangantur vel conflentur.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *c.* 8. *n.* 5. & *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 8. §. *ult.* eamdem ſententiam amplexus eſt: *Ædes, ſeu res ſacræ non poſſunt ad uſus profanos ſervire, quamdiu formam ſuam retinent.* Videri poſſunt ſuper hac re etiam Auctores ſupra citati.

Alterum. Eccleſiæ id habent peculiare, ut non perinde ac Calix vendi poſſint, quia publici juris ſunt, & in Jure Canonico prohibetur earum venditio. Tradit id ſingillatim Cabaſſutius *l.* 5. *c.* 6. *n.* 7. *At vero ſecus dicendum de Eccleſiis; etſi namque in his quoque par videatur ratio, earumque ſit materialis ſubſtantia, cui acceſſorie jungitur benedictio, vel conſecratio; jus tamen Canonicum de his declarat ſpeciatim, neque vendi, neque redimi poſſe, cap. Querelam de Simon. Quin imo diſpar quoque ratio in his exiſtit. Calices enim, portatilia altaria, coronæ, vel imagines benedictæ, quibus eſt annexa indulgentia, poſſunt ad privatorum dominium pertinere, templa vero ſemel dicata publici juris ſunt. cap. Noverint* 20. *q.* 1. Cum permutatur Eccleſia, cum alia Eccleſia eſt permutanda, inquit Gregorius Toloſanus *loco cit.* cum etiam de Superioris licentia, ad quem ſpectat eam veniam dare, venditur Eccleſia, percepta pecunia in alterius Eccleſiæ emptione impendenda eſt, inquit Layman *tract. de rebus Eccleſiæ non alienandis n.* 68. *Clerici, vel Religioſi deſerentes ſuam Eccleſiam, & aliis tradentes, ab iis pecunias accipiant, non ut pretium, ſed ad ædificandam alibi Eccleſiam, dummodo hæc fiant cum legitima Eccleſiaſtici Superioris auctoritate.*

Tertium. Ut res conſecrata, cauſa exempli, Calix, aut Eccleſia ad humanos uſus transferri poſſit, profanari debet, ut monet Toloſana Synodus an. 1590. celebrata *c.* 117. apud Buchelum l. 4. tit. 1. *De Sanctis Eccleſiis: Eccleſiarum, Cœmeteriorum, Sacrorumque aliorum locorum profanationes injuſſu Epiſcopi non ſunt tentandæ, & receptis ab Eccleſia cæremoniis ſunt perficiendæ*, &c. Ita quoque ſentiunt Auctores ſupra laudati, & Zerola *v. Viſitatio* §. 9. Tridentina Synodus *ſeſſ.* 2. *de Reform. cap.* 7. id ponit tanquam certum, dum de collapſæ Eccleſiæ ruderibus ita loquitur: *Transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Eccleſias dirutas in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi*. Cardinalium quoque Congregatio in hunc Synodi locum id ipſum ſupponit, dum ait, Epiſcopum poſſe, ſi ei videatur, in domicilia, aut loca publica dirutas Eccleſias convertere: *An autem, & quando ruinatæ Eccleſiæ converti poſſint in privatas domos, aut loca publica, ad uſus ſordidos, relinquitur arbitrio Ordinarii decidendum.* Conſuli poteſt S. Carolus Borromæus de rationibus Eccleſias profanandi, Actorum ſuorum *l.* 4. *tit. de profanandis* Eccleſiis.

Quartum. Tantum abeſt, ut Eccleſiæ poſſint profanis uſibus inſervire, ſi Jus Canonicum ſequi volumus, ut ne cæmentis quidem Eccleſiæ dirutæ uti liceat ad privatas domos, vel loca publica conſtruenda *c. Ligna, de conſ. diſt.* 1. *Ligna Eccleſiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni ſunt comburenda, vel ad profectum in Monaſterio fratribus; in Laicorum vero uſum non debent admitti.*

Hoc poſito, apparet Capitulum, de quo in Expoſitione dictum eſt, non poſſe locare, aut vendere Navem Eccleſiæ Prioratus, quia ſervat adhuc formam & figuram, quam antea habebat, Navis Eccleſiæ, cujus erat pars non mediocris; ſolum adhuc ſacrum eſt, & ut eſt vero ſimillimum, Fidelium ibidem ſepultorum cadavera continet; parietes ſunt benedicti, & quoad dicta Navis profanata, videlicet deſtructa fuerit, cum Superioris Eccleſiaſtici permiſſione, ſemper ea ſuam priſtinam conſecrationem ſervare cenſebitur. Quamvis autem Chorus a Navi ſeparetur, non tamen ſatis licitus ejus uſus ad propoſitum finem oſtenditur; quia clauſura hæc non impediet, quominus intus, ac foris ædes ea & eſſe & fuiſſe Navis Eccleſiæ videatur, adeoque ſemper eidem loco accommodari poterunt hæc Exodi verba *cap.* 3. *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Petenda eſt in hac facti ſpecie a Pontifice diſpenſatio, ſiquidem eam concedere velit, quoad Navis potiſſimum futurum uſum, proptetea quia ad eum pertinet, & non ad ullum Ordinarium diſpenſare in Eccleſiæ Regulis communi Jure firmatis; ac ſi, prout in Jure decernitur, Eccleſiæ dirutæ rudera in profanis uſibus impendi non poſſunt, præſertim ſi quod adſit veſtigium, ex quo cognoſci poſſit eadem Eccleſiæ partem fuiſſe; id multo magis verum eſt de loco, quem Eccleſiæ magnam partem fuiſſe liquido apparet, quique ſuam adhuc formam retinet; ut proinde indignum ſit in ea Navi ſalem collocari, & ex ea Horreum confici; eſſet ſane, cur illud perperam ædificatum cenſeretur.

Deciſum in Sorbona hac die 14. Julii an. 1693.

G. *Fromageau*.

ECCLESIASTICI.

Eccleſiaſtici nuncupantur ii omnes, qui varios Cleri Ordines conſtituunt, videlicet omnes Clerici tam Majores, quam Minores. Primas tenent Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui omnes ſunt ſacris Ordinibus inſigniti. Secundo loco veniunt ii Clerici, qui Tonſuram, aut minores Ordines ſuſceperunt, ſuntque numero quatuor, Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, & Acolyti. In Chriſtianæ Reipublicæ Regnis omnibus ſemper Clerus trium Statuum primus extitit; eique magna vel a primis temporibus privilegia conceſſa ſunt. Eduardus Cambertenus in ſuo Tractatu de præſenti Angliæ ſtatu de hujus Regni Clero verba faciens animadvertit, quemadmodum Imperatores Romani quibuſdam Privilegiis decorare ſolebant eos Milites, qui publicæ ſaluti adverſus externos hoſtes invigilarent, pugnarentque, ita quaſdam immunitates iis concedi oportere, qui eidem ſaluti invigilant, pugnantque contra domeſticos hoſtes, qui ſunt Mundus, caro, & Diabolus.

In Galliis quoque videmus Reges noſtros de Eccleſiarum, de Eccleſiaſticorum, deque eorumdem bonorum privilegiis, immunitatibus, exemptionibus cuſtodiendis ſe ſollicitos exhibere. Confirmavit Carolus Magnus Privilegia omnia, quæ ejus Præceſſores Eccleſiæ Miniſtris conceſſerant, in hæc verba: (a) *Ut privilegia, quæ Eccleſiis & Clericis ab Anteceſſoribus noſtris, vel nobis conceſſa ſunt, ſemper maneant incorrupta*. Deinde Juriſdictionem Eccleſiaſticam confirmavit verbis hiſce: (b) *Clerici non ſæcularibus Judiciis, ſed Epiſcopali audientiæ reſerventur; fas enim non eſt, ut divini muneris Miniſtri temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio*. Statuit etiam, *ut Clerici nulli fiſcali aut publico ſubdantur Officio, ſed liberi ab omni humano ſervitio Eccleſiæ deſerviant*. Sanctus Ludovicus Rex renovavit, confirmavitque omnia Privilegia, quæ ipſius Anteceſſores Eccleſiæ, ejuſque Miniſtris conceſſerant, Pragmatica Sanctione an. 1268. his verbis: *Libertates, franchiſias, immunitates, prærogativas, jura, privilegia, quæ per inclytæ recordationis Francorum Reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſive per nos Eccleſiis, & Monaſteriis, atque piis locis, Religioſis, necnon perſonis Eccleſiaſticis regni noſtri conceſſa ſunt, renovamus, approbamus, & confirmamus*. Denique videri poſſunt hac in re Conſtitutiones Caroli V. an. 1359. Caroli IX. an. 1572. Henrici III. an. 1577. Henrici IV. an. 1597. & Ludovici XIII. in ejus Patentibus Litteris menſis Septembris an. 1619. & menſis Julii an. 1624.

Ex omnibus his Conſtitutionibus compertum fit Eccleſiaſticis omnia ſuarum perſonarum, ſuorumque bonorum privilegia, libertates, franchiſias ſervari. Mandat Carolus IX. ut gaudeant omnibus exemptionibus ipſis conceſſis, prohibetque, ne quid iis quacumque de cauſa ſolvendum injungatur abſque expreſſo ſuæ Majeſtatis imperio. Ex aliis Patentibus Litteris Ludovici XIII. an. 1626. a quibuſcumque Vectigalibus eximuntur. Declaratus eos obnoxios non fore Beneficiariorum militum evocationi, Prædio nobili in manu ingenui, & novis acquiſitionibus, taxationi pauperum, ædificiorum tributis, mutuationibus, doniſque gratuitis, ſubventionibus, impoſitioni pro induſtria, annonæ comparandæ, armis, hoſpitum militum ſupellectili vaſariæ, lignis, candelis, vectigalibus pro habitatione Rectorum, (c) Præſidii, & Militum, tum quoad tranſitum, tum quoad domicilium, ſalis tributo. Occurrunt Reſcripta plura, quibus eximuntur a vectigalibus, militum alimentis, ſubſiſtentiis, taxationibus aliſque id genus tributis. Denique per alia liberantur a tutelis & curatelis Minorum, ad quas adigi non poſſunt, quamvis ipſi eas ultro ſubire poſſint, exceptis Epiſcopis, & Regularibus, ut eſt in Codice.

Itaque D. Cyprianus memoriæ tradit ætate ſua in Epiſcoporum Synodo ſtatutum fuiſſe, ut ſi quis Laicus moriens negotiorum ſuorum curam, ſuorumque filiorum tutelam Presbytero demandaſſet, ne preces pro eo funderentur in ejus culpæ punitionem, neve pro ejus anima ſacrificium ullum offerretur: *neque enim*, inquit, *apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare*, &c. Ex quo liquet, quanto Eccleſiaſticis horrori eſſe debeant mundi, ſæculiſque ſollicitudines, ſiquidem qui iis ipſos addicunt, ab Eccleſiæ Præſulibus tam gravibus pœnis mulctantur; id quod eo nititur, quod (d) ad Timotheum docet D. Paulus: „ nemo militans Deo „ implicat ſe negotiis ſæcularibus, quia reputare debet ſe divinis rebus addictum non debere omnino „ aliis negotiis, curis, officiis ſæcularibus detineri, ut ſe totum det Evangelico miniſterio. Cætera „ non ſunt eo digna, qui pro cæleſti æternoque Regno laborat & certat “. Qua de cauſa Eccleſiaſtici Tonſuram ſuſcipientes declarant Eccleſiæ, quæ eos in Clericorum numerum recipit, Dominum partem, & hæreditatem ſuam eſſe.

Baptizatus quiſque rationis uſum adeptus poteſt, Tonſura recepta, Eccleſiaſticum ſtatum amplecti; ſed ex Tridentino Concilio conditiones has quatuor habere debet, I. ut ſit confirmatus. II. ut ſciat legere. III. ut calleat præcipua Fidei Myſteria. IV. ut ſponte ac libere eum ſtatum eligat, quo reliquo vitæ tempore Deo perfectius inſerviat, & ad ſacros Ordines ſeſe comparet. Suſcipiendæ porro Tonſuræ ætatem Synodus non definiit, veterem hac in re ſecuta morem Eccleſiæ, quæ id Epiſcoporum prudentiæ integrum relinquebat; verum ſtatim atque Adoleſcentes hunc ſtatum amplexi fuerint, vivant oportet, ut Clericos decet, & Clericalia ſigna deferant, Habitum videlicet & Tonſuram.

Summopere porro monendi ſunt, ut id perficiant, & in habitu, cæteriſque rebus omnibus Eccleſiaſticam modeſtiam exhibeant, & ſcandalum, malumque exemplum, quod alioquin afferrent, evitent. Illud tantummodo cavendum eſt, ne ipſis externæ res hæ, tanquam eorum profeſſioni obligationes præcipuæ proponantur, atque ita in ipſis infrigatur Eccleſiaſtica vera ratio, quæ rebus quidem majoribus, gravioribus, ac divinioribus continetur. Quamobrem vehementius illi ac tutius ad Eccleſiaſtici Status inſignia geſtanda adduci nequeunt, quam ſi, non niſi eorum vocatione ſatis ad trutinam revocata, ſuſcipiantur. Si enim vere a Deo ſunt vocati, ſi ad ſe ejus ſervitio devovendo ſuopte inſtinctu feruntur, & ſi mundum, ejuſque voluptates omnes, omnia negotia, ſenſa omnia, ut par eſt, effugiunt, contemnuntque, nihil profecto erit, cur de proprii ordinis communibus & ſenſibilibus obli-

(a) Lib. 5. & 6. de ſex Capitularibus c. 186, 102. & 109,
(b) Idem ibid. lib. 7. cap. 131.
(c) Cod. lib. 1. tit. 3. l. 52. & in cap. 5. Nov. 123.
(d) Ad Timoth. cap. 2, v. 4.

obligationibus moneantur; ſed ipſi ſuapte ſponte præſtabunt, quicquid Deo gratum, eique teſtandæ, qua flagrant, ejus coram Angelis & coram hominibus, ut fideles Miniſtros decet, honorandi cupiditati accommodatum eſſe judicaverint. Non perſequemur hoc loco ſingillatim cæterorum Ordinum, ut Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum obligationes, contenti generales obligationes in præſentia proponere, præſertim cum poſſimus ſubinde de cæteris verba facere.

Eccleſiaſticus in cauſa criminali teſtis.

CASUS I.

Eccleſiaſticus in Gallia tenetur de crimine deponere, certis tamen adhibitis præcautionibus.

QUÆSITUM.

Eccleſiaſticus juridice interrogatus de crimine, in quo agitur de rei morte, debetne edicere, ſi a reo crimen, cujus accuſatur, patrari ſuiſmet oculis vidit?

Responsio.

Reſpondetur, Eccleſiaſticum juridice interrogatum de capitali crimine, ubi de accuſati morte agitur, teneri in Gallia dicere, quod ſcit. Sed antea, plurium Theologorum ſententia, palam profiteri debet id ſe tantum facere adactum Juſtitiæ vi, nec, dum contra reum deponit, id ſibi velle, ut mors, aut aliqua alia pœna afflictiva ſequatur.

Deciſum Pariſiis hac die 23. Auguſti an. 1676.

Auguſt. *de Lamet.*

Eccleſiaſticus Puellas docens.

CASUS II.

Eccleſiaſticus, qui Puellas docet, excommunicatus eſt, ſi id Epiſcopus edita Conſtitutione ſub excommunicationis pœna prohibuerit.

QUÆSITUM.

Excommunicatus ne eſt Eccleſiaſticus Puellas docent, Epiſcopo ſub pœna excommunicationis ipſo facto id per Conſtitutionem vetante? Creditur is id facere bonitate quadam, atque adeo ad ejuſmodi cenſuram animum cogitationemque non referens.

Responsio.

Conſcientiæ Conſilium, quod expoſitionem vidit, exiſtimat Eccleſiaſticum, repugnante Epiſcopi Mandato, Puellas docentem in excommunicationem incidere; nec poſſe ex bonitate ita ſe gerere, ſi faciat optime conſcius Epiſcopum ſuum ſub excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœna id prohibuiſſe. Quod ſi id ignoraret, & Puellas has inconſulto doceret, excommunicationem nullam incurreret; quod tamen difficillimum factu eſt, quippe cum credibile non ſit, quempiam de hujuſmodi negotio non cogitare.

Deciſum Pariſiis hac die 23. Auguſti an. 1674.

Aug. *de Lamet.*

Eccleſiaſticus fictam cæſariem deferens cum tonſura ex pergamena.

CASUS III.

Regulæ magni ponderis ſuper Eccleſiaſticorum ficta cæſarie, eorumque Tonſura.

QUÆSITUM.

Humillime rogantur Doctores, ut ſequentes Caſus evolvant, definiantque.

I. An Beneficiarius, & ſacris Ordinibus initiatus ſive in Eccleſia, ſive per Urbem, fictam comam ad humeros deſcendentem, criſpatam, cyprioque pulvere ſparſam Laicorum more geſtare poſſit?

II. An Corona ex Pergamena, aliave ejuſmodi re appoſitis crinibus annexa cenſeri poſſit Corona Clericalis, qualem Concilia Pontificumque Conſtitutiones requirunt?

III. An permittendum ſit Presbyterum cum ejuſmodi ficta coma, & cum ejuſmodi Corona Miſſam celebrare? An etiam Eccleſiæ Officialibus ea venia danda ſit, ut ita compoſiti functiones ſuas obeant?

IV. An in univerſum Beneficiarius, vel inſignitus ſacris Ordinibus poſſit tuta conſcientia fictam cæſariem deferre non quidem neceſſitatis cauſa, ſed ut elegantior appareat, ſeque vulgari conſuetudini magis accommodet?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, quoad interrogationem primam, Beneficiarium, eumve, qui in ſacris Ordinibus eſt conſtitutus, non poſſe tuta conſcientia ſive in Eccleſia, ſive per Urbem deferre fictam comam ad humeros uſque promiſſam, criſpatam, cyprioque pulvere ſparſam, omnino Laicorum more, propterea quod a primis uſque temporibus ea ſemper in Eccleſia Regula obtinuit, ut Clerici brevem comam deferrent, ut animadvertit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui *de Divinis Officiis lib.* 1. *cap.* 3. praxim hanc repetit a diſciplina ab Apoſtolis inſtituta: *Hujus ergo exempli uſus*, inquit Sanctus hic Pater: *ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt ſancti Dei, crine præciſo, innoventur.* Martinus Bracarenſis Epiſcopus hanc praxim nos docet in ſua collectione cap. 66. quam Ivo Carnotenſis refert in ſuo Decreto *part.* 6. *c.* 378. in hæc verba: *Non oportet Clericos comam nutrire, & ſic miniſtrare, ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron talarem tunicam induere, ut ſint in habitu ornato.* At Toletana quarta Synodus Lectores in Gallecia exiſtentes vituperat, qui in capitis ſummitate Coronam geſtare contenti, cæterum longos crines, ut Laici, deferre conſueverant; ita porro eos damnat cap. 41: *Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes detonſo ſuperius toto capite, inferius circuli Coronam relinquant: non ſicut hucuſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis ut Laici comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania hucuſque Hæreticorum fuit; unde oportet, ut pro amputando Eccleſiæ ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & una ſit Tonſura, vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, fidei Catholicæ reus erit.* In hanc rem paſſim occurrunt Regulæ in Juris Canonici Corpore; *in Decret. diſt.* 23. *c. Prohibete: Prohibete, Fratres, per univerſas Regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant*; & in eadem diſtinctione c. Clerici: *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono, ſi noluerint, detondantur*; id quod iiſdem prope verbis tradit Alexander III. ſcribens ad Archiepiſcopum Cantuarienſem *cap. Clerici, extra de vita & honeſtate Clericorum*; quod evidenter oſtendit ordinem & diſciplinam Eccleſiæ, jubentis, ut vel vi adigantur Clerici, qui parere noluerint.

Quoad interrogationem ſecundam, reſpondetur, Coronam ex Pergamena, aut ex alia re carnis ſpeciem gerente fictis comis appoſitam Conſilio ſubſcripto non videri pro Clericali Corona habendam eſſe, cujuſmodi eſt ea, quam Concilia & Pontificum Decreta inſtituerunt, cum in iis ſermo ſit de Corona, quæ tonſis capillis fit: *Detonſo ſuperius toto capite, inferius circuli coronam relinquant*, verba ſunt Toletani Concilii quarti; & *in c. prohibete: deſuper* ca-

caput in modum ſpheræ radant. Venerabilis Beda *de Geſtis Angl. lib. 5. cap. 22*: *Neque ob id tantum*, inquit, *in Coronam attondemur, quia attonſus eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſſionis ita attonſus eſt: iccirco & nos qui per eamdem Paſſionem ſalvari deſideramus, ipſius Paſſionis ſignum in vertice, ſumma videlicet corporis parte geſtamus*. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis loco jam appellato: *Quod vero*, inquit, *detonſo capite ſuperius, inferius circuli Corona relinquitur, Sacerdotium, Regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari*. Ut proinde vere poſſit pronunciari Clericalem Coronam ex priorum capillorum reciſione faciendam eſſe; neque alia in antiquis monumentis Coronæ Clericalis notio nobis occurrit; adeoque appoſita Corona hæc ejuſmodi cenſeri nequit. Illud igitur ſaltem, cum ficta coma defertur, curandum eſt, ut Corona Clericalis appareat, & quidem potiſſimum dum ſancta Myſteria celebrantur. Si enim ea eſt Eccleſiæ mens, ut ad Miſſam cum pileolo celebrandam permiſſu opus ſit, & ille quidem conſecrationis tempore deponatur, ut appareat denudatum caput eſſe eo in Actu, qui cum reverentia eſt peragendus: potiore ſane jure nihil eſt, ſubſcripti Conſilii ſententia, cur ficta Corona, quæ Clericalem, ex qua Presbyter dignoſcitur, obtegat, caput operiat.

Quoad interrogationem tertiam, Epiſcopum adeundum eſſe, & ſuper hac conſuetudinis novitate, quæ temere irrepſit, ab eo impetrandam Reformationem, & hanc quidem deinceps ſedulo executioni mandandam eſſe.

Quoad quartam, Beneficiarium, aliumve ſacris Ordinibus inſignitum non poſſe tuta conſcientia fictam comam deferre citra neceſſitatem, ut ſit paulo elegantior, ſeque melius ſæculari uſui conformet; hanc porro neceſſitatem haud ſummo jure accipiendam eſſe, ſed uſque ad congruentiam extendi poſſe; dummodo id non fiat animo magis mundo placendi, & in iis ſocietatibus honorificentius verſandi, quæ Eccleſiaſticis parum congruunt; hac de cauſa hæc ficta cæſaries ad modeſtiam redigenda eſt, aut capilli eſſe debent Eccleſiæ inſtitutioni conformes.

Deciſum Pariſiis hac die 8. Septembris an. *1677*.

Auguſtinus *de Lamet*.

Eccleſiaſtici ſuſceptas fæminas frequentantes.

CASUS IV.

1 *Epiſcopus, qui intelligit Ruſticanos Presbyteros abſque neceſſitate ad nuptas mulieres frequentius ſe conferre, aliiſque propterea ſcandalo eſſe, debet generalem Conſtitutionem Canonibus nixam edere, ad ſimiles frequentationes vetandas, ſuoque Officiali in mandatis dare, ut Presbyteros refragantes condemnet.*

2 *Si quis horum Presbyterorum convinceretur rem habuiſſe cum fæmina, quam frequenter inviſit, ante quam nuberet, eum Conſtitutio vehementius obligaret, & facile hac probatione reprimi poſſet.*

3 *Si quam ex his domibus libidinis & proſtitutionis locum eſſe probaretur, poſſet Epiſcopus per Regis Procuratorem contra maritum & conjugem agere; ac ſi quis Presbyter per inquiſitionem convinceretur hanc domum frequenter adiviſſe, penes Officialem jus eſſet ejus puniendi pro ſacrorum Canonum vi; ſi vero ille a ſententia tanquam ab abuſu appellaret, eum Senatus tanquam reum condemnaret.*

QUÆSITUM.

RUris Parochi, aliique Eccleſiaſtici bene multi Epiſcoporum prohibitionibus territi ſuſpectas fæminas ſecum tenere non audentes, eas ſibi prorſus devotas in matrimonium tradunt hominibus omnino ſibi devinctis, & in proximis domibus collocant; ibi eas liberrime viſunt, ibi comedunt, & tanquam domi ſuæ ibidem vivunt; adeoque veroſimillimum ſit eos pravo commercio cum hujuſmodi fæminis inquinari, Maritis turpiter conniventibus, quod indigenis ſcandalo eſt. Monent quidem Superiores Presbyteros hoſce, jubentque ab hujuſmodi ſcandaloſis frequentationibus abſtinere; ſed id nec producit, nec producet effectum ullum, niſi illi pœnis Canonicis adigantur. Quamobrem quæritur, quomodo cum his Eccleſiaſticis agendum ſit, ut ii quidem ab his ſcandaloſis frequentationibus arceantur, quin tamen mariti merito queri poſſint ſuarum conjugum famam lædi, quippe quæ tanquam malæ vitæ fæminæ traducantur, & quin jure dicere poſſint ſui matrimonii pacem hac ratione turbari?

Quæritur & illud, quid optimum factu eſſet, ſi probaretur hos Eccleſiaſticos pravo commercio cum his fæminis nuptis miſceri, & quid conſilii ineundum ad ſcandalum, maritis minime querentibus, reprimendum; quia ſcilicet id in Aula firmum ſtat, ne indirecte quidem in adulterii crimine contra fæminam agi poſſe, cum maritus minime queritur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Epiſcopum Canonicis & in Regno uſitatis rationibus ægre admodum obtinere poſſe, ut hi Eccleſiaſtici redeant ad bonam mentem, licet ex *c. Si quiſquam de cohabitatione Clericorum & mulierum* ſub excommunicationis pœna Presbyteris & Clericis prohibeatur, ne fæminas de crimineſo cum ipſis commercio ſuſpectas alloquantur, poſtquam ter moniti fuerint; quia ſcilicet matrimonium, ut eſt in Jure, tegit crimen, cujus regulariter loquendo non alii accuſatores, quam mariti excipiuntur. Cum ergo illi adeo perditi ſunt, ut huic turpitudini aſſentiantur, haud facile hi nequam Presbyteri puniri poſſunt, præſertim cum, prout quidem propoſitus caſus eſt, nihil certum appareat, adeoque nulla Juris præſumptio, nihilque notorium occurrat. In hujuſmodi negotio, ut habet Jus ipſum, per inquiſitionem procedendum eſt. (Vide *cap. Tua nos* eodem titulo.) Id porro propter matrimonium fieri non poteſt; pars tamen publica, Regius ſcilicet Procurator poſſet Maritum aggredi, ſi ſibi probaretur eum domum ſuam libidinis, impuritatis, & proſtitutionis locum efficere. Et tunc ſi hi Presbyteri in inquiſitione convincerentur, Promotor in eos tanquam adulterii criminis reos agere poſſet, non obſtante aliquorum Auctorum ſententia contendentium de hoc crimine apud ſæculares tantum Judices agi poſſe; cum contrarium deciſum fuerit Senatus Reſcripto (cujus meminit, *Louet v. Impudicitia*) quo Aula Sententiam confirmavit Officialis *de Gueret*, qui Socerum exceperat teſtantem Nurum ſuam, abſente viro, cum Avo ſuo proximæ Parochiæ Rectore licenter vivere.

Verum ſi ante matrimonium probatum fuiſſet pravum commercium inter Presbyterum & fæminam, iſque frequenter ipſam adire jam prohibitus eſſet, eadem prohibitio iterari poſſet ex cap. *Si quiſquam*, quin marito ſubeſſet querendi cauſa; propterea quia magna familiaritas poſt patrati criminis probationem efficit juſtam præſumptionem Juris; atque ita ſcandalum dubio procul inde proveniens per matrimonium purgari non poteſt.

At ſi nulla ante matrimonium extitit prohibitio, ſtandum eſt Regni Juriſprudentiæ, quæ alibi quoque ſervatur, ut videri poteſt apud *Lopez Salſedo Practicæ criminalis Canonicæ c. 85.* ubi agit de adulterio. Tradit enim eam pariter in uſu eſſe in Regnis Caſtellæ & Legionis in Hiſpania; quamquam addit Eccleſiaſticum Judicem ad eam tenendam non obligari, ſed Clericorum, quos reos detegit, crimen punire poſſe, vel marito minime conquerente: *Unum præterea advertendum ſentio*, inquit ille, *in hoc propoſito, quod licet in his regnis Caſtellæ & Legionis lege regia ſancitum ſit, quod marito non accuſante uxorem, nullus poſſit accuſare eam de adulterio, Judex Eccleſiaſticus poterit punire Clericum in hoc delinquentem: nec reus valebit opponere, quod maritus non accuſet; non enim potuit lex illa regia Eccleſiaſticos Judices impedire, ne ad emendationem ſuorum Clericorum procederent.*

Quia

Quia porro hæc agendi ratio non toleraretur in Gallia, fruſtraque id tentaretur, proinde Conſilium cenſet oportere, ut imprimis Epiſcopus mollioribus remediis utatur ad eos Presbyteros a perditionis ſtatu, in quo verſantur, abducendos; ſæpe enim fit, ut bene multi ſui Prælati verbis ſe dedant, quamvis iis reſtiterint, quorum opera ad eos monendos in anteceſſum adhibita eſt. Deinde vero cenſet eum poſſe illis præcipere, ne loca frequententent, in quibus exiſtunt mulieres, ac ne eo ſe conferant, niſi congruentia, aut neceſſitas eoſdem acciderit; quia inutiles hæ frequentationes a proprio miniſterio ipſos avocant, adverſanturque Canonibus, qui fœminarum conſuetudinem & familiaritatem Eccleſiaſticis diſtricte prohibent, & hac in re magnopere cavendum jubent, ut videri poteſt in Can. *Clericus, & in omnibus diſtinct.* 81. Poteſt deinde Prælatus his Eccleſiaſticis prohibere, ne ſuſpecta loca adeant, id poſtulante Promotore, qui eidem ſignificabit ejuſmodi frequentationes ſcandalo eſſe. Tum vero in eos agere poterit, ni paruerint, cavens ante omnia, ne quid dicat, aut ſtatuat contra fæminas, quæ Eccleſiaſticæ Juriſdictioni ſubjectæ non ſunt; ac ſi forte ii non deſtiterint, poterit eorum cauſam Officialitati juxta conſuetum juris ordinem cognoſcendam tradere, quippe prohibitioni ſibi factæ, generali Regula immodicas cum mulieribus familiaritates, ſuſpectaſque viſitationes vetante nixæ refragati fuerint. Eæ porro per ſolam frequentationem, cujus nulla vulgo apparet ratio, ſuſpectæ evadunt. Id autem inquiſitione ac depoſitione teſtium ſatis probabitur; atque ita ſe ſatis tuebitur Epiſcopus ab incommodis Appellationis tanquam ab abuſu, ſiquidem hi Parochi eo temeritatis devenerint, ut appellent.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die prima Octobris an. 1677.

Aug. *de Lamet.*

ELECTIO.

Electionis vocabulum hoc loco ſumitur pro approbatione perſonæ, quæ ad aliquam Dignitatem extollitur, aut quæ aliquo munere perfungi debet. Id nos concludimus ſolis Eccleſiaſticis Dignitatibus, cujuſmodi ſunt Epiſcopi, Abbatis, Abbatiſſæ, Prioris, aut Prioriſſæ, aliæque.

Conditiones quinque requirit Electio, ut ſit canonica. Oportet I. ut fiat poſt mortem ultimi Titularis; addunt aliqui, & poſt funera; verum non hæc abſoluta neceſſitas eſt. II. ut qui eligendi jure gaudent, vocentur, ſi in Regno, vel in Provincia ſaltem exiſtant; adeoque ſi qui vocatus non fuit, conqueratur, electio nulla declarabitur. III. electionis dies & hora deſignandæ ſunt. Non deſunt porro Doctores, quibus hæc circumſtantia urbanitatis potius, quam neceſſitatis eſſe videatur. IV. electio facienda eſt in Eccleſia vacante. V. Electores jurare debent ſe pro conſcientia digniorem electuros eſſe.

Cæterum tribus diſtinctis modis Electio peragi poteſt, ſcrutinio, compromiſſo, inſpiratione. Eadem viget etiamnum forma ſcrutinii; ſuffragia ſcripto exhibentur, & a tribus, quatuorve perſonis a Capitulo vel Communitate electis recipiuntur, expenduntur que, ut in quem pluralitas cadat, intelligatur; cum Electores bifariam ſecti ſunt, & conciliari non poſſunt, eliguntur perſonæ, quæ ſuis ſuffragiis electionem definiant. Inſpiratio eſt ſecreta & ſubita motio, qua ducitur Congregatio ad eamdem perſonam nominandam, ut Dignitatem vacantem occupet; ſed hæ quidem inſpirationes adeo raræ ſunt, ut non amplius cognoſcantur. In Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii *Lib.* 5. *Capitul.* 231. *de electione Abbatiſſæ* occurrit ratio, qua Abbatiſſa eligenda eſt, quaque ab Epiſcopo, cui Monaſterium ſubjectum eſt, confirmanda.

Electio, in qua deſunt plures Vocales.

CASUS I.

1 *Stata die facta electio valida eſt, quamvis majori ex parte Vocales eidem intereſſe neglexerint; poſſet vel unus eligere, cæteris abnuentibus.*

2 *Religioſus, qui ſcripſit Epiſtolam, Prioris* Sigillo *minime firmatam, activa & paſſiva voce privandus eſt, ſi Conſtitutiones hanc pœnam imponunt ei, qui ita peccavit.*

QUÆSITUM.

Agitur de electione, quæ in Regulari Familia, duodecim tantum Vocalibus conſtante peracta eſt. Die ſtata habita eſt Congregatio. Ter quæſivit Præſes, eſſetne, qui contra diceret. Vocalium unus reſpondit Religioſorum adſtantium unum miſiſſe epiſtolam, quam produxit, Ordinis quidem inſignibus munitam, non tamen Prioris ſigillo firmatam, prout Conſtitutionibus præceptum eſt in pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ: *Si quis audeat alio ſigillo uti, ſit ipſo facto incapax eligi & eligere*. Religioſus & epiſtolam & erratum confeſſus e Capitulo diſceſſit; ſed eodem deinde reverſus electioni refragatus eſt. Vocales quinque ei ſe comites addidere, aſſerentes verbum: *Audeat*, accipiendum eſſe de Religioſo, qui contenderet ſe ſcribendi, ut ille fecit, jure gaudere, atque id ex habitu faceret. Hi quinque a Capitulo receſſerunt, quamvis in electorum album a Præſide relati eſſent; ſed cum illi id facere renuiſſent, reliqui ſex Superiorem elegerunt; tum vero Præſes cum Conſilio oppoſitiones nullas declaravit.

Itaque ex Conſcientiæ Conſilio quæritur, valeatne electio hæc, atque an Religioſus, de quo dictum eſt, ſuffragii jure privari potuerit, propterea quod alio quam Superioris ſigillo uſus eſſet, ut ipſe coram omnibus Vocalibus profeſſus eſt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ad quæſtionem primam reſpondens exiſtimat, electionem, de qua agitur, validam eſſe, cum ejus peragendæ dies communi conſenſu ſtatutus fuerit. Quod enim eorum nonnulli receſſerint, qui in Congregatione aderant ſtato tempore, quamvis inter Electores ſuum nomen dediſſent, non id tamen officit electioni, quæ deinde a cæteris peracta eſt, neque eam nullam reddere poteſt. Et ſane præterquamquod ii, qui elegerunt, conſtituebant eorum majorem partem, qui electionis capaces erant: non erat rationi conſonum eos ſuo jure privari illorum culpa, qui poterant, ſed nolebant ſtata die electioni intereſſe: *Electores præſentes*, inquit Pelizarius, *ob aliorum abſentiam non debent privari jure eligendi ipſis competente.* Canoniſtæ quidem ulterius progrediuntur; ajunt enim unum tantum eligere poſſe, cæteris nolentibus.

Innocentius IV. in cap. *Cum nobis de elect. n.* 6. *Sed ſi omnes*, inquit, *negligentes ſint, excepto uno, nonne ille ſolus poterit eligere? Reſpondeo, ſi finis labatur termini ſtatuti a jure ad electionem, poterit ille ſolus eligere.*

Solerius in Paſtorem *tit.* 5. *de Benef.*

Pyrrhingus *tom.* 1. *tit.* 6. *ſect.* 3. *n.* 332. *de elect. Si terminus temporis a jure præfixi ad eligendum appropinquet, neceſſe non eſt abſentes vocari, ſecluſa ſpeciali conſuetudine, quia dies ſtatuta interpellat pro homine: quo caſu ſi abſentes Canonici ſciverant vacare Eccleſiam, &*

quam-

quamvis non vocati venire negligant, etiam minor pars Capitularium, imo & unicus ad electionem procedere poſſet.

Layman *qq. Canon. de elect. Prælat. nn. 36. & 42.*

Pelizarius *tom. 2. tr. 9. c. 2. q. 2. de Regul. elect. Prælat. numero 97.* affert caſum huic noſtro prope ſimilem, & in electionis favorem concludit.

Van Eſpen *p. 2. tit. 21. c. 3. n. 16.* qui Barboſam citat *l. 1. jur. Eccl. c. 19. n. 98.* tanquam ſuæ ſententiæ patrocinantem: *Quod ſi finis termini ad electionem faciendam immineret, poſſent pauciores, etiam unus ſolus, non vocatis cæteris, eligere, quia tempus interpellat pro homine.*

Quamobrem poſt hos omnes Auctores, alioſque complures pronunciari poteſt electionem, de qua agitur, juxta communem ſententiam validam cenſendam eſſe, præſertim ſi in Ordinis Statutis, & Conſtitutionibus nihil contrarium occurrat.

Quod ſpectat ad quæſtionem alteram; Religioſus, qui ſcripſit, non utens Prioris ſigillo, legitime declaratus eſt pœnam in Statuto, cujus mentio facta eſt in expoſitione, inflictam incurriſſe, & ſe ineptum reddidiſſe, tum ut eligeret, tum ut eligeretur; ſi enim ſpectetur Statuti mens, ea fuit Legislatoris intentio, ut occurreret incommodis gravibus, quæ poſſunt contingere, cum Religioſus abſque Superioris ſigillo ſcribere audet, etiamſi ſemel tantum in hunc errorem incideret.

Itaque ſi Statutum litteraliter accipiatur, apparet Religioſum hunc activa & paſſiva voce privari & potuiſſe & debuiſſe; idque eo magis, quod ipſe eidem Statuto ſe ſubdidit, & Ordinis, in quo eſt, conſuetudo confirmat ſenſum, quo nos Statutum accipimus.

Deciſum hac die 8. Aprilis an. 1705.
G. *Fromageau.*

Antiſtita ab Epiſcopo electa.

CASUS II.

1 *Cum in Antiſtitæ electione tria ſcrutinia nulla ſunt, quia plures inveniuntur ſchedulæ, quam ſint Religioſæ vocales, poteſt Epiſcopus unam propria auctoritate nominare.*

2 *Juverit tamen, eum, quantum prudentia poſtulet, in id incumbere, ut idonea Antiſtita ſuffragiis omnibus concordibus eligatur, ne privetur Communitas eligendi jure, quo pollet.*

QUÆSITUM.

In Antiſtitæ electione cum vidiſſet Epiſcopus, qui electioni præſidebat in duobus prioribus ſcrutiniis plures, quam Vocales eſſent, Schedulas inveniri, declaravit Monialibus, ſi idem in tertio ſcrutinio contigiſſet, ſe propria auctoritate Antiſtitam nominaturum; quod quidem præſtitit, Mariam in Antiſtitam nominans, cum in tertio quoque ſcrutinio plures, quam Vocales eſſent, ſchedulæ repertæ eſſent. Facta deinde eſt nominatio Adſiſtentis, quæ electa fuit votorum pluralitate, & ab Epiſcopo confirmata.

Diebus viginti poſt eum Antiſtite Capitulum convocaſſet, Moniales omnes convenerunt, elegere Miniſtras de more, ſuumque omnes ſuffragium dedere, hoc Actu confirmantes Mariam Antiſtitam ſuam eſſe. Nihilominus cum aliquanto poſt Capitulum convocatum eſſet, ut de quodam Profeſſione deliberaretur, Moniales non paucæ intereſſe recuſarunt, & Mariæ nominationi refragatæ ſunt, contendentes eam canonice electam non fuiſſe. Itaque quæritur a Sorbonæ Doctoribus,

I. An Moniales eæ, quæ Mariam hanc tanquam ſuam Antiſtitam receperunt, poſſint Novitiam probare, ut Profeſſionem edat, & ſua vota pronunciet?

II. An Epiſcopus jus habuerit Sororem Mariam in Antiſtitam nominandi, atque an non potius electionem in aliam diem differre debuerit?

III. An Epiſcopus videns tria ſcrutinia irrita eſſe, Monialibus præcipere non potuerit, ut ſuas ſchedulas palam exhiberent, & in capſula ſtatim deponerent?

IV. An Moniales Antiſtitæ ſuæ electioni poſſint ſeſe opponere, earumque oppoſitio admittenda ſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut quæſtioni primo loco propoſitæ ſatisfaciat, exiſtimat,

I. Cum in Antiſtita eligenda concordia ſuffragia non ſunt, Epiſcopum poſſe, dummodo in Conſtitutionibus nihil occurrat, quod repugnet, Antiſtitam nominare. Videri in hanc rem poſſunt Barboſa in Synodum Tridentinam, Pelizarius, Portellus, & Tamburinus. (a)

II. Electionem nullam eſſe, cum in ſcrutinio plures ſunt ſchedulæ, quam Vocales. Id diſerte tradit Tamburinus in quæſtione de jure Abbatiſſarum. Tunc enim ejus judicio aperiendæ ſunt ſchedulæ, flammis devovendæ, & ad novam electionem deveniendum. Eamdem ſententiam propugnat Pelizarius loco citato in margine numero 102. & de Perinis, qui tradit hanc conſuetudinem apud Minimos obtinere.

Potuit ergo Epiſcopus in propoſita facti ſpecie Antiſtitam nominare, ſi non alia ratione impedire potuit, quominus plura, quam Vocales, ſuffragia in capſula reperirentur. Verum quidem eſt eum potuiſſe electionem in aliam diem differre, ut de re videret, quam Conſtitutiones non providerunt. Poterat etiam præcipere, ut ſingulæ Moniales propriam ſchedulam non obſignatam Epiſcopo traderet, ut in capſula poneretur; ac ſi deinde in eodem ſuffragio plures ſchedulæ invenirentur, ea tantum cenſeretur, quæ prior occurriſſet. Ita fortaſſe, vel prout electionis dilatio inſpirare potuiſſet, impedita fuiſſent earum Monialium ſuffragia duplicia, quæ duas ſchedulas exhibebant. Poterat etiam jubere, ut Monialis quæque propriam ſchedulam ſubſcriberet. (b) Contendit Layman id vetitum non eſſe, nec electionum ſecreto adverſari. In medium affert auctoritatem Emmanuelis Roderici *tom. 2. q. 52. art. 8.*

Sane non videtur rationi conſonum, Epiſcopum repente conſilium capere privandi integram Communitatem jure ſuam Antiſtitam eligendi, propter improbitatem duarum, triumve Monialium, quæ ſe fortaſſe in eum finem opponere poſſent, ut transferrent jus ad Epiſcopum, cui favere vellent, vel ut idoneæ Antiſtitæ electionem, quæ ſibi minime arrideret, evitarent.

Omnibus tamen diligenter expenſis, eſt, cur Mater Maria ab Epiſcopo nominata veri nominis Antiſtita eſſe credatur, & maxime legitime poſſe Antiſtitæ functiones obire, & quod inde conſequitur, ad habitus exceptionem, & Profeſſionem puellas accedentes admittere. Moniales enim non amplius huic electioni refragari poſſunt, cum eam ratam habuerint in duabus Congregationibus, quarum in Expoſitione mentio facta eſt; eam Epiſcopus nominavit, confirmavitque; omnia denique bona fide peracta ſunt. Fortaſſe pro bono pacis abs re non eſſet hanc Antiſtitam ſe abdicare, novequæ electioni Epiſcopum aſſentiri, dummodo certus eſſet Moniales in animo non habere Antiſtitam ineptam eligere; ſi enim id non temere timeretur, prior Antiſtita ſervanda eſſet.

Deciſum Pariſiis hac die 17. Auguſti 1702.
G. *Fromageau.*

(a) Barboſa in ſeſſ. 25. Conc. Trid. cap. 7. n. 6. de Regularib. Pelizar. tom. 2. tr. 10. c. 10. n. 106. Portell. v. Electio n. 8. Tamburin diſp. 28. q. 6. n. 5. de jure Abbatiſſ. & q. 9. n. 4. De Perynis tom. 3. c. 41. & nota 5

(b) Layman c. 7. n. 74. de electione.

ELLE-

ELEEMOSYNA PRÆCEPTA.

SAtis omnes norunt eleemoſynam miſericordiæ & commiſerationis exteriorem actum eſſe, qui charitatis effectus eſt, inquit D. Thomas, quique ad levandam aliorum miſeriam editur: at non ſatis perſuaſum habent maximam eſſe hujus actus ad ſua ipſorum peccata redimenda neceſſitatem, quamvis pluribus in locis id expreſſis verbis doceant Sacræ litteræ. Calamitates, atque afflictiones, humanam hanc vitam circumſtant, magnæ quædam tentationes, atque obſtacula magna ſunt, quibus non ita virtute præditi Pauperes impediuntur, quominus eam vitæ rationem teneant, quæ Chriſtianum hominem decet: magna proinde charitas eſt iis opem ferre, qui illis premuntur; quoniam ſublatis hujuſmodi obſtaculis, ad ſervitium Deo præſtandum ii comparantur, & querimoniarum, quæ has ærumnas conſequi poſſent, occaſio de medio tollitur. Quandoquidem non ceſſat Deus vel erga nequiores homines ad eorum uſque mortem miſerationem ſuam exercere; haud aliis ſane terminis Chriſtifidelium charitas circumſcribatur neceſſe eſt. Non alia prorſus hoc in negotio quærenda cauſa eſt, quam proximi dilectio. Nam quoniam hujus dilectionis obligatione adſtricti ſumus, ejuſdem etiam dilectionis naturalibus conſecutionibus obligamur. Jam vero non otioſa paſſio amor eſt; ſuapte natura ad actionem refertur: atque ita fieri nequit, ut proximus diligatur, eique ſubſidium non afferatur: *ſi quis*, inquit S. Joannes Apoſtolus, *habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Charitatis ergo defectus erga Proximum eleemoſynarum defectum criminoſum efficit; & defectus charitatis erga Deum efficit criminoſum defectum charitatis erga proximum. Id quod ſignificant exprobrationes, quibus extrema judicii die Jeſus Chriſtus reprobos impetet, quod ſe non aluerint, cooperuerint, viſitaverint; propterea quod nec aluerint, nec cooperuerint, nec viſitaverint pauperes: ex quo ſequitur, eum, qui pauperibus non opitulatur; id non præſtare, quod Chriſto ipſi debet ſecundum Evangelium.

Ex ſubſequentis caſus deciſione cognoſcetur obligatio, quod redundat, in pauperes erogandi juxta ejuſdem Evangelii præceptum; neque vero dicere juvat, nihil unquam redundare, quoniam id quod ſtatui noſtro præſenti ſuperfluum eſt, cuipiam alii ſtatui, ad quem nobis licet aſpirare, poteſt eſſe neceſſarium: ex eo enim falſa demonſtratur hæc regula, quod nihil ulli unquam eſſet ſupervacanei, ſi ſemper liceret ad altiorem ſtatum contendere. Quod enim ſupervacaneum ſit, exiſtere, atque id pauperibus ſuppeditandi longe maximam obligationem nobis impendere eſt prorſus indubitatum; quoniam Jeſus Chriſtus in ſuo Evangelio nobis ſignificat, eleemoſynarum omiſſionem ſe reprobis omnibus exprobraturum: ex quo conficitur defectum hunc maxime communem eſſe: jam vero defectus hic eſſet e converſo ſummopere inuſitatus, ſi quicquid in præſenti ſtatu ſupervacaneum eſt, reſervari liceret, ut ad ſublimiorem ſtatum aſſurgeretur. Verum quidem eſt id fore nihil aliud, quam ſcrupulum in exceſſum alium conferre, atque in aliud extremum æque perniencioſum incidere, ſi nempe in animum induceretur nunquam licere ſeſe altius erigere: ſed illud conveniat neceſſe eſt nunquam licere ambitionis ſtimulis agi, aut honorem propter honorem expetere. Neceſſe eſt igitur, ut ſi quis ſe extollit, alia ad id cauſa, quam ambitione moveatur; videlicet ut ſaltem bona fide perſuaſum habeamus, Deum a nobis id petere; ac ſi id facimus, Dei & Eccleſiæ honorem ea in re locum habere: qui porro id ſibi merito perſuadere poſſint, ſunt longe pauciſſimi. Addi & illud poſſet, paucos eſſe, quibus ſupervacanea præſto ſint, vel præſenti eorum ſtatu ſpectato, ſi inter ea, quæ præſenti ſtatui neceſſaria eſſe contenditur, recenſeatur id omne, quod profana conſuetudo, mollities, & cupiditates in eum ipſum ſtatum contulerunt. Verum id dici non poteſt, ſi ex eo, quod neceſſarii ſpeciem præſefert, excerpatur id omne, quod ut excerpatur, pœnitentiæ, humilitatis, & paupertatis amor debet efficere; ſi ſervetur ex. g. accurata moderatio in bonis mobilibus, in veſtibus, in comitatu, in menſa &c. His excerptionibus ſupervacanea reperiuntur; atque harum excerptionum defectus in cauſa eſt, ut minime reperiantur. Hac nimirum mente Galliarum Clerus an. 1700. propoſitionem hanc tanquam ſcandoloſam, temerariam, pernicioſam, erroneam, & Evangelii præcepto de eleemoſyna e diametro oppoſitam proſcripſit, quæ numero tertia eſt: *vix reperias in Sæcularibus, atque adeo in Regibus quicquam ipſorum ſtatui ſuperfluum; atque ita vix quiſquam eſt, qui ad eleemoſynam obligetur, ſi nonniſi ex ſuperfluis ad eam obligatur.*

Ex his omnibus juxta Sanctorum Patrum doctrinam ita concludi poteſt; I. licet divites bonorum ſuorum jure optimo proprietarii, atque abſolutiſſimi Domini quoad homines ſint, eorum tamen non niſi diſpenſatores eſſe quoad Deum, a quo ea acceperunt, ut pauperibus opem ferrent. II. ſuperfluis, quæ indigentibus neceſſaria ſunt, ipſos horum indigentium debitores vi divinæ Legis conſtitui. III. errorem, atque abuſum eſſe, divites, Proceres, Principes, & quoſvis alios gradu præſtantes nihil unquam ſuperflui habere, & quicquid ſæculi vanitas & ambitio iis in animum inducit ad luxum & pompam, atque ad pecuniam in immodicis ſumptibus inſumendam, nonniſi eorumdem conditioni neceſſarium cenſendum eſſe. IV. eleemoſynæ obligationem non ad conſilium pertinere, ſed ad præceptum, & qui eam non explerint pro ipſorum munere, ac viribus, eos æternæ beatitudini renunciare, & ſe ſubdere ineluctabili incommodo ex ipſius Chriſti ore hoc maledictionis verbum audiendi: *ite maledicti in ignem æternum* &c. V. de bonis legitime comparatis eleemoſynam erogandam eſſe, non autem de latrociniis, rapiniſque, quarum reſtitutio ad juſtitiam potius, quam ad charitatem ſpectat. Ad extremum in magnis atque extraordinariis neceſſitatibus, in publicis afflictionibus cuique onus incumbere pauperibus & miſeris, quoad fieri per eos poſſit, opitulandi: ſed divites non debere communibus & conſuetis eleemoſynis contentos eſſe; ſed iis præterea egregios & laude dignos conatus edendos eſſe, ut ſancte vim facientes cœlum aperiant, quod in his caſibus clauſum eſt iis, qui ſua corda, & ſuas liberales manus charitati claudunt.

CA:

CASUS.

1 *Sub mortalis peccati pœna, quicquid ſuperfluum eſt, debet pauperibus diſtribui, cum illi extrema neceſſitate laborant: idem ſtatuendum eſt de neceſſitate gravi, & urgente. Idem ſentiunt probati Auctores de communibus & ordinariis neceſſitatibus.*

2 *In his tamen non adeſt obligatio ſuperfluum omne in pauperes erogandi: ejus pars reſervari, aut in aliis bonis operibus impendi poteſt: iis tantum, quibus pauperum cura commiſſa eſt, tenentur eos quærere, ac prævenire.*

QUÆSITUM.

I. AN ſub lethalis peccati pœna, quicquid redundat, pauperibus tribuendum ſit: atque an eleemoſynæ præceptum perinde obliget, atque ea, quæ homicidium & furtum prohibent?

II. An Mulier nupta, quæ prolem non habet, ea tantum adhuc ætate eſt, ut habere poſſit, quicquid ei ſuperfluum èſt, pauperibus dare ſub peccati pœna teneatur?

III. An parſimoniæ, quas illa, dum vivit, ſervat, quaſque pauperibus, quibus in præſentia tertiam ſui proventus partem tribuit, poſt mortem relinquere in animo habet, ad ejus ſalutem in tuto ponendam ſufficiant? Orantur Domini Doctores, ut hæc tria capita diligenter expendant, propterea quod perſona, quæ conſulit, videtur ad eorum deciſionem ſequendam animo comparata.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ſuperflui nomine in hac facti ſpecie id intelligit, quod quotannis cuipiam ex ejus parſimoniis remanet poſt decentem ſuſtentationem ipſius conditioni reſpondentem.

Hoc poſito reſpondetur:

Ad primam interrogationem poſt D. Thomam, & Theologos, I. Pauperibus extrema neceſſitate preſſis omne ſuperfluum tribuendum eſſe. Ea ſane eſt obligatio hæc, ut pauper ad hunc ſtatum redactus, cum nemo ipſi præſto eſt, jus habeat excerpendi de divitum bonis, ne fame pereat, quin furti reus ſit, *modo aliunde abſit ſcandalum*, quia in his anguſtiis omnia bona communia ſunt. Docet id D. Thomas rotundis verbis *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. Quæſtiuncula 4. ad 2. in ſtatu extremæ neceſſitatis efficiuntur omnia communia, unde ſi per violentiam vel furtum acciperet, non peccaret.* Et in Summa 2. 2. *q. 32. art. 7. ad 3. in caſu extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia: unde licet ei, qui talem neceſſitatem patitur, accipere de alieno ad ſui ſuſtentationem, ſi non inveniat, qui ſibi dare velit.*

Silvius *in 2. 2. quæſt. 31. art. 3.* alios etiam profert hujus Sancti Doctoris textus. Hujus autem deciſionis, inquit Silvius, ea ratio eſt, *quia in tali neceſſitate reditur ad jus naturæ, cui jus gentium derogare non poteſt: jure autem naturæ omnia ſunt communia, & diviſio rerum ſolum eſt facta ex jure gentium.* Hinc plures Auctores inferunt, eum, qui ſupervacanea poſſidet, & pauperi in extrema neceſſitate poſito non opitulatur, peccare, non modo contra charitatem, verum etiam contra juſtitiam, ſibique D. Thomam in hac ſententia præire contendunt, *quæſt. 66. art. 7.* ubi ait ſupervacanea ad pauperes naturali jure ſpectare: *res, quas aliqui ſuperabundantes habent, naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi*; quæ D. Auguſtini, aliorumque Eccleſiæ Patrum ſententia eſt. Juxta principium hoc licet aſſerere, eum, qui pauperi ad incitas redacto eleemoſynam denegat, peccare contra præceptum, quod non minus obligat, quam ea, quæ homicidium, & furtum vetant: *non occides, non furtum facies.* Superflua quidem tribuendi præceptum ex eorum genere videtur eſſe, quæ affirmativa dicuntur: ſed quodam ſenſu negativum evadit, cum id nimirum agitur, ut impediatur, quominus pauper exuvie de medio tollatur, ſuperfluis eidem collatis, quoniam ad ea jus habet, eique negari nequeunt, quin injuſtitia & furtum admittatur. Tunc enim præceptum hoc illius partem conſtituit, quod furtum prohibet: *non furaberis.* Jam vero hoc præceptum eſt negativum. Dici etiam poſſet eo confirmari præceptum, quod homicidium vetat; qui enim ne dum pauperi auxilium afferat, eum fame perire ſinit, ipſius mortis cauſa eſt, juxta hæc D. Ambroſii verba: *paſce fratrem morientem; ſi non paviſti, occidiſti.* Nihilominus communior Scholaſticorum opinio, quam ſequitur Duval in ſuo Tractatu de charitate *q. 8. pag.* 581. & Silvius *q. 32. art. 6. quæſt. 3. & q. 66. art. 7.* ea eſt, etiam in extremæ neceſſitatis caſu non ex juſtitia ſuperfluum erogandum eſſe, ſed ſolum ex charitate, ita ut horum quidem judicio præceptum hoc ſit pure affirmativum. Vide D. Thomam *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. quæſtione. 4. ad 3.* Atque in hoc quidem differt a præceptis negativis, qualia ſunt ea, quibus dicitur: *non occides, non mœchaberis, non furtum facies.* Sed in hac facti ſpecie ſub mortalis peccati pœna charitas obligat, & Sanctorum, qui hac in re juris naturalis obligationem agnoſcunt, regulas ſequi tutius eſt.

II. Cum de gravi, atque evidenti neceſſitate agitur, ſuperflui pauperibus tribuendi obligationem ſub pœna peccati mortalis exiſtere communis ſententia eſt. Videri poſſunt in hoc negotio Toletus *l. 8. c. 35.* Silvius loco citato *art. 6. q. 1.* & Diana ipſe *5. p. reſolut.* 14. ubi occurrunt Auctores plures, qui tuentur ſententiam hanc, quam Diana rationibus multis confirmat.

III. Ad neceſſitatem communem quod attinet, probabilior, & rationi, qua Eccleſiæ Patres de eleemoſyna loquuntur, conformior ſententia eſt, quod adeſt ſuperflui, pauperibus largiendum eſſe. Toletus loco appellato Patrum teſtimonia in medium adducit. Silvius *quæſt.* 2. contendit D. Thomam in pluribus ſuæ Summæ locis ita ſentire, præſertim vero 2. 2. *q* 87. *art. 1. ad* 4. in hæc verba: *Dominus non ſolum decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi.* Id Silvius oſtendit auctoritate, & ratione, atque objecta diluit. Diana oppoſitam quidem opinionem amplectitur *2. p. tract. 15. reſol. 32. & tr. 16. reſol.* 26. propterea quod eam probabiliorem putat: ſed monet aliam probabilitate ſua non carere. Duval loco ſupra laudato p. 590. ait eſſe valde probabile teneri divites ſub peccati mortalis, aut ſaltem venialis & quidem graviſſimi pœna in communibus neceſſitatibus ſuperfluum pauperibus impertiri.

Ad interrogationem alteram reſpondetur: ſuperfluum penſandum eſſe non ſolum ratione præſentis ſtatus illius, qui id poſſidet, ſed etiam ratione ſtatus, ad quem ſe pervenire poſſe probabiliter credit; modo tamen ſuperflui ſui partem pauperibus largiri pergat. Illud enim credibile eſt, fore, ut filiorum, quos ex conjugali conſortio ſuſcipere poterit, inſtitutioni, id quod largietur, notabile detrimentum non afferat.

Quod ſi haud mediocris, atque urgens eſſet pauperum neceſſitas, perſona, qua de agitur, ſuum omne ſuperfluum in eorum ſubſidium erogare teneretur. Ita Duval *de charitate q. 8. art. 4. pag.* 586. & Silvius *art. 6. q. 2. pag.* 194.

Reſpondetur ad interrogationem tertiam, in communibus neceſſitatibus omne ſuperfluum erogandi obligationem non adeſſe, atque in ea ſpecie, quæ expenditur, ſatis eſſe, ſi perſona, quæ conſulit, tertiam tantummodo partem eroget. Docentibus enim Silvio *pag.* 194. & M. Duval *art. 4. ad finem pag.* 586. poteſt dives ſuperflui ſui partem ad alia pietatis opera reſervare, quoniam non tenetur omnino quibuſcumque pauperibus accedentibus ſtipem conferre, aut eos a miſeria penitus liberare, ſed ſatis eſt id iis afferre ſubſidii, quod ipſis in præſentia ſolatio ſit; tum quia ſperare juvat fore, ut fideles alii iiſdem auxilium præſtent, tum vero quia ad Paſtores tantum, alioſque, quibus pauperum cura demandata eſt, ſpectat eos inquirere ad neceſſarias ipſis eleemoſynas procurandas, ut oſtendit Duval *pag.* 581.

Quicquid porro ſuperflui eſt, in communi neceſſitate erogandum non eſſe, docet Sacra Scriptura exemplo Mariæ Sororis Marthæ, quam Judæi exprobrarunt, quod pauperum bono reſervare pecuniam

potuiſſet ; quam in emendo tanti pretii balſamo, quod ſuper adorabili Jeſu Chriſti caput tam large fundebat, impenderat, *Matth. 26. verſ. 7.* Divinus hic Servator eam defendendam ſuſcepit, ipſam inquiens recte feciſſe, Matth. 26. *bonum opus operata eſt in me*. Et rationem quidem affert, quæ doctrinam confirmat, quam nos hoc loco tradimus: *nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*; perinde ac ſi Jeſus Chriſtus ad hujus ſanctæ Mulieris pietatem probandam diceret: pauperum levamen nonniſi in præſens urget: alias vos iis bono eſſe poteritis. Nunc vero neceſſe fuit ſepulturam meam præveniri, atque ad decorandum in anteceſſum corpus meum inſumi pretium balſami, quod ad ipſum poſt mortem meam ungendum fuiſſet accommodatum.

Non igitur omnibus temporibus omne ſupervacaneum pauperibus dandum eſt: ſi enim, inquit Duval, haud ſe pauperes ſiſtant, dives de iis quærendis non tenetur eſſe ſollicitus, ſed ſufficit ipſum iis eleemoſynam largiri, quos novit; ſi caſus hic excipiatur, poteſt ille abſque peccato ad alia bona opera ſuperflui ſui partem ſervare: *non tenentur quærere; ſed ſatis eſt, ſi eleemoſynam iis, qui ad eorum notitiam venerint, tribuant: unde ſi nulli venerint, poſſunt ſine peccato ſuperflua retinere*. Silvius q. 194. *ad tertium* idem tradit: *non tenentur requirere, qui ſint pauperes, niſi forte ſit Paſtor, aut Epiſcopus, vel alius pauperum curam habens, ſed ſatisfacit dando occurrentibus, modo nimia ſua auctoritate, vel aliter, non impediat, ne occurrant*.

Deciſum hac die 13. Auguſti 1700.
G. *Fromageau*.

EMPTIO.

Emptio eſt contractus, quo alicujus rei dominium acquiritur certi, & determinati pretii ſolutione; de emptionis enim contractus eſſentia eſt pretium ejuſmodi eſſe, & numerata pecunia neceſſario contineri. Si qua enim re alia contineretur, non amplius emptionis contractus eſſet, ſed permutationis, & hoſtimenti, ut notat (*a*) Juſtinianus, qui ait, ſtatim ac de rei pretio conventum eſt ſimplici conventione verbali, cum contractus abſque ſcripto peragitur, totum venditæ rei periculum ad Emptorem ſpectare, licet ei tradita non fuerit, ipſius dominio in eumdem tranſlato. Quapropter ſi inundatione, aut concuſſis grandine arboribus res imminuatur, aut valoris partem amittat, damnum Emptoris eſt, qui pretium ſolvat, oportet, tametſi nondum ejus poſſeſſionem adierit. Nihilominus illud eſt animadvertendum, licet ſolus conſenſus ad Emptionis, & venditionis eſſentiam pertineat, & quod inde conſequitur, contractus ſola partium conventione perfectus, conſummatuſque cenſeatur, quamvis arrha data non fuerit; pluribus tamen in locis, ac Provinciis ita inſtitutum eſt, ut niſi datis arrhis emptionis, & venditionis contractus nequaquam abſoluti ſuis numeris, perfectique judicentur.

Ut porro difficultates ſolvantur, quæ in rei, quæ emitur, aut venditur, pretio occurrunt, quod quidem debet venditori, æque atque Emptori bono eſſe, ita ut nunquam liceat rem pluris vendere, aut emere, quam valeat: pretii genera duo ſunt diſtinguenda. Prioris generis pretium legitimum dicitur, & eſt illud, quod a Lege, aut a Principe, aut a quovis alio legitimo Superiore definitum, & conſtitutum eſt, quale rebus omnibus convenit ſcheda taxatis, quarum pretium nec augeri poteſt, nec imminui, ut proinde contra juſtitiam aperte peccet, qui ultra illud rem vendit, & qui etiam minoris emit. Alterius generis pretium naturale, & commune nuncupatur, eſtque illud, quo ex communi æſtimatione res venditur, quod innuunt hæc Legis verba, (*b*) *pretia rerum*, quanti ſempe res valeret, & æſtimaretur ab eo, qui ejus valorem cognoſceret, & ſine fraude, aut præventione judicaret. Pretium hoc non in indiviſibili quaſi puncto poſitum eſt, ſed in mediocritate quadam, cujus exiſtunt gradus omnino tres, ſummus, medius, infimus: ita ut ſtatui nequeat rem præciſe, ex. c. valere centum nummos aureos, & propterea nec pluris valere, nec minoris; ſed cum illa centum eos nummos valet pretio medio, & moderato, eamdem poſſe centum & quinque valere pretio ſummo, & octoginta quinque circiter pretio infimo.

Hoc poſito, conveniat neceſſe eſt, venditorem nunquam poſſe pretium ſummum excedere, & emptorem infra infimum emere. Ratio, quam affert (*c*) D. Thomas, ea eſt, quod pretium rerum non eſt omnino determinatum, ſed æſtimatione aliqua continetur; ita ut modica augmentatio, aut diminutio juſtitiæ æqualitatem non impediat. Et S. Antoninus de juſto rerum pretio verba faciens, tres ait ejus gradus eſſe, primum poſſe appellari pium, alterum diſcretum, & tertium rigidum; primum eſſe minus pretium, alterum mediocre, & tertium denique Summum. Idem S. Doctor plures caſus affert, quibus res pluris emi licet, aut minoris vendi, quam valent, & qui conſuli poſſunt.

Emptio infra juſtum rei valorem.

CASUS.

1 *Ager, aut alia merx emi poteſt, tertia valoris parte retenta, tunc cum offertur, & cum emptor ea non indiget, nec de ejus acquiſitione cogitat.*

2 *Regula hæc poteſt in uſu eſſe quoad Pauperes, quin Juſtitia ſtricte ſumpta lædatur.*

3 *Sed Charitas requirit, ut, cum Pauperis neceſſitas urgens, & extrema eſt, ejus jactura, quantum fieri poteſt, minuatur in rebus, quas vendit, ut habeat, unde ſubſiſtat.*

QUÆSITUM.

Rogantur humiliter Sorbonæ Domini, ut ipſis placeat interrogationibus reſpondere, quæ ſubſequuntur, & ad rationem, qua ſe Fideles in emptionibus, & venditionibus gerere debent, inſtituendam faciunt. Inter eas ordine prima eſt.

Liceatne rem minoris emere tertia valoris parte, cum non petitur, non optatur, ſed offertur; atque an id liceat tam quoad agros, quam quoad merces, aliaſque res.

II. An liceat agros emere communi pretio, quamvis ſit infra fructus, qui ex iis percipiuntur. Cauſa exempli jugerum reddit quotannis libras Gallicas 10. aut 12. nec pluris communiter venditur, quam libris 120. aut 150.

III. Si quis agrum emat infra valorem, neque integrum pretium ſolvat, poteſtne reditus retinere,

(*a*) Juſtinian. lib 3. Inſtitut. titul. 24. de emption. & vendit.

(*b*) L. Pretio rerum ff. ad legem Falcidiam.
(*c*) D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 2. ad 2.

quin cum venditore partiatur, ſatis habens, ſi ſolvat, quod reliquum eſt pretii, de quo convenit, licet per plures annos agri fructus perceperit?

IV. Emptores hos, cum ſint bonæ fidei, nec ſe ad ullam reſtitutionem teneri putent, poteſtne Confeſſarius abſolvere hoc in ſtatu, ne eorum animos turbet?

V. Sententia hæc, poſſe rem, quæ offertur, emi pretio tertia valoris parte minore, locum ne habet in Pauperibus, qui ſæpe neceſſitate coguntur exiguam, quam poſſident, ſuppellectilem vendere?

VI. Spectatne etiam ad Pauperes, qui ſumma indigentia, atque extrema neceſſitate laborantes coguntur inviti ſua vendere prope nihili, atque adeo Emptores rogare, ut ea emant, quanti volunt?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, quoad interrogationem primam, juxta illud probatum omnibus: *ultroneæ merces pro tertia parte vileſcunt*; rem minoris emi poſſe tertia valoris parte, cum offertur, quin petatur, & quin valde deſideretur. Bonacina *tom. 2. de contract. diſp. 3. q. 2. punct.* 4. Ad agros, & ad alia extenditur doctrina hæc.

Ad ſecundam, cum pretium a Principe, aut Magiſtratu taxatum non eſt, ſtandum eſſe communi æſtimationi, qua de rei pretio judicatur. Ita jugerum, cujus annuus reditus eſt librarum 10. aut 12. poteſt abſque injuſtitia 120. aut 150. libris emi, quia pecuniæ, aut Emptorum raritas communi judicio valde rerum pretium imminuit.

Ad tertiam, ſecundum opinionem Lellii *l. 2. c. 2. dub. 15. de juſt. & jur.* Bonacinæ loco citato *punct. 3. n. 9.* Laymanni *l. 3. tr. 9. c. 17. n. 8.* Emptor minime tenetur rei emptæ fructus reſtituere, quia cum emptio in ſe ipſa nulla non fuerit, facta eſt dominii tranſlatio, ita ut, ſi res periiſſet, Emptori periiſſet. Molinæ *tom. 1. diſp 349. n. 12.* videtur valde æquitati conſonum fructuum ratione venditori reddi, quod compenſetur id, quod deeſt venditionis capiti, cujus ſolutio dilata eſt: eſt tamen omnino juſtitiæ conforme, ut ſi valoris dimidio res empta fuerit, adſit obligatio reſtituendi non ſolum reſiduum pretium, ſed cenſum quoque, ſeu fructus pro ſumma, quæ remanet ſolvenda.

Ad quartam, qui Emptorum confeſſiones audiunt, iis ob oculos ponere debent injuſtitiam, quam in Venditorem committunt, retinentes, quod ad eum ſpectat, & quod ei reſtituere tenentur: & quamvis dubitaretur eos monitione uſuros eſſe, monendi tamen eſſent, quia in dubio, præſumendi non ſunt ſuam damnationem velle, non exequentes, quod debent.

Ad quintam, ſicut emendæ rei neceſſitas, in qua quiſpiam eſt conſtitutus, non ſufficit ipſa per ſe, ut ea pluris vendatur, quam valet, quia ſequeretur pluris pauperi, quam diviti vendi poſſe, ita etiam videtur ex indigentia, ob quam pauper vendit, rei, quam vendit, juſtum pretium imminui non oportere: *exinde tamen nequaquam inferas*, inquit Layman, *n. 10. quod præciſe ob neceſſitatem venditoris, quia rem vendere cogitur, pretium imminuere vel ob neceſſitatem emptoris, quia rem emere cogitur, pretium augere licitum ſit, niſi liberalis donatio interveniat, quæ tamen in neceſſitatis caſu facile præſumi non debet.*

Cum tamen res ultro offertur, & nobis minime eſt utilis, aut de ea emenda ſolliciti non ſumus, tunc pretio cadit, licet etiam a paupere venderetur; ut proinde juſto pretio minoris emi poſſet. Atque oporteret tunc pretium ſtatui prudentis viri judicio, qui ſpectatis circumſtantiis ſtatus Venditoris, temporis, agri, qualitatis rei, & raritatis Emptorum, definiret, quanta fieri poſſet pretii diminutio quoad pauperem, qui fame preſſus ſuam rem, aut ſuam operam illi exhibet, cui ea nihil eſt opus. Eſt hæc Navarræ ſententia *in man. c. 23. n. 83.* qui Sylveſtrum *V. Emptio q. 7.* & Sotum *lib. 6. quæſt. 3. art. 1. & de juſt. & jur.* duces ſecutus eſt: *Emptor vero vel conductor, qui charitate ductus, aut precibus venditoris, aut locatoris emeret, aut conduceret, tunc fas illi eſſet minori pretio, quam alioquin juſto emeret, aut conduceret, quod tamen juſtum eſſet comparatione ipſius, ſpectatis circumſtantiis omnibus concurrentibus, juxta quas arbitrio prudentis eſt judicandum, quantum minuere liceat de pretio alioquin juſto. Exemplum eſt in eo, qui rogatus conducit operas pauperis pro ſuſtentatione illius, aut modico alio pretio, ut habeat, unde ſuſtentetur.* Uno verbo id, quod comparare non ſtudemus, & nobis offertur, minoris eſt pretii, quia hoc in caſu pauciores eſſe ſupponitur, qui emant, quod quidem rei pretium diminuit.

Ad ſextam, quamvis quod dictum eſt, ad quodvis neceſſitatis genus pertineat, ita ut ob hæc principia juſtitiam non læderet, qui minoris emeret rem pauperis in propoſita facti ſpecie; nihilominus charitas poſtularet, ne cum magno valoris detrimento emptio fieret, ſi illud conſtaret pauperem extrema neceſſitate laborare, eamque in cauſa eſſe, quamobrem cogatur eam Emptori exhibere, ac tanti vendere, quanti ipſi placuerit. Requirit ſane charitas, ut favorabilius cum iis agatur, qui eo diſcriminis adducti ſunt, quam cum iis, quorum alia eſt rerum ratio.

Deciſum hac die ..... Maii 1700.
G. *Fromageau*.

EPISCOPUS.

Epiſcopi nomen ductum ex græco vocabulo, quod ſignificat *inſpectorem*, occurrit aliquando in 70. Interpretum græca verſione; unde illud Apoſtoli ſumere potuerunt. Epiſcopus ſæpe dicitur *Paſtor*, & apud Veteres *Præpoſitus*, *Præſul*, aut *Antiſtes*; ubi etiam nominatur latine Sacerdos, quod nomen poſterioribus temporibus cum Presbyteri vocabulo confuſum eſt. Epiſcopi dicti quoque fuere Pontifices; at Recentiores aliqui illud Papis tanquam proprium reſervare voluerunt. Veteres Epiſcopi de ſe ipſis loquentes ſæpe ſe nominabant ſervos talis Eccleſiæ, aut Fidelium, & Servorum Dei; hanc loquendi formulam Papa ſervavit.

Auctores quoque profani id nominis uſurparunt, quoniam conſtat illud in Athenienſium Republica, & in aliis Aſiæ Urbibus magnopere in uſu poſitum fuiſſe; & ut animadvertit ſcholiaſtes Ariſtophanis, qui ab Athenienſibus in amicas Urbes mittebantur, ut viderent, quomodo ſe res haberent, earumque curam gererent, Epiſcopi nuncupabantur; & liquet etiam ex Ciceronis ad Atticum Epiſtola nomen Epiſcopi apud Romanos obtinuiſſe, & ipſum quoque eo titulo inſignitum fuiſſe. Ducunt aliqui Epiſcoporum originem ex eo, quod in Synagogis in more erat, in quibus aderat Præſidens, aut Caput. Ut ut res habeat, Epiſcopi ſunt inſtitutionis divinæ, quoniam Chriſtus Dominus elegit Apoſtolos, quos voluit, dicens eis: ſicut miſit me Pater, ita ego mitto vos; & D. Paulus ait ad Epiſcopos Aſiæ, Spiritum Sanctum eos poſuiſſe regere Eccleſiam Dei.

Quamvis Epiſcopi nomen in Eccleſiæ exordio Presbyteris commune fuerit juxta S. Joannem Chryſoſtomum, Epiſcopi tamen proprii characteris vi ſemper a Presbyteris diſtincti fuere. Sunt illi Apoſtolorum ſucceſſores; ſemperque præcipuam in Eccleſia auctoritatem habuere, tametſi nihil aggrederentur abſque Presbyterorum conſilio. Aderat in quaque Urbe Epiſcopus, qui non Urbis modo, ſed etiam proximi agri Eccleſias adminiſtrabat. Antiquitus Epiſcopi eligebantur a Clero & a Populo, qui cum de inſtituenda electione ageretur, convocabantur, ne iis aſſignaretur Paſtor, qui ipſis ignotus,

mi-

minuſve charus eſſet; iis auſcultabatur, & fere illi votorum ſuorum damnabantur, electo aliquo vel Presbytero, vel Diacono, qui diuturno ſervitio eidem Eccleſiæ addictus eſſet, qui eſſet probatæ virtutis, ſcientiæ, & charitatis ſatis perſpectæ: qui uno verbo perſecutionis tempore illuſtris Conſeſſor fuiſſet. Vix electum Epiſcopi ordinabant impoſitione manuum, oratione, ac jejunio, in Epiſcopali cathedra collocabant, & ille ex eo tempore ſuas functiones edere incipiebat.

Poſt Conſtantinum aucto Chriſtiano Populo, ratio habita eſt ſuffragiorum variorum Ordinum, Nobilium, Magiſtratuum, Monachorum; ſemper tamen Cleri potiſſimum judicium attendebatur. In Regnis, quæ ex Romani Imperii interitu coorta ſunt, opus quoque fuit conſenſu Principum, qui cum probe noſſent, quanta Epiſcopi in Populos ſibi recens ſubjectos auctoritate pollerent, anxie cavebant, ut ii tantum eligerentur, qui ſibi fideles eſſent. Itaque vigente prima Regum noſtrorum ſtirpe, & initio ſecundæ, quamvis electionum forma ſemper cuſtodita fuerit, fere penes Reges electionis jus erat. Poſt Ludovicum Pium electiones fuere liberiores, ut proinde ſæculo nono vetus diſciplina diligenter ſervata fuerit, ea tantum addita conditione, ne quid fieret inconſulto Principe. Quamobrem vix Epiſcopo fato functo, Clerus & Populus mittebat Legatos ad Metropolitanum, qui ſtatim Regem de re certiorem faciebat, & ex ejus mandato nominabat ex Provinciæ Epiſcopis, qui Viſitatoris munere fungeretur. Dabat ad hunc Epiſcopum litteras, eumque ad Eccleſiam vacantem mittebat, ut electioni præeſſet, quo nempe Canones cuſtodirentur. Eodem tempore Metropolitanus ad Clerum & Populum fuſam inſtructionem mittebat de ratione electionis, ut Canonica foret, peragendæ. Eo profectus Viſitator convocabat Clerum, qui Canonicos, Clericos tum in Urbe tum ruri degentes, Monachos, qui Laici ſe comites addebant, complectebatur. Poſt trium dierum jejunium, preces publicas, & eleemoſynas, electione peracta, decretum a primoribus obſignatum mittebatur ad Metropolitanum, qui ad electionem examinandam omnes Provinciæ Epiſcopos convocabat; ac ſi electus judicabatur idoneus, ejus conſecrationis dies ſtatuebatur. Hæc eligendi Epiſcopi ratio perſtitit ad duodecimum uſque ſæculum, quo tamen temporis ſpatio Cathedralium Canonici omnem ſibi electionem vindicare conati ſunt.

Ineunte ſæculo tertiodecimo hæc Capitula poſſeſſionis titulo eligebant ipſa tantum Epiſcopos, excluſo reliquo Clero, & Populo, ac Metropolitani ipſi tantum electionem confirmabant, Suffraganeis ſuis minime convocatis; ac deinceps Epiſcopi electi cœperunt ad Papam recta pergere, confirmationem & conſecrationem ab eo petituri. Hinc ortæ Paparum reſervationes ad rixas, ſeditiones, ac violentias vitandas. Joannes XXII. eo uſque progreſſus eſt, ut generatim omnes omnino Cathedrales Eccleſias, cum primum earum vacatio contigiſſet, reſervaret; quod nihil fuit aliud, quam electiones abolere; ſed cum hæ generales reſervationes ſpectarentur tanquam abuſus, Concilium Baſileenſe voluit huic incommodo remedium afferre, reſtitutis electionibus, ejuſque Decretum Bituricenſi Pragmaticæ inſertum fuit; odioſum tamen Papis extitit, quia eo tempore editum fuit, quo graviſſimum Eugenio IV. cum hoc Concilio negotium erat. Ex eo tempore via fuit pro varietate locorum ad Epiſcopatus proviſio. Fere in Italia proviſiones libere Papa concedit; in Gallia vero ad Regis nominationem vi Concordati an. 1516. Hiſpaniarum Reges, & aliqui alii Principes nominant ex Indultis peculiaribus, quæ Papa concedit, quoque vivente Principe. In Germania ſervatæ ſunt electiones per Concordatum an. 1447. Atque ita conſequitur Principes pedetentim electionum ſeſe Dominos reddidiſſe.

Olim Epiſcopi Baptiſmatis & Pœnitentiæ publicæ ſoli ordinarii Miniſtri erant. Presbyterorum & Diaconorum ordinatio ſemper ipſis eſt reſervata tanquam jus ab eorumdem caractere pendens. Adminiſtrandi quoque Confirmationis Sacramenti jus in Occidente quidem penes eos tantum perſtitit, cum penes Græcos Presbyteri illud conferant. Altarium pariter, & ſancti Chriſmatis conſecratio reſervata eſt Epiſcopis, æque atque Abbatum & Abbatiſſarum benedictio. Epiſcoporum juriſdictio Diœceſis Clerum & Populum afficit; erat illa antiquis temporibus omnino ſpiritalis; ſed in præſentia præter ſpiritalem illi contentioſa quoque juriſdictione gaudent, quam exercendam committunt Judici, qui dicitur Officialis. Semper Epiſcopi fuere Judices Eccleſiaſticæ doctrinæ ac diſciplinæ in Conciliis ſeu provincialibus, ſeu nationalibus, ſeu generalibus. Cum illi in ſuis Diœceſibus contra Clericos aut Laicos ſententias ferebant, poterant, qui damnati erant, confugere ad Provinciæ Concilium, quod ea judicia reformandi jure pollebat. Nunc temporis appellatur ab Epiſcopi, vel ejus Officialis ſententia ad Metropolitanum, vel ejus Officialem, adeoque per appellationem tanquam ab abuſu confugitur ad ſenatum pro cauſarum ratione.

Non defuere occaſiones, in quibus Papæ inſtituerunt vacantium Epiſcopatuum Admniniſtratores alios ab eo, qui jam exiſtebat, atque id quidem, quamdiu ſanctæ Sedi placuiſſet, auctoritate donatos ita numeris omnibus abſoluta tam quoad ſpiritalia, quam quoad temporalia, ac ſi earum Eccleſiarum veri nominis Epiſcopi eſſent. Ita ſe geſſit Clemens XI. quoad Epiſcopatum Monaſterienſem occaſione conteſtationis ortæ an. 1706. inter Principem Carolum Lotharingiæ Epiſcopum Oſnabrugenſem, electum a Canonicorum parte, & Franciſcum Arnoldum *de Metternich* Epiſcopum Paderbornenſem, qui votorum pluralitatem retulerat. Super hoc negotio multis habitis congregationibus, Sua Sanctitas abolevit utramque electionem, & auctoritate ſua inſtituit Epiſcopum Paderbornenſem Adminiſtratorem Epiſcopatus Monaſterienſis per ſuum Diploma diei 11. Maii an. 1707. datum ad hunc Prælatum; ſed poſt menſes aliquot ſupremus hic Pontifex ei ſuas Bullas dedit ad hunc eumdem Epiſcopatum.

Cæremoniæ Conſecrationis Epiſcoporum ſatis oſtendunt, cujuſmodi eſſe debeant eorum qualitates, & cujuſmodi ſint eorumdem functiones. Facienda eſt conſecratio die Dominico in Eccleſia electi propria, vel ſaltem in Provincia, quantum quidem commode fieri poteſt. Conſecranti Epiſcopo ſaltem duo alii Epiſcopi debent adſiſtere; atque ille quidem æque atque electus jejunio vacare debet in vigilia conſecrationis. Conſecranti ante Aram ſedenti ſenior ex Epiſcopis adſiſtentibus præſentat electum, inquiens: Eccleſia Catholica poſtulat, ut hunc Presbyterum erigatis ad onus Epiſcopatus, lecto deinde Mandato Apoſtolico, ſeu Diplomate, quod electi dignitatem continet, is quidem præ-

ſtat fidelitatis juramentum Sanctæ Sedi. Tunc Conſecrans examinat electum de fide & moribus; ex eo quærit, an velit rationem ſubdere ſenſui ſacræ Scripturæ, an verbis & exemplo eos divinarum litterarum textus explicare populo, quos intelligit, an Patrum traditiones, & ſanctæ Sedis Decreta ſervare ac docere velit, an velit obedire Pontifici juxta Canones, an velit mores ſuos avertere ab omni malo, & cum Dei auxilio ad omne bonum componere, cuſtodire ac docere caſtitatem, ſobrietatem, humilitatem, patientiam; erga pauperes eſſe miſericors, & affabilis, devotus Dei ſervitio, & alienus ab omni temporali negotio, & ab omni lucro ſordido; eum deinde de iis interrogat, quæ in Symbolo continentur.

Poſt hoc examen Conſecrans Miſſam inchoat, poſt Epiſtolam & Gradualem de ſuis obligationibus electum inſtruit, & dum Litaniæ canuntur, acceptum Evangeliorum Librum ponit omnino ſupra collum & humeros electi; tum ejus capiti ambas manus imponens cum Epiſcopis adſiſtentibus, eum ita alloquitur: Accipe ſpiritum Sanctum. Tunc Conſecrans recitat Præfationem, qua Deum orat, ut tribuat electo virtutes omnes, quarum myſterioſa Symbola erant Magni Sacerdotis antiquæ Legis ornamenta; & dum canitur, *Veni Creator*, ei caput ungit ſancto chriſmate, caniturque interim Pſalmus 132. & unctiones fiunt ſupra manus electi, cujus Conſecrans benedicit Baculum Paſtoralem, quem ei dat in ſignum juriſdictionis. Benedicit quoque anulum, quem in ejus digito ponit, eique intra manus dat Evangeliorum Librum. Quibus peractis Conſecrans Miſſam proſequitur, & in oblatione electus offert panem & vinum, ſe addit Conſecranti, & cum eo Miſſam abſolvit, in eaque communicat ſub duabus ſpeciebus, & quidem ſtans. Abſoluta Miſſa, Conſecrans benedicit Mitram, & chirothecas, & Conſecratum in ſua Sede collocat; deinde cantatur, *Te Deum*, atque interea Epiſcopi adſiſtentes eum per totam circum Eccleſiam ducentes Populo oſtendunt. Omnia abſolvuntur benedictione ſolemni, quam ipſe tribuit. Ex his omnibus cæremoniis apparet, cujuſmodi ſint Epiſcopi obligationes.

Ejus autem functiones omnia Chriſtianæ Religionis exercitia complectuntur. Ad eum ſpectat Chriſtianos efficere Prædicatione & Baptiſmo, eos orationem docere, alere verbo Dei, & Sacramentis, inſtituere Presbyteros & Epiſcopos, qui poſſint eaſdem, atque ipſe, functiones obire, & Religionem uſque ad ſæculorum finem ſartam tectamque ſervare. Sed quamvis ille omnia Sacramenta adminiſtrare debeat, duo tamen ſunt, quorum ordinarius Miniſter eſt, Chriſtianorum jam baptizatorum Confirmatio, & Presbyterorum Miniſtrorumque ordinatio. Nec deſunt conſecrationes & benedictiones annexæ Ordini Epiſcopali; nam præter Abbatum, & Abbatiſſarum benedictionem, de qua dictum eſt, ille pariter Reges & Reginas conſecrat, benedicit Æquites, Eccleſias dedicat, conſecrat Altaria ſive fixa, ſive portatilia, Calicem, & Patenam, & benedicit Sancta Olea. Aliæ multæ ſunt benedictiones Epiſcopales, quæ poſſunt Presbyteris demandari, cujuſmodi eſt benedictio Corporalium, & Mapparum Altarium, ornamentorum Sacerdotalium, Crucium, Imaginum, Campanarum, Capellarum, Cœmeteriorum, & reconciliatio Eccleſiarum profanatarum; ſed Epiſcopus alias quoque exteriores functiones habet.

Hæ functiones ſunt ejus Juriſdictio, cura, quam perſonarum Deo conſecratarum ſuſcipere debet, & cura bonorum temporalium Eccleſiæ ſuæ. Ille omnium, quæ ad Religionem ſpectant, ordinarius & naturalis Judex eſt; ad eum pertinet Fidei ſeu Moralis quæſtiones decidere, interpretando Sacram Scripturam, & Patrum traditiones fideliter aſſerendo. Hinc eſt, etiam penes eum jus eſſe examinandi Libros omnes, qui in ſua Diœceſi vulgantur, quod ad Religionem quidem pertineat; quod tamen in Gallia non obſervatur. Debet Epiſcopus Eccleſiaſticam politicam reformare; ejus eſt a Canonibus diſpenſare in iis caſibus, in quibus Canones ipſi permittunt. Jus quoque habet de Eccleſiaſticorum criminibus judicandi, reoſque ſpiritualibus pœnis puniendi. Ei cura commiſſa eſt omnium perſonarum miſerabilium, pauperum tum bene tum male valentium, puerorum orphanorum derelictorum vel expoſitorum a nativitate, ſenum ad victum ſibi lucrandum ineptorum, ſtupidorum & imbecillium, tranſeuntium & advenarum pauperum; atque inde fit, ut ſuapte natura ei competat directio omnium Hoſpitalium, omnium operum charitatis, & omnium Congregationum, quæ in hunc quidem finem inſtitutæ ſunt.

Epiſcoporum poteſtas edendi Statuta.

CASUS I.

1 *Epiſcopi jus habent edendi Statuta ad inſtituendam, cuſtodiendamque Eccleſiaſticam diſciplinam.*

2 *Hæc ſtatuta in materia gravi obligant ſub pœna peccati mortalis; iiſque Epiſcopus cenſuras addere poteſt.*

3 *Non eſt neceſſe hæc Statuta a Parochis, & Capitulis acceptari. Satis eſt ea in aliqua Synodo, ſeu ſervato Juris ordine in dicta eſſe.*

QUÆSITUM.

Cum Epiſcopus ad Diœceſim ſuam perveniſſet, comperit Parochos non eadem ratione ſe gerere, ſed alios agere, prout ſibi ipſis videbatur, alios vero, prout in aliis Diœceſibus fieri videbant; hujus autem diverſitatis ea ratio erat, quod poſt annos plus quam ſexaginta in ea Diœceſi nulla Synodus habita fuerat, nullaque ſupererat notitia reformationum, quæ præcedenti ſæculo factæ fuerant; ut proinde hic Epiſcopus unum tantummodo eorum exemplum invenire potuerit, ex quo facile intellexit omnino neceſſe eſſe cogi Synodum, in qua reformationes Diœceſis neceſſitati reſpondentes inſtituerentur. Exordium ſumpſit a generali viſitatione, ut cognoſceret, quibus remediis opus eſſet. Perdiu exploravit mores & indolem Populorum & Cleri; tum vero nonnullis Sorbonæ Doctoribus in conſilium adhibitis, certas quaſdam inſtitutiones propoſuit in Congregatione ex Vicariis Generalibus, Archidiaconis, & Decanis Ruralibus compoſita; eorumque ſuper omnibus audita ſententia, coegit ſuam primam Synodum, in qua eædem inſtitutiones indictæ ſunt, nemine refragante. Eas tamen Epiſcopus in lucem edere, eorumque exempla diſtribuere diſtulit per ſex menſes, ut nempe videret, an non ex praxi gravis aliqua difficultas oriretur, quæ in cauſa eſſet, cur aliquid mutaretur. Eas Pariſios miſit, ut a Facultatis Doctoribus, qui inter cæteros eminerent, expenderentur, a quibus approbatas typis edendas curavit, & paulo poſt mortem occubuit. Conſtitutiones eas ratas habuit ejus Succeſſor, & ad earum executionem incubuit; ſed audiit de iis Parochos non nihil conqueri, ajentibus aliis ſe ea nova Statuta non acceptaſſe, aliis vero contendentibus Epiſcopum ſub peccati pœna id nec præcipere nec prohibere poſſe, quod divina Lege nec præcipitur, nec prohibetur; occurrere porro hujuſmodi

modi articulos in dictis Conſtitutionibus. Epiſcopus ſatius eſſe judicans animos in ordinem redigi inſtructione, qua carent, quam auctoritate, mandavit, ut quæſtiones multæ in Statutorum negotio in cujuſque menſis collationibus agitarentur. Conſilium hoc bene ceſſit quoad multos, qui materias ipſi ſerio expendentes, & ſummas Epiſcopi nomine accipientes in viam redierunt; & omnino contrarium effectum produxit in aliorum animo, qui dictitant eam Epiſcopi mentem eſſe, ut imponat, & ad quædam probanda capita, ad quæ adigi nequeunt, cate & per cunniculos adigat. Nonnulli renuunt reſpondere, alii vero non dubitant ſummas & deciſiones quas ad eos mittit Epiſcopus, non verbo ſolum, ſed etiam ſcripto refellere. Prælatus hic perſuaſum habens eos vi cogi non poſſe, ſperat fore, ut ſe dedant Sorbonicorum Doctorum ſententiæ. Quamobrem eos orat, ut velint ſequentibus hiſce quæſtionibus reſpondere.

I. An Epiſcopi jus habeant Leges & Conſtitutiones ſanciendi, an vero eorum poteſtas quoad hoc in eo tantum poſita ſit, ut eas obſervandas curent, quas Deus inſtituit?

II. An Conſtitutiones, ſeu Statuta Epiſcoporum obligent in foro conſcientiæ?

III. An Epiſcopi tum ſolum poſſint Leges condere, cum in Conciliis Generalibus congregati ſunt; & an ſinguli nequeant in ſua quiſque Diœceſi eaſdem edere?

IV. An quod eſt ſuapte natura indifferens, & nec naturali, nec divina Lege prohibetur, poſſit evadere peccatum mortale per Epiſcopi prohibitionem, cum id intereſt ad bonum, quod inſtituere vult? Ita Eccleſia prohibet carnis uſum certis diebus ſub peccati mortalis pœna, quia hujus præcepti tranſgreſſio opponitur fini, cujus gratia Eccleſia rem vetuit, quæ natura ſua eſt prorſus indifferens.

V. Facta hypotheſi rem per ſe indifferentem, poſſe mortale peccatum evadere propter Epiſcopi prohibitionem, poteſtne ſub cenſurarum pœna prohiberi, eamque poteſtne Epiſcopus caſum reſervatum declarare? Hac de cauſa Tridentina Synodus in Monialium Clauſuram ingreſſum prohibet ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*, etiamſi nullus malus finis proponeretur, quia id regularitati maxime contrarium eſt, & gravibus abuſibus januam aperit.

VI. An ingreſſus in Tabernam bibendi & edendi cauſa ſit negotium ſatis grave ratione finis, quem Epiſcopus ſibi proponit, ut dignum ſit, quod Eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis interdicatur, & an caſus reſervatus declarari poſſit?

VII Facta hypotheſi Epiſcopum edendæ hujus prohibitionis poteſtate gaudere eam ne edere potuit ſub ſuſpenſionis pœna, cum vidit nec cohortationibus nec minis eos abſterreri potuiſſe, qui Cauponas frequentare conſueverunt?

VIII. Quoniam licet edere ac bibere in Caupona, ubi quis degit amici titulo, & Symbola non ſoluta: poteſtne jure Epiſcopus hunc caſum in ſua Conſtitutione comprehendere, quia experientia edoctus prævidet fore, ut ea eludatur, & omnino peſſum eat, cum nemo unus ſit, qui ſe non poſſit Cauponis amicum dicere, & apud eum edendi modum excogitare, pecunia non ſoluta, ſed donis eidem exhibitis, ei præſtita opera, eumque viciſſim invitans ad edendum in Presbyterio? Atque ita Conſtitutione nihil obſtante, frequentarent Eccleſiaſtici cauponas, quin tamen redargui poſſent. In hac quæſtione ponitur tanquam certum, Epiſcopum non recuſaturum in hac Lege diſpenſare juſtis de cauſis, & cum nullum inde damnum patitur diſciplina.

IX. Clerici, qui violant ejuſmodi Conſtitutiones, cujuſmodi ſunt eæ, de quibus agitur, indictas in plena Synodo, a bene multis Doctoribus approbatas, poſſuntne ſe in conſcientia tutos credere, prætendentes eas a ſe acceptatas non eſſe, quamvis nullam ipſi oppoſitionem inſtituerint, & quamvis in Curia Eccleſiaſtica juxta dictas Conſtitutiones ſententiæ pronuncientur?

X. Quæ Synodales Conſtitutiones editæ ſunt, Vicariis Generalibus, Archidiaconis, & Decanis Ruralibus conſentientibus, & proinde ab omnibus primariis Diœceſis Eccleſiaſticis receptæ ſunt, habentne illæ vim Legis, cum expreſſe a Parochis acceptatæ non ſunt? Sane non negatur, ſi oppoſitio prægravis, & univerſalis eſſet, prudentiæ & charitati conforme eſſe, ut Epiſcopus ſeſe remittat, quia videlicet noceret magis, quam prodeſſet, ſi auctoritatis ſuæ plenitudine uti vellet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, Epiſcopos poſſe novas Leges condere ad bonum Populorum regimen, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodiam non ſolum in Conciliis Generalibus, & particularibus, verum etiam in ſuis Diœceſibus, & extra Concilia, iiſque legibus eos omnes in conſcientia obligari, qui iiſdem Epiſcopis ſubjecti ſunt. Poſſunt etiam prohibere res, quæ ipſæ per ſe malæ non ſunt, ſed poſſunt malis anſam præbere propter circumſtantias iis additas, quæque ab iiſdem facile ſejungi nequeunt. Ejuſmodi eſt ingreſſus in cauponas, quem Epiſcopus Clericis prohibere jure poteſt ſub pœnis Eccleſiaſticis; qui porro Conſtitutiones ſtas violant, mortaliter peccant. Caput *ſi quis venerit, extra. de majoritate, & obedientia*, declarat licere Epiſcopis Leges condere ſub adeo gravibus pœnis, ut tranſgreſſores reddant mortalis culpæ reos, & dignos, qui ex Eccleſia per excommunicationem expellantur: *Si quis venerit contra Decretum Epiſcopi, ab Eccleſia abjiciatur. In libro Regum ſcribitur, ſi quis non obedierit Principi, morte moriatur; & in Concilio Agathenſi, anathematizetur.*

Capita *Veſtra de locato, & conducto, & a Nobis fuit, de ſententia excommunicationis*, cum Gloſſa, ut etiam caput 1. *de conſecrat. diſt. 3.* hanc in Prælatis poteſtatem ſupponunt. Doctrina hæc in Canonibus inſtituta nititur in novo Teſtamento Actis Apoſtolorum *c.* 20. *v.* 28. ubi S. Paulus ita Epiſcopos alloquitur: Spiritus Sanctus poſuit vos regere Eccleſiam Dei; quod ſignificat eos poſſe tanquam Eccleſiarum ſuarum Hierarchiæ capita Reformationes ac Leges condere, & tanquam Presbyterorum Superiores poſſe eos non minus quam Fideles cæteros regere. Presbyteris enim non minus, quam aliis dicitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Debent igitur Fideles iis obſequi, qui Eccleſiam adminiſtrant, in iis omnibus, quæ ad ipſorum ſalutem ſpectant. Si enim parendum eſt Principis Legibus, quibus hujus tantum vitæ tranquillitas eſt propoſita, ut præcipit D. Paulus ad Romanos *cap.* 13. non minori in pretio habendæ ſunt Epiſcoporum Conſtitutiones, quæ ſunt *in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Cum ergo intelligit Epiſcopus a ſuæ Diœceſis Eccleſiaſticis Legis Cauponarum frequentationem prohibentis auctoritatem contemni, poteſt pœnam injungere, ad ejus tranſgreſſionem impediendam, & ad mala avertenda, eludendæ Legis modos iis adimens, qui ad malum proni ſunt, ut animadvertit Lopez *de Salcedo pract. crim. can.* 7. 77. *Pœna autem contrarium facienti in illis Canonibus Statuta non eſt, unde hoc Superioribus videtur relictum.* Id porro facto opus eſt, ut ſerventur Canones, quibus vetatur, ne cauponæ, nonniſi in exceptis caſibus, adeantur, ut conſtat ex cap. *Clerici, extra. de vita, & honeſtate Clericorum*, ducto ex quarta Lateranenſi Synodo ſub Innocentio III. *Tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti.* Et ex cap. *Nulli Clerico*; & ex cap. *Clerici diſt.* 44. *Clerici edendi, vel bibendi cauſa Tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.* Mos addendi pœnas violationi Legis adeo generalis eſt, ut nulla ſit Natio, in qua non obtineat; tum etiam, cum Lex nullam pœnam infligit, jus habet Judex pœnis arbitrariis tranſgreſſores puniendi. Eadem Epiſcopi pollent auctoritate, atque utiliter in ſuis Diœceſibus regendis utuntur. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis ea uſus eſt Rothomagi, cum eam ſedem teneret; idemque Pariſiis præſtitit, in cauponas ingreſſum prohibens Clericis ſub ſuſpenſionis pœna in Conſtitutionibus Synodalibus in lucem editis die 6. Julii an. 1673. Illuſtriſſimus Epiſcopus Lemovicenſis, aliique Antiſtites bene multi idem ſtatuerunt, quin ulli unquam in mentem venerit de eorum auctoritate dubitare.

Cæterum non eſt neceſſe Parochos, alioſque de Clero ſuum aſſenſum præbere Conſtitutionibus, quæ ab Epiſcopis editæ ſunt, niſi agatur de negotiis in Jure expreſſis, cujuſmodi ſunt ea, in quibus Capitulorum conſenſus requiritur. Major occurreret difficultas, utrum eorum conſilium petendum foret, tametſi illud amplecti Præſules non tenerentur, quemadmodum a Cardinalium Congregatione reſponſum videmus. En verba Piaceſii eorum reſponſionem referentis, *prax. Epiſcop. part. 2. cap. 2. Sacra Congregatio.... reſpondit Amplitudinem tuam in Synodo Diœceſana facere poſſe Conſtitutiones, abſque conſenſu, & approbatione Cleri; debere tamen requirere conſilium Capituli, licet illud non teneatur ſequi, niſi in caſibus a jure expreſſis.* Nec deſunt Auctores, qui ſentiant Epiſcopos abſque Capituli auctoritate ſtatuere poſſe, cum per conſuetudinem præſcripſerunt. Suarez *de Relig. tit. 1. l. 2. c. 11. n. 7. & 8.* ad id probandum affert *Cap. non eſt. de conſuetudine in 6.* ut proinde, ſi ita res habeat, Epiſcoporum jus longo uſu graviſſime firmatum ſit; tunc enim non tenentur Prælati cum ſuo Capitulo communicare, quicquid ad propriæ Diœceſis adminiſtrationem ſtatuere volunt. Ex his omnibus concludendum, Parochos, qui contendunt ſe poſſe Epiſcopi ſui Conſtitutiones tranſgredi, eaſque omni robore deſtitui, eo prætextu, quod eas ipſi juxta formas non acceptaverint, hallucinari, & invertere ordinem expreſſis Legibus inſtitutum, & vetuſtiſſima conſuetudine confirmatum. Omnibus porro propoſitis interrogationibus ſatisfacit reſponſio hæc.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 18. Februarii an. 1686.

Auguſtinus *de Lamet.*

Epiſcopi Jus Capituli viſitandi.

CASUS II.

1 *Quantumvis exemptum ſit Capitulum, jus habet Epiſcopus illud viſitandi, & in eo reformandi, quicquid ad diſciplinam, & morum correctionem ſpectat.*

2 *Si ab ejus Conſtitutionibus appellaretur, appellationes ſuſpenſivæ non eſſent.*

3 *Qui ei non obtemperat, cenſuras ab ipſo pronunciatas incurrit, & eſſet irregularis, ſi poſt ſuſpenſionem celebraret.*

QUÆSITUM.

CAnonici Collegiatæ Diœceſis V. gaudent pacifica poſſeſſione ſuæ exemptionis a Juriſdictione Epiſcopi V. ſuntque immediate ſubjecti Sanctæ Sedi, a tempore fundationis, quæ contigit an. circiter 1066. Nullus unquam Epiſcopus eorum Eccleſiam viſitavit, ac vel in Corpus, vel in membra Capituli ullam contentioſam Juriſdictionem exercuit; immo vero Epiſcopi, eorumque Officiales ſemper eam exemptionem probarunt, multiſque ſententiis remiſerunt ad Capitulum correctionem & punitionem criminum a privatis commiſſorum ad Canonicorum revendicationem. Nihilominus cum hujus adeo inveteratæ poſſeſſionis præjudicio Dominus B. Epiſcopus V. juſſit dicto Capitulo Mandatum ſignificari, quo præcipiebat omnibus hujus Collegiatæ Titularibus, ut omnia pararent ad ejus primam Epiſcopalem in ipſorum Eccleſia viſitationem, & ad ipſum recipiendum neceſſaria, ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto*. Capitulum pridie ante indicatam diem eidem exhibendam curavit appellationem ad Summum Pontificem; ſed ille tamen non deſtitit ſuam viſitationem inſtituere poſtridie, nempe die prima Septembris hujus anni 1696. Canonici receſſerunt; Epiſcopus nondum ſuæ viſitationis Acta vulgavit; contenditque Canonicos incurriſſe ſuſpenſionem pronunciatam *ipſo facto*, quod ei nempe non interfuerint. Econtra aſſerunt illi ſuſpenſionem ſuam ſuſpenſivam eſſe, & cum de Superioris immediati fundo & functionibus agatur, quæ cum Capitularis poſſeſſionis detrimento Epiſcopus ſibi arrogare vult; eum in illos, qui ſibi ſubjecti non ſunt, ſuſpenſionem pronunciare minime potuiſſe. Itaque Officium ſuum de more celebrare non deſtiterunt; quamobrem contendit Epiſcopus Canonicos eſſe debere interdictos, & in irregularitatem incidiſſe. Quare obteſtantur Doctores, ut decidant, an jure fecerint, & oſtendant, quam inire viam debeant in hac facti ſpecie, antequam Epiſcopus Interdicti ſententiam contra ipſos pronunciet?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, duo conſiderari poſſe in Viſitatione, quam inſtituit Epiſcopus, ad Capitula exempta quod attinet.

Primum ſpectat ad Tabernaculum, Sacriſtiam, ornamenta, vaſa ſacra, clauſuram in Monialium Monaſteriis, perinde atque id, quod diſciplinam, & morum correctionem reſpicit.

Alterum pertinet ad temporalium adminiſtrationem, & Eccleſiarum exemptarum Jurisdictionem. Si in hoc poſteriore articulo ederet Epiſcopus Conſtitutionem ſub pœna cenſuræ *ipſo facto*, appellatio, quam Canonici interponerent, facta hypotheſi eorum exemptionem conſtantem eſſe, ſuſpenſiva, & devolutiva foret, quia Epiſcopus hoc in caſu eorum exemptionis ſubſtantiam & fundum attingeret, cujus nempe gratia Epiſcopo directe ſubjecti non ſunt. Videtur Tridentina Synodus ſententiam hanc inſinuare voluiſſe, cum dixit *Seſſ. 25. c. 6. de Reformat.* Epiſcopum non debere ſeſe immiſcere negotiis, quæ ſpectant ad Capitulorum exemptorum Juriſdictionem, & eorum temporalium adminiſtrationem: *Cæteris autem in rebus Capituli juriſdictio & poteſtas, ſi qua ei competit, & bonorum adminiſtratio, ſalva & intacta omnino relinquatur.*

In primo Caſu jus habet Epiſcopus viſitandi, & ſub cenſuræ pœna Conſtitutiones ſanciendi, quarum appellatio non ſuſpendit effectum; expreſſa eſt in hanc rem Aurelianenſis Conſtitutio articulo II: *Omnes Canonici, & Capitula tam Sæcularium, quam Regularium, & Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum promiſcue ſubdantur Archiepiſcopo, vel Epiſcopo Diœceſano, quin ullo exemptionis privilegio ſe tueri poſſint, & quoad viſitationem, & punitionem criminum, non obſtantibus oppoſitionibus, vel appellationibus quibuſcumque, & ſine præjudicio earum.* Fevretus *lib. 3. c. 4. n. 7. p. 288.* & Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 5. & ſeſſ. 24. c. 10. de reformat.* tribuunt Epiſcopis poteſtatem viſitandi exempta Capitula ad reformanda, & corrigenda mala, quæ in iis detexerint, quin ulla appellatione impediri poſſit ſtatutarum Conſtitutionum effectus: *nec in his, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita executionem eorum, quæ ab his decreta aut judicata fuerit, quoquomodo impediat, aut ſuſpendat.*

Et ſane ſi per appellationem poſſet impediri effectus Conſtitutionis Epiſcopalis in negotio diſciplinæ, & correctionis morum, malum impunitum evaderet; antequam enim appellatio judicaretur, ac finiretur, illud magnos progreſſus faceret, & fortaſſe inſanabile fieret. Concilium, quod hoc incommodum prævidit, credidit opus eſſe prompto remedio; & quia Capitula exempta poſſent objicere ſuam exemptionem, ut ita Conſtitutionum executioni obſtaculum opponerent, voluit Synodus Epiſcopum in hac occaſione Pontificia poteſtate inſtructum eſſe, & agere tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum: *in omnibus, quæ ad viſitationem ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, Jus & poteſtatem, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati habeant.*

Auctores quidem bene multi contendunt in Gallia Epiſcopos non agere in his occaſionibus tanquam delegatos; ſed utcumque ſit, ſupra allata verba Concilii intentionem ac mentem ſemper ſignificant, quod nempe noluit ullam exemptionem valere poſſe, quod ſpectat ad diſciplinam, & correctionem morum, ſatiſque oſtendunt, a Concilio quoad caput hoc privilegia omnia ſuſpenſa fuiſſe.

Hoc poſito, reſpondetur agi in caſu propoſito de viſitatione, quæ reſpicit diſciplinam, & alia, in quæ Epiſcopus V. inſpectionis jus habet. Quamobrem etiamſi tanquam certum ponatur Capitulum

N. verè ac propriè exemptum eſſe, & hactenus in ſuæ exemptionis poſſeſſione fuiſſe, id non eſt intelligendum de viſitatione Eccleſiæ, aliarumque rerum, quæ ad diſciplinam, & morum correctionem ſpectare poſſunt, ut ſupra oſtenſum eſt. Conſequens ergo fit Epiſcopum V.... Eccleſiam ... viſitare potuiſſe, & Canonicos, quod ejus Conſtitutioni non paruerint, incurriſſe ſuſpenſionem, ac deinde irregularitatem, ſi Officium ſuum celebrarunt. Fruſtra reponitur Epiſcopos, eorumque Officiales ſemper remiſiſſe Canonicos ad Capitulum, a quo judicarentur; fortaſſe quippe quia Capitulum haud recte judicabat, Epiſcopus viſitationem inſtituere voluit; uno verbo id quod fecerunt Epiſcopi deceſſores, eorumque Officiales, non poteſt officere juri, quo pollet Epiſcopus V.... viſitandi Capitulum....

Via quoad Canonicos magis expedita ea eſt, ut ne expectent, dum Epiſcopus pronunciet interdictum, quod timent; ſed debent ad eum confugere, ei ſatisfacere, & ab eo ſuſpenſionis abſolutionem petere. Debent etiam ſe ab irregularitate liberandos curare, & interea temporis a celebratione abſtinere.

Deciſum hac die 5. Octobris an. 1696.
G. Fromageau.

Auctoritas Epiſcoporum in Monaſterio ſubjecto.

CASUS III.

1 *Epiſcopus non poteſt obligare Communitatem Monialium ad recipiendam Novitiam, quæ ipſis non congruit.*

2 *Jus non habet abolendi, nullamque declarandi concluſionem Canonicam, quæ eam reſpuit votorum pluralitate.*

3 *Prohibere non potuit ſub pœna excommunicationis* ipſo facto, *ne de hoc negotio verba fierent.*

4 *Quæ tamen citra neceſſitatem ea de re locutæ ſunt, debent in obſequii argumentum a Sacramentis abſtinere, donec Epiſcopus Conſtitutionem ſuam revocaverit.*

5 *Mandare non potuit, ut puella rejecta in Probationis exercitiis detineretur.*

6 *Non potuit activa & paſſiva voce privare Monialem privatam, quæ Actum Capitularem, de quo ille queritur, occultavit, ne, ut volebat, laceraretur, aut eamdem locis, quæ Parlatoria dicuntur, interdicere ad tres annos.*

7 *Non potuit huic Communitati vetare, ne abſque ſua permiſſione Capitulum ullum cogeret, aut Novitias, & Penſionarias admitteret; ſed nihil innovare debuit.*

QUÆSITUM.

PUella gravi ægritudine, quæ ſerpere poteſt, infecta Novitiatum Urſulinarum Urbis N..... aggreſſa eſt. Quia porro nulla cæteroquin eminet qualitate, eam ad Profeſſionem admittere Communitas fere omnis renuit. Epiſcopus loci a viris multis in Urbe præſtantibus incitatus eamdem puellam admitti magnopere cupit; Communitas, ne quid omittat, quod obſervantiæ atque æquitati conforme ſit, eum monendum curat, cum ea puella recipi nequeat, magis ex ejus dignitate fore, ſi ipſa abeat ſponte ſua, quam ſi perſiſtens capitularis ejectionis periculo ſeſe exponat. Id ſtatim probat Epiſcopus; ſed contraria factione omnino volente Novitiam ad Profeſſionem recipi, Communitatis convocationem indicit. Habetur Congregatio hora quarta pomeridiana, & Novitia votorum pluralitate reſpuitur.

Irritatus Epiſcopus, & ab iis, quorum intererat, extimulatus abrogat Capituli concluſionem, mandat Urſulinis, ut Novitiatus exercitiis Novitiam reſtituant, quoad ipſe de re judicaverit, vetat univerſis, ac ſingulis, ne de toto hoc negotio directe, aut indirecte loquantur, ſub pœna inobedientiæ, & excommunicationis *ipſo facto*, cujus ſibi ſoli reſervat abſolutionem; prohibet, ne quod Capitulum ob puellarum receptionem habeatur, ne quæ vel penſionariæ recipiantur, ſe non permittente, & Antiſtitæ præcipit, ut Communitati ſuæ eam Conſtitutionem indicat, quo eidem ſub inflictis pœnis obtemperare teneatur; mandat etiam, ut Capituli Actus taceretur & abrogetur; ſed Monialis neſcio qua illum arripuit, celavitque; quod audiens Epiſcopus eam ſubdit pœnitentiæ, privat activa & paſſiva voce, eamque locis, quæ Parlatoria dicuntur, per triennium interdicit.

Quoad hæc omnia rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſequentes difficultates dirimere velint.

I. Quæritur, an Epiſcopus auctoritate propria poſſit adigere Urſulinas ad puellam, quæ Communitati non congruit, recipiendam?

II. An Epiſcopus N.... potuerit irritare, nullamque declarare Urſulinarum congregationem habitam die 24. Novembris hora quarta pomeridiana? Nota eas in cogendo Capitulo ab Epiſcopi mandato non pendere. Statuitur in Regula, ut id fiat hora maxime opportuna pro Antiſtitæ voluntate.

III. An Monialibus inhibere potuerit, ne directe vel indirecte de hujuſmodi negotio loquerentur, ſub pœna inobedientiæ, & excommunicationis *ipſo facto*, cujus abſolutionem ſibi ſoli reſervat?

IV. An Moniales, quæ ea de re locutæ ſunt aut petendi conſilii gratia, aut ex levitate, in propriè dictam excommunicationem inciderint? An ipſæ a Sacramentis abſtinere, & abſolutionem petere debeant?

V. An Epiſcopus jubere potuerit Novitiam Canonica Congregatione rejectam ad ſuæ Probationis exercitia redire uſque ad ipſius Epiſcopi definitionem?

VI. An potuerit pœnitentiæ ſubdere, & a cratibus arcere per triennium Monialem, quod Capitularem Actum, quem ipſe proſcindendum mandaverat, occultaverit?

VII. An Epiſcopus potuerit his Monialibus interdicere, ut ullum in poſterum Capitulum cogerent ad puellarum receptionem, ac ne penſionarias quidem reciperent citra ſuam permiſſionem?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut propoſitis quæſtionibus ſatisfaciat, exiſtimat,

Quoad primam. Epiſcopum non poſſe legitime in facti propoſiti circumſtantiis Urſulinas adigere ad puellam, quæ Communitati non arridet, recipiendam; præterquamquod enim a conſuetudine alienum eſt, puella, de qua quæritur, morbo, qui ſerpere poteſt, infecta eſt; ex quo ſequitur, Moniales potuiſſe, ac debuiſſe eamdem reſpuere, ne univerſæ ac ſingulæ in diſcrimen adducerent valetudinem propriam, cujus conſervatio juris naturalis eſt, niſi extraordinaria ratio ſuppetat, cur ſecus fiat.

Quoad ſecundam. Quæſtionis primæ reſponſio principii loco eſſe poteſt ad quæſtiones cæteras dirimendas, oſtendendumque, quam parum Epiſcopus quoad has Moniales æquitati ſtuduerit. Quoniam ergo in Conſtitutionibus nullus occurrit peculiaris articulus vetans Antiſtitæ, ne Capitulum cogat, cum ipſi videbitur; & ex alia parte res erat momenti non levis, & intererat præſens remedium afferri, rejecta nempe puella, quæ Communitati nocere poterat; Antiſtita potuit hora jam declarata Capitulum indicere.

Quoad tertiam. Ea prohibitio laborat duplici vitio. Primum eſt, nihil cauſæ fuiſſe, cur fieret ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*, quæ cum ſit pœna omnium graviſſima, quibus Eccleſia Chriſtianum punire poſſit, gravem, & notabilem cauſam requirit; alterum eſt, juſſionem in hac facti ſpecie ab Epiſcopo factam cuſtodiendi ſilentii non poſſe moraliter executioni mandari. Eſt enim longe difficillimum, Moniales in Communitate viventes, & pluries in die ſibi invicem occurrentes directe vel indirecte non colloqui de præſenti negotio, quod maxime ipſas afficit, & cujus occaſione contra jus faſque male habentur.

Quoad quartam. Ex dictis ſequitur, Moniales

re-

revera in excommunicationem ullam non incidiſſe, utcumque tandem de puella ſermonem habuerint ſive ex levitate quadam, ſive ad capiendum conſilium. Animadvertendum venit, quod attinet ad conſilium, prohibitionem ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* nunquam impedire, ne illud petatur, quia id ad naturale jus pertinet, quod Superior adimere nequit, cum eo eſt opus.

Quamvis autem prohibitio & excommunicatio injuſtæ ſint, tenentur tamen Moniales obſervantiæ cauſa, quantum poſſunt, ſilentium ſervare. Quod in cauſa fuit, cur D. Gregorius pronunciaret excommunicationes vel injuſtas timendas eſſe. Quam regulam adeo æquitati conſonam judicavit Eccleſia, ut eam Legis vim habere voluerit, & Juri inſeruerit *cap.* 77. *Non ſolum.* 11. *q.* 3. *Sententia Paſtoris, ſeu juſta ſit, ſeu injuſta, gregi timenda eſt.* Quamobrem Moniales, quæ extra caſus, in quibus opus habebant conſilium petere, de re vetita locutæ ſunt, a Sacramentis abſtinere debent, & ſe ita gerere, ac ſi re ipſa excommunicatæ eſſent, facta hypotheſi rem notam & publicam eſſe, donec prohibitionis & excommunicationis liberationem Communitas obtinuerit, quod quamprimum curare debent, ea, qua decet, obſervantia, atque humilitate Epiſcopum obteſtata; adhibita quoque præſtantium Virorum, qui ei amicitia conjuncti ſunt, auctoritate & gratia, ſperare juvat, fore ut ille poſtulatis benignas aures accommodet.

Quoad quintam. Alio in caſu fortaſſe potuiſſet Epiſcopus ita ſe gerere; ob id enim tantum Superior eſt, ut rectum ordinem & Conſtitutiones ſervari curet. Itaque poteſt id corrigere, quod contra factum fuerit. At in præſenti caſu cum Moniales juſta de cauſa Novitiam rejecerint, quæ quidem cauſa adhuc ſubſiſtit, non potuit Epiſcopus imperare, ut illa ad Novitiatus exercitia redeat; præſertim cum rejici potuerit, eo inconſulto, pro familiæ conſuetudine, nec tamen ante rejecta fuerit, quin id ab eo peteretur. Quare nulla apparet ſatis juſta ratio, cur ille id, quod impugnatur, conſilii inierit.

Quoad ſextam. Epiſcopus tanquam Superior potuit id exigere, ut Acta Capituli ad ſe deferrentur; & Monialis privata non potuit Actum, de quo agitur, occultare; verum Epiſcopus idem non potuit mandare, ut abrogaretur, ac tranſverſo calamo deleretur; apparebat enim re ipſa legitimus, regulisque conformis. Cæterum ſi quis in eo defectus occurreret, Superior ita ſua poteſtate uti debet, ut moderationem & manſuetudinem ſervet; neque id ſemper ſpectare debet, quod abſolute poteſt, ſed quod Communitati, quam regit, utilius eſt, habita ratione rei, de qua agitur, circumſtantiarum, perſonarum, temporum, & locorum. Hinc illud inferri poteſt; quemadmodum Epiſcopus jubere non potuit, ut actus abrogaretur, ac proſcinderetur, ita eam, quæ illum celavit, ut ejus lacerationem impediret, non ita grave peccatum patraſſe, ut a communibus locis per triennium interdiceretur; nihilominus ſuo Superiori parere debet, & ſe gerere, ut Moniales, quæ ſe excommunicatas timent, quod de negotio locutæ fuerint, quoad Epiſcopus omnes ejuſmodi pœnas ſuſtulerit.

Quoad ſeptimam, & poſtremam quæſtionem. Epiſcopus quidem poteſt ita præcipere abſolute loquendo; non tamen in præſenti facti ſpecie; graviſſima quippe cauſa Monialibus præſto fuit, quamobrem Novitiam reſpuerent. II. Epiſcopus expendere debet, an præſtet ita conſtitui, facta hypotheſi Novitias & Penſionarias recipiendi veniam hactenus ab eo peti non conſueviſſe; an vero ſatius ſit nihil innovari, & res in eo ſtatu relinqui, in quo ſe antea habebant.

Deciſum in Sorbona die 14. Februarii an. 1699.
Subſcripti G. *Fromageau*, M. *Charton*,
Marthas, Auguſtinus, G. *Bourret*.

Obligatio parendi Conſtitutionibus Epiſcopi.

CASUS IV.

Cum Epiſcopus Conſtitutionem edidit, qua quicpiam prohibet ſub ſuſpenſionis pœna, cuſtodienda eſt, ejuſque tranſgreſſio grave peccatum eſt, cum res vetita ſuapte natura mortale peccatum eſt, aut ſine ſcandalo fieri nequit.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut definiant, an cum Epiſcopus edita Conſtitutione quicquam ſub ſuſpenſionis pœna prohibuerit, ejus Conſtitutionis tranſgreſſor mortale peccatum committat? Exempli cauſa, dum Clerico venationem prohibet, aut ne ancillas habeat, quæ nondum quadrageſimum quintum ætatis annum attigerint; an videlicet hic Clericus mortaliter Deum lædat, venationi vacans, aut ancillam, eam nondum ætatem natam retinens, quamvis non id faciat ex Conſtitutionis contemptu?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ſi Epiſcopus ſub ſuſpenſionis pœna quicquam vetuerit, cujus tranſgreſſio non ſit ipſa per ſe mortale peccatum, eamdem tranſgreſſionem non evadere mortalem ob ſuſpenſionem eidem annexam; non eſſe tamen errandum in hac regula, credendumque id eſſe veniale peccatum, quod ob circumſtantias, quæ illud comitarentur, & ob ſcandalum, quod inde oriretur, poſſet eſſe mortale; id quod pronunciari poteſt de venatione, quæ adeo Clericis vetita eſt, ut Clericus ei fere vacans a lethali culpa eximi nequeat; idemque ſentiendum de Presbytero, qui citra mortale peccatum violare non poteſt ſui Epiſcopi Conſtitutionem, qua prohibet, ne ancillas, quæ ad annos quadraginta quinque nondum pervenerint, ipſe retineat, ratione ſcandali, quod afferret, pravique exempli, quod præberet, quodque ab actione ipſa ſejungi nequit.

Deciſum Pariſiis hac die 23. Auguſti an. 1674.
Aug. *de Lamet*.

Jus Epiſcopi quoad impetenda Capituli privilegia.

CASUS V.

1 *Epiſcopus, qui jure dubitat, an Tituli, propter quos ejus Capitulum nominat Confeſſarios pro ſibi ſubjectis, legitimi & Canonici ſint, poteſt eoſdem apud Judicem impugnare, & ut abuſivi declarentur, efficere.*

2 *Tenetur Capitulum, cum bonos titulos habet, idoneum virum nominare, qui a Caſibus reſervatis abſolvat.*

3 *Non poteſt Epiſcopus impetere Capituli poſſeſſionem, ſi vetuſtiſſima, & immemorabilis ſit.*

QUÆSITUM.

Epiſcopus N..... quærit a Doctoribus, teneaturne in foro conſcientiæ impugnare privilegia, quæ ſibi ejus Capitulum in duobus gravibus capitibus ad Pœnitentiæ Sacramentum ſpectantibus arrogat. Contendit Capitulum

I. Se poſſe Confeſſarios approbare, qui ad ſuum corpus pertinentibus hoc Sacramentum adminiſtrent.

II. Canonicum hebdomadarium (quem inſigniunt Magni Presbyteri nomine) poſſe ab omnibus caſibus, quos Epiſcopus ſibi reſervavit, abſolvere.

Capituli præcipuus titulus eſt declaratio, quam olim Epiſcopus N..... cui nomen T....., edidit an. 1331. qua ille teſtatur ſuum Capitulum ab im-

me-

memorabili tempore gaudere hoc privilegio, aliiſque multis, quæ approbat & confirmat. Duæ aliæ arrogatorum privilegiorum probationes ſunt antiqui libri duo; quos ſuarum conſuetudinum, & ſtatutorum collectionem eſſe Capitulum dictitat. Quod movet Epiſcopum ad explorandam horum privilegiorum veritatem, eſt,

I. Rei gravitas in ſe ipſa; agitur enim de abſolutionum validitate aut nullitate.

II. Mala electio, quam fere Capitulum ob hanc functionem inſtituit; qui eam actu exercet, adeo profligatus ac perditus eſt, ut in eo minimum vitium ſit ignorantia craſſa, & in veſtiendi ratione immodeſtia tanta, ut quotidie ad Cathedralem ſe conferat inductus brevi veſte, brevique pallio violaceo; fierique poteſt, ut ejuſmodi Canonicus ſit hebdomadarius, adeoque Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtret, maxime tamen incapax & indignus.

III. Epiſcopus, qui ſupra citatam declarationem inſtituit, ſe juris ſui violatorem aperte prodidit. Quorſum ea declaratio? Quandoquidem non apparet ullam inter ipſum ejuſque Capitulum conteſtationem extitiſſe. Præterea ita de eo dicitur in hiſtoria: *Nonnullos Epiſcopatus ſui reditus alienavit, & multa debita contraxit*. Ea tamen conſuetudo in hac Eccleſia perdurat a multis ſæculis; Epiſcoporum ignorantia, & non reſidentia in cauſa ſunt, ut quicumque voluit, eorum juriſdictionem uſurpare potuerit. Præſto ſunt graves rationes, quibus hujus Actus falſitas oſtendatur; ſed ut ille verax eſſet, Epiſcopus T..... ſuo peculiari facto Epiſcopis ſucceſſoribus ſuis nocere non potuit.

Responsio.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſitionem hanc viderunt, exiſtimant quæſtionis propoſitæ ſolutionem pendere a notitia, quam Illuſtriſſimus Epiſcopus N. habet, Titulorum, quibus ejus Eccleſiæ Cathedralis Capitulum juriſdictionem ſuam fulcit; ſi enim eam firmo fundamento niti probe noſſet, non poteſt ipſam, ſalva juſtitia, apud Judices conteſtari. Sin autem novit juriſdictionem, quam exercet Capitulum, fundamento carere, tenetur in foro conſcientiæ eam conteſtari, præſertim ſi intelligat eam ſuis Diœceſanis, in quos Capitulum ejuſmodi ſpiritualem auctoritatem ſibi vindicat, pernicioſam eſſe. Quod ſi Tituli dubii eſſent, ad ejus quoque charitatem atque obligationem ſpectaret eorum poſſeſſionem ſibi reſtituere, Judicum auctoritate, ſi videret nullam aliam ſibi præſto eſſe rationem abuſus, qui committuntur, corrigendi. Nihil aget contra conſcientiam, ſi de Titulorum validitate dubitans confugiat ad Tribunalia petiturus, ut in ea ſuæ Diœceſis parte, quæ dicitur exempta, ſua ſibi juriſdictio ſervetur.

At ſi forte Capitulum adeo inveterata poſſeſſione gauderet, ut nullum ejus exordium oſtendi poſſet, videretur habere jus favorabile ductum ex præſumptione, tametſi nullus alius poſitivus Titulus eidem ſuppeteret, quo ſuam juriſdictionem firmaret, juxta Regulam allatam a Bonifacio VIII. *in 6. de præſcript. c. Epiſcopum*. Ait hic Pontifex opus eſſe Titulo cum bona fide ad præſcribendum contra ea, quæ de jure ſunt, niſi tamen poſſeſſio ſit adeo vetus, ut oppoſiti nullum omnino veſtigium occurrat. En ejus verba: *Nam licet qui rem præſcribit Eccleſiaſticam, ſi ſibi non eſt contrarium jus commune, vel contra eum præſumptio non habeatur, ſufficiat bona fides: ubi tamen eſt jus commune contrarium, vel habetur præſumptio contra ipſum, bona fides non ſufficit, ſed neceſſarius eſt Titulus, qui poſſeſſori cauſam tribuat præſcribendi: niſi tanti corporis allegetur præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat*. Quocirca cenſentur expendendi tituli Eccleſiæ N. ut appareat, an ipſa Eccleſia ſuam juriſdictionem longa præſcriptione firmare poſſit.

Si tamen illa hoc jure re ipſa gauderet, quia reſervatorum caſuum abſolutio committenda eſt viris idoneis, & qui ſecernere poſſint æra lupinis, abuſivum eſſe cenſetur ejus adminiſtrationem in diſcrimen adduci, cum fieri poſſit, ut Canonicus hebdomadarius huic functioni ineptus ſit; adeoque Epiſcopus N. poteſt ſuum Capitulum adigere ad eligendum virum, in quo ea ſint omnia, quæ ad officium tam grave cum dignitate obeundum requiruntur, prout ſtatuit Tridentina Synodus *ſeſſ. 24. de Reform. c. 8.* Contraria autem praxis eo magis eſt abuſiva, quod Fidelibus maximo damno eſt. Cæterum ſubſcripti nihil præterea dicere poſſunt ſuper Capituli contentionibus, cum haud ſciant, quicquid in ejus gratiam afferri poteſt, niſi eum qui a reſervatis caſibus abſolvit Capituli auctoritate, id valide facere, ratione videlicet poſſeſſionis.

Deciſum Pariſiis hac die 21. Februarii anno 1680.

Aug. *de Lamet.*

Poteſtas Epiſcopi quoad Bullas ad Officialem directas.

CASUS VI.

Epiſcopus non poteſt expedire Bullas, quas ad ejus Officialem Papa mittit, quia is quidem eas expendit tanquam delegatus, non autem tanquam Officialis.

QUÆSITUM.

Cum Cathedralis Eccleſiæ Decanatus Titio collatus eſſet, Bullæ ad Diœceſis Officialem miſſæ ſunt. Titius Pariſiis exiſtens, ubi Epiſcopus quoque aderat, quæſivit ex ejus Expeditionario, & ex celebri Notario Apoſtolico, an ſuus Epiſcopus Bullas ſuas pronunciare poſſet, & reſponderunt poſſe. Pronunciavit Epiſcopus Bullas Titii, qui eas miſit ad loca cum procuratione ad poſſeſſionem ineundam; ſed Capitulum poſſeſſionis ſuſceptioni refragatum eſt, Bullas ab Officiali, ad quem directe miſſæ ſunt, expediendas eſſe pronuncians. Quoniam Titius Decani titulo Canonicorum Paſtor eſt, iiſque Sacramenta adminiſtrat, ejus proinde poteſtas, inquit Capitulum, debet eſſe certa; Pontifex, a quo eam obtinere debet, delegat non Epiſcopum, ſed Officialem, qui ei eamdem communicet; Epiſcopus nulla quoad hanc rem facultate pollet. Capitulum tamen, ne Decano aut Epiſcopo quicquam negotii faceſſet, tres magni nominis Advocatos conſulendos proponit; qui quidem omnes unanimi ſententia deciderunt Epiſcopum eam expedire potuiſſe, ac recte expediviſſe: ad eorum conſultationem Capitulum poſſeſſione Decanum donat. At conſultatione in Ædibus facta poſt meridiem, quo tempore Advocati properant ad prandium, trium conſultorum unus dixit Titio, ſi nondum Bullæ publicatæ fuerant, ſe ei auctorem eſſe, ut illas non per Epiſcopum, ſed per Officialem publicandas curaret. Quærit Titius, an huic conſultationi acquieſcere debeat, nec teneatur ad Officialem accedere?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, quamvis Epiſcopi, & Officialis unum idemque Tribunal ſit, eademque utriuſque ſit juriſdictio, id tamen nonniſi de negotiis ad ordinariam juriſdictionem pertinentibus eſſe accipiendum, non autem de iis, quæ ipſis delegata ſunt. Quamobrem quamvis ea omnia facere poſſit Epiſcopus, quæ ejus Officialis poteſt, non inde tamen ſequitur eum poſſe publicare diſpenſationes, ſeu Bullas, quæ ad Officialem miſſæ fuerint; quia Officialis non expendit eas Bullas, eaſque diſpenſationes tanquam Judex ordinarius, ſed tanquam Papæ, a quo poteſtatem accipit, delegatus. V. Rebuffum *de forma Vicarior. n. 161. in praxi*, Navarrum *tom. 2. l. 1. conſil. de offic. jud. deleg. conſil. 5. An commiſſa per Papam Officiali, vel Vicario Generali poſſit expedire Epiſcopus, & an collatio ſic facta a tali Epiſcopo valeat?*

Reſpondeo, quod non cenſetur facta Epiſcopo, nec tranſit in Epiſcopum delegato remoto, & conſequenter quod non valuit collatio facta ab Epiſcopo. Citat Caniſtas bene multos. Pyrrhing. *tom. 1. de Offic. Vicar. p. pag.* 526. 527. 531.

Hoc

Hoc poſito, ad propoſitam quæſtionem quod attinet, reſpondetur, Epiſcopum, de quo dictum eſt, Titii Bullas expedire non potuiſſe, quia ad eum miſſæ non erant, ſed ad ipſius Officialem; ex quo ſequitur harum Bullarum expeditionem ab Epiſcopo factam nullam eſſe defectu poteſtatis; ut proinde Titius adire Officialem debeat, ad quem Bullæ miſſæ ſunt, ut eas ipſe expediret.

Deciſum in Sorbona hac die 20. Junii anno 1699.
G. *Fromageau*. *Charton*. *Habert*.

Poteſtas Epiſcopi quoad legata pia Teſtamenti.

CASUS VII.

1 *Videtur Epiſcopus in caſu neceſſitatis habere poteſtatem mutandi legata pia Teſtamenti.*
2 *Formulæ, quas neceſſario ſervare debet.*

QUÆSITUM.

HAc die 13. Septembris an. 1695. M..... degens in Unione Chriſtiana Sancti Ch. audit ſibi a Viro relinqui teſtamento Prædium non mediocre ad inſtituendam domum in forma Communitatis deſtinatam recipiendis puellis pauperibus, quæ ibidem Deo ſervire voluerint. Negante Rege Patentes litteras ad dictæ Communitatis inſtitutionem, quærit Vidua, an poſſit id prædii tradere Familiæ Unionis Chriſtianæ, ea conditione, ut ibi recipiatur certus numerus pauperum puellarum, quas ipſa nominabit, & quarum nominatio, ſe fato functa, ſpectabit ad .....

Movetur illa ad hoc conſilium capiendum hiſce rationibus. I. quia videt ſe Patentes litteras ob novam Communitatem impetrare non poſſe, ita ut ni, ante mortem, eam inſtituerit, mariti legatum caducum evadat, & ad hæredes regrediatur. II. recte illa operam ſuam collocat, tribuens hoc prædium, cujus annuus proventus eſt librar. 4000. Unionis Chriſtianæ Communitati, quæ quidem utpote ære alieno valde gravata inibi eſt, ut corruat, cum tamen rei publicæ maxime ſit utilis. Sed ex eo tamen illa pendet animi, quod ea viri mens ſit, ut novæ Communitatis inſtitutioni Prædium inſerviat; cumque id fieri nequeat, videtur ipſa fruſtrari Mariti hæredes, ad quos idem Prædium redire debet, ſi Sancti Chaumontii Monialibus illud tribuerit.

RESPONSIO.

Ad hujus Caſus ſolutionem illud animadvertendum eſt, ex Decretali, *Tua nobis*, *de teſt.* Ordinarios eſſe teſtamentorum executores, quod attinet ad legata pia in iis inſtituta.

Tridentina Synodus *Seſſ. 22. c. 8. de Reform.* id diſertis verbis tradit: *Epiſcopi etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati in caſibus a jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos ſint executores, &c.*

Louet tamen *litt.* N. 5. *n.* 10. id in Gallia receptum non eſſe pronunciat. Idem confirmat Fevretus *l.* 4. *c.* 7. *n.* 7. de abuſu, & *n.* 9. addit, ſi qua difficultas in Teſtamento, & ambiguitas quoad pias diſpoſitiones occurrat, adeundos eſſe Judices, quorum eſt iis de rebus cognoſcere.

Fatetur tamen Teſtamenti legata pia, quæ executioni mandari nequeunt, ab Eccleſia mutari poſſe; affert id in Acta relata in Aula Pariſienſi die 23. Junii anno 1547. Bullam legationis Cardinalis Georgii Ambaiſæ, unde conſtat dictum Cardinalem in alia opera pia & æquipollentia mutare poſſe ea, quæ Teſtamento inſtituentur, cum Teſtatoris voluntas impleri non poterit. Doujat in ſuo Tractatu *de Specim. jur.* affert hanc reſcriptionem.

Tridentina Synodus *Seſſ. 25. c. 8. de Reformat.* jubet ad Epiſcopum pertinere mutare legata pia facta in favorem Hoſpitalis, aut bona dicti Hoſpitalis in alia opera, quæ poſſint ad fundationem propius accedere, cum nequit impleri, quod in fundatione inſtituitur: *in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis magis expedire viſum fuerit.*

Sanchez *lib.* 4. *Conſil. cap.* 2. *dub.* 6. his Concilii teſtimoniis utitur ad oſtendendum *de jure naturæ* eſſe, ut cum Teſtatoris voluntas impleri nequit, *neceſſario implenda ſit in cauſa ſimiliori & proximiori Teſtatoris menti*. In medium quoque affert hic Auctor Leges Civiles, & Juriconſultos, qui hanc ſententiam tenent & probant.

Hic idem Auctor dubio quinto demonſtrat Epiſcopum mutare poſſe legatum teſtamento, quod impleri non poteſt, inſtitutum. In hunc finem Civilis Juris Leges adducit, quarum vi *ultra Epiſcopum requiritur etiam conſenſus hæredis, & legatarii*. At ſi illi conteſtentur, ac renuant, legata mutare, ſolus Epiſcopus poteſt id præſtare: *Quando cauſa eſt neceſſaria, licet hæres non præſtet conſenſum, ſufficit Epiſcopus*. Deinde concludit: *Hinc infertur legatum pro calice, vel reparatione Eccleſiæ, quando ea non habet opus, poſſe Epiſcopum commutare*. Sic Sylveſter *v. legatum* 4. *q.* 12. Bartolus *l. fin. ff. de op. publicis.*

G. *Fromageau.*

Jus Epiſcopi quoad impendendos Canonicos in ſuæ Diœceſis ſervitio.

CASUS VIII.

1 *Epiſcopus poteſt de jure duobus ſuæ Cathedralis Canonicis ad propriæ Diœceſis regimen uti.*
2 *Si pluribus opus habet, debet Capituli probationem petere, eoque probante, omnes cenſentur præſentes, & ſine adſiſtentia proventum percipiunt.*
3 *Vicarii pariter Generales Commenſales cenſentur præſentes extra Diœceſim.*
4 *Theologalis nullum debet munus ſuſcipere, quo impediatur a reſidentia, a ſtudiis, propriiſque functionibus; Ejus privilegium illud eſt, ut ab officio ſit exemptus ſtudendi cauſa.*
5 *Poteſt Epiſcopus ex Collegiata Eccleſia Commenſales ſibi ſumere, ſi quos ſumpſit ex Cathedrali, ad Diœceſis ſervitium nequaquam ſufficiant.*
6 *Canonici, qui de Superiorum mandato, & in alicujus culpæ punitionem in Seminariis detinentur, præſentes cenſendi non ſunt.*
7 *Præſentes non ſunt habendi omnes promiſcue Canonici, qui in carcerem conjecti ſunt, aut qui Quadrageſimæ, vel Adventus tempore concionibus vacant.*

QUÆSITUM.

ROgantur ſorbonæ Doctores, ut ſequentes quæſtiones dijudicent.

I. Quæritur, quot Cathedralis Eccleſiæ Canonicos poſſit Epiſcopus ſecum habere Commenſalium titulo ſive in perpetuum, ſive ad tempus?

II. An Vicarii Generales, qui ex Commenſalium numero non ſunt, poſſint gaudere præſentiæ jure, cum Epiſcopum a Cathedrali, atque adeo a Diœceſi abſentem ſequuntur?

III. An iidem Generales Vicarii poſſint Diœceſim deſerere, & præſentes haberi, non commonefacto Capitulo, cum non alia de cauſa quam ob Diœceſis negotia diſcedunt?

IV. An Canonicus Theologalis, qui concionari, vel lectiones habere tenetur, cenſendus ſit præſens, cum recedit, & ſe confert in aliquem Diœceſis locum, ad quem habet Vicarii Generalis litteras?

V. Cujuſmodi ſint quoad hanc rem Theologalium Canonicorum privilegia?

VI. Capitulo juſne competat inquirendi, an Canonici Commenſales Epiſcopi proſint Eccleſiæ, an vero perſonalia ſervitia præſtent Epiſcopo?

VII. An a Diœceſi abſente Epiſcopo, ejus duo Commenſales præſentes habendi ſint?

VIII. An cum Epiſcopo præſto ſunt duo Commen-

menſales ex Cathedrali, poſſit ex Collegiatis alios ſumere; atque an Cathedralis Capitulum poſſit ſuos non habere præſentes, cum alios ex Collegiatis deſumptos videt?

IX. An præſentia concedenda ſit Capituli Beneficiariis, qui ob alicujus criminis punitionem a Superioribus in ſeminarium mittuntur?

X. An concedenda ſit iis, qui Eccleſiaſtica vel ſæculari auctoritate detinentur in carcere, quoad eorum cauſa cognita fuerit?

XI. An præſentia debeatur Canonicis Quadrageſimali tempore intra Diœceſim concionantibus, & inde non leve lucrum percipientibus, cum eorum mediocria ſunt Beneficia?

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitas quæſtiones vidit & expendit; exiſtimat,

Quoad primam; Epiſcopum ex Jure *cap. de cætero de Cler. non reſid.* poſſe ſecum habere Canonicos, qui interim præſentes cenſendi ſunt. Ex capite *Ad audientiam* ejuſdem tituli poteſt duos habere, de duobus Eccleſiæ Cathedralis Canonicis communiter intelligitur. Vide *Tomum primum* Monumentorum Gentilis *pag. 103. & Tom. 2. p. 2. pag.* 381. & 382. *tom. 4. pag.* 108. Certum eſt igitur ad proprium, & Diœceſis ſervitium duobus ſaltem Canonicis Epiſcopum uti poſſe. Pyrrhing *tom. 3. §. 4. n.* 29. Fevret. *l. 3. c. 1. n. 13. de abuſu*, Joannes Dartis *tract. de beneſ. c. 1. ſect. 9.* Barboſa *in cap. Ad audientiam de Cler. non reſid.* & Rebuffus *in praxi tit. de diſpenſat. de non reſid. n. 37. & ſeq.* ajunt uti poſſe duobus tantummodo; eadamque Gloſſæ in caput *Ad audientiam* ſententia eſt. Barboſa in caput *De cætero n.* 2. opinionem affert cujuſdam Jureconſulti contendentis nunc temporis ab Epiſcopo ſumendos non eſſe Canonicos, qui ſint in comitatu, quia facile idoneos viros invenire poteſt, quorum opera utatur, præſertim Epiſcopatus proventus diſpenſationem hanc pati poteſt: *Hodie tamen, ut pie advertit Stephanus Gratianus Diſceptat. forenſ. c. 166. n. 20. jam non poterit Epiſcopus Canonicos ab Eccleſia extrahere pro ſuo ſervitio, inſpecta ubertate redituum Epiſcopatus, & multitudine peritorum, quibus commode in ſuo ſervitio uti poteſt.*

Sed ut ut de hac opinione ſentiendum ſit, Epiſcopus communem opinionem ſequi poteſt, & duos Canonicos Commenſalium titulo ſumere, niſi, ut animadvertunt Rebuffus *n.* 41. & Pyrrhing, eorum abſentia divino cultui grave detrimentum afferat, vel eorum miniſterium neceſſarium Eccleſiæ ſit: *Adde quod nec duos Canonicos*, inquit Pyrrhing, *Epiſcopus ſecum habere poteſt, ſi idcirco cultus divinus, & neceſſarium miniſterium Eccleſiæ impediretur.*

Cum Epiſcopus plures quam duos Canonicos ſibi inſervientes habere vult, petere debet Capituli probationem, quæ quidem neganda non eſt, ſi Eccleſiæ magna vel utilitas vel neceſſitas id ſingillatim requirat, ſatiſque Canonicorum in Capitulo remaneat ad Eccleſiæ ſervitium cum dignitate obeundum. Hoc nimirum, docente Panorm. *in cap. de cætero de Cler. non reſid. n.* 5. diſcrimen intereſt inter Canonicos duos Commenſales, quos juxta Canones Epiſcopus habere poteſt, eoſque, quos præterea habere vellet. Quoad priores Capituli conſenſu non eſt opus, bene vero quoad poſteriores: *Epiſcopus poteſt ad ſervitium ſuum habere duos Canonicos, licet non probet utilitatem Eccleſiæ; ſed ultra duos habere non poteſt, niſi probetur voluntas Capituli, vel neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ.* Conſentit Pyrrhingus: *Epiſcopus*, inquit, *non poteſt ultra duos Canonicos occupare in ſuo ſervitio, ob Eccleſiæ bonum. Quod ſi plures velit, requiritur etiam Capituli conſenſus, quem tamen negare non debet, ſi ſit neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ, & ſine notabili detrimento Eccleſiæ Cathedralis, quæ alioquin abundat Canonicis, & ſufficientes habet Canonicos pro ſervitio Eccleſiæ, id fieri poſſit.* Rebuffus pariter *n.* 7. ait Epiſcopum duobus tantum Canonicis uti poſſe: *Reſtringe tamen, quod Epiſcopus ultra duos non habens niſi Eccleſia tot ac tantis abundaret Clericis, qui poſſint ſufficere ad ſervitium Eccleſiæ, remotis quatuor vel pluribus, quos Epiſcopus habet.*

Quoad quæſtionem ſecundam, reſpondetur, ſi duo Vicarii Generales Cathedralis Canonici fere ſint apud Epiſcopum, & præterea alii duo ex eadem Eccleſia apud eum exiſtant, eorum duos tantum præſentiæ jure gaudere poſſe, quia, ut eſt in Jure, Epiſcopus duos tantum Commenſales habere debet, & ſi pluribus opus habeat, Capituli conſenſum petere neceſſe habet, ut ſupra dictum eſt, dummodo conſuetudo contraria non ſit. Si duo Generales Vicarii abeſſent ob Diœceſis ſervitium, gaudere poſſent præſentia, perinde atque alii duo Commenſales, quia ad id ſufficit peculiaris Eccleſiæ evidens utilitas vel neceſſitas, *cap. Ex parte 2. de Cler. non reſid.* vel Diœceſis, *Cap. Conſuetudinem de Cler. non reſid. in 6.* Illud ſemper ponitur tanquam certum, Epiſcopum poſſe detinere hos quatuor Canonicos, quin Eccleſia, & cultus divinus inde damnum patiatur, & cum primum poterit, contentus ſit duobus, quos ei Jus concedit. Extat Reſcriptum Conſilii privati diei 26. Januarii an. 1644. in Ambianenſis Epiſcopi favorem editum, quo ſtatuitur, ut duo Canonici, qui in Epiſcopi comitatu ſunt, Vicarius Generalis ſcilicet, & Officialis præſentia gaudeant. Vide Tomum 4. Collectionis Cleri pag. 108.

Quoad tertiam. Non videtur neceſſe eſſe, ut duo Generales Vicarii ad Capitulum ſcribant, cum ob negotia ad ſuas functiones ſpectantia a Diœceſi recedunt, niſi contra ſtatuerit conſuetudo; ſed ſatis eſt iis jus competere, ut, cum ob Eccleſiæ bonum ubivis locorum abfuerint, præſentes cenſeantur; quoniam Jus, quo ipſis id privilegii conceditur, non diſtinguit omnino.

Quoad quartam. Canonicus Theologalis lectiones aut conciones habere debens non eſt cenſendus præſens, cum abeſt ob cauſam, quæ ad ejus officium non pertinet; & ſane Pragmatica *tit. de collat. §. primo cum*, & Concordata eodem titulo *§. 1. Statuimus*, jubent Theologalem gaudere præſentia, ut liberius ſtudiis operam navare poſſit: *Verumtamen ut vacare poſſit liberius ſtudio, nihil perdat, cum abſens fuerit a divinis*. Igitur tantum ſtudiorum cauſa, neque ob alias omnino curas, ad quas eligi poſſet, hoc privilegium eidem conceſſum eſt; ex quo ſequitur eum non debere reſidentiam deſerere, & magni Vicariatus litteras accipere, quibus in alia Diœceſis loca mittatur. Cum Canones permittunt Epiſcopis, ut ad Diœceſis ſervitium Canonicos eligant, id fere de iis non accipitur, qui Dignitates poſſident in Capitulo, aut de iis, quorum ingenia ſedi, quam occupant, neceſſaria ſunt, ita ut ea facile ſuppleri non poſſet, eorumque ab ſentia nimis detrimenti Capitulo, vel univerſis afferret.

Poſſet tamen tam grave negotium occurrere, ut ob magnum Eccleſiæ bonum Theologalis opera Epiſcopo utendum eſſet; hoc in caſu ille præſentia gauderet, quia illud pro certo ponitur, magni momenti negotium eſſe, eumque in hoc magis, quam in ſuo munere Eccleſiæ profuturum eſſe, virumque eo magis idoneum difficulter inveniri poſſe. Vide Garziam ſuper hac re *3. p. c. 2. n. 363. & ſeq. de beneſ.*

Quæſtionibus quintæ & ſextæ ſatis eſt factum per ea, quæ dicta ſunt, & per reſponſionem ad primam.

Quoad ſeptimam. Duo Canonici, qui vel extra Diœceſim ſequuntur Epiſcopum, præſentia gaudere debent; quia Jus, quod duos Canonicos ſibi Commenſales eligendi privilegium concedit Epiſcopo, loquitur abſolute.

Quoad octavam. In Capite *De cætero de Cler. non reſid.* univerſim dicitur Epiſcopo licere duos Canonicos ſumere, quorum opera utatur; Jus nec Cathedralem, nec Collegiatam Eccleſiam diſtinguit; excipiendum tamen eſt Caput *Ad audientiam*, quod duorum tantum Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ meminit; verum quoniam Pontifex de his tantum conſultus fuerat, de ipſis ſolum loquitur, in quo tamen Collegiatarum Canonicos non excludit. Quapropter ſi quem in iis invenerit Epiſcopus, quem ſibi ad Diœceſis bonum utilem vel neceſſarium eſſe crediderit, eo uti poterit, & hic quidem Canonicus præſentia gaudebit æque atque alii duo Commenſales; ſi enim Epiſcopus plures quam duos Canoni-

noni-

nonicos ſecum habere poteſt, cum id poſtulat urgens Eccleſiæ bonum, ut ſupra declaratum eſt, conſequens ſit eum poſſe ex Collegiatis pariter Eccleſiis ſumere; quod enim id vetet, in Jure nihil eſt.

Quoad nonam. Oportet cauſam, ex qua præſentiæ privilegium oritur, juſtam eſſe. Tridentina Synodus *Seſſ. 23. c. 1. de Reform.* quatuor cauſas aſſignat, ut ſint, *Chriſtiana Charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas.* Porro dici nequit, Capituli Beneficiarium in Seminarium punitionis cauſa miſſum in ullo ex his caſibus reperiri; nullus Auctor ita ſentit; ſua quippe culpa non reſidet, quoniam ipſe in cauſa fuit, ut ab Eccleſia arceretur; ac proinde non debet cenſeri præſens, aliter ex ſua culpa commodum, & lucrum perciperet.

Quoad decimam, Juxta ſententiam Garciæ 3. *p. r. 2. n. 362. de Benef.* Barboſæ *in Conc. Trid. ſeſſ. 24, c. 12. de reform. n.* 102. & Navarræ *l. 5. conſil. n.* 10. & 11. Beneficiarius injuſte detentus in carcere juſtam cauſam habet, cur non reſideat, & præſentia proinde gaudeat. Nihil tamen ei tribuendum, donec ejus innocentia ſaltem per primam ſententiam perſpecta fuerit; Si tamen vel ante de ejus innocentia conſtaret, præſens habendus eſſet, eique, quicquid ad ipſum pertinet, tribuendum foret. In hujus ſententiæ confirmationem exſtat Reſcriptum diei 9. Januarii an. 1679. a Toloſana Curia editum, cujus mentio fit inter ea, quæ ſunt apud Louet verbo E. art. 6. n. 16. quo manuales diſtributiones adjudicantur Canonico, qui aberat, ut interdictum contra ſe injuſte decretum abrogandum curaret.

Quoad undecimam, eamque poſtremam quæſtionem, reſpondetur, ultra trium menſium ſpatium Canonicum abeſſe non poſſe, etiam concionum habendarum gratia, & poſt hoc quidem tempus non amplius præſentem cenſendum eſſe, niſi Epiſcopus ob majus bonum judicaverit ſatius eſſe eum, vel Quadrageſimali tempore, concionari, quam ſemper ſuæ reſidentiæ addictum perſiſtere; quo in caſu Canonicus hic præſentia gaudere poſſet; verum ſi id in cauſa eſſet, ut ſæpe ac diu abeſſet, rationi conſonum eſſet, ut Beneficium, cujus obligationes implere non poſſet, ipſe dimitteret, eique honeſtam ſubſiſtentiam tribueret Epiſcopus, ut ad Sacri Oratoris munus eo uteretur.

G. Fromageau.

Epiſcopus, qui ſuæ Diœceſis officia vendit.

CASUS IX.

Vendi nequeunt Officialis, Vicegerentis, Promotoris munia, quippe quæ Eccleſiaſtica officia ſint, quibus Spiritualis juriſdictio annexa eſt.

QUÆSITUM.

SOrbonæ Doctores rogantur humillime, ut in ſequenti facti ſpecie aperiant ſententiam ſuam.

Poteſtne Præſul tuta Conſcientia Officialis, Vicegerentis, & Promotoris munera vendere? Videtur poſſe, I. quia Epiſcopi bene multi, quorum perſpecta probitas eſt, hac in re ſcrupuli nihil ponunt; II. quia hæc officia ſæcularia potius quam Eccleſiaſtica eſſe videntur, cum in iis cauſæ mere temporales fere ſemper agantur.

Ex alia parte videntur eadem munia citra Simoniam vendi non poſſe, quia exerceri nequeunt, quam late patent, quin varia in iis occurrant Eccleſiaſtica, & Spiritualia negotia.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Officialis, Vicegerentis, & Promotoris Officia vendi non poſſe; quia ſunt Eccleſiaſtica munia, quibus Spiritualis in Fideles juriſdictio annexa eſt.

Et ſane Canones multi relati 1. q. 3. eorum venditionem prohibent. Canon, *Si quis Epiſcopus*, ita loquitur: *ſi quis Epiſcopus officia Eccleſiaſtica vendiderit, vel aliter, quam ſtatuta Sanctorum Patrum præcipiunt, ordinaverit, ab Eccleſiæ officio ſuſpendatur.* Ratio eſt, quia cum Epiſcopus a Deo ſuam poteſtatem gratis acceperit, eamdem gratis exercere & communicare debet: *Dignum enim eſt, ut ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra ejuſdem Epiſcopatus gratis diſtribuat.* Et in Capite *Salvator* ducto ex Urbano II. Simoniaci declarantur ii, qui Eccleſiaſtica Officia vendunt.

In Lateranenſi III. generali Concilio ſub Alexandro III. damnantur Epiſcopi, qui juriſdictionem ſuam vendunt, & qui eam emunt. Decretum refertur in Jure *C. Præterea ne Præl. vic.* (a) *Quoniam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur, qui vocantur Decani, & pro certa pecunia quantitate Epiſcopalem juriſdictionem exercent; præſenti decreto ſtatuimus, ut qui de cætero hoc præſumpſerit, officio ſuo privetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.* In capite ſequenti Concilii Turonenſis nonnulli Epiſcopi, vel Archidiaconi, quorum nunc Juriſdictionem Officiales exercent, conferebant annuæ ſummæ ope Juriſdictionem Epiſcopalem, id quod magnæ corruptionis, & inordinationis in judiciis cauſa erat, & grave incommodum Clero afferebat. Quamobrem vetat Concilium, ne id impoſterum fiat in pœnam depoſitionis quoad emptorem, & quoad Epiſcopum punitionis ſecundum Canones: *Quoniam in quibuſdam partibus quidam ad agendas vices Epiſcoporum ſeu Archidiaconorum, & terminandas cauſas Eccleſiaſticas, ſub annuo pretio ſtatuuntur, quod ad Sacerdotum gravamen, & ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare: id ulterius fieri prohibemus. Quod ſi quis de cætero fecerit, removeatur a Clero; Epiſcopus autem, qui hoc ſuſtinuerit, & Eccleſiaſticam juriſdictionem ſua patitur diſſimulatione perverti, diſtrictione canonica percellatur.* Gloſſa in hunc locum ita animadvertit: *Nota, quod Epiſcopus gratis ſuam juriſdictionem impendere debet.*

Tridentina Synodus *Seſſ. 25. c. 11. de Reform.* in hanc eamdem ſententiam inſtituit, ne omnino locetur id, quod ab Eccleſiaſtica juriſdictione pendet, aut facultas nominandi Vicarios, qui res ſpiritales exerceant: *Non liceat etiam juriſdictiones Eccleſiaſticas, ceu facultates nominandi aut deputandi in ſpiritualibus, locare.*

Generalis Congregatio Cleri habita Meloduni *an.* 1519. *tit.* 31. cum dixiſſet de obligatione, qua adſtringitur Epiſcopus, eligendi Officialis, qui probus, & a turpi lucro alienus ſit, addit crimen eſſe Epiſcopalis juriſdictionis Officia commercio ſubdi, & ne ſuſpicandum quidem in Eccleſiaſticis eſſe, quod in Laicis vituperaretur: *Tum hoc nefas putet Epiſcopus, ſi cujuſvis Magiſtratus in Eccleſiaſticæ juriſdictionis exercitio venale videri poſſit commercium; & quod Laicis deteſtabili vitio datur, in Eccleſiaſtica* (b) *politia non patiatur ne in ſuſpicionem quidem adduci.*

Sane dum Officialis, Vicegerentis, & Promotoris Officia venduntur, his Miniſtris anſa præbetur exactiones multas quoad eos inſtituendi, qui eorum miniſterio indiguerint, non modo ut lucrentur, verum etiam ut compenſent pecuniam, quam pro eorumdem munerum emptione tribuerunt, & cenſum, quem ex ea percipere potuiſſent, ſi aliter collocaſſent.

Hinc tria inferri poſſunt.

Primum eſt; contra Eccleſiæ mentem eſſe Officialis, Vicegerentis, & Promotoris munera vendi, quia juriſdictio, quam exercent, eſt Eccleſiaſtica, & Epiſcopalis partem conſtituit; quamvis enim hujus juriſdictionis materia proxima ſit aliquando res temporalis, cujuſmodi eſt quorumdam criminum cognitio, & punitio, principium tamen ſpiritale eſt, eademque pro fine habet rem ſpiritalem in Jeſu Chriſti, qui eam Eccleſiæ contulit, intentione. Videri poteſt Suarez *tom. 1. de Relig. l. 4. de Sim. c.* 20. *nn.* 4. 8. 16. & 20.

Alterum eſt; cum horum Officiorum venditio ſit ſimoniaca, quia datur res ſpiritalis pro temporali, Epiſcoporum, qui ea vendunt, exemplo legitimum hoc commercium non reddi, tum quia boni Epiſco-

pi

(a) Vide Pyrrhing tom. 5. pag. 93.

(b) V. Du Caſſe pag. 15.

pi bene multi non ita ſe gerere conſueverunt, tum quia cum ſimonia divino Jure vetita ſit, non poſſet uſu contra præſcribi, aut rectum effici permiſſumque commercium ſemper in Eccleſia proſcriptum.

Tertium eſt. Quamvis citatorum Canonum prohibitiones non adeo quoad Promotorem expreſſæ ſint, ſitque magis conſtans Officialis aut Vicegerentis munia vendi non poſſe: jure tamen optimo ex ſtatutis principiis concludi poteſt non magis Epiſcopo licere Promotoria tum vendere. Si enim ſpectetur principium, ex quo munus hoc juriſdictionem ſuam derivat, ſpiritale eſt, & ducitur ex Epiſcopo; refertur etiam ejus finis ad aliquid ſpiritale. Sane Promotoris functiones ſpirituales eſſe vel ex eo maxime liquet, quod ille debet Presbyter eſſe, aut ſaltem ſacris Ordinibus initiatus, ut Turonenſe Concilium an. 1583. a Buchelo l. 8. c. 1. relatum animadvertit: *Officium Promotoris non niſi Presbytero, vel ſaltem in ſacris Ordinibus conſtituto impoſterum committatur. Quod ſi qui hodie ſacris non ſunt initiati, aut ab exercitio Officii abſtineant, aut intra ſex menſes curent promoveri.*

Uno verbo Promotoris Officium eſt Eccleſiaſticum, & ejuſmodi Officia vendi prohibetur in Jure.

Deciſum in Sorbona hac die 4. Septembris an. 1698.
G. *Fromageau*, *Le Breton*, *M. Charton*.

Epiſcopus, qui *Exeat* negare non poteſt.

CASUS X.

1 *Cum Presbyter idoneus præſentatur ad animarum curam, ejus Epiſcopus originarius eidem idoneo non poteſt recuſare*, exeat, *niſi ei præſto ſit Beneficium æquivalens, quod eidem conferat, ut eum in ſua Diœceſi retineat.*

2 *Si Epiſcopus ei deneget*, exeat, *poteſt ipſe ad Superiorem confugere.*

3 *Si pure ac ſimpliciter Parochiam dimittat, Patrono jus competet eam in alium conferre.*

QUÆSITUM.

Titius Presbyter natus in Diœceſi B...., cum fere ſemper alteri deſerviiſſet, ad Parochiam nominatus eſt. Ad eam *Viſa* petiit ab Epiſcopo Diœceſis, in qua illud Beneficium ſitum eſt, cum bono Epiſcopi, cui ad longum tempus operam ſuam navavit, teſtimonio. Qui tamen præeſt loco, in quo eſt Parochia, exigit ab eo *Exeat*, ſervato juris ordine, de manu Epiſcopi ejus originarii, qui, ut eum in ſua Diœceſi retineat, ei negabit hoc *exeat*; quare quæritur,

I. Quid Titius agere debeat, ne ſibi traditum Beneficium amittat?

II. An ſi Titius in Patroni manu dimiſſionem ediderit, ille jus habeat alium Presbyterum nominandi?

Notandum eſt Titium non accepiſſe ab Epiſcopo recuſationis actum, nec vires ei, nec virtutem deeſſe, & examen minime formidare.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, miſſa quæſtione, an Clericus fere ſemper in Diœceſi non originaria verſatus poſſit necne ejus Diœceſis Epiſcopum tanquam ſuum Epiſcopum domicilii ſpectare, & proinde ad eum accedere, ut proviſiones, quibus opus habet, obtineat, exiſtimat, facta hypotheſi Titium petere debere ſuum *exeat* ab originis Epiſcopo, hunc ei legitime illud denegare non poſſe.

Sane ſi Epiſcopi, cum Sacerdotes ordinant, eos eodem tempore certæ Eccleſiæ addicerent, ut Calcedonenſis Concilii tempore fieri conſueverat, & Tridentina Synodus *Seſſ.* 23. *c.* 16. etiamnum fieri vellet, non ſolum jus eſſet Epiſcopo negandi *exeat* Presbytero Diœceſim ſuam deſerere volenti, ſed eum quoque, poſtquam diſceſſiſſet, ad Diœceſim redigendi. Re ipſa ſpectandus eſſet hic Clericus, tanquam qui Beneficium reſidentiæ obnoxium teneret, & ad perſonalem præſtandam operam adigi poſſet.

Lamet Tom. I.

At ſi Barboſæ *allegat.* 21. *n.* 5. Pyrrhingo *l.* 1. *decret. tit.* 22. *de Cler. peregr.* aliiſque compluribus, quorum illi afferunt teſtimonia, fides habetur, Epiſcopus negare non debet *exeat* Clerico bene morato, cum alio ſe conferre vult laborandi cauſa, niſi quo Beneficio Diœceſi alligatus ſit: *Epiſcopus non poteſt denegare*, inquit Pyrrhing, *litteras commendatitias aut teſtimoniales Presbyteris aliiſque Clericis, ſi intra vel extra Diœceſim peregrinari, vel omnino diſcedere velint, niſi habeant in titulum Beneficia requirentia reſidentiam.* Afferunt hi Auctores in hanc rem Declarationem Congregationis Cardinalium, quæ hanc ſententiam confirmat; & quamvis ejuſmodi deciſiones in Galliarum Regno vim legis non habeant, gaudent tamen auctoritate, quæ tribueretur reſponſo prudentum & doctorum virorum, qui probe norint, quid juris, & Eccleſiæ menti conforme ſit.

Et ſane videtur id maxime rationi conſonum, præſertim cum agitur de Clerico, qui cum ſemper alienæ Diœceſi deſervierit, ibidem nominatur ad Beneficium, & proinde conſequitur, unde impoſterum vitam ſuſtentet, cum cæteroquin in propria Diœceſi nihil habeat. Si ergo Epiſcopus in hac facti ſpecie ei deneget, *exeat*, atque ita in cauſa eſt, ut privetur laboris ſui fructu, quo præſertim ætate provectus, aut in morbum incidens indigebit: quis non videt, id aſperum fore & prorſus alienum ab Eccleſiæ mente, & ab æquitate, atque Epiſcopale jus æquo longius produci, juxta eam regulam: *ſummum jus ſumma injuria?*

Debet quidem Presbyter Epiſcopo ſuo obedientiam præſtare, quam ſane, dum ordinaretur, promiſit; at juſtum non eſt, ut in hac facti ſpecie eam Epiſcopus exigat, præſertim vero ſi nihil habeat, quod det Presbytero compenſationis loco.

Sequitur ex his omnibus

I. Titium, ſi nequeat obtinere ſuum *exeat*, quamtumvis ea, qua par eſt, obſervantia Epiſcopum obſecret, poſſe id a Metropolitano petere, facta hypotheſi eum velle Parochiam, ad quam præſentatus eſt, retinere.

II. Titium quoque poſſe, ſi velit, appellare a recuſatione ſibi ab Epiſcopo Collatore facta tribuendi *Viſa* Parochiæ, de qua quæritur, quod non poſſit afferre *Exeat* Epiſcopi ſuæ originis; ille enim Epiſcopus poſſet *Viſa* tribuere, cum *Exeat*, quod exigit, non videatur abſolute neceſſarium Titio, qui cæteroquin eſt doctrinæ & probitatis omnino perſpectæ.

III. Titius poteſt ſuam Parochiam dimittere. Tum vero Patrono jus competet alium Presbyterum præſentandi.

Deciſum hac die 9. Februarii an. 1701.
G. *Fromageau*.

Epiſcopus, abdicans cum penſione.

CASUS XI.

1 *Epiſcopus ætate provectus, qui ſe Epiſcopatu abdicare vult, non poteſt tuta conſcientia ex Epiſcopatu penſionem percipere, cum aliunde vivere poteſt, & hæc penſio nunquam debet eſſe proventus dimidium.*

2 *Non poteſt de ſuo Epiſcopatu agere cum eo, a quo vehementer ſollicitatur, quique ei in eum finem longe maxima officia præſtat.*

3 *Epiſcopus idem eſt obnoxius Epiſcopatus reparationibus, quæ ejus temporibus contigerunt, & iis quoque, quæ ſui Deceſſoris tempore extiterunt, ſi iis obſtrictus fuit, vel ſi iis neglexit in id incumbere, ut ab hæredibus efficerentur.*

QUÆSITUM.

Epiſcopus ætate valde provectus & valetudinarius ſollicitatur a ſuis, ut Epiſcopatum dimittat. Epiſcopatus ejus proventus eſt librarum duodecim mille; habet onera, & reparationes non mediocres.

Doctrinæ & probitatis perſpectæ Clericus offert huic Epiſcopo Prioratum librorum quinque circiter aut ſex mille, & ex Epiſcopatu penſionem ſcutorum bis mille.

Quæritur I. an hic Epiſcopus, qui præterea poſſidet Decanatum librarum ſex mille, & bis mille libras Patrimonialis proventus, poſſit tuta conſcientia, conditiones ſibi oblatas acceptans, Epiſcopatum dimittere?

Quæritur II. quæ ſit ejus obligatio, quod attinet ad reparationes, quas faciendas reperit, cum Epiſcopatum inivit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitionem hanc vidit, exiſtimat, Epiſcopum, de quo agitur, non poſſe tuta conſcientia oblationes ſibi factas acceptare.

I. Ea eſt regula, ut beneficia dentur abſque fructuum diviſione, *c. Majoribus extra de præbendis & dignitatibus*; quæ quidem violari non poteſt, niſi per diſpenſationem nixam cauſis graviſſimis, & ex Eccleſiæ utilitate, bonoque petitis; cum certum ſit Legem factam ob bonum publicum debere ſemper tamdiu valere ac vigere, quamdiu id poſtulat publica utilitas, ac diſpenſationem, ut juſta ſit, tribuendam non eſſe niſi in iis caſibus, quos Legiſlator non prævidit, & quos excepiſſet, ſi prævidiſſet; aliter diſpenſatio, quæ privatis tantum contra bonum publicum favorabilis eſſet, juſta non foret, ac proinde qui ea uti vellet, erraret, & non poſſet excuſari coram Deo, qui in veritate, ac juxta regulam judicat. Porro videtur penſio huic Epiſcopo oblata modum excedere; & quia minimus tantum proventus Titulari ſupereſſet, ſatisfacere non poſſet oneribus beneficii, & obligationibus Epiſcopi, qui non in id tantum debet incumbere, ut ſibi conſulat, ſed & ut pauperibus, aliiſque Diœceſis neceſſitatibus proſpiciat: *Cura pauperum eſt penes Epiſcopum*. Quoniam igitur hic Epiſcopus in cauſa eſſet, ut pauperes grave detrimentum ſubirent, ejus ipſe omnino coram Deo reus eſſet, quia non ſatis ſucceſſori relinqueret, ut iis opem ferret.

II. Cum Beneficia dentur propter officium, videlicet Eccleſia Titulares ea mente creet, ut functiones Beneficiis annexas obeant, a juſtitia alienum eſt, Epiſcopum retinere dimidium proventuum, ut ſe eximat a labore, eum ab Eccleſia ſua recedentem eidem damnum afferre, ut ſibi proſpiciat; pauperes & Orphanos, quibus, eo præſide, ſolatium præſto erat, privari bono, quod ad eos ſpectat, propterea quod eos deſerit, & ipſorum indigentia augetur ejus abdicatione, & inſtitutione novi Epiſcopi, qui, ut ſedem occupet, Pauperum ruinæ, & oppreſſioni aſſentitur.

III. Epiſcopum, cum Decanatum annuarum librarum ſex mille, Beneficium aliud ejuſdem proventus, & Patrimonii bis mille libras poſſideat, habere, unde honeſte & pro dignitate vivat, quin ei ex Epiſcopatu penſio retinenda ſit; adeoque non debet Epiſcopatus redditus imminuere, ac ſi id faceret, omni ſe divini judicii rigori exponeret. Quod facile intellectu eſt, ſi illud reputetur, non oves propter Paſtorem, ſed hunc propter eas eſſe, ut ſemper eas paſcat, ac ſollicite tueatur; eumque, Epiſcopalium proventuum capto dimidio, contra facturum eſſe, quoniam iis adimeret alimenta, atque alia ſubſidia, quæ ipſis debentur, & ad eas ſpectant ex jure, quod juxta Patrum, ac vetuſtiſſimorum Theologorum doctrinam in dubium revocari non poteſt. Adde quod per hujuſmodi diminutionem Succeſſor cuſtodiendæ diſciplinæ, ac ſuſtinendis impenſis ad turbulentos animos componendos neceſſariis impar evaderet.

IV. Penſiones abſque neceſſitate concedendas non eſſe juxta primitivæ Eccleſiæ conſuetudinem, & ut videmus in Gallicana Eccleſia ſervatum fuiſſe, & ut poſſeſſorii Judices perſæpe ſanxerunt juxta conſilium, quod exhibuere Paulo III. Prælati, quos coegit, ut ſibi declararent, quid de abuſibus, qui in Eccleſiam irrepſerant, ſentirent; en verba: *Alius abuſus, cum Beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepſit, in conſtituendis ſuper eorum fructibus penſionibus, immo quandoque cedens beneficio, omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re aliud eſt animadvertendum nulla alia de cauſa nulloque alio jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus concedi debent. Nam reditus ſunt annexi beneficio, ut corpus animo: ideo ſua natura pertinent ad eum, qui beneficium habet, ut poſſit ex iis vivere honeſte pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu, & Templi, ſacrarumque ædium reparatione, & quod reliquum eſt, impendat in pios uſus. Hæc eſt enim natura horum redituum . . . . Penſiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeſte vivere queunt ex reditibus, quos habent, magnus certe abuſus.*

V. Non cenſetur licere Epiſcopo ſeſe Epiſcopatu abdicare, niſi ejus ægritudo ea ſit, ut Epiſcopales functiones cum ejus valetudine cohærere non poſſint, vel iis dotibus careat, quæ ad Epiſcopatus obeunda munia neceſſariæ ſunt; ejuſque tranquillitatem & otium ſatis gravem cauſam non eſſe, quamobrem ipſius abdicatio coram Deo juſta ſit.

VI. Ejus ſollicitudinem, qui ad Epiſcopatum adeo vehementer aſpirat, ſignificare juxta Gregorii Magni, ac Divi Thomæ regulas eum non vocari ad hanc dignitatem, quam ſanctiſſimi quique Viri reformidarunt; & hanc quoque rationem impedimento eſſe debere, quominus Epiſcopus conſulens ſuam ſedem eidem cedat.

Ad alteram quæſtionem quod attinet, Epiſcopum obligari ad reparationes, quæ, eo ſedente, contigerunt, & ad eos quoque, quæ, ſedente Deceſſore, faciendæ erant, ſi iis eſt gravatus, aut ſi deceſſoris bona, ejus culpa, perierunt, ac proinde iis ſatisfieri non poteſt. Ratio eſt, quia cum ille bonorum Eccleſiæ ſuæ ſit œconomus, tenetur omnia damna farcire, quæ ejus culpa ac negligentia contigerunt; at ſi in propoſita Reſignatione tanquam conditionem exigeret, ut a ſucceſſore liberaretur, adeſſet Simonia, quæ pœnis omnibus in Beneficiorum negotio contra Simoniacos inflictis ſubeſſet.

Deciſum Pariſiis die 5. Novembris an. 1697.
A. *De Lamet, De Leſtocq, Charton, Petitpied, Fromageau, Vincent, Rouilland, Dirois, Durieux, Rabauin, Himbert, Le Fevre, La Motte.*

EBRIETAS.

Ebrietas, docente D. Thoma, bifariam ſumi poteſt; aliquando enim venit hoc nomine defectus, quem patitur, qui, cum vini multum ſumpſerit, jacet rationis uſu ad tempus aliquod deſtitutus; & hac quidem ſignificatione ebrietas non proprie culpam ſignificat, ſed pœnalem defectum, qui patratam culpam conſequitur. Ebrietatis quoque nomine intelligi poteſt actio, qua quis in hunc rationis defectum prolabitur, quæque duobus modis ebrietatis cauſa eſſe poteſt; poteſt enim ex vini vehementiore vi derivari, quæ ei, qui vinum ſumpſit, haud innotuerit; & hac ratione culpæ expers eſſe poteſt ebrietas, præſertim niſi extiterit negligentia; & hoc quidem modo Noe temulentus jacuiſſe vulgo creditur. At ebrietas ex alio principio eſſe poteſt, ex voluptatis nempe, quæ ex potatione percipitur, immodica cupiditate, atque ex exceſſu, qui in bibendo committitur: & hac quidem re continetur ebrietatis peccatum. Hæc omnia ex D. Thoma (a) ducta ſunt. Atque hoc ſane graviſſimum crimen eſt, quoniam D. Paulus Ebrioſos Divini Regni hæredes minime futuros pronuntiat.

An

(a) S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 1. in corpore. in 1. ad Cor. cap. 6. v. 10.

An Ebrietas tanquam remedium permiſſa ſit?

CASUS.

Non licet in medicinæ modum inebriari, ad morbum ſcilicet depellendum, a quo bene multi hoc eodem remedio uſi convaluerunt.

QUÆSITUM.

CUm quidam ex longo tempore quartana febri correptus eſſet, eamque, quibuſcumque demum remediis uſus eſſet, repellere non potuiſſet; ei amicus auctor fuit, ut ebrius fieret, dubio procul ad priſtinam valetudinem rediturus; ita quippe non paucos, quos nominavit, convaluiſſe. Quæritur, ejuſmodine ebrietas permiſſa ſit, cum ad reparationem valetudinis adhibetur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum reſpondit non licere in medicinæ modum inebriari, ut nempe quartana febris, aut quivis alius morbus depellatur, a quo alios eodem remedio utentes convaluiſſe compertum ſit; propterea quod quocumque demum prætextu ea fieri non licet, quæ ex Dei Lege privant ejuſdem Regno; jam vero D. Paulus non uno in loco ea peccata recenſens, quæ a cœleſti beatitate homines excludunt, inter ea ebrietatem enumerat. Itaque in Epiſtolis ad Corinthios, & ad Galatas ita mentem ſuam aperit, quaſique repetit id, quod alibi non ſemel dixerat: *Manifeſta ſunt opera carnis quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Cum porro conveniat ex hac regula iis uti non licere, quæ puritati adverſantur, quia D. Paulus eos damnat, qui iiſdem rebus utuntur; eadem ratione ebrius fieri nemo poteſt, quia id divina Lege prohibetur.

Ita quidem diſputat D. Auguſtinus Serm. 132. cujus aureis hiſce verbis omnis hæc res cumulatiſſime definitur: *Qui ergo credit ebrietatem eſſe parvum peccatum, ſi ſe non emendaverit, & pro ipſa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna ſine remedio illum pœna cruciabit: ſecundum illud, quod ipſi bene noſtis Beatum Apoſtolum prædicaſſe: Neque*, inquit, *fornicarii, neque idolis ſervientes, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque avari, neque adulteri, neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt. Videte ebrioſos cum fornicatoribus, & idolis ſervientibus, & maſculorum concubitoribus, & adulteris junctos.* Et illud: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria; & ideo definiat ac deliberet unuſquiſque apud ſe ebrietatem grave eſſe peccatum.*

Et ſane nihil pro eo dici poteſt, qui cauſa valetudinis inebriaretur, quod non eodem jure dici poſſit in ejus gratiam, qui ad turpia perpetranda eodem animo duceretur. Par enim eſt, & quidem juxta divinam Legem, utrinque ratio.

Deciſum in Sorbona . . . . an. 1680.
Aug. *de Lamet.*

EQUITES.

NOs hoc loco ſingillatim haud perſequentes ingentem numerum non unius generis Equitum, quos in Germania, Moſcovia, Polonia, Italia, Anglia, Dania, Scotia, Hiſpania, Portugallia, Gallia, atque alibi variis temporibus plures Principes inſtituerunt, in præſentia de Equitibus Melitenſibus, ac Sancti Lazari, qui Caſuum inſequentium argumentum conſtituunt, dicere contenti erimus.

Hi priores Equites non hoc ſemper nomine inſigniti fuere; initio quippe dicti ſunt Hoſpitalarii Sancti Joannis Hieroſolymitani propter Hoſpitale, quod paulo ante quam Godefridus Bullionenſis Terram Sanctam peteret, Hieroſolymis erectum fuit in eorum gratiam, qui venirent loca Sancta inviſuri. Extructæ deinde ſunt Eccleſiæ duæ Beatæ Virginis, & Sanctæ Magdalenæ nuncupatæ, una quidem virorum bono, alia vero Mulierum; id conſilii præbuit occaſionem aliis Eccleſiam ædificandi in honorem Sancti Joannis cum Hoſpitali, in quo habebatur ægrotantium cura, & peregrini excipiebantur. B. Gerardus natus Martiniaci in Provincia ejus Moderator extitit an. 1099. cum Godefridus Bullionenſis Jeruſalem potitus eſt. Moderatoris hujus ſollicitudo ac ſanctitas in cauſa fuere, cur Hieroſolymorum Reges hujus Hoſpitalis fratres, qui nuncupantur Hoſpitalarii, magnopere ſua gratia complecterentur. Geſtabant illi nigras veſtes cum cruce punctis octo diſtincta; ac cœpere Religionis edere vota tria, quibus additum quartum fuit, quo ad excipiendos, curandos, tuendoſque Peregrinos adſtricti erant. Eorum fundatio ad an. 1104. ſpectat, Balduvino I. regnante. Cum porro coacti fuerint arma ſumere, & militiæ nomen dare, ut viarum libertatem tuerentur, & Infidelium excurſus impedirent; plurium Virorum nobilium facta iis acceſſione, ex Hoſpitalaribus Equites appellati ſunt.

Raymundo *du Puy* an. 1118. in Gerardi locum ſuffecto, & Chriſti fidelium rebus in Oriente in præceps actis, Equites hi Hieroſolymis, poſtquam hæc Urbs capta eſt, diſcedere coacti ſe recepere Margatum, tum Acridem, quam ſtrenue propugnarunt an. 1290. & a Joanne Luſignani duce in Cypro Inſula conſtiterunt ad annum uſque 1310. quo anno Rhodi potiti ſunt Auguſti die 15. ibique contra Saracenorum impetum perſtiterunt. Hinc Rhodienſium Equitum nomen ſumpſere. Fruſtra Inſulam hanc aggreſſus eſt Mohammedes II. an. 1480. ſed non ita Solymanus, qui ejus potitus eſt an. 1522. Quare Petrus Aubuſſonius Magnus Magiſter Ordinis poſt acrem defenſionem cum ſuis Equitibus, & Incolarum quatuor millibus in Cretam recedere coactus fuit. Ad annum uſque 1530. nullum ille certum domicilium habuit; cum porro Carolus V. Melitenſem Inſulam iis conceſſiſſet, ut ita ſuo Siciliæ Regno præſidium quæreret, eo ſe contulerunt, omnibus aliis Chriſtianis Principibus, in quorum ditionibus eorum Ordo bona poſſidebat, conſentientibus. Solymanus incaſſum hanc Inſulam an. 1566. per Muſtaphum Budæ Dynaſtem, Pialium, Occhialium, celebremque Dragutium invadendam curavit, Magno Magiſtro Joanne Valettæ Pariſotto, atque ejus Equitibus eam naviter propugnantibus. Barbari deperditis trium menſium ſpatio militum quinque millibus, Nautarum octo millibus, conjectiſque nequicquam tormenti bellici ictuum fere viginti quatuor millibus, recedere coacti ſunt.

Ordo hic, cui deinde Melitenſis nomen inditum eſt, tres claſſes complectitur; prima eſt Equitum, altera Sacerdotum, ſervientium militum tertia. Exiſtunt Obedientiæ Presbyteri, qui Eccleſiis deſerviunt, Fratres ſerviendi officio addicti, ſeu Famuli, & Dati, ſeu Semi-Cruces; at hi poſteriores proprie non ſpectant ad Ordinis corpus, quod tres tantum claſſes allatas complectitur. Facta eſt hæc diviſio an. 1130.

Debent Equites paterna ac materna per gradus quatuor nobilitate gaudere. Sacerdotes, ſeu Presbyteri ſunt ex nobili genere, aut ſaltem ex perhoneſta familia. Dignitates Eccleſiaſticæ, ut Epiſcopatus Melitenſis, Prioratus Eccleſiæ Sancti Joannis, aliique Prioratus Ordinis, ipſis affecti ſunt, atque il quidem, licet Militaris Ordinis membra ſint, ad Cardinalatus dignitatem evehi poſſunt. Servientes milites ſint oportet ex familia ſupra vulgus poſita. Adminiſtratio eſt Monarchica, & Ariſtocratica; nam Magnus Magiſter eſt Princeps populi in Inſula Melitenſi, cudendorum nummorum jure gaudet, & Magnorum Prioratuum, Præfecturarum, & Commendarum Proviſiones tribuit. In gravibus Ordinis negotiis Magnus Magiſter & Conſilium abſolutam auctoritatem ſimul exercent, quod Ariſtocratiam, aut Virorum principum dominationem conſtituit. Eſt & Conſilium completum conſtans ex Magnis-Crucibus, duobuſque ſenioribus Equitibus cujuſque linguæ.

Linguæ ſunt variæ nationes, ex quibus Ordo conflatus eſt, octo numero; videlicet Provincia, Arvernia, Gallia, Italia, Aragonia, Germania, Caſtilia, & Anglia. Hæ octo linguæ ſuos Melitæ Præſides habent, qui Pilerii, & Ballivi nominantur. Pilerius linguæ Provinciæ, quæ prima eſt, habet Magni Commendatoris officium; Præfectus linguæ Arverniæ eſt Magnus Maracallus; Galliæ Præſes eſt Magnus Hoſpitalarius; caput linguæ Italicæ eſt Claſſis Præfectus; Aragoniæ lingua Præſidem habet titulo Magni Conſervatoris, qui Mercator olim nuncupabatur; Germaniæ lingua Magnum Ballivum ſeu Præfectum habet; Caſtiliæ lingua Magnum Cancellarium; Angliæ lingua, quæ propter ſchiſma non amplius ſubſiſtit, habebat Capitis titulo Turcopelerium, ſeu Peditatus Ducem. Sunt in quaque lingua Magni-Prioratus plures; & quiſque Magnus-Prioratus multas Commendas habet, quarum aliæ quidem Equitibus, aliæ vero promiſcue Capellanis ſervientibuſque militibus addicti ſunt. Atque hæ Commendæ dictæ ſunt juſtitiæ, aut gratiæ, prout obtinentur. Nuncupantur Commendæ juſtitiæ, cum primatus, aut melioritatis jure poſſidentur; videlicet cum factis reparationibus in Commenda, qua quis fruitur, alia pinguior ab ipſo recipitur. Dicuntur Commendæ gratiæ, cum Magnus Magiſter, aut Magni Priores eaſdem conferunt vi juris ad eorum dignitatem ſpectantis. Neque vero neceſſe eſt eum, qui ex gratia nominatur, Equitem, aut Servientem eſſe; cujuſcumque generis ſit, poteſt eſſe Commendator, cum ejus promotio ex gratia eſt. Hic Ordo eſt vere Religioſus, & Equites ob tria vota, quæ ſolemniter edunt, ei addicti ſunt; Dominus Abbas *de Vertot* in lucem edidit an. 1726. hujus Ordinis hiſtoriam quatuor voluminibus in IV. præter Boſium, qui hac de re fuſe ſcripſit.

Equites Sancti Lazari componebant Militarem Ordinem a Chriſtianis Occidentalibus inſtitutum, quo tempore Terræ Sanctæ dominabaotur. Diſcrepabant ab Ordinibus Templariorum, Equitum Teutonicorum, & Sancti Joannis Hieroſolymitani. Eorum inſtituti ea ratio erat, ut Peregrinos exciperent in Domiciliis in eum finem eſtructis, eos ducerent itinerantes, & ab Infidelibus tuerentur. Magnis eos privilegiis Summi Pontifices, & Principes magnis prædiis donarunt. Rex Ludovicus VII. qui Ludovicus juvenis dictus eſt, an. 1154. iis dedit Boiniacum prope Aurelianum, ubi hi Equites ſibi domicilium ſtatuerunt, cum Chriſtiani Terræ Sanctæ finibus pulſi eſſent; ſuos ibi titulos ſervarunt, ſuoſque conventus celebrarunt. Deinde vero cum inutiles evaſiſſent, contemptui quoque duci cœpti ſunt; ut proinde Melitenſes Equites hujus Ordinis extinctionem & cum ſuo unionem facile ab Innocentio VIII. obtinuerint. Sed cum Equites Galli ad Senatum confugiſſent, ſtatutum fuit, ut hic Ordo a quovis alio diſtinctus ſubſiſteret.

Pius IV. Pontifex in Italia quidem tantum ejus Magiſtrum creavit Jannotum Caſtellionenſem ſibi ſanguine conjunctum an. 1565. eumque Bulla confirmavit, in qua de hujus Ordinis antiquitate loquens, ejus inſtitutionem refert ad Sancti Baſilii tempora, addens eum auctum fuiſſe Damaſo I. Eccleſiam adminiſtrante, & Juliano ac Valentiniano rerum potientibus. Sane Sanctus Gregorius Nazianzenus Hoſpitale a Sancto Baſilio Sancti Lazari nomine extructum memorat, ſed Militaris Ordinis mentionem non facit; eadem Papæ Damaſi & aliorum eſt ratio. Fato functo Jannoto Caſtellionenſi an. 1672. Gregorius XIII. Pontifex Magni-Magiſtri dignitatem Emmanueli Philiberto Sabaudiæ Duci, omnibuſque ejus ſucceſſoribus contulit, atque hunc Ordinem cum Sancti Mauricii Sabaudiæ Ordine copulavit. Sed hæc mutatio locum non habuit quoad Gallias ubi Aimarus Cattenſis Eques Melitenſis hujus Ordinis inſtaurationem ſibi propoſuit, Philibertus Nereſtangii vir nobilis excellenti virtute præditus & Dux militum ad Regis cuſtodiam idem & ipſe conſilium cepit, adeoque utiliter apud Henricum IV. egit, ut ab hoc Rege Magnus Magiſter Ordinis creatus fuerit an. 1608. obtenta a Pontifice Bulla huic Ordini magnopere favente, qui quidem Ordo id prorſus quoad Gallias eſt, quod Sancti Mauricii Ordo eſt iis, qui ultra Montes exiſtunt. Inter alia horum Equitum privilegia illud eſt, quod matrimonium contrahere, & ex Beneficiis Conſiſtorialibus penſiones habere poſſunt. Reſtitutus eſt etiam hic Ordo, & ad majorem dignitatem elatus Ludovico XIV. regnante. Dux Aurelianenſis ejus hodie Magnus-Magiſter eſt.

Equitum Melitenſium Obligationes.

1 *Equites Melitenſes hoſpitalitatis exercendæ, & cum Infidelibus bellandi gratia inſtituti ſunt.*

2 *In bellis, quæ inter Chriſtianos Principes fiunt, operam ſuam exhibere minime debent.*

3 *Neque in criminalibus cauſis ſedere judicaturi, neque belli conſiliis, in quibus de quopiam ad mortem aut mutilationem damnando agitur, intereſſe debent.*

QUÆSITUM.

Super quæſtione, an ſcilicet Melitenſes Equites, qui terra mariye in Regiis Exercitibus aliquo munere funguntur, poſſint intereſſe belli conſiliis, in quibus de milite, nauta, aliove reo morte damnando agitur: Subſcriptus ſuam, ut ſequitur, ſententiam declarat, cuivis meliori judicio ſe ſubdens.

RESPONSIO.

Antequam reſponſum detur, nonnihil diſtinguendum eſt inter Equites, qui ſunt Profeſſi, eoſque, qui Tirones ſunt, quamvis jam recepti & acceptati fuerint in ſuis linguis pro Melitenſis Ordinis conſuetudine.

Nolo equidem me pluribus immiſcere quæſtionibus, quæ ſuper Tironum Religioſorum ſtatu agitantur. Satis habebo dicere, eos, qui in militari Ordine, cujuſmodi eſt Melitenſis, recepti & admiſſi ſunt, eiſdem, quas Profeſſi ſervare tenentur, legibus obligari, quia hujuſmodi Religionis inte-

grum

grum corpus utrique conſtituunt. Itaque ad omne incommodum evitandum par eſt eos a quæſtionis Conſiliis abeſſe; II. illi abſentes evitant pœnas, quas in eos, qui alicujus morti cooperantur, Eccleſia pronunciat.

Igitur univerſam controverſiam ad Equites Profeſſos redigens aſſero iis non licere belli conſiliis, in quibus de morte agitur, intereſſe,

Ut hujus deciſionis rationes in bono lumine collocentur, illud animadvertendum eſt, Equites duobus modis ſpectari poſſe, ut Hoſpitalarios, & ut Equites Ordinis Militaris: ut Hoſpitalarii, hoſpitalitati, quæ prima hujus Ordinis inſtitutio eſt, addicti ſunt, & ſunt veri nominis Religioſi; ut Equites, militiæ ſanctæ devoti ſunt, ut fidei præſidio ſint; quæ quidem diſtinctio conſtat ex Hiſtoria, & cæremoniis, quæ in eorum Profeſſione ſervantur.

Vitæ ratio, quam Religioſi amplectuntur, eos a Laicis diſtinguit, quia per Profeſſionem peculiari modo divino cultui ſacrantur ſub ejus Ordinis Regula, cui nomen dant, ita (*a*) ut ii quoque inter eos, qui nullo ſacro ordine ſunt inſigniti, non Laici, ſed Eccleſiaſtici cenſeantur, capaces fruendi omnibus immunitatibus, (*b*) juriſdictionibus, & privilegiis, (*c*) quæ Concilia, Summique Pontifices conceſſere, ſed ſubjecti propterea ſunt generalibus Eccleſiæ Regulis.

Equites Profeſſi Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani addicti ſacræ militiæ ſunt, quæ minime patitur eos in Chriſtianos Principes arma vertere,

D. Thomas (*d*) expendens, an aliqua Religio poſſit ad bellum gerendum inſtitui, allatis utrimque rationibus, concludit ejuſmodi Religionis inſtitutionem duabus hiſce conditionibus permitti poſſe, primo ne temporalem ob cauſam bellum hoc ſuſcipiatur, deinde, ut ejus finis ſit Dei cultus, pauperum defenſio, orphanorum patrocinium &c. Sententiam ſuam confirmat exemplo Machabæorum, & auctoritate Pſalmi 81. in quo dicitur: *eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate*.

Ordo Sancti Joannis Hieroſolymitani, utpote qui Religio Militaris eſt, his fundamentis eſt inſtitutus; atque ita ipſe nonniſi ad tuendam fidem bellum ſuſcipit, omneſque ejus Religioſi tantum ad pauperum ſervitium, & fidei Catholicæ propugnationem ſuis viribus, ſuiſque bonis uti debent; id quod ipſis in prima & altera propriæ Regulæ inſtitutione præceptum eſt, ubi apertis verbis dicitur, ſi hunc Ordinem Summi Pontifices, Reges, & Principes Catholici pluribus ſpiritalibus & temporalibus bonis auxerunt, id ea de cauſa factum eſſe, ut Equites charitati, quæ hoſpitalitatis & fidei ſolidum fundamentum eſt, vacantes, ei cumuli loco militiam adderent, & tanquam Chriſtiani Milites pro Jeſu Chriſti nomine, pro Divino cultu, & pro fide Catholica præliarentur, oppreſſis opem ferentes, & naviter arma ſumentes ad aggrediendos, proſternendos, & pedibus conterendos Mahometanos, eoſque, qui a recto fidei tramite aberrant, ut ſe his adeo ſanctis, atque adeo illuſtribus facinoribus exercentes, Sanctorum Martyrum & Militum Machabæorum, qui ad divini nominis defenſionem pugnare conſueverant, ſalutare exemplum ſequerentur.

Ita quidem in ſecundo Regulæ articulo legitur, ubi poſtquam Equitibus præcepta eſt perfecta trium ſubſtantialium votorum cuſtodia, ad moralium & Theologalium virtutum praxim extimulantur, ut arma alacrius arripiant, nec vero dubitent pro divini nominis, Crucis Jeſu Chriſti, juſtitiæ, Viduarum & Pupillorum defenſione in graviſſima diſcrimina ſeſe conjicere.

Ex ejus Regulæ, quæ exercitationem ſuorum Religioſorum Melitenſium vocationi reſpondentem præſcribit, diſpoſitione plures animadverſiones deduci poſſent; ſed quia non eſſent ad rem, de qua agitur, ſatis fuerit, ſi dixerimus clare cognoſci; I. ſi militia hoſpitalitati conjuncta fuit, (ut ex hiſtoria certum eſt) id charitatis extenſione quadam factum eſſe; quæ movet ad verum Dei cultum propugnandum, præliandumque, ut Chriſtiani a Mahometanorum vi liberentur; cæterum his cauſis non exiſtentibus hic Ordo non potuiſſet arma ſumere, utpote hoſpitalitatis gratia fundatus, II. bellum hoc, quod Melitenſibus Equitibus permiſſum eſt, potiſſimum ad Catholicæ fidei, & Chriſtiani nominis hoſtes ſpectare; quamobrem rotundis verbis per Ordinis Statuta (*e*) prohibentur ſe bellis iis immiſcere, quæ Chriſtiani invicem gerunt, atque ita quidem, ut ſecus facientes a Religione excludantur, habituque priventur; hujus rei ea ratio eſt, quod hi Religioſi in his Chriſtianorum Exercitibus militantes contra inſtituti ſui rationem arma gerunt; & cum fidei tantum cauſa pugnare debeant, adverſus Chriſtianos, quorum bella fere humanis de cauſis fiunt, ſuas vires ſuamque virtutem exercent; quod iis minime licet Divi Thomæ ſententia (*f*).

Unica cauſa, ac ſola ratio, quæ licitum Equitibus bellum reddit, eſt catholicæ fidei defenſio, pauperumque protectio; id quod ex ceremoniæ, quæ in Profeſſione fit, pluribus locis evidenter apparet; & primum quidem cum Presbyter benedictum gladium offert ei, qui vota edit, inquiens: „ Accipe hunc enſem in nomine Patris & Filii „ & Spiritus Sancti, ut eo ad tuam ipſius defenſionem, ad Sanctæ Dei Eccleſiæ propugnationem; & ad hoſtium Jeſu Chriſti, fideique catholicæ confuſionem utare “. Ac deinde qui eum admittit; ita eumdem alloquitur: „ tibi refer in „ mentem, eos, qui huic Ordini nomen dant, teneri Eccleſiam, pauperes, viduas, orphanoſque „ defendere; promitriſne ita te gerere “? Et cum Profitens id promiſit, Recipiens ei dicit: „ ut quam „ dediſti, fidem præſtes, gladium hunc accipe, qui „ ob ſuum ſplendorem inflammatus eſt fide, ob „ ſuam aciem ſpe, ob ſuum capulum charitate, „ quo cum virtute ad tuam defenſionem, fideique „ catholicæ præſidium uteris, nec pericula & incommoda pro Dei nomine, ſigno Crucis, Eccleſiæ libertate ſubire vereberis ob juſtitiam, & „ Viduarum, Orphanorumque ſolatium; hæc enim „ vera Equitis fides eſt, ejus vocatio eſt, electio, „ & ſatisfactio, animum Deo, periculis incommodiſque ob ejus ſervitium corpus offerre. “

Quod fuſius allatum eſt in hac oratione, eo ſpectat, ut hujus ſacræ militiæ, in qua nonniſi fidei defenſio, & bellum adverſus Chriſtiani nominis hoſtes in animo habenda ſunt, finis diſtinctius appareat. Jam vero quoniam cauſa finalis ea eſt, quam agens imprimis ſpectat, & ſine qua omnino non ageret, extra omnem dubitationem eſt poſitum, hac cauſa ceſſante, ſimul ejus effectum ceſſare debere. Cum ergo Ordini maxime perſuaſum ſit, ea ſublata, ejus effectum eodem tempore de medio tolli: (*g*) propterea quoniam Melitenſis Ordo ad ſolam fidei defenſionem ſuis Equitibus arma ſuppeditat, & quoniam ſpeciali privilegio ipſi militiam cum Religioſo ſtatu conjungunt, propter hujus finis excellentiam, liquido conſtat, ſi aliis de cauſis arma deferant, eos contra Inſtituti ſui finem agere, & privilegium ipſis hac conditione conceſſum amittere; atque ita cauſa principe deficiente, eos æque ac Religioſos cæteros arma deferre tuta conſcientia non poſſe; cumque ſæcularis quæque militia Religioſis aliis ſit interdicta, ut docet Divus Thomas 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. & Eccleſiæ (*h*) Canones ſtatuunt: his quoque tanquam Religioſis vetita eſt, quoniam, ut eſt in Canone, *Non poſſunt ſimul Deo & Sæculo militare, & miles Chriſti non debet ſe præliis immiſcere.*

Non deerunt fortaſſe, qui dicant opinionem hanc ſin-

(*a*) Concil. Meld. cap. 37. & Moguntin. 4. cap. 74.
(*b*) C. ad Monaſterium de Stat. Regul.
(*c*) Rubric. de Regul. & tranſeunt. ad Relig.
(*d*) C. nullus de foro comp. Abbas in C. cum ad Monaſter. & in C. nullus.
(*e*) 2. 2. q. 188. art. 3.
(*f*) Statut. 24. tit. de prohibit.

(*g*) 2. 2. q. 188. art. 3.
(*h*) L. adigere §. quamvis ff. de jure Patron. L. Si Pater ff. de hæred. inſtit. L. generaliter C. de Epiſc. & Cleric. L. cum te C. de pacto inter emptor. cap. magnæ in fine de voto cap. cum ceſſante 60. de appel. late. Tiraquellus in ſpeciali tract. ceſſante cauſa ceſſat effectus & de jure prim. q. 49. n. 170. cum ſeq. & ad omnes,

ſingularem eſſe, adductas rationes nimis probare, atque id a nobilitate armis nata valde abhorrere; ſed ſi verum fateri volumus, re, ut vere ſe habet, ſpectata, nihil prorſus eſt, quod ſuadeat Equites in mutuis Chriſtianorum bellis legitime arma gerere poſſe. Non me latet, Superiorum indulgentia, & conſuetudine, centum ab hinc & amplius annis inducta eos aliqua ratione excuſari poſſe; at ſemper in eo vertitur difficultas, an id ii poſſint tuta conſcientia. Divus Thomas in quæſtione jam appellata *ad* 2. hunc abuſum eſſe ait, quem conſuetudo ſuſcepto Inſtituto ex diametro oppoſita confirmare non poteſt. Quod ſi hujus Ordinis Superiores aliquando paſſi ſunt ſuos Religioſos ſeſe Regum & Principum Chriſtianorum exercitibus implicare, ut Franciſci I. & Caroli Quinti temporibus contigit; id eo factum eſt, quod illi hunc abuſum diſſimulare, quam duobus hiſce Principibus diſplicere maluerunt; ac ſi deinceps idem obtinuit, atque obtinet, id in cauſa eſt, quod politia rationi ac juri id anteponit. Equidem ſcio Pontifices ſummos aliquando in ſuis propriis bellis Melitenſibus Equitibus uſos eſſe, exercituum ſuorum imperio iiſdem collato; ſed cum adeundi belli, præliandique prohibitio tantum poſitivi Eccleſiaſtici juris eſt, Pontifices cum iis, quibus ejuſmodi officia contulerunt, in eorumdem Regula diſpenſarunt, ac mihi quidem probaretur, hujus generis muneribus addictos a Pontifice veniam petere, ut ſuam conſcientiam in tuto ponerent. Quod cum eo concordat, quod Ariaga & Diana docent, *in Curſ. Theol. tom.* 5. *diſputat.* 48. *ſect.* 5. Diana *tom.* 7. *tract.* 7. *de Bello. reſol.* 51. & 52.

Præterea Religioſus ſtatus ab Officiis ſæcularibus Equites removet; at ſi his implicati ſint, & male fungantur, ad ſuos Superiores remittendi ſunt, ut in ipſos jus fiat. juxta Tridentinam Synodum (*a*) omniumque Doctorum ſententia (*b*) ad eos etiam extenditur, qui aliquod turpe facinus, aut crimen aliquod punitione dignum patrarent, cum rationi par ſit, juxta idem Concilium, eos ad ſuos Superiores tanquam Judices competentes remitti.

Si ergo Equites ſæcularibus muneribus fungi, & in Chriſtianorum exercitibus manus conſerere nequeunt, ut diximus, multo minus iis eſt permittendum, ut criminales cauſas dijudicent, ſuoque ſuffragio ad mortem damnent, quoniam hac ratione irregulares evadunt (*c*), id quod ex ſequentibus aperte oſtenditur. Sane Sancti Eccleſiæ Canones ut ſignificent, quam ad manſuetudinem, & charitatem facti, & de propria ſanctificatione ſolliciti eſſe debeant ii, qui ei peculiari ratione ſeſe voverunt, non ſolum eos prohibet in mortis judiciis adeſſe, ſententiam pronunciare, executioni intereſſe, verum etiam in cauſis ſimilibus teſtes eſſe (*d*). Ita ſane legimus in Decretalibus: *ſententiam ſanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interſit, &c. Si quis autem ...... &c. per cenſuram compeſcatur*; ex quo Interpretes & Doctores inferunt quemvis Eccleſiaſticum mortis aut mutilationis ſententiæ cooperantem in irregularitatem incidere. Hoſtienſis *in capite Sententiam num.* 1. *Joan. And. n.* 1. & 2. *verb. Privetur*, Ancharan. & multi alii apud Proſper. Fagnan. *tom.* 2. & 3. *p. frag. crim. p.* 1. *q. Clericus an & quomodo efficiatur irregularis n.* 369. & 379.

Porro eſt prorſus indubitatum Equites Sancti Joannis Hieroſolymitani addictos eſſe divino cultui, veros eſſe Religioſos, tribus Religionis Votis obſtrictos eſſe (*e*); & quod inde conſequitur, iis perinde ac cæteris Eccleſiaſticis interdici, ne in cauſis criminalibus teſtes ſint, ſuiſque conſiliis, ſuffragiis, aut aliter mortis ſententiis, ut in Senatibus Conſiliarii Clerici, cooperentur.

Reponi fortaſſe poſſet has prohibitiones ad eos tantum ſpectare, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, non autem ad eos, qui ad ſacros Ordines accedere in animo non habent; ſed ego reſpondeo, I. Equitum pleroſque muneribus fungentes, aut Beneficia aut penſiones poſſidentes, ob ſua vero militaria munia in irregularitatem incidentes, his Beneficiis, hiſque penſionibus poſſidendis ineptos ſe reddere. II. Canones, cum nullam diſtinctionem afferant, & generatim loquantur, omnes ad unum Eccleſiaſticos complectuntur, etiamſi bellis juſtis, & contra fidei hoſtes ſuſceptis intereſſent (*f*). Debent igitur Equites evitare, quicquid eos adeo gravi cenſuræ ſubdere poſſet, & ſerius ocyus in cauſa eſt, ut conſcientia magnopere perturbetur. Judicis officium obire, & ſententias proferre actio eſt adeo difficilis & ſalebroſa, ut eam leges cum ſupremo dominio comparent, ex quo inferunt Juriſconſulti, eum, qui alterius imperio ſubeſt, nec ſui juris eſt, videlicet non eſt liber, non poſſe Judicem eſſe, nec functiones obire duplici ex cauſa, I. quia ſub alterius imperio eſſe, & jubere (*g*), in eadem perſona non copulantur; II. quia Judicis functio cum nitatur Jure civili, ab eo exerceri non poteſt, qui ſæculo mortuus cenſetur (*h*); ex quo concluditur Religioſos, cum liberi non ſint, ſed per ſua vota Superioribus mancipati, negotiis civilibus mortuos cenſeri, & Judices eſſe non poſſe. Principia hæc facile accommodari poſſunt Equitibus, quorum ſtatus (*i*) conſtituit Religioſorum Ordinem, quem Eccleſia probavit.

Illud conveniat neceſſe eſt, id, quod univerſæ Religioni non licet, Religioſis ſingulis non licere; porro certum eſt Religionem Sancti Joannis Hieroſolymitani nec judicare, nec hominem morte damnare poſſe; quod quidem Canonibus & hujus Ordinis conſuetudinibus nititur.

Declarat Gloſſa Prælatos, alioſque Eccleſiaſticos, eos ipſos, qui quavis Juriſdictione pollent, criminalem per ſe ipſos exercere non poſſe, quia de ſententia ſanguinis agitur. Ob quas ſane declarationes Canoniſtæ pronunciant Prælatos & Capitula ipſa per ſe de mortis ſeu ſanguinis cauſis judicare non poſſe, ſed oportere, ut eas ſæcularibus perſonis committant, ne irregularitatem incurrant. En Gloſſæ verba in hoc Cap. *Clericis extra ne Clerici vel Monachi verſ. Judicent: Per ſe quidem judicare non debet Prælatus aut Clericus quicumque, qui habet juriſdictionem, vel ipſemet inferre, vel conſilium dare, aut ſententiam dictare, nec etiam intereſſe ..... debet ergo Prælatus habens Juriſdictionem temporalem committere alicui Laico*. Et Gloſſa cap. *Sententiam verſ. Sanguinis* ait etiam: *Epiſcopi non poſſunt ſententiam ſanguinis ferre, nec dare conſilium, nec intereſſe, nec dictare, nec ſcribere ſententiam &c. ſed aliis debent ſuas vices committere*. Vide Hoſtienſem *n.* 1. 2. & 3. Joan. Andr. *n.* 2. *in verb. Officium*, & pleroſque alios a Proſpero Fagnano in medium adductos *part.* 1. *fragm. quæſt. Clericus an & quando n.* 385. Barboſam *in lib.* 3. *decret. c. Clericis* 5. *n.* 3. Dianam *tom.* 3. *tr.* 5. *de poteſt. Capituli reſolut.* 7. *n.* 2. *in fine*.

Equi-

(*a*) Seſſ. 25. cap. 4.

(*b*) Julius Capon Diſcept. forenſ. 121 n. 9. ubi multos citat, quos vide.

(*c*) Cap. his a quibus. n. 23. q. 8. aut infer. Henriquez lib. 14. cap. 3. n. 6. Diana Coerdin tom. 5. tr. 5. de irregul. reſolut. 81. §. 1.

(*d*) Seiyn. in cap. teſtimonium de cæter. verſ. ſed conſidera extra. de teſt. Gigas de crim. læſæ maj. l. 2. titul. quomodo quæſt. 14.

(*e*) Rota Roman. deciſ. 177. num. 1. part. 2. in recent. deciſ. 454. n. 3. ejuſd. part. Steph. Gratian. diſcept. forenſ. 880. n. 1. & 2. Ricc. collat. deciſ. 216. &c.

(*f*) Text. petitio tua capit. Ut de Homicid. & Cleric. pugn. Card. Zab. Co. 2. in fin. ver. ſecundo quare. Hoſt. in cap. ſentent. n. 1. eodem tit. ne Clerici & Monachi.

(*g*) L. Judex imperat ff. ſi quis Jus dic. non obtemper.

(*h*) L. 33. quod attinet ff. de reg. Jur.

(*i*) C. 8. placuit. 16. q. 1. Lanfranc. de Orian. in cap. quoniam contra n. 529. & alii apud Scacciam de ſentent. & re judic. Gloſ. 4. q. 2. n. 47. ubi multa vide.

Equites Melitenſes, quomodo ſuis bonis uti debeant.

CASUS II.

1 *Equites Melitenſes non poſſunt poſt editam profeſſionem in cujuſvis gratiam bona, ſi qua reſervarunt, aut acquiſierunt, ſeu ſuas penſiones, ſeu ſua Beneficia diſponere.*

2 *Qui ſuum nomen Equiti dederit, ut acquiſitionum, quas fecit, contractus ratihaberentur, debet intra Receptoris Ordinis manus hæc acta remittere, ut acquiſita bona poſt Equitis mortem ad Religionem redeant.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Eques Melitenſis fructuum patrimonii ſibi in Profeſſione reſervati partem impendere poſſit in acquirendis bonis, quorum uſumfructum poſſideat, & quæ ipſe moriens relinquat ſuo Conſanguineo, cujus nomine ad contractuum ratihabitionem uſus eſt; quæritur, an ita iis uti poſſet ante ſuam Profeſſionem, an etiam poſſet poſt aliquot Commendarum proviſionem, declarans & affirmans pecuniam in hujuſmodi acquiſitionibus impenſam minime ab Ordinis bono, ſed ſolum a ſui patrimonii reſervato lucro provenire?

An hac in re diſcrimen aliquod inter conſanguineum pauperem, & qui ejuſmodi non eſt, ſtatuendum ſit?

Facta hypotheſi Conſilium decidere diſpoſitionem hanc nullo in caſu permiſſam eſſe, quæritur, quid conſanguineus donatarius hujuſmodi contractibus, in quibus ſuum nomen dedit, implicitus agere debeat? Debetne eos remittere Receptori Ordinis, an vero Equiti, accipiens ab eo recognitionem ad Receptorem expediendam, ut hujus actus vi Religio poſſit impedire alienationem boni, quod ad eam ſpectat, & quod ea ſine hac præcautione amittere poſſet?

Alienatio timenda eſſet, ſi Eques, qui contractuum dominus exiſteret, alicui de ſua familia gratificandi voluntatem ſervaret; eos enim hæredibus reſpuentis donare poſſet; quia plures Equites ejus ſcrupulum damnant, dum interim alii approbant. Sed hic tamen ſcrupulus gravis videtur ei, qui dubitat ſuum nomen dare in contractibus, qui tendunt ad Melitenſem Ordinem bono fruſtrandum, quod ad eum pertinet, ſi verum ſit, quod putant bene multi, nullum Equitem poſſe quicquam diſponere abſque ſui Magni-Magiſtri venia. Ne igitur ad hanc Votorum, quæ Melitenſes Equites edunt, violationem ulla ratione concurratur, expoſcitur Sorbonicorum Doctorum ſententia, iidemque rogantur, ut eam ſubſcribant, ad ejus, qui conſulit, animum tranquillandum.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, antequam Expoſitionis quæſtionibus ſatisfiat, pro certis hæc habenda eſſe,

I. Equites Melitenſes Profeſſos veri nominis Religioſos eſſe, eoſque proinde bonorum, quæ poſſident, omni proprietate carere. Et ſane iis renunciant, cum Vota edunt; promittunt *tit. 2. de recept. Fr. art. 1. ſervare obedientiam, & amplius vivere ſine proprio, &c.*

II. Quemadmodum quod Religioſus acquirit, acquirit Religioni, ita quicquid Eques Melitenſis acquirit, quodcumque demum fuerit, ad Ordinem pertinere, ita ut id nequeat abſque Magni-Magiſtri & Capituli Generalis permiſſione diſponere; ei ſolus relinquitur uſuſfructus, quoad vixerit. Traditur id Statuto 10. titulo 16. de Contractibus & alienationibus: *Quicquid Religioſus acquirit, Religioni acquirit; ideo ſancitum eſt, quod fratres noſtri, qui per emptionem, donationem, aut alia quacumque ratione, bona, prædia, cenſus, ſeu annui reditus juriſdictionem acquiſiverunt, & ſibi vindicaverunt, nullo pacto abſque Magiſtri & Capituli Generalis conſenſu vendere, alienare, impignorare, aut quovis modo diſtrahere poſſunt, ſed ea, quæ acquiſierunt fratres, vita eorum durante poſſideant & teneant.*

III. Vetitum eſt titulo 18. de prohibitionibus & pœnis, Statuto 1. ne Equites Melitenſes ob paupertatis votum teſtentur & diſponant mortis cauſa bona, quæ poſſident; ita ut non poſſint hæredes inſtituere, ac ne in ſuorum quidem domeſticorum gratiam legare quicquam, niſi id exiguum ſit; & quidem cum Magni-Magiſtri licentia: *Votum paupertatis id exigit, ut bonorum diſpoſitio liberæ voluntati non ſubſit; non licet igitur, nec quoquomodo permittitur Commendatariis, aut aliis Ordinis noſtri Fratribus teſtamentum condere, vel hæredem inſtituere, ſeu legata facere, atque etiam ſervitoribus ſeu aliis aliquid elargiri niſi tantum eorum ſtipendia, & cum licentia Magiſtri, de moderata eorum portione diſponere.* Videri poſſunt animadverſiones *Brodeau in Louet lit. C. num. 8. §. 11.* ubi occurrunt Reſcripta plura, quibus Equites Melitenſes teſtari prohibentur; atque in Statuto quidem ſequenti declaratur hanc portionem, quæ teſtamento legari poteſt, ex pecunia numerata boniſque mobilibus ſumendam eſſe, nec debere partem quintam excedere, deductis, tam quæ ad Religionis ærarium redire, quam quæ æri alieno ſolvendo inſervire debent: *quæ quidem portio non excedat quintam partem pecuniæ numeratæ, aut bonorum mobilium, deductis ex hujuſmodi bonis omnibus debitis & ære alieno tam noſtri communis ærarii, quam aliorum, ac creditis, quæ integre reſervantur ærario.*

IV. Hic ea obtinet conſuetudo, ut Eques Melitenſis ſui patrimonii uſumfructum, qui ei ante Profeſſionem decurrit, ſibi reſervare poſſit, eumque, dum vixerit, diſponere, quemadmodum & uſumfructum bonorum Religionis, quæ poſſidet, & in pia opera utrumque conferre, aut honeſte, prout ei videbitur, impendere. De hac diſpoſitione conſuli poſſunt Aloyſius Riccius *3. p. deciſ. 426.* & Azorius *1. p. l. 13. c. 4. & 5.*

Principiis his poſitis,

Reſpondetur, ſi Eques, de quo ſermo eſt, ex ſui patrimonii pecunia ante ſuam Profeſſionem bona hæc acquiſivit, tunc ipſi ea diſponere licuiſſe per donationem inter vivos in hujus conſanguinei favorem, cujus nomine contractus hos ſtipulatus eſt, eorumque uſumfructum ſibi reſervare.

Quod ſi hæc bona ante Profeſſionem quidem ſunt acquiſita, ſed ea tamen Eques ante edita Vota minime diſpoſuerit, non videtur ipſe horum bonorum fundum ſuo conſanguineo donare poſſe ſeu vitæ ſeu mortis tempore, quia Religioſus eſt, ac proinde paupertatis votum violaret; ac cæteroquin hæc diſpoſitio mortis cauſa Statutis Ordinis ei vetita eſt, ut modo dictum eſt *n. 2. & 3.* neque hæc bona tribuere poteſt, quoad vixerit, ut dictum eſt *n. 2.*

Nec refert Equitem hæc bona comparaſſe non ex Religionis, ſed ex patrimonii ſui bonis reſervatis; Statutum enim *n. 2.* allatum nullam exceptionem ponit; ſed tantum tradit, quocumque modo Eques acquiſierit, eam acquiſita bona diſponere non poſſe: *aut alia quacumque ratione bona acquiſiverunt*, bona hæc cenſentur ad Ordinem pertinere, per hoc principium vulgo receptum a Theologis & Canoniſtis: *Quicquid acquirit Religioſus, acquirit Religioni.*

Quod ſi poſt ſuam Profeſſionem Eques ea comparavit, diſponere adhuc ipſa nequit donationibus inter vivos, ob immobilium bonorum rationem, aut mortis tempore, ob prohibitionem, qua adſtringitur, ne quid teſtamento leget; id ex ſupradictis ſequitur.

Cæterum parum refert ad caſus propoſiti ſolutionem cognoſcere, an Eques, cum bona acquiſita diſpoſuit, Religionis Beneficiis frueretur necne, quoniam hæc diſpoſitio ei vetita eſt generatim ſtatutis Ordinis, & paupertatis voto, quæ diſponendi facultatem eidem adimunt, ſive ſermo ſit de immobilibus bonis inter vivos, ſive de fundis aut mobilibus mortis tempore. Eodem modo ſtatuitur, ſeu pauperi conſanguineo leget Eques, ſeu diviti; neque enim inter divites & pauperes Statuta diſtinguunt; vetant univerſim, ne quem ille fundum diſponat, quicumque ſit, abſque Magni-Magiſtri venia, & Capituli Generalis conſenſu. Poteſt ſolum

lum

ſum hic Eques, quoad vixerit, ex ſuo uſufructu huic pauperi conſanguineo gratificari, eique tribuere, quod levandis ejus incommodis utile judicaverit.

Ex his omnibus ſequitur, conſanguineum, cui Melitenſis Eques bonorum poſt ſuam Profeſſionem acquiſitorum donationem fecerit, ea retinere non poſſe, quia id ipſi tribuit, quod ad Equitem minime pertinebat, ſed poſt ejus mortem ad Religionem pertinet. Itaque conſanguineus, de quo agitur, debet horum bonorum contractus Receptori Melitenſi tradere, aut mandare, ut ſi forte ante Equitem ipſe moriatur, acquiſita hæc bona ad Religionem tranſeant.

Atque eo etiam magis tenetur ita ſe gerere, ſi ei ſit juſta timendi cauſa, ut ſi contractus in Equitis manu remittat, eos ipſe alienet in favorem alterius e ſua familia. Ita igitur is, de quo in Expoſitione ſermo eſt, non erit, ut veretur, inſtrumentum, quo uſui eſſe poſſit ad Melitenſem Ordinem eo, quod ipſi legitime acquiſitum eſt, bono fruſtrandum.

Deciſum in Sorbona hac die 8. Junii an. 1700.

G. Fromageau.

Eques Melitenſis non Profeſſus, Beneficio inſtructus.

CASUS III.

1 Eques Melitenſis, qui ſua vota non edidit, non poteſt ſine Pontificis diſpenſatione Beneficium poſſidere. Si hoc Beneficium ſine diſpenſatione poſſidens ad bellum it, poteſt illud devoluti titulo peti.

2 Tenetur fructus, quos inde percepit, reſtituere.

3 Si Pater hunc Equitem ſuſtentavit ex Beneficio, hanc omnem impenſam debet reſtituere, quia ſuſtentationem hanc ex ſuo bono ſumere debuit.

QUÆSITUM.

Titio filius eſt Melitenſis Eques, qui vota nondum edidit; ei Beneficium obtinet abſque Pontificis diſpenſatione; proviſione accepta in Melitenſibus Triremibus, Gallicisque Navibus operam ſuam præſtitit; quæritur, an in eo ſtatu, in quo eſt, Beneficium hoc poſſidere poſſit; ac ſi ponatur non poſſe, teneaturne fructus reſtituere, quos hactenus inde percepit, cum illud bona fide poſſederit? Præterea quæritur, an ſi fructuum reſtitutio facienda ſit, Titius ejus pater, qui ad ejus ſuſtentationem Beneficii proventibus uſus eſt, nihil de ſuo conferens, ipſe quoque reſtituere debeat, an vero ut ejus animus in tuto ſit, ſufficiat Equitem reſtituere, cum primum potuerit? Demum quæritur, poſſitne ille Beneficium dimittens penſionem ſervare?

RESPONSIO.

Conſcientiæ Conſilium ſubſcriptum cenſet Equitem Melitenſem non Profeſſum, cum tanquam Tiro proviſionem a Pontifice non acceperit, & tanquam qui huius Ordinis habitum ſumpſerit, cumque ad poſſidendum nulla diſpenſatione munitus fuerit, ad bellum pergere non potuiſſe, quin Clericatus privilegiis renunciaret; ejuſque Beneficium Devoluti titulo peti poſſe, quoniam eorum eſt, *qui dederunt nomina militiæ*. Hinc ſequitur hunc Equitem neque in Melitentibus Triremibus, neque in Gallicis Navibus militare potuiſſe, quia in Beneficii ſui reditus jus amitteret; eumdem teneri fructus omnes perceptos reſtituere; bonam fidem in hac facti ſpecie locum non habere; reſtitutionem differendam non eſſe, & Pattem, qui ex Beneficii bonis filium ſuum ſuſtentaverit, reſtituere teneri, quicquid de ſuo expendere debuiſſet, quoniam parentes obligantur ad ſuorum filiorum ſuſtentationem pro ſtatu, cui eos addicunt, & pro ſua ipſorum conditione; Equiti denique non licere ſibi penſionem reſervare, quamdiu militiam profitebitur.

Deciſum Pariſiis hac die 19. Octobris an. 1687.

Auguſtinus *de Lamet.*

Eques Melitenſis contractus iniens fundo pereunte.

CASUS IV.

Non licet Commendatario Melitenſi, fundo pereunte pecuniam tradere.

QUÆSITUM.

Commendatarius Melitenſis Eccleſiaſticæ Communitati proponit ſe ei, fundo pereunte, librarum decem mille ſummam daturum, ea conditione, ut ſibi quotannis pro lucro librarum mille ſummam ſolvat, quemadmodum etiam ut ſibi Benefactoris Eccleſiæ titulum tribuat in Epitaphio, ibi ubi ejus corpus humo tradetur, ponendo, ſibique tunc ipſius Communitatis impenſis fiant funera, quæ eorum, quibus ipſa conſtat, clariſſimis facere conſuevit.

Propoſitionem & conditiones Communitas acceptavit, & contractus a loci Notariis firmatus fuit.

In hujus contractus executionem, miſit Commendatarius, qui ducentarum quinquaginta librarum ſummam pro elapſa lucri parte quarta a Communitate poſtularet, & Communitatem monitam voluit, ſi quis contractum iniquo animo ferret, ſe ſe aſſentiri rem in priſtinum ſtatum reſtitui, elapſorum lucrorum quarta parte ſibi ſoluta, atque una vice librarum decem mille ſumma ſibi reſtituta.

Re in Communitate in conſultationem deducta, multorum ſententia fuit hunc contractum uſuræ labe infectum eſſe, quod lucrum æquo majus eſſet, & Conſtitutionibus oppoſitum, atque ita eum reſcindendum eſſe, & Commendatario libras decem mille, quas tribuit, reſtituendas.

Commendatarius, cum cognoviſſet Communitatem id conſilii cepiſſe duabus de cauſis, primum quia in hac conventione uſuram detegeret, deinde quia crederet fore, ut Melitenſis Ordo poſt Commendatarii mortem ſibi reſtitutam vellet integram ſortem non detracto lucro, quod Commendatarius vitæ ſuæ tempore percepiſſet: ſententiam mutavit, petitque in præſentia contractus executionem, contendens uſurarium illum non eſſe, propterea quod Hoſpitale *Deus* Pariſienſe quotidie recipit fundo pereunte ſummas non mediocres, quarum lucra ſolvit denario octavo, decimo, aut duodecimo.

II. Propterea quod adeſt (inquit ipſe) periculum, quoniam per ejus mortem lucrum ceſſabit.

III. Propterea quod cum ſuæ Commendæ uſufructuarius ſit, poteſt ipſe proventum inde perceptum, tanquam bonum, cujus dominus eſt, diſponere. Ex quo infert ſatis juſtam cauſam non ſubeſſe, quamobrem poſt ipſius mortem Melitenſis Ordo ſortem repetat; petit tamen plurium Doctorum Facultatis Pariſienſis conſultationem, juxta quam ſuum poſtremum conſilium capiet.

Ei repoſitum eſt, I. Pariſienſis Hoſpitalis, cui Dei nomen, exemplum ad rem non facere, quia Adminiſtratores dubio procul Regis venia gaudent, ut pecuniam fundo pereunte recipiant, ejuſque lucrum octavo, decimo, aut duodecimo denario ſtatuant, quoad ii vixerint, qui cum iis ſtipulati ſunt.

II. Aſſertum ei eſt, nihil ipſum periclitari, quia Communitatis bona, eidem oppignorata ſunt fundi ſolidi, tutique ad lucri ei debiti ſolutionem. Ceſſat ſane lucrum per ejus mortem, ſed eo non amplius indiget, atque ea hujuſmodi contractuum eſſentialis conditio eſt; ut proinde hoc ſuppoſitum periculum contractus uſuram purgare nequeat.

Repoſitum eſt III. eam gravem quæſtionem eſſe, an nempe Melitenſis Ordo poſſet necne poſt Commendatoris mortem ſortem repetere, qua in re cognoſcenda eſt conſuetudo; cæterum nonne merito ſtatui poteſt ſummam hanc principem decem mille librarum uſuſtructus qualitate ſpoliari, cum evadat fundus, atque aliquid immobile, cujus lucrum percipitur, atque ita ipſam ejuſdem rationis evadere, atque alia Religionis bona, quorum poſt Commendatorum mortem regreſſionis titulo repetendorum ipſa jus habet?

In

In animo eſſe præterea ei ſatisfieri, Doctorum deciſione ſuper his difficultatibus eidem ſignificata.

Humillime igitur orantur ii, ut ſuam deciſionem ad præſentis Expoſitionis calcem ponant.

Responsio.

Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi, qui quod ſupra expoſitum eſt, viderunt, & ad trutinam revocarunt, exiſtimant contractum, cujus vi Commendator Melitenſis Eccleſiaſticæ Communitatis tribuit libras decem mille, quarum gratia quotannis mille librarum ſumma ei, quoad viveret, ſolveretur ratione denarii decimi, &c. uſurarium non eſſe, ob eam cauſam, quod nihil uſuræ eſt, ubi mutui nihil eſt; quodque in hac facti ſpecie derelicto fundo nec mutuum, nec proinde uſura locum habere poteſt; e converſo contractus hic ad emptionis contractum redigi poteſt juxta plurium Theologorum ſententiam, ut videri poteſt apud Toletum *l. 5. de cenſibus*, & Azorium *part. 3. l. 10. c. 17. n. 7. p. 673.* qui plures tam ex Theologis quam ex Canoniſtis Auctores aſſert ita ſentientes. Contractus igitur, de quo quæritur, ſuapte natura non eſt illicitus; re ipſa videmus eum in uſu eſſe; atque adeo Legibus in Gallia firmari in quarumdam Communitatum favorem; verum quoniam his iiſdem Legibus ejuſmodi contractus prohibentur non modo perſonis ſingulis, ſed omnibus quoque Communitatibus non exemptis, quæ admodum paucæ ſunt, videlicet Hoſpitale *Deus*, Domus Incurabilium, & magnum Officium Pauperum, ut conſtat ex Edicto menſis Auguſti an. 1661. & ex Reſcripto Deſcriptionis factæ in Senatu die 2. Septembris ejuſdem anni, quibus Rex in nullitatis atque alias graviores pœnas eos interdicit; nempe ſi contractus is, de quo quæritur, poſt hoc Edictum initus eſt, ut ſit vero ſimile, nullius roboris eſt, neque conſtare poteſt; atque ita Commendator & Communitas eum exequi nequeunt tuta conſcientia juxta regulam allatam *diſt. 25. q. 2. c. Imperiali* in hæc verba: *Imperiali eſt conſtitutum Sanctione aperte ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint, & lib. 6. Decret. de regulis juris: Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Præter quam quod ſubſcripti probare non poſſunt conſilium Commendatarii, qui cum ſit Religioſus, contractum ſuſtinere vult, qui paupertatis, quam profiteri debet, rationi adverſatur; tenetur ille vi Voti ſuæ Commendæ proventu juxta Eccleſiæ mentem uti. Porro per Eccleſiam ei non licet proventus augere privati ſui lucri gratia; immo vero eum jubet Eccleſia, quod ſupereſt, Eccleſiæ aut pauperum commodo impendere; ut proinde Communitas libras decem mille ei reddere teneatur, quin ſolvat ducentas quinquaginta libras cenſuum, qui non debentur, cum Commendatarii jus eos exigendi nullo ex titulo præſto ſit.

Deciſum in Sorbona die 2. Novembris an. 1676.

Aug. de Lamet.

Eques Sancti Lazari, qui munere fungitur, in quo de capite judicatur.

CASUS V.

1 Equites Sancti Lazari, quamvis matrimonio juncti, ſunt veri nominis Religioſi.

2 Hinc ſequitur iis non licere Præpoſiti munus obire, aut milites ad mortem damnare.

3 Si eorum judicium executioni mandetur, irregulares evadunt, niſi Pontificis diſpenſatione ac privilegio muniti hoc officium exerceant.

QUÆSITUM.

DOminus B. Eques Sancti Lazari rogat Sorbonæ Doctores, ut decidant, poſſitne exercere officium Præpoſiti Generalis Tribunatus Galliarum, quo cogitur morte damnare milites, qui eam merentur, & qui, quod inde conſequitur, interimuntur? Cognoſcent illi ex Certificato Nummulariorum hic additorum, Officiales Datariæ judicare diſpenſatione non opus eſſe, ſed ad majorem ſecuritatem ſcire juverit, I. an titulus Equitis Sancti Lazari ipſum in eorum numero ponat, quibus de capite judicare non licet?

II. An irregularis eſſet Præpoſiti officium exercens abſque Pontificis diſpenſatione?

Certificatum Nummularii Romanæ Curiæ.

„ Ego ſubſcriptus Advocatus Senatus, Conſiliarius a ſecretis Regis, Domus, & Regni Galliæ, & Ærarii regii, & Expeditionarius Aulæ Romanæ, Pariſiis degens, omnibus, quorum intererit, certum facio, cum a Domino Nicolao *Binot* Præpoſito Generali Tribunatus Galliæ id mihi demandatum eſſet, ut a Pontifice diſpenſationem obtinerem, cujus vi in exercitio & functionibus ejuſdem officii Præpoſiti Generalis, tanquam Judex civilis & criminalis perſeveraret, tametſi receptus ſit Eques Profeſſus Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo, & Sancti Lazari: Datariæ Officiales, quos meus Correſpondens ob hanc diſpenſationem ſollicitavit, reſpondiſſe dictum Dominum *Binot*, cum Clericus Tonſuratus non ſit, nec abſolutione, nec diſpenſatione indigere, quod ſit ex Sancti Lazari & Montis Carmeli Militia, cujus Equites inſtituti ſunt ad arma contra Infideles ac Barbaros deferenda, & pauperibus leproſis opem ferendam; eumque hoc titulo, cum ſit Officialis, judicare poſſe ac damnare ad triremes, ad furcam, aliaſque pœnas Milites ſontes, quin ullam pœnam aut cenſuram incurrat. In quorum fidem ego ſubſcripſi & expedii præſens ſignificatum, ut pro ratione inſerviat ac valeat.

Datum Pariſiis hac die 21. Julii an. 1700.

Subſcriptus *Antoine*.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat difficultatem in expoſitione contentam ad duas quæſtiones redigi poſſe; prima eſt, an Eques Sancti Lazari, aut Beatæ Virginis de Monte Carmelo poſſit Officium, quod ei morte damnandi jus tribuit exercere, cum mors hanc damnationem conſequitur? Altera eſt, an is morte damnans in irregularitatem incurrat?

Hoc poſito, reſpondetur,

Ad quæſtionem primam quod attinet, licet in Ordine Montis Carmeli Sancti Lazari Ordini unito nullum ſtatutum adeſſet, quo Equites prohiberentur reos Milites morte damnare, tamen indecorum videri ab hujus Ordinis Equite Officium ſuſcipi, cujus præcipua functio in eo eſt poſita, ut de capite judicetur.

Ut hæc veritas explicetur, animadvertendum eſt non hic agi de belli Conſilio, ubi Equites morte reos Milites damnant, ſed id quæri, utrum Eques Sancti Lazari Milites ad mortem damnare poſſit, cum in bello non exiſtit. In primo caſu fieri poteſt, ut Equiti liceat ad mortem damnare; ex quo enim per inſtitutionem ſuam & per Pontificum Bullas cum fidei hoſtibus pugnare poteſt, neceſſaria conſecutione fit, ut eos puniendi jus habeat, qui crimina perpetrant, quæ exercitus vires inutiles, & præliorum exitus improſperos efficere poſſint.

Ratio hæc in altero caſu locum non habet, ut Equiti liceat Præpoſiti Tribunatus Officium ſuſcipere, quo profugos, alioſque ſceleſtos homines pœnis addicere cogitur. Ratio eſt, quia Equites Sancti Lazari, licet matrimonio juncti, ſunt veri nominis Religioſi. Hæc eſt ſententia Navarri *lib. 3. conſil. 11.* Suarez *tom. 4. tract. de Relig. lib. 1. cap. 4. n. 26.* Pelizzarii *tom. 1. l. 1. cap. 3. n. 28. Igitur*, inquit Suarez, *abſolute aſſerendum eſſe cenſemus hos milites quoad ſtatum eſſe proprie Religioſos.* Ex quo infert hos Religioſos privilegiis gaudere, quæ Clericis conceſſa ſunt; hi enim Equites, ut liquet ex

eorum

eorum Bullis . Summi Pontificis patrocinio fruuntur, tanquam perſonæ ſpeciali ſtatu Dei ſervitio dicatæ ; quod in cauſa eſt, ut Religioſorum nomine in Jure veniant , & in Bullis hoc titulo deſignentur . Eorum ſtatus nec ſæcularis eſt , nec Clericalis , ac proinde ſunt Religioſi : *imprimis* , inquit laudatus Suarez , *certum eſt ex illo principio , quod ſcilicet habeant ſtatum ſimpliciter Religioſum haberi has perſonas Eccleſiaſticas ſimplicer loquendo , & gaudere privilegio Canonis & fori : & patet , quia ſpecialiter ſunt aſſumpti ſub protectione Summi Pontificis tanquam perſonæ ſpecialiter divino cultui dicatæ . Deinde Religioſorum appellatione in jure veniunt ſimpliciter loquendo , tum quia in ſuis Pontificiis Bullis ita ſimpliciter appellantur , tum etiam quia cenſentur habere in Eccleſia proprium & ſpecialem ſtatum Eccleſiaſticum , & non Sæcularem nec Clericalem ; ergo Religioſum.*

Poteſt id Sancti Lazari Equitibus accommodari. Sunt Profeſſi Ordinis approbati , eorum communis Domus in Bullis appellatur Conventus , peculiari regula tenentur , Magnum-Magiſtrum habent titulo Superioris , in cujus manu obedientiæ , caſtitatis conjugalis , & contra fidei hoſtes , cum Pontifici & Regi videbitur, arma ſumendi votum emittunt. Igitur eorum nihil iis deeſt , quæ requiruntur , ut quis ſit vere ac proprie Religioſus.

Porro repugnat Eccleſiæ menti Religioſum ipſum per ſe munere fungi, cujus præcipua functio reis Militibus morte mulctandis continetur. Lædit id manſuetudinem, quam profitetur Eccleſia, quæ *abhorret a ſanguine* , quæque in perſonis peculiari ratione Deo dicatis eamdem averſionem requirit. Igitur potiore jure ſtatuendum eſt haud ſaltem decere ; Præpoſitum , de quo agitur , cum ſit Eques Sancti Lazari , ipſum per ſe officio fungi , quod homines morte damnandi facultatem eidem tribuit , quin Legatum habeat , qui ejus vices obeat.

Ad quæſtionem alteram reſpondetur , de Jure communi quicumque ad mortem damnat , & cujus ſententia ſuum effectum ſortitur , irregularem eſſe *ex defectu lenitatis* . Et ſane Magiſtratus non peccat hanc functionem exercens, quæ cum ejus ſtatu ſtare non poteſt ; verum ut Ordines ſuſcipiat , & Beneficium poſſideat , diſpenſatione opus habet . Itaque ſi Eques Sancti Lazari Tribunatus officium poſſidere poſſet , indubitatum eſt ipſum per ſe illud obire non poſſe , quin in irregularitatem incurreret , ſi quis miles ob ejus ſententias morti addiceretur. Neceſſe eſt igitur, ut qui conſulit , ad hanc pœnam vitandam a Romana Curia privilegium obtineat , quia Præpoſiti officium prorſus opponitur conditioni Religioſi ex Ordine in eum tantum finem inſtituto, ut contra fidei hoſtes pugnetur, non autem ut homines interimantur in iis caſibus , in quibus de bello contra infideles non agitur.

Deciſum hac die 28. Julii an. 1700.
Germanus *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

EUCHARISTIA.

Occurrit paulo fuſius apud omnes Auctores atque adeo in Catechiſmis , quod ad Euchariſtiam tum ut Sacramentum , tum ut Sacrificium pertinet.

Parochus, qui mediis in agris ſe ipſe communicavit abſque ulla neceſſitate.

CASUS I.

Parochus Sanctum Viaticum deferens ad ægrotum , audienſque in itinere eum mortuum eſſe , conſummat ipſe ſacram Hoſtiam, ne ad Eccleſiam redeat . Non incurrit ille cenſuras , irregularitatem , aliaſve pœnas Canonicas ; ſed graviſſime peccavit , peccatique pœnitentiam agere debet.

QUÆSITUM.

Die 26. Martii an. 1698. Titius apud Officialem accuſat Mævium Presbyterum de ſcandaloſis cum ſua conjuge frequentationibus & habitudinibus, deque ſcandalo , quod inde ortum eſt ; contenditque filium , quod ipſa peperit , ex ſe non eſſe. Titius ut formalem partem ſeſe obtulit , ſuamque accuſationem cum veritate cohærere affirmavit.

Mandat Officialis Titii accuſationem ad Promotorem deferri, ut, eo audito, ſtatuatur quod juris.

Eadem die petit Promotor ſe certiorem fieri de factis in dicta querela contentis , de circumſtantiis, & dependentiis , in eumque finem Parochum delegat.

Titius ſatis habet accuſationem exhibuiſſe ; ſed intelligens eam parum firmo fundamento a ſe excogitatam , exhibitamque fuiſſe , ab incepto deſiſtit, nullumque teſtem curat in jus vocandum, qui a ſe allegata confirmet.

Interea querela inter Mævium , ejuſque fratrem Michaelem exoritur ; accuſant illi ſe mutuo apud diſtinctos Judices, qui commune litigium dijudicent.

Promotor , accuſatione hac cognita , id conſilii capit, ut inquirendum ſuo nomine curet de factis contentis in accuſatione Titii , qui tunc quidem ſuas erroneas imaginationes ſedaverat.

Ejus gratia Officialis inſtituit inquiſitionem , in qua auditi bene multi teſtes deponunt non modo quæ in dicta accuſatione continentur, verum etiam multa alia extranea facta , in quorum numero occurrit unum , ſuper quo Mævii Advocatus , antequam deſenſiones concinnet , ac rationes , quibus ejus innocentiam probare contendit, Doctorum ſententiam poſtulat.

Factum porro eſt ejuſmodi , prout ex inquiſitionibus, interrogatoriis , & collationibus innoteſcit.

Mævius erat Parochus C.... Habebat in Parochia infirmum , cujus confeſſionem audierat, quemque ad ſuſcipienda Sacramenta cohortatus erat ; ſed fruſtra , ægroto dictitante ſe in periculo non verſari ; eadem die vel poſtridie contigit negotium , quo Mævius rus petere coactus fuit ; ad iter accelerandum iit dormitum apud Dominum G..... cui res erat eo ipſo in loco , ad quem Mævius ſe conferre debebat ; cætera conſtant ex teſtium depoſitionibus , & Mævii interrogatoriis , quorum hæc forma eſt.

Joſeph Parochus G.... deponit ſibi in mentem venire quatuor circiter ab hinc annis cum Mævius tunc Parochus C. eſſet in Caſtello G. nominatum Antonium veniſſe ſummo mane ante ſolis ortum rogatum Deponentem, ut ad ſuum patrem jamjam morientem, extremoque morbo laborantem Sacramenta deferret , eumque nulla interjecta mora ad id ſe comparaſſe; ſed cum ſciret Mævium dormire in Caſtello G. miſiſſe dictum Antonium , qui eum moneret ; paulo poſt Mævium veniſſe ad Eccleſiam G. ut Sanctam Hoſtiam , & Sancta Olea ſumeret ; eumdem deponentem ſumpſiſſe burſam , in qua Sanctam Hoſtiam intra Corporale depoſuit ; cumque dicto Mævio offerret albam , & ſtolam, ut ita indutus ſanctam Hoſtiam decentius deferret , obſtupuit Mævio albam ſtolamque ſumere detrectante ; ſe tamen deponentem noluiſſe permittere , ut ſanctam Hoſtiam aſportaret , quin dictis ornamentis indutus eſſet, & quin ejus comiti cereum , & tintinnabulum tribueret ; verum Mævium ex Eccleſia vix egreſſum depoſuiſſe albam & ſtolam, eademque ornamenta brachio geſtaſſe cum burſa , in qua ſancta Hoſtia concluſa erat ; cum ipſe deponens id ægre ferret, Mævium dixiſſe ſe ad Caſtellum pergere equi ſui ſumendi gratia , ac deinde ſe decentius profecturum . Longo poſt tempore hominem , qui ex dicti Antonii ſervis erat , retuliſſe ſtolam , albam, ſancta Olea , & burſam ; ſe deponentem

cum

cum eadem die audiviſſet infirmum efflaſſe animam, ante quam Mævius ad eum veniſſet, ac proinde ſancta Communione refectum non fuiſſe, magnopere obſtupuiſſe, quod Sanctam Hoſtiam in Corporali non invenerit, quodque Mævius ad Eccleſiam G. eamdem non retulerit. Perrexit ille ſtatim ad Caſtellum, ut Mævium quæreret; ibique audiviſſe, eum, ſtatim ac pervenit, diſceſſiſſe, ut ſe conferret N. cumque uno aut altero poſt die rediiſſet, ſe deponentem, qui ſemper anxie reputabat, quem tandem exitum habuiſſet ſancta Hoſtia, ad eum ſe contuliſſe, ut ex ipſo de re tota certior fieret; cumque id ex eo etiam atque etiam quæſiviſſet, eum ſibi reſpondiſſe ſe eam conſummaſſe; cui cum ipſe deponens cum indignatione dixiſſet, tanto pejus, ab eo ſe ſubduxit; addens, ſi rurſus ille ſacramenta petens ad ſuam Parochiam accederet, ſe fortaſſe nihil ei conceſſurum; cum porro id in regione vulgatum eſſet, magnum inde ſcandalum extitiſſe, præſertim bene multis Calviniſtis male converſis circa regionem degentibus; nec defuiſſe, qui dicerent, Mævium, cum in cathedra eſſet, & pergeret N. paſſum eſſe labi ſanctam Hoſtiam, dum nares emungeret, eamque deinde collegiſſe, & conſummaſſe; quod ipſe deponens ſibi perſuadere non vult, quamvis certo ſcire non potuerit, quinam fuerit exitus ſanctæ Hoſtiæ, de qua dictum eſt.

Petrus Decanus Eccleſiæ deponit ſe meminiſſe, cum auditione accepiſſet Mævium, dum eſſet Parochus C. monitum fuiſſe, ut ad ſuum Parochianum Sacramenta deferret, eumdem in Eccleſia G. ſumpſiſſe ſanctum Viaticum, & cum infirmum jam defunctum comperiſſet, Hoſtiam ad Eccleſiam non retuliſſe; rumorem percrebuiſſe, eum poſuiſſe Hoſtiam in ſacculo, cumque eſſet in Diverſorio, ea inde educta, dixiſſe: jejunus ſum, adeoque ſanctam Hoſtiam ſumpſiſſe; ſe deponentem, cum aliquando Mævium allocutus eſſet, intellexiſſe, eum, cum ſanctum Viaticum ſecum ſumpſiſſet in C. quantum quidem deponens meminiſſe poteſt (quoniam, ut ajebat, inibi erat, ut ob grave negotium iter faceret) illud ad ſuum infirmum cum conſuetis cæremoniis detuliſſe, ſed cum mortuum inveniſſet, cum ipſe jejunus eſſet, & iter ſuum proſequi deberet, ſanctam Hoſtiam ad Eccleſiam quidem non retuliſſe, ſed conſumpſiſſe.

Jacobus Antonius (*a*) deponit ſe recordari, Patrem ſuum abſque Sacramentis occubuiſſe; dictum Mævium abſentem, & in Caſtello G. exiſtentem de re monitum ſumpſiſſe Chriſti corpus in G. deferendum ad dictum ſuum Patrem, qui mortuus eſt ante Mævii adventum; ſe porro occurriſſe ei adventanti, ne ulterius progrederetur, eumque obvium habuiſſe equo inſidentem ſine alba & ſine ſtola, & ipſum quidem in domum ingreſſum non eſſe.

Petrus Antonius deponit (*b*) quatuor circiter ab hinc annis, & paulo amplius, Patre ſuo in extremis agente, ſe iviſſe quæſitum in Parochia C. Mævium tunc Parochum, ut ad patrem ſuum Sacramenta deferret; ſed cum eum non inveniſſet, adiſſe Parochum G. a quo cum audiviſſet Mævium accumbere in Caſtello G. Deponentem eo ſe contuliſſe rogaturum, ut ad Patris confeſſionem audiendam, eique Dominicum Corpus adminiſtrandum veniret; re ipſa Mævium veniſſe ad Eccleſiam G. ubi Parochus ei tribuit albam & ſtolam, quas induit, ac deinde Parochum G. ſanctam Hoſtiam poſuiſſe in Corporali, quod burſa concluſit, & dictum Corporale dediſſe Mævio, qui ex Eccleſia vix egreſſus, alba, ſtola, & burſa depoſitis & brachio appenſis, profectus eſt ad Caſtellum G. ut ſuum equum quæreret, cui inſedit ſine ſtola, & ſine alba; ſed ille in itinere monitus, Deponentis patrem mortuum eſſe, domum non eſt ingreſſus, reverſuſque ſtatim & per G. quin Deponens ſciret, quo Mævius ſanctam Hoſtiam retulerit.

His ita depoſitis, Mævius interrogatus eſt,

An cum Petrus Antonius ex Parochia C. in morbum incidiſſet, monitus non fuerit mane ipſe Mævius, qui erat in Caſtello G. ut ad dictum Antonium ſanctum Viaticum, & extremam Unctionem deferret, atque an non ierit ad ſumendum ſanctum Viaticum in Eccleſia G.

Dixit eo ſe profectum eſſe ad ſanctam Hoſtiam ſumendam, an vero ſancta Olea ſumpſerit, non meminiſſe.

An Parochus G. ei non obtulerit ſanctam Hoſtiam, quam poſuerat in Corporali, & burſa concluſerat, atque an ei non præbuerit albam & ſtolam, quibus ſe induit juxta ritum Eccleſiæ? Dixit: ita ſane.

An ex Eccleſia egreſſus non depoſuerit albam & ſtolam, & brachio non appenderit cum burſa, in qua erat ſancta Hoſtia? Dixit: minime vero gentium.

An in itinere unus ex dicti Antonii ſervis eum non monuerit, ipſius patrem jam mori, ita ut ille domum non ſubierit, ſtatimque reverſus fuerit?

Dixit ſibi quidem in mentem redire hominem confeſtim occubuiſſe; ſed cum de re monitus eſſet in via, ſe domum ſubiiſſe ſibi non videri.

An non redierit ad G. poſtquam de dicti Antonii morte commonefactus fuit? Dixit: ita.

An ſanctam Hoſtiam retulerit ad Eccleſiam G. ubi eam ſumpſerat?

Dixit, nequaquam; ſed cum ſanctam Hoſtiam fractam eſſe comperiſſet, ſe in itinere eam conſumpſiſſe, jejunus cum eſſet, poſtquam mentem ad Deum extuliſſet, & quin ſe crederet quicquam mali facere.

An ſaltem non retulerit ad Eccleſiam burſam, ſancta Olea, ſtolam, & albam?

Dixit ſe non credere ſancta Olea ſe habuiſſe, nec albam, ſtolam, aut burſam ad Eccleſiam retuliſſe.

Ubinam albam, & ſtolam, quibus ſe indutum contendit, exuerit, & per quem eas ad Eccleſiam remiſerit, atque id quidem haud longo tempore poſt ſuum ex dicta Eccleſia egreſſum?

Dixit ſe albam & ſtolam exuiſſe ibi, ubi ſanctam Hoſtiam conſummavit, ſeque eadem die in Villam N. profectum eſſe, ſervum autem, cui dicta ornamenta referenda mandavit, ea fortaſſe non retuliſſe ita diligenter, atque ipſe mandaverat.

An equo deſcenderit, cum dicta ornamenta depoſuit, atque an dictus ſervus, cui mandata dedit, tunc adfuerit?

Dixit ſe equo diſcendiſſe, ut ſanctam Hoſtiam ſumeret, & credere ſe deinde dediſſe ornamenta ſervo, qui quidem aderat.

Quomodo cognoſcere potuerat ſanctam Hoſtiam in dicta burſa fractam eſſe, quoniam dictam infirmi domum non ingreſſus nec cauſam, nec neceſſitatem habuerat videndi, quomodo ſe haberet Hoſtia; atque adeo ne videre quidem potuiſſe, quomodo ea ſe haberet, quippe quæ clauſa eſſet in Corporali, quin educeretur e burſa, ut aperiretur, quod fieri non licet, quin ſupra tabulam, aut aliquid ejuſmodi aliud extendatur?

Dixit, Corporale eſſe exiguum Corporale, quod ſancto Sacramento deferendo tantum inſervit, quodque facile aperiri poteſt; eoque re ipſa recluſo, cum ſanctam Hoſtiam fractam inveniſſet, eam, ne fragmenta perderet, ſe conſumpſiſſe.

Cum ei declaratum eſſet, periculoſius eſſe ſanctæ Hoſtiæ particulas ſpargi, Corporali aperto aeri, vento, & mediis in agris, quam ejus fragmenta relinquere in Corporali, quod in burſa bene concluſum eſt?

Dixit ſe id inconſiderate feciſſe cum male agere non crederet; idque adeo verum eſſe, ut poſt dies aliquot id dixerit Parocho G. qui ex eo quæſierat, quinam Hoſtiæ exitus fuiſſet.

Cur e burſa Corporale eduxerit, ut videret, an ſancta Hoſtia fracta eſſet, nulla, cur ita faceret, exiſtente cauſa, aut neceſſitate, exiſtente quoque periculo, ne dum id fieret, ſancta Hoſtia, vel aliquæ ejus particulæ a vento aſportarentur?

Dixit, ſanctam Hoſtiam fortaſſe ob longum tempus, quo geſtabatur, fractam fuiſſe, eamque a ſe conſummatam eſſe, ne diutius Eccleſiaſticum habitum

(*a*) Refutatur ex eo, quod actu lis indeciſa pendet in Aula inter Mævium & teſtem.

(*b*) Cognitus imbecillis a Judice in collectione, cujus Actum edidit.

bitum retineret, quippe qui ſolus eſſet cum ſervo.

Quænam ejus poſitura fuerit, cum ſanctam Hoſtiam conſumpſit, & qui fieri potuerit, ut omnes ejus, quæ fracta erat, ut ſupponitur, particulas colligeret ita, ut, ea vento expoſita, nulla omnino perierit?

Dixit, ſe genua flexiſſe, elevaſſe ad Deum mentem, denique caviſſe, ne qua particula amitteretur.

Cum ei demonſtratum eſſet, quomodo omnia Religionis ſenſa adeo in ſe ipſo extinguere potuerit, ut abſque præparatione, & abſque gratiarum actione perageret, quod in Religione ſanctiſſimum eſt, ſanctam videlicet Communionem; & quam tandem excuſationem afferre poſſit, quod hujuſmodi profanationem patrare maluerit, quam ad Eccleſiam G. ſanctæ Hoſtiæ referendæ cauſa, redire, cum ad Caſtellum G. quod Eccleſiæ proximum eſt, mane redierit?

Dixit, ſe ita feciſſe, ut ſe, quemadmodum dixit, reverentia liberaret, quia ſolus erat cum ſervo, & quidem ratus id malum omnino non eſſe, ut dixit Parocho G.

An ſanctam Hoſtiam non miſerit in ſacculo, & cum eſſet in cathedra, eadem die proficiſcens ad N. Hoſtia in terram ceciderit, eumque collectam non conſummaverit?

Dixit nihil a vero magis alienum eſſe, quam quod in præſenti articulo continetur, ſeque malle millies mori, quam id commiſiſſe.

An non ſparſus rumor fuerit, eum, cum eadem die in Diverſorio eſſet, & Sanctam Hoſtiam in ſacculo repeririſſet, eam prehendiſſe, & conſumpſiſſe coram omnibus, ajentem ſe jejunum eſſe?

Dixit id non magis verum eſſe, quam articulum præcedentem, ac ſi id in Diverſorio coram omnibus contigiſſet, futuros profecto, qui teſtarentur.

An dictæ profanationis rumores, qui vulgo diſſeminati ſunt, magnum ſcandalum non produxerint?

Dixit, id ſe ex nemine unquam audiviſſe niſi ex Decano . . . . . ante quinque aut ſex menſes, quamvis ante quinque aut ſex annos contigerit.

In hoc rerum ſtatu Judex collegit teſtes ad eorum depoſitiones. Joſeph Parochus G. perſiſtit in ſua depoſitione, & explicans ſuæ depoſitionis locum illum, in quo dixit hominem, qui erat cum uno ex ſervis dicti Antonii, retuliſſe ſtolam, albam, ſancta Olea, & burſam, de quibus in ſua depoſitione verba fecerat, ait, ſe poſt dictam depoſitionem, re attentius conſiderata, non eſſe certum, nec credere dictum Antonium retuliſſe ſtolam, albam, ſancta Olea, & burſam, de quibus locutus eſt; nec magis ſcire, quis res eaſdem retulerit; perſtat in cæteris.

Petrus . . . . . perſiſtit in ſua depoſitione.

Jacobus Antonius pariter in ſua depoſitione perſtitit, & præterea dixit, locum, ubi Mævium de patris ſui morte commoneſecit, eſſe proximum domui, in qua ipſe teſiis degit, ſcilicet in via G. ſeque e patris ſui domo exiiſſe, quo momento ille expiraverat, ut Mævio occurreret, eumque moneret, ne ulterius procederet, quia ſciebat Petrum Antonium fratrem ſuum profectum eſſe ad G. ejus monendi gratia, ut ad Patrem ſuum Chriſti corpus deferret, & ſtatim atque ei ipſe dixit de ſui patris morte, eum e veſtigio reverſum eſſe verſus G. ſe porro meminiſſe, neminem cum Mævio fuiſſe, tum cum obvius occurrit, tum cum rediit.

Petrus Antonius inventus eſt imbecillis in collectione, cumque non haberet, quid diceret, in id Judex Actum edidit.

Deinde teſtibus cum accuſato collatis, Joſeph in ſua depoſitione conſtans fuit; Mævius ei nihil exprobravit.

Petrus perſtitit; Mævius adverſus eum nihil allegavit.

Jacobus Antonius perſtitit; Mævius ad confutationem allegavit litem, quæ inter eos perſtat adhuc indeciſa in Senatu, & contra Petrum Antonium pronunciavit eum eſſe hominem improbum, imbecillem, ac vecordem. In eam rem Judex Actum edidit; atque ita quicquid dixit Petrus Antonius, rejiciendum eſt, æque ac quod depoſuit Jacobus ejus frater, allatis de cauſis.

Notandum, in univerſa inquiſitione ab Officiali ac Promotore nullum Sacræ Scripturæ, aut Ritualis textum citatum fuiſſe ad oſtendendum, quid Mævius in ejuſmodi Caſu facere debuerit.

Doctores rogantur humillime, ut ſcripto ſententiam dicant in propoſita facti ſpecie, pronuncientque, in ea ne exiſtat aliquid indecentiæ, irreverentiæ, profanationis, impietatis, vel alterius cujuſcumque criminis; an aliqui Caſuiſtæ locuti necne fuerint de caſu ejuſmodi, vel ſimili; ſive in caſibus neceſſitatis apparentis, ſive etiam citra neceſſitatem.

RESPONSIO.

Doctores ſubſcripti, qui præſens monumentum, & declarationes in eo contentas viderunt, exiſtimant actionem Mævii tum in ſe ipſa, tum quoad circumſtantias ſpectari poſſe. Actio in ſe ipſa non eſt damnanda, & inter Auctorum pleroſque convenit licere Presbytero ſemetipſum communicare extra actionem ſacrificii, non ſolum in caſu neceſſitatis, ſed etiam ex devotione. Eorum principia ſunt I. ſibi ipſi ſanctam Communionem tribuere non eſſe hujus Sacramenti naturæ & inſtitutioni contrarium, nec Jure Divino vetitum eſſe; quoniam prioribus Eccleſiæ Sæculis non ſolum Presbyteri, verum etiam Laici ſe ipſi ſuis propriis manibus communicabant, & propterea in proprias domos Euchariſtiam deferebant, ubi aliquando ad longum tempus eam cuſtodiebant.

II. In poſteriorum temporum diſciplina nullam Legem, nullumque Canonem eſſe, quibus id prohibeatur.

III. Quamvis fere Presbyteri haud ſe ipſos communicent abſque neceſſitate extra actionem ſacrificii, non tamen hac in re exiſtere conſuetudinem ſatis firmam, ut Legis vim habeat; id potius eſſe non uſum, inquit Suarez, quam conſuetudinem poſitivam, quæ obligationem inducere valeat.

IV. Cum Sacramentum in modum cibi potuſque inſtitutum fuerit, nec a dignitate, nec a reverentia alienum eſſe, nec Sacramenti effectui obeſſe, ſi quis illud ſibi ipſi adminiſtraverit.

His quidem rationibus confirmat Suarez ſententiam ſuam *in tertiam partem Sancti Thomæ, diſputatione 72. ſectione 3.* ubi poſtquam hanc ſibi difficultatem propoſuit, *an liceat alicui communicare ſe ipſum, & eſt quæſtio de communione, quæ fit extra ſacrificium*, ita pronunciat: *Nullum in Jure invenitur præceptum, ratione cujus neceſſarium ſit dantem & ſumentem hoc Sacramentum eſſe perſonas diſtinctas. Hoc enim jus nec ſcriptum eſt, quod ego legerim, nec etiam poteſt ex ſola conſuetudine colligi: nam olim Fideles communicabant ſe ipſos, vel in Eccleſia accipientes propriis manibus . . . . vel ad proprias domos deferendo, ibique ſe communicando. Unde neque ex vi ſolius inſtitutionis poteſt colligi hæc prohibitio, quia talis conſuetudo non erat inſtitutioni contraria, & ratio eſt clara, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum cibi, & uſus ejus per modum manducationis, hæc autem actio accommodate fit ab ipſomet ſumente; ergo ex vi talis inſtitutionis nil repugnat, quod aliquis ſibi ſumat hunc cibum, neque in hoc concluditur indecentia aliqua, aut injuria Sacramenti, nec repugnat effectui ejus, quia poteſt ſumi ſine obice, & cum debita diſpoſitione, & tunc Sacramentum eſt, quod per ſe cauſat effectum, miniſter vero ſolum ſe habet ut applicans, nihil autem repugnat, ut idem ſibi applicet cauſam, a qua foveatur, ſeu nutriatur . . . Nec ſatis eſt dicere conſuetudinem induxiſſe hanc neceſſitatem, quia hæc conſuetudo magis eſt negativa, quam poſitiva . . . . Nulla ergo eſt conſuetudo, ex qua talis prohibitio ſatis colligi poſſit; quia vero res non eſt uſitata, non debet facile fieri, niſi ubi unus tantum eſſet Sacerdos, qui non poſſet ſacrificare; poſſet tamen ex præconſecratis ſe ipſum devotionis cauſa communicare: ſecluſo enim ſcandalo, ut exiſtimo, non peccaret.*

Sylvius idem docet *in tertiam part. S. Thomæ q. 82. art. 4. Non repugnat autem, ſed maxime conforme eſt naturæ, ut quis cibum & potum ſibi præbeat; & ideo Chriſtus inſtituit, ut nemo ſe baptizet, ſe ipſum tamen Sacerdos communicet, & quamvis uſitatum ſit, ut Sacerdoti non celebranti Euchariſtia detur ab alio, ſi tamen communicare vult, juſtum habens impedimentum celebrandi, poterit ſe ipſum, alio abſente, communicare, ſecluſo ſcandalo.*

Dia-

Diana *prima parte reſolutionum moralium*, *tract.* 14. *de celebratione Miſſarum*, *reſolutione* 53. poſtquam ſententiam attulit nonnullorum Auctorum contendentium neminem poſſe ſeipſum communicare niſi in caſu neceſſitatis, & inter alios Cajetani *in Summa*, verbo *Communio*, concludit: *Ego contrariam ſententiam probabiliorem eſſe judico, nempe poſſe Sacerdotem non ſolum in caſu neceſſitatis, ſed etiam devotionis cauſa ſe ipſum communicare extra Miſſam ex præconſecratis, ubi tamen non eſſet niſi ipſe tantum Sacerdos, quia in hoc Sacramento non requiritur, ut in aliis, ut miniſter ſit perſona diſtincta a ſuſcipiente, & ſic in die Paraſceves communicat ſe ipſum non conſecrando*; citatque ibidem in eamdem ſententiam varios Auctores. Illi ipſi, qui contra ſentiunt, hac in re nihil ab Eccleſia ſancitum eſſe teſtantur, tantumque ſpectantes ejus actionem, qui ſe ipſum abſque neceſſitate communicat, tanquam a noſtrorum temporum conſuetudine alienam, non eam damnant tanquam crimen canonice puniendum.

Hinc concluditur, actionem in ſe ipſa ſpectatam, & a circumſtantiis ſejunctam, licet extraordinariam, omnino tamen malam non eſſe, nec damnari poſſe. At ſi ejus circumſtantiæ ſpectentur, non parum occurrit irregularitatis in Mævii conſilio.

I. Quia a propria Parochia tunc receſſit, cum periculoſo morbo preſſus jaceret homo, quem ipſe ad ſuſcipienda Sacramenta cohortatus fuerat, quique hoc præſidio deſtitutus occubuit.

II. Reſponſio, qua albam & ſtolam ad Sanctum Sacramentum geſtandum detrectavit, ſatis indicat ignorantiam, vel longe maximam in ſervandis Eccleſiæ regulis negligentiam.

III. Quod dicitur, Sacerdoti licere extra Sacrificii actionem ſe ipſum propriis manibus communicare, accipiendum eſt de caſu neceſſitatis, aut de devotione, nec faciendum eſt, niſi cum ſcandalum aliquod timendum eſt. Porro I. liquido conſtat neceſſitatem nullam extitiſſe; quamvis enim Hoſtia fracta eſſet, illam tamen Mævius eo deferre poterat ac debebat, ubi ſumpſerat. II. hac in re nedum ulla devotio, immo vituperandus aliquis pietatis defectus, Mævii negotiis mixtus occurrit; quoniam, ut ipſe fatetur, ita ſe geſſit, ne Eccleſiæ habitum diutius geſtaret, atque ut ſe a reverentia Sancto Sacramento debita liberaret. Illud etiam addi poteſt id eum feciſſe, ne ad Eccleſiam redire cogeretur, & ut quamprimum pergeret ad Caſtellum, unde ei mane diſcedendum erat ob negotium, cujus gratia Parochiam ſuam deſeruerat.

Ad extremum, ut ei inter interrogandum declaratum eſt, ſane dedecet in mediis agris abſque præparatione, & abſque gratiarum actione peractam eſſe rem, quæ omnium ſanctiſſima, & maxime religioſa eſſe debet.

Ex quibus fit conſequens actionem Mævii cum levitate, indecentia, atque irreverentia conjunctam fuiſſe; quoniam tamen nihil ea de re ſtatuit Eccleſia, eum non incurriſſe cenſuras, irregularitatem, aliaſve pœnas canonicas; ipſum ſpectare debere erratum ſuum tanquam graviſſimum, ejuſque pœnitentiam agere; debere denique ſcandalum, cui occaſionem præbuit, reparare, ſive aliquot menſibus in Seminario peractis, ſive alia ratione, quam quidem ejus Superiores eidem præſcribere voluerint.

Deciſum in Sorbona die 19. Aug. an. 1698.
G. *Fromageau*.

Euchariſtiæ ſuſceptio ſemel in vita, vel quotannis.

CASUS II.

1 *Non ſatisfit præcepto Eccleſiæ, ad Euchariſtiæ ſuſceptionem quod attinet, per Communionem ſacrilegam.*

2 *Hæreticum eſt dicere, non baptizatos teneri Euchariſtiam ſumere ſaltem ſemel in vita.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſuper duabus propoſitionibus inſequentibus, proferant ſententiam ſuam.

I. Exiſtit præceptum divinum, quo ii omnes, qui rationis uſum habent, quamvis baptizati non fuerint, ad Euchariſtiam ſaltem ſemel in vita ſuſcipiendam obligantur.

II. Adeſt præceptum Eccleſiaſticum obligans omnes adultos baptizatos ad ſumendam Euchariſtiam ſaltem ſemel in anno in Paſchate; & utrique præcepto tam Divino, quam Eccleſiaſtico ſatisfit per ſacrilegam Communionem.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, cujus rogata ſententia eſt ſuper duabus propoſitionibus in expoſitione notatis, exiſtimat, cum proponitur adeſſe divinum præceptum, quo omnes, qui rationis uſum habent, etiamſi baptizati non ſint, tenentur Euchariſtiam ſumere ſemel in vita, propoſitionem hanc, quoad ejus naturalem notionem, quæ ſignificat baptizatos æque ac non baptizatos ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere debere, hæreticam eſſe; quoniam nos docet Fides ſolos Chriſtianos hujus auguſti Sacramenti participes eſſe poſſe; adeoque ne patefiebat quidem Cathecumenis arcanum, ac Myſterium Euchariſtiæ, antequam per Baptiſmum evaſiſſent Eccleſiæ membra, ut ex plurimis Sanctorum Patrum teſtimoniis oſtendi poteſt. Cum porro hac de re nullum adſit præceptum, fruſtra deciditur, an ei ſatisfiat per ſacrilegam Communionem, id quod ad ſecundam oppoſitionem pertinet.

Jam vero qui dicit per ſacrilegam Communionem Eccleſiæ præcepto ſatisfieri, ex diametro opponitur Canoni, *Omnis utriuſque ſexus*. *De pœnitent. & remiſſ.* ubi Chriſtianis præcipitur, ut Euchariſtiam cum reverentia ſuſcipiant, *reverenter*. Et ſane quo præcepto Fideles obligantur ad Communionem, eodem quoque obligantur ad ſe ipſos probandos, antequam Dominici Corporis participes efficiantur. *Probet autem*, inquit S. Paulus, *ſe ipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*.

Deciſum Pariſiis hac die 4. Martii an. 1678.
A. *de Lamet*, *Thibaut*, *Alexander*, *Robineau*, *Pirot*, *Becherel*, *Fromageau*.

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicationis vocabulo generatim innuitur ſeparatio communicationis aut commercii cum perſona, cum qua antea aderat. Hoc in ſenſu quicumque ab alicujus corporis ſocietate removetur, & quicum ejus corporis membra non amplius communicant, excommunicatus dici poteſt; ſed ſtricte ſumitur id nominis ad id, quod ſpectat ad Religionem, tam apud Ethnicos, quam apud Judæos & Chriſtianos ſignificandum. Habebant enim & Ethnici non minus quam cæteri ſuas excommunicationes, quæ cum cæremoniis in ejuſmodi facti ſpecie uſitatis a Sacerdotibus infligebantur. Prohibebantur excommunicati ſacrificiis intereſſe, Templa ſubire; ac deinde Dæmonibus, furiiſque infernalibus cum imprecationibus devovebantur; quod ſignificabant eæ formulæ, *Sacris interdicere*, *Diris devovere*, *Execrari*; & quia pœna hæc terribilis erat, non niſi deſperatis rebus adhibebatur, cum nempe reus correctionis incapax evaſiſſet. Hæc cæremonia a Græcis tranſiit ad Romanos; eratque apud eos vetuſtiſſima, quamvis raro admodum uſurparetur, ut Plutarchus teſtatur. Pœna omnium gra-

graviſſima, qua Druidæ apud Gallos veteres uterentur, erat excommunicatio, ut liquet ex Cæſare Commentariorum libro 6. Cum excommunicatus reſipiſcens ſuum crimen deteſtabatur, ejuſque veniam a Diis petebat, confugiebat ad Sacerdotes, ut redintegraretur, & tunc Sacerdos, probatione facta, eum ſtatui, in quo prius erat, reſtituebat. Cum excommunicatus e vivis excedebat non redintegratus, Sacerdotes non omittebant offerre Diis Manibus ſacrificium, eos obteſtantes, ne ipſius animam male exciperent. Occurrunt hujus rei exempla in Græcorum & Romanorum veteribus monumentis.

Apud Hebræos adimebatur communio impuritatis & aliorum criminum cauſa; utriuſque generis excommunicatio decernebatur a Sacerdotibus, qui hominem impurum, aut reum declarabant; aderat & legalis excommunicatio, quæ ceſſante impuritate, & id declarante Sacerdote ceſſabat. Quæ propter crimen infligebatur, tum ſolum tollebatur, cum reus ſuam culpam confitens, pœnis ſibi a Sacerdotibus, & a Synedrio impoſitis ſeſe ſubdebat. In utriuſque abrogatione Sacerdotes pro peccato ſacrificia offerebant. Diſtinguunt Hebræi excommunicationum genera tria, quæ innuuntur in Novo Teſtamento; præmittebantur iis cenſuræ, ſeu monitiones privatæ; ſi reus eas contemnebat, initio ſtatim a Synagoga, atque adeo a commercio cum Judæis cæteris triginta dierum ſpatio ſejungebatur. Prima hæc excommunicatio nuncupabatur *Niddui*, videlicet ſeparatio, & producebatur, quoad reus reſipuiſſet; nullus hominum, ne ipſa quidem uxor ad excommunicatum accedere poterat. Excommunicationis genus alterum appellabatur *Kerem*, ſcilicet *Anathema*; eratque ſolemnius, fiebatque coram univerſa multitudine non ſine magnis imprecationibus. Tertii demum generis excommunicatio dicebatur *Schammata*; & hæc quidem indicebatur ad tubarum ſonum, omnique ad Synagogam redeundi ſpe excommunicatum privabat; id fortaſſe eſt *Maran-Atha* Divi Pauli. Probatiſſimi tamen viri diſtinguunt excommunicationis duo tantum genera, *Niddui* ſcilicet, & *Kerem*.

Utebantur Hebræi excommunicatione ob ea tantum peccata, quæ ad Religionem ſpectabant; ea deinde uſi ſunt ob civilia negotia, & ea quidem adhuc apud eos in uſu eſt. Fere lapidabatur reus, ante quam e Synagoga ejiceretur. Ejus ſepulcro, qui excommunicatione innodatus deceſſerat, imponebatur lapis, ad oſtendendum eum merito lapidibus obrutum fuiſſe. Aliquando Sacerdotes, ac deinde Synedrium excommunicationis ſententiam ferebant. Quicumque excommunicatione dignus fuerat, maledictionibus impetebatur, ut liquet ex Deuteronomii cap. 27. ubi hæc loquendi formula, *ſit maledictus*, toties repetitur. Quamobrem maledicere & *excommunicare* duo verba ſunt, unam rem eamdemque communicantia. Hinc D. Paulus (a) pronunciat neminem in ſpiritu Dei loquentem anathema dicere Jeſu Chriſto; nempe Jeſu Chriſto non maledicere, ut faciebant Judæi, qui eum Meſſiam fuiſſe negabant, & Chriſtianos excommunicabant. Abſolutio tribuitur ratione admodum ſimplici apud Judæos; declaratur nempe tantummodo peccatorem ab excommunicatione ſolutum eſſe, & Synagogæ rurſus ineundæ jure gaudere.

Chriſtiani, quorum ſocietas, juxta Chriſti Domini inſtitutionem, debet eſſe puriſſima & in fide, & in moribus, in id maxime ſemper incubuere, ut Hæreticos, ac flagitioſos homines a ſua ipſorum communione removerent; id quod apud eos dicitur excommunicatio, quæ privabat non civili cum aliis Chriſtianis commercio, ſed Eccleſiaſtica Communione, participatione Sacramentorum, adſiſtentia orationibus, ac denique omnibus Religionis officiis, functionibuſque; at Sancti priorum ſæculorum Epiſcopi non niſi raro atque admodum ægre ad extremum hoc remedium deveniebant. Cum quiſpiam accuſabatur, ejus vitæ rationem ſerio expendebant; ſi accuſationem cum vero cohærere videbant, eum initio ſtatim privatim corrigebant; ſi ea correctio ſatis non fuerat, ut ille ad reſipiſcentiam permoveretur, Epiſcopus coram uno vel duobus teſtibus monebat accuſatum dexteritate atque humanitate uſus; ſi ille obduruiſſet, eum Epiſcopus publice reprehendebat coram Fidelium congregatione; nullum omittebat remedii genus, ut eum ſanaret, conſolatione utebatur, ut malum leniret, exprobrationum ac minarum aſperitate, ut vulnus tergeret, ac tumorem arceret, jejuniis, ut corruptionem impediret; denique ſi contagium ubique graſſari, nullamque ſalutis ſpem ſupereſſe animadverterat, Epiſcopos ac Sacerdotes, qui maxime experientia valerent, in conſilium adhibebat; & cum ſerio deliberaſſet, & diu expectaſſet, corruptum membrum ab Eccleſia ſegregabat, ne cæteros Fideles inficeret; quod tamen non niſi cum lacrymis ac dolore præſtabat.

Tum vero cum excommunicato tanquam cum Infideli agebatur, nihilque cum eo commercii Chriſtianis erat, præſertim quoad orationem. Bona univerſi Eccleſiæ corporis communia, quibus excommunicatio privat, rediguntur ad ſeptem; ac I. quidem excommunicatus nullam partem habet in publicis precibus, quas pro Fidelibus univerſis edit Eccleſia, quamvis pro eo peculiariter orare liceat ad ejus converſionem a Deo petendam, II. non poteſt Sacramenta percipere, nec ſi ſit Presbyter, adminiſtrare. III. non amplius divinis Officiis intereſſe poteſt; ita ut ſi ſit denunciatus, & Eccleſiam audiendæ Miſſæ cauſa ingrediatur, Sacerdos celebrans ei præcipere debeat, ut egrediatur; eoque egredi nolente, a Miſſa omnino deſiſtere, niſi Canonem jam inchoaverit; tunc enim eum proſequi debet, uſque ad Communionem incluſive, ac deinde ad Sacriſtiam redire, ut Miſſam abſolvi. IV. privatur quibuſdam bonis externis omnium Fidelium communibus, hoc verſiculo comprehenſis, *Os*, *orare*, *vale*, *communio*, *menſa negatur*, videlicet ei negatur convictus, oratio, ſalutatio, communio, & menſa. V. vita functus non ſepelitur in loco ſacro. VI. non poteſt eligere aut eligi ad ullum beneficium, aut dignitatem Eccleſiaſticam, ejuſque nominatio nulla eſſet. VII. denique non poteſt ſuam ſpiritualem juriſdictionem exercere, aut in Tribunalibus agere apud Judices Eccleſiaſticos. Quod attinet ad communicationem cum excommunicatis denunciatis, cum iis in aliquibus caſibus verſari licet, quin Eccleſiæ præceptum violetur; hi porro caſus hoc alio verſiculo continentur, *Utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *neceſſe*, hoc eſt communicare licet cum excommunicato, ſi ignoretur talem eſſe, aut præſto ſit cauſa ſperandi fore, ut per converſationem convertatur, aut denique cum vitæ civilis officia, utilitas, & neceſſitas id poſtulant.

Primo quidem diſtinguuntur excommunicationis genera duo, quæ apud veteres Chriſtianos in uſu erant,

(a) 1. ad Cor. c. 12. v. 3.

erant, medicinalis, & mortalis. Illa eſt pœnitentium, qui a communione ſejuncti erant vel toto vitæ tempore, vel ad tempus, quoad nempe ſua delicta expiaſſent; hæc autem ea erat, quæ adverſus Hæreticos, aut peccatores impœnitentes & Eccleſiæ rebelles infligebatur. Cum Chriſtus Dominus excommunicandi poteſtatem Eccleſiæ tribuerit, eaque Apoſtoli uſi fuerint, Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi eadem poteſtate inſtructi fuerunt, & in Hæreticos, peccatoreſque impœnitentes excommunicationis ſententias pronunciarunt. Contigit & illud Epiſcopos & Eccleſias ſeſe mutuo excommunicaſſe, hoc eſt ſeſe a Communione ſeparaviſſe. Conciliis Provincialibus jus fuit Provinciæ Clericos & Laicos excommunicandi; Conciliis vero Generalibus eos omnes inter Chriſtianos, qui contra doctrinam, diſciplinam, moreſve peccarent. Et obtinebat generalis regula, ut cum quis excommunicatus eſſet, non amplius in ulla Eccleſia ad Communionem recipi poſſet. Utebantur Concilia anathematis nomine ad excommunicationem in perſonas pronunciandam, declarandumve, eos, qui id, quod vetabant, committerent, excommunicationis pœnam eſſe ſubituros.

Canoniſtæ deinde diſtinxerunt excommunicationis genera duo; unam quidem, quod incurritur, dum vetita actio committitur, quamque appellant excommunicationem *ipſo facto*, ſeu *latæ ſententiæ*; alteram vero, quæ in Legis conſecutionem a Judice eſt pronuncianda, quamque nuncupant comminatoriam, ſeu *ferendæ ſententiæ*. Hanc monitiones tres canonicæ præcedere debent. Quo magis Chriſtiani populi mores deferbuerunt, & Epiſcoporum perſonale meritum eſt imminutum, eo excommunicationis cauſæ crebriores evaſerunt, minorque in hoc adhibendo remedio prudentia extitit. Poſt nonum ſæculum ſæpe ſunt adhibita arma hæc ſpiritualia, ad reprimendam eorum impudentiam, qui Eccleſiæ patrimonium expilantes Clero vim inferebant. Prioribus ſcilicet Eccleſiæ ſæculis nonniſi ob ſpiritualia negotia adhibebatur excommunicatio. Subſecutis temporibus ea uſa ſunt Concilia adverſus eos, qui Eccleſiæ bona uſurpabant; ejus denique uſus extitit in extorquenda manifeſtatione damni alicui illati ſeu perſonæ ſeu bonorum ratione; id quod dicitur *Monitorium*, cujus poſterioribus hiſce temporibus communis & frequentiſſimus uſus evaſit.

Creſcente in dies duritie, gradus factus eſt ad aſperitates antiquitati parum cognitas, ut nempe Familiæ, Provinciæ, atque adeo Nationes excommunicarentur, aut ſaltem Religionis exercitio interdicerentur; quod quidem dicitur *Interdictum*, eſt cenſura, qua Eccleſia prohibet Sacramentorum uſum, divina Officia publice, & Eccleſiaſticam ſepulturam. Eſt autem triplex, locale, perſonale, mixtum. Contenderunt Papæ nonnulli ſe, Regibus & Principibus excommunicandis, pollere jure ipſos propriis ſtatibus boniſque privandi, ſubditoſque a fidelitatis jurejurando liberandi, ut proinde illi nullam amplius obedientiam iis præſtare tenerentur.

Canoniſtæ veteres ac novi pro perſonarum & delictorum varietate cenſurarum aut pœnarum Eccleſiaſticarum varia genera diſtinxerunt. Antiquitus Clerici majores & minores deponebantur, proprii miniſterii functionibus privabantur, & ad Communionem Laicalem redigebantur; aliquando vero functionum ſuarum parte tantummodo ſpoliabantur. Non deſunt Concilia, quibus ii rediguntur ad Communionem, quæ dicitur *Communio peregrina*, videlicet ad ſimplicem honoris gradum abſque ulla functione. Quod attinet ad Laicos, præter medicinalem & mortalem excommunicationem, de qua dictum eſt, alia quoque erat ob errata leviora, per quam ſolum ad tempus ab Eccleſia arcebantur. Quod in cauſa fuit, ut recentiores Canoniſtæ duplicem aliam excommunicationem diſtinguerent, *Majorem*, quæ omnino privat Eccleſiaſtica Communione, Sacramentorum ſuſceptione, & adminiſtratione, atque Eccleſiaſticarum functionum jure; ac *Minorem*, quæ tantum privat jure ſuſcipiendi Sacramenta, Ordines & Beneficia Eccleſiaſtica, non autem aliis notis Communionis, cujuſmodi ſunt Miſſæ auditio, & divini ſervitii adſiſtentia. Excommunicatio, quam quis ſubierat, quod cum excommunicato communicaſſet, erat hujus poſtremi generis, ſcilicet *Minor*; at Conſtantienſe Concilium declaravit duplicis tantum generis excommunicatos vitandos eſſe, ſcilicet eos, qui nominatim & ſolemniter excommunicati fuiſſent, eoſque, quorum excommunicatio adeo notoria eſſet, ut de ea omnino dubitari non poſſet. Decretum hoc firmavit Conſtitutio Martini V.

Tridentina Synodus alios quoque modos adhibuit excommunicationis uſui, animadvertens, eam, niſi ſobrie & prudenter adhibeatur, contemptibilem, atque adeo pernicioſam evadere. Quamobrem omnibus Eccleſiaſticis Judicibus prohibet, ne ad ſuarum Conſtitutionum executionem obtinendam excommunicatione utantur, ſi per temporales bonorum aut perſonarum aggreſſiones etiam cum ſæcularis poteſtatis auxilio id aſſequi potuerint; at Judici ſæculari vetat, ne Judices Eccleſiaſticos, quominus excommunicent, impediat, aut eos ad abſolvendum impellat, aut juſta necne ſit excommunicatio, ſibi cognoſcendum putet.

Admodum ſimplex erat excommunicandi ratio in Eccleſia primitiva. Apoſtolorum tempore Fideles ſe ipſos ſejungebant ab eorum Communione, qui in errore verſabantur, aut depravatam vitæ rationem tenebant, inſiſtentes Apoſtolorum, aut Epiſcoporum præceptis. Subſecutis ſæculis Concilia, & Epiſcopi a Communione ſeparabant Hæreticos, eoſque, qui criminum rei erant, in eos anathema pronunciabant, eoſque Fidelium congregationibus intereſſe non patiebantur. Aliquibus deinde in locis graves cæremoniæ adhibitæ ſunt, ut excommunicatio magis formidabilis redderetur, cujuſmodi ſunt cereos accendere, eos ad terram dejicere, extinguere, pedibuſque conterere, dum excommunicatio pronunciaretur. Alibi vero cum quis excommunicatus erat, ejus januam plebs obſidebat, eum gravibus injuriis impetebat, ejuſque domum lapidibus obruebat. Satis habetur in præſentia excommunicationem in Eccleſia coram omnibus pronunciari, ac Romæ tantum etiamnum mos obtinet excommunicandi cum cerei extinctione, dum pronunciatur Feria Quinta majoris Hebdomadæ Bulla *in Cœna Domini*.

Excommunicationes, quæ nuncupantur his temporibus pleni juris, tot numero ſunt, ut ab iis quoque Canoniſtis, qui doctiores audiunt, earum accurata enumeratio ægre admodum inſtitui poſſit. In Sexto tantum occurrunt triginta duæ, in Clementinis quinquaginta, una & viginti in Bulla *in Cœna Domini*, aliæque innumeræ in Paparum variis Bullis & Conſtitutionibus novellis, iis prætermiſſis, quæ in Conſtitutionibus Synodalibus, variiſque Epiſcoporum Mandatis, in regulis & Conſtitutionibus Regularium occurrunt. At in omnibus antiquis Canonibus, qui in Gratiani Decreto, & Decretalibus con-

continentur, vix triginta reperiuntur; adeoque qui eas diligenter expendere voluerit, intelliget pleriſque excommunicationem præcipi, non tanquam latam de juris plenitudine, ſed tanquam a Judice imponendam in tali facti ſpecie adverſus eos, qui rei convicti fuerint. Nihil impedit, quominus ita accipiantur verba celebris Canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, in quo pronunciatur eum, qui violentas manus Clerico, vel Monacho injecerit, excommunicationis vinculo ſubjectum fore, videlicet cum convictus damnatuſque fuerit. Gloſſa quidem id explicat de excommunicatione pleni juris, & hæc opinio prævaluit.

Vide (CENSURA, INTERDICTUM, SUSPENSIO.)

Regulæ ad Excommunicatos ſpectantes.

CASUS I.

1 *Extravagans* Ad evitanda *edita eſt in gratiam Fidelium, non autem in favorem Excommunicatorum, qui ab omnibus publicæ communionis exercitiis, cujuſmodi ſunt Miſſa, & Officia, abſtinere debent.*
2 *Ut Excommunicatus vitandus ſit, requiritur definitiva ſententia, qua declaretur Excommunicatus.*
3 *Publicus Clerici percuſſor non niſi a ſummo Pontifice abſolvi poteſt.*
4 *Ignorantia cum bona fide impedimento eſt, quominus ſuſpenſiones a Jure ſtatutæ ſubeantur.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut velint difficultates infra propoſitas dilucidare. Quæritur igitur,

I. Quomodo intelligenda ſit Decretalis *Ad evitanda*? Editane eſt in excommunicatorum toleratorum favorem? Poteſtne propterea iiſdem permitti, ut Fideles frequentent, interſint orationibus, & Miſſæ, &c.? Atque adeo non peccarentne, ſi de dita opera id facere negligerent?

II. Ut excommunicatus ſit evitandus, requiriturne ſententia, an vero ſatis eſt factum ad Judices delatum eſſe?

III. Conſuetudo, quæ tantum fori contentioſi crimina Pontifici reſervavit, afficitne Clericos, ita ut percuſſio gravis, publica, & facti notorietate perſpecta tum ſolum Papæ reſervata ſit, cum juris notorietate probata eſt?

IV. Eſtne abſolute adhibenda aqua Gregoriana ad Eccleſiam conſecratam, quæ polluta fuerit, benedicendam?

V. Quænam regula quoad ſuſpenſiones ſervanda eſt? Eæne omnes tenendæ ſunt, quæ recenſentur in Jure, & apud recentiores Canoniſtas?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet quoad quæſtionem primam, illud tanquam certum ponendum eſſe Extravagantem *Ad evitanda ſcandala* a Conſtantienſi Concilio inſtitutam, & a Martino V. approbatam non jam in excommunicatorum, ſed in Fidelium tantum favorem, eorumque bono editam eſſe. Itaque excommunicatus non denunciatus omni favore privatus eſt, ut ante extravagantem erat, quoniam in ea dicitur expreſſis verbis: *Per hoc tamen excommunicatos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.*

Poſſunt ii quidem in Eccleſiam ingredi, ad divinum verbum audiendum ex *cap. Reſponſo de ſent. excom.* præterquamquod enim prædicatio divinum Officium non eſt, ſpes affulget fore, ut ea ad ipſorum converſionem proſit: *Quia prædicatio non eſt de numero Officiorum divinorum, quæ interdicuntur excommunicato*, inquit Sayrus *l. 2. c. 3. n. 12. de cenſur. & quia id permittitur, ut facilius inducantur ad contritionem, & ad petendam abſolutionem; utilis eſt enim concio per ſe animæ*, Excommunicatus poteſt hac eadem de cauſa in Eccleſiam ingredi, & Pœnitentiæ Tribunali ſe ſiſtere.

Verum citra peccatum Miſſæ, diviniſque Officiis intereſſe non poteſt. Ita ſentit Evellio in ſuo Tractatu de Excommunicationibus *cap. 31. art. 2.* quia, ut monet hic Auctor, hæc ſunt publicæ communionis exercitia, a quibus excommunicatus arcetur ex jure per cenſuram, quam ſubiit.

Quamobrem excommunicatus minime peccat, cum Miſſam die feſto non audit, ut monet Sayrus loco citato *n. 24.* bene vero peccat, ſi abſolutionem, cum facile poteſt, petere negligat; ſi tamen excommunicatus occultus ſcandalo eſſet, propriamque famam læderet, abſtinens ab Officiis divinis, & a Miſſa, hoc in caſu, inquit Sayrus *n. 27. & 28.* poſſet iis citra peccatum intereſſe; obligatio quippe non afferendi ſcandali, tuendique ſui nominis ea major eſt, quæ ex Eccleſiaſtici tantum Juris præcepto derivatur. Hinc conſtat eos, qui Extravagantem *Ad evitanda* in excommunicatorum non denunciatorum favorem explicare ſolent, eadem abuti, neque iis eam veniam, ſeu conſilium dandum eſſe, ut publicis precibus, & Miſſæ interſint, niſi in caſibus modo explicatis.

Quoad quæſtionem alteram. Ut excommunicatus ſit evitandus, definitiva contra ipſum ſententia opus eſt; ita Evellio *cap. 3. art. 3.* & *Du Caſſe* in Libro de Eccleſiaſtica Juriſdictione *1. p. c. 11. §. 1.* ad eos quoque quod attinet, qui ob percuſſionem Clerici ſunt excommunicati; ex Galliæ enim conſuetudine apparet non ſufficere facti denunciationem.

Quoad tertiam. Quamvis ex Tridentina Synodo *Seſſ. 24. c. 60. de Reform.* ii tantum caſus Pontifici ſint reſervati, qui ad forum contentioſum delati ſunt, & ante litis conteſtationem Epiſcopus a Clerici in ſacris conſtituti gravi percuſſione poſſit abſolvere: mos tamen obtinet, ut cum ei publica notorietas conjuncta eſt, ſummus Pontifex adeatur.

Quoad quartam. Standum eſt Diœceſis Rituali. Pariſiis quidem ad conſecratæ Eccleſiæ reconciliationem Gregoriana aqua utendum eſt. Tuetur Pyrrhingus ſententiam hanc *tom. 3. titul. 40. de cenſur. num. 19.* Non deſunt Auctores, qui benedictam Aquam adhiberi poſſe contendant. Vide Dominum *de Sainte Beuve tom. 2. Caſ. 80.*

Quoad quintam. Quod attinet ad ſuſpenſiones in jure contentas, quæ in uſu non ſunt, minime obligant; quæ autem a Tridentina Synodo renovatæ, & Diœceſis Statutis receptæ ſunt, perinde obligant, atque eæ, quas ſanæ mentis homines adhuc in uſu eſſe arbitrantur. Sed illud animum tranquillare debet, quod nulla incurritur cenſura, cum rei, quæ agitur, cenſuram ullam Jure annexam eſſe ignoratur. Tradit hanc regulam Cabaſſut. *l. 5. c. 17. n. 46.* Ratio, quem affert, ea eſt, quod omnis cenſura præter peccatum ſupponit animum in malo obfirmatum, qui ſane non reperitur in iis, qui per ignorantiam in hujuſmodi cenſuras incidunt; earum enim tum in Jure, tum apud Canoniſtas tam ingens eſt numerus, ut univerſæ ac ſingulæ dignoſci omnino poſſint; atque id ſane ſatis eſt ad eorum conſcientiam, qui ea faciunt, quibus cenſuras Summi Pontifices adjunxere, coram Deo in tuto ponendam.

Deciſum hac die 18. Auguſti an. 1702.
G. *Fromageau.*

Excommunicatio ob Superioris Heremitæ percuſſionem.

CASUS II.

1 *Heremitæ, qui vota edunt, & communem vitæ rationem tenent proprio Epiſcopo ſubjecti, cenſentur Monachi, & Clericali privilegio gaudere debent.*
2 *Incurritur excommunicatio, dum percutiuntur ſuadente Diabolo.*

3 Sic

3 *Si injuria atrox ac publica ſit, a Romana Curia abſolutio petenda eſt.*

QUÆSITUM.

EXiſtit in Diœceſi N..... Eremus, in quo Anachoretæ quinque ſunt; pendent illi ab Epiſcopo, qui iis ingredientibus habitum tribuit, & poſt annum edunt in ejus manu tria vota ſimplicia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ; utuntur communi victu; Epiſcopus Superiorem nominat, quem ex iis eligit; Laicus Syndici titulo eorum negotia procurat.

Cum hujus Eremi Superior in Urbem veniſſet, voluit data occaſione ad urbanitatis officium perſolvendum in honeſtam domum ſeſe conferre; vix ille in eam ingreſſus erat: filiusfamilias Presbyter & Parochus de hoc Eremita querendi juſtam ſibi cauſam præſto eſſe contendens ei inſultavit, & indignabundus ac facta vi in capite & humeris multos baculo ictus impegit; eum quoque in via ad triginta & amplius pedum ſpatium perſecutus eſt, ita eum verberans publica in luce, multiſque videntibus; Eremita hæc cum ſui Epiſcopi venia ad Officialem Diœceſanum ſuas querelas detulit, teſtes audiendos curavit, & ut probationem conſummaret, obtinuit Monitorium.

In hac facti ſpecie rogantur Doctores, ut decidant, an hic Parochus in excommunicationem incurrerit; ac ſi forte excommunicatus ſit, Epiſcopus Diœceſanus ei abſolutionem impertiri poſſit, ſpectans hunc caſum tanquam occultum?

Rationes, quæ in Parochi favorem allegantur, ſunt, quod hic Eremita eſt Laicus; non eſt de numero Monachorum, de quibus ſermo eſt in canone: *Si quis ſuadente*; Monachi nomine intelligitur Regularis, & nomine Regularis ii tantum in præſentia in Eccleſia veniunt, qui in Religione approbata, in qua ſolemnia vota fiunt, profeſſionem emittunt; Canon ille, cum generalis Lex ſit, ad perſonas tantum in Jure nominatas, cujuſmodi ſunt Novitii & Converſi, referendus eſt. In eo Eremitæ non nominantur, de iis ibi ne verbum quidem; Gloſſa in Caput *Qui vere* prima fuiſſe videtur, quæ in Eremitarum vota emittentium favorem contrariam ſententiam induxerit; ſed ea leviore nititur fundamento, quam ut tanti ponderis interpretationem firmare poſſit; quamvis enim conveniat hos Eremitas *debere honore competenti gaudere*; id tamen non eſt accipiendum de Clericali privilegio, quod ultra Legiſlatoris intentionem extendi non debet; hic autem cum de Monachis tantum loquatur, eos omnes, qui tales non ſunt, excluſiſſe videtur. Ex Auctoribus, quibus arridet ſententia hæc, Suarez in ſuo de Cenſuris Tractatu ad Canonem *Si quis ſuadente* id admodum fuſe explicat.

Pro contraria ſententia afferuntur hæc: Eremitas, qui in manu Epiſcopi vota edunt, veri nominis Religioſos eſſe, quoniam in eo ſunt vitæ genere, quo ad id faciendum obligantur, quod Religionis ſubſtantiam conſtituit; ante Innocentium III. Ordines inſtitui conſueviſſe abſque ſpeciali Supremi Pontificis approbatione, ut ex verbis textus Capitis *de Relig. dom.* facile concludi poteſt. Quod cum ita ſe habeat, Eremita noſter omnes veri Monachi notas habet, ac proinde Canonis privilegio gaudere poteſt. Neque vero extenſione ulla opus eſt ad Canonem huic Eremitarum generi accommodandum, cum liquido conſtet Monachi vocabulo Canonis Auctorem voluiſſe eos deſignare, qui id nominis obtinebant; certum eſt autem Eremitas ſemper in veteri Eccleſia eo nomine donatos fuiſſe, nullumque Canonem occurrere, qui illud iiſdem ademerit. Quoniam porro quo tempore Canon hic editus eſt, Eremitæ Monachorum titulo cenſebantur, ideo Monachorum nomine comprehenſi videntur, præſertim cum neque in eo Canone, neque in ullo alio quicquam exiſtat, quod Eremitas excludat. Sententia hæc propugnatur a Canoniſtarum pleriſque, qui merito multum diſcriminis intereſſe monent inter Eremitas vagos, & eos, qui vota edunt, & in communi vitæ ratione ſub Epiſcoporum obedientia verſantur; illi quidem ſunt hominum ſuſpecta genera, nec Eremitarum nomine digni ſunt; at dubitari non poteſt, quin cæteri vere ac proprie Religioſi ſint, juxta veteris ac recentioris Eccleſiæ loquendi rationem.

Facta hypotheſi hunc Parochum in excommunicationem incidiſſe, negotium ſatis videtur ad forum contentioſum delatum eſſe, ut non amplius tanquam caſus occultus tranſigi poſſit; quamvis enim contendatur, rem non eſſe deductam ad forum contentioſum, niſi reo citato; cum tamen cauſa inchoata ſit, & quamprimum aliqua ſententia eamdem ſubſequi debeat, ageretur contra Tridentinæ Synodi mentem, ſi ab excommunicatione, quæ publica evaſit, tanquam a caſu occulto abſolvi placeret. Gravis caſus eſt; id in dubium verti non poteſt; ictus baculi publice, ac violenter impacti, contuſionibus, fractionibuſque conjuncti ſane levis percuſſionis nomine venire non poſſunt, tametſi nulla ſanguinis effuſio contigerit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, in propoſita facti ſpecie tria quæri poſſe. Primum eſt; an Parochus, dum Eremitam percuſſit, in excommunicationem inciderit? Incidiſſe reſpondetur. Videri in hanc rem poſſunt teſtimonia, quæ affert Bonacina 2. *tom. diſp.* 2. *q.* 4. *punct.* 3. *num.* 10. Quoniam hoc in caſu cenſura Religioni patrocinatur, extendenda potius eſt, quam reſtringenda. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 22. in ea eſt ſententia Heremitas Epiſcopo ſubjectos comprehendi in Canone; *Si quis ſuadente &c.*

Alterum eſt. An hæc excommunicatio ſit reſervata? Reſervatam eſſe reſpondetur; injuria quippe gravis eſt. Eremita eſt, eſt Superior, qui baculo non ſine fractionibus & contuſionibus cum ſcandalo percuſſus eſt; ſtandum tamen eſt judicio Epiſcopi, qui ex actionis circumſtantiis ac depoſitionibus de hujus injuriæ gravitate judicabit.

Tertium eſt. An actio hæc occulta necne cenſeri poſſit? Reſpondetur non poſſe, quia in via publica, multiſque videntibus Eremita percuſſus eſt. (*a*) Nonnullorum Auctorum judicio neceſſe eſt reum apud Judicem citatum eſſe, decretumque, ut crimen ad forum contentioſum deductum, & Pontifici reſervatum eſſe cenſeatur; verum ſtatim atque illud publicum eſt, ad Pontificem confugiendum eſt. Sententia hæc eſt communior, probabilior ac tutior in praxi: ex quo ſequitur opus eſſe, ut ad Romanam Curiam Parochus mittat, abſolutionis cauſa, ſi injuriam atrocem eſſe Epiſcopus judicaverit.

Deciſum in Sorbona die 7. Julii an. 1698.
G. Fromageau.

Excommunicatio ob Clericum male habitum.

CASUS III.

1 *Incurritur excommunicatio, non ſolum cum percutitur Presbyter, verum etiam dum contumelioſa ratione impetitur, elato in eum baculo, jactis in eum probris, eoque injuriis oppreſſo.*

2 *In Gallia excommunicati vitandi non ſunt, niſi cum judicis ſententia declarati ſunt.*

3 *Clericus male habitus non debet a Judice reparationem ſibi debitam petere, niſi cum graves rationes ei præſto ſunt prudentum Virorum teſtimonio probatæ.*

(*a*) Aloyſius Riccius deciſ. tom. 1. p. 459. V. Du Caſſe p. 220. Quæritur, quid ſibi velit: deductum ad forum contentioſum? Reſpondetur delictum tunc dici in judicium deduci, quando eſt facta citatio: non ſufficeret ſola informatio capta per Curiam, ſi Curia ipſa non procederet contra inquiſitum, neque ipſum citari feciſſet.

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut velint ſequentibus quæſtionibus ſatisfacere.

Petrus homo ſæcularis violenter ſtrictoque baculo Presbyterum aggreſſus eſt, atque eum percuſſiſſet, niſi qui aderant, impediſſent; eum verbis laceſſivit appellans ſceleſtum, nebulonem, malum Presbyterum, &c. Presbyter illum nec provocaverat, nec læſerat; & aggreſſor quidem ebrius eſſe non videbatur: nonne eſt excommunicatus?

II. Poteſtne frequentari, antequam ab hoc crimine abſolvatur?

III. Læſus Presbyter poteſtne eo præſente Sacrum facere?

IV. Tenetur necne publicam reparationem petere?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut quatuor quæſtionibus ſatisfaciat, exiſtimat,

Quoad primam, Sæcularem incidiſſe in excommunicationem majorem latam in Canone 17. q. 4. *Si quis ſuadente Diabolo*, in eos, qui Clerico violentas manus injecerint, adeoque obſequium ejus caracteri debitum violaverint. In eam porro non ideo præciſe incidit, quod atroces injurias contra Presbyterum evomuerit, ſed quod eum violenter, arreptoque baculo aggreſſus fuerit, licet non percuſſerit,

Non igitur ſemper ad majorem excommunicationem ſubeundam neceſſe eſt Clericum percuti, aut Clericale privilegium in ejus corpore violari; ſatis eſt illud in iis violari, quæ eidem adhærent. Ita docet Innocent. III. *C. nuper, de ſent. excom. Quamvis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſecuta, ultra quam violentia ſæpius circa Clericos nequiter perpetratur*. Jam vero liquet Sæcularem, qui qua dictum eſt, ratione Presbyterum aggreſſus eſt, ejuſmodi injuriam in Jure anathemate perculſam ei intuliſſe. Et ſane difficile factu eſt, ut quis elato baculo Presbyterum aggrediatur, & vim non inſerat aut perſonæ, aut rei, quæ ipſum contingit, ipſique adhæret; atque ob hanc cauſam Sæcularis in excommunicationem majorem incidit.

Quoad ſecundam. Per extravagantem *Ad evitanda* ex Conſtantienſi Concilio deſumptam ſolum excommunicati denunciati, (*a*) quique notorie rei ſunt, quod Clericum percuſſerint, vitandi ſunt. In Pragmatica Sanctione *De excommunicatis non vitandis*, & in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. hujus poſterioris exceptionis nulla fit mentio; ſed ut ut res habeat, excommunicatio, quam Sæcularis incurrit, ſatis notoria eſſe non videtur, ut ille propterea vitandus ſit. Neque enim ſufficit, quatuor, aut quinque videntibus, vim Presbytero illatam eſſe: opus eſt eam publicam eſſe, ejuſque notitiam adeo vulgatam eſſe, ut reus, ſi apud Judicem accuſaretur, ſe probabiliter purgari non poſſet.

Quoad tertiam, Extravagans appellata non eſt edita in favorem rei, ſed Fidelium, qui per eam cum eo licet excommunicato communicandi jus non amittunt. Lex afficit reos, qui debent vel ante ſententiam abſtinere ab Eccleſiæ aditu, Sanctæ Miſſæ audiendæ gratia; at eadem Lex non prohibet Presbyteris, ne ſacrum faciant, iis adſtantibus, cum nec denunciati, nec per ſententiam declarati ſunt.

Quoad quartam. Reſpondetur Presbyterum non teneri in id incumbere, ut ſibi a Laico ſatisfiat. Debet in hunc finem ſapientes prudenteſque viros conſulere, ex quibus poſt omnium circumſtantiarum examen intelliget, quid ſibi in hoc negotio agendum ſit; & fortaſſe fiet, ut ad Sanctuarii ſtateram ponderata re, judicent illi æquius eſſe, ut ipſe injuriam ſibi illatam condonet, quam judicio contendat, quippe cum univerſim ejuſmodi lis Clerico minime congruat. Si tamen ejus fama per Laici injuriam graviter læſa eſſet, ac ſi ille ob eamdem Eccleſiæ, quod debet, ſervitium præſtare non poſſet, creditur poſſe compenſationem a Judice petere, præſertim poſtquam Laicus eam reddere recuſaverit.

Deciſum hac die 12. Decembris an. 1696.
G. *Fromageau*.

Excommunicatio propter alapam Presbytero impactam.

CASUS IV.

1 *Presbyter, qui alii Presbytero alapam impegit, excommunicatus eſt.*
2 *Si Miſſam in eo ſtatu celebravit, irregularis eſt.*
3 *Ut iterum habilis declaretur, ad Romanæ Curiæ Datariam confugere debet, quia factum notorium eſt.*

QUÆSITUM.

Cum duo Presbyteri ſimul eſſent, unus Senior, alter junior, cum nulla unquam inter ipſos rixa extitiſſet, hac occaſione rixati ſunt. Cum Senior Nicotianum pulverem ſumeret, junior petiit; ille vero capſulam, quæ pergravis erat, adeo vehementer in junioris manum injecit, ut ipſe dolorem ſentiens ei alapam impegerit, quæ ita adhæſit, ut ſonus perciperetur, & Presbytero gingivæ intumuerint. Cum factum vulgatum eſſet, quidam Sacerdos in dignitate conſtitutus juniorem de excommunicatione commonuit; ſed ille, facta confeſſione, Miſſam celebrare non deſtitit. Dici poſſet ad ejus excuſationem alapam impactam eſſe motu primo, & inconſiderate; ſed contrarium ex eo evincitur, quod cum ſenior Presbyter alteri dixiſſet, ſi eſſemus alibi, non ita res cederet, reſpondit junior Presbyter: eſſemus duo. Hoc poſito rogantur Sorbonæ Doctores, ut ad ſequentes quæſtiones reſpondeant.

I. An hæc hujus Presbyteri junioris indignatio, qui tanta cum ruſticitate ſeniorum ſuorum unum læſit, motus primus cenſeri poſſit, & an ea actio fuerit indeliberata?

II. An junior Presbyter per eam actionem incurrerit excommunicationem *ipſo facto*, prout declaratur in Canone, *Si quis ſuadente diabolo*, 17. *quæſtio* 3.

III. An poſtea Miſſam celebrans in irregularitatem inciderit?

IV. An debeat ad Papam confugere, ut abſolutionem, & redintegrationem obtineat, atque adeo tranquillet ſuorum confratrum Canonicorum conſcientiam, qui ex eo tempore cum ipſo in divinis communicare noluerunt?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, alapam a juniore Presbytero ſeniori impactam non aliunde ortum ſuum trahere potuiſſe, quam ex motu primo, vel ex actione deliberata, & conſulta facta.

In primo caſu cum alapa publica & notoria fuerit, & vulgo non innotuerit, an motu primo impacta fuerit, junior Presbyter debuit tanquam excommunicatus ſe gerere, quoad Epiſcopus ejus Superior habito examine teſtium & circumſtantiarum actionis declaraverit factum ſufficientis deliberationis, ac proinde ejus culpæ, quæ reum excommunicationi majori ſubdat, expers fuiſſe. Cum tamen hic Presbyter vel monitus celebraverit, quin ad Epiſcopum confugeret, in foro externo ut excommunicatus cenſendus eſt; cum contra ſi res examinatoribus dubia viſa eſſet, liber futurus fuiſſet, obtenta ab Epiſcopo abſolutione ad cautelam. Ita ii præſertim omnes ſtatuerent, qui putant in dubio facti celebrantem evadere irregularem, Vide Bonacinam *tom. 1. diſp. 7. q. 1. diſp. 5. propoſ.* 2.

An ſi alapa, de qua quæritur, haud motu primo inflicta eſt, dubio procul Presbyter ſubiit excommunicationem in Jure ſtatutam 17. *q.* 3. *c. Si quis ſuadente*; ex quo ſequitur, eum deinde non obtenta abſolutione celebrantem irregularem evaſiſſe.

Sed

(*a*) V. Tol. l. 1. c. 12. Pragmat. §. 20. concordant: lit. 14. Sayrus l. 3. c. 12. n. 8. & 13. de cenſ.

Sed juniorem Presbyterum non motu primo abreptum, ſed conſulto & advertenter percuſſiſſe, atque adeo alapam, cujus vi gingivæ intumuere, mortale peccatum eſſe compertum ex eo fit, quod dolor ex capſulæ ictu ortus tantus eſſe non potuit, ut ille extra ſe abriperetur, & nolens, ſuique impos ſeniori Presbytero alapam impingeret. Præterea quod junior ſeniori reſpondit: eſſemus duo, eum conſulto egiſſe ſatis evincit. Ita viſum eſt ejus Confratribus Canonicis, qui poſt impactam alapam cum eo in divinis communicare noluerunt. Ex quo concludi poteſt iis præſto eſſe graves cauſas, quamobrem eum non primo motu egiſſe, ac propterea excommunicationem incurriſſe perſuaſum habeant. In hujus denique Presbyteri favorem in hac facti ſpecie judicari non poſſe, conſtat ex eo, quod a Sacerdote tum ætate gravi, tum virtute præſtanti, & in dignitate conſtituto monitus, ne celebraret, monitionis tamen, quæ juſta graviſque viſa eſt, nulla ratione habita non deſtitit ſacrum facere; quod argumento eſt non modo Presbyterum hunc haud ſatis religioſa conſcientia eſſe, verum etiam impactam ab eo alapam primi motus effectum non fuiſſe.

Sequitur ex his omnibus, I. juniorem Presbyterum ſenioris percuſſorem excommunicatum eſſe; non eſt tamen vitandus uſque ad Superioris declarationem; (a) quia etiam hoc in caſu facti notorietas juxta probabiliorem ſententiam non ſufficit, ut qui excommunicationem incurrit, vitandus ſit. II. Epiſcopum ab hac excommunicatione abſolvere poſſe. III. Eum celebrantem, quin a Sacerdote facultate prædito abſolveretur, in irregularitatem incidiſſe. IV. diſpenſationis, & redintegrationis obtinendæ gratia eum debere ad Romanæ Curiæ Datariam confugere, quia factum notorium eſt, & irregularitas publica.

Deciſum in Sorbona hac die 10. Februarii an. 1698.

G. *Fromageau.*

Excommunicatio propter parvæ balliſtæ igneæ ictum Presbytero illatum.

CASUS V.

1 *Qui parvam balliſtam igneam in Sacerdotem laxavit, quamvis nec occiderit, nec vulneraverit, excommunicatus eſt.*

2 *In caſu, de quo agitur, poteſt Epiſcopus Sacerdotis aggreſſorem abſolvere, quia rem nemo unus vidit.*

3 *Si ille publicis Officiis abſtinens ſcandalo eſſet, propriamve famam læderet, iis intereſſe poſſet.*

4 *Poteſt etiam Judicis functiones, utpote Magiſtratu inſignitus obire.*

QUÆSITUM.

Conſiliarius Præſidialis N. ut gravem injuriam ab ejuſdem Urbis Presbytero ſibi illatam ulciſceretur, arreptis duabus parvis balliſtis igneis, & quidem oneratis domo egreſſus eſt. Cum Presbyterum in haud trito tramite obvium habuiſſet, in eum balliſtam laxavit, ſed bono fato Presbyter læſus non fuit, globulo tantum veſtimenti fibulam afficiente, & manicam penetrante. Nemo facti oculatus teſtis extitit, ſed multorum auribus ictus obſtrepuit. Cum Presbyter ad Legatum Criminalem querelam ſuam detuliſſet, & nonnihil progreſſus eſſet: per Conſiliarii amicos compoſitum negotium fuit, perſuaſumque Præsbytero, ut ab incepto deſiſteret, quod præſtitit; ex Actis Criminalibus remota eſt inchoata cauſa, ne quod ejus veſtigium супereſſet, nec amplius ulla facti mentio fieret.

Hac in re rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſequentes quſtiones decidere velint,

I. Quæritur, an Conſiliarius, qui laxata balliſta Presbyterum aggeſſus eſt, incurrerit necne excommunicationem majorem ſummo Pontifici reſervatam?

II. An ſit evitandus tanquam Clerici notorius percuſſor?

III. An debeat Romam petere, ut abſolvatur?

IV. An ante abſolutionem poſſit Miſſam audire, aliiſque Officiis adeſſe?

V. An prædicationem audire poſſit, & an novam aliquam pœnam incurrerit, auditis Officiis?

VI. An ſuum Judicis munus obire poſſit?

VII. An hæc duo præſtare poſſit, quia iis abſtinens probaret factum, quod non confitetur, cujuſque nullus teſtis exiſtit? De eo tamen nemo dubitat propter rixam, quam ipſi cum eo Presbytero interceſſiſſe omnes ſciunt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, I. Conſiliarium, de quo agitur, excommunicatum eſſe, & ut talem debere ſe gerere; quia Presbytero gravem injuriam intulit, quippe quem, laxata Balliſta, occidere voluit, quamquam res e voto non ceſſit. Sayro enim idoneo Canoniſta, & Auctoribus, quos citat *l. 3. c. 26. n. 14. de cenſ.* docentibus, ſatis eſt injuriam notabilem cum vi conjunctam inferri Clerico ſive in perſona, ſive in rebus, quæ eidem adhærent, ad ſubeundam excommunicationem inflictam in Capite *ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4.

II. Sane juxta Martini V. Extravagantem *Ad evitanda*, quæ Conſtantienſi Concilio tribuitur, non ſolum evitandus eſt excommunicatus, qui denunciatus eſt ſed etiam qui Clericum notorie percuſſit. Animadvertendum tamen eſt in Pragmatica §.20. *de excommunicatis non vitandis*, & in Concordato *tit.*14. exceptionis hujus inter eos, qui notorie excommunicati ſunt, & qui ſunt denunciati, nullam mentionem fieri; & quoniam in Gallia non ea obtinet conſuetudo, ut priores vitentur, donec denunciati fuerint, non vitantur excommunicati, quod Clericum notorie percuſſerint. Cæterum in hac facti ſpecie quod Conſiliarius in Presbyterum molitus eſt, haud ſatis eſt notorium, ut ille propterea tanquam excommunicatus vitandus ſit.

III. Si ejus excommunicatio cenſetur occulta, quia crimen non ſatis notorium eſt, non eſt neceſſe eum abſolutionis cauſa ad Romanam Curiam confugere. Suum Epiſcopum adire debet, ut determinet, an abſolutio, qua opus habet, Pontifici reſervata ſit, & an vis, quam intulit, ſatis perſpecta ſit; ſi enim excommunicatio occulta eſt, Epiſcopus poteſt abſolvere vi Capitis 6. *Liceat ſeſſ.* 24. Concilii Tridentini *de Reform.*

IV. Facta hypotheſi Conſiliarium, ut creditur, excommunicatum eſſe, Miſſæ & Officiis publicis intereſſe non debet; quod enim quoad excommunicatos non denunciatos Eccleſia præſcripſit, non niſi Fidelibus favet. Itaque excommunicati debent iis omnibus abſtinere, quæ ante Extravagantem *Ad evitanda* Martini V. ipſis vetita erant; ad id quoque tenentur hujus Extravagantis verbis, & ſententia multorum Auctorum, ac nominatim Sayri *l.* 2. *c.* 3. *n.* 26. Excipiendi veniunt caſus duo; primus eſt, ſi iis Catholicorum exercitia omittentibus ſcandalum orietur; alter, ſi ad Eccleſiam non accedentes de fama periclitarentur; in his duobus caſibus Eccleſiam adire poſſunt, dummodo abſolutionem quamprimum obtinere ex animo velint: *Excommunicatus occultus*, inquit Sayrus loco citato n. 28. *cauſa evitandi grande ſcandalum aut infamiam, dummodo abſit fraus vel dolus, nec ſit in mora petendæ abſolutionis, poteſt Miſſæ & Officiis intereſſe.*

V. Excommunicatus poteſt orare in Eccleſia, quo tempore divinum Officium non peragitur, poteſt etiam prædicationem audire, ut moveatur, & ad converſionem ſe comparet *cap. Reſponſo de ſent. excomm.* Vide Sayrum in utrumque caput *l.* 2. *c.* 3. *n.* 9. & *n.* 12.

VI. Conſiliarius vel excommunicatus ſuas Judicis functiones obire poteſt, ſi ad eum cauſæ deferantur, & ſe ſalva fama nequeat eximere; ejuſque ſen-

(a) Vide Caſum huic prope geminum in Articulo cenſurarum, deciſum a D. de Lamet.

ſententiæ validæ ſunt, Eccleſia id ei concedente in boni publici gratiam. Videri poteſt Sayrus *l. 3. c. 12.*

VII. Denique Officiis adeſſe poteſt, ſi per abſentiam ſeſe in infamiam adduceret, & anſam præberet credendi, ipſum facinoris, in cujus ſuſpicionem venit, vere reum eſſe. Huc referenda, quæ dicta ſunt in hanc rem n. 4.

Deciſum Pariſiis hac die 6. Martii an. 1697.
G. *Fromageau*.

Excommunicatio ob violatam clauſuram.

CASUS VI.

1 *Canonicus in Sanctimonialium Monaſterium abſque permiſſione ingreſſus excommunicatus eſt.*

2 *Ejus Confeſſarius ipſum ab hac cenſura liberare non poteſt, multoque minus ab irregularitate, quam ſubiit Miſſam celebrans poſt primam cenſuram.*

3 *Exemptio Capituli, cujus Canonicus eſt, eum quoad hoc caput Epiſcopi ſui Juriſdictioni non ſubtrahit.*

4 *Debet Officialis, a quo excommunicatus declaratus eſt, ſententiæ parere, ab Officio abſtinere, & diſtributiones amittere, quoad ab Epiſcopo, vel a Pontifice redintegretur.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut ad ea, quæ ſequuntur, reſpondere velint.

I. An Canonicus, qui in Monialium Monaſterium, cujus majorem Januam apertam invenit, penetravit, inciderit in excommunicationem a Tridentina Synodo *ſeſſ.* 25. pronunciatam in eos, qui Sanctimonialium clauſuram violaverint.

II. An hæc excommunicatio tolli poſſit ab ejus ordinario Confeſſario, quin ad Papam vel ad Epiſcopum confugere neceſſe ſit; atque an Canonicus, qui ad neutrum acceſſit, & poſtea Miſſam celebravit, evaſerit irregularis?

III. An cum hujus Canonici Capitulum ab Epiſcopo non pendeat, teneatur ille ad eum confugere, ut a cenſura, quam ſubiit, liberetur, nec poſſit Capitulum ipſum ejus abſolutionem officialium ſuorum alicui demandare?

IV. Officialis Epiſcopi, peracta in hunc Canonicum inquiſitione, eum excommunicatum & irregularem declaravit, decretoque edito eumdem in jus vocavit. Quæritur, an ita jure ſtatutum fuerit, an Canonicus teneatur parere, ab Officio abeſſe, & perdere diſtributiones annexas, omnemque redditum Præbendæ, quæ groſſis omnino fructibus caret, conſtituentes?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut quatuor propoſitis quæſtionibus ſatisfaciat, exiſtimat,

Quoad primam; Canonicum, de quo agitur, incidiſſe in excommunicationem in eos pronunciatam, qui abſque venia Sanctimonialium Monaſteria ingrediuntur; neque vero in ejus excuſationem bonam fidem afferri poſſe; I. quia non præſumitur in foro externo Clericum in adeo cognitæ communiſque prohibitionis ignoratione verſari. II. quia eſt veroſimillimum eum a Monialibus, quibus januæ cuſtodia commiſſa erat, ne ingrederetur, monitum fuiſſe.

Quoad ſecundam. (*a*) Quamvis Navarrus, aliique non pauci putent hanc excommunicationem Sanctæ Sedi reſervatam eſſe, contraria tamen opinio eſt probabilior. Videri poſſunt in hanc rem Baſſæus, & Auctores, quos affert *V. Clauſura n.* 7. & Pelizarius *tom.* 2. *tr.* 20. *c.* 5. *ſect.* 3. *q.* 4. *n.* 92. Hanc igitur cenſuram Epiſcopo reſervari tanquam certum ponendum eſt. Barboſa *in ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de Reform. n.* 74. & Cabaſſutius *in praxi l.* 5. *c.* 15. *n.* 21. ſententiam hanc amplectuntur. Eam quidem rotundis verbis Concilium Epiſcopo non reſervat: eſt tamen, cur hæc ejus intentio & mens fuiſſe credatur; Sanctimonialium enim clauſuram tanquam rem momenti maximi ab hoc Concilio ſpectatam fuiſſe apparet ex verbis, quibus utitur ad ejus cuſtodiam Epiſcopis inculcandam: *ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis*, &c. Excommunicatione percellit eos, qui abſque expreſſa Epiſcopi permiſſione in eadem ingreſſi fuerint, *ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda*. Ex quo liquet, quam difficilem in Monialium Monaſteria aditum reddere Synodus voluerit; ſatis porro difficilis non eſſet, ſi quivis Presbyter approbatus audacem ejus violatorem, & Eccleſiaſticarum Legum contemptorem ab excommunicatione abſolvere poſſet. Hinc illud conſequens fit, quemadmodum non licet eo ingredi citra veniam, quam ſolus Epiſcopus concedere poteſt, ita cenſuræ abſolutionem ei pariter reſervatam eſſe. In hujus ſententiæ confirmationem facit, quod docet Comitolus l. 1. reſp. Moral. q. 26. quod attinet ad excommunicationem a Superiore majore inflictam, ſibique minime reſervatam; verum ut hæc ipſa a Tridentina Synodo reſervata non eſſet, reſervatur tamen in Ritualibus, & conſuetudine, quæ in bene multis Galliarum Diœceſibus obtinet.

Facta etiam hypotheſi eam nullo modo Epiſcopo reſervari, abſolutio a Canonico percepta in interno quidem conſcientiæ foro valeret, in externo non valeret omnino; quoniam enim vulgo conſtat eum in Monialium Monaſterium abſque venia ſubiiſſe, Confeſſarii abſolutio non adimit Epiſcopo jus in eum inquirendi, eum inſectandi, & excommunicatum declarandi; atque adeo quoad crimen hoc Canonicus is contentioſi fori ratione tanquam non ſolutus ſpectatur. Baſſæus, & Auctores, quos affert loco citato n. 17. ponunt tanquam certa principia hæc; ita ut ſi quas deinde Eccleſiaſticas functiones obiit, irregularis declarari jure poſſit. Id ergo unum ſupereſt, ut Officialis ſententiæ pareat; neque enim ille ſpirituales cenſurarum claves, quibus Eccleſiaſticarum Legum violatores cohibeat, fruſtra portat; & Epiſcopalis auctoritas inutilis eſſet, niſi eidem parendum foret.

Quoad quæſtionem tertiam. Epiſcopus juxta Tridentinæ Synodi mentem de Monialium ſuæ Diœceſis vel exemptarum clauſura debet eſſe ſollicitus; Regalium quoque Conſtitutionum vi hoc diſciplinæ caput cuſtodire tenetur. Quoniam ergo nulla prorſus exemptio quoad hunc articulum Monaſteria ab Epiſcopi viſitatione tueri poteſt: nulla quoque poteſt impedimento eſſe, quominus Canonicum clauſuræ violatorem Epiſcopus inſectetur; & ratio eſt, quia quicquid ad exteriorem diſciplinam, & morum correctionem ſpectat, ad Epiſcopum pertinet ex Tridentina Synodo *ſeſſ.* 24. *c.* 10. *de Reform.*

Quoad quæſtionem quartam. Dubio procul vitandus eſt Canonicus, nec cum eo præſertim in divinis communicandum, propterea quod Officialis ſententia excommunicatus declaratus eſt. Hæc eſt deciſio Extravagantis *Ad evitanda*; ſi ergo hic Canonicus ad Officium accederet, ejiciendus eſſet, aut Officium intermittendum; cumque non amplius Officio adeſſe poſſit, debet amittere diſtributiones, alioſque fructus, qui eidem annexi ſunt, quoad in Epiſcopi Tribunali ab excommunicatione abſolutus fuerit, & in Pontificio ab irregularitate publica, in quam incidit culpa ſua.

Deciſum hac die 18. Decembris an. 1696.
G. *Fromageau*.

(*a*) Navar. c. Statuimus, comm. 4. de Regul. n. 60. §. 2. in Manual. c. 27. n. 150.

EXEMPTIO.

Exemptio Capituli ab Epiſcopali Juriſdictione.

CASUS.

1 *Capitulum ab Epiſcopi ſui juriſdictione exemptum non tenetur ejus Conſtitutiones ſervare, quippe quæ ſubditos tantum afficiunt.*
2 *Venatio interdicta eſt omnibus Clericis nemine excepto.*
3 *Cum eam Epiſcopus caſum reſervatum declarat, reſervatio non eos obligat, qui ab eo non pendent. Quilibet Presbyter approbatus poteſt eoſdem abſolvere.*

QUÆSITUM.

EPiſcopus N .... Clericis venationem prohibuit ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto*. Cathedralis Eccleſiæ Canonici, qui ab ejus juriſdictione ſunt exempti, quærunt,

I. An teneantur Epiſcopi ſui Conſtitutiones ſervare?

II. An peccent venationi vacantes?

III. An cenſuram incurrant?

IV. An venatio quemadmodum quoad hujus Diœceſis Clericos caſus reſervatus eſt; ita ſit etiam quoad Canonicos?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat,

Quoad quæſtionem primam, ſi exemptio Capituli N .... conſtans eſt, Canonicos, quibus conſtat, Epiſcopi Conſtitutionibus non obligari, niſi de Capituli ipſius conſenſu editæ fuerint; Superioris enim Mandata nonniſi quoad ſubditos valere poſſunt. Porro ſupponitur hujus Cathedralis Canonicos ab Ordinarii juriſdictione exemptos eſſe per privilegium legitimum, cujus poſſeſſione gaudent; ex quo ſequitur eos non teneri Epiſcopi ſui Conſtitutionibus obtemperare, cum eas ille tanquam Superior ediderit, quia nempe eorum exemptio careret effectu, propter quem inſtituta eſt, ſi Epiſcopi ſui Legibus, æque ac reliqui de Clero ſubeſſent.

Animadvertendum tamen eſt fieri poſſe, ut Canonicus exemptus id agens, quod ab Epiſcopo vetitum eſt, tam grave ſcandalum afferat, ut, ſi Capitulum commonefactum remedium non ſuppeditet, penes Epiſcopum jus ſit in hunc Canonicum per cenſuras agendi, eumque puniendi; quia hoc in caſu negotium ad eum devolveretur tanquam ad eum, qui de jure communi in univerſa ſua Diœceſi primarius Superior eſt, ad quem pertinet impedire ſcandala; cum Superiores exempti id facere negligunt.

Quoad ſecundam. Canones venationem Clericis interdicunt, ac proinde illi nequeant citra peccatum eidem vacare; eorum bene multi occurrunt in tomo primo Capitularium an. 802. n. 19. Ibi quivis indiſcriminatim Clericus ad venationem incumbere prohibetur: *Ut Epiſcopi, Abbates, Presbyteri, Diaconus, nullusque ex omni Clero canes ad venandum, aut accipitres, &c. habere præſumant, ſed ſe unuſquiſque in ordine ſuo canonice vel regulariter cuſtodiat; qui autem præſumpſerit, ſciat unuſquiſque honorem ſuum perdere*; & libro 5. *num.* 179. *Et hoc cavendum eſt, ut Presbyteri, vel Diaconi, ſive Subdiaconi arma portare non præſumant, neque venationes aliquas exercere*; & libro 7. *num.* 125. *Omnibus Servis Dei venationes & ſylvaticas vagationes cum canibus, & ut accipitres & falcones non habeant, interdicimus.*

Concilium quartum generale Lateranenſe ſub Innocentio III. id ipſum prohibet Canone 15. *Venationem, & aucupationem univerſis Clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præſumant.* Extat in Jure titulus adverſus Clericos venatores, *de Cler. ven.* Buchellus *l.* 6. *tit.* 18. Conciliorum Provincialium complures Canones affert ad oſtendendum venationem, & arma ignea Clericis vetita eſſe; atque eſto venatio permiſſa eſſet, ut nonnulli Auctores contendunt, cum nempe non eſt periculoſa, non eſt clamoſa, nec frequens: Epiſcopo tamen ſatis juſtæ cauſæ ſubeſſe poſſent, cur eam abſolute prohiberet; quod fere præſtant Canones, qui de ea loquuntur.

Quoad tertiam. Ex reſponſione ad quæſtionem primam ſequitur Canonicos N ..... non incurriſſe cenſuram Epiſcopali Conſtitutione ſancitam.

Quoad quartam. Requiritur in Eccleſia juriſdictio Epiſcopalis ad quorumdam Caſuum reſervationem; & quoniam Canonici, de quibus quæritur, Ordinarii juriſdictioni non ſubſunt, venatio, ad eos quidem quod attinet, reſervatus caſus non eſt, & quilibet Confeſſarius approbatus poteſt eoſdem abſolvere.

Deciſum hac die 12. Septembris an. 1698.
G. *Fromageau*.

FOENUS MARITIMUM.

FŒnus maritimum, quod maritimæ negotiationis vocabulum eſt, pecuniam maritimo periculo commiſſam proprie ſignificat, cujus quidem lucrum poſt navis reditum ſolvitur; ut ſi quis centum nummos aureos det maritimo fœnori, ex certa navi, quæ mari ſe credit, percipiendo. Sed quoniam ea definitio latius patet, nec ſatis accurata ac propria eſt, id proinde ita definiri poteſt, ut ſit contractus, aut ſpecies ſocietatis inter duos initæ, quorum alter merces mari committit, alter certam pecuniæ vim tribuit, ea conditione, ut eam recipiat certo cum fœnore, ſi navigatio ex voto ceſſerit, ſi vero merces perierint, ejuſdem facturam faciat. Mutuanti oppignerantur navis ipſa, ejus apparatus omnis, tormenta bellica, annona, conjunctim aut ſeorſim, quemadmodum etiam vel omnis oneratio, vel ejus pars, aut denique quam late patet itineratio, vel quoad ejus partem quamdam tantummodo. In Commercii Maritimi Conſtitutionibus Art. 11. ſtatuitur, ut ſi Civis pecuniam, quam ſpopondit, tradere negligat, ducentarum librarum pœnam ſubeat, & Domino liceat maritimo cum fœnore pecuniam mutuam, procraſtinantis Civis portioni reſpondentem ſibi comparare. Vide Articulum 19. Cautionum Antuerpiæ.

CASUS.

1 *Poteſt pecunia maritimo fœnori tribui, & lucri pars accipi, ſi navis ad portum pervenerit.*
2 *Hujus negotiationis peritorum eſt, definire, an qui pecuniam præbet lucrum juſto majus exigat, facta hypotheſi proſperum iter fore.*
3 *In hujuſmodi contractibus uſura locum non habet, cum in iiſdem mutui nihil occurrat.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an in commercio, quod in mari peragitur, Mercator ſortis ejus ſummæ, quam Navi imponit, cautionem ſibi quærere poſſit. Exempli cauſa Mercator, qui in Hiſpaniis vel alibi commercium maritimum agere vult, ex alio ſummam accipit ſcutorum mille, quæ cum triceſimi denarii fœnore pro centeſimo ſe redditurum promittit, ſi navigatio ſecunda fuerit; at ſi navis pereat,

reat; qui ſcuta mille tradidit, & ſortis & fœnoris jacturam ſubit, qui porro pecuniam accepit, nil reddere debet. Ob maritimum periculum cum juſtitiæ legibus congruit contractus hic. Verum qui ſcuta mille maritimo fœnori dedit, per alium ſibi cavet cum fœnore denarii tantum quintidecimi pro centeſimo; ut proinde ſi navis perierit, Mercator non amittat niſi decimum quintum denarium pro centeſimo, quod tribuit Sponſori ſuo, qui debet ipſi centum ſolvere. E converſo ſi navis ſoſpes advenerit, Sponſor alter quindecim pro centenis lucratur, & Mercator percipit aliud decimum quintum denarium ex triginta pro centenis, quæ ei debet, qui pecuniam maritimo fœnori creditam ſuppeditavit. Juſtus apparet hic contractus ex parte caventis, qui ſolvendi centum pro quindecim periculum ſubit; at nonne injuſtus eſt quoad Mercatorem, qui nonniſi quindecim ſorti committit pro centenis, quæ ſibi ſponſor tenetur ſolvere, ſi navis forte fortuna perierit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod allatam expoſitionem vidit, exiſtimat, priorem contractum injuſtum fore, ſi qui ſcuta mille præbuit, plus æquo ſibi ſumat, ſpectato periculo, in quod ſe conjicit, amittendi ſortem & fœnus. Ad Mercatores porro ſpectat dijudicare, an in lucro, quod exigit, dum maritimo fœnori pecuniam committit, exceſſus exiſtat. Sed ille tamen tuta conſcientia legitimas inire rationes poteſt, ut ſibi proſpiciat, nec tantam jacturam ſubeat, quantam ſubiret, niſi alium quæſiſſet, qui ex parte ſibi caveret, lucri, quod ex navi ſperat, eidem oblata parte. Cæterum vere aſſeri nequit eumdem Mercatorem ſe omni prorſus periculo eximere, quoniam qui ſibi cavit, deficere poteſt, quo in caſu amitteret ſcuta mille, quæ navi commiſit. Omnis ergo difficultas eo demum redigitur, ut expendatur, in quo tandem lucri exceſſus poſitus ſit. Si enim exceſſus exiſtat, qui pecuniam præbuit, reſtitutionis lege obſtrictus eſſet. Verum injuſtitia hæc uſura non eſſet, quandoquidem mutuum in hujuſmodi commercio minime occurrit, facta hypotheſi, eum, qui primo pecuniam accepit, non teneri, ut dictum eſt, ſeu ſortem, ſeu fœnus reddere, ſi forte navis perierit; ex quo nullam ibi uſuram exiſtere liquido conſtat.

Deciſum in Sorbona Kalendis Sept. an. 1680.

Aug. *de Lamet*.

FOENUS.

VIDE USURA.

Fœnus reſpondens periculo ſummæ, quę mutua datur.

CASUS.

1 *Si periculum oritur ex re mutua, nulla uſura locum habet, cum mutuans periculum in ſe recipit.*

2 *At ſi ex eo, cui res mutua datur, proficiſcitur, citra uſuram cenſus exigi nequit.*

QUÆSITUM.

QUæritur I. an fœnus percipi poſſit ex mutuo ratione periculi, cui ſe mutuans exponit?

II. Quomodo occurri poſſit definitioni Concilii Lateranenſis ſub Leone X.

III. Quid ſentiendum de Decreto Congregationis, quæ ſuper Miſſionariorum Cinenſium quæſtione, an recens Converſi ad reſtitutionem obligandi eſſent, reſpondit *non eſſe* inquietandos?

RESPONSIO.

Quod attinet ad difficultatem, quæ in eo ſita eſt, an fœnus percipi poſſit ex ſumma mutua ratione periculi, cui ſe mutuans exponit;

Reſpondetur aliquid lucri citra uſuram percipi poſſe, cum mutuans, mutuatario libere conſentiente, amittendæ ſummæ periculum, quod verum ſupponitur in ſe recipit; ita ut ſi navis, exempli cauſa, Mercatoris mutuatarii forte perierit, aut Mercator per loca periculoſa iter faciens forte fortuna ſpolietur, jactura in dictum mutuantem recidat; fidejuſſio enim, quam ſubit, diſtinguitur a mutuo, quia non amplius jus habet repetendæ ſortis, ſi pereat, ut habet, cum ſimpliciter mutuum dat; hic contractus fidejuſſionis eſt res pretio æſtimabilis, & cujus gratia lucrum aliquod exigi poteſt.

Sed cum periculum non oritur ex mutuo, ſed potius ex mutuatario, tum uſuræ reus eſt, qui ob mutuatam pecuniam lucrum exigit ratione periculi, quando penes mutuatarium ſemper ſtat obligatio reddendæ ſortis eo tempore, de quo convenit; hoc enim periculum ſpectari debet tantum intrinſecum mutuo, nec ab eo proinde diſtingui; ita ſentiunt ſeniores Theologi, & inter alios Navarrus, qui in Manuali cap. 23. num. 81. opinionem contrariam novam eſſe pronunciat. Et ſane ſi quid lucri percipi poteſt ex mutuo ultra ſortem ratione periculi, conſequens fit, cum majus imminet periculum, tum vero ratione habita majus lucrum exigi poſſe; atque ita, cum mutuum penes divites longe majori periculo obnoxium ſit, majus lucrum a pauperibus exigi poſſe; quod ita non habet. Atque hoc graviſſimum eſt incommodum, cui ea opinio ſubeſt.

Verum quidem eſt Vadem pro eo, qui ne pecuniam mutuam abſumeret, vel in paupertatem incideret, timeretur, poſſe legitime ex eodem exigere aliquid reſpondens periculo, quod Vas ſubiret, pro eo ſolvendi; at non idem ſtatuendum de eo, qui eidem pecuniam mutuam traderet. Facta enim hypotheſi eum velle mutuare, periculum non cenſetur a mutuo diſtinctum; ut proinde lucrum, quod inde exigeretur, ſpectandum ſit tanquam ex mutuo proveniens, & quod inde conſequitur, uſurarium. Hinc eſt mutuantem a mutuatario id exigere non poſſe, quod Vas poteſt, ut nempe lucrum aliquod ſibi perſolvat ratione periculi, quod ſubit, amittendæ ſortis, quia Vas non tenetur periculum illud ſubire; mutuans vero, ſtatim ac mutuum dare vult, mutui naturam & conditionem ſequi debet, & propterea periculum idem ſubire tenetur. Mutuans uno verbo hoc in caſu Vas evadens pro eo, cui dat mutuum, majorem, quam antea, obligationem in ſe non recipit, nec majus ſubit jacturæ faciendæ periculum fidejubendo, quam mutuando; quamobrem non poteſt aliquid majus accipere, ex quo fidejubet, quam dum ſimpliciter mutuum dat.

Hac ipſa de cauſa pronunciatur, quamvis minoris emi poſſit.

FIDEI AMISSIO.

FIdei amiſſio, quæ alio vocabulo dicitur Decoctio, tum fit, cum Mercator non habens, unde ſuis Creditoribus ſolvat, patitur permutandæ pecuniæ Litteras in proteſtationem venire, negotiationem ſuam deſerit, & aliquem ſibi locum quærit, ubi tuto conſiſtat. Porro inter has fidei amiſſiones non deſunt fraudulentæ, cum nempe mercium pars in tuto ponitur, ne veniant in Creditorum notitiam, qui eas occupandas & vendendas curarent; ſed aliæ quoque bona fide contingunt, aut defectus dexteritatis in Mercatore, qui fidem amittit, aut ob aliquod in mari naufragium, aut

ob

ob alios caſus, qui prævideri non poſſunt. In primo caſu certum eſt Decoctores a reſtitutione exemptos non eſſe, quaſcumque remiſſiones a Creditoribus obtinuerint; atque is quoque, qui bona fide, ac nulla ſua culpa defeciſſet, ſuis Creditoribus ſolvere teneretur, ſi decurſu temporis ſatis haberet, ut id exequi poſſet, facta hypotheſi non iis ſatis omnino fieri potuiſſe, bonorum, quæ Debitor ceſſerat, venditione.

Vide (DECOCTIO.

Fidei amiſſio Mercatoris Creditorem conſanguineum ſuum præferentis,

C A S U S.

1 *Creditor Mercatoris, qui fidem amiſit, conſanguineus poteſt integram ſummam ſibi debitam retinere, cum alii Creditores cum Debitore convenerunt, & ſolutione ſibi facta contenti fuerunt.*

2 *Ratio eſt, quia cenſentur eidem ceſſiſſe, quod ſibi ſolvendum ſupererat cum lucro, quod facere poterat, quodque diſponere poterat in favorem ſui conſanguinei, ei ſolvens uſque ad ultimum quadrantem.*

QUÆSITUM.

CUm Mercator fidem amiſiſſet, ejus ſoror Creditorem conſanguineum monuit, fore, ut ipſe nullam jacturam ſubiret. Poſtridie ii, quibus ejus Mercatoris negotia componendi cura demandata erat, eidem conſanguineo Transfactionem cum omnibus Creditoribus initam obtulerunt, qua debitæ pecuniæ duos quincunces ſe ſoluturum Debitor promittebat, & Creditores, quod ſupererat, ei remittebant. Conſanguineus, qui Doctores conſulit, Contractum firmavit, quamvis id non oblitus, quod ſibi pridie dictum fuerat, ſe nempe nihil damni paſſurum eſſe.

Tractatus executioni mandatus eſt; prior quincunx Creditoribus ſolutus eſt, poſterior non item, quia nondum ejus tempus elapſum eſt. Conſanguineus, de quo agitur, & cujus gratia conſilium petitur, ſuum primum quincuncem, ut alii, recepit; ſed præterea Debitoris, qui ſub id tempus occubuit, hæredes integram ſolutionem ei præſtiterunt, incluſo ſecundo quincunce, quem recepturus eſt.

Quærit hic Creditor, an in his circumſtantiis ſumma, quæ duos quincunces excedit, & quam hæredes ſibi ſponte ſolverunt, ſibi legitime acquiſita ſit? Qua in re Doctores moneri par eſt, nec amiſſæ fidei tempore, nec poſtea merces a Creditoribus ſequeſtro poſitas omnino non fuiſſe, & aliis quoque conſanguineis Creditoribus, perinde ut ipſi, ab hæredibus in ſolidum ſolutum fuiſſe.

Neque illud omittendum a fidei amiſſione ad uſque gratificationem, de qua agitur, non temere credi Debitorem lucratum eſſe, quia ex improviſo auctum eſt mercium pretium. Illud præterea animadvertendum, firmato Contractu, Debitoris conjugem, abſente viro, qui nondum mortuus erat, ad conſulentem miſiſſe ſchedulam, qua ipſa integram ſolutionem ei promittebat, inquiens viri procurationem ſibi præſto eſſe, quamvis in ſchedula nullam ejus mentionem fecerit; eaque proinde Creditorem uti non poſſe, quippe quæ nulla ſit, utpote edita a fæmina exiſtente in poteſtate viri, cujus nullam aut facultatem, aut procurationem exhibuit.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ſi Creditores Mercatoris bona non occuparunt, contentique fuerunt, habita ratione bonorum, quæ eidem ſupererant, & ex quibus ab eo nihil occultatum fuiſſe ſupponitur, ſibi ſolvi debitæ pecuniæ quincunces duos, nihilque præterea, videri lucrum ex aucto mercium pretio proveniens ad eum ſpectaſſe, ipſumque proinde illud diſponere, & nonnullorum ſuorum Creditorum integræ ſolutioni deſtinare potuiſſe; cum cæteri per initam compoſitionem ejus plenam diſpoſitionem ei reliquiſſe cenſeantur.

Peccavit tamen hac in re Debitor conſanguineus, facta hypotheſi ab eo quoad totalem ſolutionem conſanguineos Creditoribus pauperioribus prælatos fuiſſe, quia illi ex facta remiſſione multo majus, quam conſanguinei, incommodum percepiſſent.

Verum licet hoc in caſu prælatio hæc ſtricto jure illicita fuerit, non tamen id nullum & invalidum reddit, quod in ſuorum conſanguineorum favorem egit Debitor. Quamobrem qui conſulit, poteſt id retinere, quod percepit, niſi Judex, re ad ipſum delata, aliter ſtatuerit.

Deciſum in Sorbona hac die 8. Maii an. 1701.
G. Fromageau, G. Bourret,
Habert, De Beyne,
De Precelles, Petitpied.

F I D E J U S S O R.

QUi pro alio in re nummaria promittunt, Latine dicuntur Fidejuſſores; ita tamen ut primarius Debitor ſemper obligatus remaneat, nec Fidejuſſor ſolvere cogi poſſit, niſi prius cum hoc principali Debitore actum fuerit, atque ille quidem declaratus ſit ſolvendo impar. Qui pro alio fidejubet, ab eo differt, qui ſe ſoluturum promiſit, in eo, quod hic poſterior ſolus tenetur ſolvere, at prior non tenetur, niſi principalis Debitor ſolvendo non ſit, ut nempe Creditor magis in tuto ſit.

Duo fidejuſſionum genera diſtinguuntur; judiciarium, & extrajudiciarium. Primum contingit, cum reus e carcere egrediens dato Præde ſpondet ſe rediturum, quoties Judici viſum fuerit. Contingit alterum, cum quis ſe pro alio ſoluturum promittit, ſi ille, quo id præſtet, non habuerit; at in hac poſteriore fidejuſſione illud eſt animadvertendum, quod ſecundum Juſtinianum Sponſores nequeunt ſe ita obligare, ut plus dent, quam ille, pro quo ſeſe obligant; & ratio, quam affert, ea eſt, quod eorum obligatio non eſt niſi acceſſorium principalis obligationis, nec major eſſe poteſt acceſſorii obligatio quam principalis. Econtra Fidejuſſores poſſunt minorem obligationem contrahere, ita ut ſi Debitor centum ſcuta promiſerit, optime poſſit Fidejuſſor ad quinquaginta tantum ſolvenda ſeſe obligare, quin centum ipſorum ſolutionem promittat. Quod ſi Debitor pure ſimpliciterque promiſit, Fidejuſſor poteſt ſub conditione promittere, & non e converſo; atque ad tempus etiam quod attinet, ſi Debitor ſpopondit intra annum exempli gratia ſe ſoluturum, Fidejuſſor ſe in præſentia ſoluturum ſpondere non poteſt.

Super Fidejuſſione inſtituuntur quæſtiones plures; quæritur cauſa exempli, an qui pecuniam alteri mutuam dat, poſſit aliquod lucrum exigere, quia ab eo Fidejuſſionem non poſtulat; & reſpondetur

reat; qui ſcuta mille tradidit, & ſortis & fœnoris jacturam ſubit, qui porro pecuniam accepit, nil reddere debet. Ob maritimum periculum cum juſtitiæ legibus congruit contractus hic. Verum qui ſcuta mille maritimo fœnori dedit, per alium ſibi cavet cum fœnore denarii tantum quintidecimi pro centeſimo; ut proinde ſi navis perierit, Mercator non amittat niſi decimum quintum denarium pro centeſimo, quod tribuit Sponſori ſuo, qui debet ipſi centum ſolvere. E converſo ſi navis ſoſpes advenerit, Sponſor alter quindecim pro centenis lucratur, & Mercator percipit aliud decimum quintum denarium ex triginta pro centenis, quæ ei debet, qui pecuniam maritimo fœnori creditam ſuppeditavit. Juſtus apparet hic contractus ex parte caventis, qui ſolvendi centum pro quindecim periculum ſubit; at nonne injuſtus eſt quoad Mercatorem, qui nonniſi quindecim ſorti committit pro centenis, quæ ſibi ſponſor tenetur ſolvere, ſi navis forte fortuna perierit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod allatam expoſitionem vidit, exiſtimat, priorem contractum injuſtum fore, ſi qui ſcuta mille præbuit, plus æquo ſibi ſumat, ſpectato periculo, in quod ſe conjicit, amittendi ſortem & fœnus. Ad Mercatores porro ſpectat dijudicare, an in lucro, quod exigit, dum maritimo fœnori pecuniam committit, exceſſus exiſtat. Sed ille tamen tuta conſcientia legitimas inire rationes poteſt, ut ſibi proſpiciat, nec tantam jacturam ſubeat, quantam ſubiret, niſi alium quæſiſſet, qui ex parte ſibi caveret, lucri, quod ex navi ſperat, eidem oblata parte. Cæterum vere aſſeri nequit eumdem Mercatorem ſe omni prorſus periculo eximere, quoniam qui ſibi cavit, deficere poteſt, quo in caſu amitteret ſcuta mille, quæ navi commiſit. Omnis ergo difficultas eo demum redigitur, ut expendatur, in quo tandem lucri exceſſus poſitus ſit. Si enim exceſſus exiſtat, qui pecuniam præbuit, reſtitutionis lege obſtrictus eſſet. Verum injuſtitia hæc uſura non eſſet, quandoquidem mutuum in hujuſmodi commercio minime occurrit, facta hypotheſi, eum, qui primo pecuniam accepit, non teneri, ut dictum eſt, ſeu ſortem, ſeu fœnus reddere, ſi forte navis perierit; ex quo nullam ibi uſuram exiſtere liquido conſtat.

Deciſum in Sorbona Kalendis Sept. an. 1680.

Aug. *de Lamet*.

FOENUS.

VIDE USURA.

Fœnus reſpondens periculo ſummæ, quę mutua datur.

CASUS.

1 *Si periculum oritur ex re mutua, nulla uſura locum habet, cum mutuans periculum in ſe recipit.*

2 *At ſi ex eo, cui res mutua datur, proficiſcitur, citra uſuram cenſus exigi nequit.*

QUÆSITUM.

QUæritur I. an fœnus percipi poſſit ex mutuo ratione periculi, cui ſe mutuans exponit?

II. Quomodo occurri poſſit definitioni Concilii Lateranenſis ſub Leone X.

III. Quid ſentiendum de Decreto Congregationis, quæ ſuper Miſſionariorum Cinenſium quæſtione, an recens Converſi ad reſtitutionem obligandi eſſent, reſpondit *non eſſe* inquietandos?

RESPONSIO.

Quod attinet ad difficultatem, quæ in eo ſita eſt, an fœnus percipi poſſit ex ſumma mutua ratione periculi, cui ſe mutuans exponit;

Reſpondetur aliquid lucri citra uſuram percipi poſſe, cum mutuans, mutuatario libere conſentiente, amittendæ ſummæ periculum, quod verum ſupponitur in ſe recipit; ita ut ſi navis, exempli cauſa, Mercatoris mutuatarii forte perierit, aut Mercator per loca periculoſa iter faciens forte fortuna ſpolietur, jactura in dictum mutuantem recidat; fidejuſſio enim, quam ſubit, diſtinguitur a mutuo, quia non amplius jus habet repetendæ ſortis, ſi pereat, ut habet, cum ſimpliciter mutuum dat; hic contractus fidejuſſionis eſt res pretio æſtimabilis, & cujus gratia lucrum aliquod exigi poteſt.

Sed cum periculum non oritur ex mutuo, ſed potius ex mutuatario, tum uſuræ reus eſt, qui ob mutuatam pecuniam lucrum exigit ratione periculi, quando penes mutuatarium ſemper ſtat obligatio reddendæ ſortis eo tempore, de quo convenit; hoc enim periculum ſpectari debet tantum intrinſecum mutuo, nec ab eo proinde diſtingui; ita ſentiunt ſeniores Theologi, & inter alios Navarrus, qui in Manuali cap. 23. num. 81. opinionem contrariam novam eſſe pronunciat. Et ſane ſi quid lucri percipi poteſt ex mutuo ultra ſortem ratione periculi, conſequens fit, cum majus imminet periculum, tum vero ratione habita majus lucrum exigi poſſe; atque ita, cum mutuum penes divites longe majori periculo obnoxium ſit, majus lucrum a pauperibus exigi poſſe; quod ita non habet. Atque hoc graviſſimum eſt incommodum, cui ea opinio ſubeſt.

Verum quidem eſt Vadem pro eo, qui ne pecuniam mutuam abſumeret, vel in paupertatem incideret, timeretur, poſſe legitime ex eodem exigere aliquid reſpondens periculo, quod Vas ſubiret, pro eo ſolvendi; at non idem ſtatuendum de eo, qui eidem pecuniam mutuam traderet. Facta enim hypotheſi cum velle mutuare, periculum non cenſetur a mutuo diſtinctum; ut proinde lucrum, quod inde exigeretur, ſpectandum ſit tanquam ex mutuo proveniens, & quod inde conſequitur, uſurarium. Hinc eſt mutuantem a mutuatario id exigere non poſſe, quod Vas poteſt, ut nempe lucrum aliquod ſibi perſolvat ratione periculi, quod ſubit, amittendæ ſortis, quia Vas non tenetur periculum illud ſubire; mutuans vero, ſtatim ac mutuum dare vult, mutui naturam & conditionem ſequi debet, & propterea periculum idem ſubire tenetur. Mutuans uno verbo hoc in caſu Vas evadens pro eo, cui dat mutuum, majorem, quam antea, obligationem in ſe non recipit, nec majus ſubit jacturæ faciendæ periculum fidejubendo, quam mutuando; quamobrem non poteſt aliquid majus accipere, ex quo fidejubet, quam dum ſimpliciter mutuum dat.

Hac ipſa de cauſa pronunciatur, quamvis minoris emi poſſit.

FIDEI AMISSIO.

Fidei amiſſio, quæ alio vocabulo dicitur Decoctio, tum fit, cum Mercator non habens, unde ſuis Creditoribus ſolvat, patitur permutandæ pecuniæ Litteras in proteſtationem venire, negotiationem ſuam deſerit, & aliquem ſibi locum quærit, ubi tuto conſiſtat. Porro inter has fidei amiſſiones non deſunt fraudulentæ, cum nempe mercium pars in tuto ponitur, ne veniant in Creditorum notitiam, qui eas occupandas & vendendas curarent; ſed aliæ quoque bona fide contingunt, aut defectus dexteritatis in Mercatore, qui fidem amittit, aut ob aliquod in mari naufragium, aut

ob

ob alios caſus, qui prævideri non poſſunt. In primo caſu certum eſt Decoctores a reſtitutione exemptos non eſſe, quaſcumque remiſſiones a Creditoribus obtinuerint; atque is quoque, qui bona fide, ac nulla ſua culpa defeciſſet, ſuis Creditoribus ſolvere teneretur, ſi decurſu temporis ſatis haberet, ut id exequi poſſet, facta hypotheſi non iis ſatis omnino fieri potuiſſe, bonorum, quæ Debitor ceſſerat, venditione.

Vide (DECOCTIO.

Fidei amiſſio Mercatoris Creditorem conſanguineum ſuum præferentis,

CASUS.

1 *Creditor Mercatoris, qui fidem amiſit, conſanguineus poteſt integram ſummam ſibi debitam retinere, cum alii Creditores cum Debitore convenerunt, & ſolutione ſibi facta contenti fuerunt.*

2 *Ratio eſt, quia cenſentur eidem ceſſiſſe, quod ſibi ſolvendum ſupererat cum lucro, quod facere poterat, quodque diſponere poterat in favorem ſui conſanguinei, ei ſolvens uſque ad ultimum quadrantem.*

QUÆSITUM.

CUm Mercator fidem amiſiſſet, ejus ſoror Creditorem conſanguineum monuit, fore, ut ipſe nullam jacturam ſubiret. Poſtridie ii, quibus ejus Mercatoris negotia componendi cura demandata erat, eidem conſanguineo Tranſactionem cum omnibus Creditoribus initam obtulerunt, qua debitæ pecuniæ duos quincunces ſe ſoluturum Debitor promittebat, & Creditores, quod ſupererat, ei remittebant. Conſanguineus, qui Doctores conſulit, Contractum firmavit, quamvis id non oblitus, quod ſibi pridie dictum fuerat, ſe nempe nihil damni paſſurum eſſe.

Tractatus executioni mandatus eſt; prior quincunx Creditoribus ſolutus eſt, poſterior non item, quia nondum ejus tempus elapſum eſt. Conſanguineus, de quo agitur, & cujus gratia conſilium petitur, ſuum primum quincuncem, ut alii, recepit; ſed præterea Debitoris, qui ſub id tempus occubuit, hæredes integram ſolutionem ei præſtiterunt, incluſo ſecundo quincunce, quem recepturus eſt.

Quærit hic Creditor, an in his circumſtantiis ſumma, quæ duos quincunces excedit, & quam hæredes ſibi ſponte ſolverunt, ſibi legitime acquiſita ſit? Qua in re Doctores moneri par eſt, nec amiſſæ fidei tempore, nec poſtea merces a Creditoribus ſequeſtro poſitas omnino non fuiſſe, & aliis quoque conſanguineis Creditoribus, perinde ut ipſi, ab hæredibus in ſolidum ſolutum fuiſſe.

Neque illud omittendum a fidei amiſſione ad uſque gratificationem, de qua agitur, non temere credi Debitorem lucratum eſſe, quia ex improviſo auctum eſt mercium pretium. Illud præterea animadvertendum, firmato Contractu, Debitoris conjugem, abſente viro, qui nondum mortuus erat, ad conſulentem miſiſſe ſchedulam, qua ipſa integram ſolutionem ei promittebat, inquiens viri procurationem ſibi præſto eſſe, quamvis in ſchedula nullam ejus mentionem fecerit; eaque proinde Creditorem uti non poſſe, quippe quæ nulla ſit, utpote edita a fæmina exiſtente in poteſtate viri, cujus nullam aut facultatem, aut procurationem exhibuit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ſi Creditores Mercatoris bona non occuparunt, contentique fuerunt, habita ratione bonorum, quæ eidem ſupererant, & ex quibus ab eo nihil occultatum fuiſſe ſupponitur, ſibi ſolvi debitæ pecuniæ quincunces duos, nihilque præterea, videri lucrum ex aucto mercium pretio proveniens ad eum ſpectaſſe, ipſumque proinde illud diſponere, & nonnullorum ſuorum Creditorum integræ ſolutioni deſtinare potuiſſe; cum cæteri per initam compoſitionem ejus plenam diſpoſitionem ei reliquiſſe cenſeantur.

Peccavit tamen hac in re Debitor conſanguineus, facta hypotheſi ab eo quoad totalem ſolutionem conſanguineos Creditoribus pauperioribus prælatos fuiſſe, quia illi ex facta remiſſione multo majus, quam conſanguinei, incommodum percepiſſent.

Verum licet hoc in caſu prælatio hæc ſtricto jure illicita fuerit, non tamen id nullum & invalidum reddit, quod in ſuorum conſanguineorum favorem egit Debitor. Quamobrem qui conſulit, poteſt id retinere, quod percepit, niſi Judex, re ad ipſum delata, aliter ſtatuerit.

Deciſum in Sorbona hac die 8. Maii an. 1701.
G. Fromageau, *G. Bourret*,
Habert, *De Beyne*,
De Præcelles, *Petitpied*.

FIDEJUSSOR.

QUi pro alio in re nummaria promittunt, Latine dicuntur Fidejuſſores; ita tamen ut primarius Debitor ſemper obligatus remaneat, nec Fidejuſſor ſolvere cogi poſſit, niſi prius cum hoc principali Debitore actum fuerit, atque ille quidem declaratus ſit ſolvendo impar. Qui pro alio fidejubet, ab eo differt, qui ſe ſoluturum promiſit, in eo, quod hic poſterior ſolus tenetur ſolvere, at prior non tenetur, niſi principalis Debitor ſolvendo non ſit, ut nempe Creditor magis in tuto ſit.

Duo fidejuſſionum genera diſtinguuntur; judiciarium, & extrajudiciarium. Primum contingit, cum reus e carcere egrediens dato Præde ſpondet ſe rediturum, quoties Judici viſum fuerit. Contingit alterum, cum quis ſe pro alio ſoluturum promittit, ſi ille, quo id præſtet, non habuerit; at in hac poſteriore fidejuſſione illud eſt animadvertendum, quod ſecundum Juſtinianum Sponſores nequeunt ſe ita obligare, ut plus dent, quam ille, pro quo ſeſe obligant; & ratio, quam affert, ea eſt, quod eorum obligatio non eſt niſi acceſſorium principalis obligationis, nec major eſſe poteſt acceſſorii obligatio quam principalis. Econtra Fidejuſſores poſſunt minorem obligationem contrahere, ita ut ſi Debitor centum ſcuta promiſerit, optime poſſit Fidejuſſor ad quinquaginta tantum ſolvenda ſeſe obligare, quin centum ipſorum ſolutionem promittat. Quod ſi Debitor pure ſimpliciterque promiſit, Fidejuſſor poteſt ſub conditione promittere, & non e converſo; atque ad tempus etiam quod attinet, ſi Debitor ſpopondit intra annum exempli gratia ſe ſoluturum, Fidejuſſor ſe in præſentia ſoluturum ſpondere non poteſt.

Super Fidejuſſione inſtituuntur quæſtiones plures; quæritur cauſa exempli, an qui pecuniam alteri mutuam dat, poſſit aliquod lucrum exigere, quia ab eo Fidejuſſionem non poſtulat; & reſpondetur

id non licere, quia beneficium, quod ei confert Fidejuſſionem non exigens, quam petere poſſet, non deſtruit obligationes quas mutuans cum eo contraxit, & quoad eum non addit niſi majus inſolubilitatis periculum, quod nunquam ad ullum quæſtum titulum afferre poteſt. Præterea an qui pro alio fidejubet, ab eo aliquid exigere poſſit, quia ejus ſponſor eſt; minime vero, atque id quidem caſus inſequentis argumentum eſt. Tertio an qui debiti ad mutuatarii preces initi ſe prædem conſtituit, poſſit ab eo, pro quo ſuam fidem obſtrinxit, aliquod pro ſua fidejuſſione lucrum percipere; cauſa exempli Joannes Petro dedit mutua ſcuta centum, ejuſque, quod ſibi debetur, jacturam timens, quærit a Paulo, velitne pro Petro fidejubere, ſeque ei pro ipſius fidejuſſione certam ſummam daturum pollicetur. Reſpondetur id licere, quia lucrum ita pacto firmatum nulla ratione in mutuum cadere poteſt, cum in mutui gratiam ſtatutum non fuerit, ſed ſolum ob certitudinem, & periculum, cui ſe ſubdit, quæ res eſt pretio æſtimabilis, ut ait Lex, (*a*) & cujus proinde gratia, ut docet Sanctus Antoninus, (*b*) poteſt ille citra uſuram juſtum pretium percipere pro ratione periculi, quod ſubit. Quarto loco qui pro alio ſpondet, cum Creditore ſtipulari poteſt, ut ſe a ſponſione liberet. Exempli cauſa Petrus pro Paulo ſuam fidem obligat ob pecuniæ ſummam, quam Joannes ei mutuam dedit; Joannes poteſt ita cum Petro convenire: pro quaque parte centeſima certam pecuniam mihi ſolve, & tua te ſponſione libero. Ratio eſt, quia poteſt peti ſuæ fidejuſſionis liberatio ab eo, in cujus gratiam facta eſt, & pro hac liberatione pecunia ſolvi poteſt; quia ſi pro fide obſtricta lucrum accipi potuit: cum hujus fidei liberatio ſit eodem pretio eſtimabilis, eodemque principio nitatur, quidni Joannes ob hanc liberationem poſſit ab eo lucrum exigere pro ratione periculi, cui ſeſe expoſuit?

Ex his omnibus in hunc modum conſtitutis concluditur principalem Debitorem ad omnia damna, quæ Fidejuſſor paſſus eſt, ſarcienda obligari, quia ille pro ipſo ſtetit; hæredem Fidejuſſoris eſſe Fidejuſſorem eadem ratione ac Debitorem; non licere fidejubere, cum conſtat nihil præſto eſſe, quo fidejuſſio fulciatur; quatuor denique caſus eſſe, quibus is, qui pro alio fidejuſſit, poteſt contra eum agere, ut liberetur, atque ita ab obſtricta fide liber & indemnis evadat. Primus eſt, cum Debitor ſtatuto tempore non ſolvit; ſecundus, cum ſua bona dilapidat; tertius, cum quatenus Fidejuſſor ad ſolutionem damnatus eſt; quartus demum, cum ſatisfecit conventioni cum Debitore, ut dicitur in Canone (*c*), ubi Pontifex tres priores Caſus recenſet, & Gloſſa quartum addit, qui ex Lege expreſſe ductus eſt, ſtatuente, ut Contractuum pacta ſervemus,

Fidejuſſio ob mutuum cum lucro.

CASUS,

Licet theorice qui pro alio ſuam fidem obſtringit, poſſit ex beneficio, quod ei confert, lucrum percipere, praxis tamen periculoſa eſt, & tam gravibus incommodis obnoxia, ut nunquam permitti debeat.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Domini, ut in hac facti ſpecie dicant, quid ſentiant. Poteſtne cuipiam permitti, ut ex ſua fidejuſſione lucrum percipiat? Ratio, qua is, pro quo conſulitur, nititur, ea eſt, quod, ut inquit, id quod facit ſe pro aliquo prædem inſtituens, eſt æſtimabile ratione periculi, cui ſe exponit, pro eo ſolvendi; ei veluti fidem obſtringit ab ea non diſſimilem, quæ in Mari in uſu eſt; cum cavetur alicui de centum nummis aureis in navi expoſitis, cautor percipit & poteſt percipere ex hac cautione legitimum lucrum ratione periculi, cui ſe exponit, centum ipſos nummos amittendi. Probandane eſt hæc paritas, quæ inter has duas perſonas detegi creditur? Nonne propterea Debitor tum a Creditoribus, tum a Fidejuſſoribus quamprimum in jus conveniri poſſet?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, ſpectata, ut ſe habet, re, Auctorum pleroſque ſentire Fidejuſſorem poſſe ex ſua Fidejuſſione aliquod emolumentum percipere; hoc enim beneficium eſt res argenti pretio æſtimabilis. Ex quo fit, ut, modo quæſtus reſpondeat periculo, cui ſe quis ſubdit, pro eo ſolvendi, cui ſe prædem ſtatuit, lucrum hoc minime injuſtum ſit. Non deſunt Auctores (*d*) magni nominis, qui contendant fidejuſſionem eſſe mutui ſpeciem, & quoniam nullum emolumentum vi mutui accipi poteſt, nullum pariter accipi poſſe propter beneficium, quod fidejubendo eidem affertur. At Soto aſſerit eſſe diſcrimen inter mutuum, & pro aliquo fidejubere: (*e*) *quod ſi inſurgas*, inquit ille, *Fidejuſſio eſt quædam ſpecies mutui, ſed ſi fidejuſſor mutuaret amico pecuniam, non poſſet pretium recipere; ergo neque inde, quod pro eo fidejubet*. Auctor huic objectioni reſpondet: *negatur prior præmiſſa; alia enim res eſt fidejubere pro te, & mutuare tibi*. Sane mutuans nequit ob periculum lucrum percipere; quia periculi timor minime ſejunctus eſt a mutuo, quod debet eſſe gratuitum; jam vero gratuitum non eſſet, ſi mutuans poſſet legitime aliquod ex mutuo lucrum percipere; eſſet hic contractus aut emptionis, aut locationis, & non jam mutuum.

Hinc igitur concludi poteſt mutuantem & Fidejubentem ſpectandos non eſſe tanquam unam eamdemque perſonam; quoniam, ut dictum eſt, mutuare, & fidejubere non unum & idem ſunt. Illud convenit, ſi mutuans fidejuſſoris officio fungatur, & non mutuet niſi ea conditione, ut ipſius fidejuſſio acceptetur, lucrum, quod inde perciperet, uſuram fore damnatam in capite *Navigantes*, *de uſur.* & ſi hoc in caſu Fidejuſſor ſalutioni obnoxius eſſet, hanc ſolutionem ſpectandam fore tanquam mutuum, ex quo non poſſet ipſe tuta conſcientia quicquam emolumenti percipere.

Ad extremum illud exploratum eſt Divi Thomæ (*f*) ſententia, mutuantem ea conditione, ut qui mutuatur, ei cum ſe occaſio obtulerit, cumque ipſe indiguerit, mutuare teneatur, impoſiturum eidem onus argenti pretio æſtimabile. Ex quo Cajetanus in hunc ejuſdem Sancti Doctoris locum concludit, cum fidejubendi obligatio non minus oneroſa ſit quam mutuandi fidejuſſionem lucrum percipi, quemadmodum percipi poſſet, ut mutuandi obligatio tolleretur: *Fidejuſſor poteſt aliquid pecuniæ exigere, ut fidejubeat, quoniam fidejubendo obligat ſe civiliter ad ſolvendum pro alio, quod non eſt minus quam obligare ſe ad mutuandum, ac per hoc quia obligatio ad mutuandum poteſt vendi, ut in litera dicitur; conſequens eſt, ut obligatio ad ſolvendum pro alio poſſit vendi. Hanc autem obligationem importat fidejuſſio*. (*g*) Navarrus hanc ſententiam tuetur. Videri poſſunt Auctores a Molina laudati, aliique omnes, qui de cautionis contractu diſputant.

Poſt hæc omnia teſtimonia, quæ evincunt poſſe in

(*a*) L. Periculi ff. de nautic. fœnore. Periculi pretium eſt.
(*b*) S. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 7 §. 2.
(*c*) Cap. Cum pro quo Fidejuſſoribus.
(*d*) M. de Sainte Beuve tom. 2. Caſu 57.
(*e*) Soto lib. 1. quæſt. 1. art. 2. ad 1.

(*f*) S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad. 4.
(*g*) Navar. in Manual. cap. 17. n. 185. Molina diſp. 309. tom. 2. de juſtit. & jure. Bonacina de contract. diſp. 3. q. 9. puncto 3. Diana Tom. 1. tract. 8. reſolut. 37.

in theorica lucrum accipi propter mutuantis cautionem; tamen monendum eſt hanc opinionem in praxi ſummopere periculoſam eſſe, quia ingenti abuſuum numero, & gravibus incommodis januam aperit.

I. Cum lucrum debeat periculo reſpondere, cumque mutuum majore cum periculo detur pauperibus quam divitibus, ex his quidem major percipietur utilitas, atque ita ipſi gravabuntur, eorumque conditio evadet quam antea deterior.

II. Si Fidejuſſori lucrum tribui poteſt, conſequens fiet ei quoque tribui poſſe, qui mutuum dans velit eum a cautione liberare, cui mutuum dederit, ut Auctores bene multi a Molina citati contendunt; quod uſuram mirum in modum communem redderet.

III. Sive hac in re damnum adſit, ſive non adſit, ſemper Fidejuſſor lucrum ſibi arrogabit; atque id quidem propter obligationem, quam ſubiit, pro alio ſolvendi. Solum igitur ratione periculi id emolumenti percipitur; quod iniquum videtur, licet non deſint Auctores, qui doceant id licere.

IV. Quoniam in hac facti ſpecie tum ex periculo, tum ex ſumma mutua lucrum penſatur; Fidejuſſor, qui intelliget ſuo ipſius officio opus eſſe, quam maximum poterit, lucrum expoſcet; cum facile lucrandi ratione adducamur ad credendum id eſſe legitimum, quod noſtræ cupiditati conforme eſt. Lucrum hoc, ſi bene penitus inſpiciatur, injuſtum erit; ſi enim dicatur illud definiendum eſſe judicio prudentis Viri, ſcilicet Fidejuſſorem arbitrum fore & indigentiæ, propter quam mutuum petitur, & lucri, quod ipſe percipiet, id vero pluribus injuſtitiis januam aperiet.

Quamobrem omnibus ad trutinam revocatis, quamvis hoc lucrum ipſum per ſe injuſtum non ſit, & fieri aliquando poſſit, ut Fidejuſſori liceat illud accipere; tamen in praxi non eſt omnino permittendum propter abuſus, qui cum eo fere conjuncti ſunt.

Deciſum hac die 13. Octobris an. 1703.
G. *Fromageau*.

FILII.

Divina Lex, qua filii patrem & matrem honorare jubentur, non modo intelligitur de obſervantia, qua eos proſequi debent; ſed etiam continet obligationem ipſis indigentibus opitulandi. Sed quatenus hæc obligatio pertineat, ex ſequentis Caſus deciſione conſtabit; cui quidem addentur alii duo, qui huc referri poſſe viſi ſunt.

Filialis obligatio ratione Patris ob æs alienum in carcere detenti.

CASUS I.

Cum pater ære alieno gravatus in carcerem conjectus eſt, ad eum liberandum filia omnia ſua bona oppignorare non tenetur, quia magis de propria, quam de cujuſvis alterius vel arctiſſima cognatione ſibi conjuncti conſervatione debet eſſe ſollicita.

QUÆSITUM.

Pater in carcerem conjectus eſt a Creditore, cui debet librarum decem millia. Proponit hic Debitoris filiæ, ut ſibi cedat hæreditatem, qua conſtat id omne, quod ipſa ſperare poteſt, quo facto ſe patri libertatem redditurum promittit. Hæc filia, quæ major eſt, hanc tantum hæreditatem poſſidet, ut ſubſiſtat, nullam artem callet, nec ſerviendo idonea eſt; actu degit cum fratre, cui pater ceſſit officium ea conditione, ut ſibi, quoad vixerit, alimenta ſuppeditet, ſeque ære alieno ex parte liberet. Hoc poſito, filia Doctores rogat, ut definiant, an ipſa ob patris libertatem omnia ſua bona tradere teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat I. filiam conſulentem non teneri patri cavere, & ſe bonis omnibus, quæ poſſidet, quæque ſperare poteſt, ſpoliare, ut eum e carcere educat. Is enim charitatis ordo eſt, ut ipſa ſe primo, & præ quovis alio conſervet. Porro in hac facti ſpecie patri cavens, cedenſque omnia tum in præſens, tum impoſterum eo ſe ipſam adigeret, ut neceſſaria quoque ſibi deeſſent; non igitur ad id tenetur. Generatim quidem loquendo propoſitæ cautionis executio eſſet actio heroica, maximique apud Deum meriti; ſed hoc nonniſi conſilii eſt, nullumque præceptum ad id filiam obligat; præſertim cum frater melius patri conſulere poſſit, magiſque teneatur, quippe qui officium ſibi a patre ea lege traditum poſſideat: ſoror vero eum liberare non poſſit, niſi ſe fortaſſe, quoad vixerit, ad longe maximam neceſſitatem redegerit.

Si illud addatur filios ita teneri ſuis genitoribus opitulari, ut Eccleſia permittat Regularibus egredi e Monaſteriis, ut huic muneri ſatisfaciant; reſpondeo, ut id verum eſſet de Regularibus, nonniſi de extremæ neceſſitatis caſu accipiendum eſſe. Neceſſe quippe foret patrem eſſe in periculo fame moriendi, Monaſterium ei opem ferre non poſſe, filiam non poſſe ullum aliunde ſubſidium ei comparare. Id porro non ita habet in hac facti ſpecie, quoniam patri in carcere non deſunt neceſſaria. Præterea quamvis Regularis e Conventu exire poſſit, ut patri & matri in gravis indigentiæ caſu proſpiciat, equidem haud ſcio, an idem aſſeri poſſit de Moniali, quæ ad ſæcularem vitam rediens multo magis expoſita eſt, & in majori ſalutis periculo verſatur. Quare non videtur par eſſe utrinque ratio. Conſtat etiam Clementem VIII. in Conſtitutione 60. & Urbanum VIII. in 26. declaraviſſe hos Regularium, & Monialium egreſſus concedendos non eſſe niſi cum expreſſa Sedis Apoſtolicæ permiſſione. V. Peliſſonium *tom.* 2. *tr.* 9. *v.* 3. *n.* 47. Uno verbo filia, quæ conſulit, non poſſet dare, quod petitur, quin de rebus omnibus periclitaretur. Non eadem eſt ratio Monialis egredientis e Monaſterio Superiorum permiſſu, quia pro certo ponitur eam & genitorum, & ſuæ ipſius conſervationi proſpicere poſſe.

Sane egregia in hanc rem exempla leguntur in hiſtoria; occurrunt filiæ, quæ patrarunt ſingularia facinora, ut impedirent, ne proprii parentes fame perirent. Valerius Maximus Matronæ Romanæ meminit, quæ patri vitam ſervavit, eum alens in carcere uberum ſuorum lacte. Oſtendunt exempla, quo uſque ferri poſſit erga parentes filiorum pietas; ſed non probant, eadem ſemper ſub peccati pœna ſequenda eſſe; poſſet quidem filia ejus Matronæ exemplo ſuam propriam ſubſtantiam pro patre tradere, ſi certa eſſet creditorem ſuum imitaturum humanitatem Romanorum Magiſtratuum, a quibus ejuſdem Matronæ pater ſervatus eſt, pœna, ad quam damnatus erat, ei condonata. Cum porro id ille in animo non habeat, filia proinde non tenetur ſe ipſam perdere, ut ei ſatisfaciat.

Deciſum hac die 6. Decembris an. 1697.
Germanus *Fromageau*.

Filius Viduę, qui eſt ſuppoſitus.

CASUS II.

1 *Filia, quæ a matre moriente audiit ſe ſpuriam eſſe, non tenetur infamare matrem, aut ſe ipſam, hoc arcanum detegens.*

2 *Non tenetur id reſtituere, quod conſumpſit ex ejus bonis, quem patrem ſuum credidit, quia erat in bona fide.*

3 *Si quod ſupereſt, ad vitam ſuſtentandam ei neceſſarium eſt, poteſt illa id retinere, mandans, ut cum occubuerit, ad ſui putativi patris hæredes deveniat.*

4 *Si id illa præſcripſit, quo tempore poſſidebat bona fide, non tenetur reſtituere; ea bona ſunt ejus propria.*

QUÆSITUM.

VIdua, cui vir nullum filium reliquerat, cum aliquanto poſt ejus mortem ei venter intumuiſſet, filiam peperit, quam ex eo ſuſceptam aſſeruit. Quoniam inter viri mortem & Viduæ partum non parum temporis interceſſerat, defuncti conſanguinei magnopere murmurarunt videntes ea ſe hæreditate privari, ad quam aſpirabant. Nihilominus illi ad Judicem non confugerunt, ſuique conſanguinei bona a matre ac filia poſſideri paſſi ſunt. Vidua iterum deinde nupſit, multoſque filios in lucem dedit; cumque filia de bonis ejus, quem ſuum patrem credebat, poſſet præ ætate diſponere, eorum parte vendita, matri, ac filiis ex ſecundo matrimonio ſuſceptis adjumento fuit.

Sed cum mater periculoſo morbo premeretur, & ſe morti proximam eſſe intelligeret, filiæ declaravit eam ſpuriam eſſe, allatiſque rationibus magni ponderis id ei perſuaſit, atque adeo ipſam convicit. Quærit illa in præſentia, quid in tam ſalebroſa facti ſpecie ſibi faciendum ſit. Non habet, unde id reſtituat, quod vendidit; debetne, quod ei reliquum eſt, primi matris ſuæ viri conſanguineis tribuere? Teneturne eam, ſeque infamare, detegens, quod audivit ex matre, ſe nempe prioris viri filiam non eſſe? An vero ad id patefaciendum expectare debet, dum morti proxima ſit? Rogantur Doctores, ut ſuper hac re dicant, quid ſentiant.

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, filiam, quæ cum matre publice bonæ famæ poſſeſſione gaudet, quamque illegitimam eſſe haud liquido conſtat, non teneri reſtitutionis gratia patefacere, quod ei mater moriens de nativitate ſignificavit.

I. Mater non tenebatur ſuam propriam turpitudinem non revelare, etiamſi ad viri ſua bona reſtituenda id efficax fuiſſet, ac neceſſarium. Id pro certo ponit Canon *Officii*, (*a*) Hæc Canoniſtarum apud Barboſam in hunc locum, communis ſententia eſt, & Sayri in *Clavi*. Multo vero minus tenetur filia, quia præter honorem matris ſuum quoque ſervare debet. Et ſane cum honor, & fama ſint bona majora fortunæ bonis, ſi priora gravibus incommodis obnoxia ſint, ut eſſent, ſi quis ſe ipſum infamare cogeretur, illorum conſervatio præferenda eſt horum, quæ ſunt ordinis inferioris, conſervationi.

II. Filia arcanum detegens non amplius poſſet univerſam hæreditatem prioris viri matris ſuæ reſtituere. Itaque bonum, quod inde oriretur, non prævalet infamiæ, quam ſubiret confitens ſe prioris viri matris ſuæ filiam non eſſe. Sed facta hypotheſi eam teneri illius bona legitimis hæredibus reſtituere, id tamen reſtituere non teneretur, quod in ſecundo matris ſuæ matrimonio conſumptum eſt; quia id bona fide factum fuit, & quo tempore ſe filia legitimam judicabat. Quod attinet ad bona, quæ remanent, ſi illa iis indiget, ut vivat, poteſt ea retinere, mandans, ut, ſe mortua, reddantur hæredibus prioris viri matris ſuæ, quin aliquid innuat, quod vel ſuam vel matris famam lædere poſſit.

Poſſet & illud aſſeri cum Bonacina (*b*) atque aliis Auctoribus filiam in hac facti ſpecie ad nullam reſtitutionem teneri; quia cum bona fide, ac tamdiu, ut præſcriptioni locus eſſet, hæreditatem poſſederit, præſcriptio acquiſita eſt, adeoque illa legitime poſſidet; idque eo magis, quod hæredes cenſentur hæreditatem ei conceſſiſſe, quandoquidem cum ad eam ſibi vindicandam potuerit actionem intentare, id tamen non præſtiterunt, eamque adeo tanquam ſuam conſanguineam habere voluerunt.

Deciſum Pariſiis hac die 13. Octobris anno 1693.

G. *Fromageau*.

An poſſit fœminæ conſilium dari, ut proprium filium exponat.

C A S U S III.

1 *Civiles Leges pœnis mulctant fœminas, quæ proprios filios exponunt, ipſæque eorum homicidæ cenſentur.*

2 *Damnantur etiam graviſſime legibus Eccleſiaſticis.*

3 *Non poſſunt illæ ullam legitimam excuſationem huic crimini prætexere.*

QUÆSITUM.

FÆmina ventrem gerens in Regularem familiam ingreſſa famulæ titulo, de ventre ſilens, adveniente pariendi tempore ſeſe exonerat; cumque præ gravi paupertate filium educare nequeat, neque vero retinere poſſit, ſalva fama, Monialis neſcioqua id ei conſilium dat, ut eundem exponat. Quamobrem quæritur a Sorbonæ Doctoribus,

I. An huic fœminæ ob rationes, quas affert, jus competat proprii filii exponendi, præſertim cum promittat ſe curaturam, ut ab aliquo ſuſcipiatur, aut in Hoſpitali collocandus?

II. An hæc Monialis potuerit tale conſilium dare?

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, antequam duabus hiſce quæſtionibus ſatisfiat, expendendum eſſe, an in propoſita facti ſpecie poſſit a matre filius exponi.

Auctores ſunt ſecti bifariam. (*c*) Sunt, qui dicant in dictarum circumſtantiarum utraque filium a matre exponi poſſe, & cur ita ſtatuant, peculiares rationes afferunt; hoc tamen adhibent temperamentum, dummodo infans non exponatur periculo fame aut frigore moriendi. Alii vero contra ſentiunt, ſeque tuentur Civilium & Canonicarum Legum, atque adeo naturalis Juris auctoritate, contendentes in circumſtantiis ſupra indicatis non poſſe matrem tuta conſcientia ſuum puerum exponere, & quem ipſa in lucem edidit, ejus curam educationemque negligere.

Civiles Leges (*d*) pœnis afficiunt fœminas, quæ pueros ſuos expoſuerint; nullumque diſcrimen ponunt inter matrem, quæ fœtum in ventre ſuffocaverit, eamque quæ edito fœtui ſubſidia negaverit; eaſque arguunt homicidii crimine, tametſi reperirentur, qui expoſitos infantes ſuſciperent, & erga eos charitatis officia exercerent; quoniam ex quo eos exponunt, difficile factu eſt hos pueros non aliquod ſubire amittendæ vitæ periculum.

Si puer expoſitus eſt legitimus, Leges privant patrem ac matrem poteſtate, quam in eum gaudent jure naturæ, & declarant indignos, qui ejus opera utantur, cujus nutritionem, & educationem contemptui habuerunt. Hæ loquendi formulæ, quas Leges uſurpant, ſatis oſtendunt haud leviter peccare matrem, quæ filium exponit.

Et ſane extant Reſcripta, prohibentia infantium expoſitionem ſub combuſtionis pœna, aliiſque graviſſimis pœnis corporalibus. (*e*) Non defuere quidem olim Leges, quæ permitterent infantes exponi,

(*a*) Canon. Officii, de pœnit. & remiſſione. Sayrus in Clavi lib. 10. tr. 5. cap 6. num. 43.

(*b*) Bonacina lib. de matrimon. diſp. 4. punct. 15. n. 22.

(*c*) Baſſæus v. Expoſitus, Layman l. 3. p. 3. tr. 3. c. 14. n. 4. Sylveſt. V. Expoſitus. Azor. tom. 2. p. 2. l. 2. cap. 5. v. 8. & cap. 26.

(*d*) Lex Trevirorum relata in cod. leg. ant. in Gloſſ. V. Expoſiti. Fevret. l. 4. c. 9. n. 7. cod. l. 8. tit. 52. Unuſquiſque de infant. expoſ. Greg. Toloſ. Syntagm. l. 15. c. 28. n. 6.

(*e*) Tournet Tom. 2. pag. 838. Dion. Halic. in 2. apud Greg. Toloſ. 16. l. 11. c. 10. Cophin tom. 1. l. 1. art. 10. pag. 124. cap. Si a Patre, de infant. & languid. expoſ.

ni, at non in ea facti ſpecie, de qua agitur; ac demum hæ Leges correctæ ſunt, aut potius revocatæ a Chriſtianis Imperatoribus, qui juſſerunt inquiri in has ſemi-matres, aut in hoc genus imperfectum matrum, ut eas nuncupant, ipſaſque puniri.

Quod ſpectat ad Leges Eccleſiaſticas, Gregorius IX. in Jure Canonico ait patres vel matres, qui proprios filios exponunt, omnem pietatis ſenſum exuiſſe, ideoque eos damnat. Loquitur ſane hic Pontifex de pueris legitimis, quorum cura eo eſt ſtrictioris obligationis, quod natura & Sacramentum conjunctim ejuſmodi genitores filiis arctius devinciunt. Animadvertit Fevretus non immerito fieri, ut in Pontificum Decretalibus poſt titulum de iis, qui proprios filios occidunt, ponatur titulus, in quo de iis eſt ſermo, qui eoſdem exponunt, propterea quia qui eos exponunt, videntur ipſos occidere.

At ſi aliorum filiorum ex illicito commercio ſuſceptorum curæ gerendæ obligatio non eſt tanta; (a) vinculum tamen, quod eos parentibus conjungit, arctiſſimum eſt, quia eſt naturale, ac proinde parentes debent de iis eſſe ſolliciti; ut enim monet Eccleſiaſticus Auctor, natura patres & matres non ideo efficit, ut ita brutalem appetitum expleant, prolem in lucem edentes; at patres, & matres debent ſe ſpectare tanquam naturæ ac Reipublicæ Miniſtros, ut unius menti, & alterius bono obſequantur, ſolliciti de eorum ſervanda vita, quibus eam tribuerunt, ut deinde bona educatione eorum mores informent.

Filiorum curam matribus gerendam eſſe Nationum omnium generalis ſententia eſt, & obligationem hanc in omnium matrum cordibus impreſſit natura; id intellexere tum Gentes illuſtratæ fidei lumine, tum deſtitutæ: (b) Vigebat, ut Hiſtorici memoriæ prodidere, Thebis Lex, quæ eos, eaſve, quæ proprios filios exponebant, eoſve in remotis ac ſolitariis locis deſerebant, morte puniebat; adeoque parentibus præcipiebat, ut cum ad eas anguſtias redacti eſſent, ut eos alere non poſſent, ad Urbis Magiſtratum, qui eos publicis impenſis nutriendos curare debebat, eoſdem deferrent cum certis notis.

Denique Auctores omnes, qui cenſuerunt matres debere propriis filiis lac præbere, nec eos extraneis Nutricibus tradere, multo magis improbarunt earum duritiem, quæ eos contra omnem naturalis pietatis ſenſum exponunt. Neque vero mater ſe ſatis purgat, inquiens, ſe curaturam, ut puer expoſitus certo ac tuto ſuſcipiatur, quin ullum vitæ periculum ſubeat, ullumve grave incommodum patiatur; quod enim improbatur, quodque malum eſt in ejuſmodi expoſitione, illud eſt, quod mater ſolvit, quantum in ipſa eſt, illud vinculum, quo filiis parentes natura conjungit; jam vero ad evitandam paupertatem aut infamiam, quam timent, & cui ipſæ, prave vivendo occaſionem præbuerunt, debentne innocentes pueri pœnam ferre peccati, cujus omnino participes non fuerunt?

Si paupertatis timor, aut nutriendi pueri impotentia matrem adigit ad eum exponendum, Providentiæ & Fidelium Charitati ita fidere debet, ut ab expoſitione ſibi abſtinendum putet. Deus iis ſubſidia non denegat, qui ei deſerviunt; infamiæ autem timor non eſt ſatis juſta ratio, cur filius deſeratur; poſſunt præſto eſſe rationes aliæ tuendæ famæ, quin ad hoc extremum diſcrimen deveniatur. Verum ejuſmodi matres fere voluptatis amore ducuntur, ac proinde ſibi conſulendi rationes anxie quærere nolentes, viam ineunt, quæ ipſis videtur potior, quia brevior eſt, & minus gravis.

Sed tandem ut hæ matres, iis omnibus initis rationibus, magis de fama, quam de conſcientia ſollicitæ, ſubeundæ infamiæ ſe exponerent; illæ ſe in hoc periculum conjecerunt, illud prævidere debuerunt, adeoque potius pœnam perferre debent, quam deeſſe omnium naturalium officiorum maximo, cujuſmodi eſt matris erga filios, quorum cura nunquam deſeri poteſt. Ac ſi fæminis liberum foret proprios filios exponere, aperiretur janua publicæ licentiæ, cum fere plerique in officio ſe non contineant niſi futurorum malorum, ex ejus perturbationis formidine, in quam, qui peccat, ſeſe conjicit.

Ex his duabus ſententiis quoniam poſterior videtur ad veritatem propius accedere, ſi proinde Mater proprium filium exponere, vel exponendum curare nequit: conſequens fit Monialem non poſſe id ei conſulere, multoque minus eidem rei cooperari. Quod ſi ea judicat veroſimillimum fore, ut fæmina filium, ni expoſuerit, occidat: poteſt ſane eam ſinere, eamque generatim monere ex duabus malis evitandum eſſe majus; minus porro malum eſſe puerum exponere, quam occidere; ſed omnino non debet hoc ei conſilium dare, aut ea in re ſuam operam collocare.

Deciſum Pariſiis . . . . .
G. *Fromageau*.

F U N D A T O R.

Fundatoris nomine hoc loco eum intelligimus, qui Regulare aliquod Domicilium, aliquod Hoſpitale, vel aliquod Beneficium fundavit, & fundos inſtituit ad eorum ſubſiſtentiam, qui debent eam Regularem Domum occupare, vel ei Beneficio deſervire, vel pauperum, qui in eo Hoſpitali excipientur. Prioribus Eccleſiæ ſæculis fundatorum nulla mentio, quia proventus erant potius ſubſidia alendis pauperibus accommodata, quam veri nominis bona. Itaque nihil opus erat ullis ſolemnitatibus, ut Eccleſiæ conſecrarentur, quoniam ii fixi non erant, & Imperii Leges Chriſtianis non permittebant, ut fundos poſſiderent; ita ut Eccleſia nihil poſſederit ad uſque Conſtantini tempora ſæculo quarto, quo hic Imperator permiſit Eccleſiis, ut bona immobilia poſſiderent, & hæreditates reciperent.

Eo tempore Eccleſiæ dotari cœperunt, perinde ac Gentilium Templa, quia non amplius Chriſtianorum Conventus tanquam conventicula ſpectati ſunt. Iis magna privilegia conceſſit Conſtantinus Imperator, & cuivis permiſit, ut fundos bonorum cujuſvis generis iis largirentur. Voluit etiam, ut iis hæreditario jure cederent Martyrum, Confeſſorum, eorumque bona, qui in exilio mortui eſſent, cum veri hæredes non apparerent. Sed Eccleſia ſub Chriſtianis Principibus *potentia quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt*, Hieronymi verba ſunt in vita S. Malchi. S. Joannes Chryſoſtomus fuſe perſequitur deplorandam Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiaſticorum conditionem, poſtquam Eccleſia prædia obtinuit ac bona fixa, quia ſuas illi functiones omittebant, ut frumentum ac vinum venderent, ſuiſque negotiis vacarent, præterquamquod non parum temporis in litibus inſumebant; aitque illud optandum, ut Eccleſia ad eum ſtatum redeat, in quo erat Apoſtolorum tempore, quo præter eleemoſynas, & oblationes Fidelium nihil habebat.

Ejuſmodi Fundatoribus in Eccleſia tantum auctoritatis acceſſit, ut Patroni jus aſſecuti præſentarent ipſi ad Beneficia, quæ vel ipſi, vel eorumdem Deceſſores fundaverant; hinc enim orti ſunt Patronatus, qui Epiſcoporum antiquo juri, unde abſolute, & abſque ulla reſtrictione omnes propriarum Diœceſeon Eccleſiæ pendebant, magnopere derogarunt.

(a) Greg. Toloſ. 16. l. 11. c. 10.

(b) Elian. l. 2. de var. hiſt. cap. 7. apud Greg. Tol. 16.

Illi ergo appellantur alicujus Eccleſiæ Patroni, qui eam fundarunt, aut dotarunt; ut proinde unius Eccleſiæ poſſint Patroni plures eſſe ob varia nempe beneficia, quæ eadem Eccleſia variis perſonis debet accepta referre, ſeu quod erecta fuerit, ſeu quod fundus, in quo extructa eſt, conceſſus, ſeu quod aſſignati redditus, ac patrimonia ad Miniſtros, qui eidem deſerviunt, ſuſtentandos. Hæc omnia Fundatoribus jus acquirunt, quod dicitur jus Patronatus, cujus vi gaudent illi pluribus honoribus, prærogativis, ac privilegiis. Præcipuum porro privilegium in eo poſitum eſt, ut poſſint Epiſcopo, vel alteri Collatori Clericos præſentare, ut Beneficia, quorum ipſi Fundatores, ac Patroni ſunt, conſequantur; ac ſi quos præſentant, idonei ſunt, nequeat Collator eoſdem repellere, teneaturque, acceptis præſentationis litteris, collationem aut inſtitutionem præſentatis tribuere; ac ſi contingat, ut Patronis contemptis Beneficia in alios conferant, proviſiones nullæ ſint.

(BENEFICIA.
Vide (FUNDATIONES,
(PATRONI.

Jus Fundatorum Domiciliorum Regularium,

CASUS.

1 *Explicatio juris Fundatorum, quod attinet ad ingreſſum Monaſteriorum Sanctimonialium.*
2 *Regulæ ſervandæ quoad id, quod hac in re ſibi Fundatores arrogant.*

QUÆSITUM.

MOnialium Societas quærit,

I. An diverſarum familiarum perſonæ plures poſſint gaudere Fundatorum juribus in eadem Sanctimonialium Communitate?

II. An qui Fundatoris prædium adepti ſunt, in omnia ejus jura ſucceſſerint?

III. An poſſint pro arbitratu in eam Communitatem ingredi, & ut alii ingrediantur, efficere?

IV. An poſſint in eum finem venire, ut per eos eodem pateat aditus Monialium conſanguineis, aliiſve perſonis gradu præſtantibus?

V. An Monialium conſanguineis, aliiſve, a quibus rogantur, aditum obtinere poſſint?

VI. An intra Monaſterium prandere poſſint?

Rogatur, ut ſtatuatur, quodnam ſit eorum jus, quo fundamento nitatur, & quorſum pertineat, videlicet an iis, qui fundos acquiſierunt, illud ſibi jus vindicantibus reluctandum non ſit, nec contra proteſtandum?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat quoad quæſtionem primam, plures diverſarum familiarum perſonas in eadem Monialium Communitate Fundatorum juribus & commodis gaudere poſſe, quia ſi jus hoc reale eſt, & annexum prædio, prædium hoc poſſideri poteſt a diſtinctarum familiarum hominibus, qui honorifica ejuſdem prædii jura participabunt, ac proinde jus quoque patronatus ejus Regularis Domicilii cum eodem prædio conjunctum; quod ſi jus hoc prædio non nititur, & perſonale eſt, nec per fundationis actum in peculiarem aliquam perſonam redactum eſt, ut in familiæ ſeniorem, quod fere ſolet, ſed filiis & hæredibus commune eſt, quia Fundator id in medio reliquit, eorum quilibet gaudebit Fundatoris juribus. Hæc Innocentii IV. doctrina eſt in *c. Relatum de jure patronatus*; cujus hæc verba ſunt: *Eſt in ſolidum penes omnem hæredem quoad omnem ſuum effectum, puta honorem, onus, & emolumentum.... Et hoc quod primo dictum eſt, ideo eſt, quia cum ſit res ſimplex, & incorporalis, pervenit ad aliquem hæredem in ſolidum, etiamſi inæqualibus partibus ſint hæredes.* Panorm. in caput hoc eidem doctrinæ inſiſtit.

Quoad ſecundam quæſtionem. Qui ejus agrum, qui Monaſterium fundavit, adepti ſunt, Fundatoris quoque jura acquiſierunt, facta hypotheſi jus patronatus reale, vel eidem agro addictum eſſe, quod non niſi ex fundationis verbis licet intelligi.

Cæterarum porro quæſtionum deciſio pendet ex ejus quæſtionis ſolutione, an ſcilicet qui Monialium Monaſteria fundarunt, in eadem ingrediendi, & aliis aditum aperiendi merito ſibi jus arrogent. Qua in re duo Fundatorum genera diſtinguenda cenſentur; alii quidem jus ſuum repetunt ex fundationis actu, qui evincit id juris eo ſibi reſervaſſe, vel ut aptius loquamur, accepiſſe ab Eccleſia, quæ fundationem, in qua beneficium hoc poſtularunt, ratam habuit; alii vero, quamvis in fundationis actu de hoc privilegio ne verbum quidem, ob merum Fundatorum titulum eo ſe gaudere debere contendunt. Verum cum emolumentis iis, quæ Fundatoribus & Patronis Jus concedit, privilegium hoc non contineatur, non apparet eos poſſe cum aliqua veri ſpecie firmare, quod arrogant, quoniam nec communi nec peculiari jure nititur; immo vero ſi ad Eccleſiæ regulas res exigatur, licebit intelligi Fundatores hos comprehendi generalibus verbis Conſtitutionum, quæ in Jure Canonico, & in Tridentina Synodo occurrunt, quæque generatim univerſis ac ſingulis in Monialium Monaſteria abſque Superiorum permiſſu ingredi vetant. Expreſſum in hanc rem eſt Caput *Periculoſo de Regularibus in 6.* Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. de Regularibus*, & Bleſenſis Conſtitutio art. 31. id ipſum diſerte tradunt. Convenit inter omnes eam veniam de cauſa tantum legitima concedendam eſſe; duobuſque poſtremis in locis ſoli Epiſcopi, & Monaſteriorum Superiores, & quidem ſi neceſſitas poſtulaverit, eam dare poſſe dicuntur: *ingredi autem*, inquit Synodus, *intra ſepta Monaſterii nemini liceat, cujuſcumque generis & conditionis, ſexus vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis; neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel inpoſterum concedendi.* Conſtitutionis diſpoſitio non minus generalis eſt, ac proinde Fundatores non minus complectitur; en ejus verba: *quemadmodum etiam nemini licebit, cujuſvis gradus, ſexus, vel ætatis extiterit, in eorumdem Monaſteriorum clauſtra ingredi ſine licentia e ſcripto Epiſcopi, vel Superioris neceſſariis tantum in caſibus, ſub pœnis Juris.* Itaque tanquam firmum tenendum eſt Regni Juriſprudentiam Conſilio conformem eſſe in Monaſteriorum clauſuræ negotio; adeoque Fundatores, quibus quidem nullus peculiaris titulus præſto eſt, quo a generali regula excipiantur, Concilii & Conſtitutionis verbis comprehendi. Videmus etiam in Cardinalium Declaratione ad hoc Concilii caput tradi permiſſum fuiſſe Matronæ bis in anno in Monaſterium ingredi gravi de cauſa, cum eſſet eorum filia, qui illud fundaverant, ac proinde gaudere poſſent jure Fundatricis & Patronatus, quoniam filiæ & uxores capaces ſunt juris hujus, quod ad ipſas per hæreditatem devenire poteſt juxta Canoniſtarum doctrinam: *Nobili fœminæ*, Declarationis hujus verba ſunt, *cujus progenitores Monaſterium Monialium fundaverant, conceſſum fuit ex magna cauſa, ut etiam cum duabus aliis matronis, bis in anno illud ingredi poſſit, dummodo in eo non pernoctet.*

Verum id clarius conſtabit, ſi reputetur, ingrediendi Monaſterii non eamdem auctoritatem Fundatoribus competere poſſe, quæ competit Epiſcopis ac Superioribus, qui quidem citra neceſſitatem ejuſmodi Domicilia ſubeundi libertatem ſibi vindicare

non

non debent ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit : *Dubiis num.* 28. qui quidem eam diſciplinam adeo neceſſariam judicavit, ut metu pœnarum, quas adverſus transgreſſores ſtatuit, eam ſibi propugnandam cenſeret. Jam vero certum eſt hos Fundatores, ſiquidem jus haberent, quod arrogant, eo ingredi poſſe, quoties ſibi libuerit, & efficere, ut ingrediantur, quos ipſi voluerint, atque adeo illi, quibus Epiſcopus, aut Superior eam veniam dare non poſſet, quia nulla adeſſet neceſſitas, quæ una & unica regula eſt, quam juxta Concilium & Conſtitutionem ſemper Epiſcopi ac Superiores ſequi debent, cum de ingrediendi in Monialium Monaſteria concedenda licentia agitur. Quamobrem ad quæſtiones omnes juxta fundamenta, quæ jacta ſunt, dirimendas exiſtimatur viros ac fæminas Fundatoribus ſuccedentes eo tantum nomine non habere id juris, ut ipſi in Monaſteria ingredi, & quos voluerint, ſecum ducere poſſint, juxta Concilii & Conſtitutionis ſanctionem; & Moniales, quæ conſulunt, nihil non agere debere, ut Fundatores ac Patronos permoveant ad eam Eccleſiæ regulam cuſtodiendam, nihilque ſibi arrogandum præter veri nominis privilegia, quæ continentur in Jure; ac ſi forte illi iis æquas aures præbere noluerint, debere ad Epiſcopum confugere, eumque rogare, ut utatur auctoritate ſua, quo Eccleſiæ regulæ in ipſarum Monaſterio ſerventur, neve ipſæ avocentur ab ea ſolitudine, cui per Profeſſionem ſe devoverunt, & ut loquitur Bonifacius VIII. *c. Periculoſo*: *Ut ſic a publicis, & mundanis conſpectibus ſeparatæ, omnino ſervire Deo valeant liberius, & (laſciviendi opportunitate ſublata) eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire.*

Deciſum Pariſiis die 25. Auguſti an. 1677.

Aug. *de Lamet.*

FUNDATIONES.

Cum Principes & Imperatores Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, Eccleſiis bona ac proventus libere tribui cœperunt; ex quo quidem eorum augendorum extrema cupiditas in Clericis orta eſt; iique ipſi, qui optime cogitabant, ejuſmodi vitiis non caruerunt. Illud enim reputantes eorum bonorum fundationes ad Dei gloriam, & ad commune commodum tendere, concludebant, quo fundorum plus haberet Eccleſia, eo ſe melius res habituras; intendebantque omnes induſtriæ nervos, ut nova in dies bona compararent, nihil cogitantes, an viæ, quas inibant, cum æquitatis ac rationis tramite cohærerent. Si quod ſibi propoſuerant, aſſequerentur, ſi nempe Eccleſia, quocumque tandem pacto, diteſceret, tum demum ſe Deo Sacrificium feciſſe putabant.

Sed hinc factum eſt, ut multiplices fundationes auxerint Eccleſiarum officia, ac miniſteria, quibus nonniſi magna cum animorum remiſſione eſt ſatisfactum. „ Fundationes facilius a Corporibus acceptatæ, inquit hujus ſæculi celebris Auctor, (*a*) nimiumque a Fundatoribus oneratæ eam prudentem regulam inverterunt, quæ inter publicas preces, eamque, quæ ad ipſas afferenda eſt, attentionem ſervanda eſt. Avaritia ex duplici capite ſæpe Religionis pallio ſe texit; voluit illa eleemoſynas ſuas vendere, ſuaſque preces in pretium referre; coactaque eſt identidem Charitas ſuæ adverſariæ locum dare, quæ ipſius ſpeciem præferebat, & Fundatoribus quidem nihil gratis dandi, Eccleſiis autem nihil recuſandi conſilium inſpiraverat. Multiplicatæ ita preces, pergit ille, eo diſcriminis adductæ ſunt, ut inutiles redderentur, onerata pietas propemodum extincta eſt, tentati ſunt fortes, qui ſub tantis oneribus gemunt, oppreſſi debiles, qui ſuccumbunt, & indurati improbi, qui ea queribundi portant, & pejores evadunt ſemper abutentes oratione, quæ ipſis flectendis inſervire deberet. Adempta eſt conſolatio ac delectatio Miniſtris Domini, publico ſervitio majeſtas, Fidelibus exemplum & ædificatio; uno verbo neglecta eſt ſubſtantia, ut externa ſpecies ſervaretur. „ Ad hanc porro rem quod ſpectat, & quomodo fundationes ſe habere debeant, ex ſequentibus caſibus intelligetur.

Fundatio Communitatis Monialium ſine votis.

CASUS I.

1 *Puella recepta in Communitate, quæ ad puellas pauperes educandas, & artibus imbuendas fundata eſt, rejici nequit, nulla exiſtente legitima cauſa.*

2 *Puella hæc inopia laborans, & ut Directrici, quæ ei penſionem ſolvebat, gratificaretur, egreſſa, in eamdem Communitatem regredi debet, cum non amplius penſionem percipit, ad quam, Directricis hæredibus ſolvere recuſantibus, Communitas obligatur.*

QUÆSITUM.

Catharina, quæ fundavit in Parochia Sancti N.... Communitatem, ubi non vult ſororum loco eſſe niſi Magiſtras capaces dictæ Parochiæ pauperes puellas artibus imbuendi, ſciens Virginem in ſæculo magna cum ſollicitudine ad puellarum ſalutem, earumque honeſtatis conſervationem incumbere, videnſque ejus laboribus Deum favere, eamdemque Virginem a cupiditate magnopere abhorrere, recto animo eſſe, & ob virtutem a proprio Parocho plurimi fieri: eam ab ipſo petiit in ſua Communitate collocandam, ut in ejus adminiſtratione ſibi adjumento eſſet, obtinuitque non ſine magna lætitia minime dubitans excellentem Magiſtram ſibi comparatam eſſe. Parochus, qui ejus Communitatis Superior erat, ipſe quoque id ultro probavit; providens eidem Virgini domicilium, in quo, quoad viveret, ſubſiſtere poſſet, atque adeo teſtatus ejus matri ſe velle eam in dicta Communitate perpetuo remanere.

Catharina Fundatrix adeo vehementer optabat eam Virginem toto vitæ tempore ſuæ Communitati ſe devovere, ut ad ejus ſubſiſtentiam tutam reddendam Communitati ſuæ libras mille teſtamento legaverit. Catharina in vivis agente, electæ ſunt ejus Familiæ Directrices tres, & quidem ejuſdem Virginis nutu; ſed Fundatrice fato functa, ex iis Directricibus una in Communitate ſuam ſedem poſuit, eamque ſola fere adminiſtravit, quin duabus aliis multum deferret; cumque ejus conſilia quam longiſſime abeſſent a Fundatricis mente, cui dicta Virgo ſe conformabat, ei indirecte ſignificavit ejus egreſſum ſibi gratum fore, ac ſi receſſiſſet, ei præſto fore penſionem, dum viveret, quotannis accurate ſolvendam, & quidem ex bonis ejuſdem Directricis, quæ locuples erat; hæc autem penſio verbo tantum promiſſa fuit; ſemperque integra ſumma ſoluta eſt uſque ad Directricis mortem, egreſſa jam Virgine, eamdemque in bonis operibus ad ſuæ Parochiæ ſervitium ſciente ac vidente Parocho, collocante.

Quoniam porro dictæ Matronæ Directricis fato functæ fratres hæredes penſionem annuam Virgini ſolvere renuerunt: quæritur, an cum ea ſucceſſio iis magno fuerit emolumento, non teneantur juſtitiæ legibus id præſtare, quod eorum ſoror promiſit Vir-

(*a*) Tractatus de Oratione publica, parte prima ſub initium.

Virgini, quæ ex communitate non receſſit, niſi ut ei gratum faceret, haud commonefactis duabus aliis Directricibus, bene animatis erga ipſam, quæ jam ſeptuagenaria eſt, nec amplius habet, unde ſubſiſtat; ac ſi forte fratres hæredes renuant ei penſionem impoſterum ſolvere: quæritur rurſus, an non ex juſtitia teneatur Communitas eamdem recipere, & Catharinæ Fundatricis, quæ voluit Virginem toto vitæ tempore in ſua Communitate conſiſtere, mentem, atque ultimam voluntatem executioni mandare; præterquamquod per 50. annos impendit illa in ſubſidio tam ſpirituali quam corporali egentium puellarum dictæ Parochiæ penſionum ſibi ſolutarum omnem proventum, & quicquid proprio labore congeſſit?

Rogantur Doctores, ut ſuper propoſitis quæſtionibus dicant, quid ſentiant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ſi Fundatricis, dum Virginem, de qua quæritur, in Communitatem, quam fundavit, adſcivit, ea mens fuit, ut ea ibidem toto vitæ tempore degeret, ut liquet ex ipſius Fundatricis Teſtamento, & ex Parochi Communitatis ejus Superioris Declaratione, ipſam ex dicta Communitate removeri non potuiſſe, quin ei aliunde compararetur, unde ſubſiſteret, niſi ob pravam vitæ rationem merito expulſa fuerit; quod non ſupponitur.

Et ſane Matrona Directrix, de qua in Expoſitione dictum eſt, & cujus opera Virgini perſuaſum fuit, ut e Communitate egrederetur, optime noverat ejus ſubſiſtentiæ proſpiciendum eſſe, quoniam ei annuam penſionem conſtituit; ſive in hac facti ſpecie egerit ut Directrix, & tunc quidem penſionis ſolutio ad Communitatem ſpectaret; ſive eadem Directrix ut privata perſona voluerit eam penſionem de propriis bonis ſtatuere, quippe quæ ſatis divitiarum & Charitatis haberet, ut hoc Virgini beneficium conferret; & tunc Directricis hæredes eamdem penſionem ſolvere tenerentur.

Sed eſto nihili fierent allatæ rationes, quæ ex juſtitia ducuntur, poſtularet æquitas, ut penſarentur dictæ Virginis perſonalia merita, non mediocria ſervitia, quæ Communitati longo temporis ſpatio præſtitit, & anni quinquaginta, quibus in pauperum puellarum Parochiæ Sancti N.... tam ſpirituale, quam corporale ſolatium incubuit. Proinde non eſt deſerenda in ætate tam gravi, & in tanta, qua premitur, indigentia. Itaque ob ea omnia, quæ hactenus dicta ſunt, creditur neceſſe eſſe, ut dicta Communitati, de qua agitur, reſtituatur, ut ibidem, quod ſupereſt vitæ, tranſigat; aliter annua penſio a Directrice inſtituta eidem ſolvenda, & quidem a Communitate, facta hypotheſi Directricem in hac facti ſpecie tanquam Directricem egiſſe, & Communitatis bona obligare potuiſſe: vel ab ejuſdem Matronæ hæredibus, ſi aliunde certum ſit eam voluiſſe, ut dicta penſio e propriis bonis perciperetur.

Deciſum in Sorbona hac die 14. Januarii an. 1695.
G. Fromageau, *C. De Precelles*,
G. Bourret, *J. L. Durieux*.

Permutatio Fundationis in alia bona opera.

CASUS II.

Non poteſt Epiſcopus Fundationem publico bono utilem in aliud bonum neque in ſe ipſo æquale, neque Eccleſiæ adeo utile permutare.

QUÆSITUM.

EXiſtit quadam in Urbe Monaſterium Monialium, quarum Inſtitutum eſt alere atque erudire non paucas pauperes puellas, donec labore ſibi victum quærere valeant, & tunc quidem eæ collocantur, aliæque excipiuntur. Quoniam id ad bonum publicum magnopere confert, quidam Eccleſiaſticus virtute præſtans fundavit ſedes quatuor pro quatuor puellis pauperibus recens converſis, ab iis Monialibus educandis, & erudiendis, donec ipſis conditio compararetur. Teſtamenti verba poſtulant, ut hæ puellæ ſint pauperes ex Familiæ Inſtituto. Moniales ſemper exceperunt eas, quæ ſibi hoc titulo oblatæ ſunt; ſed tres, quatuorve anni ſunt, quod nullis ejuſmodi præſentatis, Moniales eorum loca repleverunt, puellis pauperibus de more ſumptis. Occurrerent ſane in præſentia, quæ fundationis qualitatibus præditæ eſſent; ſed quæritur, poſſentne ex iis ſedibus duæ tribui dotis loco pauperi Virgini recens converſæ, quæ ad Regularem ſtatum vocatur, & fundationem poſt mortem priſtino ſtatui ſe redituram promittit? Fundatoris quidem hæredes, ejuſque teſtamenti executores haud ægre conſentiunt, dummodo liceat; verum non deſunt, quibus hæc permutatio videatur illicita in fundatione adeo gravi, & publico bono perutili.

Moventur autem momentis his. I. Teſtamenta adamuſſim implenda ſunt, cum nihil non rationi conſonum conſtituunt.

II. Eſto Epiſcopus teſtamentum mutare poſſet, non poſſet tamen niſi ob majus bonum. Jam vero non apparet majus bonum eſſe Monialem unam inſtitui, quam educari viginti puellas circiter, quæ Chriſtianam educationem, quam in eo Monaſterio percepiſſent, ubique diffunderent; poſſent enim educari pluſquam viginti per id tempus, quo ea Monialis, cujus tenerrima ætas eſt, in vivis exiſteret.

III. Non injuria timendum eſt, ne hæc mutatio perpetuandæ Monialis ejus ſedis anſam præbeat.

IV. Hujus mutationis ſparſus rumor remiſit jam nonnullorum pietatem, qui in animo habebant, ejus boni Eccleſiaſtici exemplo, fundare ſedes ad pauperes alias puellas juxta ejus Familiæ Inſtitutum alendas inſtruendaſque, ſed verentur, ne ſuum teſtamentum perinde ac Fundatoris, de quo agitur, executione careat.

Quæritur ergo, an poſſit Epiſcopus dotis loco ei Moniali aſſignare duas ex quatuor ſedibus ad recentium Catholicarum educationem, inſtructionemque fundatis?

An Executores teſtamentarii, & Fundatoris hæredes, & Moniales poſſint tuta conſcientia ei permutationi aſſentiri?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat fundationem, de qua in Expoſitione dictum eſt, juxta Fundatoris intentionem executioni mandandam eſſe, nec in opus aliud omnino mutandam, donec inveniri poſſint pauperes puellæ tales, quales fundatio poſtulat.

Rationes porro, propter quas fundationes in alia opera converti non debent, ſunt I. Fundatoris voluntas; permiſſum eſt cuim ei, qui ob fundationem ſua bona dat, illud charitatis objectum ſibi proponere, eamque addere conditionem, quam ipſe voluerit, dummodo nihil ſit, quod bonis moribus adverſetur; quamobrem commendatur in Jure Canonico, ut defunctorum voluntas exacte impleatur *c.* 13. *q.* 2. *cap.* 4. *Ultima voluntas defuncti modis omnibus conſervari debet*; & in Clementina *c. quia contingit de Relig. dom.* hæc habentur: *cum ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata Fidelium, ad illum debeant, non ad alium converti*. Ruſæus *privil.* 49. *de jur. Reg.* n. 11. ne in majus quidem bonum fundationem mutari poſſe pronunciat; *Ubicumque diſpoſitio Teſtatoris certa eſt, reſpectu cauſæ, perſonæ, & loci, nunquam poteſt alterari, nec poteſt in melius converti*. Ejuſdem ſententiæ eſt Layman *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 11. *n.* 11. *Si voluntas defuncti juſte & honeſte impleri poteſt, non eſt conceſſum Executoribus, nec Epiſcopo eam in aliud opus, quantumvis melius videatur, commutare.*

Ex Tridentinæ Synodi mente fundationis commutandæ cauſa juſta & neceſſaria eſſe debet *ſeſſ.* 22. *c.* 6. *de Reform. in commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non niſi ex juſta & neceſſaria cauſa fieri debent*. Porro in caſu propoſito Fundatoris voluntas certa eſt, finiſque bonus, ut nempe quatuor paupe-

res puellæ recens converſæ inſtituantur ; nihilque cogit ejus fundationis proventum in alium uſum conferri , dum recens Converſæ inveniri poſſint . Eum denique proventum tribui puellæ , quæ Religionem amplecti vult , id majus bonum eſſe non apparet.

II. Bona fides poſtulat , ut fundationis conditiones, cum acceptatæ ſunt, accurate ſerventur.

III. Eſt e re publica , & Eccleſiæ utile in fundationibus nihil mutari , ut Fideles ad eam juvandam excitentur ; ut enim inquit Ruſæus loco citato *n. 3. videntes Fundatores eorum ordinationes inviolabiliter obſervari , invitantur animoſius ad fundationem Eccleſiarum* .

Ex hactenus dictis conſequitur Epiſcopum duabus fundatis ſedibus uti non poſſe ad dotem puellæ , quæ Regularem ſtatum amplecti vult, ſtatuendam . Executores teſtamentarii , & Fundatoris hæredes huic permutationi conſentire non poſſunt ; & Moniales , quæ puellas recens Converſas eligere debent , ut ſupponitur , humillime debent Epiſcopo ſupplicare, nixæ rationibus in hoc ſupplici libello contentis ; & ſpes affulget fore , ut ille votis annuat.

Deciſum hac die 4. Martii an. 1695.
G. *Fromageau*.

Ad jura fundatio , cui renunciare eſt animus .

CASUS III.

Monaſterii cujuſdam Moniales nequeunt graves ſummas a Monaſterii Fundatorum conſanguineis ſibi debitas transfigere , eas cedentes iiſdem conſanguineis ea conditione , ut commodis omnibus in familiæ fundatorum favorem in fundatione ſtatutis renuncient .

QUÆSITUM.

AN. 1641. Petrus, ejuſque Conjux Monialium Conventum in Vico fundarunt, & domos ibidem ſitas, in quibus degerent , iiſdem tribuerunt . An. 1643. dederunt iis Prædium , quod fundi loco eſſet, & unde ſubſiſterent . In Contractu id habetur , ut hujus Conventus Antiſtita ſemper ſit Monialis ex Fundatorum familia , donec in Monaſterio idonea aderit . Fundatores in Monaſterii Eccleſia Capellam adhuc ſibi retinent cum facultate ſepulcri ibidem ſibi , ſuiſque ponendi . Id tertio loco imponunt Monaſterio, ut quotidie privata Miſſa in perpetuum celebretur , initio ſumpto ab Auguſto ejuſdem anni 1643. Eam donationem poſtea confirmarunt , obligationum nulla mentione facta . Vi ejuſmodi donationis Moniales ad annum uſque 1671. ea bona pacifice poſſederunt ; quo quidem tempore Fundatorum hæredes adverſus Moniales actionem intentarunt, ut Prædium ex earum manibus extorquerent , eaſque a poſſeſſione ac fruitione deturbarent cum reſtitutione fructuum ab anno 1641. nempe poſt annos 27. tum vero ſequeſtrarunt, & ſtiterunt in Villicorum manibus , quicquid debebant .

Hujus Conventus Antiſtitæ , cum ex Fundatorum familia ſemper extiterint , eorum filiis & hæredibus graves ſummas mutuas dederunt , ita ut Fundatrix edito teſtamento fateatur ſe a Monaſterio accepiſſe libras ſeptem mille , quarum partem ſibi datam ait, eo quod indigeret , & ut Prædium a ſe & a viro fundandi Monaſterii gratia traditum compenſaretur ; & præter hanc ſeptem mille librarum ſummam hæredes eidem Conventui debent alias plures ſummas ductas vel ex Conventus parſimoniis , vel ex puellarum receptarum dotibus , vel ex puellarum familiæ, quæ ibidem alitæ ſunt, minime ſolutis penſionibus.

Animadvertendum eſt etiam , eam , quæ nunc Antiſtita eſt, nuptui jam traditam fuiſſe, eique dotis loco ſtatutas fuiſſe ducentas libras annuas, quas iidem hæredes ſolvere debent , & quarum debent annua viginti. Ante Profeſſionem edidit teſtamentum , quo tribuit Monaſterio centum libras annuas ex fundo ſibi in dotem aſſignato percipiendas . Ex quibus omnibus apparet hæredes huic Conventui debere graves ſummas, quarum cauſa quæque ordinaria Antiſtita poteſt multa litigia intentare ; & hac quidem de cauſa proponunt compoſitionem, qua poſtulant omnes has ſummas ſibi a Conventu remitti , tum vero ſe Prædio, de quo agitur , & omnibus emolumentis in familiæ fundatorum favorem in fundatione ſtatutis renunciaturos promittunt.

Magnopere propendet Antiſtita ad hujus compoſitionis acceptationem multis de cauſis.

Primum quidem , ut ſuæ Communitati pacem creet non ſolum foris , ſed etiam intus , in litis & compoſitionis negotio Monialibus non idem ſentientibus.

Deinde vero quia licet evictio cauſæ omnibus experientia edoctis videatur omnino certa , tamen magnis opus erit impenſis , quæ Communitati cæteroquin aliunde valde laboranti extremam perniciem afferre poterunt.

Ad extremum nollet illa familiæ ſuæ occaſionem præbere de ſe conquerendi, & opprimere ſuos conſanguineos, exigens ad juris apicem , quicquid debent.

Quærit ea I. an poſſit ſuis conſanguineis eas ſummas cedere , quas a Conventu mutuas acceperunt, quæque ex aliquarum Monialium receptarum dotibus , aut ex Monaſterii parſimoniis proveneriunt ? Nonne eæ ſunt Monaſterii fundus, quem ipſa diſponere nequit ?

II. An poſſit iiſdem cedere 200. libras annuas ſibi in dotem traditas , cum matrimonium inivit , & quarum illi debent annua viginti ?

III. An poſſit etiam cedere 100. libras annuas , quas ſuo Conventui teſtamento legavit ?

IV. An poſſit alias ſummas cedere, quas ſua familia debet ob penſiones nondum ſolutas.

Denique an eos adeo gravibus ſummis liberans privare nequeat emolumentis pro Fundatorum familia in fundatione contractis, quæ propoſita compoſitione ſatis ſuperque compenſabuntur ? Nequitne iis adimere Fundatorum titulum, Capellæ & ſepulturæ jus , & Miſſam quotidianam in perpetuum celebrandam , quippe cum Moniales nonniſi in fundationis gratiam tam graves conditiones acceptarint ?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſitionem hanc viderunt, exiſtimant, Antiſtitam , & Moniales , de quibus agitur , cum ſe tantum ut Monaſterii bonorum Miniſtras ſpectare debeant , in hac facti ſpecie tantum boni & utilitatis Monaſterii rationem habere debere ; adeoque opus eſſe, ut ſuum jus reputent , illudque ſibi declarandum curent , quam poterunt , diligentiſſime . Quid enim cauſæ eſt, cur graves ſummas , quas mutuas dedere , remittant , ſi earum jus certum eſt ? Eoque magis , quod ex conſiliis & rationibus initis , expoſitiſque videntur illi, lite intentanda , id unum habere propoſitum , ut poſtulata compenſatione ſe liberent , ſperantes fore , ut jus , quo gaudent in Monaſterium , ſibi facilem reddat ſuorum conſiliorum executionem . Itaque Antiſtita & Moniales debent in hac facti ſpecie deponere cogitationes omnes carnis & ſanguinis , ut tueantur Eccleſiæ bona , quorum adminiſtratione tantum gaudent ; ſed ut agant recte atque ordine , debent initio ſtatim negotium hoc Superiori proponere. Debent deinde Advocatos idoneos conſulere , juxta prudentiæ Leges agere , & ita ſe gerere , ut ſe gereret bonus paterfamilias, ſi in ſimili facti ſpecie verſaretur . Si neceſſarium judicaretur , poſſent Monaſterii fundos , permittente Superiore , diſponere , Regis auctoritate conventione firmata , & a Senatu reſcripta, qui eam non reſcriberet, niſi cognita cauſa, & utilitate , quæ in Monaſterium redundare deberet ex hac conventione , quæ quidem aliis de cauſis tuta conſcientia tranſigi non poſſet.

Quoad id, quod proponitur , ut Titulus & commoda Fundatoribus acquiſita tollantur , atque ita compenſentur ſummæ , quas Monaſterium remitteret,

ret: ſtat ſententia, jus hoc per hujuſmodi Conventiones nequaquam ceſſare; illud enim jus fundatione ac dotatione acquiſitum eſt, adeoque ſpectari poteſt tanquam jus Patronatus, juxta hæc verba, quæ fere Auctores afferunt poſt Gloſſam in *c. Piæ 16. q. 7. Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*, quæ omnia cum ii præſtiterint, qui an. 1641. & 1643. Monaſterium, de quo agitur, fundaverunt: eorum hæredes in idem Monaſterium acquiſiere Patronatus jus, quod vendi nequit, utpote ſpirituale ſimul ac temporale, ut liquet ex *c. de Jure* titulo *de Jure Patronatus*; præſertim cum Fundatores Monaſterio injunxerint Miſſam, quæ abrogari non poteſt. Sequitur ex his omnibus Moniales non poſſe ab hac fundatione ſe liberas credere, donec Monaſterium, Prædiumque poſſederint. Quare nunquam poſſint ab eo jure liberari niſi per puram, ſimplicem, & gratuitam Partium renunciationem, quin tamen id vel leviſſime violetur, quod vergere debet in eorum commodum, qui re ipſa fundarunt.

Deciſum die 13. Januarii an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Canonicatus ſimoniaca Fundatio.

CASUS IV.

1 *Non poteſt Pater Canonicatum fundare ea conditione ut ſuorum filiorum unus eumdem obtineat, quin ſimoniæ ſe reum faciat.*

2 *Filius, qui Canonicatum acceptavit, paternorum conſiliorum conſcius, ipſe quoque in ſimoniam incidit.*

3 *Ille Beneficium hoc retinere non poteſt; ac Superior diſpenſationis jure gaudet, novas proviſiones tribuendo.*

4 *Capitulum quoque Fundationem acceptans ea conditione, ut eam fundatoris filio conferret, commiſit ſimoniam.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an pater offerens Capitulo librarum decem millia ad fundandum Canonicatum ea conditione, ut ille filiorum ſuorum uni conferatur, citra quam conditionem ille eam fundationem non inſtitueret, ſe reum faciat Simoniæ, quippe cum ea conditio videatur damnata tanquam Simoniaca in Decretali *Tua nos*?

II. Facta hypotheſi patrem Simoniacum evaſiſſe: quæritur, an filius quoque talis evaſerit, cum probe noverit conſilium patris, & in id omne, quod in ſui gratiam factum eſt in hoc negotio, conſenſerit? An debeat ſe Canonicatu abdicare, & in cujus manu, & an fecerit fructus ſuos?

III. An filius, cui ita Beneficium collatum eſt, illud retinere non poſſit, præſertim cum conſuluerit idoneos aliquos Caſuiſtas, qui ei auctores fuerunt, ut illud acceptaret, nixi complurium, qui hac de re ſcripſerunt, auctoritate, cum etiam ejus vita aliis exemplo ſit, ſuiſque Concionibus Eccleſiæ multum ipſe afferat utilitatis, Catechiſmis &c. præterquamquod ſit vero ſimillimum, ſi ipſe Canonicatum dimittat, fore, ut eum obtineat, qui ejus obligationes minime implebit?

IV. Poſita patris & filii Simonia, in eamdemne Capitulum quoque inciderit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Patrem, qui libras decem mille ea ratione & conditione, qua in expoſitione dictum eſt, tribuit, Simoniacum habendum eſſe ob principium, quo Caput *Tua nos. de Sim.* nititur, quodque apud Canoniſtas cenſetur generalis, & conſtans regula, videlicet quodvis pactum in materia ſpirituali Simoniacum eſſe. Et ſane is, de quo in capite modo laudato ſermo eſt, non alia de cauſa Simoniæ reus erat, quam quod Capellam fundans convenerat ſead eam nominatum iri; *Hujuſmodi oblatio, ſeu receptio fieri non poterit ſine vitio Simoniæ, cum in talibus omnis pactio vel conventio ceſſare debeat juxta Canonicas ſanctiones*. Hinc ſequitur Patrem, qui decem mille libras dedit ad Canonicatus fundationem ea conditione, ut ad eum ipſius filius nominaretur, ſi minus proprie verſatur in ſpecie Capitis *Tua nos*, certe directe facere contra principium, quo dictum caput ſimoniæ damnat facti ſpeciem ibidem propoſitam.

Id porro quoad interrogationem primam reſponſionis loco eſſe poteſt.

Reſpondetur ad ſecundam, cum hic Pater Canonicatus Fundator incurrerit Simoniam, filium proviſum, & patris conſilii atque intentionis optime conſcium ejuſdem peccati reum eſſe. Quod oſtendi poteſt ex eodem Canone jam citato *Tua nos*, ubi Innocentius III. tanquam Simoniacum damnat Clericum dantem vel offerentem ſua bona in Beneficii fundationem ea conditione, ut illud ſibi conferatur; *Si Clericus cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona ſua, ut illa poſtmodum pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur; hujuſmodi oblatio vel receptio non poteſt fieri ſine Simonia*. Quod adeo firmum eſt, ut Fagnanus (*a*), cum tradidiſſet in idem Caput *Tua nos*, Canonicatus, aut alterius Eccleſiaſtici Beneficii fundationem vel dotationem cum pacto, ut ſibi ipſi conferatur, Simoniacam eſſe, referat ſe, cum Clericus ad Archipresbyteratum in Cathedrali Eccleſia fundandum & erigendum ſua patrimonialia bona dediſſet, Patronatus jure ſibi reſervato, ea conditione, ut ſe præſentare, ac ſemetipſum nominare poſſet, & non aliter, & ad ſe conſilii gratia veniſſet, reſpondiſſe erectionem ejus Archipresbyteratus, & inſtitutionem ejus Clerici, quæ deinde ſecuta eſt, Simoniacas, & nullas eſſe juxta ſanctionem appellatæ Decretalis *Tua nos*, adeoque novam erectionem inſtituendam, & Proviſiones a Sancta Sede obtinendas eſſe, quod factum eſt. Jam vero Clericus, de quo in Expoſitione dictum eſt, in eadem facti ſpecie verſatur, quoniam cum Canonicatus ex ejus patris bonis fundatus fuerit, & ipſe conſenſerit, perinde eſt ac ipſe eum fundaſſet, ut nominaretur, ſiquidem quodammodo ex ejus bonis ea eſt facta fundatio; ex quo ſequitur eum Simoniæ reum eſſe.

Ad tertiam. Rationes, quæ in hac interrogatione afferuntur, oſtendunt ſimoniam materialem eſſe ob bonam fidem, qua Canonicatum a patre fundatum filius acceptavit, ac ſperandum fore, ut Superior, ad quem de Jure pertinet hoc in caſu diſpenſare, Canonicatum ipſum ei rurſus conferat; ſed eædem rationes non evincunt eum ab ipſo retineri poſſe, quia Canonicatus fundatio & erectio ob Simoniam nullæ ſunt, quicquid dicant Caſuiſtæ, de quibus in Expoſitione.

Ad quartam. Capitulum Simoniam commiſit æque ac pater & filius, quoniam recepit librarum decem millia, quarum gratia, ut ſupponitur, ad arrogatum Canonicatum recens erectum perſonam, de qua quæritur, nominavit; cum eo tamen diſcrimine, quod Capitulum non eaſdem pœnas ſubiit, quas pater & filius, cauſa exempli excommunicationem, ſi Simonia quoad illos formalis fuit, ſed ſubiit ſuſpenſionem inflictam in Extravaganti *Sane de Sim. Si Capitulum, vel Conventus fuerit, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo decernimus ſubjacere*. Ita ſentit Suarez *de Sim. cap. 56. n. 8.*

Deciſum Pariſiis hac die.....
G. *Fromageau*.

Fundatio inſtituta a Regulari Beneficiario.

CASUS V.

1 *Laxioris Ordinis generale Capitulum poteſt Regulari Beneficiato permittere, ut, quoad vivit, in piat fundationes ea bona conferat, quæ ex ſui Beneficii proventibus, aut aliquo alio legitimo titulo comparavit.*

2 *Regulares reformati laxioribus ſuccedentes tenentur in*

(*a*) Fagn. in lib. 5. Decr. p. 1. in c. Tua nos. de Sim.

in foro conſcientiæ ejuſmodi fundationes exequi, cum canonice factæ ſunt.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut has difficultates dijudicent.

Quæritur I. An Regularis Beneficium poſſidens poſſit ſui Generalis Capituli auctoritate aliquas fundationes ex ſui Beneficii redditibus inſtituere?

II. An poſſit impendere bona, quæ vel ex donatione, vel propria induſtria acquiſivit?

III. An hæ fundationes ſtrictam executionis obligationem importent, ita ut citra peccatum negligi nequeant?

IV. An reformatæ Congregationis generalia Capitula poſſint auctoritate propria fundationes ante reformationem editas abrogare?

V. An vi cujuſcumque poſſeſſionis, Legis, Regularum Juris quiſquam tuta conſcientia ab iis exequendis abſtinere poſſit? Exiſtit fundatio, in qua propriorum bonorum circumſtantia in Epitaphio tantum exprimitur. Quæritur, id ne ſatis firmo fundamento eſſe poſſit, ut facta credatur ex Beneficii redditibus, qui proprii dici potuerunt tanquam ad Regularis Beneficiati ſuſtentationem affecti?

Navarrus *Comment.* 2. *de Regular. n.* 58. ſignificat licere Regulari Beneficiato Superiorum ſuorum permiſſu fundationes ex proprii Beneficii proventibus inſtituere; quæritur, an hæc opinio ſit communiter recepta, an ea Superiorum conceſſio firma ſit, an vero poſſit ab eorum Succeſſoribus infirmari?

Optatur, ut deciſiones a Doctoribus ſubſcribantur, quo ſimilibus difficultatibus impoſterum diſſolvendis inſervire poſſint.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Regularem poſſe, dum vivit, Generali Capitulo permittente fundationes inſtituere; neque enim ad id requiritur, ut habeat dominium boni, quod vult in fundationibus collocare, ſed ſatis eſt, ut ejus adminiſtratione gaudeat; ita ut Capitulum generale cenſeatur in hac facti ſpecie non quidem cum eo Regulari in paupertatis voto diſpenſare, quod non poſſet, ſed boni ad Ordinem ſpectantis, & ad Ordinem reverſuri adminiſtrationem ei procurare, ut certo uſui illud deſtinet; vel ſi libet, dicetur ipſum Capitulum Generale fundationes has inſtituere opera Regularis Beneficiarii, quem in id eligit, & delegat.

Quocumque modo res accipiatur, non videtur id Generalis Capituli poteſtatem excedere. Immo vero juxta Bullam Clementis VIII. *cap. Religioſæ Congregat.* an. 1594. Superiores Ordinarii eam veniam dare poſſe videntur. Pontifex enim poſtquam utriuſque ſexus Regularibus complura donationum genera prohibuit, eas excipit, quæ Superioribus annuentibus in Divini cultus aut pauperum favorem fiunt; *niſi re ipſa pro divino cultu, & veris Chriſti pauperum indigentiis, aut aliis in rebus licitis, & per Capitulum Generale aut Provinciale non prohibitis ex conſenſu Superiorum fient*. Et quamvis fortaſſe hoc in loco de ſimplicibus donationibus agatur, quæ quidem non ſubſiſtunt, animadvertendum tamen eſt donationes ob cauſam piam magis favorabiles eſſe, & minorem ſolemnitatem requirere juxta Bullæ ſententiam; ita monet Pelizarius *tom.* 1. *tr.* 6. *c.* 9. *q.* 14. *n.* 27. Ex quo inferri poteſt, ſi Superioris immediati permiſſio ſufficit ad donationem ſimplicem ob cauſam piam, Generalis Capituli veniam ſatis ponderis habituram, cum donatio ob cauſam piam ſubſiſtentem effectum producet; verum id accipiendum, cum ſola adeſt Superioris immediati permiſſio; conſtat enim eam a Pontifice vel a Capitulo Generali concedi poſſe, niſi hujus poſterioris poteſtas Ordinis Inſtituto reſtricta ſit.

Quod ſi Regularis Beneficiarius vellet mortis cauſa & teſtamento fundationes edere, id ei a Capitulo Generali permitti non poſſet, quia Regularis utroque Jure teſtari prohibetur *ex Auth. ingreſſi cod. de Sacroſ. Eccleſ. cap. quia ingredientibus* 19. *q.* 3. & *cap.* 2. *de teſt.* Solus Pontifex eam veniam tribuere poteſt; ita ſentiunt Theologi poſt Divum Thomam 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. Quocirca neceſſe eſſet a Summo Pontifice collatam eſſe Capitulo Generali facultatem permittendi Regulari, ut teſtetur. Bonacina tom. 2. diſp. 3. q. 17. p. 2. n. 3. Leſſ. *de juſt. l.* 2. *c.* 41. *dub.* 8. *n.* 71. Sanchez *l.* 7. *cap.* 8. *n.* 6. & 47.

Hoc poſito, reſpondetur ad propoſitas quæſtiones quinque.

Ad primam, & ad ſecundam, Regularis, de quo agitur, potuit cum Generalis Capituli permiſſione fundationes edere tum ex ſui Beneficii proventibus, tum ex aliis bonis donatione aut induſtria comparatis. Si enim certum eſt licere Generali Capitulo ob aliquod temporale negotium aſſentiri, ut propriorum fundorum pars alienetur, poteſt multo potiori ratione permittere cauſa cognita, ut bonum aliquod ad Ordinis Monaſterium pertinens, vel ad ſe reverſurum conferatur in aliquas fundationes, aut in alia pia opera, & in eum finem delegare Regularem, eique earumdem rerum exequendarum facultatem tribuere.

Ad tertiam. Si facta eſt conventio cum tertio ad dictas fundationes implendas cum Fabricæ Curatoribus, aliiſve alicujus Eccleſiæ Superioribus, quæ ab Ordine minime pendeat, obligatio juſtitiæ eſt, ac proinde ſub peccati pœna, etiamſi obligationes in Eccleſiis ab Ordine pendentibus factæ eſſent; fides quippe in promiſſis præſtanda id omnino poſtulat, ſi Capitulum Generale, quod fundationes inſtituendi permiſſionem tribuere poteſt, ut in citata Clementis VIII. Bulla ſupponitur, eaſdem probavit: *Niſi in Generali Capitulo, aut alia generali Congregatione, re mature diſcuſſa, cauſa approbata fuerit.*

Hoc loco objici poſſet id judicii de Regulari ferendum eſſe, quod in Jure fertur de ſervis; porro ex Jure *Interpoſitas* 13. *cod. de tranſact.* Dominus ex pacto, quod init cum ſervo, veri nominis obligationem non contrahit. Ita ſentiunt Juriſconſulti, ac Theologi bene multi, quos Sanchez *l.* 7. *c.* 8. *n.* 14. *moral.* in medium affert; unde Sylveſter *V. Abbas n.* 7. concludit Superiorem, qui cum ſuo Regulari conventionem inſtituit, eam exequi non teneri, ſed poſſe, cum voluerit, revocare: *Tertio non ligatur ſuo ſtatuto etiam facto contractu ſecundum Panormitanum in dictum Caput, Cum ad Monaſterium. etſi juraſſet ſervare; tamen ſecundum Joannem Andream in regula prædicta non eſt obligatorium, licet ſit perjurus; unde patet, quod ſi ipſe eum Conventu Priorem Officialem conſtituerit, tamen poteſt revocare, quia Abbas Monacho ſuo in aliquo obligari non poteſt, ſicut nec Dominus ſervo. Cod. de tranſact. l. Interpoſitas in fin.* Azorius 1. *p. l.* 12. *c.* 20. *q.* 14. idem pronunciat, quamvis jurejurando Superior Regulari ſuo quicpiam promiſerit; peccaret ille quidem, & perjurii reus eſſet, ſi promiſſionem ſuam revocaret, ſed revocatio valida eſſet: *Perjurii quidem crimine tenetur, revocatio tamen firma eſt, & valida; & docuit Joannes Andreas in Caput, Ad Monaſterium de ſtat. Monac. cap. Non eſt obligatorium de Regul. jur. in* 6. Affert eamdem rationem: *Quemadmodum*, inquit Panormitanus, *Servus Dominum ſibi obligare non poteſt, ſic nec Monachus Abbatem.*

Reſpondetur cum Auctoribus, quos laudat Sanchez *l. c. n.* 16. & *ſeq.* in Jure & apud Canoniſtas verba fieri de obligatione tantum civili, deque ea, quæ *fori externi actionem præſtat*, non autem de obligatione conſcientiæ. Eamdem ſententiam Navarrus inſinuat, dum ita loquitur *conſil.* 20. *n.* 9. *de Regul. Monacho non eſt jus compellendi ad ſtandum his, quæ promiſit, quemadmodum*, inquit Panormitanus, *Dominum ſervus ſibi obligare non poteſt, ſic nec Monachus Abbatem.* Adeſt igitur naturalis, & conſcientiæ obligatio, quominus fundationes, de quibus agitur, abrogentur.

Ad quartam. Quamvis Capitulum generale poſſit irrita ob graves cauſas ea declarare, quæ in alio ſtatuta ſunt: in hac tamen facti ſpecie Capitulum generale Ordinis Reformati non poteſt id facere, nec veteres fundationes in alios uſus conferre, præſertim poſtquam acceptatæ, & impleri cœptæ ſunt; animadvertendum eſt enim I. permiſſionem, quam generale Capitulum tribuit Regulari, ut ex proprii Beneficii proventibus fundationes inſtitue-

ſtitueret, in eo demum poſitam eſſe, ut ille alienare poſſit in gratiam piorum operum, quæ quidem minus impugnanda, quam quævis alia diſpoſitio, quippe quæ in remedium animæ ſint. II. præſumendum eſſe Capitulum generale, quod eam veniam conceſſit, gravibus cauſis ductum fuiſſe; & quamvis eo tantum ſpectaſſet, ne Regularis hic omnes omnino ſuos proventus abſumeret, quod cæteroquin contigiſſet, hæc ſatis juſta cauſa fuiſſet, cur generale Capitulum eam veniam concederet. III. Minorem ſane cauſam requiri, cum agitur de inſtituendis pietatis operibus, quæ cæteroquin Monaſterio ſint utilia, quam cum de aliis uſibus agitur, & cum præſertim ea bona non ſunt fundi, ſed puri putique proventus.

Ad quintam. Ex hactenus dictis ſequitur, fundationes, de quibus ſermo eſt, utpote factas ex facultate, quam Ordinis vel reformati Capitulum generale conceſſit, alterius generalis Capituli ſimplici auctoritate, ſcilicet abſque gravibus cauſis abrogari non poſſe. Hinc ſi certo conſtet fundationes legitime factas eſſe ſive per juſtos titulos, ſive per Epitaphium, nulla poſſeſſio obeſſe poteſt, quominus implendæ ſint; id enim abeſſet a bona fide, ſine qua præſcriptio legitima nulla unquam eſt; nullæ occurrunt regulæ, nullique Juris textus, qui a peccato, quod neglectis iis fundationibus committeretur, excuſare poſſint; ita quippe violaretur Capituli generalis decretum, & bona fide facta, legitima poteſtate firmata, & a viris idoneis acceptata conventio.

Ex his omnibus liquido apparet Navarri ſententiam *Comm. 2. de Reg. n. 58.* adeo gravibus fundamentis niti, ut tanquam ſingularis opinio ſpectanda non ſit. Immo vero oporteret eos, qui contra ſentiunt, propugnare Capitulum generale conſentire non poſſe in alienationem, quæ majus quid eſt, quam preces aliquas fundandi permiſſio, quoniam non id agitur, ut Monaſterii fundus, ſed ſolum Beneficii proventus aliqui, vel aliunde comparata bona diſtrahantur; quod propugnari non poteſt; vel illud aſſerendum eſſet, poſtquam generale Capitulum cum cauſæ cognitione aliquid permiſit, non adeſſe obligationem implendi fundationes bona fide inſtitutas, acceptatas, & executioni mandatas; id quod bonæ fidei, & æquitatis regulas prorſus inverteret, gravique ſcandalo eſſet. Implendæ ſunt igitur fundationes, niſi magnis gravibuſque de cauſis reformati Ordinis generale Capitulum eas corrigendas, vel ob majus bonum omnino mutandas cenſuerit.

Deciſum hac die 16. Februarii an. 1696.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

Fundatio inſtituta cum jure nominandi.

CASUS VI.

1 *Parochus & Miniſtri poſſunt in novæ fundationis gratiam Laicis cedere Capellani nominandi jus, cujus poſſeſſione per aliquod tempus gaudent.*
2 *In hac ceſſione nulla adeſt ſimonia.*

QUÆSITUM.

ANno 1550. Sempronius in ſua Parochia quotidianam Miſſam in perpetuum fundavit, ea conditione, ut ipſe, quoad viveret, ad eamdem Capellaniam præſentandi jure gauderet, & ſe mortuo, jus illud ad ſuos poſteros pertineret; iis vero omnino pereuntibus, ad Parochum & Miniſtros pro tempore devolveretur.

Decurſu temporis factum eſt, ut qui Sempronii nomen gerebant, interirent, & Capellaniæ fundo decreſcente, ſervitium imminueretur, adeoque tres tantum in hebdomada Miſſæ celebrarentur.

Hæc duplex mutatio Titiæ (viduæ conſanguinei Sempronii, cujus nomen non geſſerat) locum dedit unius Miſſæ per hebdomadam in perpetuum in eadem Parochia teſtamento fundandæ, & ab eodem Sacerdote celebrandæ, qui Miſſas a Sempronio fundatas celebrabat; & quia fundus, qui Capellani retributioni inſervierat, imminutus fuerat, Titia fundationem auxit, ea conditione, ut ejus filii ad eam Capellaniam præſentandi jus haberent, Parochi & Miniſtrorum, atque illa quidem in eum finem fundos legavit.

Parochus & Miniſtri huic teſtamenti clauſulæ aſſenſum præbent; ſed alii refragantur, ajentes eam clauſulam ſimoniacam eſſe, quoniam Titia vult emere rem ſpiritalem, videlicet præſentationis jus pro re temporali, qui proprie dictus ſimoniæ caſus eſt.

Sed reſpondetur, illud primum omnium Titiæ propoſitum fuiſſe, ut Miſſam in perpetuum fundaret, & quamvis huic fundationi eam conditionem addiderit, ut ſui filii Capellanum nominandi jure gauderent, non eam tamen id primo loco ſpectaſſe.

Diſpoſitionem hanc ex earum genere eſſe, quas Eccleſia identidem approbat, nihilque diſcriminis intereſſe inter hanc fundationem, & alias, quæ ad Patronorum Laicorum nominationem ſunt inſtitutæ.

Quamvis fundatio hæc veteri annexa fuerit, ſpectari tamen poteſt tanquam omnino nova fundatio Miſſæ per hebdomadam, quæ celebranda eſt a Capellano, qui non amplius eam quotidie celebrabat propter diminutionem fundorum veteris fundationis.

Qui conſulunt, nolunt contra conſcientiam quicquam facere, rogantque Doctores, ut ſe ſe inſtruant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ut propoſita quæſtio recte dijudicetur, illud tanquam certum ponendum eſſe jus patronatus Laicis conceſſum eſſe puram putamque gratiam, quam confert Eccleſia, ac proinde id accurate ſervandum eſſe, quod in hoc negotio in Jure ſtatutum eſt; porro jus hoc iiſdem ſtatutum eſt, ut ad inſtituendas fundationes adducerentur, quo Deus magis magiſque honoraretur. In eum finem iis conceſſum eſt, ut Eccleſiarum, quas fundaverant, Miniſtros præſentarent; haud longius productum eſt jus hoc, nec apparet eos ſua jura & privilegia ulterius extendiſſe; id omnino quod attinet ad hanc rem, occurrit in Jure. Verum enim vero de Epiſcopi licentia jus idem transferri poteſt. Itaque non eſt dubium, quin ſi Ordinarius permittere velit, ut Parochus, ejuſque Miniſtri cedant patronatus jus, quo gaudent, cedere poſſint. Sed Titia non poteſt id ſibi arrogare vi ipſæ fundationis, quia jus illud juxta Sempronii diſpoſitionem Parocho & Miniſtris acquiſitum eſt. Videtur ex alia parte res eſſe maxime favorabilis, quoniam Titiæ fundatio ſupplet id, quod deerat ſubſiſtentiæ Sacerdotis obeuntis ſempronii fundationem, quæ utpote imminuta non amplius, quod neceſſarium eſt, eidem ſuppeditat. Juxta Azorii ſententiam *Inſtitutionum Moralium part. 2. l. 6. cap. 19. q. 5.* per dotis augmentationem jus patronatus fundari poteſt. Quærit ille, an id juris acquiri poſſit aliter quam tradito Eccleſiæ fundo, per ædificationem ſcilicet, ac dotationem; reſpondetque: *reſpondeo, quod poſſit acquiri, nimirum ſimilibus, ſive æquipollentibus, veluti cum quis Eccleſiæ dotes auget.* Quod ſane occurrit in hoc caſu, in quo Titulari ſubſiſtentia comparatur. Quamvis porro ſententia hæc communior non ſit, tamen ſatis juſta cauſa eſſe poſſe creditur, quamobrem Ordinarius, præſertim Parocho & Miniſtris id ultro probantibus, Capellaniæ jus patronatus ad Titiæ filios transferri aſſentiatur, neque id tanquam ſimoniacum ſpectari poſſe creditur; præſertim cum jus patronatus, quod Eccleſia probat, fere nonniſi per fundationem, ædificationem, & dotationem, quæ temporales res ſunt, ſed Eccleſiæ regulis & diſciplina rectæ ſunt, acquiratur; atque ita aſſeri nequit hac in re aliquid vitii, multoque minus ullam venditionem aut emptionem adeſſe, prorſus ut in aliis omnibus Patronatus acquirendi modis.

Deciſum in Sorbona hac . . . . Septembris an. 1689.
Aug. *de Lamet*.

Fun-

Fundatio Hoſpitali aſſignata.

CASUS VII.

1 Poſſunt Epiſcopi fundationem in aliquid melius mutare.

2 Non debent id facere, niſi poſtquam mature expenderint, an quod ipſis proponitur, publico bono & Eccleſiæ utilius, quam ipſa fundatio.

3 Eorum eſt expectandus conſenſus, quibus fundationis cura demandata eſt.

QUÆSITUM.

Titia prole carens edidit teſtamentum, quo poſtquam fratrem ſuum ſpeculiarem hæredem inſtituit, mandat, ut quod ſibi bonorum ſupereſt, ex cenſus Contractibus, & hæreditatibus, adminiſtretur ab Exactore mercede conducto, & proventus impendatur I. in matrimonio jungendis, dotandiſque pauperibus puellis, ne a recto pudoris tramite deflectant; II. in pauperibus utriuſque ſexus infantibus in ea, in qua Teſtatrix, Urbe natis artibus imbuendis; eorumque electionem hæredi ſuo, ejuſdemque Urbis Magiſtratibus integram relinquit, iis id quoque mandans, ut Adminiſtratoris eorumdem bonorum rationes expendant.

Poſt Teſtatricis mortem, quæ quadraginta ab hinc annis contigit, ejus voluntas fideliter impleta eſt, atque adeo juxta œconomiæ leges, ut fundus valde auctus fuerit.

Animadvertendum & illud eſt ea in Urbe Hoſpitale exiſtere deſtinatum ſolummodo ægrotantium ſolatio, cui quidem Moniales bene multæ devotæ ſunt, earumque charitatem, zelum, ſollicitudinem; ac ſtudia tanta eſſe, ut perſonæ vel opibus graduque præſtantes, ſi in morbum incidant, eo ſe deferri velint, quia certo ſciunt ibi majora ſibi quam propriis in domibus ſubſidia præſto fore. Ex hoc Hoſpitali, quod tantum ægrotantibus eſt deſtinatum, cujuſque proventus ſunt admodum tenues, Hoſpitale generale lubet inſtitui ad omnes univerſim mendicantes pauperes excipiendos; atque ut adſit, unde ſubſiſtat, ei proponuntur unienda bona, quæ ad pauperes puellas dotandas, & pauperes utriuſque ſexus infantes artibus imbuendos Titia legavit.

Quæritur, an tuta conſcientia, ac non ſine Epiſcopi auctoritate inſtitui ea unio poſſit, & bonorum a Titia relictorum deſtinatio mutari, & ejus hæredibus, ac Magiſtratibus loci jus adimi, quo gaudent, nominandi puellas pueroſque, quibus fundatio matrimonii tempore emolumento eſſe debet?

RESPONSIO.

Univerſitatis Pariſienſis Theologi Doctores ſubſcripti, qui propoſitam facti ſpeciem viderunt, expenderuntque, cenſent poſſe Epiſcopum propriæ auctoritatis vi id mutare, quod per teſtamentum cauſæ piæ addictum eſt, & in melius convertere juxta regulam, quam legimus *lib. 2. Decretalium de jurejurando cap. Pervenit* 2. in hæc verba: *Non propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius commutat.* Ejuſmodi ſententiæ ſunt Angelus *V. Legatum ſect. 2. n.* 12. Sylveſter in idem verbum ſect. 4. quæſt. 10. Tabiena eodem titulo *ſect.* 2. *§.* 10. Armilla in idem verbum *n.* 53. qui quidem Petri Perraſini *tractatu de canonica portione Epiſcopi* auctoritate nituntur. Antonius Brutius contendit legatum pro cauſa pia in ſanctiorem uſum converti poſſe. Adhæſit Tridentina Synodus horum veterum Auctorum ſententiæ, tametſi ut in his mutationibus tribuat Epiſcopis auctoritatem, eos inſtruat titulo Delegatorum Sanctæ Sedis, id quod non congruit cum Gallicanæ Eccleſiæ regulis, in qua non probantur hæ Sanctæ Sedis delegationes quoad ea, quæ Veterum ſententia de Jure communi ad Epiſcopos pertinent: *In commutationibus ultimarum voluntatum*, inquit Synodus, *quæ nonniſi ex juxta & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ ſummarie & extrajudicialiter cognoſcant nihil in precibus tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate narratum, priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur*; ut proinde Epiſcopi aſſentiri non debeant quicquam in teſtamentis mutari, quod quidem ad cauſam piam ſpectet, niſi cauſa probe perſpecta intellexerint mutationem meliorem & utiliorem Eccleſiæ fore. Quoniam porro in præſenti facti ſpecie agitur de fundatione, juxta Teſtatricis mentem impleta, cui Deus ſuam benedictionem tribuit, quæque ſuapte natura ſanctiſſima eſt, & apprime utilis, cenſent proinde ſubſcripti propoſitæ mutationi nec Epiſcopum aſſentiri, neque alios patrocinari debere, niſi poſtquam diligenter expenderint, ſitne magis e re publica, & utilius Eccleſiæ nihil innovari, an vero mutatis rebus inſtitui Hoſpitale generale, quod ſane Titiæ intentionem exequi non poterit. Cæterum non apparet minus eſſe perfectioni conforme lucrandi victus rationem pauperibus comparari, & puellas, quæ ob indigentiam in præceps abire poſſent, matrimonio copulari, quam Hoſpitale fundari. Verendum eſt etiam, ne Fideles ab inſtituendis fundationibus abducantur, ſi adeo favorabilia legata, ut ſunt ea, de quibus eſt ſermo, mutari, & ſanctiſſimarum voluntatum Teſtatorum tam parum rationem haberi conſpexerint. Itaque Subſcripti cenſent non poſſe tuta conſcientia Titiæ teſtamentum mutari, quin antea diligentiſſime ponderatum fuerit, quid contra ſtet; tum vero ſi Epiſcopus majori gloriæ Deo fore judicaverit privari Fideles iis commodis, quæ Titiæ fundatione hactenus perceperunt, eoſque proventus in Hoſpitale publicum conferri, quia ibidem pauperum, & quidem inſtruendorum major numerus excipietur: inſtitui poterit unio propoſita non ſine tamen hæredum, & Magiſtratuum a Teſtatrice nominatorum conſenſu.

Deciſum Pariſiis hac die 3. Octobris an. 1678.
August. *de Lamet*.

Rationes, ob quas poſſunt fundationes reſtringi:

CASUS VIII.

1 Fundationes ita veteres, ut Eccleſia, in qua inſtitutæ ſunt, nunquam reſtringi poſſunt, quippe quæ privilegiatæ ſunt.

2. Cæteræ, quarum quidem fundi ſunt imminuti, poſſunt Epiſcopi auctoritate reſtringi, ſervato Juris ordine.

3 Poſſunt eadem auctoritate abrogari earum officia, quarum proventus omnino perierunt, facta nihilominus in aliis precibus Fundatorum commemoratione.

4 Vicarii Generales Capituli, Sede vacante, eas reſtrictiones in propriæ Eccleſiæ favorem edere nequeunt.

QUÆSITUM.

In quadam Cathedrali Eccleſia exiſtit menſa a Capitulari ſejuncta, cujus redditus impenditur in diſtributionibus, quæ dantur iis, qui ſtatis Miſſis quotidie pro Defunctis cantari ſolitis interfuerint. Conſtat menſa hæc fundationibus multis, quæ variis temporibus ſunt inſtitutæ.

Adminiſtratio bonorum harum fundationum Syndicis ex Canonicorum corpore ductis commiſſa eſt. Quamquam inter eas fundationes aliæ ſunt, quarum fundus adhuc integer omnino ſubſiſtit: ſunt tamen aliæ, quarum fundus adeo imminutus eſt, ut proventus ſolvendis diſtributionibus non amplius par ſit.

Sunt & aliæ, quarum fundi penitus perierunt, ſive Adminiſtratorum negligentia, ſive temporum injuria. Hoc poſito, quæritur,

I. An reſtringi poſſint fundationum ſervitia, quarum dimidius fundus interiit, & quomodo ea reſtrictio facienda ſit?

II. An penitus aboleri poſſit earum ſervitium, quarum fundus omnino periit?

III. Denique an facta hypotheſi reſtrictionem aliquam fieri poſſe, Vicarii Generales Epiſcopali Se-

de vacante poſſint id præſtare, an vero expectandum ſit, dum Epiſcopus nominatus Bullas obtinuerit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſita vidit, exiſtimat quoad quæſtionem primam, inter fundatores diſtinguendum eſſe. Aliæ quippe Eccleſiæ coævæ ſunt, aliæ non item; illæ mutari omnino non poſſunt, quia privilegiatæ ſunt, & difficile oſtendi poſſet earum proventum magnopere imminutum eſſe, & ad implenda officia non amplius ſufficere. Ad poſteriores fundationes quod attinet, eas reſtringi permittit Synodus Tridentina, prout Epiſcopo viſum fuerit, neceſſariis formulis cuſtoditis. Vide *Seſſ.* 25. *c.* 4. Neque enim definiri poteſt, quatenus reſtrictio facienda ſit, niſi per accuratam fundi, qui ſupereſt, cognitionem.

Quoad quæſtionem ſecundam, Fundationum, quorum fundi penitus interierunt, officia prætermitti poſſunt: *ita tamen*, ut loquitur Synodus loco citato, *ut eorum ſemper defunctorum Commemoratio fiat, qui pro ſuarum animorum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt*. Concinunt Synodo Cardinalium Declarationes: *Quæ per intentionem applicationis Miſſarum, per preces, quæ offeruntur in ſecundo Memento, & per collectas fieri poſſunt.*

At ſi eorum, quos in id Capitulum delegavit, prava adminiſtratione fundus periit, tenentur Adminiſtratores eum reſtituere, iiſque non reſtituentibus tenetur Capitulum, quippe quod Miniſtrorum, quos ad Eccleſiaſticorum bonorum curam nominat, debet rationem reddere, & in id incumbere, ut ii exacte ſuum munus impleant, & Tutorum, qui Pauperum bona adminiſtrant, omnia officia exequantur.

Quoad quæſtionem tertiam. Vicarii Generales Capituli, Sede vacante, id præſtare nequeunt in propriæ Eccleſiæ favorem, tametſi in aliarum Diœceſis Eccleſiarum gratiam poſſent, quia nempe ſuſpicio adeſſet, eos in propria cauſa favere Eccleſiæ, cujus membra ſunt; atque ita expectandum eſt, dum Bullas Epiſcopus obtinuerit.

Deciſum Pariſiis die 2. Februarii an. 1688.
Auguſtinus *de Lamet*.

FURTUM.

Furtum eſt abreptio, vel detentio alieni boni, ut tanquam proprium, invito domino, retineatur. Quamvis autem Furtum ſuapte natura mortale peccatum, Apoſtolo teſtante, (*a*) fures ac raptores divini Regni hæredes non fore; fieri tamen poteſt, ut, quod eripitur, tam parvi momenti ſit, ut proximus haud grave damnum inde patiatur, adeoque peccatum tantummodo veniale ſit, quia furti criminis gravitas ex damno petitur, quod injuſte proximo infertur. At non ita facile finiri poteſt, quæ demum quantitas eſſe debeat, ut mortale peccatum exiſtat, quia nempe quod nonniſi levi damno diviti foret, id ipſum haud raro pauperi graviſſimum damnum afferet. Huc referendum eſt, quod ait Canon *Fur.* 14. *q.* 6. furem ſe latrocinii crimine obſtringere, non modo dum magna, verum etiam dum parva ſurripit, quia ſcilicet ad ejus criminis gravitatem detegendam, ipſius intentionis, qua quidem alienum bonum ſibi ſumpſit, ratio habenda eſt.

Qui furi ſe comites addunt, aut aliqua ratione ſuam operam exhibent, cauſa exempli ſtructis inſidiis, appoſita ſcala, vel delatis ac ſuppeditatis armis aut cæteris inſtrumentis ad actionem eam neceſſariis, qua damnum aliquod proximo infertur, tenentur, auctore præcipuo criminis deficiente, univerſum damnum reparare, juxta civilem legem, quæ ſtatuit, ut ſi duo vel plures trabem ſuſtulerint, quam eorum unus aſportare non potuit, damnum eo furto illatum omnes in ſolidum ſolvere teneantur, etiamſi qui operam contulerunt, id egerint propoſiti mali graviſſimi metu permoti. Hoc nimirum eſt caſus, qui ſequitur, argumentum.

Furtum, cui quis cooperatur.

CASUS.

1 *Qui gravis mali formidine ſcalam ſuſtinet, ut furto faveat, ad reſtitutionem tenetur.*

2 *Tenetur ſervus dominum monere de damno, quod ei affert ſervus alius, cum ejus ſilentium furto occaſionem præbet. Quod ſi extraneus furaturus accedat, debet ille dominum commonefacere.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſententiam ſuam ſuper duabus quæſtionibus, quæ ſequuntur, aperiant.

I. An qui metu ac minis adductus alteri, dum furatur, ſcalam ſuſtentat, id quod ereptum eſt, reſtituere teneatur?

II. An Familiaris, qui ſervos alios communi Domino ſuffurari non ignorat, cum de re tota certiorem facere debeat, cum raptæ res ejus potiſſimum fidei commiſſæ non ſunt? Teneturne, ſi id facere neglexerit, reſtituere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, I. Non deeſſe Caſuiſtas, qui contendant, hominem, qui mortis aut gravis mali minis territus ſcalam ſuſtentat, ut furto faveat, omnino non peccare, nec proinde ad reſtitutionem teneri; quia, inquiunt, ea ſuapte natura indifferens actio eſt, ac nonniſi remote ad furtum confert. At Sylvius in D. Th. 2, 2. *q.* 62, *art.* 7, ſententiæ huic nequaquam ſubſcribit: *An poſſint*, inquit, *præbere ſcalas, juvare, ut aſcendant, dare inſtrumenta ad confringendas fores, quando alioquin mors intentatur, non liquet. Leſſius affirmat, eo quod illæ actiones non ſint de ſe malæ; nobis tamen videtur eſſe difficile illos excuſare, cum actiones iſtæ hic & nunc a talibus factæ, ſint cooperationes ad rapinam committendam.* Potiore ratione eum peccare concludi poteſt, qui citra gravis mali periculum furi adjumento eſt, ut ſcalam aſcendat. Sententia hæc una veritati conſona apparet, præſertim cum ea quidem januam, ut alia, nec paucis nec levibus incommodis, quæ inde poſſent exiſtere, non aperiat. Vide Baſſ. *t.* 1. *v. Reſt.* 3. *n.* 12. Dian. 3. *p. reſ. tr.* 5. *reſ.* 36. Leſſ. *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 29. *de juſt. & jur.* Sair. *l.* 10. *tr.* 2. *n.* 6. Sanchez *l.* 1. *c.* 7. *n.* 18. *moral.*

II. Si Caſuiſtis compluribus fides adhibeatur, ſervus, cui non univerſa Domini ſui domus commiſſa eſt, quique uni tantum peculiari officio eſt addictus, ex charitate quidem, non vero ex juſtitia tenetur Domino ſervorum aliorum furta detegere; adeoque, ſi minus detegat, reſtitutionis legibus non adſtringitur, dummodo ejus ſilentium, vel ut loquitur Sairus *l.* 10. *tr.* 2. *c.* 15. *n.* 18. *taciturnitas occaſionem furandi non præbeat.* Aliter porro ſtatuendum eſſet, ſi extraneus in domum furaturus irreperet; tum enim domeſticus quiſque æque communis domini bona tueri debet. Sairus diſtinctim explicat, quemadmodum debeat ſervus in propoſita facti ſpecie ſe gerere. Vide Leſſium *l.* 1. *dub.* 10. *n.* 75. Dianam 3. *p. tr.* 5. *reſol.* 54. *§. Notandum*, Layman *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 7. Sairum *l.* 1. *c.* 15. *n.* 18. & *c.* 14. *n.* 9. Bonacinam *diſp.* 1. *q.* 2. *Punct.* 11. *n.* 7. *de injuriis p.* 228.

Deciſum hac die 18. Decembris an. 1702.
G. Fromageau.

(*a*) 1. Cor. c. 6. v. 10.

Ha-

HABITATIO.

AGitur hoc loco de habitatione perſonarum alterius ſexus cum Religioſis Benedictinis, communi vitæ ratione minime utentibus, eo prætextu, quod conſanguinitatis arcto gradu conjunctæ ſint, puta Mater, Soror, Neptis, quibus tamen aliæ fæminæ famulantur; id quod abſolute vetitum eſt, quoniam ejuſmodi licentia poteſt eſſe Religioni maxime perniciosa; ac ſi canones rotundis verbis perſonis ſæcularibus diverſi ſexus ad Monaſteria aditum intercludunt, potiori jure ſentiendum, iiſdem prohibitum eſſe ibidem verſari, & domicilium habere. Ciſtercienſis Ordinis Inſtituta vetera an. 1134. collecta graviſſimas hac in re leges edidere; & in harum quidem legum executionem factum eſt, ut Abbas Pontiniacenſis in Capitulo Generali an. 1205. habito puniretur, quod Galliarum Reginam, ejuſque comitatum in ſuo Monaſterio excepiſſet. Quid deciſum ſit, ſubſequens facti ſpecies ſignificabit.

Habitatio Mulierum in virorum Monaſteriis.

CASUS.

1 *Non poteſt Religioſus, ſalvis Statutis, perſonas alterius ſexus in Monaſterio ſecum retinere, quocumque prætextu.*

2 *In eodem Monaſterio nec Matrem, nec Sorores cum ſuis ancillis detinere poteſt; & Superior in conſcientiæ foro tenetur ipſas extrudere.*

QUÆSITUM.

IN quadam Abbatia Ordinis Sancti Benedicti, ubi Religioſi non utuntur communi vitæ ratione, ſed ſuo quiſque arbitratu vivunt, peculiaribus etiam famulis ſibi conquiſitis: Superior, Definitores, & Capitulum ab hinc annis pluſquam 30. ſuper obſervantia Regulari edidere Statuta, inter quæ ſequens occurrit numero triceſimum: *Nemo domi fæminas aut puellas in famulas habeat, aut intra Monaſterii ſepta habitare permittat: quod ſtatutum indiſpenſabile eſſe volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ: quod ſi quis voluerit, puniendus erit pro gravitate culpæ, ut non modo malum, ſed etiam ejus ſuſpicionem omnem, quantum fieri poterit, vitemus.* Ad hanc rem quæritur,

I. An quis hujus Abbatiæ Religioſus poſſit ſine culpa, & quin allatum ſtatutum violet, ſecum tenere fæminas aliquas magno cognationis vinculo ſibi copulatas, cujuſmodi forent Neptis, Soror, Mater; ita tamen ut ejuſmodi Mater, Soror, Neptis nullam famulæ loco fæminam, aut puellam haberent?

II. An idem Religioſus ſuas ipſas conſanguineas retinere poſſit una cum fæminis aut puellis, quæ iiſdem inſerviant?

Qua in re ajunt nonnulli, Religioſum, qui ſuas proximas conſanguineas ſecum haberet, contra Statutum propoſitum non facturum, etiamſi cum iis eſſent fæminæ, ſeu puellæ, quarum opera uterentur; quia ſcilicet hoc Statutum id unum prohibet, ne Religioſi proprias famulas habeant; jam vero Mater, Soror, Neptis non cenſentur famulæ, ſed tantum proximæ conſanguineæ. Quod autem ſpectat ad famulas Matris, Sororis, & Neptis, earum detentio eidem Religioſo culpæ tribui non poteſt, cum certo conſtet eas ipſius Religioſi famulas non eſſe, & præterea de iis in Statuto nullum verbum occurrat, ac proinde nulla prohibitio. Addunt & illud, ab ipſa Statuti ſanctione ad hæc uſque tempora ex hujus Abbatiæ Religioſis non defuiſſe, qui ſecum proximas conſanguineas cum earumdem Ancillis tenerent; atque ita ſtatutum hoc in hac facti ſpecie carere quovis robore, præſertim cum ſcandalum nullum adſit.

Alii tamen huic ſententiæ non ſubſcripſerunt; ſed e converſo mordicus propugnarunt, hunc Religioſum graviter delinquere, & abſolutionis incapacem eſſe, niſi & famulas & conſanguineas expulerit; quia I. allati ſtatuti finis, & Eccleſiæ animus is ſemper fuit, ut ab Abbatiis & Monaſteriis Virorum Mulieres arcerentur, & conſuetum domicilium ibidem habere prohiberentur.

II. Quoties aliqua difficultas occurrit quoad intelligentiam, & explicationem Statutorum & Conſtitutionum aliquorum Ordinum Religioſorum: debent explicari, ſiquidem poſſint, per aliqua alia Statuta & Conſtitutiones aut Bullas in hujus Ordinis gratiam editas, quæ apertæ, & expreſſæ ſint. Quoniam igitur Abbatia hæc ad Sancti Benedicti Ordinem pertinet, allatum Statutum, ſi forte obſcurum appareat, collocandum eſt in bono lumine per aliquam aliam Conſtitutionem, in ejuſdem Ordinis Benedictini gratiam editam: quod hoc quidem modo præſtatur.

Benedictus XII. ſui Pontificatus anno altero in Bulla, quæ incipit: *Summi Magiſtri dignatio*, ſtatuta ſanxit ab univerſo Sancti Benedicti Ordine in perpetuum ſervanda: *Auctoritate Apoſtolica*, inquit, *ſtatuta edimus, & ordinationes facimus, quæ ordinationes ſubſcripta ſine deſcribuntur; quare ubique terrarum & locorum infra, & per ipſam Religionem eadem auctoritate volumus perpetuis futuriſque temporibus obſervari.* Ita vero cap. 19. prohibet ſuis Conſtitutionibus fæminas, atque adeo Matres & Sorores in Abbatiis & domiciliis Religioſorum habitare: *inſuper ſtatuimus & ordinamus, quod Antiſtites, Abbates, Priores, & cæteri Adminiſtratores in Eccleſiis vel Monaſteriis ſeu aliis locis ejuſdem Ordinis, vel Religionis hujuſmodi, aut intra ſepta Eccleſiarum Monaſteriorum, & locorum eorumdem, vel in domibus, in quibus Monachi habitant; mulieres tenere, etiamſi Matres, vel Sorores fuerint, non præſumant.* Clara ſunt verba hæc, nec poterat in propoſita facti ſpecie diſtinctius præcipi.

III. Extiterint licet in eadem Religioſi nonnulli, qui conſanguineas arcto cognationis ſanguine ſibi conjunctas cum ſuis ancillis ſecum tenerent: conſtat tamen eorumdem Religioſorum majorem numerum ſemper ſe contra geſſiſſe; & quoniam ſemper vigent Leges, dum a ſubditorum majore parte ſervantur, tametſi ab aliquibus violentur, ideo de Statuto paulo ante allato idem ſentiendum eſt.

IV. Non eſt neceſſe aliquid, ut malum ſit, ſcandalo eſſe; ſatis eſt alicui præcepto repugnare, & Religioſi ſtatus ſanctitati, & dignitati adverſari; quod contingit in caſu propoſito. Quia porro abuſus hic adhuc in hac Abbatia re ipſa graſſatur; rogantur Sorbonæ Doctores, ut enucleate definiant, quid facto opus ſit ad tranquillitatem conſcientiæ cum Superioris ejuſdem Abbatiæ, tum Religioſorum tranſgreſſorum, tum eorum Conſanguinearum, earumque, quas illæ habent famularum loco.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat Religioſum Abbatiæ, de qua quæritur, an poſſe, quin Statuta violet, agatque contra atque hactenus in Ordine in more poſitum fuit, ſecum retinere perſonas alterius ſexus in famulas, atque adeo cum propria Matre ac Sorore in Monaſterio degere. Statutum enim triginta & amplius ab hinc annis editum non de unius tantum generis fæminis loquitur, puta de iis, quæ famularum titulo domum accitæ, ibidem proinde verſantur: *nemo domi habeat fæminas aut puellas*, inquit Statutum, *in famulas*; verum etiam de cujuſque generis fæminis verba facit; dum a Monaſterii ſeptis fæminas ad unam omnes removet: *aut puellas, aut fæminas intra ſepta Mo-*

naſterii habitare permittat. Cum Statutum hoc exprimat hæc duo; ſi liceret Religioſo propriam Matrem aut Sororem ſecum habere, conſequens foret fæminam in Monaſterio morari poſſe, ac proinde fæminas quaſque indiſcriminatim in Statuto non excludi; quod iis repugnat, quæ modo notata ſunt.

Olim quidem Concilia, & nominatim Nicænum *can.* 3. eam Eccleſiaſticis veniam dederunt, ut una cum Matre aut Sororibus, aut aliis proxima conſanguinitate conjunctis mulieribus degerent; ſed id Religioſis conceſſum fuiſſe nuſpiam occurrit; immo vero ſemper maxime cautum fuit, ut fæminæ Monaſteriorum aditu prohiberentur; atque adeo propriæ Matris ſecum retinendæ venia, quam Clericis Eccleſia tribuerat, pluribus in locis nequaquam obtinuit, ut ex Galliarum Conciliis bene multis a Patre Sirmondo in medium allatis licet intelligi. En inter alia mandatum Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Sæculo VIII. Eccleſiam regente Leone III. in Synodo, in qua editum fuit *canon.* 12. Ad rectam diſciplinæ rationem, adimendamque Sacerdoti occaſionem verſandi cum fæminis: *nulla femina in una domo habitet cum Presbytero quamvis Canones Matrem & Sororem, & hujuſmodi perſonas, in quibus nulla ſit ſuſpicio, cum illo habitare concedant; hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obſequio, ſive occaſione illarum veniunt aliæ feminæ, quæ non ſunt ei affinitate conjunctæ, & cum ad peccandum alliciunt*. Si id deinde Clericis prohibitum fuit, multo magis idem ſentiendum de Religioſis, qui longius a communi ſocietate, & Laicorum conſuetudine abeſſe debent.

Verum utut res habeat, verba Bullæ Benedicti XII. de Benedictinis in hanc rem ſatis aperta ſunt. Vetat enim diſerte Pontifex, ne iidem Religioſi proprias Matres, aut Sorores ſecum detineant: *in domibus, in quibus Monachi habitant, mulieres tenere, etiamſi Matres, vel Sorores fuerint, non præſumant*.

Fruſtra porro Monachus noſter ex eo ſibi præſidium quærit, quod Statutum, quodque id, quod in Benedicti XII. Bulla continetur, Religioſi complures violaverint, & ex eo, quod aliquas ex ſuis proximis conſanguineis una cum earum ancillis ſecum retinuerint, ſcandali nihil extiterit.

Reſpondetur enim, ad primum quod attinet, Monachorum majorem partem Statuto, Bullæque menti fideliter adhæſiſſe; quod ſatis eſt, ut pronuncietur utrique robur ineſſe, & Monachos ad unum omnes & Statuto & Bullæ debere ſe ſubdere; ut propterea tanquam legis & diſciplinæ tam ſanctæ inſtitutarum tranſgreſſores ii Monachi ſpectandi ſint, qui famulas cum ſuis Matribus & Sororibus ſecum hactenus retinuerunt.

Quod ſpectat ad alterum, reſpondetur, ut lex aliqua non amplius obliget, haud ſufficere, in peculiari aliqua facti ſpecie malum, quod impedire aut antevertere Lex voluit, non occurrere; ſed ſatis eſſe, ut plurimum id mali contingere, aut adeſſe ſæpius ac fere periculum proximum, ne malum contingat, ut Lex etiam in hujuſmodi peculiaribus caſibus obligare cenſeatur.

Uno verbo adeſt Lex, quæ alio Statuto, & Pontificis Bulla nititur, quæque ad hoc uſque tempus in uſu fuit, & a pleriſque Monachis ſervata eſt, prohibens, ne illi in Monaſterio ſuam Matrem, ſuaſque Sorores cum earumdem ancillis excipiant. Conſequens ergo fit, Religioſum, de quo quæritur, huic diſciplinæ ſeſe conformare debere, ac proinde teneri omnes ejuſmodi perſonas alterius ſexus a ſe removere; ſequitur & illud has ipſas perſonas commonefactas haud licere Benedictinis Monachis eas in Monaſterio ſecum tenere, abire debere. Ad extremum ſi neque illi, neque hæ parere voluerint, aut facere, quod decet; Abbatiæ Superior, quacumque demum ratione judicaverit expedire, debet in id incumbere, ut nulla interjecta mora ac perpetuo Ordinis & Monaſterii in hoc quidem capite Reformationes, de quibus ſupra, executioni mandentur.

Deciſum Pariſiis hac die 9. Martii an. 1699.
G. *Fromageau*.

HABITUS.

TRadunt ſacræ Litteræ Adamum & Evam, quamdiu in innocentiæ ſtatu perſtiterunt, nudos fuiſſe, quin eos nuditatis ſuppuderet; ſed ſtatim ac peccarunt, nuditatem ſuam cognoviſſe, ac pudore ſuffuſos ſeſe ficus foliis texiſſe; quod in cauſa fuit, ut Deus pelliceas veſtes iis texeret. Eorum porro pudoris ac probri argumento eſt in eo poſitum, quod propriæ carnis rebellionem, & concupiſcentiam, a qua prorſus ante peccatum liberi erant, ſentire cæperunt.

Induendum eſt corpus duabus de cauſis. I. ad bonæ valetudinis ac vitæ conſervationem, quia cæli inclementia, ac tempeſtatum injuriæ eidem grave incommodum afferre poſſunt; II. ad puritatem tum in ſe ipſo, tum in aliis ſervandam, quippe quod nuditas inhoneſtis, quas excitat, imaginibus eam poteſt evertere. Quare adverſus obligationem utramque delinquitur, cum quis ſe morbis obnoxium reddit, quia proprium corpus non obtegit, quemadmodum mundanæ fæminæ facere conſueverunt, & cum quis aut ſuperfluis aut immodeſtis utitur indumentis; fere enim in veſtium uſu per luxum immodeſtiamque peccatur. Neque vero ea generalis regula eſt, ut pro conditione veſtibus uti liceat, quia non deſunt, qui ſe vel eo, quod eorum conditioni congruit, privare debeant, & quidem titulo juſtitiæ; propterea quod exempli cauſa ære alieno gravati tenentur, quod debent, ſolvere; caſus etiam adeo graves occurrunt, ut id quoque, quod neceſſario proprii ſtatus ratio poſtulat, ſit in eleemoſynis collocandum. Præterea ſemper quam maxime fieri poteſt, a pravis conſuetudinibus recedendum eſt, nec id omnes ſibi licere putandum, quod uſu permiſſum eſt; adeoque proprius inſuper habitus modeſte retinendus, nunquamque fictitia, fucumque facientia indumenta geſtanda ſunt. Id luculenter deciſum in duobus ſequentibus caſibus apparebit.

Sed quoniam infra de habitu Eccleſiaſtico ſermo eſt, juvat hoc loco de eo pauca ſubdere. Dubitari non poteſt, quin prioribus Eccleſiæ ſæculis eaſdem Clerici quas Laici veſtes detulerint; magis enim ſolliciti eſſe debebant, ut ſe occultarent, quam ut habitu, quo innotuiſſent, ſeſe indicarent, ſed deinceps reddita Eccleſiæ pace, eos peculiari habitus ratione diſtingui placuit. In quodam Narbonenſi Concilio an. 589. celebrato Clericis vetitum legimus, ne rubri coloris veſtibus uterentur; ſed id non cohibuit eorumdem luxum, miniſque, ac cenſuris opus fuit, ut ad modeſtas gerendas veſtes adigerentur; atque adeo Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *cap.* 6. prohibitiones has inſtauravit ad geſtandas veſtes proprio ſtatui congruentes Clericos cohortata, quo interior animi honeſtas & morum rectitudo exteriore veſtium congruentia ſignificetur: *omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut Beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi ordinationem & Mandatum*

tum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio & beneficio ac fructibus, reditibus ac proventibus ipſorum beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coerceri poſſint ac debeant.

Veſtium mutatio in perſonæ formam.

CASUS I.

1 *Qui perſonatus incedit, in aliqua lædendi Divini Numinis occaſione verſatur.*
2 *Veſtium ad perſonæ uſum mercatura mala non eſſet, ſi certis quibuſdam terminis concluderetur.*
3 *Qui ex hoc negotio quantumvis illicite aliquid lucri percepit, ad reſtitutionem non tenetur.*

QUÆSITUM.

EST, qui veſtium cujuſque generis in perſonæ formam longo ab hinc tempore non mediocrem mercaturam exercet, multumque inde habet, quod exigat. Has veſtes ſuppeditat populo, Principibus, Aulæ, ad publica ſolatia, ad Tragædias; quia porro non deſunt, qui ei quoad hoc negotium aliquid ſcrupuli injiciant, ipſe vero ſuæ conſcientiæ tranquillitatem quærit: interrogat,

I. An poſſit, ut ſolet, pergere ſalva conſcientia?

II. An facta hypotheſi id ei non licere, aliquam pecuniariam compenſationem reddere teneatur ob lucrum, quod fecit?

III. An ſi commercium hoc prohibitum ſit, poſſit ſuas merces alienare, aliiſque vendere, qui iis utentur, ut ipſe?

IV. An ne ea quidem retinere poſſit veſtium genera, quibus Poloni, Armeni, Aulici utuntur, atque ejuſmodi veſtes alias, quæ ſuapte natura videntur culpa vacare? Atque an poſſet ex iis locare tum ad Tragædiarum, tum ad Principum, tum denique ad Aulæ uſum?

Conſulens eſt animo comparatus ad eam deciſionem, quam hac in re Sorbonæ Doctores ei tradere voluerint, æqui bonique faciendam.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, miſſa generali controverſia, liceat necne veſtes mutare, ac perſonæ ſpeciem gerere, dubio procul juxta conſuetudinem & in praxi has veſtium mutationes lædendi Dei occaſiones eſſe. Si hujuſmodi veſtium mercatura perageretur, ut uſui tantum eſſent in Principum Aula, & ad eorum ſolatia, vel ob Collegiorum Tragædias: non ita ſcrupulo locus eſſet; verum quia qui eam negotiationem exercent haud fere intra eos fines ſeſe non continent, merito proinde aliquid ſcrupuli injectum eſt ei, de quo agitur, ſi earumdem veſtium commercium exercet quoad omnium promiſcue generum homines, qui perſonati voluerint incedere.

Sane ſi repræſentandis ſolummodo variarum Nationum, ut Polonorum, Armenorum, aliorum perſonis ejuſmodi habitus inſervirent, hoc in caſu neque ea mercatura mala eſſe, nec malorum, quæ quandoque utentium improbitate contingerent, ratio reddenda eſſe videretur;

Sed quia conſtat fere, & moraliter loquendo fieri, ut eas veſtium mutationes pravæ aliæ circumſtantiæ comitentur, quod exempli cauſa in Comœdiis, aliiſque ſimilibus oblectationibus accidit: conſequens proinde ſit non licere citra peccatum earum veſtium mercaturam exerceri, eaſque aliis vendi, qui idem commercium peragerent.

Non inde tamen concludendum, quod lucri ex ea negotiatione perceptum eſt, eſſe reſtituendum; ſi enim commercium ab honeſtate alienum, & peccato obnoxium fuit: lucrum tamen contra juſtitiam præciſe non eſt, quia earum veſtium occaſione perceptum fuit; adeoque ſtatuendum, eum, qui conſulit, ad reſtitutionem non obligari. Debet ille ab ea mercatura ceſſare, veniam a Deo petere, & ut eam facilius obtineat, id conſilii capere, ut aliquas eleemoſynas eroget.

His omnibus in hunc modum conſtitutis, facile quæſtiones quatuor propoſitæ ſolvi poſſunt.

Deciſum Pariſiis die 29. Octobris an. 1701.
G. *Fromageau.*

CASUS II.

Alieni ſexus veſtium ſumptio.

VIde virilium ac muliebrium veſtium promiſcuam tranſmutationem Tom. II.

Fæmina, quæ venatum it virili veſte induta.

CASUS III.

1 *Matrona, quæ ruri verſatur, poteſt, ut viro placeat, ad venationem una cum eo ſe conſerre induta virili veſte, dummodo ſuarum conſuetarum veſtium partem retineat, ita ut qui eam forte obviam habuerint, fæminam eſſe facile noverint.*
2 *Si verendum eſſet, ne ex venationis uſu ſuſcipiendæ proli impar evaderet, eidem exercitationi vacare tuta conſcientia non poſſet.*
3 *Debet etiam curare, ut ſibi per virum liceat haud ita ſæpe venatum ire, & aliam leniorem, ac ſexui magis accommodatam curam ſuſcipere.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Matrona N. poſſit venatum ire, mutatis veſtibus, ut exponitur?

Animadvertendum eſt initio ſtatim Matronam hanc, quæ Pariſiis nata eſt, ruri nupſiſſe, ubi pauciſſimos hominum videt, prudenter & juxta Chriſtianæ vitæ regulas vivere, ſemperque, quantum poteſt, oblatis occaſionibus virtuti ſtudere. Ejus vir venationi maxime deditus, & vertagos alens ipſam ſibi comitem adeſſe ſummopere cupit; cumque locus ſit nemoribus ac ſylvis obſitus, ubi muliebria indumenta venationi inepta ſunt, non poteſt Matrona, quin virilem habitum ſumat.

Deinde non omittendum, eam nunquam venari cum viro, & dum ita incedit, ab omnibus comitantibus omnino cognoſci.

Indumenta, quibus utitur, dum equo inſidet, ſunt aceræ itinerariæ, lata & oblonga veſtis, virilis tunica, faſciola collo obducta, ficta cæſaries, quæ frontem & collum obtegit, & ab aeris injuriis tuetur, pileolus Anglorum more ad frontem demiſſus, fictuſque vultus, qui quidem maxime fæminam indicat. Orat illa Sorbonæ Doctores, ut ad hujus ſupplicis libelli calcem ſcripto ſignificent, hac in re quid ſentiant, ad ejus animum tranquillandum, ſubditque ſe eorum ſententiæ tum quoad venationem in ſe ſpectatam, tum quoad habitum, quo venatur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſita vidit, exiſtimat Fæminam, ſi nulla prorſus adſit neceſſitas, virili veſte uti non poſſe, præſertim cum, docente D. Thoma 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 3. ornatus exterior debeat utentis ſexui reſpondere, & quidem pro locorum, ubi degitur, conſuetudine; atque hac de cauſa deflectit a recto virtutis tramite fæmina, quæ virilem, & vir, qui muliebrem habitum ſumit. Id ſane D. Thomas temperat in hæc verba: *poteſt tamen quandoque hoc fieri propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliud hujuſmodi.* Tum monet hanc veſtium mutationem eo potiſſimum vetitam fuiſſe 22. capite Deuteronomii, quod Gentiles, dum ſuperſtitionibus ſuis vacarent, veſtes mutare ſolerent. Cajetanus

tanus in hunc articulum minime putat eam mutationem lethale ſuapte natura peccatum eſſe, quia multis in caſibus permitti poteſt, ejuſque in Lege prohibitio ex earum numero eſt, quas nos judiciales, & cæremoniales dicimus, quaſque Chriſtus Dominus gratiam nobis conferens abolevit: *De mutatione autem habitus virilis vel fæminei, ex littera ſatis habetur ab intelligentibus. quod dum in multis caſibus eſt licita, ſi ex levitate fiat, non excedit limites venialium; ſi enim ſecundum ſe eſſet mortale, nullo caſu licitum eſſet nec obſtat Divinæ Legis prohibitio, quia judiciale; vel ceremoniale præceptum eſt, & evanuit per Chriſti gratiam*. Navarrus cenſet habitus mutationem non quidem ad malum finem, ſed ad aliquam honeſtam oblectationem peccatum non eſſe, en ejus verba *Manual. cap. 23. n. 22. Vel ob honeſtam ſui aut alterius oblectationem*. In eamdem ſententiam deſcendit Eſtius explicans ea Legis verba: *Non induantur mulieres veſte virili, nec vir veſte muliebri*, idque in medium affert, quod fere fit in Tragediis, Comœdiiſque, in quibus alieni ſexus veſtes ſumuntur. Et ſane intelligimus D. Thomam ad oſtendendum mulieres virilibus, & viros muliebribus veſtibus uti non debere, eam tanquam præcipuam rationem afferre, *præcipue quia*, ejus verba ſunt, *hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ*. Itaque Fæmina, quæ ita virilia indumenta geſtat, ut veſtium, quæ ſexui congruunt, parte retenta facile dignoſci poſſit, minime peccat, ſi quando viriles ex parte veſtes induat, ut viro placeat, cui gratum eſt eam in venatione ſibi comitem eſſe, quemadmodum Matrona, pro qua conſulitur, ſeſe gerit. Sed ea tamen ipſa graviter peccaret, ſi graviori exercitationi vacans non amplius concipiendi, vel abortum faciendi periculum ſubiret. Id etiam atque etiam Matrona penſare debet; ac vir quidem ejus peccati cauſa eſſet, ſi, ut uxorem ſemper comitem haberet, eam in hoc diſcrimen adduceret; præterquamquod hæc tam aſſidua exercitatio minime decet mulierem, quæ leniora exercitia quærere debet; in ejuſmodi quippe negotiis ea ipſa regula ſervanda eſt, quam D. Thomas quoad externa ornamenta præſcribit, & eſt hujuſmodi: *debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem*. Debet igitur Matrona in id incumbere, ut Viro non repugnante abſtineat a venatione, & iis tantum oblectationibus, quæ juxta Chriſtianæ modeſtiæ regulas ſexum decent, impoſterum ſeſe dedat.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 4. Octobris an. 1678.

Aug. *de Lamet*.

Deferendi Clericalis habitus obligatio.

CASUS IV.

Quivis Clericus Beneficiatus talarem veſtem gerere debet.

QUÆSITUM.

Quæritur, an qui duas tenues Capellanias ad patronatum laicum pertinentes poſſidet cum tonſuræ ſimplicis obligatione, cumque quadringentarum circiter, aut quingentarum librarum annuo proventu, ſub mortalis peccati pœna teneatur talarem habitum, ac tonſuram deferre?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſitionem viderunt, exiſtimant, juxta Tridentini Concilii doctrinam eum, de quo quæritur, Clericalem habitum ac tonſuram deferre debere.

Docet id laudata Synodus rotundis verbis *Seſſ. 14. c. 6. de Reform.* dum ita loquitur: *Quia vero etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, Religioniſque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem Clericalem parvi pendentes, veſtes etiam deferant publice laicales; pedem in diverſis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut Beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi ordinationem & Mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus ac officio & beneficio ac fructibus reditibus ac proventibus ipſorum beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coerceri poſſint ac debeant, juxta Conſtitutionem Clementis Quinti in Concilio Vienneſi editam, quæ incipit: Quoniam innovando & ampliando*. Ex quibus liquet Concilium temeritatis notam inurere Clericis Eccleſiaſticum habitum non deferentibus, ac pronunciare ab iis Religionem, & propriam Clericalis ordinis dignitatem contemni; eos hac de cauſa a Concilio graviſſime plecti, per ipſam nempe Beneficiorum privationem, ni poſt primam punitionem, quæ ordinum ac Beneficiorum ſuſpenſio eſt, ad bonam mentem redierint; quod argumento eſt hujus diſciplinæ violationem ſanctæ Synodo non mortale peccatum non videri potuiſſe; ſi enim ſecus ſenſiſſet, non aſſeruiſſet tranſgreſſores temerarios eſſe, & Religionem, ac ſtatus Clericalis honorem flocci facere. Hæc nempe loquendi ratio nonniſi graviſſimam culpam deſignat, quoniam Religionis, Clericaliſque dignitatis contemptus inter levia peccata referri nequit, & punitio, quam ſtatuit, eſt omnium maxima, quæ quidem poſt excommunicationem adverſus Clericos præſcribi poſſint.

Quoniam porro doctrina hæc nititur ſententia Sixti V. qui hunc habitum talarem eſſe nobis indigat: conſequens proinde fit, pœnas omnes in eos a Sancta Synodo inflictas, qui Eccleſiaſticam veſtem non deferunt, in eos quoque, qui non deferunt talarem habitum, inflictas eſſe. Certe quiſquis hujus Pontificis Bullæ, quæ incipit: *Cum Sacroſanctam* verba ſpectare voluerit, facile perſuaſum habebit de ejus ſententia dubitari non poſſe, quippe qui pronunciet ideo eam Conſtitutionem a ſe editam fuiſſe, quod vereretur, ne Deus a ſe ipſo animarum eorum Clericorum rationem expoſceret, qui Eccleſiæ regulis per Canones, Generalia Concilia, ſummorumque Pontificum decreta Statutis minime obtemperant; en ejus verba: *Ad hoc ipſum ſollicitudinis noſtræ obtutus dirigentes, ne ſanguis eorum de manu noſtra requiratur, cum ingenti cordis noſtri dolore invenimus complures ſupradicta Domini noſtri ſententia redarguendos. (Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?) Nam eorum plerique Clericali honore neglecto in veſtibus laicalibus incedentes, eo ſe mirifico indignos privilegio reddiderunt. Licet Sacris Canonibus, Conciliis Generalibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus certus circa eorum, qui Clericali caractere inſigniendi ſunt, habitum, ætatem, & alias qualitates ſit præſcriptus modus, & contra Clericos in habitu Clericali & tonſura non incedentes impoſita pœna, nempe ut gratiis, immunitatibus, & aliis privilegiis Clericalibus minime gaudeant; tamen cum injuria temporum, & forſan dormientibus Paſtoribus, inimicus homo lethifera tranſgreſſionis zizania ſuperſeminaverit &c.*

Nihil gravius afferri poteſt ad oſtendendum hujus regulæ violationem ab hoc Pontifice tanquam mortale peccatum ſpectari; quoniam aſſerit ſe vereri, ne Deus eorum ſanguinis rationem a ſe requirat, eoſque reprehenſione dignos eſſe æque atque hominem, qui, ut eſt in Sacræ Scripturæ parabola, in tenebras exteriores conjectus eſt, quod nuptiali veſte careret. Monet, & quidem jure, Eccleſiam de gravibus pœnis in eos decernendis ſemper maxime fuiſſe ſollicitam; quod in cauſa eſt, ut & ipſe Deceſſorum ſuorum, & Generalium Conciliorum veſtigiis inſiſtat, eos, qui impoſterum ab ea Conſtitutione deflexerint, iis pœnis mulctans, quæ ſatis indicant, quanti faciat eam diſciplinam, quæ ſine ſalutis diſcrimine violari non poteſt, ut ipſe ait e veſtigio, declarans habitum, de quo loquitur, talarem eſſe. Ita enim pergit: *Nos propterea his & aliis rationalibus de cauſis adducti, ne quis*

nimia

nimia ſive Paſtorum, ſive temporum indulgentia, & impunitate, ſeu oſcitantia, cum Religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ ſalutis diſpendio de cætero abutatur, hac noſtra conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus quibuſcumque Clericis, non ſolum in ſacris, ſed etiam in minoribus conſtitutis, & Clericali tonſura tantum inſignitis, & nedum beneficia Eccleſiaſtica, qualiacumque etiam ſimplicia nunc & pro tempore obtinentibus, & in illis, vel ad ea jus habentibus, verum etiam penſiones ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, aut proventibus, quantumvis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum quarumcumque Eccleſiarum, ſeu Abbatialium, Conventualium, Menſarum, necnon Monaſteriorum, Præpoſiturarum, Prioratuum, Præceptoriarum, Hoſpitalium, Canonicatuum, Præbendarum, Adminiſtrationum, Officiorum, & Beneficiorum quorumcumque Eccleſiaſticorum, Sæcularium, & quantumvis Ordinum Regularium, ſeu illorum diſtributionibus quotidianis ac juribus, emolumentis & obventionibus univerſis ſibi reſervatis, aut fructus ipſos, prædia aut bona Eccleſiaſtica, loca penſionum, ſibi aſſignatos, vel aſſignata, ex quacumque conceſſione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica percipientibus, etiam conjugatis, præſertim ſi iidem Clerici conjugati juxta Conſtitutionem piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri in Concilio Tridentino innovatam privilegiis Clericalibus uti velint; tam in Romana Curia degentibus, quam extra ubique gentium & locorum conſtitutis, ut ipſi, & eorum quilibet quantumvis exempti exiſtant, & quovis privilegio, vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione propoſita, debeant omnino qui in Urbe præſentes fuerint, intra quindecim dies: qui vero citra montes, intra quatuor menſes: qui denique ultra montes conſtituti ſunt, intra octo menſes, a die publicationis præſentium litterarum in Romana Curia faciendæ, tonſuram & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares . . . . . . quacumque remota excuſatione aſſumere, & jugiter deferre. In futurum autem nonniſi Clericis in habitu Clericali & tonſura . . . . . aut alia quæcumque Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia beneficia reſpective conferantur, aut commendentur, aut penſiones fructuſve, aut bona Eccleſiaſtica reſerventur.

Gallicana noſtra Concilia poſt Tridentinum celebrata eamdem diſciplinam ſuſceperunt.

Concilium Remenſe an. 1583. *de Clericis in genere: Veſte Eccleſiaſtica, eaque talari ac decenti utantur omnes Clerici, nec ſine illa pallium breve aut longum deferant, aut unquam prodeant in publicum.*

Concilium Toloſanum an. 1590. *de Presbyteris & Clericis c. 4. Quo major Ordini auctoritas concilietur, honeſto decentique habitu incedant, quæque ſuper hac re a S. D. N. Sixto V. Bulla huic Concilio inſerenda ſancita ſunt, debite obſervent. Veſtem talarem utramque, ſi fieri poſſit, adhibeant, ſin minus ad ſuræ imum demiſſam. Hoc tamen diſcriminis intererit, ut qui interiori talari utentur, pallium ad talos extenſum geſtare poterunt: ſola aliis toga, eaque ſumptis, admotiſque brachio manicis, niſi forte domi & privatim conceditur.*

Tonſura ſit conſpicua, non ea quidem in omnibus Clericis una, ſed major Sacerdotalis digitis tribus undequaque a vertice pateat duobus Diaconalis, ſemidigito Subdiaconalis anguſtior, minimorum Ordinum minima & digito undique ſit deducta.

Concilium Aquiſgranenſe anno 1585. *de vita & honeſtate Clericorum: Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici Clericali tonſura ſint inſigniti ad eam formam, quam ratio cujuſque ordinis, Epiſcopi arbitrio poſtulabit. Ita ſint abraſo capillo, ut tonſura perſpicua ſit omnibus, comam vero & barbam ne ſtudioſe nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant.*

Veſtes item coloris tantum nigri, ac ſimplices . . . . . omnibus ornamentis excluſis, adhibeant, exteriorem quidem talarem, interiorem autem ſaltem ad tibiæ medium, quanquam in Civitate talaris utraque eſſe debeat; in itinere vero quamvis breviores permittimus, ſed ne omnino ſupra genua ſint, vetamus.

Qui vero Clericus, cujuſvis etiam gradus, ordinis, dignitatis, in aliqua re præmiſſis non obtemperaverit; is præterea pœnas jam inflictas, aut ſalutari pœnitentia, aut pecunia, aut ſuſpenſione ab Ordinum munere, & Beneficiorum adminiſtratione, aut ipſis etiam Beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſimul ex iis pœnis, aut etiam gravioribus, pro modo culpæ, Epiſcopi arbitratu mulctetur.

Concilium Bituricenſe an. 1584. *Can. 1. Quicumque ſacris initiati ſunt, aut beneficia etiam ſimplicia obtinent, eo veſtitu atque habitu corporis utantur, quo ſuum ordinem teſtentur.*

Can. 2. Clerici omnes tonſuram gerant: crines calamiſtratos ac retortos non habeant, veſtibus talaribus utantur, ita ut manicas ab humeris dependentes nec diſſectas, ſed brachiis indutas habeant.

Concilium Burdegalenſe an. 1583. *de vita & moribus Clericorum: Qui Sacris Ordinibus initiati ſunt, vel qui beneficia Eccleſiaſtica etiam ſimplicia obtinent, præcipimus, ut intra menſem poſt harum conſtitutionum promulgationem, tonſuram & habitum Clericalem, Ordini ſuo atque dignitati congruentem gerant: alioqui mulctentur privatione redituum Eccleſiaſticorum illius anni, quos Epiſcopus pro ſuo arbitratu piis rebus attribuet; veſtes eorum ſint talares.*

Deciſum in Sorbona die 19. Octobris 1673.
Aug. *de Lamet.*

HABITUS MUTATIO.

Virilis, & Muliebris habitus promiſcua mutatio.

C A S U S.

1 *Habitus mutatio, qua ſexus invertitur, non eſt res ſuapte natura mala. In neceſſitate permittitur.*

2 *Univerſim tamen in proprii ſexus habitu mutando occurrit indecentia, & deordinatio.*

3 *Deordinatio hæc non ſemper mortale peccatum eſt; at nunquam caret periculo, cum unice quæritur oblectatio.*

4 *Peccatur mortaliter, cum adeſt prava intentio, vel periculum in impuritatem labendi, vel alios ad eam pertrahendi.*

5 *Quamobrem hujuſmodi oblectamenta fere permittenda non ſunt.*

QUÆSITUM.

BAcchanaliorum tempore perſonæ plures in peculiares familias & domos convenientes, & ſe oblectare volentes habitum mutant, viri muliebri, mulieres virili veſte induuntur; nonnulli perſonati tantum incedunt, ſexus habitu retento.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, an in hujuſmodi oblectationibus peccatum adſit.

R e s p o n s i o.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat in promiſcua habitus mutatione adverti poſſe,

I. Generatim dedecere, & ab ordinis ratione nonnihil abeſſe, ut mulier virilem aut vir muliebrem habitum ſumant, & ſpecie id appareant, quod re ipſa non ſunt. D. Thom. *in 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3.* ita pronunciat: *De ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo, & præcipue: quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ.* Jamque in *l. 2. q. 102. art. 6. ad 7.* eamdem rationem attulerat in hæc verba: *quod mulier induatur veſte virili & e converſo, incentivum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat.*

II. Mutationem hanc ex earum rerum genere minime eſſe, quæ ita per ſe malæ ſunt, ut nullo in caſu uſui eſſe poſſint. Immo contingere poteſt in aliqua neceſſitate aut ob aliquid magnum bonum id culpa vacare: *Poterit tamen*, inquit idem D. Thomas loco laudato 2. 2. *quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquid hujuſmodi.*

Videri poſſunt exempla plura apud Patrem Nicolai in locum citatum D. Thomæ, & apud Bon-

ſterium *in c.* 22. *Deut.* Gerſonius in fine Tomi primi de Aurelianenſis Familiæ Puella verba faciens eam ſingillatim excuſat, quod depoſita fœminea veſte virilem ſumpſerit, & generales aliquos caſus affert, in quibus id licet; *in caſibus vel neceſſitatis, vel evidentis utilitatis, vel approbatæ conſuetudinis, vel auctoritate ſeu diſpenſatione Superiorum.*

III. Peccat mortaliter, qui ex prava intentione, vel cum voluntario Dei lædendi periculo, vel denique cum gravi ſcandalo proprii ſexus habitum deponit, ut alterum ſumat. Monet id Silvius in textum D. Thomæ 2. 2. *Mortale vero, ſi ſit intentio, vel periculum laſciviæ, aut alioquin notabile ſcandalum,* & Navarrus in Manuali *cap.* 23. *n.* 22. ubi ait, id vacare lethali culpa, niſi finis, aut alicujus circumſtantiæ pravitas adſit.

IV. Contendunt plures alii alterius ſexus habitu utentem tantum ex levitate, & citra ullam pravam circumſtantiam, nonniſi venialiter peccare. Ita cenſet Navarrus loco citato: *Neque pluſquam venialiter, ſi ob levitatem hoc faciat abſque fine & circumſtantia mortali.* Et pariter Silvius: *Si autem ex levitate fiat, & abſit tam ſcandalum, quam intentio periculumque libidinis, peccatum erit veniale.* Deinde hic Auctor ſibi objicit textum Deuteronomii, *c.* 22. *num.* 5. ubi Deus Judæis vetat, ne ſexus habitum mutent, quia id eſt abominabile, & quod inde conſequitur, mortale peccatum: *Ne mulier induatur veſte virili, nec vir veſte fœminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc.*

Reſpondetque, diſtinctione utendum eſſe, atque ita rem explicat: *Præceptum illud eſt poſitivum, & cæremoniale quatenus iſta veſtium mutatio probibebatur, ut ab Idololatriæ cultu, in quo Gentiles tali mutatione habitus utebantur, Judæi longius averterentur: partim eſt naturale, quatenus illa mutatio de ſe quamdam inordinationem importat, eique frequenter ſcandalum aut laſciviæ periculum ſubeſt. Judæos ob utramque rationem obligabat, & quidem ſub peccato mortali, ut apparet ex verbis Scripturæ allegatis: Chriſtianos ſolum ob poſteriorem, ideoque non ſub gravi peccato, ſi ſecludatur periculum libidinis & ſcandalum.*

Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *n.* 124. *uſus*, inquit, *veſtis alieni ſexus non eſt intrinſece malus: unde ob juſtam cauſam fieri poteſt. Si ex levitate fiat, erit peccatum veniale.* Rochaphul *t.* 2. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 4. proponit quæſtionem, utrum liceat alieni ſexus habitum ſumere, atque ita reſpondet: *Si fiat ſolum ex animi levitate, erit veniale tantum.* Sylveſter *v. Fœmina n.* 2. idem ſibi quærendum proponens reſpondet: *ſi iſta fiant ex animi levitate ſine intentione corrupta, vel ſcandalo gravi, non eſt mortale.* Deinde affert textum Deuteronomii cap. 22. eique ſatisfacit. Baſſæus *v. Fœmina n.* 2. *Fœmina*, inquit, *utens veſte virili ſine intentione corrupta, vel ſcandalo gravi, non peccat mortaliter, quia hoc de ſe non eſt peccatum, niſi ex circumſtantia, vel intentione.* Cornelius a Lapide in eumdem Deuteronomii locum hæc habet; *hoc præceptum partim naturale eſt, partim cæremoniale, quod abolitum eſt modo, ſed ſub mortali obligabat. Jam enim non eſſet peccatum mortale, ſi vir aut fœmina veſtes ſexus commutent ex levitate, ſi abſit ſcandalum, & intentio periculumque libidinis.*

V. Plures quoque Theologi contendunt extra pravas circumſtantias nullius peccati reum eſſe, qui alterius ſexus habitum ſumit ad ſuam ipſius, atque aliorum oblectationem. Ex eorum numero eſt Navarrus loco laudato: *Nullatenus enim peccat fœmina, quæ veſte virili ſe veſtit, nec vir, qui fœminea, juſta de cauſa, veluti ne ab inimicis agnoſcatur, aut quia veſte caret, vel ob honeſtam ſui, vel alterius oblectationem.* Idem tradit Rochaphul expreſſis verbis, aitque eam habitus mutationem culpa carere: *ob gratiam relaxandi animi non eſt peccatum.* Leſſius, iique omnes, qui oblectationis cauſam in repræſentationibus ad habitus mutationem ſufficere pro certo habent, ejuſdem ſententiæ ſunt.

Hoc poſito reſpondetur ad interrogationem primam, theorice loquendo, nullum peccatum eſſe in hac veſtium mutatione, quæ fit in familiis & domibus peculiaribus ad oblectationem tantummodo, eamque, quæ ex propriæ perſonæ occultatione percipitur, voluptatem capiendam, aut ad alios oblectandos; id ex iis ſequitur, quæ num. 4. & 5. dicta ſunt. Nihilominus in praxi perdifficile factu eſt, ut ne quid licentius hujus veſtium mutationis occaſione occurrat, quod fere fit, & aliqua adſit circumſtantia, quæ eam pravam efficiat. Quamobrem fere nec probandum eſt, nec permittendum alio habitu, quam ſexus proprio Fideles uti exceptis caſibus *num.* 2. recenſitis, ad præveniendos pravos effectus, quos ea mutatio producere poteſt, cujuſmodi eſt ſcandalum & periculum vel proprii, vel alieni peccati.

Ad ſecundam, non adeo dedecet hominem perſonatum incedere, ac muliebri habitu uti. Quare tolerabilius videtur homines larvis uti, ut gaudeant latere, dummodo ex alio capite id malum non efficiatur. Rochaphul loco laudato n. 37. quæſtionem ſibi latius proponit; ſed ejus deciſio poteſt caſui, de quo agitur, accommodari: *Quinta dubitatio, an uti larvis ſit peccatum mortale? Dico* 1. *Si quis hoc faciat gratia joci & relaxandi animum abſque aliquo periculo, non eſt peccatum. Dico* 2. *ex levitate animi eſt veniale, Dico* 3. *ob malum finem, vel cum gravi aliorum detrimento vel periculo eſt mortale.* Cajetanus in Summ. *V. Larvarum uſus*, non putat uti larvis eſſe peccatum, niſi adſit prava aliqua circumſtantia: *Larvarum uſus illicitus eſt ex circumſtantia, & non eſt ſecundum ſe illicitus, ut patet ex hoc, quod in repræſentationibus eſt licitus.* Sed ejuſmodi tamen habitus mutatio non eſt permittenda propter ea, quæ inde oriuntur.

Deciſum hac die 23. Aprilis an. 1698.
G. *Fromageau*.

H O M I C I D A.

Homicida, qui, oblata pecunia, carcere liberatur.

C A S U S,

1 *Cum reus morte damnatus ipſe ſibi mortem afferre non teneatur, ei licet evadere, ſi poſſit.*

2 *Qui pecuniam accipiunt, ut ei ad fugam opitulentur, ad reſtitutionem non obligantur, dummodo pravis rationibus uſi non fuerint.*

3 *Comitoli ſuper hoc negotio ſententia.*

QUÆSITUM.

HOmicida detentus in carcere quadraginta nummos aureos iis ſe daturum promittit, qui ſibi evadendi viam aperuerint. Id aggrediuntur homines duo, atque adeo perficiunt. Quadraginta nummi aurei traduntur eorum alteri, qui monetur eorum triginta ad ſocium ſpectare. Ille tamen ei tantum tradit nummos viginti tres; qua in re quæritur, I. an ea pecunia recte ſit acquiſita, atque an hoc in caſu qui nummos viginti tres dedit ſocio, cui triginta debebat, teneatur necne ſeptem, quos retinuit, eidem reddere?

II. Cuinam debeat eos quadraginta nummos aureos reſtituere, facta hypotheſi eorum acquiſitionem legitimam non eſſe; Homicidæ ne hæredibus, an vero pauperibus?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, antequam propoſitis quæſtionibus ſatisfaciat,

Animadvertit, I. Divum Thomam 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. *ad* 2. docere, hominem morte damnatum debere quidem eam tolerare, ſed ipſum tamen eamdem ſibi afferre non poſſe. Hinc illud conſequens fit, eum non teneri in carcere conſiſtere, ex quo novit ſe non egreſſurum, niſi ut ad ſupplicium trahatur; ſequitur & illud, tametſi juſte damnatus ſit, effugere eum tamen poſſe, ſi fugæ occaſionem na-

nactus fuerit: *Nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, unde deducatur ad mortem.*

II. Contendit Sylvius, hunc reum, cum fugere poſſit, vincula quoque, atque adeo carceris parietes poſſe perrumpere; additque opinionem hanc vulgo probari, ex eoque firmari, quod, quoniam fugæ ſe dare poteſt, id ei pariter liceat oportet, quo ad fugam ſe comparet. Videndi Baſſæus *Tom.* 1. *verb. Reus*, & Auctores, laudat quos Valerus *v. defenſio diſſert.* 9. & 10. Diana *Tom.* 3. 3. *p. reſolut.* 102. Manricus *p.* 54. Comitolus tamen, & quos citat, Auctores, *tom.* 1. *l.* 4. *moral. q.* 15. *num.* 7. in ea ſunt ſententia, ut putent reo non licere carceri vim inferre. Sairus *in clavi* 72. *c.* 18. *n.* 23. hanc Comitoli ſententiam communiorem non eſſe ait, quamquam fortaſſe non ea eſt, quæ minus habeat ſoliditatis.

III. Eo porro Sylvius progreditur, ut probabile eſſe pronuntiet reo inſtrumenta parari poſſe, quæ ipſius fugæ, ac frangendo, ſi opus fuerit, carceri inſerviant; ſed id tamen duplici reſtrictione definit; prima eſt, ne Juſtitiæ Miniſtri ſint, qui ei fugæ conſilium ac media ſuppeditent; altera eſt, ne ille ad diruendos parietes extraneorum opera utatur. Sairus, & Baſſæus huic ſententiæ ſubſcribunt, & Valerus rem longius quoque deducit, utque homini in carcerem conjecto ad frangendos compedes opem afferri poſſe demonſtret, Sancti Columbani exemplum adducit, qui nonnullorum in carcere exiſtentium, quos ex animo pœnituerat, vincula fregit. Verum probabile admodum eſt, id miraculo factum eſſe; atque ita exemplum hoc nihil evincit.

IV. Quod ſi de reo ad mortem jam damnato id verum aut probabile eſt, idem de Homicida, in quem nondum prolata ſententia fuerit, potiore jure ſentiendum.

Hoc poſito, reſpondetur, videndum eſſe, an ejus, de quo ſermo eſt, amici ipſum ſuo tantum conſilio juverint, eive inſtrumenta, quibus evaderet, nullam tamen operam conferentes ſuppeditaverint; in hac nempe facti ſpecie nihil illi a juſtitia alienum egerunt, & quadraginta nummos aureos ſibi retinere poſſunt, quippe iis ſe dignos reddiderint, non ſolum conſilio, quod reo tam utile fuit, verum etiam quia ſe obnoxios reddidere pœnis, quas Leges civiles ſtatuunt, vel quas Judices ſtatuendi jus habent in eos, qui in carceribus detentorum fugæ hac ratione patrocinantur.

Sin hi duo amici ſuam ipſi operam, ut Homicida effugeret, contulerunt, id quidem fecere, quod non licebat; allatis tamen de cauſis quadraginta nummos aureos retinere poſſe videntur; ita tamen, ut qui ſocio tribuit nummos tantum viginti tres, cui triginta tribui voluit is, qui in carcere erat, eidem ſeptem alios, quos ſibi perperam ſumpſit, nummos reſtituat.

Deciſum hac die 4. Octobris an. 1704.

G. *Fromageau*.

JEJUNIUM.

JEjunium, quod Eccleſia certis quibuſdam diebus ac temporibus anni ſervandum præcepit, ſpectari poteſt tanquam medium, quod illa ſuis filiis exhibuit, ſervandi præceptum illud, quo ſeſe reprimere jubentur, ſua peccata per abſtinentiam redimendi, adeoque concupiſcentiæ impetum quaſique incendium imminuendi. Continet illud peculiares quaſdam obſervationes, exempli cauſa ut certi tantum cibi, & quidem ſtata hora ſumantur. Hæc autem ab Eccleſia definita fuerunt, quia prudenter judicavit, ſi liberum cuique relinqueretur, ut ſe in comeſtione pro libito contineret, facile futurum eſſe, ut plerique aberrarent, ſe nempe propriæ concupiſcentiæ vi abripi paterentur, & jejunii rationem ad præpoſteras philautiæ hoc eſt amoris proprii leges exigerent. Suis igitur filiis ab hac illuſione cavere, & quas ſervare deberent, aſperitates præſcribere voluit Eccleſia.

Itaque jejunium haud novum quoddam onus eſt, ac nova obligatio, quam Eccleſia addiderit, quæque Chriſti Domini jugum gravius efficiat; ſed ſubſidium ac levamen potius eſt, quod ea Fidelibus ſuppeditavit, ut æternam ſalutem facilius ſibi compararе, & divinam Legem minus ægre, atque adeo alacrius ſervare poſſent. Hinc tamen non ſequitur neminem unum a jejunio eximi poſſe; ſi enim illud naturalis Legis vi non ob aliud eſt neceſſarium, quam ut concupiſcentia cohibeatur, & pœnæ peccatis debitæ ſatisfiat: neceſſarium profecto eſſe deſinit, cum vel morbo, vel ætatis ac valetudinis imbecillitate fit, ut ſervari non poſſit. Jejunium quippe, quod nonniſi incommodum ac reprimens eſſe debet, evaderet perniciosum, ſi in his quoque circumſtantiis ſervandum eſſet; id quod Dei ordini, Eccleſiæ menti, & recto amori proprio, qui nobis præcipitur, ſane repugnat. Hinc concludendum, pueros, donec ſtatam ætatem attigerint, valetudinarios ſenes, & nonnullos alios a jejunio liberos eſſe.

Verum graviſſima & ineluctabilis urget obligatio, inquit (*a*) Pater Thomaſinus, „ ut juſtis aliorum bonorum operum compenſationibus diſpenſationes æquentur. Eccleſia, quæ quoad alia capita „ uſa eſt indulgentia, nunquam uſa eſt, ac ſane uti nequit quoad caput hoc, profecto præcipuum „ ſuæ diſciplinæ, ſuæque moralis, homines ſcilicet, cum peccatorum rei ſint, pœnitentiam agere debere. Quoniam porro non unum eſt, ſed multiplex pœnitentiæ genus, quo ſibi magis in uno temperant, vel in pluribus, eo magis ratione habita in cæteris eorum ſervor augeatur neceſſe eſt.

Vide (QUADRAGESIMA.

De Patris obligatione quoad filiorum ſuorum jejunium.

CASUS I.

Dominus, aut Paterfamilias debet ſuis filiis ac domeſticis illud imponere, ut diebus ab Eccleſia inſtitutis jejunent, cum per ætatem debent, ac poſſunt per vires.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut definiant, an Dominus aut Paterfamilias teneatur in foro conſcientiæ & ſub peccati pœna efficere, ut ſui filii, ſuique domeſtici ſervent Eccleſiæ præcepta, cujuſmodi Feſtis ac Dominicis diebus Miſſam audire, præſcriptiſque ab Eccleſia temporibus jejunare.

II. Facta hypotheſi eos, cum in jejunandi ætate ac ſtatu poſiti ſint, nolle tamen, Dominus aut Paterfamilias ipſos jejunio vel invitos addicere, iis denegans, quod extra tempus jejuniis diebus permiſſum comedant?

RE-

(*a*) Pater Thomaſinus in Præfatione ad Tractatum de Jejunio.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Dominum aut Patremfamilias in foro conſcientiæ & ſub peccati pœna curare debere, ut ſui filii, ſuique domeſtici Eccleſiæ præcepta cuſtodiant, cujuſmodi ſunt ſtatutis diebus Miſſæ Sacroſancto Sacrificio intereſſe, & jejunia ab Eccleſia præſcripta ſervare. Quod ſi idem filii ac Domeſtici jejunare valeant, ac nolint, Dominus aut Paterfamilias de prava ipſorum voluntate certus, debet alimenta, quæ ultra quam edere debent, qui jejunii præcepto obediunt, petierint, iis denegare; qui porro gravibus laboribus addicti ſunt, ut operarii, aliique eadem obligatione non adſtringuntur.

Deciſum in Sorbona hac die . . . .
G. *Fromageau.*

CASUS II.

1 *Conſueta, qua jejunandum eſt, ætas eſt annorum unius & viginti.*
2 *Non convenit, qua demum ætate ceſſet jejunii obligatio.*

QUÆSITUM.

Quæritur, quænam ætas jejunii præcepto non amplius adſtricta ſit, atque an qui ad 78. ætatis annum pervenit, proſpera cæteroquin valetudine pollens, adhuc jejunii lege teneatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum reſpondet, (a) inter Theologos ducem ac magiſtrum Doctorem Angelicum ſequentes illud convenire, ante viceſimum primum ætatis annum jejunii legem non obligare, quia Juvenes, qui ad hanc uſque ætatem ſuccreſcunt, ob majorem naturalis caloris vim majore quantitate indigent alimentorum. Hæc ſane poſt Hippocratem Medicorum communis ſententia eſt: *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati, & ea de re plurimo egent alimento*, atque illi quidem eam afferunt rationem, *quia alioquin corpus abſumitur*. Ut igitur corpus ſuam juſtam augmentationem, ac magnitudinem obtinere poſſet, quæ ſane viceſimo primo ætatis anno fere perficitur, Eccleſia cum iis, qui nondum ætatem hanc attigere, in jejunii lege diſpenſat. *Conveniens tamen eſt*, inquit D. Thomas loco citato, *ut etiam in hoc tempore ſe ad jejunandum exerceant plus vel minus ſecundum modum ſuæ ætatis.* Quod ſpectat ad homines ætate provectos, de tempore, quo tandem a jejunio ſint exempti, non convenit; ſunt enim, qui citius ſeneſcunt, hoc eſt ſenectutis incommoda, atque infirmitatem citius ſentiunt. Debet unuſquiſque cum proprio Medico, quin ſibi blandiatur, inquirere, quid demum abſque gravi ſalutis incommodo ſui ferre valeant humeri, quid ferre recuſent. Quoad eam porro ſenectutem, quæ dicitur ætas decrepita, ſeu extrema ſenectus, minime cenſentur ii, qui ad eam pervenerunt, jejunii præcepto obligari. Ratio in promptu eſt; quia cum eorum ſtomachus ſit imbecillior, quam ut alimenti multum digerat una vice, modica proinde, crebraque nutritione opus habent ad vitæ conſervationem.

Deciſum hac die . . . . .
G. *Fromageau.*

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Matrimonii impedimentum nuncupatur obſtaculum, quod impedit perſonas duas, quominus matrimonium inter ſe contrahant, quodque earum Matrimonium aut invalidum, aut illicitum redderet. Id quod ſignificat impedimentorum genera duo; alia quidem perſonas, in quibus ejuſmodi obſtacula reperiuntur, efficiunt ineptas ad invicem contrahendum, ut proinde ſi contrahant, earum Matrimonium nullum ſit; dicunturque hæc impedimenta dirimentia. Alia vero id ſolum præſtant, ut earum Matrimonium illicitum ſit, & abſque gravi peccato Matrimonium invicem inire nequeant; at Matrimonium nullum non eſt; vocanturque impedimenta impedientia, ſeu prohibentia.

Sunt Theologi, qui impedimenta dirimentia redigant ad quindecim his verſiculis comprehenſa;

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.

Nonnulli addunt & illud:

Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis.

Alii denique addunt defectum ætatis, quæ in juvenibus quidem annorum 14. eſſe debet, in puellis autem annorum 12. Animadvertitur impedimenta hæc totidem non fuiſſe ante Synodum Tridentinam, quæ raptum & clandeſtinitatem adjecit. Extant in Latina Eccleſia horum impedimentorum antiquiſſimæ collectiones, eorumque veſtigia occurrunt in Excerptionibus Egiberti Archiepiſcopi Eboracenſis, quæ anno 747. editæ ſunt, & 245. capitibus conſtant. Theodorus Cantuarienſis, qui vivebat ſæculo ſeptimo, earum jam collectionem exhibuerat. Ante duorum Præſulum collectionem aderant collectiones duæ, una Iſidori, altera Dionyſii Exigui, quæ complectebantur antiquos Canones, in Matrimonii negotio prioribus ſæculis editos. Denique Burchardus, Ivo Carnutenſis, Gratianus undecimo, & duodecimo ſæculo, Bonifacius VIII. in ſexto, Antonius Auguſtinus, & alii Eccleſiæ Regulas & Canones, atque adeo Pontificum deciſiones, ad Matrimonium quod attinet, recenſuerunt.

Adſunt impedimenta publica, & impedimenta occulta; exempli cauſa impedimentum conſanguinitatis & affinitatis legitimæ refertur inter impedimenta publica, cum impedimenta criminis, & affinitatis illegitimæ ex copula illicita ſint occulta, & hominum oculis tecta. Impedimentum, quod ſuapte natura publicum eſt, poteſt per accidens occultum evadere; cauſa exempli duæ perſonæ conſanguinitate conjunctæ, & a prima ætate a diverſis Piratis in regiones exteras aſportatæ, antequam ſe vidiſſent, aut cognoviſſent, poſſunt Matrimonii impedimentum, quod inter eas intereſt, ignorare, quamvis illud natura ſua publicum ſit. Poteſt etiam impedimentum occultum natura ſua evadere publicum ob indicia ſenſibilia, & propemodum infallibilia; exempli gratia impedimentum criminis adulterii poteſt eva-

(a) S. Tom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2.

evadere publicum propter ventrem fœminæ, cujus maritus abeſt ab annis multis. Diſcrimen quoque intercedit inter impedimentum publicum, & impedimentum notorium; hoc enim poſterius adeo vulgo cognitum eſt, ut de eo nemo dubitet, ſive illud Judicis ſententia declaratum fuerit, ſive id ipſum teſtes fide digni confirment; illud autem prius, quod publicum dicitur, & non notorium, impedimentum eſt ſuapte quidem natura publicum, ſed quod tamen invicte, ſeu ſecundum formam Juris probari non poteſt.

Ad extremum exiſtunt impedimenta occulta, quæ partibus matrimonium mutuo contrahere volentibus nota ſunt; cauſa exempli impedimentum criminis, atque alia, quæ uni tantum parti innoteſcunt, exempli cauſa propinquitas illegitima; & hoc in caſu impedimentum ea tantum de cauſa occultum dicitur, quia vulgi oculos fugit.

Diſtingui præterea poſſunt impedimentorum Matrimonii genera quatuor; ſunt enim I. impedimenta juris naturalis, cujuſmodi ſunt error quoad perſonam, vis, impotentia, &c. II. juris divini, ut vinculum alterius Matrimonii, quod ſubſiſtit, quod Deus in Geneſi inſtituit, quodque Chriſtus Dominus confirmavit. III. juris poſitivi, humani, & politici, quod Principes inſtituere poſſunt. IV. denique juris poſitivi Eccleſiaſtici, quod Eccleſia inſtituit, diebuſque ſingulis ſervari præcipit. Ita animadvertit D. Thomas *in 4. diſt. 59. q. 1. art. 1.* Sed cum hæ omnes diviſiones contineantur in prima, quæ impedimenta tribuit in dirimentia, & impedientia, ſeu prohibitiva, utraque nos impedimenta hoc loco explicabimus.

Primum impedimentum dirimens eſt *error*; & errorum quidem quatuor genera diſtinguuntur. Primi generis eſt error perſonæ, cum matrimonium cum Petro contrahi creditur, & cum Jacobo contrahitur. Alterius eſt error fortunæ, ſeu bonorum, cum perſona creditur dives & nobilis, & eſt pauper & ignobilis. Tertii eſt error qualitatis, cum puella prudens & virtute prædita creditur, & contra res habet. Quarti demum generis eſt conditionis error, qui proprie tum ſolum exiſtit, cum ducitur captiva, quæ libera cenſetur; & hic quartus error conſtituit ſecundum impedimentum dirimens, de quo mox dicemus. Porro ex his quatuor erroribus dubio procul error perſonæ Matrimonium nullum efficit, propterea quod conſenſus necquicquam aliud eſt, quam ſuper eadem re duorum aut plurium eadem ſententia; jam qui errat, non cognoſcit; igitur non conſentit, videlicet, ſuper eadem re non ejuſdem atque alius ſententiæ eſt. Cum itaque conſenſus nullus ſit, Matrimonium invalidum eſt, defectu conſenſus naturali ipſo jure neceſſarii. Hoc principio nixus D. Thomas *in 4. diſt. 30. q. 1. art. 1.* definit Matrimonium Jacobi cum Lia ipſum per ſe validum non fuiſſe, & tum ſolum validum evaſiſſe, cum Jacob eidem aſſenſum præſtitit, & intellexit Labanum ſibi impoſuiſſe. Ejuſmodi Matrimoniis remedium afferri non poteſt, niſi I. errore perſpecto novus conſenſus præbeatur, qui quidem conſenſus poteſt etiam ſecreto inter partes tantummodo renovari; II. petatur a Judice Matrimonii abrogatio, ſi fœmina, partium altera Matrimonii nullitatem probare poſſit.

Ad duos alios errores fortunæ ſcilicet & qualitatis quod attinet, illi quidem Matrimonium nullum non reddunt, quia cum fortuna & qualitas accidentario tantum ad Matrimonium pertineant, earum error illud invalidum reddere nequit, quoniam aſſenſus præſtitus eſt perſonæ, quæ ſola Matrimonii neceſſarium objectum eſt. Exempli cauſa qui duxit improbam, quam optimam judicabat, aut puellam duxit pauperem & ignobilem, quam nobilem & maxime divitem exiſtimabat, non poteſt, ut eſt in Jure, eam dimittere, aut matrimonii ſolutionem petere, ut aliam ducat; illud enim legitimum eſt, ut docet D. Thomas, quia nempe perſona ducitur, non autem ejus bona, aut qualitates.

Secundum impedimentum dirimens eſt *conditio*, de qua jam paulo ante dictum eſt, & exiſtit, cum perſona ducitur, quæ libera creditur, ſed tamen captiva eſt. Cæterum Captivi nomine non venit Domeſticus ordinarius, cui ſtipendium ſolvitur, aut alicujus Principis Subditus; ſed is ſolum venit, qui ita eſt in ſui Domini poteſtate, ut ab eo vendi poſſit, & ipſius vita pendeat ab ejus voluntate, ut olim apud Romanos in more poſitum erat, & adhuc inter Turcas fieri ſolet. Error hic eſt Matrimonii impedimentum dirimens jam pridem inſtitutum; traditque Gregorius Magnus hanc fuiſſe ſexto ſæculo Eccleſiæ praxim.

Tertium impedimentum dirimens eſt *votum*; quod quidem non de omnibus omnino votis intelligitur; ſed de duobus tantummodo; ſcilicet de eo, quod in Ordine Regulari a Sancta Sede approbato editur, & expreſſum ac ſolemne votum eſt; ac de eo, quod editur in ſubdiaconatus Ordine recipiendo, quod quidem poteſt tacitum appellari, quamvis ſolemne ſit, quodque ad perpetuam caſtitatem ſtatim obligat, juxta Conſtitutionem Eccleſiæ relatam in Canone *Presbyteris diſt. 27.* ubi dicitur omnino vetitum eſſe Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Monachis, ne Matrimonium contrahant; & ſi contraxerint, hoc impedimento non obſtante, eorum Matrimonium ſolvendum eſt, iique juxta ſacros Canones pœnitentiæ ſubdendi ſunt. Verum hæc votorum genera duo in eo differunt inter ſe, quod in Regulari Ordine editum votum non modo Matrimonium poſterius ſolvit, ac dirimit, ſed illud quoque, quod præceſſit, dummodo conſummatum non fuerit, ut dicitur in Canone *Verum de converſ. conjug.* & pars, quæ in ſæculo remanet, poteſt alteri nubere. At votum tacitum, quod editur in ſacrorum Ordinum receptione, non eumdem effectum producit juxta definitionem Joannis XXII. rotundis verbis pronunciantis ſacrorum Ordinum ſuſceptione Matrimonium præcedens, licet nondum conſummatum ſolvi non poſſe, ſed tantum poſterius. Simplex porro caſtitatis votum, tametſi coram Deo minus obliget quam ſolemne, ut loquitur Cœleſtinus III. (*a*) *Etſi apud Deum non minus obliget quam ſolemne*, impedimentum tantum impediens eſt, quod invalidum Matrimonium non efficit; ſed ſolum illicitum, ut proinde citra grave peccatum Matrimonium deinde contrahi nequeat.

Quartum impedimentum dirimens eſt *cognatio*. Jam vero exiſtunt, inquit (*b*) Sanctus Antoninus, ſpecies tres propinquitatis, ſeu cognationis, videlicet naturalis, ſpiritualis, & legalis. Naturalis cognatio dicitur latino vocabulo *conſanguinitas*, & eſt vinculum, quod perſonas ex eadem linea, ſeu ſtipite deſcendentes, eodemque ſanguine cretas mutuo conjungit. In conſanguinitate ſpectantur tria, ſtipes, linea, & gradus. Stipitis, aut capitis, ſeu principii, aut radicis nomine veniunt pater, & ma-

(*a*) Cap. Rurſus Qui Cleric. vel Vov. matrim. (*b*) S. Antonin. 3. parte tit. 1. c. 13.

mater, aut pater tantum, aut tantum mater, cum exiſtunt filii ex diverſis matrimoniis, ex quibus deſcendentes ſuam originem trahunt. Linea ſignificat ordinem perſonarum, quæ ex eodem ſanguine natæ ſunt. Gradus indicat cognatorum diſtantiam a ſtipite, unde naſcuntur. Linearum duo ſunt genera; linea alia recta eſt, alia collateralis; recta eſt aſcendentium, aut deſcendentium, eorum nempe, qui ita ſanguine conjuncti ſunt, ut alii ex aliis originem duxerint, aliique ipſis originem præbuerint, ut rivus ex fonte dimanans, ejuſmodi ſunt parentes, filii, nepotes, pronepotes, &c. Collateralis aut tranſverſalis linea inter eos eſt, qui deſcendunt ex eodem ſtipite, & ex eodem capite derivantur, ſed alii ex aliis nati non ſunt, ut rivi ex eodem fonte egredientes, cujuſmodi ſunt fratres & ſorores, aut conſobrini, aut etiam Avi, Neptes, &c.

Conſanguinitatis gradus non eadem ſemper ratione numerati ſunt in Eccleſia. Extant in Jure regulæ tres, una quidem quoad lineam rectam, duæ vero quoad collateralem. Prima eſt hæc: in linea recta tot cognationis graduum diſtantia eſt, quot a ſtipite perſonæ ſunt ea excepta, quæ ſtipitem conſtituit; ſcilicet ſi quatuor perſonæ ſint, pater, filius, nepos, & pronepos: hic pronepos eſt in gradu tertio ratione patris, quia dempto patre remanent perſonæ tres tribus diſtinctis generationibus procreatæ. Secunda eſt hæc: duæ perſonæ, quæ lineæ collateralis eodem gradu cognatæ ſunt, in eo gradu ſunt, in quo cum perſona exiſtunt, a qua deſcendunt, nempe frater & ſoror ſunt inter ſe in primo conſanguinitatis gradu, quia inter patrem & ipſos quoad conſanguinitatem unus tantum diſtantiæ gradus intereſt. Tertia eſt hæc: duæ perſonæ lineæ collateralis inæquali gradu conjunctæ, non cenſentur cognatæ niſi in gradu remotiore, in quo alterutra reperitur, adeoque frater, & ſororis filia, vel neptis ſunt in ſecundo cognationis gradu, quia ſororis filia eſt in ſecundo gradu, Patris ratione habita. Sed de hac graduum in linea collaterali computandorum ratione Jus inter Canonicum & Civile non convenit.

Juxta Canones frater & ſoror in primo gradu verſantur; quemadmodum enim perſonis duabus opus eſt ad matrimonium, ita Canones requirunt duas pluresve perſonas ad eumdem gradum; e contra Juriſconſulti, qui nihil aliud quam ſucceſſionum ordinem ſpectant, id ſtatuunt, ut qua ratione ſucceſſiones ab una tantum perſona ad aliam deveniunt, eadem gradus quoad perſonas multiplicentur. Quocirca ex Jure Civili duo fratres, duæve ſorores, aut frater & ſoror conſtituunt gradus duos, & ſecundo conſanguinitatis gradu junguntur; duo conſobrini junguntur quarto, & conſobrinorum duo filii ſexto junguntur. Hoc autem diſcrimen ob oculos habendum eſt, quia prohibet Eccleſia, ne Conſobrini ex germanis fratribus orti ſuas conſobrinas ex germanis fratribus ortas uxores ducant; quamvis enim in Jure Civili diſtent cognationis gradu ſexto, attamen juxta Canoniſtas & Eccleſiæ Regulas non diſtant niſi tertio, quemadmodum in conſanguinitatis arboribus, quæ apud complures Auctores occurrunt, videre eſt.

Quamobrem ut facile ac certo in quonam conſanguinitatis gradu ſint poſiti, qui matrimonium contrahere volunt, intelligatur, nihil aliud requiritur, quam ut ad communem cognationis ſtipitem aſcendatur; adeoque quot exiſtent perſonæ ab eo ſtipite, totidem quoque gradus exiſtent. Exempli cauſa Joannis & Mariæ pater eſt Petrus; Petrus conſanguinitatis eſt communis ſtipes, qui quidem numerandus non eſt, ut dictum eſt. Joannes igitur & Maria, frater & ſoror in primo gradu verſantur; Joannis & Mariæ filii, qui fratres germani ſunt, exiſtunt in ſecundo; qui ex Joannis & Mariæ filiis nati ſunt, exiſtunt in tertio; & qui oriuntur ex his poſterioribus, in quarto; & ſic porro deſcenſus ratione habita.

Ut in præſentia innoteſcat, quoto gradu naturalis cognatio ſit dirimens impedimentum, illud initio ſtatim tanquam firmum ponendum eſt, cognatos & cognatas in linea recta, quocumque demum gradu diſtent, nunquam inter ſe matrimonium valide contrahere poſſe. Ita ſtatuit Civile Jus, eamque inſtitutionem Eccleſia adeo rationi conſonam judicavit, ut adoptaverit, propterea quia turpe foret Genitoribus eam veniam dare, ut ducerent proprias filias, neptes, &c. Agitur ergo de linea tantum collaterali; qua quidem in re magnopere varia extitit Eccleſiæ diſciplina. Prioribus quatuor ſæculis cognatorum matrimonia in ſecundo hujus lineæ gradu permiſſa erant; aitque (a) D. Auguſtinus ea in divina Lege non prohiberi, quoniam nulla eorum prohibitio legitur in Pentateucho. Igitur quarto ſæculo ad finem vergente, nempe anno circiter 385. Theodoſius Magnus Conſobrinorum matrimonia prohibuit inflicta pœna graviſſima, & neptes ducendi prohibitionem veterem innovavit. Vetita deinde ſunt matrimonia inter perſonas, quæ uſque ad ſextum & ſeptimum lineæ collateralis gradum conjunctæ erant, ut ex nonnullis Canonibus conſtat; ſed poſtemo loco Innocentius III. in generali Lateranenſi Concilio jus vetus hac in re temperavit, inſtituens, ut matrimonii prohibitio conſanguinitatis aut affinitatis quartum gradum non excederet; quia hoc tempore prohibitio hæc quoad gradus remotiores abſque graviſſimis incommodis ſervari non poſſet. Addit hic Pontifex eam prohibitionem imposterum adeo firmam & ſtabilem fore, quæcumque demum Conſtitutiones edi poſſent, ut ſi quis adhuc (b) contra prohibitionem hanc audeat matrimonium inire, nullo decurſu temporis excuſari poſſit, quoniam annorum numerus non excuſat peccatum, ſed auget; eoque graviora ſunt crimina, quo diutius iis adhæretur. Animadverſione dignum eſt Concilii IV. Lateranenſis Decretum hoc in Latina tantum Eccleſia ſervari; Græci enim etiamnum tenent civile Jus in cognationis gradibus recenſendis; neque extendunt impedimentum dirimens niſi ad perſonam ſeptimam, quæ ſeptimum gradum in Jure Civili conſtituit: quæque in Jure Canonico quartum inchoat.

Cognatio ſpiritualis eſt conjunctio, quæ per Sacramentum Baptiſmatis aut Confirmationis inter Sacramenti Miniſtrum, & Patrinum & Matrinam, & Sacramenta ſuſcipientem, ejuſque patrem & matrem. Conjunctio hæc a Græcis nuncupata ſpiritualis adoptio non eſt impedimentum dirimens de jure naturali, quoniam Baptiſmatis & Confirmationis Sacramenta nonniſi a Chriſto Domino inſtituta ſunt. Ita Eccleſiæ viſum eſt. Impedimentum hoc non videtur in Eccleſia inſtitutum fuiſſe ante finem ſæculi quarti; ſaltem nullum occurrit antiquius ejus veſtigium. Neque conſtat idem impedimentum

(a) S. Auguſt. de Civit. Dei lib. 15. cap. 16.
(b) Concil. Lateran. IV. ſub Innoc. III. can. 49. cap. non debet de conſanguin. & affinit.

tum ſub quarti ſæculi finem innotuiſſe aliunde, quam ex Pontificis Deus dedit ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſtola, cujus ſinceritas revocatur in dubium. Hujus impedimenti dirimentis antiquitas non aliunde certius elucet, quam ex Juſtiniani Lege, & ex Concilii in Trullo celebrati can. 53. quibus eſt inſtitutum, tametſi quoad Baptiſmum tantummodo, nulla Confirmationis mentione facta. Vulgo creditur ante Carolum Magnum, & Concilium Moguntinum cognationem, quæ ex Confirmatione derivatur, tanquam impedimentum dirimens ſpectatam non fuiſſe.

Poſt Tridentinam Synodum cognatio ſpiritualis contrahitur ſolum in Eccleſia Latina I. inter Miniſtrum & Baptizatum, inter Miniſtrum, & Baptizati Patrem & Matrem; II. inter Baptizati Patrinum & Matrinam, inter Patrinum & Matrinam, & Baptizati Patrem & Matrem. Citatur Sententia Officialis Pariſienſis an. 1696. abrogantis ejus Matrimonium, qui uxorem duxerat Matrem pueri, cujus ipſe Patrinus fuerat. Si Sponſus & Sponſa eſſent Patrinus & Matrina pueri, qui eorum non eſſet, nullam ſpiritualem cognationem contraherent, quia nulla exiſtit inter Patrinos & Matrinas ejuſmodi cognatio. Qui ad Baptiſmalem Fontem ſuſtinent puerum, qui jam baptizatus eſt, vel, ut ajunt, domi ablutus, nullam ſpiritualem cognationem contrahunt, quia tunc nihil aliud fit, quam Baptiſmi cæremoniæ ſupplentur. Idem ſentiendum de Baptiſmo ſub conditione collato, quamvis Auctores complures, & Sylvius inter alios contrarium doceant. Denique Pater & Mater ſpiritualem cognationem non contrahunt, cum alteruter in mortis periculo communem filium baptizat; aut ſi contrahunt, non ipſis proinde matrimonii uſus in hoc neceſſitatis caſu interdicitur. Hæc eſt ſententia Ritualis Pariſienſis ſub Cardinali Noviliacenſi poſt D. Thomam, & S. Antoninum. Si tamen Pater in caſu neceſſitatis filium ſuum ſpurium baptizaſſet, non poſſet deinde amplius abſque diſpenſatione Matrem in uxorem ducere.

Denique cognatio Legalis eſt affinitas, quæ per adoptionem contrahitur; diciturque Legalis, quia per Legem inducta eſt, & ab Eccleſia, ut ait Nicolaus I. cenſetur dirimens impedimentum. (a) Jam vero ea triplex eſt; prima eſt inter adoptantem & adoptatum, ejuſque filios uſque ad quartam generationem. Secunda inter perſonam adoptatam, & filios adoptantis, quamdiu quidem in paterna ſunt poteſtate. Tertia inter adoptati uxorem, & adoptantem, vel inter adoptantis uxorem, & adoptatum: adeoque inter has perſonas matrimonium contrahi non poteſt juxta Eccleſiæ Canones, & Leges Romanas iis in locis, in quibus adoptio in uſu eſt. In Gallia non obtinet hæc adoptio, & filii adoptati ut Legatarii tantum ſuccedunt.

Quintum impedimentum dirimens eſt Crimen; & quatuor quidem ſunt criminum genera, quæ impedimenta dirimentia ſunt, & matrimonium invalidum reddunt. Primum eſt, cum in adulterii conſecutionem altera partium quacumque demum ratione procuravit ſui ſponſi, vel ſponſæ mortem, vel ſponſi, ſeu ſponſæ ejus, quem, quamve deinde ducere vult. Hoc in caſu definiit Alexander III. exiſtere dirimens impedimentum. Secundum eſt homicidium, cui adulterium non præivit; exempli cauſa cum Catharina Petro nupta Jacobum adducit ad eumdem Petrum maritum ſuum occidendum, quin cum Jacobo adulterium commiſerit, aut de matrimonio cum eo poſt Petri mortem ineundo cogitaverit: tunc ſi Jacobus Petrum occidit; exiſtit impedimentum dirimens inter Catharinam, ſuique Viri occiſorem. (b) Ita declaravit Cœleſtinus III. occaſione Saracenorum, qui Chriſtianos bene multos interfecerant fraude ac ſuaſu uxorum horum poſteriorum, quas Saraceni ad fidem converſi in uxores ducere voluerunt. Tertium crimen eſt; ſi quis conſtante matrimonio promittat eam ſe ducturum, cum qua adulterium commiſit, eam deinde ducere nequit, quamvis neuter ad ejus mortem, cujus vita impedimento erat, quicquam contulerit, ut Tiburtina Synodus definivit. Quartum denique, quod matrimonium nullum efficit, eſt, cum adhuc conſtante matrimonio nuptiæ cum alio celebrantur.

In hoc crim.nis genere notandum eſt, cum uxoratus aliam ducit: vel hæc ſecunda conjux eum uxoratum eſſe novit, vel non; ſi novit uxoratum fuiſſe, cum matrimonium cum eo contraxit, nullum unquam inter eos matrimonium poteſt exiſtere, ne poſt primæ quidem conjugis mortem, ut dicitur in Canone *Ex litterarum*, *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*. Idem ſentiendum, ſi poſt matrimonium bona fide contractum, cum nempe ei non conſtaret hunc hominem uxoratum eſſe, permiſit illa matrimonii hujus ſuppoſiti conſummationem, poſtquam cognovit priorem conjugem adhuc in vivis eſſe, ut dicitur in Canone *ſi quis*. Quod ſi e converſo fæmina hæc, poſtquam bona fide nupſit, ad mortem uſque prioris uxoris eumdem hominem uxoratum eſſe penitus ignoravit, aut poſtquam id intellexit, cum eo verſari non amplius voluit; in ejus eſt poteſtate matrimonium confirmare renovato conſenſu mutuo poſt prioris conjugis mortem, aut divortium petere, ut definitum videmus in Canone, *Veniens*.

Innocentius III. (c) eam dirimit quæſtionem, an poſt mariti mortem educi poſſit, cum qua adulterium patratum eſt cum hac de re ab Epiſcopo Spoletenſi conſultus reſpondit: ſignificaſti nobis Petrum Spoleti habitantem, relicta Martha legitima conjuge, adhæſiſſe pravæ fæminæ, & deinde ſecuta ſuæ ſponſæ morte, eamdem in uxorem duxiſſe, cum qua adulterii ſe crimine obſtrinxerat; reſpondemus, pergit hic Pontifex, ſi neuter quicquam contulit ad prioris uxoris mortem, & ſi, dum ea viveret, ſe poſt ejus mortem matrimonium contracturos non promiſerunt, te judicare debere hoc ſecundum matrimonium legitimum eſſe, quia, ut docet D. Auguſtinus *lib. 1. de Nuptiis & concupiſcentia*, poteſt fæmina poſt ſui veri mariti mortem ei legitime nubere, quicum adulterium commiſerat.

Homicidium & adulterium ſimul conjuncta efficiunt matrimonii dirimens impedimentum in tribus hiſce circumſtantiis. I. neceſſe eſt utrumque cognoſcere, ſe adulterii reum eſſe; ſi enim id neceſſarium eſt, cum adulterium & homicidium conjuncta non ſunt, multo magis eſt neceſſarium, cum duo hæc crimina conjuncta ſunt. II. non eſt neceſſe utrumque homicidii participem fuiſſe, cum adulterium homicidio conjunctum eſt; ſed ſufficit, ut eſt in Iure, & ut etiam Navarrus docet, alterutrum homicidii reum eſſe. III. opus eſt, ut pars, quæ homicidium commiſit, eo animo illud commiſerit, ut

(a) Cap. unic. De cognationes ſpirit.

(b) Cap. Laudabilem. De converſ. Infidelium Cap. Relatum, quæſt. 2. 32.

(c) Cap. Significaſti. De eo, qui duxit &c. ut ſupra.

ut aliam partem duceret, interfecto vel ejus, vel proprio conjuge. (*a*) Ita ſentit D. Thomas. Promiſſio porro ducendæ puellæ vel fœminæ, cum vidua fuerit, non habet rationem impedimenti, quamvis & eam facere, & acceptare peccatum ſit; id quod magna cum prudentia prohibetur in Jure.

Sextum impedimentum dirimens eſt Religionis ſeu *cultus diſparitas*, ut nempe perſona non baptizata cum baptizata matrimonium inire nequeat; videlicet prohibet Eccleſia, ne mulier baptizata nubat Ethnico, Judæo, Mahometano, atque adeo Cathecumeno, ut monet Navarrus, quia hæ perſonæ baptizatæ non ſunt. Ut autem Religionis diverſitas matrimonii impedimentum dirimens ſit, opus eſt, ut præcedat matrimonium; ſcilicet juxta Eccleſiæ praxim perſona baptizata non poteſt alteri non baptizatæ valide nubere; at ſi ex conjugibus jam baptizatis alter evadat apoſtata, a fide deficiat, Judæorum, aut Mohometanorum ſectæ ſe dedat, ejus infidelitas, docente (*b*) D. Auguſtino, matrimonii vinculum minime ſolvit.

Non deſunt Theologi, qui contendant matrimonium Viri fidelis & baptizati cum muliere infideli nullum & invalidum eſſe de Jure naturali, & poſitivo divino; quod tamen ſatis firmo fundamento niti non videtur. Quamvis enim verum ſit Jure naturali & poſitivo divino vetitum ſemper fuiſſe, ne Chriſtifidelis in uxorem duceret Judæam aut Infidelem, cum timendum eſſet, ne ſe ab Infideli muliere, quam duceret, perverti ſineret, atque ut filios in Chriſtiana Religione alere poſſet. Prohibitio hæc in Eccleſia ſemper obtinuit, antequam Religionis diverſitas ex praxi dirimens impedimentum evaderet; idque ex eo certum ſit, quod naturali jure quiſque prohibetur tum propriam, tum filiorum ſuorum ſalutem in diſcrimen adducere. Quia tamen olim Matrimonia hæc in Eccleſia, atque in veteri quoque Teſtamento tolerata fuere; aſſeri poteſt has cognationes in ſe ipſis tantum ſpectatas nec naturali Jure, nec Jure poſitivo divino, quo de loquimur, vetitas eſſe, cum nihil aut de Chriſtianæ mulieris, aut de filiorum, qui ex ejuſmodi matrimonio naſcerentur, ſalute timendum eſſet, & cum illa ſperare poteſt ſe Virum infidelem, qui ipſam ſibi conjugem expetit, converſuram. Liquet id exemplo Sanctæ Monicæ, quæ nupſit Ethnico, & Sanctæ Clotidis, quæ Clodovæo.

Hæreſis non efficit in Latina Eccleſia matrimonii dirimens impedimentum; valet, inquit (*c*) D. Thomas, perſonæ catholicæ cum hæretica matrimonium. Nulla Lex Eccleſiaſtica ejuſmodi matrimonium nullum declarat; quin immo Bonifacius VIII. illud validum judicat. Ei tamen ſemper repugnatum eſt, ut liquet ex Concilio Laodicæno *Can.* 10. & ex tertio Carthaginenſi *Can.* 21. Chalcedonenſe Generale Concilium illud diſerte prohibet, niſi Hæreticus converſionem promittat; ac poſtea quidem ſtatutum eſt, ut hæc promiſſio ante matrimonium executioni mandaretur. In Rituali Pariſienſi declaratur ſuſpenſus ipſo facto Presbyter, qui Catholicum cum Hæretica in matrimonium conjungeret. Illud tamen Eccleſia quandoque permiſit, quemadmodum non ignoramus Clementem VIII. eam veniam dediſſe, ut redintegraretur matrimonium Ducis Barrenſis cum Catharina Henrici IV. Regis Galliæ ſororis, & quidem Calvinianæ. Urbanus quoque VIII. diſpenſavit in matrimonio Caroli I. Angliæ Regis cum Maria Henrichetta Franciæ ſororis Ludovici XIII. Complura alia ejuſmodi exempla occurrunt in Hiſtoria.

Septimum impedimentum dirimens eſt *vis*, quia tollit conſenſum, qui ad matrimonii validitatem neceſſarius eſt. Duplicis porro generis vis diſtinguitur. Prima proprie nuncupatur vis, quæ deſtruit omnino conſenſum, quippe quæ adimit rationem, ac libertatem. Altera vero, quæ aliter appellatur timor gravis, ea eſt, quæ non impedit quidem, quominus abſolute aſſentiamur, ſed efficit, ut vel inviti, repugnanteſque aſſentiamur; exempli gratia puellæ acriter minitatur pater, niſi ea in certum matrimonium conſentiat; aſſentitur illa ſuis ingratiis non aliam ob cauſam, quam ob patris timorem. Convenit inter Theologos & Canoniſtas timore matrimonium nullum reddi in quadruplici facti ſpecie.

Prima eſt, cum timor hic eſt capax afficiendi, permovendique rationabilem & conſtantem virum, qui animo valet. (*d*) Talis eſt D. Thomæ ſententia, timor mali graviſſimi, ut mortis, amiſſionis omnium bonorum, vel boni nominis, mutilationis alicujus membri, diuturni carceris, ſervitutis, & alicujus gravis ſupplicii, ſi is, qui nos his minis terret, eas exequi poteſt, & nos eidem reluctari minime poſſumus.

Altera eſt, cum hic timor provenit a cauſa libera, & nobis extrinſeca. Declaravit Alexander III. nullum eſſe matrimonium hominis, quem puellæ pater ad eam ducendam acerrimis minis adegerat, quia illum ipſa abutentem invenerat. At ſi timor oriatur a nobis ipſis, non deſtruit matrimonium; exempli cauſa ſi quis matrimonium contrahat, quia ſibi mortem metuit ex morbo, quo premitur, & a quo timet ſe non alia ratione, quam per conjugalem copulam convaleſcere poſſe, ejus matrimonium verum ac validum eſt. Ratio eſt Innocentii III. ajentis hunc hominem a nemine cogi matrimonio aſſentiri, ſed ipſum per ſe illud tanquam mali, quo laborat, remedium amplecti.

Tertia eſt, cum qui ad matrimonium impellit, ideo tantum minatur, ut ad matrimonium perveniat. Alioquin timor, inquit Innocentius IV. non eſſet impedimentum dirimens matrimonii, quamvis ejus eſſet occaſio; exempli cauſa ſi quis in carcerem conjectus, ob æs alienum, ſeque toto vitæ ſuæ tempore ibidem manſurum timens proponat Creditori ſe ejus filiam in uxorem ducturum; matrimonium legitimum eſt.

Quarta facti ſpecies eſt, cum hujus timoris cauſa injuſta eſt; ita ſentit (*e*) Sanctus Antoninus; ſi enim timor oritur ex juſta cauſa, matrimonium tanquam validum, verumque ſpectatur. Commiſit aliquis crimen, ob quod morte dignus eſt, & eam quidem evitare nequit niſi per matrimonium; conſenſus, quem exhibet matrimonio, ut ſupplicium effugiat, illud nullum non efficit.

Raptus eſt quoddam impedimentum, cum pars altera ſublata eſt vel invita ipſa, vel invitis parentibus, vel iis invitis, quorum curæ commiſſa eſt. Hoc in caſu matrimonium, quod raptor cum ea inire poſſet, nullum eſt, & nunquam validum reddi poteſt, donec in loco libero pars poſita fuerit, & ex-

(*a*) S. Thomas ſupplem. q. 60. art. 2.
(*b*) S. Auguſt. l. 1. de conjug. adulter. cap. 25.
(*c*) S. Thom. in 4. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. ad 5. Cap. Decrevit. De Hæreticis. in 6.
(*d*) S. Thomas ubi ſupra art. 2. ad 2.
(*e*) S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 7.

& extra eorum poteſtatem, qui eam ſuſtulerunt, aliorumque, qui ipſorum conſilio patrocinari poſſent, & ipſa liberum aſſenſum præbuerit. Porro raptus non eſt veri nominis vis, niſi cum circumſtantiis hiſce quinque conjunctus ſit; I. neceſſe eſt raptum violentum eſſe, & perſonæ raptæ voluntati & conſenſui contrarium; II. perſonam raptam in raptoris poteſtate ac poſſeſſione exiſtere; III. eam ſuis ingratiis raptam eſſe, ſi major eſt ſine patre & ſine matre; IV. a raptore perſonam ſublatam eſſe, ut eam in uxorem duceret. V. non eſt neceſſe a raptore pollutam violatamque puellam eſſe, ſed raptam eſſe ſatis eſt. Auctores bene multi autumant ſeductionis raptum eſſe dirimens impedimentum perinde ac violentiæ raptum. Hæc eſt ſententia Domini *Gerbais*, Collationum Lucionenſium, aliorumque contendentium hanc Tridentinæ Synodi mentem eſſe.

Octavum impedimentum dirimens *Ordo* dicitur, ſcilicet impedimentum eſt a Sacris Ordinibus jam receptis proveniens. Eſtius, & plures alii graves Theologi pronunciant nonniſi decimo ſecundo ſæculo Eccleſiam Latinam declaraſſe Ordinem ſacrum eſſe dirimens impedimentum in Occidente, eoque fundamento nituntur, quod ante hoc tempus nulli Conciliorum Canones, nullæque adeo Pontificum Decretales declarant nulla & invalida ſacrorum Miniſtrorum matrimonia; ſed ſatis habent a ſuperioribus Ordinibus eos excludere, ipſiſque prohibere, ne eorum, quos ſuſceperant, functiones obeant. (*a*) Et ſane ſolum in Conciliis Lateranenſibus I. & II. in quodam Rhemenſi concilio, cui præfuit Eugenius III. an. 1148. & in Lateranenſi III. definitum eſt Ordinem ſacrum Matrimonii impedimentum dirimens eſſe, declaratumque ſacrorum Miniſtrorum Matrimonium poſt Ordinationem contractum nullum fore; quo quidem vocabulo non ante duodecimum ſæculum uſa eſt Eccleſia, de Sacrorum Miniſtrorum matrimonio verba faciens. Ac certum quidem eſt, ſi Ordo ſacer eſt dirimens impedimentum, nec de jure naturali eſſe, quoniam ſacri Ordinis inſtitutio non ſpectat ad Jus naturale, ſed Chriſtum Dominum auctorem habet; nec de jure divino, quoniam nulla ejus Lex occurrit in novo Teſtamento; eſt igitur tantum de jure Eccleſiaſtico, ut Ordo ſacer propter ſuam excellentiam ſit dirimens impedimentum, & propter continentiæ votum, quod in Occidente annexum habet; non eadem Eccleſiæ Græcæ ratio eſt. De cæteris ad impedimentum hoc pertinentibus videri poteſt, quod de tertio impedimento, de voto nempe ſupra dictum eſt.

Nonum impedimentum dirimens eſt *Ligamen*, ex matrimonio jam contracto proveniens, ſive conſummatum fuerit, ſive non; quamobrem aliud deinde matrimonium iniri non poteſt, licet pars altera in exteras regiones abierit, adeoque de ejus morte timendi cauſa ſuppetat, quia nihil de ea poſt multos annos nunciatum eſt; neceſſe eſt enim, quod ait (*b*) Canon, ut novum matrimonium iniri poſſit, ex viris fide dignis de prioris viri, priorisve conjugis morte certo conſtare. Inſtitutum eſt impedimentum hoc juxta S. Pauli doctrinam: *Mulier alligata eſt legi*, (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat*. Apparet ex hoc textu vocabulum illud, *Ligamen*, quo ad hoc matrimonii impedimentum explicandum Eccleſia utitur, ductum acceptumque ex Apoſtoli verbis fuiſſe.

Novum tamen matrimonium contrahi poſſet, ſi ante prioris conſummationem alteruter conjugum perpetuæ caſtitatis ſolemne votum ederet, emiſſa profeſſione in Ordine Regulari ab Eccleſia approbato. Hoc in caſu licet alteri conjugi in ſæculo remanenti aliud matrimonium contrahere, ut ait Innocentius III. (*c*) allatus in Canone, ſecutus hac in re ſummorum Pontificum Præceſſorum ſuorum ſententiam, qui ſuper eodem caſu conſulti responderunt ante matrimonii conſummationem licere alterutri conjugum Religionem amplecti, non expectato conſenſu alterius, qui poterit pro arbitratu matrimonio ſe jungere, poſtquam alter profeſſionem ediderit.

Decimum impedimentum dirimens appellatur *Honeſtas* publica, & eſt D. Tomæ judicio proximitas ex ſponſalibus orta, & obtinet ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ voluit, ut ſui filii omnia honeſtatis genera in ſuis matrimoniis ſervarent. Petrus exempli cauſa initis ſponſalibus cum Maria, & Maria ante matrimonii celebrationem vel moriente, vel Religionem amplectente, non poteſt Catharinam Mariæ ſororem, aut Margaritam Mariæ matrem in uxorem ducere, quia pudor hoc matrimonio læderetur. Nuncupatur hoc impedimentum publica honeſtas ad rationem, qua Eccleſia illud inſtituit, ſignificandam; quia nempe, ut dicitur in Jure, nec honeſtum eſt, nec decet, certas quaſdam perſonas, cujuſmodi ſunt, quæ contraxerunt, matrimonio inter ſe copulari. Intellexit Eccleſia ad rectum ordinem ſpectare, ut impediretur, ne qui cum puella celebraſſet ſponſalia, vel eam duxiſſet, matrimonio tamen non conſummato, poſt ejus mortem naturalem aut civilem ex ejus conſanguineis aliquam duceret. Porro ſponſalia ſunt matrimonium propoſitum inchoatum, ac matrimonium in facie Eccleſiæ celebratum eſt veri nominis matrimonium vel ante conſummationem; ita ergo ſtatuit Eccleſia, ut Sacramento honorem exhiberet, ut pronunciat Eugenius II. (*d*) Poſt Tridentinam Synodum publicæ honeſtatis impedimentum non oritur ex ſponſalibus invalidis; & ut etiam valida eſſent, impedimentum inde proveniens in primo tantum gradu locum habet; olim ad quartum uſque extendebatur; at Tridentina Synodus illud ad primum tantum redegit, quia fere nimis difficile nimiſque ſalebroſum eſſet in cæteris gradibus veteres prohibitiones ſervari; ita ut nunc temporis vetitum quidem ſit matrimonium cum patre aut matre, fratribus aut ſororibus, filiis aut filiabus eorum earumve, quibuſcum ſponſalia celebrata ſunt: non item cum cæteris conſanguineis.

Jure veteri omnia ſponſalium genera ſeu *de futuro*, ſeu *de præſenti* inducebant hujus generis impedimentum, nullo eorum habito diſcrimine; illudque eſt prorſus indubitatum, ſive interceſſiſſet mutua promiſſio matrimonii aliquando futuri, ſive vera ſponſalia de præſenti contracta eſſent, hoc eſt initum mutuo matrimonium eſſet per verba de præſenti, utroque in caſu idem honeſtatis publicæ impedimentum locum habuiſſe; at noſtris temporibus, quamvis Tridentina Synodus coarctaverit, ut dim eſt, hoc impedimentum ad ſponſalia ea tantum, quæ nihil ſunt aliud, quam matrimonii impoſterum ineundi

(*a*) Concil. Lateran. I. ſub Calixto II. an. 1123. can. 21. Concil. Lateran. II. ſub Innocent. II. an. 1139. can. 7. Conc. Lateran. III. ſub Alexand. III. an. 1179. can. 11.
(*b*) Canon. In præſenti, de ſponſal. & matrimon. I. Corinth. cap. 7.
(*c*) Cap. ex parte tua de converſ. Conjugatorum.
(*d*) Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 3.

promiſſiones, & vulgo appellantur *ſponſalia de futuro*: eamdem tamen reſtrictionem locum habere noluit in ſponſalibus contractis per verba de præſenti, quæ cum Parochi, duorumque teſtium præſentia ſunt veri nominis matrimonium, & aliter ullius roboris nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Quamobrem publicæ honeſtatis impedimentum proveniens ex veri nominis matrimonio, quod dicitur *ratum*, ſed deinde conſummatum non eſt propter ingreſſum in Religionem, aut propter mortem alterius conjugum, eamdem vim retinet, quam habebat ante Tridentinum Concilium, videlicet uſque ad quartum gradum incluſive extenditur, prout diſertis verbis Pius V. Pontifex Maximus declaravit.

Undecimum impedimentum dirimens eſt amentia, *Amens*, cum quis matrimonium contraxit, quo tempore mentis impos erat, ex quo factum eſt, ut ejus conſenſus nec liber eſſet, nec voluntarius, quia Leges Civiles renuunt ſponſos citra cognitionem ac libertatem matrimonium contrahere. Ita (*a*) decidit Innocentius III. ſtatuitque Civile Jus; niſi illi, ut monet D. Thomas, habeant *lucida intervalla*, videlicet iis temporibus, iiſque intervallis, quibus erant mentis compotes, matrimonium inierint. In Hiſpania per Leges, quibus matrimonium vetatur amentibus, lucidorum intervallorum ſpatio permittitur.

Duodecimum impedimentum dirimens eſt affinitas, *Affinis*, definiturque proximitas ex carnali copula abſque ulla conſanguinitate proveniens. Ea quidem valde diſcrepat a cognatione naturali, quia qui ſunt conſanguinei, ex eodem ſtipite oriuntur, eodemque ſanguine creti ſunt; cum contra qui ſunt affines, non ſint ex eodem ſtipite, ſed novum conſtituant proprii ſanguinis mixtione.

Duplex diſtinguitur affinitas; alia legitima, quæ per matrimonii uſum contrahitur; alia criminoſa, & illegitima, quæ contrahitur per carnale commercium extra matrimonium: utraque dirimens impedimentum eſt in Eccleſia univerſa. Porro hæc affinitas magnopere ad conſanguinitatem accedit, iiſdemque regulis ſubjecta eſt, ut proinde Nicolaus I. (*b*) diſtinguat lineas duas, rectam ſcilicet, & collateralem.

Linea recta complectitur eos, qui tenent locum patris eorum ratione, qui eos tanquam filii reſpiciunt; ejuſmodi eſt ſocer quoad propriæ conjugis filios; ut propterea, quemadmodum idem Nicolaus I. Bulgaris tradit, vetitum ſit homini ducere puellam, quam ejus uxor ex alio matrimonio ſuſcepit, *Privignam*, aut conjugem proprii filii poſt ejuſdem filii mortem, *Nurum*: aut matrem propriæ conjugis, *Socrum*; aut fœminam, quam Pater duxit ſecundis nuptiis, *Novercam*. Huic eidem homini prohibitum eſt ducere earum filias, neptes, aut proneptes, matres, ſocrus, aut amitas uſque in infinitum, ſi tandiu viveret, ut ſuarum fœminarum plus quam quartam generationem videret. Et Civile quidem Jus hac in re convenit cum Canonico.

Linea collateralis comprehendit eos, qui agnationis cauſa nuncupantur, ſpectanturque mutuo tanquam fratres & ſorores, vel ut avunculi & nepotes, vel ut conſobrini; & hæc linea certos gradus non prætergreditur. Juſtinianus eam non extendit ultra fratres & ſorores per agnationem; ſed Eccleſia exactior eam extendit uſque ad quartum gradum, videlicet prohibuit matrimonium non modo cum ſocru, aut nuru, earumque filiabus, uſque ad infinitum, verum etiam cum conſobrina, aut conſobrini conjuge, ſi forte vidua remanſerit, harumque fœminarum conſanguineis uſque ad quartum gradum. Videtur affinitas lineæ rectæ impedimentum eſſe de jure naturali, ſaltem in primo gradu; at nonniſi de jure poſitivo impedimentum eſt in linea collaterali.

Eccleſia tamen in hiſce gradibus varie ſe geſſit pro occaſionibus, & temporum neceſſitate. Aderant antiquis temporibus affinitatis tres ſpecies, aut genera, duarum familiarum, trium, quatuorve, id quod Canoniſtæ explicant hac hypotheſi. Petrus meus frater uxorem ducit Annam, & per hoc matrimonium illa evadit mea cognata; en primum genus affinitatis, intra duas tantum familias, Petri ſcilicet & Annæ. Petrus moritur, & Anna mea cognata, & ejus vidua nubit Paulo, qui meus cognatus per agnationem evadit, quia nempe duxit cognatam meam, en genus alterum affinitatis inter familias tres, Petri, qui mortuus eſt, Annæ, quæ eidem ſuperſtes fuit, & Pauli, cui nubit Anna ſecundis nuptiis. Anna mea cognata mortem occumbit, Paulus ejus maritus, meuſque per agnationem cognatus uxorem ducit Margaritam; per matrimonium Margarita evadit mea cognata, propterea quia Paulus erat cognatus meus; atque id quidem conſtituit tertium genus affinitatis; ut proinde ego, ſi forte moriatur Paulus, Margaritam eius viduam in uxorem ducere nequeam, quippe quæ mea cognata eſt in tertio genere affinitatis inter familias quatuor, Petri ſcilicet, Annæ, Pauli, & Margaritæ.

Innocentius III. in Generali IV. Synodo Lateranenſi ademit ac ſuſtulit in Eccleſia Latina prohibitionem contrahendi matrimonii in ſecundo ac tertio affinitatis gradu; quia hæc agnationum confuſio inter tot familias pluribus matrimoniis invalidis occaſionem præbebat. Itaque in Occidente nunc temporis triplex tantum affinitas dirimens impedimentum conſtituit; I. ea, quam ſponſus contrahit cum uxoris ſuæ conſanguineis, quas poſt ejus mortem ducere nequit; II. ea, quam contrahit ſponſa cum mariti ſui conſanguineis, quibus ipſa quoque poſt ejuſdem mariti mortem nubere nequit; III. ea, quam duæ perſonæ contrahunt alter cum alterius conſanguineis, cum vel ſimplici fornicatione, vel adulterio ſe mutuo polluunt.

Ante Tridentinam Synodum Latina Eccleſia deciſionem Concilii IV. Lateranenſis ad litteram ſequebatur, volebatque affinitatem ex crimine extra matrimonium provenientem uſque ad quartum incluſive gradum extendi, perinde atque affinitatem, quam legitimum matrimonium producit; quia Lateranenſe Concilium in ſuo Canone inter has duas affinitates nihil prorſus diſtinxerat, & juxta Juris regulam non eſt facienda exceptio in iis caſibus, in quibus Lex omnino non excipit. At Tridentina Synodus cum videret gravia incommoda conſequi, ſi uſque ad quartum gradum illegitima affinitas extenderetur, eam ad ſecundum incluſive reſtrinxit. Cum porro poſt hoc Synodi temperamentum contenderent nonnulli Theologi affinitatem hanc eſſe ſaltem impedimentum impediens in tertio & quarto gradu: (*c*) Pius V. ut animos hac in re tranquillaret, diſerte definiit affinitatem illegitimam in hiſce gradibus nullo modo impedimentum eſſe vel dirimens, vel impediens.

Si contingat, uxoratum abuti ſorore ſuæ conjugis, cui in primo gradu conjunctus eſt, vel cum conſobrina,

vel

(*a*) Cap. Dilectus, de ſponſalibus. S. Thomas in 4. diſt. 34. q. 1. art. 4 Gloſſa in arborem conſang. 35. q. 5. Gloſ. in arb. conſ. 37. q. 5

(*b*) Nicol. I. Reſponſ. ad Conſulta Bulgarorum Lib. 9.

(*c*) S. Pius V. in Bulla, quæ incipit: Ad Romanum Pontificem an. 1566. cap. Tuæ Fraternitatis, De eo, qui conſanguinit.

vel cum amita, vel cum nepte uxoris ſuæ, quibus eſt conjunctus in gradu ſecundo, ejus matrimonium per hujuſmodi inceſtum nequaquam ſolvitur, quia juxta Innocentii III. deciſionem vinculum matrimonii, quod validum & legitimum eſt, indiſſolubile eſt, nec tolli poteſt per impedimentum dirimens, quod ſuperveniat; uſus vero matrimonii eidem prohibetur, videlicet abſque Epiſcopi diſpenſatione non poteſt ab uxore conjugale debitum petere, ſed ſolum eidem reddere. Ei Gregorius IX. imponi mandat pœnitentiam ipſius infidelitati, adulterio, & inceſtui reſpondentem. Putat etiam S. Antoninus, ſi maritus inceſtum commiſerit, antequam matrimonium conſummaret, debere vel Religionem amplecti, vel ab Epiſcopo diſpenſationem petere ante matrimonii conſummationem, & ſanctus quidem Pater ſtat potius a Religione, quam a diſpenſatione.

Decimum tertium impedimentum a matrimonii clandeſtinitate provenit, *ſi clandeſtinus*; clandeſtinum porro matrimonium vocatur illud, quod non celebratur in facie Eccleſiæ a Parocho, vel ab ejus Vicario coram teſtibus. Diſciplina hæc ſemper obtinuit poſt natos homines, quoniam matrimonii publicitas apud Hebræos facile oſtendi poſſet, indubitatumque eſt olim primitivos Chriſtianos coram ſacerdote, ut ab eo benedicerentur, matrimonium iniviſſe. Sed clandeſtinitas non ſemper invalida reddidit matrimonia; conſtat enim a Gregorii IX. temporibus ad Tridentinam uſque Synodum fuiſſe tantum illicita; quod in cauſa eſt, cur putent bene multi ante hunc Pontificem ea matrimonia fuiſſe nulla & invalida. Ait Synodus Eccleſiam ea ſemper execratam eſſe; in Gallia nunquam tolerata ſunt ne laxioribus quidem temporibus. Tridentina Synodus ea declaravit invalida impoſterum fore, & defectum præſentiæ Parochi, & duorum triumve teſtium impedimentum dirimens eſſe voluit, pluribus in id allatis rationibus ſeſſ. 24. (*a*).

Hoc Concilii Decretum vim Legis habet in Gallia, in qua in Conciliis Provincialibus, & a Regibus noſtris receptum, probatumque eſt; & quamvis hujus Concilii diſciplina, quam late patet, in regno recepta non fuerit, & ibinem publici juris facta, Decretum tamen adverſus matrimonia clandeſtina ibidem obtinet, & ab Eccleſia cum Principum auctoritate promulgatum eſt. Id expreſſe notatur in Rituali Pariſienſi; animadvertitur etiam in Anglia, ubi Tridentinum Concilium omnino receptum non eſt, clandeſtina matrimonia non tolerari; eoſque, qui ita matrimonio junguntur, Curiarum Eccleſiaſticarum inquiſitionibus obnoxios eſſe, ſi abſque Anglicanorum Epiſcoporum diſpenſatione extra propriam Parochiam, abſque nuptiarum publicatione matrimonium contraxerint; ibique matrimonium in Juſtitiæ Tribunalibus non cenſetur legitimum, niſi celebratum fuerit coram teſtibus, & coram aliquo, qui ſit Presbyter, aut Presbyteri officio fungat, cujuſcumque demum Religionis extiterit.

Parochus ſuſpenſus, (*b*) interdictus, excommunicatus, irregularis, hæreticus, aut ſchiſmaticus, qui non niſi coloratum titulum habet, poteſt matrimonium legitime celebrare, dummodo nec Parochia depoſitus, nec titulo ſpoliatus fuerit. Eſt Parochus, & id ſatis eſt juxta Decretum Tridentinæ Synodi, *præſente Parocho*, quia eſt adhuc in Beneficii ſui poſſeſſione, atque adeo exercitio. Putat Fagnanus neceſſe non eſſe Parochum eſſe Presbyterum, ut præſentia ſua matrimonium validum reddat, ac licet Minoribus tantum Ordinibus initiatus non eſſet; id ſufficere, dummodo Parochi titulo inſignitus fuerit. Sylvius tamen contra ſentit; & ratio, quam affert, ducta eſt ex hiſce Concilii verbis, *præſente Parocho, vel alio Sacerdote*. Opus eſt autem, ut ſaltem alterutrius conjugum Parochus ſit; ut proinde Concilium in citato Decreto prohibeat, ne quis Parochus alios quam ſuos Parochianos in matrimonium conjungat, in pœnam ſuſpenſionis, quod confirmatum eſt Edictis Ludovici XIII. & Ludovici XIV.

Mos publicandarum nuptiarum in eorum Parochiis, qui matrimonium contrahere volunt, in eum tantum finem inductus eſt, ut matrimonia clandeſtina impedirentur, detegerentur impedimenta dirimentia matrimonii, quæ inter ſponſos exiſtere poſſent, impedireturque, ne filii matrimonio jungerentur, parentibus nec ſcientibus, nec conſentientibus. Non convenit Tridentinam Synodum, & Bleſenſem Conſtitutionem inſtituiſſe, ut nuptiarum publicatio neceſſaria eſſet de neceſſitate contractus & Sacramenti, ita ut nullum ſit matrimonium, niſi adſit ejuſmodi publicatio; an vero ſolum de neceſſitate præcepti, ut nempe ſolemnior redderetur matrimonii celebratio, & occurreretur incommodis, quæ poſſent exiſtere. Domini *de Marca*, *Chopin*, & *Mornac* priorem ſententiam propugnarunt; ſed contraria opinio prævaluit in Gallia, uſuque firmata eſt. Publicationes hæ ter peragendæ ſunt inter Miſſarum ſolemnia tribus diebus Dominicis, aut Feſtis, & unius ſaltem diei intervallum inter ſingulas publicationes requiritur; neque poſtremæ publicationis die ipſa ineundum eſt matrimonium. Solus Epiſcopus diſpenſare poteſt in matrimonii publicatione, Parochus autem omnino non poteſt.

Decimum quartum impedimentum dirimens provenit ex impotentia, (*c*) *impos*, definiturque cum S. Thoma defectus impediens matrimonii conſummationem per carnalem copulam, ſive ſit defectus ex parte viri, ſive ex parte fæminæ, dummodo ſubſtiterit, quo tempore matrimonium contractum fuit, non autem illud ſubſecutus fuerit; impotentia enim, quæ ſupervenit, matrimonii contracti vinculum minime ſolvit; per eam id unum fit, ut conjuges a matrimonii uſu abſtinere debeant, & tanquam frater & ſoror convivere, cum ea certa eſt, & utrinque perſpecta, ex. c. *ſi vir ſit exſectus*.

Duplex porro impotentia eſt; naturalis una, proveniens ex naturali defectu corporis; ſi ſit a nativitate, dicitur ſimpliciter naturalis; quod ſi accidentario advenerit, nuncupatur accidentalis; ſupernaturalis altera, quæ ex Dæmonis oritur maleficio. Utraque eſt aliquando perpetua & irreparabilis, & aliquando tranſitoria & reparabilis. Impotentia perpetua, inquit Innocentius III. (*d*) ea eſt, quæ naturaliter tolli nequit, videlicet, ut dicitur in Jure, ceſſare non poteſt niſi aut per miraculum, aut per maleficium, aut per operationem, quæ perſonam in vitæ diſcrimen adduceret. Impotentia, quæ tranſit, & ad tempus eſt, poteſt ex Jure Canonico tolli permiſſis remediis, aut Eccleſiæ precibus. Sola impotentia perpetua eſt matrimonii dirimens impedimentum, & juſta cauſa, cur illud nullum declaretur. Atque hoc quidem impedimentum nititur jure naturali, & poſitivo Eccleſiaſtico politico, quia efficit, ut ita impotens officiis iis, quibus matrimonium obnoxium eſt, explendis

(*a*) Con. Trid. Seſſ. 24. de Reform. cap. 4. (*b*) Fagn. in cap. Quoniam de Conſtitutionibus. Sylvius in ſupplem. queſt. 45. art. 1. ad 7. (*c*) S. Thomas in 4. Sent. diſt. 34. quæſt. unica. (*d*) Cap. Fraternitatis. De Frigidis Cap. ſi per ſortiarias. 33. q. 1

impar ſit, & quia duobus præcipuis Matrimonii finibus adverſatur; quamobrem non injuria aſſeri poteſt conjunctionem fœminæ cum impotente non minus criminoſam, & naturæ contrariam eſſe, quam conjunctionem duarum perſonarum ejuſdem ſexus.

Exiſtit impotentia naturalis abſoluta, qualis Eunuchi eſt, quæ hominem quoad omnes omnino fœminas impotentem reddit. Exiſtit & reſpectiva, quæ hominem efficit impotentem ratione puellæ, exempli cauſa, quæ ſemper ſeſe continuit, & non impediret, quominus Viduam cognoſceret. Certum eſt matrimonium ſemper interdictum iis eſſe, qui impotentia naturali abſoluta laborant. At de alia non convenit inter Theologos. D. Thomas nullam agnoſcit impotentiam naturalem reſpectivam, aitque eum, cujus matrimonium propter impotentiam naturalem & perpetuam abrogatum eſt, nunquam cum altera matrimonium contrahere poſſe; at D. Antoninus contra ſentit, ejuſque ſententiæ Officialium Curiæ ſubſcribunt: ita ut ſi medicorum ſententia quis cenſeatur capax conſummandi actum matrimonii cum vidua, dum non poteſt cum puella, Officialis abroget matrimonium cum puella contractum, eique permittat, ut viduam ducat. Ratio eſt, quia matrimonium iis eſt permiſſum, qui ejus uſus capaces ſunt.

Quod ſpectat ad impotentiam, quæ provenit ex maleficio, cujus multæ probationes afferuntur ex ipſa Antiquitate deprompta, & quam in Jure agnoſcit (*a*) Eccleſia, ea quidem eſſe poteſt tum abſoluta, & impedire, ne quis ullam fœminam omnino cognoſcat; tum reſpectiva, & impedire, ne certam tantum fœminam cognoſcat. Reſpectiva ſufficit, Honorii III. ſententia, ut abrogetur Matrimonium, quod quis cum ea contraxit, quam nequit cognoſcere, eique liberum ſit aliam ducere, cujus quidem ratione non fuerit impotens; ſed opus eſt I. ut hæc reſpectiva impotentia matrimonium præceſſerit; II. ut ſit perpetua, nec triennalis cohabitationis tempore Eccleſiæ precibus tolli potuerit. Tunc quidem licet utrique, matrimonio juridice abrogato, matrimonium aliud inire. Honorius III. illud requirit, ut antea jurejurando confirment ſe triennii ſpatio, quo concubuere, nunquam ad matrimonii conſummationem pervenire potuiſſe, ſeptemque ex proximis eorum conſanguineis id ipſum teſtentur.

Maleficium porro, quod matrimonii conſummationem impedit, alio maleficio expelli non licet; quoniam, ut ait Apoſtolus Paulus, nunquam faciendum eſt malum ut aliquid inde boni contingat. (*b*) Hac de cauſa Alexander III. relatus in Canone, damnat tanquam grave crimen actionem Presbyteri, qui ad ſuperſtitioſas obſervationes confugerat, ut furti in Eccleſia patrati auctorem divinaret, quamvis id ille feciſſet bona intentione, & Eccleſiæ boni zelo permotus. Id ipſum definit apertiſſime D. Thomas, cum ait, etiamſi maleficio per aliud maleficium remedium afferri poſſit, illud tamen perpetuum cenſendum eſſe, quia nunquam licet uti maleficio, & ad maligni ſpiritus opem confugere. Id denique in Rituali Pariſienſi expreſſe prohibetur.

Decimum quintum, illudque poſtremum impedimentum dirimens eſt raptus, *ſi mulier ſit rapta*, eſtque aſportatio per vim facta ex uno in alium locum cum intentione matrimonii cum rapta perſona ineundi. Illud ſolum ob oculos habendum eſt cum D. Thoma, ut quis ſe reum conſtituat criminis raptus, ſatis eſſe perſonam, invito patre, raptam eſſe, quamvis ipſa in raptum ultro conſenſerit. Aliquando, monet hic ſanctus Doctor, patri vis infertur, non autem puellæ, ut cum ipſa e patris ſui domo ſe vi rapi aſſentitur; verum quocumque modo vis adſit, ſemper eſt veri nominis raptus. De eo jam nos diximus, impedimentum ſeptimum, vim ſcilicet explicantes.

Sunt impedimenta alia, quæ impedientia nuncupantur, ſeu prohibitiva, quæ matrimonium ſolummodo illicitum reddunt, non autem invalidum. Olim duodecim numerabantur his verſiculis comprehenſa:

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechiſmus, ſponſalia, jungito votum,
Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors muliebris,
Suſceptus propriæ prolis, mors Presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat; prohibent hæc conjugium ſociandum.

Sed nunc temporis fere quatuor tantum recenſentur hoc expreſſa verſiculo:

Eccleſiæ vetitum, votum, ſponſalia, tempus.

Videlicet I. prohibitio, quam Eccleſiaſticus Superior inſtituit, ne deveniatur ad matrimonii celebrationem, quoad aliquæ difficultates, quæ occurrerunt, elucidatæ fuerint. II. votum ſimplex ſervandæ caſtitatis, aut amplectendæ Religionis. III. ſponſalia contracta cum alia perſona. IV. prohibitio Eccleſiæ interdicentis matrimonii ſolemnitates a prima Dominica Adventus uſque poſt Epiphaniam, & a die Cinerum uſque poſt Octavam Paſchatis.

In Rituali Pariſienſi hæc impedimenta rediguntur ad tria tantum, & ſunt I. vota ſimplicia ſervandæ caſtitatis, amplectendæ Religionis, & nunquam contrahendi matrimonii. II. Adventus & Quadrageſimæ tempora, quibus matrimonium ab Eccleſia prohibetur. III. Sponſalia valide contracta in facie Eccleſiæ, & quæ legitime ſoluta non ſunt. Hæc tria tantum obtinent in Pariſienſi Diœceſi.

Vide (DISPENSATIO.
(MATRIMONIUM.

Impe-

(*a*) Cap. ſi per ſortiarias. 33. q. 1. Cap. litteræ. De frigidis. (*b*) Cap. ex tuarum. De ſortilegiis.

Impedimentum conſanguinitatis in ſecundo aut tertio gradu.

CASUS I.

1 *Duo conſanguinei in ſecundo aut tertio gradu, qui falſa ſupplicatione exhibita, matrimonii contrahendi veniam obtinuerunt, coram Deo conjugati non ſunt, quia diſpenſatio, utpote ſubreptitia, nulla eſt.*

2 *Minime neceſſe eſt eos novæ diſpenſationis obtinendæ gratia ad Romanam Curiam regredi. Sunt enim in ea facti ſpecie, in qua poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

QUÆSITUM.

PEtrus & Franciſca ſecundo vel tertio conſanguinitatis gradu conjuncti matrimonium contraxere vi diſpenſationis, quam a Pontifice obtinuerunt exponentes ſe pauperes eſſe, & Franciſcam ſubituram fore infamiæ notam propter liberiorem neceſſitudinem, qua cum Petro verſata fuerat, nec amplius, cui nuberet, inventuram; hæ tamen duæ rationes abſunt a veritate; Franciſca non poteſt abſolute pauperibus accenſeri, quippe quæ 2000. libras poſſideat ex parte matris, & patrem adhuc viventem habeat. Hujus diſpenſationis vi celebratum eſt matrimonium bona fide ex parte Franciſcæ, quæ hujus negotii curam omnem patri reliquit, & de falſa expoſitione penitus ignoravit. Rogat illa Sorbonæ Doctores, ut inſtruatur, ſibique, quid facto opus ſit ad propriæ conſcientiæ tranquillitatem, ſignificetur.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat diſpenſationem pro Petri & Franciſcæ matrimonio impetratam ſubreptitiam eſſe, quia cum in libello ſupplici falſum expoſitum fuerit, Papa deceptus eſt; id quod diſpenſationem nullam efficit. Quamobrem ad hoc matrimonium firmandum opus eſt nova diſpenſatione, quam quidem a Romana Curia poſtulari non eſt neceſſe. Eſſet enim difficile, partes, quoad diſpenſatio perveniret, ſeparari, atque hæc ſeparatio fieri non poſſet citra ſcandalum, & quin partes incontinentiæ periculo exponerentur.

Præterea agitur hoc loco de tollendo impedimento quoad matrimonium jam contractum bona fide; quod ita ſe habuit ſaltem ex parte Franciſcæ, quæ omnino neſcivit, quid in ſupplicatione exponeretur. Jam vero vulgo convenit, *in contractis bona fide* poſſe Epiſcopum diſpenſare. Præterquamquod enim caſus eſt ipſe per ſe favorabilis, animadverſione dignum eſt, ſæpe partes ſejungi non poſſe, quin peccandi periculo obnoxiæ reddantur.

Denique impedimentum, de quo agitur, tanquam occultum ſpectandum eſt; quamvis enim conſanguinitatis gradus Petrum inter & Franciſcam innoteſcat, nemo tamen unus ſcit diſpenſationem, quam illi obtinuerunt, nullam eſſe, neque ejus nullitas in foro externo probari poſſet; adeoque aſſeri poteſt, impedimentum, quod propter diſpenſationis nullitatem adhuc ſubſiſtit, occultum eſſe, ſcilicet ex eorum numero, in quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt juxta Tridentinæ Synodi mentem *Seſſ. 24. c. 6. de Reform.*

Hinc ſequitur ſatis eſſe Conſulentes confugere ad Epiſcopalem Pœnitentiarium, qui diſpenſatione, qua indigent, conceſſa, præcipiet, ut vel coram ſe, vel privatim conſenſum renovent. Ita partium fama in tuto erit, & cætera, de quibus ſupra, incommoda vitabuntur.

Deciſum Pariſiis hac die 25. Aprilis an. 1699.
G. Fromageau.

Publicæ honeſtatis impedimentum ex ſponſalibus proveniens.

CASUS II.

1 *Non eſt neceſſe ſponſalia fieri in facie Eccleſiæ, aut coram Parocho; ſed ſatis eſt, ſi coram conſanguineis fiant, ut ſint honeſtatis publicæ impedimentum.*

2 *Standum eſt hac in re propriarum Diœceſeon conſuetudini & praxi.*

3 *Si in hac facti ſpecie exiſtat dirimens impedimentum, poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare.*

QUÆSITUM.

CUm duo Præfecti amicitia conjuncti, eademque in Urbe degentes, quorum alteri filius erat matrimonio maturus, & alteri puella jam prope nubilis, cuperent utramque familiam conſociare: adoleſcens, tunc annos natus plus quam 25. pignora puellæ dedit utriuſque patris conſenſu. Initus eſt etiam per Notarium contractus, in quo futuri matrimonii clauſulæ & conditiones poſitæ ſunt. Firmarunt inter alios contractum ſuo nomine duo futuri ſponſi, & pater uterque; editæque ſunt publicationes in Parochia, quæ ex totius Urbis frequentiſſimis una eſt; & quidem conſueta verborum formula: exiſtit promiſſio matrimonii inter Dominum N.... & Dominam N.... &c. His omnibus peractis Adoleſcens Pariſios profectus ſive quoad futuram ſponſam, cujus ætas ea tantum erat, quæ juſte a Canonibus ad matrimonii validitatem requiritur, mutata ſententia, ſive alia de cauſa, dictæ puellæ patrem per litteras monuit ſibi Pariſiis diu conſiſtendum; quod ſi quam ille interea deſponſandæ filiæ occaſionem nanciſceretur, nolle ſe reluctari, adeoque omnino a promiſſis recedere.

Breviſſimo poſt tempore adoleſcens genere ac virtute præſtans puellam ſibi conjugem petiit; petenti conceſſa eſt, & matrimonium conſuetis regulis & cæremoniis celebratum.

Cum anni octodecim decurriſſent, prior adoleſcens adhuc liber puellæ, quam ducere voluerat, ſororem natu minorem poſtulavit uxorem, obtinuitque, celebrato matrimonio in facie Eccleſiæ in eadem Parochia tribus circiter ab hinc annis. Quia porro Parochus, qui puellam natu majorem junxerat in matrimonium, occubuerat, perinde ac Puellarum patres, mutatique fuerant ejuſdem Parochiæ Vicarii: nemo tunc animadvertit exiſtere publicæ honeſtatis impedimentum; ſed hac de re cogitatum tum ſolum eſt, cum poſt ſex menſes ſimile matrimonium propoſitum fuit.

Vicarius Generalis, qui optime rem omnem paulo ante declaratam cognoverat, dicti Præfecti Confeſſarium miſit, qui perhumaniter eum de impedimento moneret. Sed ille hactenus dictis fidem habere noluit, adeoque omnes hac in re admonitiones tanquam nugas traducit, quamvis ea pura conſtanſque Eccleſiæ doctrina ſit. Hoc poſito quæritur a Sorbonæ Doctoribus, quid conſilii tum quoad internum tum quoad externum forum capiendum ſit?

I. Certum eſt hunc Præfectum contraxiſſe impedimentum, quod dicitur honeſtatis publicæ, juxta Canonum ſanctiones, & communem Doctorum ſententiam (*a*), Vel ſaltem nonne ſatis firma ratio ſuppetit dubitandi de hujus matrimonii validitate, ac proinde nonne illud firmandum eſt ſecundum tam conſtantem regulam, qua ſtatuitur, ut cum de Actus, & præſertim Sacramenti validitate non immerito dubitatur, iteretur, vel ut aptius loquamur, fiat ratione conſtanter valida, ut ex his Alexandri III. verbis licet intelligi: *de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur &c.* Omittuntur Pontifices & Concilia, quæ eamdem rem definierunt.

Reſpondit Præfectus ſponſalia in Eccleſia facta non

(*a*) Can. Si quis deſponſaverit, & ſi quis uxorem, & cap. 2. Si deſponſaverit, cauſ. 27. q. 2. cap. ad audientiam, & cap. Sponſam de Sponſalib. & matrim. & cap. acceſſit de Sponſal. impub. R. de Baptiſ. cap. quibus.

non fuiſſe, & quod inde conſequitur, promiſſa, quæ ipſe præſtitit, quæque recepta ſunt, dictum impedimentum producere non potuiſſe.

At cum Tridentinum Concilium ſponſalia abſque Parochi præſentia facta non infirmaverit, certum eſt ea valida eſſe perinde atque erant ante Concilium. Ac Theologi quidem unanimi ſententia ſtatuunt ſponſalia valida eſſe, dummodo adſit *libera & reciproca promiſſio de futuro matrimonio inter perſonas jure ad contrahendum habiles*. Itaque ſponſalium celebratio in facie Eccleſiæ, cum eam ſimiles promiſſiones anteverterunt, propriè nihil eſt aliud, quam renovatio & confirmatio, quæ fit cum Eccleſiaſticis ſolemnitatibus; & Cardinalium Congregatio abſolute declaravit ſponſalia, vel clandeſtina, valida tamen eſſe. Sane Tridentina Synodus impedimentum, quod provenit ex ſponſalibus, ad ſola ſponſalia valida, & ad ſolum primum gradum redegit.

II. Idem Præfectus alia occaſione reſpondit, promiſſionibus mutuo conſenſu ſolutis, impedimentum ceſſare. Animadvertitur nonnullos Theologos, & inter cæteros Bonacinam in ſua prima editione huic ſententiæ adhæſiſſe; (*a*) ſed ille quidem in ſecunda editione palinodiam cecinit, ut conſtat ex ejus Tractatu de matrimonii impedimentis.

Semper in hac Diœceſi (videlicet Lemovicenſi) tradita & executioni mandata eſt eadem doctrina, quæ Cardinalium Congregationis ab Alexandro III. probatæ Decreto firmata dicitur. Additur firmiſſima ratio hæc, ſcilicet impedimentum ex ſponſalibus proveniens ſuapte natura perpetuum eſſe; adeoque mutato partium conſilio ceſſare non poſſe.

Illud denique Præfectus idem dicere non eſt veritus, ſe, quamvis coram Notario Contractum ſubſcripſerit, nihil tamen aliud in animo habuiſſe, quam ut clauſulis ad temporalia bona, aliaſque ejuſmodi circumſtantias propoſiti matrimonii ſpectantibus aſſentiretur; non autem matrimonio ipſi aſſenſum præbuiſſe; quaſi vero conſenſus in matrimonii clauſulas & circumſtantias non inferret eſſentialiter conſenſum in ipſam matrimonii ſubſtantiam. Ac cæterum cum quis ejuſmodi obligationibus libere ac voluntarie ſe obſtrinxit, fruſtra dictitat ſe ex animo non conſenſiſſe, niſi valde extraordinarias probationes attulerit. Itaque dicti Præfecti reſponſa ſatis indicant eum bona fide non agere. Monita eſt pariter ejuſdem uxor, ſatiſque habet reponere virum ſuum idoneum hominem eſſe, ſeque poſſe tuta conſcientia ipſius ſententiæ acquieſcere.

Quæritur ſecundo loco, neganda necne ſit abſolutio utrique poſt iteratas admonitiones charitatis, humanitatiſque pleniſſimas?

Tertio loco an ſi illi ſeſe ſubdiderint, ſufficeret Epiſcopalis auctoritas, ut hoc in caſu diſpenſaretur, cum de iis agatur, qui facile poſſunt ad Romanam Curiam confugere, & cæteroquin ſæpe moniti hactenus noluere ſe ſeparare, aut ſe ſubdere ſalutaribus monitis, quibus a Confeſſario, & a Vicariis Generalibus inſtructi ſunt?

An denique in hac facti ſpecie aliquid exiſtat, quod ad forum externum ſpectet, quia in Tribunalibus rejiciuntur tanquam abuſivæ impugnationes matrimoniorum, quæ multorum annorum ſpatio habita ſunt valida, quamvis cæteroquin extiterint impedimenta dirimentia?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, in pluribus Regni Diœceſibus ſponſalia in facie Eccleſiæ non celebrari; ac ſi Rituali Aletenſi pag. 430. quoad matrimonium fides habetur, hæc cæremonia multis in locis abolita eſt. Sane Canoniſtæ & Auctores multi, cum de ſponſalibus loquuntur, inter alios, Pyrrhingus, (*b*) aſſerunt, juxta Tridentinæ Synodi mentem, ſponſalia, ut valida ſint, non eſſe neceſſario facienda in facie Eccleſiæ, aut coram Parocho. Hinc concludi poteſt, ſatis eſſe, ut publicæ honeſtatis impedimentum exiſtat, coram conſanguineis ſponſalia fieri, & matrimonium contrahere volentes mutua ſe promiſſione obſtringere. Verum quidem eſt in multis Diœceſibus, cujuſmodi ſunt Pariſienſis & aliæ, fere non aliud publicæ honeſtatis impedimenum agnoſci, quam ſi ſponſalia in Eccleſiæ facie, & coram Parocho, vel aliquo ejus nomine delegato peracta non fuerint.

Hoc poſito, videndum eſt igitur, quid in Diœceſis, ubi matrimonium initum eſt, Rituali tradatur; & quænam ibidem praxis obtineat, ut judicetur, an Matrimonium, pro quo conſulitur, abſque diſpenſatione celebrari potuerit, necne; videlicet ſi ſponſalia in Eccleſia fieri debuerunt; hoc in caſu diſpenſatione opus non fuit, ac proinde matrimonium cum ejus ſorore, quæ deſponſata fuerat, contractum ratum fuit validumque. Nullum econtra matrimonium eſt, ſi propriæ Diœceſis ea eſt conſuetudo, ut fere ſponſalia in Eccleſia non celebrentur. Poteſt tamen confirmari, ac ſane debet.

Poteſt in ejuſmodi impedimento dirimente Epiſcopus diſpenſare, cum matrimonium bona fide contractum fuerit, ac cæterum difficile, quoad a Romana Curia diſpenſatio obtineatur, partes ſeparari poſſint, tum quia exponerentur incontinentiæ periculo, tum aliis de cauſis. Obtenta diſpenſatione, partes debent conſenſum privatim renovare.

Deciſum in Sorbona hac die 12. Decembris anno 1704.
G. Fromageau. P. Girard.

Sorbonæ Doctores conſulti hanc deinde additionem miſerunt.

Firmandum eſt matrimonium, de quo in expoſitione dictum eſt; idque coram Parocho, & teſtibus, conceſſa in anteceſſum publicationum diſpenſatione, quia impedimentum publicum eſt.

Datum Pariſiis hac die 17. Decemb. an. 1704.
G. Fromageau, P. Girard.

Impedimenta propter adulterium.

CASUS III.

Qui vivente conjuge adulterium cum alia commiſit, poteſt eam ducere, poſt conjugis mortem, dummodo I. ſe tunc matrimonii poſt conjugis mortem ineundi promiſſione non obſtrinxerint, II. nec uterque, nec alteruter ejus vitæ inſidias ſtruxerint.

QUÆSITUM.

PEtrus uxoratus, & legitimæ prolis expers rem habuit vivente conjuge cum puella, ex qua filium ſuſcepit. Defuncta uxore turpe cum eadem puella commercium proſecutus eam deinde ducere voluit; ſed Eccleſiaſtici Superiores ei repugnarunt, contendentes, eum, cum qua adulterium commiſit, cum eadem matrimonium contrahere non poſſe, & adulterium hoc eſſe dirimens impedimentum. Quamobrem Petrus interrogat, poſſitne juxta Eccleſiæ regulas eam adoleſcentulam ducere, quæ per annos 25. & amplius abuſus eſt?

RESPONSIO.

Conſcientiæ Conſilium ſubſcriptum cenſet Petrum cum ea fæmina matrimonium inire poſſe, qua abuſus eſt, & cum qua, vivente conjuge, adulterii crimen patravit, modo nulla inter eos extiterit promiſſio ineundi poſt uxoris mortem conjugii, ac nec uterque, nec alteruter quicquam contra conjugis vitam molitus fuerit ac ſimplex adulterium non eſſe dirimens impedimentum. Hæc eſt ſententia Innocentii III. titulo *De eo, qui duxit, &c. l. 4. Decretal. cap. Significaſti*. En verba Decretalis: *Significaſti nobis, quod cum P. civis Spoletanus quamdam mulierem duxiſſet legitime in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici adhæſit, ... verum cum uxor ipſius eſſet viam univerſæ carnis ingreſſa, meretricem, cui adhæſerat,*

(*a*) Bonacina de impedim. matrim. q. 3. punct. 11. pro. poſ. 1. n. 7.

(*b*) Pirrhing. tom. 4. de Sponſal. l. 4. §. 5.

rat, deſponſavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ aliter reſpondemus, quod niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente ſibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium ſupradictum. Et Gloſſa in hoc caput: *Nota, quod licet quis adulteretur cum aliqua, uxore ſua vivente, poteſt habere illam in uxorem poſt mortem uxoris, niſi vivente uxore fidem ei dederit de contrahendo, vel alteruter in mortem mulieris machinaverit.* Deciſio hæc Theologorum & Canoniſtarum communis doctrina eſt, eam conſuetudo confirmat, & ejuſmodi eſt Romanæ Curiæ praxis, ut videre eſt apud Pyrrhum Corradum *Diſpenſat. Apoſtol. l. 8. c. 9. n. 1.* Sanchez *de Matrim. l. 7. diſp. 78.* Toletum *Inſtruct. Sacerd. l. 7. cap. 6.* & alios, qui non ſolum ea Decretali nituntur, ſed etiam Jure Gratiani 31. *q.* 1. *cap. Denique mortuo viro*, quod ductum eſt ex D. Auguſtino, & in eadem quæſtione ex Gloſſa capitis *nullus & illud*, ut proinde nihil obſtet, quominus Petrus in uxorem ducat mulierem, qua conſtante matrimonio abuſus eſt; dummodo ſimplex tantum adulterium extiterit, non autem contractum fuerit matrimonium vivente Conjuge, aut extiterit promiſſio contrahendi poſt ejus mortem, aut denique contra ejus vitam machinatio.

Deciſum in Sorbona die 17. Auguſti anno 1677.
Aug. *de Lamet*.

Impedimentum eſſentiale occultatum in diſpenſatione, quæ impetratur.

CASUS IV.

1 Diſpenſatio propter conſanguinitatem impetrata in forma pauperum propter ſuſpicionem copulæ poſſet ſuſtineri, etiamſi partes in ſupplicatione non expoſuerint, re ipſa pravum inter ſe commercium extitiſſe.
2 Quoniam impedimentum hoc occultum eſt, poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare.
3 Si partes ſecundo cognationis gradu conjunctæ ſint, mittendæ ſunt ad Pœnitentiariam, & diſpenſationis a Dataria impetratæ mentio facienda eſt.
4 Parochus, qui ipſis fuit a confeſſionibus, non potuit abſque pœnitentium conſenſu, & quin confeſſionis ſigillum frangeret, pravum, quod inter eos extitit, commercium Superioribus detegere.

QUÆSITUM.

Duo ruſtici vere pauperes, maxime ſimplices ac rudes volentes mutuo ſe matrimonio copulare, cum eſſent conſanguinei, petierunt, obtinueruntque a Romana Curia diſpenſationem *in forma pauperum propter ſuſpicionem copulæ*. Officialis neceſſaria inquiſitione loci Parocho demandata diſpenſationem pronunciavit. Hi boni homines confeſſi ſunt Parocho, qui ex confeſſione intelligens eos mutuo rem habuiſſe, noluit ipſis matrimonii ſacramentum adminiſtrare, ejuſque rei rationem Officiali ſignificavit; vir quidem ipſe negotium narravit Epiſcopo, Vicariis Generalibus, & cuicumque id ſcire placuit.

Quæritur I. an diſpenſatio nulla ſit ob criminoſam partium conſuetudinem ſilentio prætermiſſam? II. An Epiſcopus extremæ paupertatis cauſa poſſit in hoc impedimento tanquam occulto diſpenſare? III. Facta hypotheſi id Epiſcopo non licere, confugiendumne eſt ad Datariam, an vero ad Pœnitentiariam? Porro conſanguinitatis gradus non exprimitur; quod tamen eſſet neceſſarium; ſi enim conſanguinei ſunt in ſecundo gradu, poſſet Epiſcopus iis concedere diſpenſationem ratione extremæ paupertatis.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat I. juxta rationem & praxim veterem eos, de quibus in expoſitione dictum eſt, non teneri ad Romanam Curiam redire; poſſet enim aſſeri eos matrimonium inire potuiſſe vi diſpenſationis in Dataria impetratæ *propter ſuſpicionem copulæ*; nec propterea diſpenſationem infirmari, quod eorum pravum commercium expreſſum non fuerit. Hæc omiſſio quoad diſpenſationis mentem materialis tantum falſitas eſt, quoniam credi poteſt futurum fuiſſe, ut Pontifex eam facilius concederet, ſi de commercio certior factus eſſet, dummodo non extitiſſet *in fraudem*, videlicet eo animo, eaque ſpe, ut diſpenſationem facilius conſequerentur; cum enim Pontifex propter minorem cauſam diſpenſaverit, dubio procul diſpenſare non renuiſſet propter majorem *in eodem genere*, & quoad eaſdem perſonas; ex quo concludi poteſt diſpenſationem impetratam *propter ſuſpicionem copulæ* etiam in effectivæ copulæ caſu valere poſſe, & ad Promotoris requiſitionem licuiſſe Officiali diſpenſationem eo uſque extendere, & quod inde conſequitur, eam pronunciare, eoſque pauperes homines in matrimonium conjungi ſinere.

Quia tamen in hujuſmodi negotiis de diſpenſationum validitate judicandum eſt ex Romanæ Curiæ ſtilo & praxi potius, quam ex ratione, quam libet gravis appareret; ideo cenſetur II. maxime probabile eſſe, præſertim recentiorum Canoniſtarum ſententia, diſpenſationem hanc nullam eſſe. V. Sanchez *l. 8. diſp. 25. n. 8. de matrim.* Corradum *diſp. Apoſtol. l. 8. c. 2. n. 31.* Paulum de Leone *in praxi pœnit. p. 2. pag. 310. v. Nec obſtat.*

III. Hinc tamen non ſequitur oportere Ruſticanos hos ad Romanam Curiam rurſus confugere; quia cum hoc impedimentum occultum ſit, poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare; ejuſmodi enim eſſe non deſtitit, propterea quod illud ii nonnullis tum in Urbe tum ruri detegere non erubuerint. Cæterum in Diœceſibus bene multis Epiſcopi gaudent poſſeſſione in impedimentis quoque publicis diſpenſandi, cum Romana Curia adiri non poteſt. Spectat igitur ad Epiſcopum expendere, quo ipſe hac in re jure polleat, ac poſſeſſione.

IV. Ad majorem tamen ſecuritatem par eſt ad Romanam Pœnitentiariam partes remitti, in ſupplicatione prioris diſpenſationis mentione facta; atque adeo id neceſſarium eſt, ſi in ſecundo gradu ſint conſanguinei.

Deciſum hac die 25. Martii an. 1702.
G. *Fromageau*.

Impedimentum ex impotentia.

CASUS V.

1 Impotentia reſpectiva inter duos conjugatos eorum matrimonii ſolvendi jus affert.
2 Si hæc impotentia decurſu temporis ceſſet, & pars altera novum matrimonium contraxerit, pars, quæ impotens erat, cogenda non eſt ad prius matrimonium redire, ſed ei permittendum, ut pro libito matrimonium contrahat.
3 Mos hic obtinet in Gallia, jamque obtinebat ſæculo nono.

QUÆSITUM.

Maria octodecim annos nata offert ſupplicationem Officiali *de X....* menſe Januario an. 1682. ut nempe matrimonium, quod tribus ab hinc annis cum Joanne contraxit, nullum declaretur, *propter tantam ipſius Mariæ arctitudinem, ut non potuerit cognoſci a Joanne, quamvis copulæ vacaverint; præterea aſſerit ſe adeo eſſe arctam, ut a nullo viro cognoſci poſſit.* Aſſentitur illa Joanni, ut aliam ducat pro libito; ac ſi ille de impedimento non conſentiat, ſemetipſam Medicorum & Chirurgorum oculis offert. Petit interim, ut ſibi liceat in aliam honeſtam domum ſecedere, ut ſibi caveat a Joanne, cujus commercium multorum ſibi criminum cauſa eſt. Officialis Mariæ concedit, ut coram ſe Joannem in jus vocet, & interea temporis in honeſtam domum ſecedat. Vocatus Joannes, per libellum Mariæ Procuratori exhibitum declarat falſum eſſe ſe nunquam cum ea matrimonium conſummaſſe; & ab Officialis mandato tanquam abuſivo appellat.

Man-

Mandat Officialis, appellationem partibus præſidio fore; interim tamen abſque Joannis præjudicio, quoniam Maria defertur ad loca, & gravi paupertate laborat, præcipit, ut a Medico, Chirurgo, & Matrona viſitetur. Viſitatur, apparetque horum peritorum teſtimonio, quod Maria *adeo eſt arcta, ut non poſſit cognoſci ab ullo viro, & quod illa arctitudo non poſſit tolli per ullum remedium*. Cum ad Officialem, cujus conſilium Senatus probaverat, remiſſæ partes eſſent, ei Maria ſupplicem libellum obtulit, ut Joannes in jus vocaretur, & litigium omne dirimeretur. Vocatus Joannes non comparuit. Pronunciat Officialis ſententiam definitivam pro defectu die 26. Novembris an. 1683. qua I. declarat nullum matrimonium inter Mariam & Joannem contractum, propter impedimentum Mariæ, II. permittit Joanni, ut quod ei optimum factu videbitur, faciat. III. Mariæ prohibet, ne nubat impoſterum ſub excommunicationis pœna. Joannes audita ſententia ducit viduam, ex qua plures filios ſuſcipit, quorum aliqui adhuc vivunt, perinde ac Joannes, ejuſque ſecunda conjux. Maria perpetuo ſibi propoſito cœlibatu ex Diœceſi X. . . . . . migrat ad A . . . . . cum matre, & Cubiculariæ titulo ſe addicit Matronæ nobili. Anno 1700. ſe pravo commercio miſcet Paulo, qui poſt plures congreſſus eam cognoſcit carnaliter, & cum ea veram fornicationem conſummat. Occultum eſt commercium; nulla inde proles extitit, & ambo cupiunt matrimonio ſe jungere. Maria offert libellum ſupplicem Officiali A . . . . . totum, de quo ſupra; negotium exponens, excepto pravo commercio, petenſque, ut ſibi liceat nubere, quia matrimonio idonea eſt, exhibetque ſe, quo id comprobet, inſpiciendam.

Quæritur ex Conſilio I. an Maria ſuæ ſuppoſitæ impotentiæ coram Judice impugnandæ jus habeat?

II. Ad quem Officialem pertineat de hac re cognoſcere? Ad Officialemne A . . . , in cujus juriſdictione degit illa ex multis annis? An vero ad Officialem B.... qui eſt Superior Officialis X.....?

III. Facta hypotheſi Mariæ jus eſſe ſe ab imputata impotentia purgandi, debetne Officialis eam priori marito redintegrare? Poteſtne ei permittere, ut nubat, cui voluerit?

IV. Debetne Joannes in hoc negotio appellari?

Ejuſmodi ſunt rationes præcipuæ, quæ utrimque ſuper interrogationibus ſingulis afferri poſſunt.

Quoad quæſtionem primam.

Non videtur Mariæ jus eſſe querendi de ſibi imputata impotentia, I. quia ea ipſa petiit, ut ejus primum matrimonium nullum declararetur, ipſa teſtata eſt, aſſeruitque ſe a nemine cognoſci poſſe, paſſa eſt ſe inſpici, & periti retulerunt eam re ipſa cognoſci non poſſe; & ſane nonniſi regulis omnibus exacte ſervatis edita eſt ſententia, qua ejus matrimonium nullum declaratum eſt; prohibita eſt nubere, quoad viveret; acquievit ſententiæ, perinde ac maritus. Qui poteſt ea nunc audiri poſt octodecim ac prope viginti annorum ſilentium, poſtquam Joannes in ſententiæ conſecutionem matrimonium contraxit, & ex matrimonio filios ſuſcepit? II. Si ejus admittitur oppoſitio, gravia orientur incommoda; ſi enim priori viro redditur, quid futurum de ſecundis nuptiis, quas cum vidua celebravit? Quid de filiis ex hoc matrimonio ſuceptis? Quid? quod voletne ille ad Mariam redire? Nonne merito ſuſpicari poterit nonniſi ex pravo commercio Mariam matrimonio idoneam evaſiſſe? Si tribuatur huic fæminæ venia nubendi, cui voluerit: nonne in publico ſcandalo erit, novum matrimonium iniri ab ea, quæ a matrimonio ſoluta eſt, ob impotentiam, præſertim ſi illa ex hoc novo matrimonio filios genuerit? Conſtat, quantum ſcandalum reſpublica paſſa fuerit, cum Marchio *de Langey* declaratus impotens per Reſcriptum non abſtinuit a matrimonio, & ex poſteriori conjugio ſeptem filios ſuſcepit.

Extat Reſcriptum, quo decidi videtur admittendam non eſſe impugnationem impotentiæ ſecundum regulas judicatæ, ac declaratæ. Reſcriptum hoc refertur a *Chenu* in notabilibus & ſingularibus quæſtionibus Juris quæſt. 14. Peleus quoque illud refert in ſuis Actionibus forenſibus act. 1. Occurrit ibi diſputatio D. *Seguier* tunc temporis Advocati Generalis.

Ex alia parte videtur Maria ab impotentia ſibi imputata ſe tueri poſſe, I. quia ejus actiones, peritorum aſſertio, edita ſententia, & ſententiæ acceptatio errore tanquam fundamento nituntur. Ipſa & ſibi & aliis viſa eſt impotens in perpetuum, cum tamen ejuſmodi non ſit, ut in præſenria videre eſt. Nec dici poteſt fieri rurſus poſſe, ut ipſa hallucinetur, & periti, ſi idoneam judicaverint, decipiantur: quoniam jam & ipſa & periti decepti ſunt. Poteſt quidem fieri, fitque ſæpe ſæpius, ut fæmina, quæ ſe ipſam matrimonio inhabilem putat, aut quam periti cenſent inhabilem, ſit tamen matrimonii capax; poteſt illa incapacitatem hanc affectare, atque uti remediis ad incapacitatem hanc præſeferendam accommodatis: at fieri omnino non poteſt, ut quæ matrimonio apparet habilis, non tamen ſit. Itaque nunc de Mariæ ſtatu quoad hanc rem certo conſtare poteſt, quin pronuncietur videri ei fidem habendam eſſe, dum carnale commercium cum Paulo ſe conſummaſſe declarat. Nulla quippe occurrit ratio, quamobrem mentiri debeat; ſi Eccleſiam fallere voluiſſet, potuiſſet nubere, de imputata ſibi impotentia, deque ſententia ejus matrimonium nullum declarante, eique novas nuptias interdicente nulla mentione facta. II. *Sententia contra matrimonium lata non tranſit* (ullo temporis ſpatio) *in rem judicatam*, inquit Gloſſa in primum caput *de frigidis & maleficiatis, extra. in verbo reparare*. Hæc Canoniſtarum communis ſententia eſt in caput *Lator, extra. de ſententia & re judicata*. III. Canon *Requiſiſti 33. quæſt. 1. caput Accepiſti, & caput Fraternitatis, extra. de frigidis & maleficiatis* pro certo ponunt eos, qui ſunt in ea facti ſpecie, in qua Maria verſatur, ſemper poſſe ſuppoſitæ ſuæ impotentiæ refragari. IV. extat Reſcriptum Mariæ maxime favorabile in Collectione D. *Deſmaiſons Advocati in Senatu* littera O. numero 4. Quod ſpectat ad Reſcriptum a *Chenu* allatum, reſpondetur eſſe in diverſa facti ſpecie; probare ut ſummum Mariam non poſſe ad priorem virum reverti, at eamdem non poſſe alteri nubere non probare omnino. V. Fevretus in Tractatu de abuſu *l. 5. cap. 4. num. 13.* ſupponit tanquam certum Mariam ſuæ arrogatæ impotentiæ jus habere. Quod attinet ad incommoda, quæ adducuntur, reſpondetur negotia ex incommodis non decidi; Leges, quæ ſinunt eos, qui matrimonium ſolverunt ob impotentiam, novo ſe matrimonio obſtringere, vel ad prius matrimonium regredi, horum incommodorum rationem non habuere; præterquamquod ea, quæ contingerent, ſi Maria rejiceretur, ipſa quoque graviſſima forent.

Quoad interrogationem ſecundam.

Videtur Officilialis A . . . . de hac re cognoſcere poſſe; neque enim id agitur, ut judicetur, rectene an male judicaverit Officialis X. . . . eum, quod ſui muneris erat, feciſſe pro certo ponitur; ſententia tum ſolum eſt edita, cum Maria declaravit ſe matrimonio ineptam eſſe, & periti, facta inſpectione, ejus ſententiæ ſubſcripſerunt. Id unum agitur, ut ſignificetur Mariam habilem evaſiſſe, declareturque eam propterea poſſe matrimonium contrahere, quia impedimentum ceſſavit. Officialis A..... pollet eadem facultate, atque Officialis X.... Si Maria degeret in Diœceſi X... poſſet ei ſe ſiſtere, ei ſignificare ſe habilem evaſiſſe, eumque rogare, ut cum ſatis inſtructus eſſet, ſe habilem declararet, & nubendi veniam ſibi concederet. Quidni Officialis A.... eadem poteſtate gaudebit? Et ut verum eſſet *ſecundum ſummos juris apices* Officiali Metropolitano B. hoc negotium competere, poſtularet tamen æquitas, ut Officialis A . . . . . judicaret, quia Maria pauper eſt, expectatio foret periculoſa, eſque nimis longum, & ſalebroſum id intereſſet.

Vi-

Videtur contra ad Officialem Metropolitanum B.... Superiorem Officialis X .... pertinere de re cognoſcere, quia Officialis A ... non poteſt X .... ſententiam infirmare ; *par enim in parem non habet poteſtatem* ſeu directe, ſeu indirecte ; eam porro indirecte infirmaret, ſi permitteret Mariam nubere ; cum enim nequeat eam permiſſionem concedere, quin antea ſententiam viderit : eam proinde indirecte infirmaret, ſiquidem contra ſtatueret, atque in ea ſententia ſtatutum eſſet. Præterea ſi Joannes novo ſe matrimonio non obſtrinxiſſet, & vellet Officiali A..... ſe ſiſtere, ut Mariæ ſe rurſus conjungeret, vel eam alteri nubere aſſentiretur, fortaſſe Officialis A..... negotium cognoſcere poſſet ; verum quoniam difficulter iterum procedi poteſt, quin Joannes in inſtantia appelletur, & Joannis intereſt ſententiam Officialis X..... ſuſtineri : dubio procul ille contendet bene judicatum eſſe, Maria vero contra ſtabit ; atque ita ſolus Appellationis Judex litem hanc dirimere poteſt. Nec ab æquitate petitæ rationes fundamento eſſe poſſunt ejus juriſdictioni, qui naturaliter negotii Judex non eſt.

Quoad interrogationem tertiam.

Videtur Maria, ſiquidem jure poſſit ſe ab imputata impotentia tueri, ab Officiali cogenda ad Joannem redire, ſi matrimonio habilis inveniatur. I. Ut impotentia matrimonium nullum reddat, debet eſſe perpetua, ita ut tolli non poſſit niſi per miraculum, aut quin impotens de vita graviter periclitetur. Ita ſtatuitur in capit. *Fraternitatis, extra, de frigidis & maleficiatis* : porro Mariæ impotentia perpetua non eſt, quoniam ea nunc temporis eſt apta viro, & abſque ullo miraculo, vitæque periculo talis evaſit. Nec juvat dicere pravum commercium miraculo, ſeu vitæ periculo æquivalere, Canoniſtarum ſententia. Ita ſane nonnullis Canoniſtis videtur (a) ; ſed maxime inuſitatum videtur fœminam ex crimine id obtinere, quod ſuum debitum reddens obtinere non potuit. Ad hæc quomodo hoc pravum commercium probari poſſet ? Nec Mariæ, nec Paulo fides habenda ; ſtat præſumptio eos non alia de cauſa turpitudinem ſuam profiteri, quam ut matrimonium contrahant. II. Hæc eſt expreſſa deciſio Canonis *Requiſiſti*, & Capitum *Accepiſti*, & *Fraternitatis* quæ ſupra citata ſunt, præſertim vero capitis *Fraternitatis*, quod continet facti ſpeciem ei, in qua Maria verſatur, omnino geminam ; ſtatuitur in omnibus, ut *repetantur prima connubia*. III. extant Reſcripta, quæ huic ſententiæ patrocinantur ; unum affert Deſmaiſons, quod ſupra indicatum eſt, in ſua Collectione littera O. numer. 4. alterum occurrit Ephemeridum Audientiarum *t.* 2. *lib.* 4. *c.* 49. Omnes hæ rationes & ſanctiones hoc ſane gravi principio nituntur, matrimonium inſolubile eſſe, cum recte contractum eſt. Matrimonium porro Mariæ & Joannis recte eſt initum, facta hypotheſi impotentiam perpetuam non exiſtere ; quæ autem occurrit ab initio, perpetua non erat, ut conſtitit decurſu temporis ; ergo &c.

Videtur nihilominus Officialis poſſe Mariæ eam veniam dare, ut nubat, cui voluerit. I. Si Fevreto fides, Eccleſia Gallicana in more habet iis, quorum matrimonia propter impotentiam ſoluta ſunt, permittere, ut pro arbitratu matrimonium ineant, ſi novis inſpectionibus comperiatur impedimentum ceſſaſſe. Aſſerit ille ita ſentire *Chenu*, quem inducit afferentem Reſcriptum editum in ſimili facti ſpecie, & quidem ab eo diſtinctum, quod exiſtit in ejus quæſtionibus notabilibus ſupra indicatis pag. 443. & 444. Dominus *Gerbais* in Tractatu, quem de Eccleſiæ & Principum poteſtate, ad matrimonii impedimenta quod attinet, elucubravit, ait, quod Fevretus, hanc nempe Regni conſuetudinem eſſe. Animadvertendum eſt Dominum *Gerbais* non ignoraſſe, quid in capite *Fraternitatis* ſtatutum fuerit, quoniam illud citat pag. 439. In Fevreti tamen ipſe ſententiam deſcendit. Niti quoque poteſt praxis hæc Reſcripto *Chenu*, quod in ejus notabilibus quæſtionibus continetur, & alio Reſcripto, cujus mentionem facit Dominus *de Sainte Beuve tom.* 1. *Caſu* 171.

Poſſet altius repeti hæc conſuetudo, ſcilicet a nono ſæculo. Hincmarus enim Remenſis Archiepiſcopus decidit in Canone *Si per ſortiarias* 33. *q.* 1. eos, quorum matrimonia ob impotentiam ex maleficio provenientem ſoluta ſunt, ſi deinde matrimonio habiles evaſerint, cogendos non eſſe ad priora matrimonia redire. Non ſum neſcius Gloſſatorem & aliquos Canoniſtas exiſtimare ſanctionem hanc extendendam non eſſe ad caſum impotentiæ provenientis ex frigiditate aut ex alia cauſa a maleficio diſtincta, & afferre rationem diſcriminis, quod inter impotentiam, quæ ex maleficio, eamque, quæ aliunde provenit, intercedit. Verum aſſeri poteſt hunc canonem ex Gallicani Præſulis ſanctionibus ductum argumento eſſe jam tum Gallicanam Eccleſiam poſſeſſionis titulo remittere non conſueviſſe ad priora matrimonia eos, qui ex impotentia, quæcumque tandem illa fuiſſet, ſejuncti eſſent, licet poſtea matrimonio habiles evaſiſſent.

II. Canones, qui afferuntur, ut impotentes jam ſoluti redeant ad priora connubia, ſpectant ad facti ſpecies ab ea diverſas, in qua exiſtit Maria ; eorum, qui citantur in his canonibus, impotentia non ita certa & explorata erat, non ita diligenter erant res ad trutinam revocatæ, cum ſolutio ſtatuta eſt, ac ſunt in noſtra facti ſpecie. Non itaque mirandum eſt, ſi Pontifices hos ſuppoſitos impotentes ad prius matrimonium redire cogerint ; hoc profecto fundamento nixus Decreti Gloſſator ad verbum *Acceperis* Canonis *Requiſiſti* pronunciat, ſi ſententia edita fuerit, poſtquam impotentia probata eſt, ad prius matrimonium repetendum partes non obligari. Ad Reſcripta, quibus partes ad vetus matrimonium redigi videntur, reſpondetur ea edita eſſe in iis caſibus, in quibus matrimonia, regulis non ſervatis, ſoluta ſunt. Nullum proferri poteſt Reſcriptum, quo partes redire coactæ fuerint ad priora connubia, quæ quidem, probata impotentia, & ſervato Juris ordine, ſoluta fuere.

Objicietur fruſtra dici eum morem in Regno obtinere, ut partes ad priora connubia non redigantur. Mos hic non eſt pluris faciendus, quam hæc veritas, matrimonium inſolubile eſſe, cum recte contractum eſt, aut hæc alia, impotentiam ad matrimonium ſolvendum perpetuam eſſe oportere. Cum porro Mariæ impotentia ejuſmodi non fuerit, quoniam non amplius ſubſiſtit, ejus matrimonium cum Joanne recte contractum eſt ; adhuc ergo ſubſiſtit, adeoque neceſſe eſt eam ad Joannem redire, quæcumque Regni conſuetudo contra afferri poſſit. Reſpondetur, verum quidem eſſe, matrimonium ſemel recte contractum inſolubile eſſe, & impotentiam, ut ſit veri nominis impedimentum, perpetuam eſſe debere ; verum ſuſtinetur per impotentiam reſpectivam, ſi ſit perpetua, æque ac per abſolutam matrimonium diſſolvi. Cum Eccleſia Gallicana ſtatuit, ut qui in propoſita facti ſpecie a matrimonio ſoluti fuerint, ad prius matrimonium ne redeant, quamvis eorum impotentia deinde ceſſet ; pro certo ponit eam impotentiam reſpectivam eſſe, quia cum conjuges per triennium cohabitaverint, & matrimonii juribus uſi ſeſe cognoſcere non potuerint, poſt explorationem impotentes apparuerint, & ſententia edita fuerit, exiſtimat eoſdem conjuges reſpectiva impotentia laborare. Quamobrem Maria priori viro reddenda non eſt ; exiſtit enim in ea ſpecie, in qua Regni conſuetudo ſervanda eſt ; quod ita eſſe liquido conſtat, ſi quæ ſunt expoſita, perpendantur. Præſumptio impotentiæ reſpectivæ Mariæ ratione Joannis confirmatur declaratione, quam ipſa edit, nempe ſe a Paulo nonniſi poſt plures conatus carnaliter cognitam non fuiſſe, & nunc quoque temporis imparem fore Joanni, *quem ipſa aſſerit eſſe nimium potentem* ; adeoque Mariæ liberum relinquendum eſt, ut nubat, cui voluerit. Ob hanc ipſam rationem Marchio *de Langey* turbatus non fuit, cum Senatus prohibitionibus non obſtantibus, contraxit matrimonium, paulo poſtquam impotens declaratus fuerat ; cum nobili Adoleſcentula *de Montault*, ex qua ſeptem filios ſuſcepit ; nec ad puel-

(a) Vide Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 93. n. 9.

puellam *de Saint Simon* redire coactus eſt. Verum quidem eſt eum rurſus matrimonium iniviſſe cum adoleſcentula *de Montault* poſt ſeptem filios ex ea ſuſceptos, permittente Senatu ad Supplicationem poſt mortem Adoleſcentulæ *de Saint Simon*; ſed ita factum ob nonnulla civilia negotia, quæ cum Adoleſcentula *de Saint Simon* ei diſcutienda fuere. Reſcripta, quæ in eam rem extitere, pro certo habuerunt opus non fuiſſe, ut ille ad priorem uxorem rediret, etiamſi in vivis fuiſſet, eumque ſemper habitum fuiſſe impotentem quoad illam, etiamſi habilis eſſet quoad Adoleſcentulam *de Montault*?

Quoad Quæſtionem quartam.

Quæſtionis hujus deciſio videtur a præcedentis deciſione pendere. Si Maria priori viro reſtituenda eſt, ille quidem in hoc negotio eſt appellandus; ſi minus, non eſt, cur appelletur; id ejus nihil intereſt; immo vero refert ipſius eam alteri nubere, ne unquam de priori conjugio repetendo cogitet.

Responsio.

Noſtra ſententiarum varietas non minor quam veſtra eſt.

Alii enim contendunt appellandum eſſe ad Metropolitanum a Sententia Officialis X.... (a) Nihili faciunt, quæcumque vos in veſtro monumento indigitatis, incommoda, quæ ſane magni momenti ſunt, efficiuntque Appellationem in executione difficilem, ac deinde ſine ſucceſſu. Cum opponitur his Doctoribus Joannem priorem Maritum, qui jamdudum novum matrimonium inivit, & ex eo, quo quidem contentus eſt, plures filios adhuc viventes habet, non appariturum, ut eſt veroſimillimum, ad citationem coram Metropolitano: reſpondent Metropolitanum pro defectu judicaturum, ac ſi Mariam potentem invenerit declaraturum nullam ſententiam Officialis X..., ac proinde ei, ut nubat, permiſſurum.

Iis rurſus objicitur, juxta eorum principia, ſi Maria nunc eſt vere potens, prius matrimonium debere ſubſiſtere; quod ſi ſubſiſtit, quomodo, cum matrimonium ſit inſolubile, poterit Officialis Metropolitanus permittere, ſi Joannes non comparuerit, ut Maria nubendi libertate gaudeat? Si Joannes in jus vocatus compareat, nolet dubio procul explorationem pati, ut innoteſcat, an ipſe ſit potens ratione Mariæ, aut Maria ejus ratione, quia nolet ad Mariam regredi ob rationes in expoſitione prolatas. Quomodo ergo ſe geret Officialis Metropolitanus? Si nihil pronunciet, Maria, quæ fortaſſe ſalutis cauſa opus habet matrimonio, remanebit abſque ſubſidio, & exponetur incontinentiæ periculo. Si inventa potens ad Joannem redire cogitur, aliunde Joannes adligatus eſt, nunquamque ſe adduci ſinet, ut ducendæ Mariæ gratia uxorem ac filios deſerat. Quid tandem ex his omnibus conſequetur?

Si res ad juris apices exigatur, & Curialem ordinem ſervari lubeat, convenit adeundum eſſe Metropolitanum Officialis X.... ut impugnetur ſententia, quam edidit. Sed quanta, bone Deus! incommoda! Quantæ ſollicitudines! Quorum quidem nullus ſucceſſus ſperari poteſt.

Quamobrem alii Doctores, qui monumentum veſtrum optime concinnatum, & negotio, de quo agitur, aptiſſima continens viderunt, putant vos ſuper ſupplicatione vobis exhibita nihil pronunciare debere; ita ut ſi certo conſtet Mariam in præſentia matrimonio cum Paulo habilem eſſe, vos ei dicere poſſitis verbo tenus, ut nubat, cui velit, & quin aliquid veſtro nomine ſcriptum appareat. Permittet Ordinarius alterutrius partis Parocho, ut eas in matrimonium conjungat, publicationum diſpenſatione iiſdem conceſſa, ut quantocujus & minimo cum ſtrepitu matrimonium celebretur. Cœterum non apparet, cur timeatur, ne matrimonium hoc aliquando reprobetur.

Aſſertio hæc, quæ pariter mea eſt, nititur I. difficultatibus ineluctabilibus, quæ mihi quidem videntur ex priore ſententia conſequi. Addo & illud quandoque caſus occurrere, in quibus æquitas & prudentia poſtulant, ut ad incommoda graviſſima evitanda non ex ſummo Legum jure judicetur. II. hæc aſſertio non eſt cæteroquin omni omnino fundamento deſtituta; Maria enim per triennium, quæ eſt probatio in Jure aſſignata, cum Joanne verſata eſt, quin matrimonium conſummare poſſet. Equidem non ignoro Joannem contradicere; ſed cum ille ad ſubeundam inſpectionem comparere noluerit, minus eſt fide dignus, quam Maria: quæ hanc conſummationem negat, & quæ alioquin a Medicis, Chirurgis, & Matronis X.... impotens inventa eſt. III. Maria potuit eſſe vere impotens ratione Joannis, quo tempore Officialis X.... ſententiam protulit, quemadmodum revera fuit dictorum Medicorum, Chirurgorum, & Matronarum judicio. Non inde tamen ſequitur, eam, cum nunc temporis potens evaſerit, ad Joannem ſuum priorem maritum remittendam eſſe; potuit enim potens evadere ex pravi commercii cum Paulo aut cum aliis frequentatione. Jam vero juxta doctrinam Sanchez *lib. 7. diſp. 93.* impotentia, quæ rationibus illicitis adempta eſt, non eſt ex earum numero, quæ ceſſantes in cauſa ſunt, cur Judex, aut partes matrimonium tanquam bonum ac validum probent. IV. denique ego etiam atque etiam expendi, quid ſcripſerit Fevretus eo in loco, cujus in veſtro monumento mentionem facitis, quod attinet ad hujus Regni conſuetudinem ac doctrinam quoad ejuſmodi impotentias, propter quas matrimonia nulla declarantur, quamvis deinde ceſſent.

Id nempe, mi Domine; in præſentia tibi dicere potui ſuper controverſia, de qua tu ad me ſcribere voluiſti. Abbas *d'Argentre* quæſtionem hanc latius patentem, & ab expoſitione tua prorſus diverſam mihi propoſuit. Non reſpondi diſtinctim monumenti tui ſingulis interrogationibus; me quippe quæſtioni præcipuæ ſatisfacientem credidi cæteris quoque ita occurriſſe, ut nihil addendum eſſe videretur.

Deciſum in Sorbona die 28. Martii an. 1702.
G. Fromageau.

Hac die 15. Maii an. 1702. Abbas Govello Doctor, Vicarius Generalis, & Officialis Andegavenſis, & Capituli Theſaurarius mihi ſignificavit Andegavenſem Epiſcopum juxta ſententiam noſtram judicaviſſe.

G. Fromageau.

IMPOTENTIA.

Dictum eſt alibi impotentiam eſſe defectum, qui, quominus matrimonium per carnalem copulam conſummetur, impedimento eſt, ut definitur a D. Thoma, eamdemque eſſe poſſe duplici modo; aliquando quidem ex naturali cauſa, aliquando vero ex accidentali, puta maleficio proficiſci; impotentiam, ſi perpetua ſit, & matrimonium anteverterit, in cauſa eſſe, ut matrimonium nullum ſit, ut eſt in Canone *Ex literis*, cujuſcumque demum rationis ſit. Quoniam hæc omnia fuſe explicata ſunt alibi, nos eo Lectorem remittimus.

Vide IMPEDIMENTUM, CASUS V.

(a) Vide caſum 171. Tomi primi D. de Sainte Beuve

INDULGENTIÆ.

QUod Indulgentiarum nomine in Eccleſia venit, eſt gratia, quam eadem Eccleſia concedit iis, quos ex animo pœnitet, ipſis remittens pœnam eorumdem peccatis debitam, cui cumulate ſatisfacere non potuerunt. Eccleſia quippe Indulgentias iis tantum tribuit, quibus, remotis carnis illecebris, omne ſuum ſtudium atque operam eo conferentibus, ut præterita peccata expient, non ſatis temporis, aut corporalium virium ſuppetit ad cumulatam, quam quidem Divina Juſtitia requirit, quæque delictorum gravitati reſpondeat, ſatisfactionem Deo exhibendam; alioquin ejuſmodi beneficia funditus everterent pœnitentiam, quæ univerſæ Chriſtianæ diſciplinæ columen ac fundamentum eſt, & ad quam ſacræ litteræ Fideles adeo vehementer hortantur; & ſpe veniæ facile per Indulgentias impetrandæ majorem peccandi libertatem præbente, latiſſimum campum criminibus aperirent.

Nititur doctrina hæc antiquorum temporum monumentis, quoniam in eo luculenter expreſſa cernitur, quod (*a*) Sanctus Cyprianus Martyribus in Epiſtola ad eos data præſcribit, ne ſcilicet gratiam & indulgentiam pro iis ullam poſtulent, qui magna ex parte ſuam pœnitentiam jam peregiſſent. Et alio in loco pronunciat ejuſmodi Indulgentias iis tantum prodeſſe poſſe, qui de patratis ſceleribus ingenue dolent, qui omni bonorum operum genere eadem expiare, ejuſque, cujus iram offenſis irritarunt, miſericordiam orationibus obtinere contendunt: *Pœnitenti, operanti, roganti poteſt Deus clementer ignoſcere, poteſt acceptum ferre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Ex quibus verbis inferri poteſt, ut quis Indulgentiarum particeps fiat, oportere, ut jam per actus Pœnitentiæ ſua peccata expianda curaverit, aut ſaltem ita ſit animo comparatus, ut vitæ aſperitate, & virtutum commiſſis criminibus oppoſitarum praxi ingenue velit Deo pro viribus ſatisfacere.

Sed quoniam caſus inſequens ad eas tantum Indulgentias pertinet, quæ pro Defunctis in Purgatorio loco exiſtentibus conceduntur; ſciendum eſt Eccleſiam hac poteſtate gaudere, ſed longe aliter atque aſſolet quoad Fideles in hac mortali vita exiſtentes. Indulgentiam concedit Eccleſia viventibus in abſolutionis modum, in defunctorum autem favorem per modum ſuffragii; videlicet vivis Indulgentiam tribuit vi juriſdictionis, qua in eos pollet, & pœnæ peccatis debitæ partem iiſdem remittens; quicquid autem facit Eccleſia quoad vita functos, dum in eorum favorem aliquam Indulgentiam concedit, in eo ſitum eſt, ut preces efficaciſſimas in eorumdem levamen Deo offerri velit. Igitur Eccleſiæ, dum ejuſmodi Indulgentias concedit, ea demum mens eſt, ut præcipua quadam ratione ſuas preces Chriſti Domini & Sanctorum meritis precibuſque conjunctas offerat in Defunctorum ſolatium. Nonnulli Theologi, quorum ſententia quoad caput hoc haud ſatis firmo nititur fundamento, putant aſſeri & illud poſſe, per Indulgentias in Defunctorum favorem conceſſas Eccleſiam in animo habere Indulgentias viventibus impertiri ea conditione, ut ipſi peculiares pro Defunctis preces effundant, eamdemque ſperare fore, ut Indulgentia, quippe quæ purgandæ Fidelium vivorum conſcientiæ inſervit, efficaciores & ferventiores efficiat preces, quas illi pro Defunctis obtulerint. Vide Conſtitutionem D. Tellerii Archiepiſcopi Remenſis edita die 31. Octobris an. 1694. in qua dogma Indulgentiarum in Defunctorum favorem cumulatiſſime declaratur.

Indulgentiæ pro animabus in Purgatorio loco exiſtentibus.

CASUS.

1 *Poteſt Eccleſia in animarum favorem, quæ in Purgatorio loco ſunt, Indulgentias concedere, quia meritorum Chriſti Domini, & exuberantium ſatisfactionum Sanctorum diſpoſitione gaudet.*

2 *Indulgentias has non concedit defunctis per modum abſolutionis, quia non amplius ejus juriſdictioni ſubjecti ſunt, ſed per modum ſuffragii.*

3 *Dubitari non poteſt, quin animæ in Purgatorio exiſtentes ex ſacrificiis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus, quæ Fideles in hac mortali vita verſantes Deo pro iiſdem offerunt, levamen percipiant.*

QUÆSITUM.

QUidam Parochus de Indulgentiis, quas in Purgantium animarum favorem Eccleſia concedit, ad Populum verba faciens edixit eas Indulgentias in Defunctos ipſos, qui non amplius in eo ſtatu verſantur, ut id faciant, quod ad eas obtinendas Bulla præſcribit, directe non cadere, ſed iis earum virtutem a Fidelibus viventibus applicari vi pietatis, qua prædìti ſunt, & curæ, quam ſuſcipiunt, id faciendi, quod ſummus Pontifex faciendum mandat.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, an aliquem errorem hæc doctrina contineat, atque an cogi poſſit is Parochus palinodiam canere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ſi Parochus, pro quo conſulitur, ſimpliciter & abſolute pronunciavit Indulgentiam in Defunctos omnino non cadere, ita ut ſignificare voluerit eos nullum inde fructum percipere, propoſitam ab eo doctrinam errorem eſſe. Certum eſt enim I. theſaurum ex Sanctorum exuberantibus ſatisfactionibus, & præſertim ex Jeſu Chriſti meritis, quorum infinitum eſt pretium, compoſitum in Eccleſia exiſtere. II. ſatisfactiones has Indulgentiarum, quas poteſt Eccleſia Fidelibus impertiri, fundamentum ac fundum eſſe, ut docet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 25. *de Indulg.* III. has Indulgentias Purgatorii animabus applicari poſſe *per modum ſuffragii, & ſolutionis*, ut Theologi dicunt. Nimirum quemadmodum Fideles in vivis exiſtentes poſſunt ſua bona opera defunctis Fidelibus applicare, non ſolum quo a Deo bonitate conſequantur, ut eos e Purgatorii loci pœnis citius educere velit; ſed id quoque ſolvendi animo, quod illi divinæ Juſtitiæ debent, ſuorum bonorum operum, quatenus quidem ſatisfactoria ſunt, meritum ipſis cedentes: ita Eccleſia in generali Concilio, vel Eccleſiæ nomine ſupremus Pontifex Chriſti Domini & Sanctorum merita & ſatisfactiones defunctis applicare poteſt, non quidem directe & *per modum abſolutionis*, quia cum Eccleſia eos tantum, qui mortalem hanc vitam vivunt, ligandi & ſolvendi poteſtatem acceperit, qui diem ſuum obiere, non amplius ejus juriſdictioni ſubjecti ſunt; bene vero iis opitulatur Eccleſia charitate viventium, qui bona opera, quæ Pontifex commendat, exequentes eorum meritum defunctis communicare volunt vi pietatis & charitatis, quæ inter ejuſdem corporis membra mutuo vigere debet. Neque vero

in

(*a*) S. Cyprian. Epiſt. 9. 10. & 13.

in dubium revocandum eſt, inquit D. Auguſtinus, quin mortui ſolamen inde percipiant, eorumque pœnæ imminuantur, & brevioribus terminis definiantur.

Itaque quoniam non ſimpliciter dixit Parochus, Indulgentiam in mortuos omnino non cadere, ſed explicuit mentem ſuam addens, mortuos non amplius in eo ſtatu verſari, ut eam ipſi per ſe lucrari poſſint; ſed eam ipſis Eccleſiæ auctoritate, & viventium charitate applicari; proinde nihil eſt cauſæ, cur palinodiam canere jubeatur, quia certo conſtat animas, quæ in Purgatorio carcere detinentur, Fidelium ſubſidio & interpoſitione indigere, ſecus Indulgentiæ fructum minime recepturas, ut declaratum eſt.

Deciſum hac die 16. Novembris an. 1697.

G. *Fromageau.*

INDULTUM.

INdultum, de quo quæritur in ſequenti caſu, eſt gratia ſingularis, mere in expectatione poſita, perpetua, a ſummo Pontifice Eugenio IV. conceſſa Galliarum Regibus, renovata, confirmata, & amplificata a ſummis quoque Pontificibus Paulo III. & Clemente IX. inſtantibus & commendantibus Regibus Carolo VII. Franciſco I. & Ludovico XIV. in favorem Cancellariorum Galliæ, Præſidum, Conſiliariorum, aliorumque Officialium Senatus Pariſienſis; cujus vi ſemel in vita, ſeu potius officiorum ſuorum durante exercitio jus habent ſe præſentandi Regi, ſi ipſi Beneficiorum capaces fuerint, aut loco ſuo præſentandi Clericos, ut deinde nominentur a Rege Collatori Galliæ, & id quidem ſemel in Regis vita, aut Collatoris Prælatura durante, ita ut nominato conferatur vi conceſſionis Sedis Apoſtolicæ, & nominationis Regis, quæ fit per litteras Regio ſigillo obſignatas, primum Beneficium ſæculare aut regulare, qualitatis, valoris, & proventus requiſiti, vacans per mortem, aut aliter, & poſitum in poteſtate Collatoris, ad quem Regis nominatio per Indultum directa fuerit.

Indultum per ſimoniam terminatum.

CASUS.

Non licet pecuniam vel munera Cancellarii amico in eum finem tradere, ut ipſe eumdem ſollicitet ad Indultum in Abbatia collationibus affluente potius quam in alia determinandum.

QUÆSITUM.

QUidam Indultum habet, quod nondum directum eſt. Quærit, an viro auctoritate pollenti munus offerre poſſit, ut obtineat a Cancellario Patentes Litteras, quibus Indultum ipſum ſtatuatur in Abbatia, ad quam Collationes multas ſpectare probe novit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet quæſtionem modo propoſitam eo redigi poſſe, ut expendatur, an qui Generali & remoto jure gaudet in plura Beneficia, quale eſt jus Indultarii, poſſit pecuniam dare, vel munus offerre, ut Indultum, quod poſſidet, ſtatuatur in Abbatia, in qua certus eſt numerus Beneficiorum, quæ ipſi congruunt?

Reſpondetur, non immerito credi poſſe Indultarium, de quo ſermo eſt, Simoniæ reum fore, quia ejuſmodi pecunia, vel munus eo demum tenderent, ut per rem temporalem ſpiritalis, nempe Beneficium, excluſis omnibus aliis, obtineretur; Indultarium quippe haud plus juris habet in Abbatiam, de qua quæritur, quam in quamvis aliam; adeoque obſtrudi nequit id, quod tribueretur, ad redimendam vexationem referri. Præterea hæc determinatio, qua in peculiari nominatim Abbatia Indultum ſtatuitur, eſt quaſi præſentatio, ſeu nominatio, quæ tanquam aliquid ſpiritale ſpectari poteſt, dicet a Laico Magiſtratu inſtituatur, quia ejus finis eſt aliquid ſpiritale, videlicet Beneficium; quamobrem munus, quod Indultarius offerret, eo tantummodo referretur, ut ipſe Beneficium obtineret, aut potius ſibi viam ſterneret ad unum aliquod, quod ſibi maxime congruere judicaret, eligendum ex pluribus, quæ a certa quadam Abbatia pendent; atque ita munus hoc in eum finem offerretur, ut in donantis favorem determinaretur ejus voluntas, ad quem ſpectat jus nominandi, quo Beneficium quamprimum obtineretur. Jam vero talis intentio a Simonia difficile eximi poteſt.

Dicetur fortaſſe I. cum Indultum jus tribuat ad omnia Beneficia, ad quæ juxta Pontificis mentem extendi poteſt, per Patentes Litteras nihil aliud effici, quam jus Indultarii ad unum potius quam ad aliud locum determinari; ut proinde ea determinatio non ſit titulus, quo ei jus competat, ſed formula neceſſaria; ut ipſe ſuo jure fruatur. Ejus jus ad titulus nituntur gratia in exſpectatione poſita, quæ eſt a Pontifice.

Dicetur II. Indultarii munus eo tantum tendere, ut ſibi apud Cancellarium aditus pateat, locuſque proinde congruus determinetur. Porro nihil eſſe videtur, quod favoris emptionem prohibeat, cum ſit res, quæ videtur pretio æſtimabilis.

Reſpondetur I. Indultario petendi Beneficii jus non competere, niſi poſtquam in peculiari Abbatia facta eſt Indulti determinatio per Patentes Litteras. Jam ſi jus hoc nonniſi per pecuniam obtinuit, certum eſt petendi & obtinendi Beneficii jus ei non advenisse niſi per rem temporalem, in quo Simonia poſita eſt.

Patentes porro Litteræ nihil ſane ſunt aliud, quam conditio, ac formula, non autem titulus, & jus, cujus vi Indultarius Beneficium & petat & impetret; verum ſatis eſt eam conditione influere pro modo ſuo, ut munus reddat ſimoniacum. Et ſane adeſſet ſimonia, ſi Graduatus nominatus pecuniam ſeniori daret, ut ſibi per eum liceret petere Beneficium vacans menſe rigoris; item ſi daret Collatori pecuniam, ut ſibi ab eo permitteretur petere Beneficium in Graduatorum favoris menſibus; in utroque caſu permiſſio huic Graduato conceſſa eſſet tantum conditio, non vero titulus, cujus vi Beneficium obtineretur, & tamen non minus eſſet ſimoniaca.

II. Nemo unus Auctorum putat favorem vel in civilibus temporalibuſque negotiis argenti pretio emi poſſe. Non poteſt exempli cauſa ſervi animus hac ratione occupari, ut ejus Domini favor obtineatur. Favor, inquit Navarrus l. 5. conſ. conſ. 54. non eſt ex earum rerum numero, quæ legitime pretio æſtimari poſſunt; additque probe id ipſos Ethnicos intellexiſſe, & affert in hanc rem exemplum Imperatoris Severi, qui quemdam ex ſuis Miniſtris graviſſime puniit, quod gratiam, qua apud ſe pollebat, vendidiſſet.

Nonnulli Theologi, ut Sanctus Antoninus, (*a*) Navarrus, Sylveſter, Comitolus contendunt Simoniæ reum non eſſe, qui ſervo pecuniam dat, ut ſibi liceat ejus Dominum alloqui, quamvis animo Beneficii ab eodem petendi; at omnes conſentiunt fore Simoniam, ſi ſervus ipſe Dominum alloqueretur, ut Beneficium ei, a quo pecuniam acciperet, obtineret, pecunia tamen in eum tantum finem tradi videretur, ut ſervi apud Dominum gra-

(*a*) S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 5. §. 7.

tia emeretur. Igitur concludi poteſt favoris emptionem, cum de Beneficio agitur, ſimoniacam eſſe. Vide Sanchez *l. 2. c. 3. dub. 28. opuſc.*

Verum eſto in Indulti, de quo agitur, caſu nihil eſſet ſimoniacum, ab honeſtate tamen abeſſet, & ſcandalo eſſet aliquem ob pecuniam præferri in re ſpiritali, in qua Eccleſiæ bonum, & perſonarum dignitas tantummodo ſpectanda ſunt.

Sequitur ex hactenus dictis ſimoniacum eſſe munus offerre viro gratia pollenti, ut a Cancellario obtineantur Patentes Litteræ, per quas in Abbatia, quæ multas Collationes habet, potius quam in alia Indultum determinetur; ut proinde hæc Simonia, cum conſummata eſt, ſecum afferat pœnas a Jure inflictas tam in Simoniacos, quam in eos, qui ſua mediatione, atque interpoſitione efficaciter inſervierint obtinendo Beneficio per pecuniam, aut per aliquid temporale.

Deciſum hac die 18. Aprilis an. 1694.

Germanus *Fromageau*.

INFAMIA.

Infamia eſt nota, quæ perſonæ honori ac nomini inuritur, & nunquam deletur aut criminis, unde orta eſt, abolitione, aut decurſu temporis. (*a*) Diſpenſamus in pœna, inquit quidam Imperator, ſed infamiam non tollimus; & criminis abſolutio ipſa quoque eſt nota, quæ ſemper remanet.

Infamia facti, & Juris.

CASUS.

1 *Infamia juris eſt ſane major, & quæ difficilius tolli poſſit, quam quæ dicitur infamia facti.*

2 *Prima deſtrui nequit niſi favore Principis, aut ſolemni ſententia, qua perſonæ, quæ infamis declarata eſt, fama redintegretur. Tollitur altera vitæ mutatione, & lapſu temporis.*

QUÆSITUM.

Puella a quodam corrupta obtinuit in eum ſententiam, qua ob damna & incommoda ſibi eo certa ſumma ſolvenda eſt; contendit illa ſuum nomen hac ratione reparatum, & in tuto poſitum eſſe.

Quæritur ex Conſilio, idne ita ſe habeat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat puellæ infamiam majorem & certiorem evaſiſſe poſt ſententiam, quam antea fuerit. Cum enim ipſa ſuum crimen coram Judice faſſa fuerit, infamia, quæ ex ejuſmodi confeſſione coram Judice facta oritur, tam firma nititur conteſtatione, ut dicatur infamia juris, & hæc quidem una proprie agnoſcitur in Gallia. Et ſane infamia facti multorum opinione nixa ſæpe nihil eſt aliud, quam rumor incertus ab infamatæ perſonæ inimicis ſparſus, qui fere ſemper probationibus caret; cum contra juris infamia nitatur probationibus certis, juridicis inquiſitionibus, & rei confeſſione. Quamobrem effectus, qui eam conſequuntur, longe graviores ſunt. Qui nonniſi facti infamia laborat, poteſt vitæ mutatione, & morum converſione ſuam famam redintegrare: *Fornicatorem ad meliora converſum nequaquam prior vita commaculat*, inquit S. Chryſoſtomus *hom. 3. in c. 6. Matth.* vel ut eſt in Canone *Etſi duo 35. q. 6. infames effecti, donec ab incepto crimine deſinant*. Itaque de Infamia facti id dici poteſt, quod de irregularitate, quæ ex ea provenit, dicunt Canoniſtæ: *Impedimentum, quod abſque diſpenſatione tolli poteſt, ſeu ipſo facto ceſſare non poteſt, eſt proprie irregularitas*; ut proinde ea cum juris infamia collata veri nominis infamia non ſit. Nempe juris infamia difficillime tantum tollitur, quoniam opus eſt favore Principis, ut ejus impediantur effectus, aut ſolemne judicium, quo infamata perſona priori famæ reſtituatur ſecundum eam Juris regulam: *per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Itaque quamdiu ſententia, quam puella obtinuit, ſubſiſtet, tamdiu ipſa infamis erit, quia ſemper vigebunt publicæ probationes, ex quibus publice de ejus turpi crimine conſtabit; cum contra decurſu temporis ejuſdem culpæ notio ac reminiſcentia tolli potuiſſet.

Deciſum in Sorbona die 4. Auguſti an. 1693.

G. *Fromageau*.

INVOCATIO SANCTORUM.

Decalogi præceptum primum, quo unum Deum tanquam ſupremum Dominum adorare jubemur, minime prohibet, ne Sanctis cultum, qui quidem ipſis debetur, exhibeamus, eos precemur, & invocemus; immo vero ſe crimine obſtringeret, quiſquis honorem, quo ex omnium ſæculorum Traditione ab Eccleſia afficiuntur, iis denegaret. Honorat Eccleſia Beatam Virginem ut Dei Matrem, & Angelos, ac Sanctos ut Dei ſervos & amicos; eo tamen ſupremo cultu, qui non niſi Deo debetur, nec Sanctam Virginem, nec Angelos, nec Sanctos proſequitur. Adoratur Deus, quia Creator & ſupremus Dominus noſter eſt; Jeſus Chriſtus adoratur, quia Deus eſt; ſacroſancta ejus Humanitas adoratur, quia ejus Divinitati ſecundum hypoſtaſim conjuncta eſt, & quia Deus & homo in Chriſto Domino una tantum perſona ſunt; verum nec ſancta Virgo, nec Angeli, nec Sancti adorantur; id quippe idololatria foret. (*b*) Ejuſmodi cultum nec docet, nec probat, nec patitur Eccleſia, ut ex Tridentina Synodo licet intelligi; id unum poſtulat, ut eos invocemus, eorumque apud Deum interceſſionem petamus, in earum virtutum praxi verſantes, quæ Sanctos eos reddiderunt; ſiquidem is veri cultus character, ut docet D. Auguſtinus, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. (*c*) Occurrunt in omni antiquitate religioſi honoris Sanctis exhibiti argumenta prorſus invicta apud Euſebium, S. Baſilium, S. Gregorium Nyſſenum, S. Epiphanium, S. Joannem Chryſoſtomum, S. Cyrillum Alexandrinum, S. Ambroſium, S. Auguſtinum, alioſque complures, quorum teſtimonia ac verba proferre non eſt hic locus.

Hæc Sanctorum invocatio ſacris Litteris nititur, ne dum iis opponatur. D. Paulus (*d*) Fidelium orationibus ſeſe commendat; Deus ipſe Job præcipit, ut pro amicis oret; S. Jacobus pronuntiat preces, quas Juſti alii pro aliis viciſſim effundunt, apud Deum maximi momenti eſſe. Quod ſi orationes, quas

(*a*) L. ult. cod. de generali abolit. L. 7. cod. de ſent. paſſis.

(*b*) Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 3. & ſeſſ. 25. de invoc. Sanct.

(*c*) Euſeb. l. 13. de Præp. Evang. c. 7. & lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 15. S. Auguſt. l. 10. contra Fauſtum cap. 21.

(*d*) 1. Theſſ. & Hebr. c. 12. Job. c. 42. v. 8. 9. 10. Jac. c. 5. v. 16.

quas Sancti Viri pro ſuis fratribus in terris edunt, ſacræ Scripturæ conformes ſunt, nec Chriſti Domini mediationi adverſantur: quas iidem Sancti pro nobis in cœlis offerunt, profectò cum Sacris Litteris, & ejuſdem Chriſti mediatione pugnare non poſſunt. (*a*) Ex eadem ſacra ſcriptura conſtat preces noſtras ante Dei thronum ab Angelis & Sanctis offerri; gaudere Angelos de peccatore pœnitentiam agente, eamdemque prorſus Sanctorum rationem eſſe; omnes & Sanctos & Angelos lætari de idololatriæ excidio, cujus Babylon in Apocalypſi figura eſt; Sanctos ad Nationes regendas, & ſub mundi finem judicandas Chriſto conſociatos eſſe; denique Oniam Pontificem, & Jeremiam fato functos pro Populo orare.

Recens converſus Sanctos invocare renuens.

CASUS.

1 *Tridentini Concilii doctrina de Sanctorum invocatione, quæ tria complectitur.*
2 *Neophyto Sanctos nec orare nec invocare volenti abſolutio neganda eſt.*
3 *Sed antea Eccleſiæ doctrina ei eſt explicanda, magnaque prudentia opus eſt,*

QUÆSITUM.

RECens Converſus Confeſſario ſignificat, ſe adduci nolle, ut Sanctos invocet; ſe quidem, dum in Eccleſia adeſt, iique invocantur, haud recedere, ei tamen invocationi non aſſentiri, nec unquam fore, ut ipſos privatim, vel in ſuis peculiaribus precibus invocare velit. Quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, poſſitne Confeſſarius eumdem abſolvere?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, antequam quæſtioni propoſitæ ſatisfaciat, animadverſione dignum cenſet Tridentinam Synodum Seſſ. 25. de Sanctorum invocatione tria pronunciare.

Primum ejuſmodi eſt: *Bonum, atque ſimpliciter utile eſt invocare Sanctos*; quod expendens Bellarminus: *Sancti*, inquit, *ſive Angeli, ſive homines pie atque utiliter a viventibus invocantur.*

Alterum his verbis effertur: *Juxta uſum a primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum conſenſionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, imprimis de Sanctorum interceſſione & invocatione.*

Tertium tale eſt: *Illos vero, qui negant Sanctos æterna felicitate in Cœlo fruentes invocandos eſſe, aut qui aſſerunt, &c. impie ſentire.*

His poſitis, reſpondetur ſatis in comperto eſſe hunc hominem recens converſum, qui Sanctos invocare non vult, nec dum in Eccleſia invocantur, aſſenſum præbet, adhuc eorum errori addictum eſſe, quorum hæreſim & ipſe abjuravit, & Synodus Tridentina proſcripſit. Quod ſi monitus, quæ hoc in capite ſit Eccleſiæ mens, & Fidelium praxis, quibus itidem rationibus ea conſuetudo nitatur, adduci nolit, ut credat Sanctorum invocationem bonum aliquid & utile Fidelibus eſſe: ei neganda eſt abſolutio, quippe qui in ſententia verſatur, quæ Eccleſiæ doctrinæ repugnat.

Cum hoc tamen homine prudentia, & conſilio opus eſt; poſſet enim abſolvi, ſi haud recedens, ſed Eccleſiæ, dum Sancti invocantur, intentioni ſeſe conjungens, eorum invocationem abſolute neceſſariam eſſe tantummodò inficiaretur; ſi nempe Sanctorum invocationem bonum quidem aliquid eſſe fateretur, ejus tamen obligationem ac neceſſitatem non adeſſe contenderet.

Deciſum in Sorbona Kal. Maii an. 1696.
G. *Fromageau.*

IRREGULARITAS.

IRregularitas canonicum impedimentum eſt, quo quis ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, aut cum ſuſcepti ſunt, exercendis ineptus evadit. Ex quo fit irregularitatem eſſe in duplici genere, unam, quæ ex aliquo defectu provenit, & dicitur *ex defectu*; aliam, quæ ex aliquo crimine ſeu delicto eſt, & dicitur *ex delicto*. Defectus porro ac delicta, quibus irregularis quiſpiam efficitur, ea ſunt, quæ in ipſo impotentiam, inhabilitatem, indecentiam, ſeu ſacrorum Ordinum functionibus, rationi, ac dignitati oppoſitionem inducunt.

Octo recenſentur defectus, qui irregularem efficiunt; I. defectus mentis; II. defectus corporis; III. defectus natalium; IV. defectus bonæ famæ; V. defectus ætatis; VI. defectus obligationis; VII. defectus ſacramenti; VIII. defectus lenitatis; de quibus ut ſingillatim dicamus;

Mentis defectus is eſt, qui occurrit in inſanis, in iis, qui a maligno ſpiritu poſſidentur, aut obſidentur, in lunaticis, in comitiali morbo laborantibus, in imbecillis, in iis denique, qui in ſumma prorſus inſcitia verſantur. Horum defectuum aliquo laborantes, ut inſani, lunatici, energumeni, comitiali morbo preſſi ne ad ſacros Ordines promoveantur, Canones vetant; quod ſi ad Ordines jam promoti in ejuſmodi incommoda inciderint, iidem Canones jubent Epiſcopos per annum, an convaluerint, experiri, antequam eos ad ſuſceptorum Ordinum exercitium redire patiantur.

Corporis defectu venit corporalis deformitas, quæ horrorem aut contemptum parit, vel impedimento eſt, quominus abſque ſcandalo, vel abſque gravi indecentia Ordinum functiones obiri poſſint. Ejuſmodi ſunt, qui turpiter claudicant, qui ſiniſtrum oculum amiſerunt, quibus amputati ſunt naſus, vel alterutrius manus pollex, aut index, nempe digitus pollici proximus, & ejuſmodi alii, qui notantur in Jure (*b*). Ii tamen, quibus poſt Ordines jam ſuſceptos hi defectus adveniunt, eas functiones obire poſſunt, ad quas per eos defectus inhabiles non redduntur, cujuſmodi ſunt confeſſiones audire, conciones edere, baptizare, & ejuſmodi.

Defectus natalium eſt I. in iis omnibus, qui extra legitimum matrimonium nati ſunt; II. in iis, qui ſervi a nativitate ſunt, dummodo plena libertate donati non fuerint.

Famæ defectus in iis exiſtit, qui ob pravam vitæ rationem boni nominis jacturam fecerunt, & generatim infamia laborant; in horum numero ii quoque ſunt, qui ſolemni ac publicæ pœnitentiæ addicti fuere.

Defectus ætatis in iis occurrit, qui ætatem a ſacris Canonibus præſcriptam non attigerunt, exempli

(*a*) Job. c. 12. v. 12. Apoc. c. 5. v. 8. & c. 8. v. 4. Luc. 15. v. 7. & 10. Matth. c. 22. v. 30. Luc. c. 20. v. 36.

(*b*) Titul. de corpor. vitiis, & Decretal. diſt. 55.

pli cauſa annos viginti duos inceptos ob ſubdiaconatum, viginti tres ob Diaconatum, viginti quinque inchoatos ob Presbyteratum. Huc etiam referri poteſt ſpiritualis ætatis defectus, qui in Neophytis reperitur, quorum quidem nomine tum ii veniunt, qui recens ad fidem converſi ſunt, tum qui de repente a ſæculari ſtatu ad primarias Eccleſiæ dignitates gradum facere volunt.

Obligationis defectus in eo eſt poſitus, ut qui publica aut privata bona procurarunt, ſacris Ordinibus initiari nequeant, niſi procurationis rationem reddiderint, eaque omnino ſoluti ſint, ne ſcilicet a propriis officiis impoſterum avertantur.

Sacramenti defectu, qui ſcilicet aliqua ratione Sacramenti myſterio ac ſignificationi officit, is intelligitur, qui exiſtit in bigamis, iis nempe, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt; qui quidem ad ſacros Ordines, & Eccleſiaſtica munia cenſentur inhabiles, quia cum huic matrimonio ſignificationis, hoc eſt unionis Chriſti cum Eccleſia, Virginis nempe cum Virgine deſit integritas, in eo proinde adeſt defectus Ordinum ſuſceptionem impediens. Triplex autem diſtinguitur bigamia; realis, cum duæ deinceps uxores ductæ ſunt; interpretativa, cum ducta eſt vidua, vel fœmina, quam virginem non eſſe innotuit; & ſpiritualis, cum poſt ſolemne virginitatis votum matrimonium initur.

Lenitatis defectu laborant ii, qui ob officia ſeu munia, quibus perfuncti ſunt, vel directe vel indirecte alicujus morti, ſalva licet juſtitia, ſunt efficaciter cooperati. Eos autem ab Ordinibus arcet Eccleſia, quia cum Chriſtus ſe mitem dixerit, quicquid ad ſanguinis effuſionem, ac mutilationem refertur, eidem opponitur; adeoque quod ejuſmodi lenitati contrarium videtur, ſacris Ordinibus adverſatur.

Quadruplex porro crimen eſt, quod irregularitatem parit, quæ dicitur *ex delicto*. Primum eſt homicidium, & mutilatio voluntaria, atque adeo fortuita, dum eo contigit, quo diligentia ad periculum vitandum neceſſaria defuerit, quamvis cæteroquin rei illicitæ non detur opera. Neque ii ſolum in irregularitatem incidunt, qui re ipſa occidunt, aut mutilant; ſed ii quoque, qui mandant, ſi quidem mors aut mutilatio ſecutæ ſint, & generatim quicumque conſilio, ſubſidio, & quacumque demum ratione in id efficaciter conſpiraverint.

Secundum eſt hæreſis, qua proinde ſemel infecti ad Ordines promoveri non poſſunt, niſi prius irregularitatis diſpenſationem obtinuerint, tametſi cæteroquin ex animo converſi ſint, & iis omnibus dotibus gaudeant, quæ ad Statum Eccleſiaſticum requiruntur.

Tertium eſt cenſurarum violatio, ſacrorum Ordinum haud canonica ſuſceptio, eorumque illicitum exercitium; I. porro cenſurarum violationis reus eſt, qui excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus aliquo Ordinis officio fungitur; II. reus eſt ſacrorum Ordinum haud canonicæ ſuſceptionis, qui majori excommunicatione innodatus eoſdem ſuſcepit, vel Subdiaconatum & Diaconatum, ſeu Diaconatum & Presbyteratum una eademque die, vel majorem Ordinem ante minorem, ut Presbyteratum ante Diaconatum; quæ dicitur Ordinum ſuſceptio per ſaltum; III. illiciti ſacrorum Ordinum exercitii reus eſt, qui Ordinem, quo non erat inſignitus, exercuit, exempli cauſa cum Dalmatica & Stola Evangelium in Miſſa cantavit, cum non niſi Subdiaconus eſſet, vel qui in loco interdicto functus eſt aliquo ſacro Ordine, Miſſam puta celebravit.

Quartum eſt Sacramenti Baptiſmatis profanatio, ſi quis nempe ſciens ac volens iterum baptizetur.

Non deſunt alia crimina, quæ irregularitatem pariant, & ſunt ea generatim omnia, ex quibus oritur infamia juris, aut facti; juris quidem, cujuſmodi ſunt ſacrilegia, uſuræ publicæ, perjuria, ſimonia, confidentia, ebrietas, duellum, ars Hiſtrionum, Circulatorum, Geſticulatorum, aliaque in jure expreſſa; facti vero, cum aliquod enorme, ac publice notorium crimen patratum eſt.

Tollitur irregularitas modis omnino quatuor; I. ceſſante defectu, ex quo orta eſt, ut reparato in cæcis oculorum uſu; II. ſuſcepto Baptiſmate, cum irregularitas ex delicto contracta eſt; III. Regularis Ordinis Profeſſione, cum irregularitas ex natalium defectu provenit; Diſpenſatione, niſi irregularitas ſit ex defectu, qui quidem præcipuas Ordinum functiones obeundi facultatem adimat; adeoque qui imbecillis eſſet, aut manibus omnino careret, Sacerdotio per diſpenſationem initiari non poſſet.

Poteſt ſummus Pontifex in omnibus prorſus irregularitatibus diſpenſare, Epiſcopi autem in iis, quæ ex delictis occultis, nec ad contentioſum forum delatis proveniunt, ſi quæ ex homicidio voluntario oritur, excipiatur.

Qui irregularitatem violat, celebrans, aut aliquod Eccleſiaſticum munus obiens novam quidem irregularitatem non ſubit, ſed graviſſimo ſe crimine obſtringit; ſtatuuntque Canones, ut Communione privetur, & in Monaſterium pœnitentiæ toto vitæ tempore peragendæ gratia compellatur.

In irregularitate diſpenſandi poteſtas Jubilæi tempore Confeſſariis non ſuppetit. Ex conſuetis Jubilæi Bullis oppoſitum diſerte conſtat, & ita quidem Eccleſia ſe gerere conſuevit, ut diſpenſationis difficultate diſciplinam tueatur, & criminum, quibus ea pœna conjuncta eſt, horrorem inſpiret. Igitur ejuſmodi diſpenſationes non ſunt facile concedendæ. (*a*) Tridentina Synodus ita ſtatuit in hanc rem: *ſicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat, ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire.*

Quapropter ſciant univerſi ſacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quoad eos fieri poterit, indiſtincte obſervandos; quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverint cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cognita cauſa, ac ſumma maturitate, atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Multa ſane ſuper hoc tam ſancto ac maturo Concilii Decreto animadvertenda forent.

(*a*) Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 18

Irregularitas orta ex ſcientiæ defectu.

CASUS I.

1 Clericus, qui maxime illiteratus ſacros Ordines ſuſcipere non eſt veritus, in irregularitatem non incidit; tametſi coram Deo graviſſimo ſe crimine obſtrinxerit.

2 Debet ad tempus à Miſſa celebranda abſtinere, donec ea nimirum didicerit, quæ Sacerdoti percipienda ſunt, ut ſatis inſtructus ſit.

QUÆSITUM.

PRoponitur Sorbonæ Doctoribus quæſtio hæc: Sacerdos ſimplici Beneficio gaudens tàm parum latine ſcit, ut ne novum quidem Teſtamentum explicare valeat; ignorat præterea maxime tritam Sacramentorum doctrinam. Quæritur, an ſit irregularis?

RESPONSIO.

Conſcientiæ Conſilium ſubſcriptum cenſet hunc Sacerdotem irregularem habendum non eſſe, quod latinam linguam non didicerit, tametſi ſacris Ordinibus tanta cum temeritate ſuſceptis graviſſimum ſcelus patraverit, nec incidiſſe creditur in pœnam inflictam in Canone *Illiteratos*, qui Decret. *diſt.* 36. refertur, quia non conſtat Epiſcopos, de quibus ſermo eſt 38. *diſt. cap. Sedulo*, latine parum ſcientes, nec proinde preces coram populo recitari ſolitas intelligentes in irregularium numerum relatos fuiſſe, ut apparet ex D. Auguſtino, qui iis precibus adſiſtentes hortabatur, ut ejuſmodi Epiſcopos æquo animo ferrent, & pront Chriſtiana humilitas poſtulat, tolerarent. En laudati Canonis verba: *Sedulo monendi ſunt Scholaſtici, ut humilitate Chriſtiana diſcant non contemnere, quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare. Noverint etiam non eſſe vocem ad aurem Dei, niſi animi affectum: ita enim non irridebunt, ſi aliquos Antiſtites & Miniſtros Eccleſiæ forte animadverterint vel cum barbariſmis & ſolœciſmis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligere, perturbateque diſtinguere: non quia iſta minime corrigenda ſunt, ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat Amen: ſed quia pie toleranda ſunt ab iis, qui didicerunt ut ſono in foro, ſic voto in Eccleſia benedici.*

Cum ergo hi Epiſcopi, aliique, de quibus dictum eſt, *Illiteratorum* vocabulo, quod in diſtinctionis 36. Canone occurrit, minime comprehendatur ſatis cauſæ non ſubeſt, quamobrem is, de quo agitur, iis accenſeatur, quos irregulares ſcientiæ defectus efficit. Ignorantia enim, in qua quoad Sacramentorum doctrinam verſatur, irregularitatis fundamentum eſſe non creditur, quia licet haud ita pridem complures Epiſcopi adeo ſe faciles in ſacris Ordinibus conferendis præſtiterint, ut Sacerdotes bene multi ab iis initiati fidei doctrinam vix ac ne vix quidem callerent; non ii tamen irregulares habiti ſunt, nec Beneficia ſimplicia poſſidentes iis ſe abdicare coacti ſunt, perinde ac ſi in exteriore Eccleſiæ foro præpoſtera eorum proviſio fuiſſet, ut Navarrus animadvertit *de Reſcriptis in cap. Quando*, ubi quæſtionem de irregularitate vi Canonis *Illiteratos* diſtinctim pertractat, & præſertim *in exceptionibus* 12. 13. 14. 15. 16. & 18.

Optimum factu tamen eſſe cenſetur, ut hic Clericus, qui ad Altare tam parum diſpoſitus accedere auſus graviſſime peccavit, a Miſſæ celebratione per aliquod tempus abſtineat; quoad ſcilicet ea didicerit, quæ Sacerdotem ſcire par eſt, ut fidei doctrinam ſatis calleat, antequam Ordini Sacramentum ſuſcipiat; deinde vero, quoniam tam brevi temporis ſpatio in latini ſermonis ſtudio proficere nequit, ut Officium, Miſſale, novumque Teſtamentum optime intelligat; ab Epiſcopo celebrandi veniam petat, promittens omnem ſe induſtriam in id collaturum, ut eam linguam perdiſcat, in qua myſteria noſtra celebramus, & in qua legimus Evangelii & Sacræ Scripturæ textum, qui nunquam e Sacerdotum manibus excidere debet. Ut porro Sacerdos hic, pro quo conſulitur, quid ſibi diſcendum ſit, optime noverit, id ſibi regulæ loco ſtatuet, quod præcepit in hanc rem Tridentina Synodus *Seſſ.* 23. *c.* 14.

Deciſum Pariſiis hac die 14. Febr. an. 1676.

Aug. de Lamet.

CASUS II.

1 Regulæ, quibus, an delictum, vel cenſura publice notoria ſint, innoteſcat.

2 Notorietas juris, & notorietas facti.

QUÆSITUM.

IN Parochum Diœceſis N. tanquam violentum, animique præcipitem edita eſt ſententia, qua ſtatuitur, ut jejunet, oret, &c. in Communitatem per dies quindecim ſe recipiat, eoque temporis ſpatio ab omnibus ſuorum Ordinum functionibus interdictus remaneat. Ille vero, ſententia ſibi ſignificata, omnibuſque in Parochia perſpecta nihil obſtante, de Feſto Miſſam publice celebravit. Publicam hanc celebrationem Promotor verbali judicio damnavit. Parochus nova ſibi negotia pertimeſcens ſe ſiſtit Superioribus, fatetur ſe publice celebraſſe, edicit tamen ſe non credidiſſe vel Eccleſiæ refragari, vel in ullam irregularitatem incidere, quod interdictum nonniſi comminatorium eſſe judicaret, quippe quod in Sententia in futurum tempus enuntiatum eſſet, nec additum fuiſſet ſolemne illud, *ipſo facto*.

Hac in re quæritur I. An Parocho fides adhibenda ſit, ac ſaltem in foro interno, & quoad conſcientiam irregularis necne ſit habendus? Ex una quidem parte dubitationem afferunt momenta hæc. I. quod ille mente & ingenio pollet, ut credi vix poſſit rem adeo expreſſis verbis propoſitam non intellexiſſe, ac proinde ſententiæ verbis ineptam & abſurdam ſignificationem tribuiſſe. Ex alia vero parte non caret probitate; & ſtatim ac ſe peccaſſe cognovit, ſe ſiſtit Eccleſiæ, ſuam obedientiam teſtatus eſt, & nihil hæſitans ſeſe ſubdidit.

II. Facta hypotheſi eum irregularem habendum eſſe, quæritur, poſſit necne Epiſcopus in interno, atque adeo in externo foro cum eo diſpenſare ſuper irregularitate ducta ex *cap. Liceat Seſſ.* 24. *de reform.* Dubitandi rationes ſunt ex una parte, quod ea irregularitas ex publico delicto provenit, ſcilicet ex violata, omnibus ex Parochia ſpectantibus, cenſura notoria omnibus perſpecta, & omnino Juris Regulis conſentanea.

Ex alia parte dici poteſt, I. quamvis celebratio notoria ſit, crimen tamen non omnino notorium eſſe ante ſententiam, qua irregularitas declaretur; quia ſemper adeſſe videtur aliquis tergiverſandi modus. II. Quantumvis publicum delictum ſit, nullam aliam in Gallia vulgo admitti notorietatem, quam facti evidentiam. Id rotundis verbis tradit D. *De Sainte Beuve tom.* 1. *Caſu* 105. *p.* 370. Domini *de Lamet & Cueron* alias ſuper ſimili facti ſpecie conſulti idem ſentire viſi ſunt; atque ita quidem Advocatis quibuſque celebratiſſimis perſuaſum eſſe contenditur.

Id nempe potiſſimum ſcire juvat: an certum ſit in Gallia nihil niſi poſt ſententiam declaratoriam notorium cenſeri; & an Epiſcopus ſemper poſſit in utroque foro diſpenſare ſuper irregularitatibus, quæ ex aliis delictis, quam ex homicidio proveniunt, quamvis publice & evidenter conſtent, quamdiu ſententia non intervenit. Dominus ipſe *de Sainte Beuve* videtur notorietatem ante quamvis ſententiam agnoſcere *in Caſu* 112. *Tomi primi pag.* 390. Præſentem difficultatem alibi non ſemel attingit, atque Epiſcopum in irregularitatibus, quæ ex delictis nec publicis, nec ad forum contentioſum delatis exiſtunt, diſpenſare poſſe. Conſuli poſſunt *Tomus primus p.* 94. *& ſecundus pagg.* 182. 245. 605. in quibus omnibus locis ne per ſomnium quidem innuit peccata nonniſi vi ſententiæ declaratoriæ publica, & notoria evadere poſſe; immo vero *pag.* 190. *tom.* 2. ſiquidem deciſionis ejus Caſus ipſe Auctor eſt, ſatis clare contrarium ſignificat.

Præ-

Præterea ex ea ſententia conſequens fieret Concubinariis, Uſurariis, aliiſque peccatoribus publicis, donec ejuſmodi declarati non eſſent, Communionem negari non poſſe; neque enim Communio negari poteſt niſi ob publica, & notoria crimina juxta Canones; id tamen a communi praxi ac ſententia alienum eſt.

Denique Tridentina Synodus eo ſane ſenſu accipit occulti ac notorii vocabula, quo ea Canones acceperunt. Jam vero conſtat non ſemper juxta Canones ſententiam declaratoriam ad notorietatem requiri; atque ita Synodus eamdem ſententiam non poſtulavit, ut crimen notorium cenſeri poſſet.

III. Facta hypotheſi non ſemper neceſſariam eſſe ſententiam, ut in Gallia quidem crimen notorium ſit: quæritur, quid demum neceſſarium ſit ad facti notorietatem ſtatuendam? Et quandonam crimen ad forum contentioſum deductum eſſe cenſeatur? Satiſne ſit ſimplex verbale judicium, cujuſmodi quidem adfuit in præſenti facti ſpecie? Satiſne ſit in jus vocatio, ſeu diei aſſignatio? Neceſſene ſit, ut *lis conteſtata ſit*.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitas quæſtiones vidit, exiſtimat,

Quoad primam, ignorantiam Parochi, de quo agitur, craſſiorem eſſe, quam ut ipſe in bona fide eſſe, & in irregularitatem non incidiſſe credatur; neque enim ab inobedientiæ crimine excuſari poteſt, cum Miſſam publice celebraverit. Nec juvat dicere eum nec ſe refragari credidiſſe, nec in irregularitatem, dum celebravit, incidere debuiſſe. Nimirum ſententia in eum edita clarioribus verbis expreſſa erat, quam ut is eorum ſenſum ignoraſſe videri poſſet; neque vero ad irregularitatem ſubeundam requiritur, ut accuſatus diſtinctim noverit eam pœnam ſe ſubiturum; ſed ſatis eſt eum culpam, quam patrabat, cognoviſſe, vel cognoſcere debuiſſe.

Quoad ſecundam; quoniam Sententia, qua Parochus interdicitur, nota eſt, publicam quoque notamque culpam ſupponit; ex alia parte nota etiam eſt ſententiæ tranſgreſſio, quandoquidem Promotor verbalem ejus ſignificationem exhibendam curavit; ac proinde videtur prima fronte juxta Tridentinæ Synodi mentem *Seſſ. 24. c. 6. Liceat de Reform.* Epiſcopus cum hoc Parocho in irregularitate, quam celebrans ſubiit, diſpenſare minime potuiſſe. Hic enim Caſus ex eorum numero eſſe non videtur, quos Synodus *occultos* vocat, & in quibus abſolvendi, ſeu diſpenſandi *pro foro conſcientiæ* facultatem Epiſcopis tribuit; id quod intimus infra expendetur.

Illud, ajunt, in hoc negotio difficultatem parit, quod facti notorietas in Gallia non admittitur; ut proinde pro noſtrorum morum ratione in hac facti ſpecie judicio opus foret, quo Parochus, quod contra interdicti ſententiam ſibi ſignificatam ſacrum fecerit, irregularis declararetur. Sed reſpondetur abſolute, nullaque adhibita diſtinctione pronuntiari non poſſe nullam facti notorietatem in Gallia probari; nempe ſi quis Hiſtrio, Uſurarius, Concubinarius, vel aliquis ejuſmodi alius publicus & ſcandaloſus peccator ad Sanctam Menſam acceſſerit, aut in morbum inciderit, ei Sacroſancta Communio negatur; ita in ſuis Ritualibus ſtatuunt Epiſcopi; in his porro caſibus adeſt tantum facti notorietas, quæ quidem ſufficit. In aliis quidem bene multis Juris notorietas fere requiritur; in iis ſcilicet, in quibus exiſtit Rei confeſſio *in judicio*, vel Sententia, qua declaretur eum ejuſmodi cenſuræ obnoxium eſſe.

Juxta hoc principium non eſt evitandus excommunicatus, niſi fuerit denuntiatus, quamvis eum excommunicatum eſſe multis conſtet, & ſic porro de cæteris cenſuris, ratione habita, ſentiendum eſt. Ejuſmodi eſt Conſtitutio Extravagantis *Ad evitanda*; eamdemque ſententiam Evellio amplectitur, confirmatque momentis multis, quæ in Libro, quem de Excommunicatione concinnavit, *c. 3. art. 1.* in medium adducit. Si Pragmaticæ *tit. de excomm. non vitandis*, & Concordatis *eodem tit. 14.* adhæreatur, facti notorietas ad omnem omnino excommunicatum vitandum ſatis eſt; at Sayrus *l. 2. c. 12. n. 9.* cenſet Conſtantienſi Concilio ſtandum eſſe; & ſane nunquam in Gallia quoad caput hoc aut Pragmatica, aut Concordata vim habuere, ut monet Cabaſſutius *in Praxi l. 5. c. 11. n. 3.* idque Ivo Carnutenſis multo ante docuerat, inquiens excommunicatos ob eam cauſam vitandos non eſſe: *quia non ſunt a communione ſuſpendendi, niſi publice convicti*. Id ergo ſervatum eſt, quod in Extravaganti *Ad evitanda* Conſtantienſe Concilium ſanxit. In eo tantum, qui Clericum percuſſerit, facti notorietas ibidem admittitur, ſed ne hanc quidem exceptionem probat Evellio loco citato, pronuntiatque in Galliis hoc in capite Extravaganti *Ad evitanda* contrariæ conſuetudinis vi derogatum eſſe. Alii quoque ſunt caſus, in quibus facti notorietas non ſufficit; Simoniæ abſolutio eſt Summo Pontifici reſervata; ſi tamen nullum Judicium adſit, quo qui accuſatus eſt, reus declaretur, vel ſaltem res *ad forum contentioſum* delata non fuerit, Epiſcopus ab ea poteſt abſolvere vi capitis *Liceat* Tridentini Concilii, quamvis cæteroquin ab iis probari poſſet, qui eamdem commiſſam ſciunt.

Ita conciliari poſſunt Auctores noſtri, qui modo ajunt facti notorietatem in Gallia non admitti, modo eamdem exiſtere poſſe pronuntiant, vel qui in aliis Operum ſuorum locis docent eam ſatis eſſe. Sed non ita eſt explicatu facile, undenam hujus diſciplinæ varietas originem duxerit. Si de excommunicatione tantummodo quæſtio inſtituatur, facile intellectu eſt bonum publicum, & civilem ſocietatem in Regno, ubi Hæretici Catholicis admixti ſunt, poſtulare, ne tantum facti notorietate excommunicati vitandi ſint ea de cauſa, quam aſſert Sayrus *l. 2. c. 12. n. 9. Difficile omnino, vel non ita facile erit excuſare a multis peccatis Catholicos in Germania, Gallia, Anglia, Polonia, & aliquos in aliis Regnis, qui quotidie, & ſingulis fere horis & momentis communicant cum Hæreticis, quos conſtat notorie eſſe Hæreticos, & conſequenter excommunicatos*. Cur ergo in nonnullarum cenſurarum negotio juris notorietas requitur? In aliis vero caſibus facti notorietas ſatis eſt? Hujus varietatis ratio non ita in promptu eſt; adeoque hac in re conſuetudo potius, quam Juris principia, quibus in Gallia non ſemper acquieſcitur, conſulenda.

Quoad tertiam. Facti notorietas eſt evidens rei apud multos cognitio, ut proinde nec negari omnino res, nec ulla probabili excuſatione diſſimulari poſſit. Non eſt porro expreſſum in Jure, quotus hominum numerus requiratur, ut actio, cujus illi teſtes oculati ſunt, notoria evadat, & facti notorietas ſtatuatur.

Fagnanus *in Cap. Veſtra de cohabit. Cler. & Mul. Tom. 2. n. 92.* ait eum numerum definiri non poſſe, ſed id a Judice pendere, qui loci ac temporis circumſtantias expendere debet, ut declaret, an factum notorium cenſendum ſit, necne; ita tamen ut ſtatui nequeat aliquid notorium eſſe, cum pauciores quam decem teſtes adſunt: *Et ideo puto, ſi in Parocina non ſint decem homines, quia expreſſum eſt in jure, ut ex minori numero quam decem non conſtituatur, ut in cap. unico 10. q. 3. & ideo Judex arbitrari non poteſt ibi eſſe notorium*. Conſuli poteſt Guimerius in Pragmaticam *tit. de concub. v. Celari*, qui hanc ſententiam propugnat.

Paulus quoque Leo *Praxis Pœnitentiariæ Romanæ part. 2.* ita ſentit, docetque Judicis eſſe definire, quotus numerus habita ratione loci requiratur, ut res notoria cenſeatur; modo enim, ut ipſe monet, opus eſt majori numero, modo minor ſufficit: *Arbitrio Judicis remittitur*, ejus verba ſunt, *cum in jure non fuerit expreſſum, quot homines faciant notorium*. Deinde in ſuæ propoſitionis confirmationem Civilibus & Canonicis teſtimoniis in medium allatis, ſubdit numerum minorem quam decem aliquando Judici ſatis eſſe, ut aliquid notorium declaret: *Definiri*, inquit, *non poteſt, & determinari, an aliquid ſit notorium, necne, niſi prius conſideretur qualitas loci, in quo aliquid committitur, videlicet ejus magnitudo, vel parvitas; nam in Urbe Roma decem perſonæ nihil ſunt, & propterea ibi non poſſunt iſtam notorietatem inducere*;

in rure vero etiam ſex perſonæ inducent, ſtante parvitate incolarum; & hoc ſacra Pœnitentiaria Apoſtolica obſervavit pluries.

Quoad quartam. Crimen ad forum contentioſum deductum eſt, ut ſentit Suarez *Tom. 5. diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 6. cum adeſt apud legitimum Judicem accuſatio vel denuntiatio juridica.

Ajunt alii opus eſſe, ut accuſatus in jus vocetur; & id quidem Sayrus *l.* 4. *c.* 17. *n.* 21. *de Cenſ.* ex eo confirmat, quod ſæpe fit; inquit; ut ad Judicem deferatur crimen, cujus tamen cauſa reus non citatur, ſeu quod ſatis graves probationes non adſint, ſeu aliis de cauſis; ex quo concludit delictum licet ad forum contentioſum deductum fuerit, adhuc tamen occultum eſſe; adeoque quamvis Epiſcopus in foro externo Clericum a crimine, de quo accuſatus, citatuſque eſt, abſolvere nequeat; *Si tamen*, inquit, *poſt aliquod tempus viderit actorem non progredi in probatione, exiſtimo Epiſcopum poſſe in foro interiori abſolvere.*

Fagnanus *loc. cit. n.* 136. *&* 137. definitiva Sententia, qua reus abſolvatur, hac in re opus eſſe contendit, & Congregationis Cardinalium Declarationem in id adducit; ſufficit, inquit hic Auctor, ut *Scriptura deducta ſit ad forum contentioſum*, ut accuſatus nequeat *in foro interiori* ab Epiſcopo abſolvi.

Barboſa *de pot. Epiſ. alleg.* 39. *n.* 29. cenſet, ut crimen ad forum contentioſum deductum putetur, oportere, ut in accuſationem defenſiones exiſtant; & ex una parte accuſatio, defenſiones ex alia id efficiant, quod lis appellatur. Sane, inquit idem Auctor, hæc contentioſi fori vocabula ſupponunt conteſtationem inter duas partes, quarum una neget, & altera affirmet; ut proinde hujus Auctoris ſententia non cenſeatur res ad forum contentioſum deducta, niſi *poſt litem conteſtatam*.

Ac Barboſæ quidem ſententia videtur ad veritatem proxime accedere, ſed de litis conteſtatæ definitione non convenit. Ex Jure Civili *Litis conteſtatio eſt aſſertio, vel petitio proponentis cum reſponſione rei coram Judice, voce, vel indice conſcripto*, inquit Gregorius Toloſanus *l.* 48. *c.* 6. *nn.* 1. *&* 2. *Syntagm. jur.* In Gallia vero, pergit idem Auctor, *lis conteſtata dicitur, non tantum ſi petitio & reſponſio facta fuerit coram Judice; ſed etiam ſi quippiam de illa interlocutus eſt Judex, & ſi aliquando aliquid ſtatuit, ut edant, ſeu producant, aut ſi dicatur litem habere pro conteſtata*. Id luculenter explicatur in Ludovici XIV. Conſtitutione an. 1667. edita *tit.* 14. *de cauſarum conteſtationibus art.* 13. in hæc verba, quæ e Gallico in Latinum ſermonem ita converti lubet: *cauſa habebitur conteſtata per priorem inſtitutionem, definitionem, vel judicium, quod intervenerit poſt propoſitam defenſionem, quamvis nondum ſignificatum fuerit*. In hanc ſententiam deſcendit Cabaſſutius *l.* 4. *c.* 2. *n.* 6. *& c.* 14. *n.* 7.

Hoc poſito, Tridentina Synodus *c.* 6. *Seſſ.* 24. *de Reform.* dum de foro contentioſo verba facit, in Barboſæ, & Conſtitutionis an. 1667. ſenſu explicanda eſt, ut proinde ſimplex verbale Judicium, quemadmodum contigit in caſu Parochi, de quo agitur, non ſufficiat, ut crimen ad forum contentioſum deductum eſſe cenſeatur; nec in Jus vocatio, Aſſignatio, Querela in reum Judici exhibita ſatis ponderis habeant; ſed præterea Judicis pronuntiatum exiſtere neceſſe ſit. Et ſane fori contentioſi vocabula eo ſenſu accipienda ſunt, qui appareat magis Epiſcopis favorabilis, eorumque poteſtatem amplius extendat. Ut enim Sayrus animadvertit *loco cit. n.* 20. Tridentinæ Synodi non ea mens fuit, ut Epiſcoporum poteſtatem quoad caſuum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum abſolutionem coarctaret, ſed eam potius amplificare voluit, inſtituens, ut non paucis in caſibus, in quibus antiquitus nec in externo, nec in interno foro abſolvere poterant, deinceps poſſent, ut in hoc ipſo: *Primum eſt*, Synodi verba ſunt, *non eſſe mentem Concilii, ullo modo reſtringere veterem Epiſcoporum auctoritatem, ſed ſolum iſtam ampliare, unde a quibus nullo modo antea abſolvere poterant, ab illis modo poſſunt tantum in foro interiori.*

Ex hactenus dictis conſequens fit, Epiſcopum poſſe in foro conſcientiæ cum Parocho in irregularitate, quam ſubiit, diſpenſare; I. quia notorietate Juris, cujuſmodi in Gallia requiritur, notorius non eſt, quod poſt interdictum celebraverit; II. quia ejus interdicti violatio non ſatis ad forum contentioſum deducta cenſetur per verbalem conteſtationem, quam actor edidit, vel edendam curavit. Epiſcopus porro, ut docet Sayrus *loco cit. n.* 22. non ſtatim eum *pro foro interiori abſolvere debet*, ut videat, an actor in probatione progrediatur. Quamvis autem Epiſcopus hanc abſolutionem tribuere poſſit, uſus tamen obtinet, ut tum quoad internum tum quoad externum forum habilitatis redintegratio a Romana Curia petatur.

Deciſum hac die . . . . . an. 1694.
G. Fromageau.

Claudi & Clerici fictis Dimiſſorialibus Litteris ordinati Irregularitas.

CASUS III.

1 *Claudus non ideo irregularis eſt, dummodo ſine baculi adminiculo Miſſam dicere valeat.*

2 *Ad Beneficium præſentatus non id propterea juris acquirit, ut ad eam Diœceſim ſpectare ſe putet, in qua Beneficium ſitum eſt, ſed præterea requiritur Viſa.*

3 *Qui per dimittendas Litteras Epiſcopi Diœceſis ejus, ubi Beneficium exiſtit, Ordines ſuſcipit, a ſuſceptis Ordinibus ſuſpenſus eſt, & irregularis, ſi antequam a cenſuris liberaretur, eoſdem exercuit.*

QUÆSITUM.

SAcerdos vitæ integer, reique publicæ admodum utilis, notus, & charus Epiſcopo, ejuſque Vicariis Generalibus irregularitatis accuſatur. Irregularitatem hanc repetit accuſator ex defectu corporis, & ex delicto. Ille ſane claudicat ab infantia, nec abſque adminiculo, ſeu fulcro progredi poteſt, miſſam tamen ſemper abſque baculo hactenus celebravit, & etiamnum celebrat. Quoniam porro defectus hic difficultatem ingeſſit, cum Ordines peteret, ab Eccleſiaſtica Diœceſis Aula Declarationem obtinuit die 5. Decembris an. 1657. qua ſignificatum eſt ejus infirmitatem irregularitatem non eſſe; poſtridie vero ei præſto fuit aliud teſtimonium trium Medicorum, & totidem Chirurgorum, qui cum eum euntem non ſemel & redeuntem, nec ſemel genuflectentem ſuiſmet oculis conſpexiſſent, Miſſæ ſine baculo celebrandæ parem eſſe pronuntiarunt. Quamobrem die 10. Decembris ejuſdem anni 1657. Vicarius Generalis Dimiſſoriales litteras ei conceſſit, ut quatuor Minores Ordines, & Subdiaconatum ſuſciperet. Atque id quidem, ad corporis defectum quod attinet.

Quod autem ad delictum ſpectat, idem Sacerdos Diaconatum & Presbyteratum ſuſcepit per Epiſcopi non proprii Dimiſſoriales Litteras; Ita porro ſeſe res habuit. Cum Subdiaconatu per proprii Epiſcopi Litteras ſuſcepto ad Parochiam in aliena Diœceſi exiſtentem nominatus eſſet, ad Parochiæ Epiſcopum acceſſit, ut ab eo Diaconus & Presbyter crearetur; a quo quidem cum in Seminarium receptus eſſet, & dimiſſoriales litteras cum interſtitiorum diſpenſatione obtinuiſſet, Diaconus quidem die 6. Aprilis an. 1658. Presbyter vero die 20. ejuſdem menſis creatus eſt.

Viſa porro non obtinuit niſi die 27. Aprilis inſequentis, & poſſeſſionem iniit die tantum 2. Januarii an. 1659. in Dimiſſorialibus tamen Litteris cum Parochi titulo Epiſcopus inſignivit.

In hac facti ſpecie quæritur, an Sacerdos hic irregularis ſit vel ratione corporalis defectus, vel ratione delicti, quod ab eo patratum eſſe contenditur, quia Dimiſſoriales Litteras ab Epiſcopo, cui a nativitate ſubditus erat, non acceperit?

RE-

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, ut expoſitis difficultatibus occurrat, exiſtimat,

I. Sacerdotem claudum ob hunc defectum irregularem non eſſe; cum enim ea de cauſa ſuborta eſſet difficultas, Epiſcopus, penes quem dubitationis de medio tollendæ jus erat, juxta Canoniſtarum apud Sayrum *lib.* 6. *c.*7. *n.* 16. *& cap.* 8. *n.* 22. *de deſinit.* communem ſententiam, in ejus favorem decidit. Et ad claudicationem quod attinet, S. Antoninus 3. *p. tit.* 28. *c.* 5. putat ex ea irregularitatem non gigni: *Nota, quod claudum admittit conſuetudo, niſi talis ſit quod ſine baculo ad Altare non poſſit ſtare.* Gloſſa in caput *Nullus de conſecr. diſt.* 1. expreſſam hac in re exceptionem ſtatuit *verbo cum baculo*: *Non debet promoveri in Presbyterum, qui ſine baculo non poteſt ſuſtentari in altari.* Rebuffus in praxi *de diſpenſat. cum corp. vitiat. Claudus vero*, inquit, *ſine diſpenſatione promoveri poteſt de conſuetudine; dum ſuſtinere ſe valeat.* Cum ergo is, de quo agitur, ad altare ſtet abſque baculo, merito proinde credi poteſt irregularis non fuiſſe, & ad Presbyteratus Ordinem promoveri potuiſſe.

II. Clericus hic ad Parochiam tantummodo præſentatus vel cum proviſionis promiſſione cenſeri non debuit ex Parochiæ Diœceſi; & quod inde fit conſequens, loci Epiſcopus nec ei Ordines conferre, nec per Dimiſſoriales Litteras, ut alibi Ordines ſuſciperet, permittere potuit. In capite quidem *Cum nullus de tempor. ordin. in* 6. Epiſcopi proprii, qui Ordines miniſtrare poſſint, dicuntur eſſe triplicis omnino generis, ſcilicet Epiſcopi originis, domicilii, & beneficii: *Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum.* Ex hiſce poſtremis verbis apparet non ſatis eſſe præſentationem, ſed beneficii conſecutionem requiri; quod quidem fit vi proviſionis, qua quis ad Beneficii Diœceſim migrat. Barboſa in hoc Caput *n.* 6. poſſeſſionem ipſe quoque poſtulat. Ejuſdem ſententiæ eſt Garcias 2. *p. c.* 4. *n.* 17. *Advertendum eſt*, inquit, *quod ad iſtum effectum videtur requiri poſſeſſionem beneficii, & non ſufficere ſolum collationem, ſeu titulum; ad hoc enim ut efficiatur de ejus foro, neceſſarium videtur, quod habeat beneficium cum effectu.* Cabaſſut. *l.* 3. *c.* 16. *in praxi n.* 5. *Proprius Epiſcopus*, inquit, *conſtituitur triplici ratione, vel originis, vel domicilii, vel beneficii, quod Clericus poſſidet intra ejus Diœceſis fines.* Dubio procul ſi hoc Beneficium, cujus gratia Clericus hic ad novam Diœceſim ſpectare cenſetur, ejus titulus fuit, eum præſentatum aut nominatum eſſe non ſufficeret, ſed pacificum poſſeſſorem eſſe oporteret, ut dicitur in Tridentina Synodo *Seſſ.* 21. *c.* 2. *de Reform.* his verbis: *Statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſecularis ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet beneficium Eccleſiaſticum pacifice poſſidere.* Hinc illud inferri poſſet idem requiri, ut Clericus ratione Beneficii ad Epiſcopi Diœceſim pertineat.

Utut res habeat, dici poteſt ad propoſitam facti ſpeciem prorſus expediendam, tametſi complures Auctores Galli, ut Fevretus *l.* 3. *cap.* 4. Rebuffus *in praxi de litt. dimiſſ. n.* 6. ſententiam eam amplectantur, qua tres Epiſcopi proprii ſtatuuntur, eam tamen conſuetudinem in Gallia parum receptam eſſe, quia multis incommodis obnoxia eſt, præſertim poſtquam Clerici peculiari Eccleſiæ, quam olim ſine proprii Epiſcopi venia deſerere non poterant, addicti eſſe deſierunt. Quamobrem Gallicani Cleri Congregatio an. 1655. habita pag. 1179. hanc praxim tanquam abuſum improbavit, & per encyclicam Epiſtolam Epiſcopos cohortata eſt, ut ſuis tantum Diœceſanis Ordines adminiſtrarent. Tantum igitur abeſt, ut privilegium, quo proprius Epiſcopus fit, in cujus Diœceſi Beneficium poſſidetur, extendendum ſit, ut potius ſit reſtringendum, nec ſolam præſentationem ſatis eſſe cenſendum ſit, ſed exigenda præterea proviſio Epiſcopi loci, ubi Beneficium exiſtit.

Ex his omnibus ſequitur, I. Presbyterum claudum ex defectu corporis irregularem non eſſe; verum II. ſuſpenſum eſſe propter delictum, juxta Tridentinam Synodum *Seſſ.* 22. *c.* 8. *de Reform.* & Bullam Pii II. *Cum ex Sacrorum*, propterea quod abſque proprii Epiſcopi Dimiſſorialibus Litteris ad Sacerdotium acceſſerit, cum Epiſcopus Diœceſis, in qua Beneficium ſitum eſt, per ſolam præſentationem proprius ejus Epiſcopus non evaſerit, ac ſi antequam ſuſpenſionis abſolutionem obtineret, celebravit, in irregularitatem incidiſſe.

Deciſum hac die 16. Junii an. 1693.
G. *Fromageau.*

Irregularitas Sacerdotis ob fornicationem damnati.

CASUS IV.

1 *Sacerdos haud bene moratus, in quem extant ob turpe crimen ſententiæ duæ, Parochiæ poſſidendæ ineptus eſt. Ea, quam poſſidet, devoluti titulo peti poteſt.*

2 *Si adeo nequam fuerit, ut quemadmodum accuſatur, Alia conjungat, & furta perpetret, in Seminarium conjectus pœnitentiæ ad mortem uſque ſubdendus eſt.*

QUÆSITUM.

Sacerdos ob enormia & publica vitia Parochia privatus a Judice, & in Seminario pœnitentiæ addictus, cum pœna deinde ac probationis gratia Vicariatum obtinet; vix id muneris conſecutus, ex puella Calviniana filium ſuſcipit; Diœceſi pellitur, eo redit, ubi natus eſt.

Ibi per *exeat* honorificum a Vicario Generali ſubſcriptum Parochialem curam obtinet, tametſi *Exeat* Epiſcopi tale ſit, quale tribuitur improbo Sacerdoti, qui ejicitur; ſed cum Generalis ille Vicarius in odore ſanctitatis obierit, ſemperque, dum viveret, integritatis laude præſtiterit, eam Declarationem falſam eſſe liquido conſtat.

Hic ſceleſtus Presbyter, antequam Parochus crearetur, ab Abbate, cui deſerviebat, expulſus fuerat ob domeſtica latrocinia, quæ juridice quidem probata non ſunt, ſed vulgo pro veris habentur, & ſilentio confirmantur, quod Abbas ſervet, dum, quomodo ſe res habuerit, interrogatur. Perditus homo hic maxima neceſſitudine conjunctus eſt alii Presbytero ebrioſo publico & concubinario, quem Populus Urbe expulit, quod annorum quindecim puellam ſeduxerit. Eum Parochus hic apud ſe recepit. Ille execrandas cantilenas identidem crepat, ac dum arguitur, productis falſis Declarationibus, id a vero alienum eſſe confirmat. Sacram Scripturam, & Eccleſiæ Preces deridet, & contemptui ducit. Præſto ſunt hujus rei probationes, quæ ne longior oratio ſit, omittuntur.

His omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, ita ſe habentibus, ad Archipresbyteri tamen dignitatem evectus fuit; qua de re cum Parochi bene multi apud Epiſcopum conqueſti eſſent, ab ipſo ad Officialem miſſi ſunt. Hi Parochi initio ſtatim Sententias duas in eum Sacerdotem editas produxerunt, ſeque juridice alia crimina probaturos recipiunt. Quamobrem Officialis rogat Sorbonæ Doctores, ut edoceant, quomodo ſe gerere debeat, ut tam grave ſcandalum ex Eccleſia de medio tollat, & indignum hunc Parochum extrudat, quin a Canonibus, & Gallicanæ Eccleſiæ praxi vel latum unguem recedat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Presbyterum, de quo in Libello ſupplici dictum eſt, Sacerdotali dignitate, quam ſuſcepit, & Beneficio, quod poſſidet, adeo indignum apparere, ut juxta veteres Canones (*a*) eum deponi & ſpoliari Beneficio par ſit, quin ſe ſperet ullo unquam tempore redintegrandum. Concilium Illiberitanum ne in mortis quidem articulo eum Communione dignum judicat: (*b*) *Presbyteri ſi in miniſterio ſint mœchati, propter ſcandalum, & nefandum crimen, nec in*

(*a*) Canon. 25. Apoſtol.

(*b*) Canon. 18.

in fine Communionem accipiant. Diſciplinæ ſuæ ſeveritatem Eccleſia ſubſecutis temporibus temperavit, ut ex Tridentina Synodo *Seſſ.* 25. *c.* 14. *de Reform.* licet intelligi.

Id porro indubitatum prorſus eſt Sacerdotem hunc *ipſo facto ſuſpenſum eſſe*, *cap. Quæſitum de cohabit. Cleric. & mul.* & quod inde conſequitur, irregularem eſſe, quia celebravit. Monet id Barboſa in laudatum Concilii locum *n.* 17. *Clericum notorium Concubinarium ſine aliqua monitione Superioris, eſſe hodie, prout in veteri Jure, ſuſpenſum ipſo jure ob officio, & beneficio, ita quod ſi celebret, incurrat irregularitatem, deciſum refert Garcias, &c.* Eamdem ſententiam tuetur Comitolus *l.* 1. *Reſp. Moral. q.* 57. Eſt præterea irregularis hic Presbyter irregularitate infamiæ, ex duabus Sententiis in ipſum editis ortæ, & ob crimina, quæ publica evaſerunt.

Hinc inferri poteſt, I. illum in eo peccare, quod ullum beneficium obtineat, retineatque, adeoque non immerito devoluti titulo Parochia, qua fruitur, privari, & cuivis beneficio poſſidendo imparem declarari poſſe, tum quod impie ac turpiter vixerit, tum quod in cenſuras, atque irregularitates inciderit.

II. Solum Pontificem in irregularitatibus, quas ſubiit, cum eo diſpenſare poſſe, quia publicæ ſactæ ſunt.

III. Si ille abſolutionis obtinendæ gratia ad Romanam Curiam ſupplex acceſſerit, Sententiis in eum jam editis, rebuſque ad contentioſum forum deductis, futurum profecto, ut Pontifex eum remittat ad Ordinarium cum facultate eum abſolvendi, & redintegrandi, cum ipſi videbitur, & impoſita ſalutari pœnitentia, cujus tum qualitatem, tum durationem Pontifex Epiſcopi conſilio ſtatuendum relinquet.

IV. Ad extremum Presbyterum hunc, ut eſt quidem expoſitum, dignum eſſe, qui pœnitentiæ ſubdatur in Seminario, ut ibidem toto vitæ tempore graviſſima, quæ patravit, facinora defleat. Ita ſane Martinus Pontifex Epiſcopo mandat de Clerico, qui laſciviæ crimine ſeſe polluerat. En hujus inclyti Pontificis verba: (*a*) *Qui ſemel poſt ſuam Ordinationem in lapſum carnis ceciderit, deinceps depoſitus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipiſci, ſed ſufficiat ei lamentationibus, fletibuſque aſſiduis, quoaduſque vixerit, in eadem pœnitentia perdurare, ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat.*

Deciſum hac die 3. Septembris an. 1698.
G. *Fromageau.*

Irregularitas Sacerdotis ſiniſtro oculo, qui Canonis dicitur, capti.

CASUS V.

Quandonam Sacerdos luſcus irregularis ſit.

QUÆSITUM.

Quidam in Urbe Presbyter, qui jam conſenuit, ad Ordines promotus fuit quadraginta ab hinc annis & amplius, quamvis Canonis oculo, ſiniſtro ſcilicet captus eſſet. Id ei nunquam hactenus exprobratum eſt, quia dubio procul pro certo eſt habitum, Ordinationis tempore legitimam ejus irregularitatis diſpenſationem ei præſto fuiſſe. Qui ordinaria poteſtate gaudet, dum cum eo verſaretur, defectum cognoſcens, ex eo rationem quæſivit; reſpondit ille, ſibi quidem de ſcripto diſpenſationem non adeſſe, ſed Epiſcopum B. a quo initiatus fuerat, oretenus inter ordinandum ſibi dixiſſe, ſe ſuper ea irregularitate diſpenſare, ſeque propterea hactenus officio ſuo tuta conſcientia perſunctum fuiſſe. Quoniam porro in foro externo pura putaque diſpenſatio verbalis non ſatis ponderis habet; & præterea Epiſcopus B. quem ſecum diſpenſaſſe contendit, ullius diſpenſationis concedendæ nulla prorſus facultate gaudebat, quippe qui ejus Ordinarius non eſſet, ac denique ſolus Pontifex irregularitatum *ex defectu* provenientium diſpenſationes concedere poteſt: ideo Superior ordinaria poteſtate gaudens hunc Presbyterum monitum voluit, ne ſibi eo vitio laboranti licere putaret, antequam legitimam & canonicam diſpenſationem produceret, in Miſſæ celebratione perſiſtere. Ille vero obſequi diſtulit, nec ſe paratum exhibet ad Romanam Curiam accedere, utpote jam valde ætate provectus, atque adeo luce, quam dexter oculus adhuc retinet, magnopere decreſcente. Adit porro Eccleſiam ſuperpelliceo indutus, divinis Officiis intereſt, & Funerum, ac Fundationum, quæ in Parochia celebrantur, particeps eſt. Super hac facti ſpecie quæritur,

I. Quid univerſim, ad hunc Presbyterum quod ſpectat, dignum facto judicetur, facta hypotheſi diſpenſationem verbalem, quam ſe ab Epiſcopo B. obtinuiſſe contendit, vere nullam tum in interno, tum in externo foro apparere?

II. An cum irregularitas Ordinationem præceſſerit, eumque proinde Ordinibus ſuſcipiendis ineptum reddiderit, ei interdicendum necne ſit, non ſolum ne Miſſam celebret, ſed ne cæteras quoque Eccleſiaſticas functiones obeat, atque adeo ne ſuperpelliceum deferat, eoque indutus divinis Officiis interſit, & Eccleſiæ diſtributiones percipiat, ea prorſus ratione, qua cum Sacerdote ageretur, qui generatim, videlicet tam *ab Ordine*, quam *ab Officio & Beneficio* ſuſpenſus declararetur.

III. Quid huic Presbytero præſcribendum videatur, ut mala reparet, quæ coram Deo perpetravit, in irregularitatis ſtatu ſuis muneribus tamdiu perfunctus, quidque judicii de ejus abſolutionibus ferendum ſit, ſi confeſſiones quidem audierit?

Omittendum non videtur, Superiorem, antequam defectum detegeret, ei utpote non bono Presbytero propoſuiſſe, ut a Miſſa ſaltem quotidie celebranda ſponte abſtineret, ac proinde videri par eſſe, ut ad id tam ſpecioſo prætextu, qui quidem præſto eſt, adigatur. Ita non eſt omnino rationi conſonum, ut redintegrandus curetur, quæ ſane expediendi negotii optima ratio extitiſſet; ſed nimirum id unum agitur, ut appareat, quo ei conſilio ſit opus, ut reparet, quæ deliquit, & quomodo cum eo imposterum agendum ſit quoad cætera Clericalia munia, quæ alia ſunt a celebratione Miſſæ, a qua quidem, cum favorabilis occaſio adſit, par eſſe pro certo ponitur, ut interdictus remaneat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, viſa partis alterius expoſitione, non poteſt, quin pronuntiet, ſuper irregularitate, quæ ſiniſtri oculi, *Canonis* dicti defectui addicitur, non omnes idem ſentire, nec deeſſe, qui contendant, ſi commode ac decenter dextro oculo legi poſſit, ex ſiniſtri privatione irregularitatem non exiſtere. Ita ſentiunt Navarrus *Man. c.* 27. *n.* 199. & Sayrus *Theſauri caſuum Conſcientiæ l.* 6. *c.* 8. *n.* 8. qui alios bene multos Auctores citat; quod in cauſa fuit, ut Avila *de cenſuris p.* 7. *diſp.* 3. ita controverſiam dirimeret, *dub. Sed quid ſi careat uſu ſiniſtri, qui dicitur oculus Canonis? Reſpondetur, ſi ita videat dextro, ut ſine indecora converſione faciei ad populum, poſſit legere Canonem (ad quod etiam juvabit adaptatio Miſſalis) non eſt irregularis*, alias erit. At ſi oculus omnino deeſſet, nihil difficultatis occurreret, juxta *C. Si Evangelicæ diſt.* 56. In hac ergo ſententia videndum eſſet, an is, de quo conſulitur, oculum amiſerit, an vero oculi, quem retinet, uſu careat, quo in caſu Epiſcopus reputans eum ſine indecora faciei converſione ſacrum facere poſſe nihil abſonum feciſſet, ſi ipſum ad Ordines promoviſſet; ac vero quidem ſimile ſit eum in hac facti ſpecie verſatum fuiſſe, cum ipſius vitium tamdiu latuerit. Quo poſito Presbyterum in irregularitatis negotio perturbandum fuiſſe non cenſeretur, quippe quem Canoni decenter in Miſſæ celebratione legendo aptum Epiſcopus judicaſſet; vel ut ſummum, Theologis & Canoniſtis diverſa ſentientibus, conſulenda foret Sancta Sedes, quæ fere ejuſmodi negotia ſacræ Rituum Congregationi exa-

(*a*) Ep. Ad Amandum ante med. 649.

examinanda committit, ut deinde ad Datariam, pro Congregationis reſponſo, accedatur.

At ſi Presbyter, de quo agitur, oculo careat, vel eo inſtructus nec videre, nec Canonem legere poſſit, ſine notabili converſione; cenſetur irregularis eſſe *ex defectu*, nec ante Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem ad Ordines promoveri debuiſſe, eamque diſpenſationem eidem concedere Epiſcopum non potuiſſe; itidem cum nihil ſcriptum proferre poſſit, quo id probet, quod de Epiſcopo B. proponit, eum proinde audiendum non eſſe, quippe qui videretur velle ſibi ex bona fide præſidium quærere, & ſe Præſulis, cui fidem adhibere debuerit, auctoritate tueri; ac Promotoris & Officialis opera in eum non adhibita, quia ſe ipſe condemnat, facta etiam hypotheſi eum contra atque ipſe ſibi conſcius eſſet, egiſſe, ipſum de criminis gravitate monendum, & ad pœnitentiam toto vitæ tempore ſubeundam pertrahendum eſſe. Non tamen exiſtimatur Confeſſiones, quas audiit, nullas eſſe; cum approbatus fuerit, ad earum inſtar, quas alius Sacerdos excommunicatus occultus, & toleratus excepiſſet; eum porro ſuos Ordines exercere non debuiſſe; uſum ſane ſuperpellicei non omni difficultate carere, quippe qui Tonſuratis quoque conceditur; quod ſi Officialis ſententiam edidiſſet, & ille juridice depoſitus eſſet, ipſum eodem privandum eſſe; nec apparere, quamobrem ea veſtis eidem ſervari poſſit, quia cum Tonſura nihil ſit aliud, quam ad Ordines janua veluti, ac diſpoſitio, propterea ſumenda non eſt ab eo, qui in eo ſtatu verſatur, in quo vetat Eccleſia, ne Ordines ſuſcipiantur.

Deciſum Pariſiis die . . . . . an. 1684.
Auguſt. *de Lamet*.

Conſiliarius Clerici irregularis.

CASUS VII.

Clericus Magiſtratu fungens, dum judicat, & reum morte, aut mutilatione condemnans, irregularis evadit; cætera condemnationis genera irregularitatem ſecum non trahunt.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Principis Judex, qui Clericus eſt, & Beneficium obtinet, dum ad flagella, vel ad Triremes reum condemnat, in irregularitatem incidat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet irregularitatem *ex defectu lenitatis* nullo unquam judicio incurri, niſi condemnatio ſtatuatur ad mortem, vel ad mutilationem, atque amputationem alicujus membri, atque adeo, ut communior opinio fert, niſi Sententiam ſequatur effectus. Ita ſentiunt Canoniſtæ, ut proinde irregularitas, ad hanc rem quod attinet, ex duabus iis tantum pœnis oriatur, quas nos innuimus, ut intelligi licet ex *C. Clericis ext. Ne Clerici vel Monachi*, *c. Sententiam ſanguinis ib. C. Litteris ext. de exceſſib. Prælat. 23. q. 8. C. His a quibus*. Quod enim ſpectat ad pœnas cæteras, cujuſmodi eſt flagellatio, ejuſmodi juſſio permittitur Clerico ex *C. In Archiepiſcopatu ext. de raptoribus*: *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus*, inquit Alexander III. ad Panormitanum Epiſcopum ſcribens, *quod tales in juriſdictione tua exiſtentes pecuniaria poteris pœna mulctare, & etiam flagellis afficere, ea moderatione adhibita, quod flagella in vindictam ſanguinis tranſire minime videantur. Si vero fuerint tales exceſſus, quod mortem, vel detruncationem membrorum debeant ſuſtinere, vindictam reſerves Regiæ poteſtati*. Et *C. Pervenit, extra, de adulteriis* cum corporali pœna afficiendum jubet, qui renuit puellam ducere, qua abuſus eſt: *Aut ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigatus, in Monaſterio, in quo pœnitentiam agat, retrudatur*; & Gloſſa in hoc Caput pœnæ qualitatem Judici ſtatuendam relinquit; ſed Innocentius IV. id explicat de *verberibus*; & in Cap. *In Archiepiſcopatu* declarans ea verba *In vindictam*: *Nota*, inquit, *quod vindictam corporalem poteſt infligere Eccleſia. tit. de adult. c. 2.* quod eo quoque nititur, quod occurrit in Decreto 12. *quæſt. 2. c. Fraternitas, & 23. quæſtion. 5. cap. Circumcellationes*. *Brodeau* in *Louet litt. B. tom. 1.* tradit, cum Judex Beneficium poſſidens furem damnaſſet ad verbera, devolutum in eum ſumptum fuiſſe, quia judicio, quod ediderat, in irregularitatem incidiſſe contendebatur, in Regia vero Aula Reſcripto diei 7. Auguſti an. 1638. declaratum fuiſſe, eum irregularem non eſſe. Affert etiam auctoritatem Boerii in deciſione 349. n. 11. diſerte docentis Eccleſiam in ſuis judiciis flagellationis pœna uti poſſe, vi Capitis *In Archiepiſcopatu*. Non deſunt ſane Reſcripta, quæ vetent, ne Eccleſiæ Judices eam pœnam infligant; non ideo tamen Beneficium vacaret, quia agitur de Canonum Conſtitutione, quæ actioni vetitæ irregularitatem adnecteret, id quod in Juris corpore non occurrit; præterquamquod non hic de Eccleſiæ Judice ſermo eſt, ſed de Clerico, qui Principis auctoritate judicat Laicorum more, quique propterea ea omnia præſtare poteſt, quæ Jure Canonico facere non prohibetur, niſi Princeps, a quo omnis ejus poteſtas dimanat, aliter eidem præſcripſerit, quo in caſu nonniſi ex ejus, a quo inſtitutus eſt, voluntate judicare poſſet; ſed ſuæ poteſtatis terminos prætergreſſus non proinde tamen irregularis evaderet, quamvis ejus, utpote poteſtate carentis ſententiæ, nullæ eſſent. Hoc fundamento nixi putant Hiſpani Clericum, qui Hiſpaniarum Regi a conſiliis eſt, poſſe opinari, & adeſſe judicio, quo reus ad Triremes damnatur. Fevretus in Tractatu *de Abuſu* Editionis an. 1667. Bobadillam in hanc rem citat, contenditque Hiſpanos ita ſentientes niti auctoritate Innocentii IV. explicantis *C. Qualiter, extra de excuſationibus*; ſed ex eodem Auctore id etiam proferre poterat, quod docet in cap. *In Archiepiſcopatu*, quod jam laudavimus, ubi de Principibus loquens ait Principes poſſe Clericis omnia prorſus negotia committere, ſi illud excipiatur, quod in eo Capite Pontifex his verbis indigitat: *Bene conceſſimus, quod omnia poſſunt demandari, præter ultimum ſupplicium, in authent. §. de collat. §. prohibemus*; quod his concinit, quæ occurrunt in Gloſſa in hoc cap. *v. Reſerv. Omnia vero committi poſſunt præter ultimum ſupplicium, & membri abſciſſionem*. Et hoc quidem ſenſu accipiendum eſt Caput *Nullus Decret. 15. q. 4.* ubi de Clericis Judicis officio fungentibus leguntur hæc: *Quæ juſta ſunt, habent licentiam judicandi, excepta cauſa criminali*, quod Gloſſa ita explicat: *Ubi agitur ad ſanguinis effuſionem*, quia liquido conſtat Canones & Pontifices per ea verba, *ſententia ſanguinis, & ſanguinis effuſio*, nihil aliud intellexiſſe, quam pœnam mortis, aut mutilationis, & amputationis alicujus membri, ut palam fit ex Alexandri III. exceptione in *C. In Archiepiſcopatu*, ut ex iis quoque, quæ antea dixerat *C. Clerici, extra, ne Clerici, vel Monachi*, auctoritatem proferens Toletani Concilii IV. qua Gratianus uſus fuerat 23. *q. 8. c. His a quibus*. Hæc autem laudati Pontificis verba ſunt: *Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, ex Concilio Toletano, judicium ſanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per ſe truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas; quod ſi quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco*. Itaque ſtat ſententia, irregularitatem, quæ ob judicia & condemnationes incurritur, ex mortis & mutilationis ſententia tantum oriri, & pœnas cæteras exemptas eſſe. Quod adamuſſim explicat Suarez *de cenſuris, diſp. 47. ſect. 1. n. 2.* in hæc verba: *Ad intelligentiam autem aſſertionis tres particulæ explicandæ ſunt; prima eſt, ſententia ſanguinis; nam ea voce intelligitur ſententia mortis, vel mutilationis: minus enim nocumentum non ſufficit, etiamſi reus flagelletur, vel ad triremes mittatur; vel etiam aliter vulneretur, aut aliquod ejus membrum per tormenta debilitetur; quod quoad hoc æquiparatur hæc irregularitas omnibus aliis, quæ ex homicidio contrahuntur; ergo effuſio ſanguinis ſine mutilatione, vel morte non ſufficit, nec enim neceſſaria eſt, ſi mors per ſuffocationem fiat. Nomine autem ſententiæ quodcumque præ-*

ceptum

ceptum Judicis comprehenditur; nam ſi reus ex præcepto Judicis vel alimento privetur, vel rigore carceris ita affligatur, ut inde moraliter ſequatur mors, irregularis ut notant Covarruvias p. 2. §. 5. n. 8. Penna in Directorio Inquiſit. 3. p. Comment. 107. qui alios referunt.

Deciſum Pariſiis die 10. Novemb. an. 1681.
A. *de Lamet.*

Equites Melitenſes irregulares.

CASUS VII.

Melitenſes Equites, qui mortis ſententiam edunt, irregulares ſunt, perinde ac Clerici tonſurati, qui in bello verſantur, & hoſtes occidunt, aut mortis judicium ferunt.

QUÆSITUM.

SOrbonæ Doctores rogantur humillime, ut ſuper hac facti ſpecie dicant, quid ſentiant.

Equites Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani in Regis exercitu Præfecti militum ſæpenumero belli Conſilio intereſſe debent, in quo, milites morte damnantur.

Quæritur, an huic Conſilio adeſſe poſſint, ac morte damnare, quin evadant irregulares?

Non poſſe quidem ſuadetur ex eo, quod juxta eorum Ordinis ſtatuta ſi Eques Profeſſus ſcelus morte dignum Melitæ perpetravit, Conſilium ſatis habet eum habitu ſpoliare, deinde vero Sæculari Judici eum puniendum relinquit.

Econtra poſſe ex eo videtur evinci, quod cum iis liceat in pugna hoſtes occidere, potiori jure videtur iiſdem licere reos morte damnare, præſertim cum eo loci, ubi præſidio ſunt, alii Præfecti militum pauciores eſſent, quam ut Conſilium componerent.

Eadem ſententia exquiritur quoad eos militum Præfectos, qui Clerici tonſurati eſſent, quique Beneficia, vel ex Beneficiis penſiones obtinerent?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſita vidit, exiſtimat Equites Melitenſes, ſi militis judices fuerint, eumque morte damnaverint, in irregularitatem incidere ex Capite; *ſi quis viduam, aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad Clericatum; quod ſi irrepſerit, dejiciatur; ſimiliter ſi homicidii aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut defenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur, & in fine vitæ ſuæ laicam communionem tantummodo recipiat. diſt. 50.* & ex Gloſſa in ea verba: *Si quis*; ita autem habet: *Judex, executor, & aſſeſſor in cauſis criminalibus non poſſunt promoveri; hoc non ratione peccati, quia non peccant iſta faciendo, ut 23. quæſt. 4. quæſitum, & quæſt. 3. miles, ſed propter irregularitatem, quam ex tali facto contraxerunt.* Innocentius III. id ipſum rotundis verbis tradit in Lateranenſi generali Concilio *c. Sententiam ſanguinis; Ne Clerici vel Monachi: Sententiam ſanguinis nullus Clericus dictet, nec proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit* . . . . . *Nec quiſquam Clericus litteras dictet pro vindicta ſanguinis deſtinanda: unde in curiis Principum hæc ſollicitudo non Clericis, ſed Laicis committatur.* Quamobrem nulla occurrit in Jure conſtitutio, quæ Melitenſes Equites ab ea tueatur irregularitate, cui ſubditur, quiſquis reum morte condemnat, vel militiæ nomen dat, & hoſtes interficit, niſi id Ordini Melitenſi licuerit ex peculiari aliquo privilegio, quod omnino Doctores latet. Quod porro de Equitibus dicitur, omnibus quoque tonſuratis Clericis congruit, qui quidem militiæ vacarent, & in belli Conſilio ſedentes mortis ſententiam ferrent, niſi per aliquam Pontificis diſpenſationem, qua poſſent ita ſe gerere, a generali regula eximerentur.

Deciſum Pariſiis in Sorbona hac die 23. Auguſti an. 1681.
Aug. *de Lamet.*

Irregularitas Sacerdotis teſtis in cauſa criminis.

CASUS VIII.

Poteſt Sacerdos in criminali negotio teſtis eſſe, quin evadat irregularis, ſi nempe palam edicat non eam ſibi mentem eſſe, ut quæ dicturus eſt, ad rei mortem, aut mutilationem conferant.

QUÆSITUM.

AGit Titius, ut gravia, quæ ob incendium paſſus eſt, diſpendia reparet; Mævius porro ex indiciis, ac præſumptionibus hujus incendii ſuſpicione laborat; vel id agit, ut puniatur fratris homicidium, quod adſcribitur Mævio, ſed ex ſemiplena tantummodo probatione. Loci Parochus, ubi crimen admiſſum eſt, vel alius Sacerdos in jus vocantur, eorum futuri teſtes, quæ in horum criminum negotio ſciverint. Excuſant ſeſe, quominus compareant, Sacerdos, ſeu Parochus, quod de afflictiva pœna agatur. Quæritur, an idem Sacerdos, vel Parochus debeant necne comparere, ac de veritate teſtari, an vero id eis omnino non liceat, an aliqua demum ratione excuſari poſſint?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti ſuper propoſita facti ſpecie cenſent, Sacerdotem ſeu Parochum nihil non agere debere, ne teſtes accedant, ſi quæ dicenda ſunt, ad mortem aut mutilationem tendant; idque propterea quod in Jure nihil occurrit, quo id facere Clericis liceat, quin potius prohibetur, ne illi ſe iis negotiis immiſceant, quorum judicia ad ſanguinem ſpectant; quo quidem principio nixi complures Auctores contendunt ne Epiſcopum quidem iis eam veniam dare poſſe, ut ſe Judici teſtes ſiſtant, ſi quod dicturi eſſent, ad mutilationem, ac mortem tenderet. Aſſerunt tamen alii eos ſibi ab irregularitate cavere poſſe, declarantes, ſe quidem ob rei mortem aut mutilationem teſtes non eſſe; itaque Cardinalis Toletus *Inſtruct. Sacerdot. l. 1. c. 27. n. 18. ex actu*, inquit, *per ſe ordinato eſt teſtis, & denuntiator, qui denuntiat crimen, & proteſtatur ſe non facere id ad mortem, vel mutilationem; ſed tantum ad mala impedienda; ſi enim facit talem proteſtationem, quamvis ſit Sacerdos, non ſit irregularis C. Prælatis de homicidio in 6.* Utitur Cardinalis hoc Juris Canonici capite, quia eamdem putat eſſe rationem veniæ Clericis ibidem conceſſæ, ut, cum ipſorum quidem intereſt, accuſare, ac denuntiare poſſint; quæ tamen facti ſpecies ab ea, quæ in manibus eſt, alia videri poſſet, in qua nempe teſtimonium expoſcitur, quæque poſtulat, ne teſtis in propria cauſa loquatur. Quia tamen Auctor hic ſcripſit coram ſummo Pontifice, ejuſque opus in Romana Curia plurimi fit; cenſetur proinde, cum agatur de humana tantum lege, cujus robur omnino pendet a loci conſuetudine, ubi coguntur Clerici teſtes accedere, eos ſibi ab irregularitate cavere, cum coacti tantum accedunt, & publice proteſtantur, ex iis, quæ dicent, ſuo quidem judicio, mutilationem non ſecuturam, ac ſi a teſtimonio reddendo abſtinere poſſent, id ſe ſane facturos, ſe porro ob id unum teſtes venire, ut Judici pareant. Juverit etiam id eos petere, ut in interrogationis actu declarationis, quam edunt, mentio fiat.

Deciſum Pariſiis die 16. Maii an. 1678.
Aug. *de Lamet.*

Clericus irregularis, quod Subdiaconi officio functus fuerit.

CASUS IX.

Clericus, qui quatuor tantum Minores Ordines ſuſcepit, & Subdiaconi officio fungitur, irregularis eſt.

QUÆ-

QUÆSITUM.

CUm ex proxima Diœceſi Clericus, qui quatuor Minores Ordines ſuſceperat, ſe ſtitiſſet, & obtuliſſet in Eccleſia poſita in Urbe ſatis conſpicua numero tum populi, tum Clericorum, (hæc autem circumſtantia non eſt mittenda, ut deinde cognoſcas non fuiſſe inopiam Sacerdotum, & Miniſtrorum) ut in ſolemni die feſto inter Miſſarum ſolemnia Subdiaconi munere fungeretur: id ei ſtatim permiſſum eſt, quin expenderetur, utrum id liceret necne. Is ea venia impetrata, ſeſe induit, cumque ſumpſiſſet Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Tunicam, quæ Subdiaconi ornamenta & inſignia ſunt, neſcio cui Presbytero in mentem venit ex eo quærere, dum ita indutus inibi eſſet, ut Subdiaconi functiones obiret, an re vera Subdiaconatus Ordine initiatus eſſet; reſpondit ille, quo quidem conſilio, haud ſatis ſcio, ita ſane, quamvis aliter ſe res haberet, addens & illud ſe probe ſcire, quid ea in re ſibi facto opus eſſet; itaque Sacerdoti celebranti, Manipulo, cæteriſque Sacerdotalibus ornamentis induto ſe comitem addit, canit ſolemniter Epiſtolam, Calicem tangit, & ad Altare defert, uno verbo ea omnia exequitur, quæ in hac facti ſpecie Subdiaconus præſtare debet vi poteſtatis ex ſacro Ordine provenientis. Id in Provincia magno rumori fuit; ſectæ ſunt hac in re ſententiæ; ajunt alii eum in irregularitatem incidiſſe, idque Canonis, & gravium Auctorum, quos Bonacina in medium affert, auctoritate confirmant; alii e converſo ei repetunt excuſationem ex bona fide, ſed id tamen haud jure faciunt, cum ille antea monitus fuerit, ac proinde *ſcienter, ſerio, & ſolemniter hoc fecerit*, quæ ſunt conditiones tres, quas poſtulat Bonacina, ut qui Ordinem, quem non habet, exercet, irregularis evadat.

Tu quidem mihi pergratum feceris, ſi Pariſienſium Doctorum ſuper hac facti ſpecie deciſionem ad me miſeris; videlicet an hic Clericus, qui, ut jam ſignificavi, ſciens, prudens, ac ſolemniter, Manipulo, Alba, ac Tunica indutus Epiſtolam cantaverit; & cæteras omnes functiones ad Subdiaconum ſpectantes obierit in Miſſa ſolemni, in Urbe, loco, & tempore, *ubi non erat inopia Sacerdotum, & Miniſtrorum*; an hic, inquam, Clericus in irregularitatem inciderit, cum negotium notorium ſit; ac facta hypotheſi eum irregularem eſſe: an Epiſcopus diſpenſare poſſit, an vero id ad ſummum Pontificem ſpectet? Objicitur eum, Epiſcopo permittente, Subdiaconi officio fungi potuiſſe; mihi, quæſo, ediſſere, eamne veniam Epiſcopus dare poſſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſita vidit, exiſtimat Clericum ſolemniter, & cum indumentis; ornamentiſque Subdiaconorum propriis Epiſtolam canentem in irregularitatem lapſum eſſe juxta regulam *cap. ſi quis ext. de Clerico ordinato miniſtrante: Si quis*, ita habetur in hoc Capite, *baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur, & nunquam ordinetur*. Cum porro Clericus hic a temeritate excuſari non poſſit in ea, quam inivit, agendi ratione, quippe qui primo quidem mentitus fuerit, deinde vero ſeſe jactaverit contra Sacerdotis admonitionem, propria ſufficientia fretus; ut proinde bonæ fidei titulo excuſari non poſſit, nulla præſertim urgente neceſſitate, cum facile inveniri poſſent alii Clerici in Ordinibus conſtituti, adeoque nec ex eo capite poſſit in tuto poni, nec vero magis ex Officialis libertate, quam Epiſcopus ei tribuiſſet, quoniam ea prorſus carebat: conſequens ſane ſit, ut, quocumque modo res perpendatur, nullus excuſationi locus ſuperſit.

Ad interrogationem alteram quod ſpectat, Navarrus in Manuali cap. 27. quod *Villadiego* refert, tradit Mendicantes contendere ſe poſſe ſuis Clericis, propriis ornamentis, atque adeo Manipulo indutis Subdiaconi munia obeunda mandare. Sed Sayrus diſerte prodit Dominicanos id privilegii conſecutos in generali Capitulo Bononiæ in Italia habito an. 1564. quæ quidem diſciplina nunc temporis apparet ex Auctore *Theſauri caſuum conſcientiæ l. 7. cap. 10. n. 3.* Ex quo ſtatui poteſt Epiſcopos diſpenſare non poſſe contra commune jus, abſque gravi neceſſitate, & hanc quidem eam eſſe non poſſe, ut Prælatus ejuſmodi veniam Clerico tribuere debeat, cum poſſit ei legendam Epiſtolam demandare, quin Manipulum, quod eſt proprium Subdiaconi ornamentum, ſumat, aut inter Miſſarum ſolemnia calicem Diacono exhibeat, ut animadvertit S. Antoninus *p. 3. tit. 28. cap. 1.* ubi Guillelmi Antiſſiodunenſis, & Petri Paludani ſententiam profert.

Quoad interrogationem tertiam, is ſtilus eſt Romanæ Curiæ, ea nunc temporis conſuetudo, ut irregularitas, quæ apud Judicem probari poteſt, ad Epiſcopi juriſdictionem nequaquam pertineat, vi facultatis, quam Tridentina Synodus concedit Epiſcopis *ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* Verum nec pauci, nec infimæ notæ Auctores contendunt irregularitates, quæ quidem ad forum contentioſum deductæ non ſunt, Epiſcopo ſubdi poſſe, quoniam Synodus iis facultatem conceſſit in omnes ſuſpenſiones, & irregularitates, quæ in eo capite non excipiuntur, & ex exceptis judicandum eſt de Epiſcoporum poteſtate, ad diſpenſationes quod pertinet; cum porro Synodus eas tantum exceperit, quæ ad forum contentioſum traductæ ſunt, facile concluditur, eas, quæ re ipſa ſub Judice non ſunt, Epiſcopis ſubjectas eſſe.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 5. Decembris an 1680.

A. de Lamet.

Irregularis, quia, cum monoculus eſſet, Ordines ſuſcepit.

CASUS X.

Is, cui dexter oculus erutus eſt, ad ſacros Ordines promoveri non poteſt, abſque Romanæ Curiæ diſpenſatione; ſecus irregularis eſſet.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut definiant, an qui caret oculo dextro, ſit capax ſacrorum Ordinum juxta Eccleſiæ regulas, nec irregularis ſit, atque an ei ita ſe habenti Vicarius Generalis Dimiſſorias Litteras concedere debeat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum in ea eſt ſententia, ut, quamvis aſſeri poſſit eum, qui dextri oculi uſu careret, nec magnopere deformis eſſet, irregularem non fore, non idem tamen de eo ſentiendum ſit, cui idem oculus erutus fuerit, cum partem, quæ ex præcipuis eſt, amiſerit, & peculiaris etiam regula adſit in ſimili facti ſpecie relata *c. ſi Evangelica diſt. 55.* ubi Gelaſius Pontifex ſcribens ad Epiſcopum de Presbytero, quem proprio officio fungi vetuerat, quia ira & furore abreptus Diacono oculum eruerat, expreſſis verbis pronuntiat, eum, qui ita oculum amiſerat, juxta Eccleſiæ regulas ad Presbyteratus Ordinem promoveri non poſſe; iis enim regulis, qui oculum perdidit, Presbyter inſtitui nequit; en verba Canonis clare rem decidentis: *Illi, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum Canones Sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid ei prodeſt, quod oculum invitus amiſit, cum nec volens oculum amiſiſſe credendus eſt, nec ſacratiſſimos Canones aliquem caſum in amiſſione oculi, qui ad Sacerdotium adipiſcendum non expediret, ſuis excepiſſe regulis non invenimus. Sed hoc tantummodo ad prohibitionem ſuffeciſſe videmus Patribus, ut qui careret oculo, Sacerdotii Officium adipiſci non poſſet.* Ex quo Canone licet intelligi oculum ab Eccleſia habitum fuiſſe tanquam præcipuam, atque inſignem partem, cujus privatio cauſa ſit defectus graviſſimi, ex quo oriatur irregularitas juxta *Cap. Expoſuiſti, extra de corpore vitiatis non ordinandis*, ut proinde Vicarius Generalis ei, cui erutus eſt dexter oculus, Dimiſſorias Litteras

teras concedere non debeat, antequam ille a Romana Curia diſpenſationem obtinuerit, quæ quidem ei concedetur, dummodo ejuſmodi calamitas nimium deformitatis ei non attulerit.

Deciſum Pariſiis die 17. Novembris an. 1679.
A. de Lamet.

Subdiaconus non irregularis, quod in Matutinis Horis Lectionem ſeptimam recitaverit.

CASUS XI.

Subdiaconus non eo irregularis eſt, quod Evangelii Lectionem in Matutino recitaverit, cum eam non cantaverit ſolemniter, & ex Officio.

QUÆSITUM.

INſtitutum eſt in Sacello, vel Eccleſia Collegii P. Officium quotidianum, ſeu Canonicum, quod nonnullis Capellanis eſt demandatum. Alumni ejuſdem Collegii, qui in tres diſtinctas claſſes diſtributi ſunt, & operam navant Grammaticæ, Philoſophiæ, Theologiæ, tenentur vel æquitate quadam, & ad exemplum, vel aliquo Collegii ſtatuto, ſtricte tamen non obligante Matutinis Horis, quæ ex Collegii conſuetudine, vel inſtituto quinta circiter ante meridiem hora recitantur, diebus feſtis intereſſe. Alumni Grammaticæ tres priores lectiones recitant; Alumni Philoſophiæ quartam, quintam, & ſextam, & quidem induti veſte Collegii, & Alumnorum propria; Alumni Theologiæ, omnes Artium Magiſtri recitant, aut jure ſuo, aut ex conſuetudine Lectionem ſeptimam, vel Homiliam, quam Evangelii brevis lectio præcedit, & octavam lectionem; Celebrans denique nonam & poſtremam lectionem; & quinquies aut ſexies in anno Celebratis eſt ex Theologis Artium Magiſtris, ad quos honoris gratia pro conſuetudine Officium ſpectat; qui quidem fere nunquam interſunt, niſi qui in Collegio degunt. Tribus circiter ab hinc annis Alumnus Artium Magiſter, Theologiæ operam navans, qui forte die feſto Matutinis Horis ex Theologorum quidem claſſe unus aderat, Subdiaconatus tantum Ordine inſignitus, e ſua ſede ad lectionem librum accedens, veſte tantum & habitu Magiſtrorum Artium proprio indutus, & pietate, & zelo permotus, & ut Collegii ſtatutis ad ſuam claſſem ſpectantibus ſatisfaceret, lectionem ſeptimam, ſeu Homiliam brevi Evangelii lectioni ſuppoſitam recitavit, minime ratus id Subdiacono vetitum eſſe, nec in animo habens Eccleſiæ Leges contemnere, vel Diaconi functiones temere attingere. Sex poſt menſibus & Diaconatus Ordinem acceſſit bona fide, ſeque nulla cenſura vel irregularitate irretitum putans, cumque ſuſcepit hoc animo, ne cogitans quidem de eo, quod ſibi contigerat, quippe quod eo quidem tempore ejus animum omnino non agitabat.

In hac facti ſpecie tuam, Domine, deciſionem petit Alumnus hic, & ſcire cupit,

I. An irregularitatem ſubierit, & qualem, & qua demum ratione ejus abſolutionem obtinere debeat?

II. An deliquerit, & quatenus, & quomodo erratum purgare debeat?

III. An debeat necne ſe ulla reprehenſione dignum, & ullius criminis reum fateri, quod ingenue ac bona fide per hoc tempus duodecim circiter, aut quindecim vicibus Diaconatus & Subdiaconatus Ordines exercuerit; atque an ea bona fide ſine ullo pravo conſilio, & ſine ulla pertinacia ab omni cenſura, & irregularitate, & gravi culpa ſe ipſe ſatis tueatur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat Alumnum, de quo in expoſitione dictum eſt, nullam prorſus irregularitatem ſubiiſſe, quod in Matutinis Horis Evangelii lectionem, tametſi Subdiaconus tantum eſſet, recitaverit, quia non cecinit Evangelium ſolemniter, & *ex officio*, quod quidem communi ſententia ad irregularitatem ſubeundam neceſſarium eſt. Jam vero ad Evangelium ſolemniter canendum requiritur ſtola, ut animadvertit Barboſa in 5. *Decret. tit. de Cler. non ord. Miniſtr. n. 5. Nondum initiatus Ordine ſacro, canendo Epiſtolam cum Manipulo, aut Evangelium cum ſtola, dicitur canere ſolemniter, & ex Officio.* Ex quo ſequitur Alumnum, de quo quæritur, cum Evangelium tantummodo legerit, ac recitaverit, ſeptimam nempe Lectionem in Matutinis Horis, non cenſeri Diaconi munere functum eſſe.

Præterea ex Juris mente ad irregularitatem ſubeundam in eo, qui Ordinis, quem non habet, officio fungitur, temeritate, ac præſumptione opus eſt: *Qui non ordinatus exercuerit officium, propter temeritatem*, inquit primus Canon, *de Cler. non ordin. miniſtrante, Qui uſurpare celebrationem præſumpſerit*, inquit ſecundus 16. Porro Alumnus hic nihil non egit bona fide, ſeu cum in Matutinis Horis Evangelii Lectionem recitavit, ſeu poſtea, & cum Diaconatus & Subdiaconatus Ordines exercuit; quamobrem nullam ille cenſuram, ſeu Canonicam pœnam ſubiit, nulloque ſe crimine obſtrinxit.

Deciſum in Sorbona die 30. Octobris an. 1695.
G. Fromageau.

Parochus irregularis.

CASUS XII.

Parochus Officialis ſententia juſſus exhibere declarationem, quam accepit a falſo teſte, qui mortuus eſt, & ſuſpenſione, donec obſecutus fuerit, innodatus, tenetur parere ſententiæ, poſtquam ei ſignificata eſt; cum porro non paruerit, & Miſſam celebraverit, irregularis eſt, quamvis a dicta Sententia appellaverit.

QUÆSITUM.

VIr nobilis adverſarium, a quo ſe læſum contendebat, obviam habens, cum ille invitatus ad amicum ruri morantem proficiſceretur cum nonnullis mulieribus utriuſque conſanguineis, explendæ indignationis occaſionem nactus, eum cum fratre, domeſticiſque non paucis aggreſſus graviter contudit. Ille ſe conquerentem ſiſtit locorum Judicibus, teſtes adhibens amicos duos, & totidem ſervos, atque adeo mulieres omnes e comitatu, quorum teſtimonio vis ac facinus Viri nobilis plene ac plane conſtitit. Vir nobilis ſibi non parum timens, ad probationem infirmandam curavit exhibendam teſtium quatuor, hominum ſibi maxime devinctorum, declarationem, qua probare contendit, a duorum amicorum, qui læſum comitabantur, uno ſe baculo cæſum fuiſſe; qua declaratione ſuſpecto Judici exhibita, ab eoque recepta, tanquam ſpecioſo prætextu uſus eſt ad non leves actiones, quibus eas, quæ in ſe jure intentabantur, eluderet.

Accuſationem hanc is, qui læſus fuerat, falſitatis arguit; & dum actiones utrinque urgerentur, unus ex quatuor falſæ depoſitionis teſtibus, cum in gravem morbum incidiſſet, ſeque morti proximum intelligeret, proteſtationem apud Parochum & Vicarium edidit, qua faſſus eſt ſe adactum fuiſſe ad falſum teſtimonium dicendum ſuper negotio, quod penitus ignorabat, ſeque ita profiteri pronuntiavit, tum ut conſcientiam ſuam in tuto poneret, tum ut iis, qui accuſati fuerant, conſuleret.

Declaratio hæc ab ægrotante dictata ſcripta fuit a Parocho, & ſubſcripta ab eodem Parocho, Vicario, & ægrotante ejus auctore; quo paucis poſt diebus vita functo, læſus, in cujus favorem edita fuerat, Parochum, & Vicarium ad Officialem accitos voluit, ut Curiæ declarationem remitterent. Multa poſt acta Vicarius accedens faſſus eſt veritatem declarationis a falſo teſte editæ, quæque in ea continebantur, eamque concreditam fuiſſe Parocho, qui, cum eam remittere abnuiſſet, damnatus

eſt

eſt Officialis ſententia defectus titulo edita, cui ille parere noluit, prætendens, ſe, quid Confeſſionis ſigillo debeat, non ignorare, ſibique concreditam declarationem fuiſſe, iis conditionibus, quas non exprimit, de quibus Vicarius ne verbum quidem, id unum declarans, eam apud ſe Parochum retinuiſſe, ſeque ab ægrotante rogatos fuiſſe, ut eam reciperent ad ejus conſcientiæ tranquillitatem, & facti reparationem.

Conſtat, quæcumque a Parocho prætenduntur, eo demum ſpectare, ut ne declarationem remittat, & Viro nobili, adverſus quem edita eſt, utpote ſuæ Parochiæ ex parte Domino faveat.

Quia porro Parochus adeo inuſitatam agendi rationem excuſare, & prætextus confingens a juſtis reprehenſionibus ſeſe tueri contendit: quærit, an in foro conſcientiæ teneatur declarationem proferre pro ejus, qui eam edidit, intentione, & vi Sententiæ, qua id facere juſſus eſt, & a qua appellavit, utpote mandante, ut a divinis Officiis ſuſpenſus, donec obſequeretur, & omnibus impenſis, damnis, & cenſibus obnoxius jaceret?

Quæritur, an tuta conſcientia potuerit ſacrum facere, Sententia, prout edita fuerat, ſibi ſignificata, & obſequi nolens?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, exiſtimat, tametſi declarationem eam aliis, quam Clericis demandari ſatius fuiſſet, cum tamen quod factum eſt, infectum fieri nequeat, Parochum in conſcientiæ foro teneri declarationem producere juxta declarantis intentionem, expreſſamque ſententiam, nec poſſe Confeſſionis ſigillum prætendere. Quamvis enim ea declaratio Confeſſionis effectus eſſe potuerit, non tamen tanquam Sacramenti ſigillo contenta ſpectari poteſt, cum extra Confeſſionem edita fuerit, ut ex eo apparet, quod non ſolum a Parocho recepta eſt, ſed etiam coram Vicario, qui eam ſubſignavit, perinde ac Parochus, & ægrotus. Appellatio porro, quam inſtituit, ab Officialis Sententia, quæ mandat, ut a Divinis Officiis, quoad obſequatur, ſuſpenſus remaneat, eum a ſuſpenſione non eximit, & cum ille a Sententiæ ſibi facta ſignificatione ſuos Ordines exercuerit, irregularis evaſerit. Expreſſa eſt in hanc rem regula *Cap. Is, cui l. 5. de ſent. excomm. in 6.* ubi de ſuſpenſione ſermo eſt: *Sane ſicut excommunicatio, ſic ab Officio, vel ab ingreſſu Eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus per appellationem ſequentem minime ſuſpenduntur.* Quod etiam firmatur *l. 2. decret. de appell. cap. Ad hæc quoniam*, ubi de interdicto, atque excommunicatione idem traditur, quia id omnium commune eſt: *Noveris igitur*, inquit Pontifex, *quod ſicut poſt appellationem excommunicari non poſſunt, ſic interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos conſtat ſuppoſitos, declinare.* Et Gloſſa in *cap. Is cui: ſed ponamus, quod aliquis fuit ſuſpenſus, vel interdictus; ille appellavit; utrum per appellationem ſit ſuſpenſa ſententia interdicti, vel ſuſpenſionis? Reſpondet, quod non.* In eadem quoque Decretali traditur, eum, qui ejuſmodi cenſuras violaverit, irregularem fore; loquimur porro de cenſuris abſolutis, cujuſmodi eſt ea, de qua agitur in præſentia. Ita Sylveſter *verbo Excommunicatio 2. num. 1. caſu 7.* Armill. *verb. appellatio n. 4.* Navar. *c. 27. n. 159. c. Præterea, & 2. de appell.* & alii; ut proinde Parochus, de quo ſermo eſt, dubio procul, poſtquam Officialis ſententia ſibi ſignificata eſt; tuta conſcientia Miſſam celebrare nequaquam potuerit.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 30. Junii an. 1677.

Irregularitas ex mentis defectu.

CASUS XIII.

Qui ſex circiter menſibus mentis impos fuit ex contentione in ſtudiis adhibita, & convaluit ab annis ſex, poteſt abſque diſpenſatione, ſiquidem aliud impedimentum non adſit, ad Ordines promoveri.

QUÆSITUM.

PEtrus ſex menſium ſpatio jacuit mentis impos; confectis curriculis, ex melancolia, cui aſſeſſit vehemens in ſtudiis animi contentio, ita tamen, ut non tantus deinde ſtupor extiterit, quantus tribus prioribus menſibus, ac demum quinque circiter ab hinc annis integram ſanitatem recuperaverit, & in omnibus negotiis perfectum uſum exhibuerit. Cum porro vehementi Clericalis ſtatus deſiderio ſemper flagraverit: interrogat, an ob eam ægritudinem irregularis evaſerit, & proinde irregularitatis diſpenſationem a Sede Apoſtolica petere debeat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet ægritudinem, de qua in expoſitione dictum eſt, ejuſmodi non eſſe, ut Petrum irregularem reddiderit, ac propterea ſanus effectus diſpenſationem, cujus vi Ordines ſuſcipiat, a Romana Curia poſtulare teneatur. In Jure quidem *cap. Maritum diſt. 33.* qui in amentiam vel furorem inciderunt, irregulares ſunt, adeoque, ex communi ſententia, licet omnino ad mentem redierint, diſpenſatione tamen indigeant, ut ad Ordines accedant.

Sed reſpondetur, irregularitatem, de qua eo in capite ſermo eſt, ad eos ſpectare, de quibus loquitur Suarez *Tom. 5. diſp. 51. ſect. 1. n. 4. de irregularitate*, ubi laudatum caput explicat in hæc verba: *Hoc autem intelligendum eſt de amentia, quæ eſt, ut ita dicam, per modum habitus, & habet propriam ac permanentem cauſam fundatam in propria læſione organorum, vel humorum; nam ſi quis ex vehementi febre amittat uſum rationis, & deliret, vel etiam furioſus fiat, nullam inde contrahit irregularitatem, quia ille ſimpliciter non poteſt dici amens, aut furioſus; nam, ut Ariſtoteles dixit, paſſio tranſiens non denominat ſimpliciter, neque in hoc locum habet periculum, vel indecentia, quæ in proprio amente, & ita habet communis uſus.* Ita etiam ſentiunt Navarrus *in Man. cap. 27. n. 72.* Barboſa *in cap. Maritum* citatum *n. 10.* Avil. *7. p. diſp. 3. dub. 4. de irregul.* Baſſæus *v. irregularitas 2. n. 1.* Bonacina *diſp. 7. q. 2. p. 2. n. 23. de irregul.* aliique complures.

Si igitur firmum ſtet Petri ægritudinem ea, qua declaratum eſt, ratione contigiſſe, eumque quinque circiter aut ſex ab hinc annis integre convaluiſſe, quod gravibus ac fidelibus teſtimoniis Ordinarius cognoſcere poteſt, ille quidem abſque diſpenſatione, ſi nullum aliud impedimentum extiterit, ad Ordines admitti poteſt.

Deciſum hac die 17. Junii an. 1700.
G. *Fromageau.*

Milites irregulares.

CASUS XIV.

Milites in præliis, aut peculiaribus pugnis, in quibus ſanguinis effuſio extitit, verſati irregulares ſunt, ac proinde abſque diſpenſatione Ordines ſuſcipere nequeunt.

QUÆSITUM.

VIdendum eſt, an Regulares militari ſervitio addicti, & in navalibus præliis, atque adeo in ſingularibus dimicationibus, in quibus effuſus eſt ſanguis, forte verſati Ordinibus abſque Romanæ Curiæ diſpenſatione ſuſcipiendis idonei ſint, atque an Religionis vota eam necne vim habeant, ut ab hujuſmodi irregularitatibus eoſdem abſolvant.

Doctores, qui conſulentur, rogantur humillime, ut ſuam ſcripto ſententiam exhibeant, ac ſi Regulares hi non poſſint ad Ordines citra diſpenſationem accedere, ediſſerant, quid ſit opus facto quoad eos, qui bona fide, ſe diſpenſatione indigere neſcientes jam iis initiati ſunt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat quoad quæſtionem primam milites, qui in præliis navalibus, aut ſingularibus quoque certaminibus, in quibus ſparſus eſt ſanguis, vel ipſi laxarunt tormenta bellica, quamvis haud certo ſciant ſe vel occidiſſe, vel mutilaſſe, aut iis præſto fuere, qui occiderunt, mutilaruntve, irregulares cenſeri, ſi bellum injuſtum ſit; cum juſto in bello ad irregularitatem ſubeundam neceſſe ſit, ut miles occidat, aut mutilet, *Cap. Petitio tua de homic.* & hæc quidem irregularitas eſt *ex defectu lenitatis*; qua de ré conſuli poteſt Bonacina *tom. 1. diſp. 7. punct. 2. de irregul.*

Juſtum quidem bellum fere præſumendum eſt, niſi contrarium evidenter conſtet, & iis, qui ſapiunt, aliter videatur; quamquam in hac quoque hypotheſi miles irregularis eſt, ut dictum eſt, non eo prorſus, quod caſtra ſecutus fuerit, ſed quod occiderit; ac ſi occidit, iterum diſtinctione opus eſt, ut animadvertit Pelizarius *tom. 1. tit. 7. cap. 5. n. 199.* an ſcilicet aggredientes repellens, an ipſe aggrediens occiderit; ſi enim in prima facti ſpecie occidiſſet, irregularitas nulla foret.

Quoad quæſtionem alteram. In Jure ſola irregularitas *ex defectu natalium*, Religionis profeſſione tollitur; ita ut Ordines ſuſcipi poſſint. Hæc communis ſententia eſt, ut Pelizarii *tom. 1. tit. 3. c. 4. q. 7. n. 33.* Baſſæi *v. irregularitas* 11. *n. 3.* Sanchez *l. 5. c. 5. n. 8. Mor.* Sayri *c. 13. n. 9. de irregular.* Bonacinæ *l. cit. q. 5. p. 2. n. 2.* aliorumque complurium Theologorum, quos illi in medium adducunt. Et ſane in Jure Canonico *cap. 1. Ut qui filii de fil. Presbyt.* filius illegitimus Ordinum capax fieri dicitur, quin diſpenſatione opus habeat, ſtatim ac monaſticam vitam amplexus eſt, vel in aliqua regulari Congregatione verſatur: *Ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes, nullatenus autem Prælationem habeant.*

Hinc illud inferri poteſt, Regularem, antequam ad Ordines accedat, ad Romanam Curiam confugere debere, niſi forte Ordo, de quo agitur, privilegiis iis gaudeat, quorum vi Superiores in irregularitatibus vel ex homicidio provenientibus poſſint cum Regularibus ſibi ſubditis diſpenſare; porro Religiones bene multæ gaudent ejuſmodi privilegiis.

Pelizarius *tom. 2. tr. 9. cap. 3. n. 114.* affert Indultum Pauli III. in Benedictinorum Valdoleti favorem, ut ſemel in anno Quadrageſimali tempore ab omnibus cenſuris & irregularitatibus, quæcumque tandem eæ fuerint, abſolvere poſſent. Portellus *in dub. regul. v. diſpenſare in addit.* hujus Bullæ mentionem facit, ejuſque ipſiſſima verba refert, unde concludit omnes aliarum Religionum, quæ hujus Ordinis privilegiis gaudent, Superiores eadem facultate inſtructos eſſe.

Extat Pii V. Conſtitutio, quæ numero 129. eſt in Bullario, qua Pontifex Benedictinis Monachis Montis Caſſini eam poteſtatem tribuit, ut in conſcientiæ foro tantummodo ab omnibus cenſuris, pœniſque Eccleſiaſticis, atque adeo ab irregularitatibus ex homicidio ſive occulto ſive publico contractis eos abſolvant, qui iis, antequam Religioni nomen darent, obnoxii fuerint. Hujus Bullæ meminit Pelizarius *tom. 2. tract. 9. c. 3. q. 23.*

Sayrus *l. 8. c. 3. n. 14. de cenſur.* privilegia non pauca producit compluribus Religionibus a variis Pontificibus conceſſa, ut diſpenſarent in irregularitatibus, quæ vel *ex homicidio proveniunt*, dummodo ſint *ex defectu lenitatis*; quod de iis accipiendum, qui *in bello juſto* occiderunt; & quamvis, inquit Auctor hic, iis privilegiis excipiatur irregularitas quæ ducitur *ex homicidio voluntario*, ea tamen de eo ſane homicidio ſunt explicanda, quod culpa non vacat; en ejus verba: *Immo cum Regularibus conceſſum ſit, ut in quacumque irregularitate diſpenſare valeant, excepta ea, quæ provenit ex bigamia, & homicidio voluntario, ſub quo intelligitur excepta diſpenſatio mutilatoris, poſſunt diſpenſare cum homicida caſuali culpabili; necnon in irregularitate, quæ procedit ſine ulla culpa ex ſolo defectu lenitatis; v. c. cum milite, cum Judice ob juſtam occiſionem, quæ non intelligitur nomine homicidii excepti. Per homicidium enim exceptum ſolum intelligitur factum injuſtum, quod prohibetur in Præcepto quinto Decalogi.* Idem antea dixerat *l. 6. c. 19.* atque a Romana Pœnitentiaria ita deciſum fuiſſe. In eamdem ſententiam deſcendit Pelizarius *tr. 9. c. 3. q. 26. n. 143.* Bonacina tamen loco laudato *q. 4. punct. ult. n. 13.* contrariam ſententiam magis eſſe probabilem putat, quamquam Theologos multos appellat, qui ſibi minime ſuffragantur.

Porro de diſpenſandi facultate Superioribus conceſſa nihil probabilius aſſeri poteſt, quam conſulenda eſſe cujuſque Ordinis privilegia, videndumque ab Ordinis inſtitutione quid conſuetudinis obtinuerit, ut cognoſcatur, utrum Regulares ad Romanam Curiam necne confugere neceſſe habeant in propoſita facti ſpecie.

Quoad tertiam. Si Ordo, de quo quæritur, privilegio nullo gaudet, Regulares, qui ad Ordinum ſuſceptionem diſpenſatione indiguerunt, ad Romanam Curiam confugere debuerunt; & quod inde conſequitur, qui eos in caſu propoſito abſque diſpenſatione ſuſceperunt, a propriis officiis abſtinere debent, donec redintegrati fuerint, quamvis eoſdem Ordines bona fide ſuſceperint.

Deciſum hac die 20. Maii an. 1699.
G. *Fromageau.*

Irregularitas ex comitiáli morbo.

CASUS XV.

Clericus ſacris Ordinibus inſignitus, & deinde comitiali morbo correptus irregularis non eſt, dummodo raro eo corripiatur, vel ex eo convaluerit; e converſo ſi ante ordinationem in hunc morbum incidit, irregularis eſt, nec ſine diſpenſatione, vel priſtinæ valetudini reſtitutus, Ordines ſuſcipere poteſt.

QUÆSITUM.

SOrbonæ Doctores rogantur humillime, ut ejuſmodi difficultates enodent.

I. Adoleſcens Regularis epilepſia ſemel tantum correptus, triennio poſt Subdiaconatus Ordinem ſuſcipit, ſuoque paſſim officio fungitur; quæritur, ſitne irregularis?

II. Si ille irregularis ſit, nil tamen tale ſuſpicans, quod eum ſacrum Ordinem ideo ſuſcepit, quia omnibus Monaſterii Patribus vocalibus in eum finem de more propoſitus ſuffragia, maxima ſaltem ex parte, propitia retulit, tametſi iidem Patres vocales numero triginta ſex id non ignorarent, quod ei triennio ante contigerat, & eventus in capiendo conſilio mentionem feciſſent: quæritur, an mortaliter peccet, Subdiaconatus officio fungens coram Superioribus, id ipſum volentibus?

III. Quæritur & illud, an ob hanc irregularitatem, qua innodatus aſſeritur, lethali peccato ſe obſtringat, quoties communicat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitas quæſtiones vidit, & expendit; exiſtimat,

Quoad primam, Adoleſcentem Regularem, ſemel tantum epilepſia, ſeu comitiali morbo correptum irregularem eſſe, nec proinde citra Pontificis diſpenſationem ad Subdiaconatum promoveri potuiſſe. Ita communiter Auctores, qui diſtinguunt inter Clericum, jam ſacris Ordinibus initiatum, qui deinde comitiali morbo laborat, eumque, qui antequam initiaretur, eodem morbo laborabat. Ille quidem, inquiunt, irregularis omnino non eſt; videlicet ſuſceptorum Ordinum functiones obire poteſt, dummodo eo morbo raro admodum corripiatur, aut ex eo convaluerit; hunc vero contendunt, etiamſi eo ſemel tantum correptus eſſet, & reparatæ valetudinis invicta argumenta præberet, irregularem tamen fore; nec citra diſpenſationem ad ſacros Ordines accedere poſſe.

Con-

Conſuli poſſunt Navarrus in Manuali c.27. n. 263. *Qui patitur*, inquit, *epilepſiam*, *adeo eſt irregularis*, *ut ſemel hoc morbo infectus nunquam amplius poſſit ordinari*, *quamvis omnino ſanus appareat*.

Saytus *l. 6. c. 9. n. 11. de Cenſ. Epilepſia irregularem efficit*, *ita ut nec promoveri quemquam patiatur*, *quamvis homo ſemel tantum hoc malum paſſus ſit*, *& jam omnino ſanus eſſe videatur*; *& hoc ob periculum in morbum illum incidendi poſtea*, *& propter morbi illius horrorem*.

Suarez *tom. 5. diſp. 51. ſect. 1. n. 6. de Cenſ. Epileptici ſunt etiam irregulares*, *& ſi ordinati non ſunt*, *quamvis morbo integre liberentur*, *ordinari non poſſunt*, *ut patet ex tota diſt. 33. & ex eiſdem auctoribus*.

Baſſæus *v. irregularitas 2. n. 9. Laborantes morbo caduco irregulares ſunt*, *immo non poſſunt ad Ordines promoveri*, *quamvis jam fuerint ſani effecti & liberati*.

Auctores hi, aliique, qui afferri poſſent, fere nituntur Capite *Maritum diſt. 33.* & Gloſſa Capitis *Communiter v. de iis* eodem loco, cujus hæc verba ſunt: *Promoveri non poſſunt tales*, de iis agitur, qui comitiali morbo laborant, *ex quo paſſi ſunt ſemel*, *ut ſupra ead. diſt. c. Maritum*, *& hæc eſt opinio*, *nec in hoc habet contradictionem*.

Cabaſſut. *l. 5. c. 19. n. 8.* qui communi ſententiæ adhæret, addit ex praxi epilepticarum affectionum, ante annum decimum quartum, quæ pubertatis ætas eſt, contingentium nullam rationem haberi, quia nemo fere puerorum eſt in infantia ab omnibus ejuſmodi affectionibus omnino liber, ut tradit Paulus Zacchias magni nominis Medicus *Conſilio 59. n. 5.* Sed idem Cabaſſut. Zacchiæ opinionem tanquam Canonibus repugnantem, minuſque tutam repudiat his verbis: *Ibidem ſuadere conatur Zacchias Canones*, *qui contrarium decernere videntur*, *intelligendos eſſe de fœda & gravi epilepſia*, *quæ poſt pubertatem eſt fere inſanabilis*; *ſed Zacchiæ refragemur*, *& tutius eſſe dicemus*, *& Canonum Præſcriptis conformius*, *omnes vere epilepticas affectiones*, *quæ poſt pubertatis annos contingunt*, *irregularitati adſcribere*.

Hinc ſequitur juniorem Regularem, de quo inſtituta quæſtio eſt, non poſſe deinceps ſuſcepti Subdiaconatus officio fungi, quoniam ante ejus ſuſceptionem irregularis erat, epilepſia triennio ante correptus, nec hactenus irregularis eſſe deſiit.

Quoad ſecundam; idem junior Regularis non peccavit omnino, ſeu Subdiaconatum ſuſcipiens, ſeu ſuſcepti Ordinis functiones exercens, quia egit bona fide, ſuorumque Superiorum venia fretus; ab obeundis tamen functionibus, quoad a Pontifice diſpenſationem obtineat, abſtinere debet, niſi forte ab irregularitate poſſit ex Ordinis privilegio a ſuiſmet Superioribus liberari.

Quoad tertiam; Quamdiu quidem idem Regularis de canonico impedimento, quo Subdiaconi muneribus obeundis ineptus efficiebatur, ignoravit, eas licet obierit, nihil peccavit; ex quo porro de irregularitate monebitur, in iiſdem obeundis perſiſtere omnino non poterit citra peccatum.

Deciſum hac die 13. Februarii an. 1697.
G. *Fromageau*.

CASUS XVI.

Presbyter ſuſpenſus, qui evadit irregularis.

QUÆSITUM.

Sacerdos ſuſpenſus ad certum tempus Officialis ſententia, juſſuſque per eamdem Sententiam in Seminarium, vel Regularem Congregationem ſeſe recipere ad definitum quoque tempus, eam Sententiam quoad ſuſpenſionem dumtaxat executus eſt, in Seminarium autem, ſeu Regularem Familiam nequaquam conceſſit. Cum ſtatum tempus elapſum eſſet, ſacrum fecit. Quæritur, an ſit irregularis? Non eſt omittendum, Epiſcopum verbo tenus ei celebrandi veniam dediſſe.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum diſtinctione opus eſſe putat, & ita dicendum: Si Officialis Sententia conjungit ea duo, ſuſpenſionem ſcilicet, & in Seminario commorationem, ut Sententiæ ea notio ſit, Presbyterum, de quo quæritur, in Seminario, vel Regulari Familia certo temporis ſpatio commoraturum, & per id tempus ab officio ſuſpenſum fore; hoc in caſu cum ille in neutrum ſibi præſcriptum locum ſeſe contulerit, ſuſpenſus remanet, donec Sententiæ paruerit; quia id quidem Officialis utile ac neceſſarium exiſtimavit ad ejus mores reformandos, eumque ad ſua munia, a quibus ſibi ſuſpenſionem ad tempus meruerat, obeunda impoſterum comparandum.

Quod ſi ea eſt Officialis ſententia, ut ille ſtato tempore ſuſpenſus jaceat, & in Seminarium ſeſe recipiat: in hac facti ſpecie cum ſuſpenſionem præſcripto tempore non violaverit, celebrare potuit, quin irregularitatem ſubiret, tametſi ad Seminarium non convolans, & ea in re proprio Officiali dicto non audiens ipſe peccaverit; ea quippe receptio in hoc caſu ſpectatur tanquam aliquid a ſuſpenſionis, cujus tantum violatio irregularitatem parere poteſt, ſervandæ obligatione ſejunctum; eorum autem, quæ ſejuncta ſunt, unum ſine altero exiſtere, ac ſervari poteſt.

Fatendum tamen eſt, in priore facti ſpecie Presbyterum vi permiſſionis ab Epiſcopo vel oretenus conceſſæ celebrantem in irregularitatem omnino non incidiſſe; in hoc enim negotio irregularitas provenit *ex delicto*, & culpam ſupponit; jam vero is non peccavit, quoniam bona fide, & ex ſibi ſignificata Epiſcopi mente celebravit. In hac quidem priori ſententiæ ſpecie nihilominus in foro externo huic Sacerdoti negotium faceſſi poſſet, quippe qui Officialis Sententiæ non ſatisfecerit. Quamobrem ſibi apud eum confugere debet, ut ſe in tuto ponat; ſi Sententiæ obſecutus eſt, id obtinet Juris ordo, ut afferatur teſtificatio, ſeu certificatum, quo conſtet eum Officialis mandato paruiſſe tum quoad Seminarium, tum quoad ſuſpenſionem, eique ſignificetur eum de more functiones ſuas obiturum; vel edita declaratione, qua probetur eum ſententiæ ſatisfeciſſe, poteſt ille deinceps functiones obire.

Deciſum hac die 17. Januarii an. 1704.
G. *Fromageau*.

Regularium Superior Irregularis.

CASUS XVII.

Superior, *aut Regularis*, *qui Mulieres*, *aut puellas in proprium Monaſterium induxerunt*, *ſuſpenſi ſunt*, *& irregulares*, *ſi Miſſæ Sacrificium deinde celebraverint*; *mulieres autem ac puellæ in Monaſterium ingreſſæ in excommunicationem lapſæ ſunt*.

QUÆSITUM.

Quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, an prætextu levis reparationis faciendæ muris horti Familiæ Regularis, quæque ex caſtigatiſſimis eſt, & quoad Regularia domicilia optime concluſa eſt, & optime ſe habet, liceat Superiori, & quod majus eſt, cuiquam Regulari aditum concedere puellis ac mulieribus non in Monaſterii clauſtra tantummodo, poſtquam iis januas aperuere, ſed in privata quoque cubicula; atque an id permittentes inciderint in excommunicationem indictam a ſummis Pontificibus Julio II. Eugenio IV. & Pio V. quorum Bullæ in hoc quidem Ordine receptæ ſunt? Et an juxta Turonenſis Concilii II. Canonem 12. cujus hic titulus eſt: *Mulieri intra ſepta Monaſterii non permittatur introire*, & cujus hæc verba ſunt: *Mulieri intra ſepta Monaſterii nullatenus introire permittatur*, *ſi Abbas in hac parte*, *aut Præpoſitus negligens apparuerit*, *qui enim viderit*, *& non ſtatim ejecerit*, *excommunicetur*. An, inquam, juxta hunc Canonem Abbas, & Præpoſitus, & potiori jure inferior excommunicati ſint necne? Atque an, Miſſa deinde celebrata, irregulares evaſerint, aut ſaltem ambo pœnas in Jure præſcriptas ſubire debeant?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet animadvertendum imprimis eſſe, Auctores, qui controverſiam expendunt, an in Virorum Monaſteria mulieribus, aut puellis aditus concedi poſſit, & quas demum pœnas ſubeant tum ingredientes, tum ingredi permittentes; eam fere exigere non ad Bullas Eugenii IV. & Julii II. ſed ad poſteriores, nempe Pii V. & Gregorii XIII.

Duo porro notanda veniunt, ad dictas Bullas quod attinet.

Primum eſt; Pium V. in Bulla, quæ anno 1566. edita refertur in Bullario *n.* 20. & incipit his verbis: *Regularium perſonarum*, excommunicatione percellere Mulieres aut puellas, quæ privilegia prætendentes in Virorum Monaſteria ingrediuntur; & ex alia parte ſuſpendere *ipſo facto* Superiores, alioſque Regulares, qui eas inducere & admittere præſumpſerint. Gregorius XIII. in Bulla *Ubi gratiæ n.* 8. an. 1575. confirmat Pii V. Bullam, additque excommunicationis pœnam in Superiores, qui ejuſmodi ingreſſus permiſerint; ſed de iis tantum mulieribus ac puellis ſermonem habet, quæ privilegiorum prætextu in dicta Virorum Monaſteria ingrediendi ſibi jus eſſe contendunt.

Alterum eſt; Pium V. alia Conſtitutione anno 1570. quæ allata poſterior eſt, & ita incipit: *Decet R. Pontificem* abſolute & indiſcriminatim in omnes mulieres ac puellas, quæ Virorum Monaſteria ſubierint, excommunicationis ſententiam pronuntiare; in Superiores autem, ſeu Regulares, qui in Monaſterii clauſtra eaſdem induxerint, privationis officii, & ſuſpenſionis *ipſo facto*, prorſus ut in priori Bulla ſtatutum fuerat. Conſuli poſſunt Navarrus *Comment.* 4. *de Regul. n.* 62: Suarez *tom.* 4. *de Relig. c.* 8. *n.* 9. Sanchez *l.* 6. *c.* 16. *n.* 79. & *c.* 17. *n.* 35. *Moral.* Bonacina *tom.* 1. *de Clauſ. q.* 5. *punct.* 3. *n.* 2. Pelizarius *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *nn.* 59. & 60.

His poſitis, reſpondetur Superiorem aut Regularem, qui fæminas ac puellas introduxere prætextu levis reparationis in horti muris faciendæ, quæ in ſtricti juris negotio nihili æſtimanda eſt, præſertim ratione Familiæ, quæ maxime, ſi qua alia, regulas ſervat, incidiſſe in ſuſpenſionem in Pii V. Bulla inflictam, & irregulares evaſiſſe, ſi Miſſam deinde celebrarunt. Iidem tamen ſeu Superior, ſeu quivis alius ex Regularibus eas fæminas bona fide exceperunt, ut ex muri fractura fit veroſimile, nullam penitus cenſuram ſubierunt, præſertim cum ex Pii V. Bulla diſerte conſtet in Superiore, ſeu Regulari præſumptionem ad id requiri: *ne eas introducere, admittereve præſumant*; quod in præſenti facti ſpecie non apparet; quod porro ad Turonenſis Concilii ſecundi Canonem 12. ſpectat, excommunicatio ibidem inflicta eſt tantum comminatoria.

Deciſum hac die 9. Novembris an. 1697.
Aug. *de Lamet.*

Sacerdos irregularis, quod in reum manus injecerit.

CASUS XVIII.

Exiſtatne ob injectas in reum manus irregularitas?

QUÆSITUM.

Mihi, Domine, Clericus in aurem propoſuit difficultatem, ſuper qua conſultus fuiſti, ac reſpondiſti; ego ultro acquievi reſponſo tuo, mecum reputans in re non mihi ſatis eluceſcente auctoritatem tuam ſatis firmum deciſionis fundamentum eſſe. Id me tamen nonnihil ſollicitum habet, nec porro id mihi tribuere auderem, ut meam dubitationem tibi proponerem, niſi hic idem Clericus me certum reddidiſſet te de hac re ab ipſo conſultum humaniter edixiſſe, ſi qua difficultas in tua deciſione occurreret, eam te, qua facilitate es, æquo lubentique animo declaraturum. Sermo eſt de Clerico Sacerdote & Parocho, qui operam contulit, ut comprehenderetur, ſeu potius ipſe comprehendit, & ſatellitibus tradidit, ut juſtitiæ patrocinaretur, & publicæ tranquillitati proſpiceret, nequam hominem multorum criminum reum, quorum cauſa adhuc in carcere detinetur, adeoque verſatur in vitæ diſcrimine. Tu quidem eum Sacerdotem in irregularitatem non incidiſſe reſpondiſti; reſponſio tua complectitur articulos duos; primus eſt, irregularitatem non exiſtere *niſi ſecuto effectu*; nihil id mihi negotii faceſſit; alter eſt, etiamſi effectus extitiſſet, vel ſecuturus eſſet, eum tamen nulli prorſus irregularitati obnoxium fore; idque ob eam cauſam, quod Canones ad irregularitatem ſubeundam requirunt, ut iis, de quo quæritur, mortis, aut mutilationis proxima cauſa ſit; cum porro Sacerdos ille, pro Galliæ conſuetudine, ejuſmodi proxima cauſa non ſit, eum irregularem non eſſe concludis.

Ut ad id, quod ſuper hoc poſteriore articulo mihi difficultatem ingerit, mihi viam ſternam, initio ſtatim ſtatuendum puto, in quo demum cauſæ tum proximæ, tum remotæ ratio ſita ſit. Cauſarum autem diſtingui poſſe mihi videntur genera duo; unum quidem in ordine Phyſico, ut cauſæ proximæ nomine veniat is, qui homicidium, aut mutilationem efficit, cujuſmodi eſt Executor; remotæ vero nomine veniant ii, qui cooperantur, cauſa exempli collata opera, quales ſunt alii Miniſtri, qui in executionem conſpirant. Alterum vero genus in Morali eſt Ordine, quod mea quidem ſententia poteſt bifariam intelligi; primo ita, ut cauſa proxima dicatur ea, quæ in homicidium ſeu mutilationem influit; ea vero remota, quæ ſolum occaſio eſt; ac proinde Judex, Conciliarii, denuntiator, teſtes, aliique publici Miniſtri ſint irregulares, quia omnes influunt; non item Legiſlator, qui legem ſanxit cum mortis pœna, Dominuſque temporalis, qui juriſdictionem delegat, quia occaſio quidem ſunt, cauſa autem proxima omnino non ſunt. Secundo ita, ut cauſa proxima ea eſſe dicatur, quæ effectum determinat; ea vero remota, quæ operam quidem confert, at non determinat; & ita quidem Judex cum iis ex ordine Phyſico, de quibus in priori genere diximus, ſint irregulares, quia Judices effectum determinant, alii exequuntur; non item accuſator, teſtes, ac cæteri, quia conferunt ad effectum, quin eum tamen determinent.

Hoc poſito, initio ſtatim ſuper prima fundamenti tui propoſitione difficultatem propono. Cum enim ais ad irregularitatem ex defectu lenitatis incurrendam Canones id poſtulare, ut nempe is, de quo ſermo ſit, ſubſecutæ mortis & mutilationis proxima cauſa ſit: quo ſenſu vox hæc *proxima*, in Canonibus accipiatur? In primo ne genere? Haud mihi videtur id eſſe vero ſimili, quia ſi ita res haberet, non niſi Executor, iique, qui ad executionem ſuam operam conferunt, irregulares forent, quod Juri repugnat. An vero in priore ſenſu ſecundi generis? Eam ſane apparet Canonum notionem eſſe, quia conſtat, ex eorum mente non modo Executorem, & in executionem incumbentes irregulares eſſe, ſed etiam Judices, accuſatorem, teſtes, publicoſque Miniſtros ejuſmodi eſſe, quia ii omnes influunt; e converſo Legiſlator, & qui juriſdictionem ſuam in criminali negotio delegat, ejuſmodi non ſunt, quia non influunt omnino, ſed tantum occaſio ſunt. Verum non is eſſe videtur verborum tuorum ſenſus, quia proximarum cauſarum nomine cum Canonibus intelligis eas, quæ influunt, facile oſtenderetur eum, de quo agitur, proximam cauſam eſſe, hac ratiocinatione: qui influit, eſt cauſa proxima; is, de quo agitur, influit; eſt igitur cauſa proxima. In altera propoſitione mihi difficultas occurrit, quæ conſtat exemplis pluribus; uno contentus ero; Petrus Joannem inſectatur ad mortem, Philippus amicus Petri ſupervenit, & Joannem ſiſtit, ut amico gratificetur; dubio procul in hanc internecionem influit, & propterea apud Deum & apud homines iis omnibus incommodis obnoxius eſt, quæ homicidium conſequuntur; itaque qui reum comprehendit, traditque Judici ad ſceleſtorum punitionem determinato, in-

fluit

ſiuit in ejus mortem ; tu ergo accipias neceſſe eſt proximæ cauſæ vocabulum poſteriore ſecundi generis ſignificatione , ratus eam proximam cauſam eſſe , quæ determinat , eumque proinde, de quo agitur , cum minime determinaverit , cauſam proximam non fuiſſe.

Ego vero, te quidem, ut videris, ita reputante , ſuper altera propoſitione fundamenti tui difficultatem aliam inſtituo. Quod enim ais ex Galliæ conſuetudine eum, de quo ſermo eſt , proximam cauſam non eſſe; primo quidem Gallicana conſuetudo poteſtne *proximæ cauſæ* nomen aliter accipere , ac Canones accipiunt, atque ita contra jus adeo univerſæ Eccleſiæ communi præſcribere ? Deinde vero qui potes uti Canonibus , ut definias ad irregularitatem ſubeundam cauſæ proximæ rationem requiri , ac de repente a Canonum mente recedens cauſæ proximæ nomen ſecus ac Canones uſurpare? Nonne id necquicquam eſt aliud, quam uno eodemque tempore Canones recipi ac repudiari ? Inquies fortaſſe conſuetudinem ita poſtulare , cujus gratia nos eam regulam amplectemur, quæ cauſæ proximæ rationem ad irregularitatem requirit; ſed aliter in regula, aliter a nobis cauſæ proximæ nomen accipi. Verum cum in diſciplinæ negotio verſemur , ita quidem non omnino Canonibus adhærere videremur , in eum ſenſum eos detorquentes , qui nihil aliud quam perfugium quoddam ad ipſos eludendos quæſitum cenſeri poſſet.

Ut ut res habet , ſi ita poſtulat conſuetudo , unum tantum mihi verbum addendum ſupereſt. Interrogo , an iſthæc conſuetudo peculiari aliqua regula fulciatur, an vero ſit pura putaque conſuetudo? Non primum , ut ego quidem vel inde conjicio, quod nec tu, nec Dominus *de Sainte Beuve* in eadem facti ſpecie ullam ejus mentionem feceritis ; ſimplex igitur conſuetudo eſſe videtur ; ac proinde nonne aſſeri poſſet, hanc conſuetudinem , cum Juris communis exceptio ſit , re quidem vera locum habere in iis caſibus, quos conſuetudo excipit , & probat , cauſa exempli quoad Officiales , cum in criminali negotio Monitoria decernunt , propterea quod Tridentina Synodus ita ſtatuit , & in Gallia quoque quoad teſtes id moris obtinet , quia nova Conſtitutio mandat, ut Clerici æque ac cæteri teſtes ſint, & ea quidem eſt conſuetudo? Sed ex his exceptionibus idem quoad caſus alios non exceptos concludi non poſſe , quia , ut optime noſti , exceptio nedum regulam extendat, eam potius coarctat quoad caſus non exceptos , cujuſmodi eſſe poſſet is , de quo agitur ; atque ita ex eo , quod Officialis , ac teſtis , quamvis influant , irregulares non ſint, inferri non poſſet, eum quoque, de quo ſermo eſt, irregularem non eſſe. Id autem me in hac ſententia confirmat, quod fere cæteroquin contingit Officialem a Monitorio in criminali cauſa decernendo abſtinere non poſſe , & Clericum in criminali pariter negotio teſtem eſſe debere ; is autem , de quo agitur, extraordinarius caſus eſt , adeoque conſuetudo, quæ id ſequitur, quod ordinarium eſt, potuit contra Canones vim habere in duobus prioribus caſibus, non autem in poſteriore.

Omnino, quod ego hactenus, ut minus indubitatum appareat, problematicam quidem certe dubiamque rem efficit ; *in dubiis* porro , ut eſt in regula , *tutior pars eſt eligenda*. Ita quoque ſentiunt celebres Doctores non pauci, & inter alios Proſper Fagnanus in Caput *Ne imiteris*.

Tu quidem ſi me ſuper hoc articulo erudire volueris, præterquamquod charitatis actum edes , in cauſa eris , ut ego impoſterum in ejuſmodi negotio contra ſentiam, atque hactenus docui.

RESPONSIO.

Ad te quædam mitto, Domine , quæ in tuo libello ſupplici animadverti , quæque propoſitione quadruplici complexus ſum . Spero equidem fore , ut ea dubitationibus tuis aliquam lucem afferant . Quod ſi deſiderio tuo ſatis non fecero , ignoſcas , velim, Deumque , qui luminum pater eſt , obteſteris , ut ingenium meum , quod ſentio , quam ſit exiguum , confirmet, exacuat , amplificet , quo deinceps me conſulentibus plenius planiuſque reſpondeam.

Prima propoſitio , Cauſa proxima ea eſt , quæ influit in effectum , eumve determinat ſive in genere Phyſico , ſive Morali; ut proinde qui in reum manus injicit , ut in carcerem conjiciatur , immediate ſeu proxime in effectum influere, vel eum determinare non cenſeatur . De hoc homine idem judicium ferri poteſt , ac de Officiali , qui cum Sacerdotem gradu dejecerit, ſeu depoſuerit, eum deinde committit ſæculari Judici , qui in ipſum debet inquirere, & ſecundum conſuetas Juris regulas eum condemnare; ſed comparandus omnino non eſt cum Philippo, qui Joannem ſiſtit, ut a Petro necetur , ſciens eum a Petro ipſo ad necem quæri ; ex quo quidem fit, ut Petrus eumdem interimat; quia hoc in caſu Philippus Petro Joannem tradens , dubio procul homicidii proxima cauſa eſt ; cum contra bene multis actionibus locus ſit , antequam reus , quem ſtitit is , de quo in Expoſitione dictum eſt , morte damnetur. Et ſane qui hominem comprehendit in carcerem conjiciendum, ut de eo ex Legibus judicetur, non dicetur omnino mortis influens ac determinans cauſa, ſi eum ad mortem damnari contigerit; & quod inde conſequitur, cenſeri reus homicidii, omnibuſque impenſis, damnis , &c. obnoxius , cum illum ut reum comprehenderit , & reum eſſe crediderit.

Illud pronuntiari poſſe videtur , eum , qui reum comprehendit , non magis cenſeri influere ſeu determinare ad homicidium, quam Epiſcopum , qui , cum loci Dominus eſſet , Judici ſuo, quo homicidam cepiſſet, commendaret , ut in ſui gratiam Juſtitiæ Leges ſervaret, & de eo pro Legum ratione judicaret, ex quo fieret, ut capite plecteretur. Eſt hic Caſus Capitis *Epiſcopus ne Cler. vel Mon. in 6.* ubi declaratur hunc Epiſcopum irregularem non eſſe.

Altera propoſitio . Omnino nec in Jure , nec in Canonibus expreſſe definitum occurrit, quænam ſit homicidii cauſa proxima , vel remota ; id unum conſtat, eos, qui homicidio efficaciter cooperantur, omnes fere irregulares eſſe . In Gallia quidem ii tantum, qui homicidio cooperari cenſentur, putantur ejus proxima cauſa eſſe , & quod inde conſequitur, irregulares. Non collocantur exempli cauſa in proximarum cauſarum numero teſtes, qui in mortis cauſa teſtimonium exhibent, Officiales , qui Sæculari Judici tradunt Clericos , quos ipſi antea damnarunt, &c. Neque vero hinc inferri poteſt Jus & Canones ex una parte recipi, ex alia rejici.

Tertia propoſitio . Nos in Gallia teſtes in criminali cauſa irregularium loco non habemus , ut modo dictum eſt; hæc autem conſuetudo Jure & Conſtitutionibus nititur. (a) Legi poteſt titulus Decretalium *De cog. Teſt.* ex quo licebit intelligi, ne crimina impunita relinquantur , teſtes cenſuris adigi poſſe , ut in quibuſdam caſibus accedant depoſituri, quin Judices Eccleſiaſtici ullam irregularitatem ſubeant, quod in eum finem Monitoria decreverint , aut irregulares ſint teſtes , quod coram Judice depoſuerint, atque obtemperaverint . Conſuli quoque poſſunt Regiæ Conſtitutiones, cujuſmodi ſunt eæ, quæ de criminalibus negotiis agunt *tit. 6. art.* 11, quæque editæ ſunt *an.* 1695. *art.* 26. Neque id eo fit, quod, ut in libello ſupplici dicitur , teſtes & Officiales ab aliqua generali regula in Jure excipiantur , perinde ac ſi re vera mortis cauſa proxima cenſerentur, excipianturque ii verbi cauſa , qui reo, vel aliis ejuſmodi , quos ad mortem damnari contingeret , manus injecerint ; ſed eo nimirum , quod teſtis in Gallia non habeatur homicidii cauſa proxima, ſiquidem illud ex ejus depoſitione conſequatur . Jam vero qui reum ſiſtit , ut in carcerem conjiciatur, ex quo fit, ut, cognita cauſa , morte damnetur, longe ſane minus eſt mortis cauſa proxima, quam teſtis, &c.

Quarta propoſitio . Cum dubium exiſtit, & illud eſt, quod Canoniſtæ nuncupant *dubium juris* ; tunc quidem ſi de cenſuris agitur, nullam cenſuram adeſſe credendum eſt, quia cenſura eſt res odioſa, quæ proinde reſtringenda eſt , ex quo ſequitur eam non exiſtere. At non idem ſentiendum; cum quæſtio eſt *de dubio facti* , videlicet cum cenſura certa eſt; nec

(a) Barboſa in cap. Delictorum de teſt. cog. in 4. Pyrrhing in eumdem titulum §. 2.

certum eſt eam actionem patratam eſſe, cui cenſura conjuncta eſt, ſane convenit hoc in caſu locum eſſe tritæ regulæ: *tutior pars eſt eligenda*, atque oportere, ut is, de quo quæritur, ſeſe gerat tanquam irregularis, vel tanquam ſi re vera cenſuram ſubierit.

Deciſum Pariſiis hac die 2. Auguſti an. 1698.
G. *Fromageau*.

An irregularitas ex fortuito homicidio proveniat.

CASUS XIX.

Adoleſcens igniarium globulo inſtructum manu tenet; forte fortuna emiſſus globulus puellam interficit. Ille quidem in irregularitatem non incidit, ſi res eſt mere fortuita, nec omnino contigit ejus culpa; ſi tamen Beneficium poſſideat, obtinere debet ab Epiſcopo declarationem, qua ſe irregularem non eſſe conſtet, ut ſuo ſtatui proſpiciat.

QUÆSITUM.

CUm adoleſcens inſtructum ſcloppum tractaret, diſploditur globulus, & puellam occidit, quin ille de globuli emiſſione, vel de puella lædenda prorſus cogitaret. Id adeo certum eſt, ut Judices de puro putoque caſu certiores facti rem in medio reliquerint. Quæritur, an hic adoleſcens, qui Clericali militiæ nomen dare in animo habebat, evaſerit irregularis, & abſolutionem petere debeat? Rerum periti non ignorant, quid utrimque dici poſſit; rogatur etiam atque etiam Dominus *De Lamet*, ut ad propoſiti facti calcem ſuam de ſcripto ſententiam proponat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, exiſtimat, ſi id omnino caſu contigerit, & nulla adoleſcentis culpa interfuerit, eum in irregularitatem non incidiſſe. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. cui ſuffragatur Jus *cap. Dilectus c. ex litteris d. ſecundo extra de homicidio*; verum ſi id accidit adoleſcentis culpa, quod caſum prævidere debuerit, idque ejus imprudentiæ effectus fuerit, quippe qui de eo non cogitaverit, de quo ſollicitus eſſe debebat, aut ſi quid egit in hoc negotio, contra atque ratione ſtatus, quem profitebatur, ejus actio tanquam voluntaria in cauſa ſpectaretur, ac proinde ille in irregularitatem lapſus eſſet juxta eumdem D. Thomam, & *Cap. Ad audientiam*, & *cap.* jam citatum *de homicidio*, & *Cap. Significaſti* eodem loco, ac neceſſe foret, ut Adoleſcens redintegrationem a Romana Curia poſtularet. Incurriſſet enim irregularitatem, in qua ſolus Pontifex cum eo diſpenſare poſſet, quia factum publicum eſt, & quod inde conſequitur, eſt poſitum extra Epiſcopi poteſtatem. Id porro timendum eſt, ſi adoleſcens Ordines ſuſceperit abſque ſententia, qua innocens, & ab irregularitate tutus declaretur, conſtante mortis eventu, ne quis devoluti actione eumdem impetat, ſi forte Beneficium poſſideat, eique negotium faceſſat. Itaque Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat, Adoleſcentem, ut in tuto ſe ponat, operam dare debere, ut Epiſcopus declaret, ob caſum, qui contigit, eum irregularem effectum non eſſe; quod ille præſtare non poteſt niſi facta inquiſitione ad poſtulationem Promotoris, qui ab Epiſcopo poſtulabit, ut antequam adoleſcens ad Ordines promoveatur, cognoſcat de facto, adeoque an omnino caſuale fuerit, intelligat.

Deciſum in Sorbona die 27. Decembris an. 1687.
Auguſt. *de Lamet*.

Sacerdos, qui nil tale cogitans rei morti cauſam præbet, irregularis non eſt.

CASUS XX.

Cum Sacerdos reo ad Triremes damnato, ut ipſum ad exactam confeſſionem edendam extimularet, dixiſſet eum ad mortem damnatum eſſe: ille adeo nuntio perterritus eſt, ut expiraverit, Sacerdos hic irregularis non eſt.

QUÆSITUM.

SAcerdos, cum ex Majori Magiſtratu, & belli Conſilio certo ſciret militem ad triremes tantum damnatum eſſe, nihilominus eum conveniens, & nihil aliud in animo habens, quam ut eum ad validam confeſſionem edendam permoveret, ita eum allocutus eſt: Amice mi, conſule rebus tuis; ad mortem quippe damnatus es. Ille eo triſti nuntio perculus eo ipſo temporis articulo extinctus jacuit. Quæritur, an Sacerdos hic irregularis evaſerit? Rogo te humillime, ut Sorbonicam ſuper hoc, qui agitatur, caſu deciſionem ad me mittas.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Sacerdotem, de quo quæſtio eſt, irregularem non eſſe, quia nihil egit, quod ſuapte vi mortis cauſa eſſe poſſet, vel quod moraliter ſit capax eum effectum producendi. Deciſio hæc nititur,

I. Eo quidem principio, quod ad irregularitatem in propoſita facti ſpecie ſubeundam neceſſe eſt homicidium voluntarium eſſe vel in ſe, vel in cauſa. Hoc porro ejuſmodi in ſe non eſt, ut ex rei declaratione compertum ſit; neque item in cauſa, ſi id, cujus occaſione mors contigit, nec erat periculoſum, nec ejus effectus producendi capax, nec denique vetitum, quod nempe mortis cauſa eſſe poſſet. Et ſane qui tandem mendacium illud, ex quo mors eſt ſubſecuta cenſeri poſſet actio vel periculoſa, vel prohibita, intuitu homicidii, cujus poſſet cauſa eſſe, quandoquidem admodum raro fit, ut mortis nuntium ſequatur ſubita rei mors?

Id quidem egit Sacerdos hic, quod vetitum eſt, nimirum mendacium; non eſt ille tamen cum eo comparandus, qui dans operam rei illicitæ, ut Caſuiſtæ loquuntur, alicui mortis cauſa foret; quod enim Sacerdos aggreſſus eſt, bonum eſt, nempe hominis ad triremes damnati converſio. Uſus eſt ſane malo medio, cujuſmodi eſt mendacium; ſed eo in caſu ſecuta mors adeo extraordinarium ac rarum eventum eſt, ut omnino præcavenda non fuerit, utpote minime prævidenda.

II. Ex eo quoque firmari poteſt reſponſio hæc, quod Sacerdotis actio mortis hujus proxima & immediata cauſa nequaquam cenſetur. Cum enim res, inquit Toletus *l.* 1. *c.* 82. *n.* 9. quamvis mala, ipſa tamen per ſe periculoſa non eſt, ratione homicidii, vel ob aliquam circumſtantiam: ſi ex hac eadem re mors conſequitur, non proinde tamen, qui rem egit, irregularitatem ullam ſubit, quia res ea hoc in caſu ſpectatur tantum ut mediata mortis cauſa. Cauſa exempli, inquit hic magni nominis Cardinalis, laceſſit quis alium conviciis; laceſſitus tanto mærore corripitur, ut ſibi mortem conſiſcat; hoc in caſu, & in aliis ejuſmodi multis, quæ laudatus Auctor in medium affert, qui contumeliis affecit, irregularis non eſt, quia mortis immediata cauſa non eſt, niſi forte prævideri, quod contigit.

Ex hoc principio conſequens fit, immodicam animi imbecillitatem ejus, qui ad triremes damnatus erat, mortis proximam cauſam fuiſſe, non autem Sacerdotis mendacium, qui proinde irregularis habendus non eſt.

Deciſum hac die 23. Novembris an. 1698.
G. *Fromageau*.

Homi-

Hominis ex hæreſi converſi filius minime irregularis.

CASUS XXI.

Ejus, qui hæreſim profitebatur, & abjuravit, filius irregularis non eſt, nec ad Ordinum ſuſceptionem diſpenſatione opus habet.

QUÆSITUM.

QUæſtio eſt de Regulari Profeſſo, cujus pater Hæreticus erat, & multo ante quam moreretur, hæreſim abjuravit: filius porro abjurationis tempore annos octo circiter aut novem natus erat.

Quæritur, an ſit irregularis, & ut accedat ad Ordines, a Romana Curia veniam petere debeat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, eum, de quo quæritur, irregularem non eſſe, nec proinde ad Ordines ſuſcipiendos diſpenſatione indigere; aut enim quia ipſe Hæreticus fuit, irregularis eſſet, aut quia ejus eſt filius, qui hæreſim profeſſus eſt. Neutrum porro dici poteſt; non primum, quia abjurationis tempore non ea filius ætate erat, ut Religionem eligeret, & voluntariam hæreſis profeſſionem edidiſſe cenſeretur.

Non ſecundum; Hæreticorum enim ante mortem ad fidem venientium filiis nominatim excipiuntur in Jure C. *Statutum* 2. *de hæreſ. in* 6. Quæ quidem Doctorum communis ſententia eſt, & inter alios Sayri *de cenſur. l.* 6. *c.* 10. *n.* 40. Suarez *tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 43. *ſect.* 3. Pelizarii *tom.* 1. *tr.* 7. *c. ſect.* 3. Cabaſſutii *l.* 5. *Praxis c.* 20. *n.* 4. Barboſæ in Cap. *Statutum*, qui Canoniſtarum, aliorumque multa in hac rem teſtimonia producit, Toleti *l.* 1. *c.* 69. *n.* 9.

Quoniam, ut eſt in Jure, fere favorabilis interpretatio adhibenda eſt Legi, filium punienti propter peccatum, quod ipſe haud commiſit, cum laudatum Caput de matre ſileat, ejus quidem, ſi in hæreſi ad mortem perſtitit, non eamdem ratio habenda videtur, ac patris, qui familiæ caput eſt, qui quidem catholicam fidem amplexus ex animo in eadem exacte perſtitit.

Quia porro complures Auctores poſt Gloſſam in cap. *Statutum* ponunt ſatis eſſe matrem hæreſi infectam eſſe, vel in hæreſi mortuam fuiſſe, ut filius irregularis cenſeatur, qua de re videri poſſunt Barboſa loco citato, Azorius *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. Molina *tom.* 2. *diſp.* 658. *n.* 10. *de juſt. & jur.* Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 3. *de irregul.* reſpondetur cum Pyrrhingo *l.* 5. *tit.* 7. *ſect.* 4. *n.* 101. *de hæret.* Layman *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 4. *ſub fin. de irregul.* cum pro locorum conſuetudine Hæretici tolerati ſunt, & una cum Catholicis verſantur: ita ut Catholici ex parentibus hæreticis nati, ipſique Hæretici ad fidem converſi nullam ſubeant infamiam, quæ impedimento ſit, quominus ad publica Officia admittantur: inferri poſſe, ut docet Layman, ejuſmodi filios irregulares cenſendos non eſſe, ac proinde citra diſpenſationem poſſe ad Ordines promoveri: *Notat vero Henriquez l.* 14. *c.* 5. *n.* 4. *Hæreticorum liberos irregulares non eſſe iis in regionibus, quibus nulla ipſis ob crimen paternum infamia aſperſa eſt; quare eadem ratione probabiliter defenditur conſuetudo ſeptentrionalium quarumdam Regionum, in quibus Epiſcopi ordinare ſolent ex hæreſi ad fidem converſos & abſolutos, eo quod tales neque in Civili foro a publicis dignitatibus & officiis repellantur.*

Jam vero Pater, de quo dictum eſt in propoſita facti ſpecie, abjuravit, antequam moreretur, & ut probum Catholicum decebat, vixit ad mortem uſque. Quamobrem nihil eſt, cur Regularis, de quo quæſtio eſt, a Romana Curia diſpenſationem obtineat, ut in Ordine, cui nomen dedit, officia, ac Beneficia conſequi valeat.

Deciſum hac die 15. Januarii an. 1695.
G. *Fromageau*.

Irregularitas ex homicidio, de quo dubitatur.

CASUS XXII.

Qui dubitat, nec temere, an aliquem occiderit, vel an alicujus homicidii cauſa fuerit, irregularis cenſendus eſt, & ut tutius ſe gerat, ac diſpenſatione a Romano Pontifice impetrata debet ſe ſacris Ordinibus, ſiquidem eos ſuſcipere velit, idoneum reddere.

QUÆSITUM.

TE rogo, Domine, ut de facti ſpecie, quam propono, ſententiam dicas.

Cum adoleſcens a militia ad Religionem gradum feciſſet, eum quidem Superiores ad Ordines progredi volunt, ſed accurate, ut par eſt, omnia perpendentes, nonnullis difficultatibus, ob quas, an irregularis ſit, dubitant retinentur. Fuit autem ille in Regis Exercitu Machinatoris titulo, vel potius ut artem diſceret ex Patrio Machinatorum principe.

Prima difficultas in eo eſt poſita, quod cum ille in obſidione G. verſaretur, & in externis hoſtium vallis hominem cærulea veſte indutum, quem dignitate inſignitum credidit, conſpexiſſet, tormenti bellici rotam laxavit, ut eum occideret. Ille vero confeſtim evanuit, incertum relinquens Machinatori, an ipſum occiderit, an vero ille ſe ſe ſubduxerit, ne amplius ibidem conſiſtens in vitæ diſcrimine verſaretur. In hac facti ſpecie animadverſione dignum eſt, Machinatorem hunc *non dediſſe operam rei licitæ*, tum quia ad Machinatorem non pertinet globos diſplodere, tum quia tunc hoſtis aggrediendi tempus non erat; ut proinde Duces eum acriter reprehendiſſent, ſi de re cognoviſſent. Id nimirum egit, ut ſe oblectaret cum aliis ſui æqualibus adoleſcentibus, qui pariter voluptatem percipiebant, ſi quem ex hoſtibus, cum maxime conquieſcendum eſſet, interfeciſſent.

Difficultas altera in eo eſt poſita, quod idem adoleſcens alias miſſus ad valli procurationem, cum artem ſuam non ſatis calleret, collocavit minus apte militem, qui confeſtim tormenti bellici ictu perculſus interiit, qui fortaſſe occiſus non fuiſſet, ſi juxta artis regulas poſitus eſſet, quod ſane Machinator alius melius inſtructus facere potuiſſet.

Ediſſeras, oro, an hic adoleſcens in utraque hac facti ſpecie, vel in alterutra in irregularitatem inciderit; ac ſi quidem incidit, quid facto opus ſit, & a quo tandem Tribunali petenda ſit irregularitatis abſolutio? Bonus hic Regularis preces ad Deum fundet, ut te ſoſpitem ſervet, ſuiſque ſanctis benedictionibus donet.

RESPONSIO.

Credo equidem, mi Reverende Pater, Adoleſcentem, qui nunc Regularis eſt, in utroque caſu irregularem habendum eſſe.

Quod enim ſpectat ad primum; illud omnium ſententia, & quidem ex Jure Canonico *Cap. Ad audientiam, & Cap. Significaſti* 2. *de homicid.* receptum eſt, *in dubio facti*, cum de homicidio agitur, nempe cum de aliquo quæritur, occiderit necne, eum irregularem cenſeri, & tanquam irregularem ſe gerere debere.

Porro liquet ſatis gravem dubitandi cauſam ſuppetere, an adoleſcens hoſtem cæruleo habitu ornatum occiderit, cum neque id liceret, & id ipſe in animo haberet. Id autem ſatis eſt, ut ex jacto principio adoleſcens hic ſe ut irregularem gerere debuiſſe ac debere credatur.

Quoad caſum alterum reſpondetur; ſi hic adoleſcens Machinatoris officio perfungens ibi militem poſuit, ubi ſtatim occiſus fuit, graviter, & ex ignorantia craſſa peccavit, adeoque id egit, quod quivis alius Machinator non feciſſet, & quod inde conſequitur, dubio procul irregularis eſt, quia mortis ejus militis cauſa fuit; ſecus autem, ſi juxta machinationis regulas eum collocavit, quia non ſo-

lum

lum *vacavit rei licitæ*, *ſed adhibuit diligentiam*, *ne homicidium contingeret*. Verum enim vero vehementer equidem timeo, ne ille in collocando milite gravem craſſamque culpam patraverit, atque ita ejus mortis reus evaſerit.

Ex quibus omnibus concluditur oportere Regularem hunc, ſaltem ut tutius ſe gerat, ad Romanam Curiam confugere diſpenſationem impetraturum, ut ad ſacros Ordines admitti poſſit, quatenus opus fuerit, aut irregularitatem incurrerit; niſi forte gaudeat Ordo Bullis, vel conſuetudine fulta Brevibus aliquibus Apoſtolicis, quibus Pontifex tribuit Ordinis Superioribus facultatem in omnibus irregularitatibus diſpenſandi; in iis quoque, quæ ex homicidio proveniunt, quemadmodum Pius V. conceſſit Monachis Sancti Benedicti Montis Caſſini in Bulla *tom.* 2. *Bul.* 129. relata, quæ incipit his verbis: *Dum ad Congregationem*, &c. Conſuli poteſt Pelizarius *tom.* 2. *tr.* 9. *c.* 3. *q.* 23. *n.* 139.

Deciſum hac die 4. Auguſti an. 1702.
G. *Fromageau*.

Irregularitas, in quam Regularis Hæreticus incidit.

CASUS XXIII.

1 *Regularis Sacerdos, qui Calvinianam Religionem publice profeſſus eſt, excommunicatus eſt, & irregularis, nec poteſt ulla Beneficia, ullave in Ordine Officia ſuſcipere.*

2 *Ejus irregularitatem utpote notoriam & publicam ſolus Pontifex tollere poteſt.*

3 *Si Regularis in propoſita facti ſpecie, qui ſervato juris ordine redintegratus non fuit, alios ad Profeſſionem recepit, Profeſſiones legitimæ ſunt; perinde ac ſi Parochus irregularis ſit, ſed ejus irregularitas non innoteſcat, valide confeſſiones audire poteſt.*

QUÆSITUM.

I. Quæritur, an Regularis Sacerdos, qui in duobus diſtinctis Diœceſibus Calvinianam Religionem publice profeſſus eſt, dignitates Clauſtrales, ut Prioratus Conventuales, aut Regularium Familiarum Superioritates poſſidere poſſit?

II. A quo demum redintegrandus ſit, videlicet ab Epiſcopo ne, an ab Ordinis Generali; an vero id unus Romanus Pontifex præſtare poſſit?

III. Facta hypotheſi ejus redintegrationem canonice peractam non eſſe, an Regulares, quorum Profeſſiones ſuſcepit, vere ac proprie in Regularium numero ſint, cum ejuſmodi Prior eos recipiendi poteſtatem externa ſpecie præ ſe tulerit, an potius eorum profeſſio nulla ſit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, exiſtimat, Regularem, de quo quæſtio eſt, ob publicam Calvinianæ Religionis profeſſionem in excommunicationem, & præterea in ſuſpenſionem incidiſſe, & quod inde conſequitur, ineptum eſſe ad Beneficia, vel Dignitates in Regulari Familia, in qua Superior Ordinum ſuorum functiones obire debet, ſi nondum ab eo, qui auctoritate inſtructus ſit, redintegratus fuerit, etiamſi ad Eccleſiam redierit, & errati veniam obtinuerit. Irregularitas quippe, converſione, & ſtatu gratiæ poſt pœnitentiam non obſtantibus perſtat, ut ex Angelo (*a*), Sylveſtro *verb.* Irregularitas (*b*), Azorio *Inſtitut. Moral. l.* 8. *c.* 11. &c. (*c*) licet intelligi. Is ergo Regularis cujuſcumque ſeu Dignitatis, ſeu Beneficii poſt irregularitatem incapax eſt, Navarri ſententia *Man. c.* 27. *n.* 251. (*d*) *Omnis irregularitas*, inquit hic Doctor, *præcedens collationem*, *reddit ipſam ſubſecutam nullam ipſo jure*. Sive autem Superioritas Beneficii rationem habeat, ſive non habeat, perinde eſt, Cum enim Beneficii collatio, quæ irregularitatem ſubſequitur, vetetur in Jure non ob aliquam peculiarem rationem, ſed tantum ob generalem, quod nempe cum Beneficia Ordinum exercitium conjunctum habeant, proinde qui exercitii & uſus Ordinum capax non eſt, æque eſt incapax Beneficii, quippe munia Beneficiatis exercenda obire non poteſt; cumque hæc eadem ratio in Regularium Familiarum Dignitatibus locum habeat; non apparet, quamobrem generali regulæ minus eæ ſubeſſent, quam Beneficia; quandoquidem Superiores pro dignitate, qua gaudent, prorſus ut Beneficiati vi proprii tituli, ſuos Ordines non exercere non debent.

Quod ſpectat ad quæſtionem ſecundo loco propoſitam, reſpondetur, hunc Regularem nec ab Epiſcopo, nec ab Ordinis Generali redintegrari poſſe, cum ejus irregularitas notoria & publica ſit, niſi forte ex aliquo privilegio peculiari, nec in Jure contento; id quod veriſimilitudine caret; atque ita hujus irregularitatis valide tollendæ facultatem penes unum Romanum Pontificem eſſe.

Ad tertiam denique quod pertinet; facta hypotheſi Regularis hujus redintegrationem legitimam non eſſe, nullumque robur habere; nihilominus minime dubitandum, quin ii, quos ille ad Profeſſionem admiſit, valide profeſſi fuerint, quippe quod ejuſmodi Prior eam poteſtatem, quæ ad Regularium

(*a*) L. 5. de hæreticis in 6. c. 2. §. hæretici. Hæretici autem, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ad nullum Beneficium Eccleſiaſticum, ſeu Officium publicum admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.

(*b*) Reſpondeo, Angelum, Sylveſtrum in *verbo*, *Irregularitas*, Navarrum *c.* 27. *n.* 205. generatim docere, omnem Hæreticum ipſo jure irregularitatem contrahere, & ad catholicam fidem per pœnitentiam reverſum, & ab excommunicatione, & a peccatis abſolutum, adhuc diſpenſatione indigere, uti ad Ordines admitti legitime poſſit. At vero cum jure magis congruere aliis quibuſdam videtur, in hanc pœnam tantummodo incurrere Hæreticum notorium, qui ſit manifeſtus vel per evidentiam facti, vel per Judicis ſententiam, vel per propriam in judicium confeſſionem: talis enim Hæreticus, etiam ad fidem catholicam reverſus, & ab omni excommunicatione ſolutus & liber, abſque legitima diſpenſatione nequit ad Ordines provehi; ſed re vera magis cum jure convenit, quod dicit prima ſententia, ut colligitur ex *C. Saluberrimum* 1. *q.* 7. item Hæreticus reconciliatus Eccleſiæ, abjurata hæreſi, ad laicam tantum communionem admittitur 1. *q.* 6. *c.* 1. Cæterum diſpenſatione permittitur in Ordinibus ante hæreſim ſuſceptis miniſtrare 1. *q.* 1. *c. Si quis*; Hæretico nonnunquam diſpenſatione conceditur, ut poſſit ſacris Ordinibus initiari, & creari Sacerdos 1. *q.* 7. *c. Convenientibus*.

(*c*) Azor *Tom.* 1 *l.* 8. *c.* 11. *p.* 13. Decimotertio quæritur de ſecunda Hæreticorum pœna, quænam ſit? Reſpondeo eos irregularitatem contrahere, videlicet inhabiles effici ad quodlibet officium publicum, vel Beneficium Eccleſiaſticum, ut aperte decernitur *c.* 2. §. *Hæretici*, *de Hæreticis in* 6. Sed quæres, utrum hanc pœnam Hæreticus Jure ipſo contrahat, etiamſi ſit occultus, cujus hæreſis non ſit tantum mente concepta, ſed etiam exterius prodita? Item an Hæreticus etiam ad meliorem mentem converſus, & in foro conſcientiæ ab excommunicatione, in quam ob hæreſim inciderat, abſolutus, ſit irregularis, ita ut ad Ordines promoveri non poſſit, abſque legitimæ diſpenſationis beneficio?

Gloſſa *ad c. Si quis*, 1. *q.* 1. Hoc Capitulum non loquitur de mero jure.

(*d*) Navar. *l.* 3. *Conſil. de Regularibus Conſil.* 84. Quidam N. Frater Profeſſus Ordinis M. promotus jam ad Ordinem Diaconatus, ejectus fuit ob ſua delicta ab Ordine, & exutus Ordinis habitu. Quæritur, de cujus Epiſcopi licentia ordinari poſſit? Reſpondetur primo, quod ſi præfatus Dominus conſulens fuit ejectus ab Ordine præfato ob aliquod delictum inducens irregularitatem, a qua non poſſet Epiſcopus abſolvere, oporteret pro diſpenſatione recurrere ad Papam, ſi antequam ejiceretur, non fuiſſet diſpenſatum cum illo ſuper ea per Ordinis ſui privilegia, per quæ Superiores eorum poſſunt diſpenſare cum ſubditis ſuper omnibus irregularitatibus, excepta illa, quæ provenit ex homicidio voluntario, & mutilatione, & bigamia.

Idem in *Man. c.* 27. *n.* 254. Adde, quod omnes fere Prælati omnium Religionum poſſunt diſpenſare ſub finem ſuper qualibet irregularitate ſui Monachi, excepta illa, quæ naſcitur ex homicidio voluntario, & bigamia, non quidem jure communi, ſed privilegio conceſſo ſpecialiter eis, vel generaliter communicando illis privilegia omnibus conceſſa.

rium ſuſceptionem neceſſaria eſt, præſtulerit; non ſecus ac Parochus, qui irregularitate, ſed occulta innodatus valide confeſſiones audire poteſt.

Deciſum Pariſiis die 15. Decembris an. 1675.
Aug. *de Lamet*.

Aquæ benedictæ confectio Diaconum irregularem non efficit.

CASUS XXIV.

Diaconus irregularis non eſt, cum aquam de Parochi licentia benedicit.

QUÆSITUM.

DIaconus a proprio Parocho rogatus, ut aquam benediceret, & Hebdomadarii Officio fungeretur, cum reſtitiſſet, demum ab ipſo Parocho ſcrupulum exprobrante extimulatus, indutus Diaconi inſignibus, Aquam benedictam confecit, & Officium inchoavit, abſolvitque, quamvis nonnihil animo turbaretur.

Sunt, qui contendant hunc Diaconum in irregularitatem lapſum eſſe, ſuamque ſententiam & Jure firmant, & aliquorum Caſuiſtarum, & Canoniſtarum auctoritate.

I. In Jure *Cap. 1. de Cleric. non ordinand. Miniſtr.* Clericus quicumque *ex officio* baptizat, vel Ordinis, quem non ſuſcepit, functionem edit, irregularis eſt.

II. Barboſa deciſionem affert, quæ irregularem declaravit Diaconum, (*a*) *Alba & ſtola indutum, aquam ſolemniter in Eccleſia ad fontem benedicentem, cum benedictio aquæ, & exorciſmus ſpectet ſolum Ordinem Sacerdotalem.*

Sylveſter ait Aquæ benedictionem ita Presbyteros pertinere, ut ad Diaconos omnino non ſpectet; en ejus verba: (*b*) *Aqua benedicta in novo Teſtamento eſt duplex, una ſcilicet ordinata ad conſecrationem, vel reconciliationem Eccleſiæ, &c. alia ordinata ad aſperſionem hominum, vel domorum, & aliarum rerum venientium ad uſum noſtrum, & repellendum inviſibiles inimicos, quæ benedicitur a Sacerdotibus, ut in cap. Aquam de Conſecr. diſt. 3. quam Diaconi benedicere non poſſunt, argum. d. c. Aquam, & in cap. Perlectis §. a Presbytero diſt. 25. ubi dicitur, quod benedicere dona Dei eſt Presbyterorum, non Diaconorum, & mandatur omnibus Sacerdotibus, ut eam faciant, ut in d. aquam, & conſuetudo interpretatur, ut omni die Dominico benedicatur.*

Azorius in eamdem ſententiam deſcendit: *Nec poſſunt*, inquit, *eam ſanctificare, & ſacrare Diaconi, & quia in cap. Aquam, & cap. Perlectis §. a Presbytero diſt. 25. dicitur, benedicere dona Dei eſt Presbyterorum, non Diaconorum p. 2. l. 10. c. 15. q. 1.*

De Lublin quoque Dominicanus tuetur ſententiam hanc: *Omni die Dominico aqua eſt benedicenda per Sacerdotem: Diaconus autem, vel cujuſvis inferioris Ordinis Clericus præſumens eam benedicere, fit irregularis, excommunicatus, vel ſuſpenſus, ſicut de benedictione menſæ, &c. c. Quæ non ſunt ordinis certi, v. Aqua n. 8.*

Docet Bonacina Clericum in Choro Hebdomadarii officio fungentem irregularem eſſe, quia Officium Presbyteri proprium exercet; additque, cum Mediolani res hæc in conſultationem veniſſet, id ipſum ſe præſente deciſum fuiſſe; deciſionem autem hanc firmat ille capite primo *de Cler. non ord. Miniſt.* eumque Clericum tum ſolum excuſatione dignum cenſet, cum in bona fide verſatur *Tom. 1. de Irregul. diſp. 7. q. 3. punct. 6. n. 7.*

Quæritur ergo ex Sorbonæ Doctoribus, an Clericus Diaconus in ea, de qua agitur, facti ſpecie ſit irregularis?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem, allataſque rationes expendit, haud cenſet Diaconum, de quo quæritur, irregularem eſſe.

I. Quia non irrepſit ipſe in Ordinis, quo carebat, Officium, quod tamen in Jure ſupponitur; etenim *Cap. 1.* Juris Canonici *de Cler. non ordin. Miniſt.* Clericus irregularis eſt, cum ipſe auctoritate propria, & præſumptionis impetu abreptus aliquam Ordinis, quem non tenet, functionem exegerit, *propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia*, & Capite ſecundo ejuſdem tituli ſuſpenditur Diaconus, *quia uſurpare præſumpſit*, Canonis verba ſunt, *Miſſarum celebrationem*; nempe Sacerdotalibus ornamentis indutus ſacrum facere non eſt veritus. Porro Diaconus noſter nihil egit non permittente Parocho, mandante, atque adeo compellente.

Quamvis autem Aquam benedicere, & divinum Officium celebrare ad Sacerdotem pertineat, ut in Libello ſupplici probatum eſt, poteſt tamen Parochus ad ea Diaconum delegare. Quod quidem ex eo certum apparet, quod Diaconi graviores functiones edere tum ex Jure, tum ex praxi cernuntur; Diaconus Sabbato Sancto Cerei Paſchalis benedictionem peragit; poteſt ipſe de Epiſcopi vel Parochi licentia ſolemniter baptizare *cap. Diaconos diſt. 93. c. Conſtat, diſt. de conſecrat.* Bonacina *l. c. n. 5.* id uſu receptum docet, eique Barboſa concinit (*c*). Id olim fere obtinebat, ut Diaconus Parocho permittente Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti Domini Fidelibus adminiſtraret *Cap. cit. Diaconos §. Sacri.* Barb. *c. 1. n. 34.* atque adeo contendit Vaſquez officia hæc duo, Baptiſmatis adminiſtrandi, & Sanctam Euchariſtiam diſtribuendi ad Diaconos ex ipſa Ordinatione ſpectare.

II. Ut Clericus irregularitati eo ſit obnoxius, quod Ordinem, quem non poſſidet, exercuerit, id eum & ſolemniter, & ornamentis ejus Ordinis propriis indutum feciſſe neceſſe eſt. Ita Jus iis duobus Capitibus *de Cler. non ordin. Miniſt.* contentum interpretatur Bonacina *Tom. 1. diſp. 7. q. 4.* Jam vero in præſenti facti ſpecie Diaconus Aquæ benedictionem confecit cum Diaconi inſignibus, haud ſane iis, quæ Presbyterorum propria ſunt, dum Parocho obſecutus eſt.

III. Non deſunt peculiares Eccleſiæ, in quibus Aquam Diaconi benedicant; ut aliquod exemplum afferatur, Aureliani in Eccleſia Cathedrali Sanctæ Crucis Diaconus ex Officio Diaconi veſte indutus Aquam ſingulis diebus Dominicis benedicit.

Hactenus dictis explicari ac ſolvi poſſunt teſtimonia & momenta, quæ ad oſtendendum Diaconum, de quo quæſtio inſtituta eſt, irregularem eſſe in Libello ſupplici allata ſunt.

Deciſum Pariſiis hac die 30. Julii an. 1692.
G. *Fromageau*.

Irregularis tanquam complex decoctionis.

CASUS XXV.

Sacerdos tanquam doloſæ decoctionis complex damnatus irregularis eſt, & infamis haberi debet; irregularitatis abſolutio ei petenda eſt a Pœnitentiaria; ad externum autem forum quod attinet, ſolus Princeps eum poteſt in integrum reſtituere.

QUÆSITUM.

UT initio ſtatim me prodam, is ſum Eccleſiaſticus, qui heſterna die ſe altera vice ſum allocutus de Sacerdote, in quem aderat ſententia, quæ declaratum detectum convictumque tanquam decoctionis fraudulentæ, longe lateque perſonantis complicem condemnavit, ut in ſolidum ſolveret, in jus vocaretur, ac moneretur; tu mihi quidem tuam ſententiam humaniter aperuiſti; ſed quoniam ea bene multis peritis viris, Notariis Apoſtolicis magni nominis, & nonnullis, qui in Romana Curia ab Expeditionibus ſunt, adverſatur: id quod heri, te præ-

(*a*) Barboſa tom. 5. Decret. in 6. in cap. 1. de Cler. non o din. miniſt.
(*b*) Sylveſter vide Aqua benedicta. n. 1.

(*c*) Barboſa tom. 1. de jur. Eccleſ. l. 1. c. 35. n. 29. Vaſquez Tom. 3. in 3. diſp. 236. c. 3. n. 90 & 92.

præſente, providi, contigit; ægre, qui audiunt, adduci poſſunt, ut me fideliter referre credant; ſed cum te mihi ſententiam ſcripto traditurum promiſeris, eam proinde fidenter attuli; te igitur, Domine, rogans, ut mihi fidem præſtes, & incredulos permoveant rationes tuæ, ad te ſupplex accedo.

His autem verbis concepta Sententia eſt:

Declaratur merito detectus, convictuſque, quod doloſæ decoctionis particeps fuerit, & ut argentea vaſa venderentur, operam contulerit; quamobrem dicto R.... Conſobrino Domini N.... vetitum, ne ad vomitum redeat, in exemplaris punitionis pœnam.

Te tamen non ignorare velim, Domine, me hoc mane etiam cum non inepto Advocato, & Aulæ non indocto Procurarore ſermonem habuiſſe, qui quidem ejuſmodi pœnis infamiæ nihil adjectum eſſe contendunt; atque adeo Procurator edicit nonnunqnam contigiſſe, ut ſuorum Confratrum aliqui in jus vocarentur, ac monerentur, ſed id unum tamen impedimento nunquam fuiſſe, quominus in proprii Officii exercitio perſiſterent. Alter porro, qui in Aula a conſiliis fuerat, mihi paucis ab hinc diebus teſtatus eſt id nulli prorſus infamiæ eſſe, nec ſuſcipiendis adminiſtrandiſque muneribus obeſſe poſſe. Id ſi ita ſe habeat, & non ea fuerit Judicis mens, ut quem Clericum ea pœna plecteret, eumdem infamem redderet; quæritur, Domine, qui fieri poſſit, ut quod judicium in foro Civile nullam infamiam ſecum affert, idem afferat in Eccleſia, quippe cum quoad ejuſmodi pœnas in Jure nihil expreſſum ſit.

Ad hæc, Domine, cum negotium, de quo quæritur, grave ſit, & ex longo fortaſſe tempore rotundis verbis dijudicatum non fuerit; oritur difficultas ſuper irregularitatis, quam ut alias Sententiæ pœnas Appellatione ſuſpendi non poſſe pronuntias, abſolutione. Vel enim definitivum judicium ſententiam mutabit in eo, quod irregularitatem inducit, vel confirmabit; ſi primum, ſupervacanea fuerit abſolutio; ſi ſecundum, ante definitivum quidem judicium abſolutione impetrata: quæritur, utrum poſterius illud judicium, utpote majorem, quam prius, infamiam quodammodo pariens novam irregularitatem afferret, cujus rurſus abſolutio petenda foret?

Me quidem, Domine, ſperare juvat, fore, ut, qua charitate es, deciſionem tuam exarans velis ſuper hiſce non uniuſmodi difficultatibus animos tranquillare. Is ſane, cujus intereſt, in hoc negotio ſe totum dedit reſponſo tuo; ac præterea non infimæ notæ Superior ante tuam, quam vehementer expectat, ſententiam in neutram ſe partem dat; equidem, Domine, prope diem ad te veniam, quod ſuper hac re mihi tradere volueris, excepturus,

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Clericum, de quo in Libello ſupplici dictum eſt, irregularem eſſe, ac proinde ſuis obeundis muneribus, quoad abſolvatur, ineptum; ſi enim decoctionis, cujus ille complex convictus, adeoque damnatus eſt, prout eſt expoſitum, qualitas, & circumſtantiæ ſpectentur, facile intellectu erit, eum non integra fama eſſe, ſed graviter laborare, atque uno verbo tanquam infamem ſpectandum eſſe. Ea ſane decoctio eſt inſignis, ejuſque rumor ubique gentium perſonuit in Regno, primæ notæ viris ex ea damnum ſentientibus; fraudulenta decoctio eſt, adeoque tanquam publicum latrocinium ſpectari poteſt, & quod vero ſimillimum ſit, afflictivis pœnis in præcipuo auctore notabitur, atque infamiæ notæ ex auctore in complicem redundabunt; re quidem ipſa in Henrici IV. Edicto an. 1609. edito Decoctores, eorumque aſſeclæ latrones & nebulones publici nuncupantur.

Illud autem ubique gentium receptum eſt eos omnes, qui Civili Jure ſunt infames, Canonicis quoque Legibus tales eſſe *Cap. Omnes 6. quæſt. 1. Omnes vero infames eſſe dicimus, quos Leges ſæculi infames appellant*. Et eodem loco *Cap. Infames* declaratur Eccleſiam tanquam infames rejicere eos *omnes, quos Eccleſiaſticæ, vel ſæculi Leges infames pronuntiant*. Porro Digeſt. *lib. 3. l. 3. de iis, qui notant. infam.* in hoc numero ponitur is, *qui furti, de dolo malo & fraude, ſuo nomine condemnatus erit*. In Codice *l. 14. Eos, qui de furt.* eſt actio contra ſubſtractores, ut eorum pœna obtineatur; ſed utut de Civilibus Legibus ſe res habeat, conſtat ex Jure Canonico furti reos infames eſſe; *ſimiliter fures*, inquit Caput *Infames 6. q. 1.* vel ut loquitur Sayrus *l. 7. c. 11. n. 7. de cenſur.* in hoc idem Caput: *Item qui de furto convicti ſunt*. Conſuli poteſt Pyrrhingus *tom. 4. tit. 18. de furt. n. 26.* qui rem ſic ediſſerit: *Quod ſi Clericus eſſet condemnatus tantum ad reſtitutionem rei furto ſubſtractæ, per hoc non fieret infamis, quia poteſt intelligi, quod fuerit actum conditione furtiva, quæ non infamat, non actione furti, quæ infamat, ſicut in Legibus Civilibus idem de Clericis ſtatutum eſt*. Jam vero prout eſt expoſitum, Clericus, de quo quæritur, tanquam doloſæ decoctionis complex convictus fuit, damnatuſque ad ſolutionis ſoliditatem, & quod inde conſequitur, ut furti complex; ex quo, ſi omnia perpendantur, oritur Juris infamia, quæ fundamentum eſt irregularitatis, qua ille functiones ſuas obeundi facultate ad abſolutionem uſque privatur.

Hujus igitur infamiæ, & quod inde conſequens ſit, irregularitatis fundamentum non ſolum ſententia in Clericum lata, ſed etiam, & quidem potiſſimum continetur culpæ gravitate, & qualitate delicti, quod & pronuntiatæ ſententiæ, & incommodis inſignem eam decoctionem conſecuturis occaſionem præbuit. Hinc liquet exempla, & rationes, de quibus in Expoſitione, cum re, quæ in manibus eſt, non congruere, & ad hoc negotium omnino non facere.

Ad id, quod dicitur, appellationem vigere, ac definitivum, poſtremumque judicium nondum adeſſe, reſpondetur, ut hæc appellatio ſententiæ hujus effectum ipſa per ſe ſuſpenderet, id tamen locum non habere in præſenti negotio, quandoquidem in propoſita facti ſpecie pro certo ponitur Clericum Judicis ſententia declaratum fuiſſe detectum convictumque tanquam doloſæ decoctionis complicem; ut proinde vel irrefragabilibus probationibus, vel ſua ipſe confeſſione in judicio convictus fuerit; & quod inde conſequitur, appellatio vel interponenda, vel interpoſita cenſenda ſit frivola, ac propterea notorie nulla, probationibus in eumdem Clericum aperte publiceque conſtantibus; expreſſum eſt in hanc rem Jus *Cap. Cum ſpecialis*, *§. porro de appel.* ubi hæc leguntur: *Si ejus exceſſus evidentia rei, vel ipſius confeſſione, aut alio legitimo modo fuerit manifeſtus, cum appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum, non eſt provocationi ejus deferendum*. Sententiam hanc ſequuntur Auctores, & inter alios Fagnanus *tit. de cohabit. Cler. & Mul. n.* 104.

His ita poſitis, duo concluduntur.

Primum eſt ejuſmodi; Clericum, de quo agitur, infamem cenſeri, & ex conſequenti irregularem, ineptumque Eccleſiaſticis muneribus obeundis.

Alterum tale eſt; eumdem Clericum debere ad Pœnitentiariam abſolutionis gratia confugere; cum enim irregularitas hæc publica, & juris ſit, ſolus Pontifex poteſt in ea diſpenſare, prout quidem eſt Eccleſiaſtici muneris impedimentum, atque ita Clericus abſolutus poterit privatim, ibique, ubi notus non erit, Ordinum ſuorum functiones obire.

Quod autem ad forum externum, & in integrum reſtitutionem ſpectat, debet ille ad Principem ſupplex accedere, eumque obteſtari, ut, judicio contra ſe lato non obſtante, & ratione habita impotentiæ, qua laborat, eidem judicio ſatisfaciendi, velit ſe bonæ famæ atque opinioni reſtituere, quo poſſit & ubique gentium, & tuto ſuas functiones peragere, & Beneficia, ſi qua ſibi conferantur, imposterum poſſidere. Azorius *Tom. 2. p. 2. l. 6. c.7.* id innuit his verbis: *Is, qui infamis eſt a jure, in integrum non reſtituitur famæ, niſi auctoritate Principis, vel abſolutione criminis ab eo Judice, qui ſententiam de criminis infamia tulerat*. Illud ſaltem aſſeri poteſt, ſi minus Clericus hic a ſuis functionibus arcetur ex jure, ei quidem certe id conſilii, atque adeo veniæ dandum non eſſe, ut eas exerceat præſertim publi-

blice, donec ejus fama, cui per ſententiam in eum editam inuſta nota gravis apparet, reparetur Reſcripto, quod in ſui favorem appellationis occaſione futurum ſperat; idque eo magis, quod notoria res eſt, nempe Clericum, de quo hactenus, doloſi Decoctoris bona ex parte ſubſtraxiſſe nemo non ſibi tanquam conſtans firmumque perſuaſit.

Deciſum in Sorbona hac die...... an. 1705.
G. *Fromageau*.

Sacerdos irregularis.

CASUS XXVI.

1 *Sacerdos, in quem extat Decretum carceris, eidem ſignificatum, Sacerdotalia munia obire non debet, niſi per appellationem ſibi proſpexerit, illudve, cujus accuſatus eſt, crimen purgaverit.*

2 *Sacerdos, qui ex Eccleſia reum traxit, & ſatellitibus tradidit, a quibus ille in carcerem conjectus morte damnatus eſt, ex pleriſque probata ſententia, irregularis eſt.*

3 *Cum Sacerdos aquæ ex vino ſtillato poculum alteri Sacerdoti ægrotanti, calefaciendi animo, præbuiſſet, ille viginti quatuor poſt horas occubuit. Sacerdos, qui poculum præbuit, redintegrationem petere debet, ſi ejus mortem inde ortam eſſe dubitetur.*

4 *Ab Hæretico baptizatus, & in Catholica Religione educatus irregularis non eſt.*

5 *Sacerdos eorum omnium, quæ modo dicta ſunt, certior factus, eos primum, ad quos ſpectant, monere debet, ut ſibi conſulant; quod ſi non perfecerint, debet Epiſcopum commonefacere.*

QUÆSITUM.

Q*Uæſtiones, quas ut dirimant, rogantur Sorbonæ Doctores.*

I. An Sacerdos, quem capiendum decrevit Regius Judex, & cui Decretum ipſi ſignificatum eſt, Sacerdotalia munia obire poſſit?

II. An Sacerdos, qui ſceleſtum hominem ex propria Eccleſia traxit, & Satellitibus tradidit, a quibus ductus in carcerem, inquiſitus, convictus, morte damnatus, affectuſque eſt, in irregularitatem inciderit?

III. Quo demum ſe crimine obſtrinxerit Sacerdos qui cum alii Presbytero ſecum commoranti, ac febri laboranti aquæ ex vino ſtillato poculum præbuiſſet, ut eum calefaceret, ille poſt horas viginti quatuor e vivis exceſſit?

IV. An qui a Miniſtro baptizatus, a Nutrice Catholica Romana altus, educatuſque, cum ſtudiis operam navaſſet, & vigeſimum quintum ætatis annum attigiſſet, ab Epiſcopo Diœceſano Sacerdotali gradu inſignitus eſt, quin ei ſignificaſſet ſe extra Romanam Eccleſiam baptiſmate ablutum fuiſſe, valide ac licite initiatus fuerit, & Beneficiis obtinendis par ſit?

V. An Sacerdos, qui hæc novit vel omnino vel ex parte, teneatur Epiſcopum certiorem facere, ut quod ipſi videbitur, remedium afferat?

RESPONSIO.

Quoad quæſtionem primam. Præsbyter, quem Regius Judex in carcerem conjiciendum decrevit, & cui ipſi Decretum ſignificatum eſt, Sacerdotalibus officiis fungi non debet, antequam appellaverit, crimenve purgaverit, cujus accuſatus fuit, & cujus cauſa Decretum editum eſt; cum abſonum ſit Sacerdotem fama laborantem ad Altare accedere, quem Judex teſtem non exciperet, atque ita magis probitatem in teſte requiri, quam in exercente ſacratiſſima quæque munia Religionis noſtræ, quæ poſtulat in ſuis Miniſtris probatæ vitæ conſtans teſtimonium, & opinionem, cujuſmodi ſane in eo non eſt, qui de crimine accuſatus eſt, ex *Cap. Non debet, de teſtibus, & atteſtationibus*; in quod Gloſſa, *Nota*, inquit, *cum quis eſt accuſatus de crimine, ſtatim gravata eſt ejus opinio: unde non poteſt in criminibus in teſtimonium admitti.... quia teſtes ſine ſuſpicione eſſe debent, & infamia.*

Quoad quæſtionem alteram. Subſcripti cenſent ſibi monendum eſſe, qui conſulit, bifariam ſuper hoc negotio ſectas eſſe ſententias. Docent nimirum alii eum, qui ad mortem aut ad aliquam mutilationem reum condemnat, judicii executione conſecuta, teſtes, qui deponunt, Notarium, qui Sententiam ſcribit, Satellites, alioſque Miniſtros, qui hominem ſupplicio addictum comprehenderunt, uno verbo eos omnes, qui ad mortem conferunt ut cauſa proxima, in irregularitatem incidere; quique propugnant ſententiam hanc, quæ maxime recepta eſt, eam multis Juris & Gloſſæ textibus, & complurium Auctorum teſtimoniis confirmant; & potiſſimum ad teſtium irregularitatem quod attinet, nituntur Gloſſa §. *Ad ultimum C. Tua nos, de homicidio voluntario & involuntario*, ubi Alumnus irregularis non fuiſſe dicitur, quia teſtis non fuit: *Ad hoc dico, quod non fuit inductus tanquam teſtis, quia nec ad præſentiam Judicis acceſſit, quod fit in criminalibus*; & in *C. Sententiam ſanguinis, ne Clerici vel Monachi* expreſſis verbis prohibetur, ne Clerici in cauſis criminalibus Notarii officio fungantur, & generatim omnes alii Miniſtri comprehenduntur in Gloſſa §. verbis hiſce: *Cum ergo iſte nec facto, nec præcepto, nec conſilio, nec defenſione, nec lingua, nec adhortatione homicidium fecerit, non debet ab Ordinibus impediri*; ex quibus verbis facile intellectu eſt, eos, qui ad mortem aliqua ex recenſitis rationibus contulerunt, irregularitati obnoxios eſſe; quod ſane occurrit in iis, qui in eum manus injecerunt, qui ad mortem damnatus eſt, & cujus deinde Sententia executioni mandata eſt, ſiquidem ad mortem contulere perinde ac teſtes, qui expreſſe nominantur. Ita porro loquitur Navarrus *Sum. c.* 24. *n.* 212. *ex qua regula ſequitur, quod eſt irregularis Judex juſte procedens, accuſator, aut Promotor Fiſcalis, teſtis, aut Notarius, qui ſententiam ſcribit, aut pronuntiat, aut teſtimonia teſtium ſcribit, aut legit, quando publicantur, ſcribens, aut dictans litteras, quibus jubetur deformatio*, & n. 217. *Duodecimo qui capit, aut indicat furem, aut reum, ut a Judice capiatur, & qui etiam ſuæ utilitatis cauſa tradit, aut conqueritur de aliquo apud Judicem, ſine proteſtatione, ne procedat ad deformationem C. Prælatis de homicidio loco cit. Quia omnes iſti ſunt cauſa deformationis in caſu licito, & ita irregulares.* Hanc eamdem ſententiam tuetur Bonacina, fulcitque complurium auctoritate *nn.* 5. *&* 19. *de Irregular. Diſp.* 7. *punct.* 1. In hac ſententia Sacerdos, qui ex Eccleſia ſontem eduxit, irregularis eſt, nec antequam a Pontifice abſolutionem obtineat, celebrare debet.

Alii vero Theologi contendunt nullum in Jure textum occurrere, quo irregularitatis nota inuratur Notariis, teſtibus, iiſque, qui in reos, quos deinde Judex mortis ſupplicio afficit, manus injecerint, & nihil cauſæ ſubeſſe, quamobrem qui concurrit, mortis proxima cauſa ſit; & ex hac quidem regula, cum ad Senatum deducta eſſet hominis cauſa, qui in criminali negotio Notarius fuerat, declaratum fuiſſe eum irregularem non eſſe, ut *Louet* memoriæ prodit, ac judicii hujus auctoritate idem ſtatui poſſe de teſtibus, Satellitibus, aliiſve, qui ſontem, deinde morte damnatum, ac re ipſa affectum ſtitiſſent; porro in horum poſteriorum hypotheſi Sacerdos, de quo ſermo eſt, in irregularitatem non incidiſſet. Verum cum Auctorum majore numero nitatur ſententia prior, Subſcripti eidem Sacerdoti auctores ſunt, ut, quo tutius ſe gerat, abſolutionis gratia ad Romanam Curiam accedat.

Quoad tertiam. Stat ſententia, oportere, ut Presbyter, qui aquæ ex vino ſtillato poculum alteri Presbytero præbuit, qui vigeſima quarta poſt hora mortem occubuit, ex Medicis cognoſcat, an illud remedium ei, qui jacebat ægrotus, mortis cauſa eſſe potuerit, ac ſi forte ita Medici judicaverint, eum abſolutione opus habere, ac ſiquidem publicum & notorium negotium non fuerit, videlicet ſi id remedii ab eo exhibitum eſſe non innotuerit, ad Epiſcopum confugere poſſe.

Quoad quartam. Cum *Cap. Statutum* 2. *de hæreticis in.* 6. in Galliis uſui non ſit, is proinde, qui ab Hæretico quidem baptizatus, ſemper autem in Catholica Eccleſia enutritus fuit, etiamſi Hæretici filius eſſet, qui in hæreſi deceſſiſſet, irregularis

ris non eſt; atque ita ab eo, in quo exiſtit, gradu, utpote rite ac recte initiatus removendus non eſt.

Quoad quintam. Sacerdos, qui hæc omnia probe novit, primum quidem eos, de quibus agitur, monere debet, qui ſi moniti ſibi non conſuluerint, eorum nomina ad Epiſcopum deferre debet.

Deciſum in Sorbona die 8. Februarii an. 1674.
A. de Lamet.

Beneficiatus in irregularitatem incidens.

CASUS XXVII.

Beneficiatus in irregularitatem lapſus, ex vi irregularitatis *Beneficio non privatur* ipſo facto, *vel ejuſdem Beneficii fructibus*.

QUæritur, an in Galliis habenda ſit ratio clauſulæ, quæ occurrit in diſpenſationis Brevibus, quæ ſuper irregularitatibus, quas Beneficiati contraxerunt, in Romana Curia conceduntur? Eſt autem in eo poſita, ut ex quo irregularitatem ſubiere, nullum ipſi Beneficiorum ſuorum fructum perceperint; quod e praxi tamen non eſt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Beneficiatum in irregularitatem lapſum *ex vi irregularitatis* nec Beneficio, nec Beneficii fructibus *ipſo facto* privari, propterea quod id nulla Lege, nulloque Canone ſancitum eſt; ut proinde iis illi gaudere poſſint, quoad Judicis ſententia priventur. Conſuli poteſt Suarez ſuper hac controverſia *Tom. 5. diſp.* 40. *ſect.* 2. *n.* 18. *& ſeq.* Excommunicatus quoque teſte Rebuffo *repet. in C. Poſtulaſtis de Cler. excomm. miniſt. not.* 2. *n.* 42. qui Beneficii ſui fructibus ex Jure privatur, vi tamen conſuetudinis eoſdem retinet: *conſequens eſt, ut fructibus privetur, Cap. Poſtulaſtis, quod tamen de conſuetudine non obſervatur quoad fructus extra diſtributiones.*

Quod attinet ad clauſulam, quæ, ut ajunt, occurrit in diſpenſatione, quæ Beneficiatis conceditur, ſuper irregularitatibus, quas ſubierunt, ea quidem de fructibus eſt accipienda, quos Beneficiatus percepit, aliquas Eccleſiaſticas functiones exercens, a quibus ob irregularitatem abſtinere debuiſſet; at vero quos fructus Beneficiatus lucrari poteſt, quin Ordinum ſuorum functiones aliquas ipſum per ſe peragere neceſſe ſit, iis ſane licet irregularis nec Jure privatur, nec conſuetudine.

Deciſum hac die, ... an. 1695.
G. Fromageau.

Claudus irregularis non eſt.

CASUS XXVIII.

Clericus tonſuratus, & claudus ad Ordines admitti poteſt, ſi is defectus ei notabilem deformitatem non afferat, nec impediat, quominus ea, quam Rubrica poſtulat, decentia ipſe Ordinum officio fungatur.

QUÆSITUM.

REneſius P. Clericus tonſuratus ex Diœceſi Epiſcopali P. ad Patrui nominationem obtinuit Canonicatum Præbendatum in Eccleſia S. H. Urbis P. octodecim ab hinc annis, cujus cauſa litem perpeſſus, quæ nonniſi Januario menſe proxime elapſo per compoſitionem ad exitum perducta eſt, Beneficium retinuit; interea temporis idem Clericus P. in genu fluxione correptus claudus evaſit, ut proinde nequeat idem crus, quod ſiniſtrum eſt, flectere, ſed illud, dum genuflectit, diſtentum retineat; longo quidem tempore graditur ſine baculo, nulloque fulco nixus aſcendit; re tamen vera non poteſt, quin in ſubſidium per vias baculum deferat. Quamobrem cum ille Subdiaconatus tantum Ordinem ab Epiſcopo P. poſtulaſſet, neque id Epiſcopo ipſi, ejuſque Congregationi perſuadere potuiſſet, a Romano Pontifice ſuper ejuſmodi ægritudine diſpenſationem obtinere neceſſe habuit. Quæritur ergo, an dictus Præſul P. viſa diſpenſatione, poſſit eum Subdiaconum non creare? Animadvertendum & illud eum ex Ordinibus unum eſſe, quem idem P. ſuſcipere vult, quoque opus habet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet diſpenſationi locum eſſe, ſi is, cujus gratia conſulitur, Subdiaconi muneribus obeundis par ſit, ac ni ea infirmitas ipſi notabilem afferat deformitatem, quæ iis ſcandalo futura ſit, qui eum in Altari miniſtrantem conſpexerint. Si ergo abſque baculo valeat eo ſe conferre, ibique conſiſtere, atque adeo Sacerdoti cum ea dignitate, quam Rubrica poſtulat, deſervire; Epiſcopus P. cui rem Pontifex integram eſſe voluit, ei, quem petit, Ordinem conferre poteſt, eam regulam ac doctrinam ſecutus, quam refert Pyrrhus Corradus *Diſpenſationum Apoſtolicarum l. 3. c. 6. nn. 24. & 25.* ex Cancellaria ſcilicet reſcriptum fuiſſe, *non eſſe cum difficultate*, ejus verba ſunt, *concedendam diſpenſationem ei, qui licet ſit notabiliter corpore vitiatus, non tamen ex tali defectu habet deformitatem, aut impedimentum in celebratione Miſſæ*; monetque tum etiam diſpenſari facilius poſſe, cum deformitas aliqua ratione, puta *talari veſte* celari tegique poteſt; id quod ab Epiſcopi inſpectione pendet, quippe cui res a Pontifice commiſſa eſt.

Deciſum Pariſiis die 22. Aprilis an. 1678.
Aug. de Lamet.

Sacerdos irregularis, quod amputationis cauſa fuerit.

CASUS XXIX.

1 *Sacerdos, qui hominem male habuit, & in cauſa fuit, ut ei crus amputaretur, irregularis eſt, prohibendusque, ne ſacrum faciat.*

2 *De irregularitate contracta, deque obligatione, qua Capitulum adſtringitur, in Presbyterum de ea accuſatum agendi.*

QUÆSITUM.

HOnoratus Sacerdos Capellanus, & Sacriſta in Parochiali Diœceſis cujuſdam, eaque non infimæ notæ Eccleſia, quæ a quadam Cathedrali Eccleſia pendet, cum venationi magnopere deditus eſſet, ac forte cum Presbytero eidem Eccleſiæ deſerviente venatum iſſet, Leporem interfecit; ſed globulorum nonnulli in ſilicem impingentes, ac reſilientes alterius Presbyteri oculum contuderunt, ac luce privarunt.

Ille vero ſe irregularem proinde intelligens ex trita regula, *Dans operam rei illicitæ*, ad Romanam Curiam confugit, & redintegrationem obtinuit, ea tamen lege, ne deinceps venationi vacaret, aut arma ignita deferret.

Sed ille quidem eam redintegrationem conſecutus non raro ad venationem incumbere, ſcloppumque deferre minime deſtitit.

Porro contigit, ut ille Cuſtodi nemorum ad ejus Parochiæ Dominos pertinentium indignatus, quod officii ſui non immemor viam aliquam atque aditum intercluſiſſet, vindictæ cupidus in eumdem inſidias strueret; cumque ipſe, aliuſque ejuſdem conditionis, ac nemorum Cuſtos combibiſſent, ille e caupona eggreſſus, & in via publica nemorum Cuſtodem expectans, qui tamen illac non tranſiit, compotorem ſuum forte tranſeuntem, quem nemorum Cuſtodem credidit, arrepta furca tam male excepit, ut ei ſecandum crus fuerit. Itaque ut a læſi hominis actione, quam intentaverat, ſibi caveret, cum eo rem ita compoſuit, ut eidem pro una vice libras centum traderet, & penſionis annuæ titulo quadraginta perſolveret.

Ait ille ſe deinde Romam profectum P. J. Pœnitentiario confeſſum eſſe, & eo Declarationem obtinuiſſe his verbis conceptam:

Univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

mino. Nos inſraſcripti S. J. Religioſus S. D. N. Papæ in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe Pœnitentiarius D. Honoratum B. Sacerdotem Gallum Diœceſis B. limina B. B. Petri & Pauli, ac Sedem Apoſtolicam perſonaliter viſitantem, & ad Pœnitentiæ Sacramentum humiliter recurrentem, in Sacramentali Confeſſione audivimus, & a peccatis omnibus ſuis, Apoſtolica auctoritate, injuncta ei pœnitentia abſolvimus. In cujus rei fidem præſentes litteras ſigno Collegii Pœnitentiariorum ſignatas, & propria manu ſubſcriptas, ad humilem ipſius ſupplicationem gratis concedi mandavimus. Datum Romæ *apud S. Petrum anno Domini 1677. die 19. Maji, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. Innocentii, Divina Providentia, Papæ XI. anno, Honoratus Fabri.*

Sacerdos hic Roma adveniens ſtitit ſe dictæ Eccleſiæ Cathedrali, quæ, ſine contradictione, jure & poſſeſſione Diœceſanæ Legis gaudet, juſſuſque eſt ſupplicationem ſuam de ſcripto proferre; quod cum feciſſet, declaratus eſt irregularis, monituſque allatam Declarationem communem eſſe, & Peregrinis omnibus Romæ confitentibus concedi ſolitam.

Inſiſtit ille, ac tria pronuntiat.

I. Se, priuſquam Romam pergeret, abſolutionem & redintegrationem obtinuiſſe, quam quidem Diœceſano Epiſcopo obtulerat, ſed illa ei, qui dicto Epiſcopo a ſecretis erat, exciderat.

II. Se ſane Miſſam vel in dicta Parochiali Eccleſia celebraturum.

III. Minitatur ejuſdem Eccleſiæ Decano & Canonicis in jus vocationem, qua jubeantur pati ſe Miſſam celebrare.

Interea Sacerdos alius ejus Capellaniam poſſidet, & Sacriſtæ munere fungitur.

Cum Presbyteri, de quo ſermo eſt, nomen vereantur omnes, atque adeo metuant, nemo unus in eum deponere audet. Capituli Promotor in animo habuit inquirere; ſed teſtes reperiri omnino non poſſunt; actio criminalis ab homine contuſo in eumdem incepta ſuppreſſa eſt; ſolus Actus, publicumque inſtrumentum, quo ille annuarum quadraginta librarum, ac præterea librarum centum ſolutionem in ſe recepit, adhuc ſubſiſtit.

In hoc negotio quæritur, I. utrum Sacerdos hic irregularis ſit? II. An ii, quos diximus, de Capitulo novem leucis a dicta Parochiali Eccleſia diſtantes in conſcientiæ foro impedire teneantur, quominus ille Miſſam celebret? III. Quid porro dictum Capitulum in eodem Conſcientiæ foro facere debeat?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, & expendit, exiſtimat quoad quæſtionem primam, Presbyterum, quo de agitur, cum criminalis cauſa fuerit, quamobrem ei, quem contudit, crus amputaretur, in irregularitatem juxta omnes regulas incidiſſe; ut intelligi licet ex *diſt.* 54. *C. Si Evangelicæ de Clericis pugnantibus in duello, C. Porro. Ne Clerici vel Monachi, C. Clericis*; & Gloſſa *Clem. de homicidio voluntario, & caſuali, ad verbum mutilat.* ubi dicitur: *Not. quoad irregularitatem, mutilationem homicidio comparari.*

Quoad quæſtionem alteram, reſpondetur I. Locorum diſtantiam Capitulo excuſationi non fore, ſi eum Presbyterum, de cujus irregularitate cognovit, Ordinum ſuorum functiones peragere pateretur, illudque proinde in conſcientiæ foro rei probationes quærere debere, ut eum non modo a Miſſæ celebratione abſterreat, verum etiam pro Canonum ſanctionibus corrigat, & ſcandalo, quod ejus prava vitæ ratio gignit, occurrat; quod, regulariter loquendo, obtineri nequit niſi correctione ac pœna, prout Canonibus, Eccleſiæque diſciplina præſcriptum eſt. Reſpondetur II. eumdem Religioſum in externo Eccleſiæ foro ſe tueri non poſſe diſpenſationibus, quaſcumque in interno foro obtinuerit, ac propterea Eccleſiæ Sancti Petri de Urbe Pœnitentiarii declarationem, ad præſens negotium quod attinet, inutilem prorſus eſſe, neque vero Canonicos, quorum gratia conſulitur, ab actione ceſſare debere, ſed potius uti conſueto juris ordine ad hunc ſceleſtum Presbyterum convincendum, & in eumdem inquirere.

III. Reſpondetur id non ita videri factu difficile, cum, ut in libello ſupplici dictum eſt, videatur ipſe de ſuo crimine confiteri, & id quod ſibi dictum eſt, ſe ſcilicet irregularem eſſe, non impugnare, quippe qui ad ſui defenſionem dicat ſe a Romana Curia redintegrationem obtinuiſſe, & Epiſcopi Secretario tradidiſſe, ſed eam ipſi e manibus excidiſſe; cum porro ille irregularitatem fateatur, ad ejuſdem cauſam, quæ hominis ab eo male habiti mutilatio fuit, facile deveniri poteſt.

IV. Reſpondetur, timendum omnino non eſſe, ut ille ad Senatum hanc rem deducat, quia cum eidem rei crimen ſubſit, Procuratorem Generalem excitandi periculo obnoxium ſe ipſe redderet, qui Romanæ Curiæ redintegrationum rationem non haberet in negotio criminis, quo ille ſe reipublicæ obſtrinxit. Præterquamquod nulla timoris cauſa ſupererit, cum Promotor in hanc rem, prout quidem cognoſcit, ex animo incumbet, & aget ex praxi, quæ in Regno obtinet, ubi nulla facti notorietas, quæ juris notorietate minime nitatur, excipitur; quæ quidem notorietas facile conſtare poterit, poſtquam Sacerdos hic ita Capitulo reſpondit, ut non ægre convinci poſſet.

Deciſum Pariſiis die 20. Decembris an. 1677.
Aug. *de Lamet.*

Irregularitas ex Latini ſermonis inſcitia.

CASUS XXX.

Qui legitime non vocatus, nec Latine ſciens Clericali militiæ nomen dat, irregularis eſt, & Beneficio ſe abdicare debet. Non poteſt ille, ſiquidem Sacerdotio initiatus eſt, ſacrum facere, ni ſatis latine ſciat, ut Miſſæ Canonem, & Rubricas intelligat.

QUÆSITUM.

Adoleſcens, cujus frater Canonicatu, quem poſſidebat, quibuſdam de cauſis ſe abdicare volebat, militiæ, cui vacabat, nuntium remiſit, vigeſimo ſecundo circiter ætatis anno, tum ſuadentibus patre, ac matre, qui prævidentes fore, ut illud Beneficium, quo ſe ſuſtentarent, cum alioqui non ſatis in bonis haberent, e manibus ſibi excideret, cum, ut illud iniret, ſollicitarunt, tum quod adverſa fortuna uſus ipſe ſibi commodiorem vitæ rationem ex ejus Beneficii redditibus pollicéretur, ſperans ita ſe poſſe patri, matri, fratribus, & ſororibus opem ferre, qui nunc inde re ipſa vivunt. In illud ergo Beneficium irrepſit ille Latinæ Linguæ plane neſcius, tametſi per annos tres induſtriæ ſuæ nervos omnes contendiſſet, ut eam diſceret; ſed laterem lavit, ut ajunt, & aerem verberavit. Ad Ordines tamen, cum adeo rudis eſſet, accedere non erubuit, eoſque tertio quoque menſe Pariſiis ſuſcepit, cum vel per amicos, vel aliter examen emiſſet nonnullius Doctoris, cui de ſuſcipiendi tantum Ordinis definitione quærenti ipſe Pſitaci more, quod crepabat, non intelligens reſpondebat, adeoque annis circiter ab hinc quinque creatus eſt Presbyter, & cum egeat Miſſarum ſtipendio, quotidie ſere celebrat ne Canonem quidem intelligens, ipſumque Latinum textum titubanter atque ægre legens.

Beneficiatus hic animo tandem reputans miſeram in qua ſe verſari videt; conditionem, iiſque, quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum requiruntur non modo ſe deſtitutum ſentiens, ſed iiſdem etiam comparandis ineptum ſe tranquillo animo eſſe non poſſe credidit, niſi Confeſſarium de re tota ingenue monuiſſet, & obſequendi animo, quid ſibi faciendum eſſet, ex ipſo intelligeret.

Quæritur igitur primo loco, an ille abſque ulla legitima vocatione in Eccleſiaſticum ſtatum ingreſſus debeat in Patroni manu Beneficium dimittere; ſine quo ipſe, pater, mater, fratres, & ſorores ſubſiſtere nequeunt, quippe qui præterea nil habeant, cum tamen haud vulgari genere ſint, & in Regis ſervitio, a quo Beneficium illud obtinuerunt, omne ſuum patrimonium conſumpſerint?

Secundo loco, utrum ille poſſit ſacrum facere, cum haud ſatis valeat Latine legere, atque adeo latino in ſermone ſit prorſus hoſpes & peregrinus?

Ad extremum, ſatis necne foret, ſi, quod aſſolent Cantores, ac Muſici, diſceret latine fideliter legere, & Miſſæ Canonem probe intelligeret, ut eam intra annum aliquando celebraret, vel quod quater in anno circiter accidit, hebdomadarii munus obiret, ne, quod ei damno atque ignominiæ foret, ad Laicalem communionem redigeretur?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Adoleſcentem hunc graviter deliquiſſe, quod legitime non vocatus in Eccleſiam irrepſerit, & fratris Canonicatum, ſacroſque deinceps Ordines arripuerit; & cum Latinæ Linguæ ſit prorſus rudis, irregularem eſſe *C. Illiteratos diſt.* 35. Porro per illud; *illiteratos*, Panormitano *in Cap. Quamvis de ætat. & qualit. ordin. n.* 2. interpretante, is intelligitur, quem ipſe ita deſcribit: *Praxis probandi illiteraturam, & ſcientiæ defectum, ſcilicet ſi probetur aliquem nunquam legiſſe libros ſcientiæ, nec unquam intraſſe ſcholas, vel Doctorem aut Magiſtrum audiviſſe.*

Barboſa in caput hoc Decretalium idem pronuntiat, additque n. 3. *Notatur etiam adhuc, quod collatio Beneficii non valet, quando fit ei, qui omnino eſt illiteratus*, multis deinde Canoniſtis & Theologis in medium adductis, ita rem explicat: *Ideo illiteratus dicitur, qui prima Grammaticæ rudimenta non didicit.*

Sayrus *l. 6. c. 13. de Cenſuris* ita rem fuſius ac diſtinctius enucleat: *Irregularis eſt etiam ad primam Tonſuram, qui neſcit legere & ſcribere, & ad quatuor Minores, qui non novit Linguam Latinam arte, vel uſu, quia qui neſcit Latine legere & ſcribere, aut Linguam Latinam non intelligit, neſcit litteras, in quibus omnia Eccleſiaſtica & Divina Officia conſcripta ſunt, ad quæ Officia facienda Clerici ordinantur. Unde non ſufficit, ut litteraturam competentem dicatur quis habere, quod ſciat legere aut ſcribere lingua vulgari, niſi etiam ſciat Latine legere, ſcribere, & intelligere.* His in hunc modum conſtitutis, reſpondetur

Ad quæſtionem primam; Adoleſcentem, de quo agitur, Beneficium, quod accepit ex fratre, retinere, ac poſſidere non poſſe, ſi nequeat (ut ex propoſita facti ſpecie veroſimillimum fit) ea percipere, quæ omnino neſcire non debet; quod ſi Latinam Linguam ſaltem e limine ſalutaſſet, tum ſane irregularis eſſe non videretur; ſi enim ita eſſet, D. Auguſtinus *c. 19. de catechiz. rudibus*, cujus verba *cap. Sedulo diſt.* 38. referuntur, non pronuntiaſſet ferendum eſſe Paſtorem de vitæ magis integritate, quam de ſermonis puritate ſollicitum: *Diſcant non contemnere, quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare*; atque oportere dixiſſet, ejuſmodi Clericos eo gradu cedere, quem in Eccleſia obtinerent, cum potius eos non contemnendos mandaverit: *Ita enim*, pergit S. Doctor, *non irridebunt, ſi aliquos Antiſtites & Miniſtros Eccleſiæ forte animadverterint vel cum barbariſmis & ſolæciſmis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligere, perturbateque diſtinguere.* Verum Adoleſcens noſter in alia facti ſpecie verſatur; quippe qui eſt plane Latini ſermonis inſcius, latineque vix legit, adeoque irregularis eſt, & quod inde conſequitur, ſe Beneficio abdicare debet; nec ſuorum pauperies, vel ea in quam ſe conjicit abdicatione, ſatis juſta cauſa eſt, quamobrem Beneficium retineat, quandoquidem naturali ac divinæ Legi repugnare videtur, ut in Eccleſia gradum obtineat, qui dotibus ſpoliatus eſt, quæ ad eumdem gradum cum dignitate ſuſtinendum neceſſario requiruntur.

Si tamen ſpes affulgeat fore, ut decurſu temporis, ac labore improbo, quem ipſe exantlaverit, Latinam Linguam, ſaltem leviter, diſcat; quoad quidem melius erudiatur, poterit Canonicatum de Sedis Apoſtolicæ venia retinere; quoad porro veniam hanc obtinuerit, ab Eccleſiaſticis functionibus abſtinere debet. Hanc autem diſpenſationem neceſſariam eſſe apparet ex eo, quod irregularitas publica eſt, agiturque de Beneficii fructibus ei tribuendis, qui dotibus in Jure requiſitis deſtitutus ejus Officium obire nequit; tritum eſt enim illud: *Beneficium propter officium.*

Ad ſecundam; multo minus huic Adoleſcenti licere ſacrum facere, quoniam Presbyteratus Ordo, quem ſuſcepit, eas potiore jure dotes poſtulat, quæ ad alios ſacros Ordines requiruntur.

Ad tertiam; Adoleſcentem hunc ipſum, cum jam ſit Eccleſiæ cooptatus, conditionis eſſe magis favorabilis, quam ſi e Clero non eſſet; atque ita *ne cogatur mendicare in opprobrium Cleri*, litteraturæ minus ex eo requirendum, quo Beneficium tenere poſſit; quamobrem modo primoribus, quod dicitur, labris Latinam Linguam deguſtaverit, ut Miſſæ Canonem, & Rubricas intelligat, ea ipſi venia concedi poterit, ut Miſſæ ſacroſanctum Sacrificium nonnunquam celebret.

Deciſum in Sorbona die 18. Jan. an. 1694.
G. Fromageau.

Clericus Ordinibus initiatus, cum irregularitate irretitus eſſet.

CASUS XXXI.

Clericus, qui, cum irregularis eſſet, ad Ordines promotus fuit, celebranda Miſſa, novam irregularitatem non contrahit, novamve cenſuram; peccat tamen mortaliter, ſi propriæ irregularitatis conſcius celebret: ſatiſque eſt, ut in libello ſupplici, diſpenſationis obtinendæ gratia Romanæ Curiæ oblato prior illa irregularitas exprimatur.

QUÆSITUM.

N..... Subdiaconus generalem Confeſſionem edidit, in qua monitus eſt ſe irregularitate Summo Pontifici reſervata laborare, nec citra diſpenſationem ulterius progredi poſſe; Superiores tamen Ordines vel ita innodatus ſuſcepit. Sacerdos factus in Communitatem ingreſſus eſt, e qua Romam ſcripſit, ut redintegrationem peteret, quippe ad ſcandalum evitandum quotidie non celebrare non poſſet; accepitque Romanæ Curiæ Reſcriptum commiſſum *primo Presbytero approbato*, quod nondum reſeratum eſt. Rem totam expoſuit Confeſſario, ex quo intellexit ſe deteriore, quam ſibi videretur, in ſtatu verſari, quippe qui ſe male feciſſe non crederet, ſpectata celebrandi, qua tenebatur, neceſſitate, tum ut propriæ ſuſtentationi proſpiceret, tum ut ſcandalum evitaret.

Quæritur, I. an irregularis initiatus ullam cenſuram contraxerit?

II. An in aliquam cenſuram lapſus, ac deinde celebrans in aliam irregularitatem inciderit, & a quo tandem diſpenſationem conſequi poſſit?

III. Ullane celebrandi neceſſitate obſtrictus fuerit, ſatiſque nitatur lucri temporalis, & ſuppoſiti ſcandali vitandi neceſſitate, cum ei liberum foret in eam Communitatem ingredi, & ex eadem egredi citra ſcandalum?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum judicat irregularem *etiam ex crimine*, qui ſuſceptorum Ordinum functiones exercet, aliumve Ordinem ſuſcipit, peccare lethaliter, ſuæ ſibi irregularitatis conſcium, quia contra Eccleſiæ præceptum agit in re magni ponderis *Cap. fin. de tempor. ordin.* in novam tamen irregularitatem minime incidere, quia nullus extat Juris textus, qui expreſſis verbis eam pœnam incutiat. Jam vero inter Auctores id vulgo receptum eſt ex Cap. *Is qui, de ſent. excomm. in 6.* irregularitatem non contrahi niſi in Caſibus in Jure expreſſis. Hæc omnia Canoniſtarum fere ſententiæ conformia ſunt, & nominatim Sayri *de cenſ. l. 4. cap. 6. n. 5. & l. 6. cap. 2. n. 26.* Suarez *diſp. 4. ſect. 2. n. 7. & diſp. 42. ſect. 3. n. 2.* Navarri in *Man. c. 27. n. 194.* Bonacinæ *de Irregul. diſp. 7. punct. 4. n. 4.* Sylveſtri *v. Concubinarius quæſt.* 4. de Graphiis *deciſ. cap. 27. num. 6. l. 4.*

Quod adeo verum eſt, ut, docentibus præſertim Sayro, Navarro, & Suarez, cum ad Romanam Curiam diſpenſationis gratia mittitur, ſatis eſſe, ut prima irregularitas exprimatur, quin eam Ordinum exercitio aut ſuſceptione violatam fuiſſe ſignificetur: *Neque in obtinenda diſpenſatione*, inquit Sayrus, *facere debet mentionem hujus violationis, ut patet ex praxi Curiæ Romanæ*. Hinc, ut idem Auctor monet, *Stylus Romanæ Curiæ habet, ut de priori* irre-

irregularitate concedatur diſpenſatio, non autem de poſteriori.

Hoc poſito, ad propoſitas quæſtiones tres reſpondetur;

Ad primam, eum, de quo in expoſitione dictum eſt, cum irregularis eſſet, Ordinibus initiatum nullam cenſuram ſubiiſſe, quia nihil eſt in hanc rem expreſſum in Jure.

Ad ſecundam, eumdem, quod, irregularis cum eſſet, celebraverit, ideo nullam cenſuram, vel irregularitatem contraxiſſe; ita ſentiunt Auctores ſupra laudati, ac nominatim Sayrus, qui *l. 6. c. 2. n. 26. Irregularitas*, inquit, *nec ſuſpenſio eſt, nec cenſura Eccleſiaſtica, & ita celebrans illa irretitus non violat aliquam cenſuram, nec aliquid aliud, cujus violatio novam irregularitatem inducat.*

Ad tertiam, Quamvis is, de quo agitur, Superiores Ordines, cum irregularis eſſet, ſuſcipiens male ſe geſſerit, eumdem tamen in aliqua bona fide verſari potuiſſe, cum nondum irregularitate ſolutus in Communitate celebravit. Illud enim perſuaſum habebat ſe extra eam Communitatem difficillime poſſe ſubſiſtere; quod cum ita ſe haberet, morali veluti impotentia inde eggrediendi tenebatur, utpote boni temporalis neceſſitate eidem addictus; ex alia parte ſe non poſſe credidit ibidem conſiſtere, ac citra ſcandalum a celebratione abſtinere; itaque eum ad celebrandum promovit *ratio gravis damni, & ſcandali*. Porro rationes hæ ſatis magni momenti ſunt teſte Navarro in *Man. cap. 27. n. 239.* Henriquez *l. 14. de Irregul. c. 2. §. 5.* Sayro *l. 6. c. 2. n. 21.* qui ita loquitur: *irregularitas primo reddit hominem inhabilem ad Ordines tum ſuſcipiendos, tum etiam ad eorum executionem, præſertim ad celebrationem Miſſæ, niſi urgeret ſcandalum cum periculo vitæ, aut gravis damni*. Quod enim is, de quo quæſtio eſt, eggredi potuiſſe dicitur, atque ita nullum ſcandalum afferre, abſolute quidem verum eſt, non tamen moraliter, quoniam eggrediens ſe ſe ſubſiſtentiæ ſibi comparandæ difficultati longe maximæ, quod pro certo ponitur, expoſuiſſet. Ex quo ſequitur eum, ſalva veritate, in Romana Curia exponere potuiſſe ſe ad evitandum ſcandalum celebraſſe; quamvis enim ea celebrandi princeps ratio non fuerit, id tamen cum veritate conſentit, poſita neceſſitate, qua premebatur, habendi, quo viveret, quæ quidem ratio præcipua fuerat; præterquamquod cum de pœnis, ac cenſuris agitur, ea non eſſe videtur Eccleſiæ mens, ut agatur tam ſtricto jure.

Deciſum in Sorbona hac die 4. Martii an. 1693.
G. *Fromageau*.

Breve, quo tollitur irregularitas.

CASUS XXXII.

Valet Pontificiæ Delegationis pronuntiatio, nec iteranda eſt, cum ab eo eſt edita, qui ejus edendæ coloratum titulum habet.

QUÆSITUM.

REgiis Declarationibus an. 1680. & an. 1686. prohibetur, ne quis Officialis, aut Legatus ullam Officialitatis functionem exerceat, niſi Doctor fuerit, aut Licentiatus in Theologia, vel in Jure Canonico; nihilominus in Diœceſi A. Titius Legatus ſimplex Baccalaureus pronuntiavit Romanæ Curiæ Reſcriptum, quod Paulus obtinuerat, ut ab irregularitate, quam contraxerat, ſolveretur. Quamobrem quæritur,

I. An cum Titius Vicegerentis Officialitatis munus ad multos annos obierit, eamque delegationem pronuntiaverit, Paulus tuta conſcientia ſit?

II. Debeat necne Paulus, ut cautius ſe gerat, id obtinere, ut ab alio Legato, qui quidem in Diœceſi exiſtit, idem Diploma pronuntietur?

III. An Brevi jam pronuntiato, Delegatio ceſſaverit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, ut occurrat quæſtioni primæ, Paulum, qui Breve Pontificium obtinuit, ut ab irregularitate, quam contraxerat, ſolveretur, rite ſolutum eſſe vi pronuntiationis editæ Brevis a Titio Legato Officialitatis Diœceſis A ...... quamvis ei defuerit qualitas, quam Regis Declaratio requirit. Titius enim in hac facti ſpecie titulo ſaltem colorato gaudebat, quia ab eo inſtitutus fuerat, qui inſtituendi facultate pollebat; & præterea publice habitus fuerat Officialitatis Legatus, & per annos non paucos ejus muneris proprias functiones obierat; denique ſeu naturalis ſeu divini juris ratio habeatur, nullum in eo impedimentum extitiſſe dicitur, quominus Judicis perſonam gereret; itaque nulla, ut videtur, tum in interno tum in externo foro ſupereſt difficultas.

Hæc ſane ſunt conditiones tres, quas fere Canoniſtæ requirunt, ut Acta Judicis, qui talis habetur, quamvis legitimo titulo prorſus careat, valida ſint; iidemque ajunt tunc quidem Eccleſiam cenſeri Juriſdictionis defectum ſupplere, quicumque tandem in Judicis perſona fuerit.

Nititur Doctrina hæc utriuſque Juris auctoritate; I. Juris Civilis *§. 1. Barbarius l. 1. tit. 13. de Off. Præf.* & Gloſſæ hoc loco *v. reprobari: nota, quod error communis circa factum facit jus*; II. Juris Canonici *3. q. 7. c. infamis §. verumtamen.*

Atque hoc quidem priore reſponſo dirimuntur aliæ quæſtiones duæ, ut proinde Breve, de quo agitur, iterum pronuntiandi nulla neceſſitas adſit, cum jam ſatis pronuntiatum fuerit, & quod inde conſequitur, conſummata Delegatione, novæ pronuntiationi per alterum Vicegerentem edendæ nullus amplius ſit locus.

Deciſum in Sorbona hac die .... Dec. an. 1692.
G. *Fromageau*.

Preſbyter irregularis, quod rei mortem acceleraverit.

CASUS XXXIII.

Preſbyter ſæcularis, quo rogante Judices, reus, qui rotæ ſupplicio afficiebatur, ſtrangulatus eſt; irregularis evaſit.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut hanc facti ſpeciem dijudicent.

Quæritur ergo, an contrahatur irregularitas, hominis morte in hunc quidem modum accelerata: Sons dilaceratus inter acerbiſſimos cruciatus diſtento corpore in rota languebat; Sæcularis Sacerdos miſeratione commotus, ac veritus, ne patiens in deſperationem ſe daret, inſtitit, & a Judicibus, ut ſtrangularetur, obtinuit; quæritur, an irregularitatem contraxerit? Ita fere Caſuiſtæ, ac nominatim Bonacina *de Irregular. diſp. 7. q. 4. punct. 1. num. 9.* ubi hæc habet: *quarto illum, qui dicit reo, aſcende ſcalam, vel, ſuppone caput ad excipiendum ictum, eſſe irregularem, quoties ob ipſius dictum reus citius mutilatur. Idem ſentiendum eſt, quando dicit Miniſtro Juſtitiæ, ut gladium acuat, cito faciat, vel ſemel, & non ſæpius feriat, aut quid ſimile faciat, quo mors, vel mutilatio acceleretur, & hoc verum eſt, etiamſi hoc faciat ex pietate. Ita Graffius, & DD. citati.*

Verum in irregularitatis negotio paulo mollior in Gallia mos obtinet, quam in Italia, & Hiſpania, ubi Caſuiſtæ ſcripſerunt.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet ex Galliæ conſuetudine irregulares non haberi vel teſtes in criminalibus negotiis, vel eum, qui manus in reum injecerit, quamvis ille conjectus in carcerem mortis pœna affectus fuerit; quia ii quidem non ſpectantur niſi tanquam mortis cauſa remota. Is porro, de quo in præſentia ſermo eſt, irregularis eſt, utpote qui mortis rotati hominis tanquam efficax & proxima cauſa ſpectari debet; nec finis, quem ſibi ipſe propoſuit, & propter quem egit, eumdem excuſat; neque enim neſcire debuit Eccleſiam abſolute prohibere, ne quis Clericus ad ullius hominis mortem conferat *Cap. 8. Si quis viduam diſt. 50. Si quis homicidii aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut defenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur;*

tur; ut proinde in hac facti ſpecie non ſolum *ex defectu lenitatis*, verum etiam *ex delicto* irregularitas contrahatur; ille quippe dubitare non poterat ſe ita Judici ſupplicantem haud leviter ad rei accelerandam mortem conferre; ſuamque actionem eo tendere. Cabaſſutius *l. 5. c. 19. n. 23.* id ponit tanquam certum; dum ita loquitur: *Itaque nihil habent commune cum irregularitate, quam incurrunt illi, qui efficaciter influunt ad hoc, ut citius perveniatur ad locum ſupplicii; illa namque acceleratio directe per ſe operatur accelerationem ſupplicii, de qua non poteſt dubitare ille, qui accelerat profectionem ad patibulum*. Quamobrem is, de quo agitur, ad Romanam Curiam confugere debet, ut irregularitatis diſpenſationem obtineat.

Deciſum hac die 20. Julii an. 1693.

G. Fromageau.

JUDÆI.

IN ſequenti facti ſpecie illud ad examen revocatur, an Princeps Judæos apoſtatas, qui ſcilicet a Chriſtiana Religione, cui nomen dederant, defecerunt, in ſuis ditionibus pati poſſit.

Judæi relapſi.

CASUS.

Chriſtianus Princeps in ſuis ditionibus nec recipere, nec tolerare poteſt, quicquid inde temporalis lucri percipiat, eos ex Judæis, qui cum Chriſtianam Religionem profeſſi eſſent, ad Judaiſmum rediere.

QUÆSITUM.

IN ora littorali ad Chriſtianum Principem pertinente ejus Deceſſores Judæis ibidem vel degentibus, vel domicilium ponere volentibus eam veniam dedere, ut ab Inquiſitionis Tribunali per annos octuaginta nec capi poſſent, nec ulla moleſtia affici in Religionis negotio, tametſi ſe antea Chriſtianos profeſſi eſſent, ac deinde a fide catholica defeciſſent. Quæritur, an Princeps, qui nunc rerum potitur, pati poſſit Judæos eo privilegio gaudere, cum locus ex eorum commercio locupletetur, ac ſi Inquiſitioni ſubjicerentur, aut extruderentur, Urbs, atque adeo Princeps maximum inde damnum perciperent? Ipſe tamen legem edidit, qua prohibuit, ne quis impoſterum Judæus Apoſtata in eam Urbem reciperetur, eoque, quod enunciatum eſt, privilegio gauderet.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, exiſtimat Chriſtianum Principem omnino non poſſe Judæis, qui Chriſtianæ Religionis edita profeſſione, Chriſti Domini nomen abjurarunt, declaratum privilegium concedere, aut etiam conceſſum prorogare. Nimirum ille temporaneam utilitatem, quam rei publicæ Judæorum commercium affert, obligationi, qua tenetur, impediendi, ne iidem Apoſtatæ in Chriſti Domini nomen blaſphemias evomant, anteferre non debet. Et graviſſime quidem peccaret, ſi ob temporale lucrum eos toleraret, & Urbem maritimam, accitis Servatoris hoſtibus, opulentam ac celebrem reddere mallet, quam Religionem ac pietatem in ea propagare. Violaret quippe Sacros Canones, qui id prohibent; in Lateranenſi enim Concilio quarto, quod Innocentio III. Pontifice habitum eſt, Decretum occurrit, quod Juris corpori inſertum eſt, & his verbis conceptum: *Statuimus, ut per Prælatos Eccleſiarum talis obſervantia veteris ritus omnimode compeſcatur, ut quos Chriſtianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas in ejus obſervatione conſervet*. Vide *cap. Quidem extrav. de Apoſtatis*.

Lateranenſe Concilium doctrinam hanc deprompſerat ex quarta Toletana Synodo, quæ cum vetuiſſet, ne quis baptiſma ſuſcipere cogeretur, præcipit, ut Judæi, qui baptiſmate abluti fuerint, & Eccleſiæ Sacramenta perceperint, adigantur ad fidem, quam ſemel ſunt amplexi, ſervandam, *ne nomen Domini blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur*. Idem legere eſt apud Gratianum *diſt. 45. cap. de Judæis*. Ex his teſtimoniis licet intelligi, quid faciendum ſit Chriſtiano Principi, qui quidem impedire velit, quominus Chriſti Domini nomen blaſphemetur, ejuſque fides contemptui ducatur. Illud ſecum in animo reputare debet, eam, qua pollet, auctoritatem ſibi a Deo traditam eſſe, non fruſtra ſe gladium portare, ſeque ad ſceleſtorum hominum punitionem Divini Numinis Miniſtrum eſſe. Quis porro non videt, quam graviter ille peccaret, ſi ab iis, qui Chriſto nomen dederant, ejus nomen impune contemni, ac blaſphemari pateretur?

Deciſum in Sorbona die 4. Januarii an. 1680.

A. de Lamet.

JUDEX.

Vide Depoſitio.

Judex, qui ſibi timens negotii judicium detrectat.

CASUS I.

1 *Judex, qui ab impotente homine ſibi metuit, non poteſt non Judex eſſe, quia jus facere debet.*

2 *Nequit eo ſe excuſare, quod fieri poſſit, ut judicet contra ac ſentit, hominis præſentia perterrefactus.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut ſententiam dicant ſuper quæſtione, quæ ita proponitur: utrum Judex coram eo judicare coactus, ex cujus impotentia ſibi jure timendum eſſet, cujuſque præſentia ſibi ſecundum æquitatis leges judicandi ac pronuntiandi libertatem adimeret, judicio ſe ſubducere poſſit, atque adeo debeat, utpote in apertum atque evidens diſcrimen conjectus judicandi, ſecus ac cognoſcit, & ſentit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Judicem, quippe qui ex officio inſtitutus eſt, ut juſtitiam exerceat, non poſſe, excepto Juris caſu, judicium detrectare, quia debet jus dicere; quod ſi facere negligat, ſibi deeſt. Se porro legitime, cauſa exempli, non excuſaret inquiens ſuam vocem inutilem fore, tum ut jus fiat, tum ut injuſtitia impediatur; etenim obligatio, qua quiſque ſingillatim Judex adſtringitur, faciendi, quod debet, ab ea, qua alter tenetur, ut & ipſe, quod debet, efficiat, atque adeo a quocumque conſecuturo judicio minime pendet. Præterea Judex, de quo quæſtio eſt, nolens ſententiam dicere malo cæteris exemplo eſt, qui cum imitantes pariter a juſtitia recedent; ut proinde quo ille in ſocietate vel gradu, vel virtute magis eminet, eo ſcandalum, quod afferret, quoad homines perniciofius, atque ita peccatum, quod committeret, coram Deo gravius futurum ſit.

Nec dicere juvat Judicem, de quo ſermo eſt, providere ſe, contra ac ſentit, judicaturum, ſi cogatur ſententiam dicere. Judex enim, qui nollet de re judicare, quod timeret, ne quid ſibi ab impotente, cujus res ageretur, triſte contingeret, aut cujus animus ejuſdem hominis præſentia frangeretur: careret ea conſtantia, ac fortitudine, quæ ita Judici neceſſaria eſt, ut nequeat ejuſmodi officium ſuſcipere, ſi ſe animi puſillum noverit, vel in ſuſcepto perſiſtere, ſi ſuccumbat. *Noli quærere fieri Judex*, ita Sacræ Litteræ in Libro Eccleſiaſtici, (*a*) *niſi valeas virtute irrumpere iniquitates*, nempe niſi te ita animo valere ſentias, ut deſtruas, ſubvertaſque, quicquid ſibi

(*a*) Eccleſ. c. 7. v. 6.

tibi hominum improbitas oppoſuerit. Si potentis hominis præſentiam formidas, pergit ſacer idem Scriptor, tua tibi formido violandæ juſtitiæ evadit occaſio: *Ne extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*. Hoc loco ſacra Scriptura proponit animi firmitatem, qua Judex præditus eſſe debet, ac duo requirit. Primum eſt, ut omnis omnino timoris ſit expers, ne ab officio deflectat; alterum eſt, ut vim vi opponendo par ſit, atque ita impediat, ne potentis hominis vi utentis iniquitas de juſtitia victoriam reportet. Ea Judex animi præparatione eſſe neceſſe eſt, ut propriam vitam immolet, habeatque, ut ita dicam, præ manibus: *Anima mea in manibus meis ſemper*, inquit Rex Propheta, ut oſtendat ſe ſemper eam tradere paratum eſſe, cum id opus fuerit, ne quid contra Divinam Legem, propriumque officium ſuſcipiat.

Jam vero Judex, qui prava potentis hominis officia metuens judicare detrectat, longe abeſt ab ea animi promptitudine, qua Magiſtratus inſtructus eſſe debet, ut Legum cuſtodiæ invigilet, & commune bonum procuret. Fuiſſet ille ſolitariæ ac privatæ vitæ longe aptior, ut monet antiquus Philoſophus: (*a*) *Quorumdam verecundia parum idonea eſt rebus civilibus, quæ firmam frontem deſiderant, bis utilior negotio quies*. Senec. *lib. de tranquill. c.* 4.

Levius quidem peccaret Judex detrectans ſententiam dicere, facta hypotheſi omnino opus fore, ut contra propriam ſententiam, contraquæ juſtitiam judicet; verum improbatur iſthæc animi præparatio, nec omnino locum habet, ſi Judex, de quo agitur, nihil omiſerit, quo ſemetipſum adverſus propriam imbecillitatem tueatur.

Reſpondetur ergo Judicem non debere judicium detrectare, neque id conſilii ei proponendum eſſe, quia ad id, quod ejus officio repugnat, incitaretur; ſed oportere, ut ipſe ſuam omnem fiduciam in Deo collocet; ac poſtquam ferventibus precibus ejus miſericordiam ipſe imploraverit, & implorandam curaverit; poſtquam, quicquid Deo diſplicuerit, in ſe deterſerit, quod quemque bene moratum Judicem decet, ne forte reorum præpoſteris cupiditatibus abripiatur, eorumque delictorum particeps fiat, ut monet vetus Auctor Eccleſiaſticus in ſacræ Scripturæ locum paulo ante laudatum: (*b*) *Ne is, qui per crimen proprium depravatur, Judex fieri appetat culparum alienarum*; poſtquam denique hæc omnia, & alia, quæ pietas inſpirabit, ipſe præſtiterit, Judex permanere debet, ac deinde ſe totum dedere Providentiæ, quæ nemini deeſt, ubi opus fuerit, ut cuique ſatis ſuperque propria experientia compertum ſit, præſertim cum urget obligatio, implendæque obligationis voluntas adeſt, quæ Judicis, de quo quæritur, ratio eſt (*c*). Quamvis porro non videat, qui contra ac ſentit, judicandi periculum evidens vitare poſſit, quæ eſt ejus animi infirmitas, & judicandi hominis impotentia, nihilominus indubitato credere debet fore, ut adverſus tentationis vim divinum ſibi auxilium præſto ſit.

Neque vero neceſſe eſt eas rationes cognoſci, quibus uti Deo placeat, ut in ſe ſperantibus opituletur; id enim qui cuperet, ſpem ipſam de medio tolleret: *ſpes, quæ videtur non eſt ſpes*, inquit Apoſtolus (*d*). His nimirum in caſibus, cum nihil eorum, quæ ſupra dicta ſunt, omiſſum fuerit, in ſe ſperari vult Deus etiam adverſus omnia humanæ rationis momenta: (*e*) *contrahit ſpem in ſpem*, inquit idem Apoſtolus. Hac igitur perfecta in Deum fiducia Judex, de quo hactenus, potiſſimum niti debet in hac facti ſpecie, in qua de proprio officio implendo agitur.

Deciſum Pariſiis hac die 18. Februarii an. 1695.
G. *Fromageau*.

Judex, qui ſibi non debita jura exigit.

C A S U S II.

1 *Judices peculiares & ſubalterni tuta conſcientia jura exigere non poſſunt in iis actionibus, in quibus id Conſtitutione prohibetur.*

2 *Humana Lex abrogari poteſt contraria conſuetudine, quæ quidem vidente, ſciente, & connivente Principe obtineat; at eo prorſus inſcio conſuetudo Legem non abolet, nec jus tribuit alias, quam quæ Conſtitutio concedit, emolumenta exigendi.*

QUÆSITUM.

VEtat Conſtitutio, ne peculiares ac ſubalterni Judices ullum ſibi jus arrogent ob audientiæ ſignaturam, vel ob proviſionales Sententias in re criminali. Complures tamen Officiales in Provincia ſecus agere conſueverunt, Conſtitutionis, ad caput hoc quod ſpectat, ratione non habita; conſuetudinem hanc tolerant Præfecturarum generales Legati, qui referunt inter expenſarum taxationes ejuſmodi emolumenta, eademque ſibimetipſis exigunt.

Quæritur, an in hac facti ſpecie ſub peccati pœna Principis Lex obliget, atque an contraria conſuetudo poſſit excuſare Miniſtrum, qui ſoluta pecunia officium obtinuit, quique ſuum tempus, ſuaſque curas in eo collocat, ut jus faciat, cum emulentorum, quæ percipit, non mediocrem partem ea jura conſtituant?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſuper propoſita facti ſpecie cenſet Principis Lege Miniſtrorum jus dicentium taxationes ſtatuente eos, de quibus agitur, obligari, nec poſſe, quin ei pareant, prout ſubſiſtit, & prout ejus cuſtodia e Principis mente eſſe cenſetur.

Animadvertendum tamen eſt humanæ Legis vim tolli poſſe contraria conſuetudine, quæ vigeat vidente ac ſciente Principe, nec repugnante. Tunc enim tanquam certum poni poteſt eum Legis abrogationi aſſentiri, oppoſita ſcilicet conſuetudine tolerata. At ſi ea conſuetudo inſtitueretur inſcio Legiſlatore, nullius roboris eſſet, quia Legi ſuccedens ipſa Legis locum teneat neceſſe eſt. Id porro ea nunquam aſſequi poteſt, niſi ab eo probetur, penes quem auctoritas publica eſt. Si ergo conſuetudo hæc publico bono adverſetur, Legi derogare non poteſt, quia cum Legis finis publicum bonum ſit, conſuetudinis quoque finis eodem tendere debet. Hinc D. Thomas ita ſtatuit: *ſi adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit, in ſum.* 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2. Cum ergo Conſtitutionis finis ſubditorum contendentium ſubſidium fuerit, conſuetudo autem, quæ inolevit, huic utilitati repugnet, ea tanquam juſtitiæ, ac rationi conſentanea ſpectari non debet; eoque magis, quod iis tantum, qui ex ſubditorum, quos Princeps ſolari voluit, impenſis emolumentum percipiunt, probata, ne interpretatione quidem Principis auctoritate donari poteſt, quoniam & ipſum, & ſuperiores Magiſtratus omnino latet, fitque vero ſimillimum eos, ſi de re certiores fierent, huic abuſui reſtituros. Hujus autem conſuetudinis aſſertores non eo ſe ſatis excuſant, quod ementes officia ejus emolumenti rationem habuerint, quia cum ſcire debuerint id Conſtitutione prohiberi, eam tanquam ſtrictam & irrefragabilem legem, prout quidem ſubſiſtit, ſervare debent.

Quamobrem Conſilium ſubſcriptum cenſet eos Judices emolumentis ſibi a Principe conceſſis contentos eſſe debere, & quicquid ulterius percipiunt, cum juſtitia pugnare, neque ad ipſos omnino ſpectare. Si tamen ea praxis auctoritate publica probaretur, in ea nihil eſſet, quod a juſtitia abhorreret.

Deciſum Pariſiis die 20. Februarii an. 1679.
Aug. *de Lamet*.

Judex, qui ſtatuit a criminis cognitione deſiſtere.

C A S U S III.

Judex, ad quem ſpectat criminale negotium, cujus deciſio eſt e re publica, non poteſt ab ejus cognitione deſiſtere, ut ſontis fautoribus gratificetur. Jus facere debet, tanquam Miniſter Principis.

QUÆ-

(*a*) Vide Cicer. Orat. pro Sextio circa finem. Cornel. a Lapide in lib. 1. Barradius t. 4. p. 282.

(*b*) Rabanus Maurus tom. 3. l. 2. c. 6. in Eccleſ.

(*c*) Qui timet hominem, cito corruet, qui ſperat in Domino, ſublevabitur. Prov. c. 29.

(*d*) Roman. c. 8. (*e*) Ibid. c. 4.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Judex, qui de crimine, cujus punitio ad publicum bonum ſpectat, inquirere cœpit, poſſit ſuapte ſponte, nullaque urgente neceſſitate vel amicitiæ gratia, vel ob alias ejuſmodi cauſas ab incepto deſiſtere, præſertim cum non immerito timendum ſit, ne in ejus locum ſuffectus a recto juſtitiæ tramite aberret?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, viſa expoſitione, cenſet Judicem, qui crimen, quod puniri reipublicæ intereſt, cognoſcendum ſuſcepit, non poſſe citra cauſam a negotii cognitione ceſſare, quia præpoſitus Principis nomine, ut ejus loco ac vice juſtitiam ſubditis reddat, tenetur invigilare publico bono ad inſontium deſenſionem, ac ſontium punitionem. Deeſſet hic Judex officio ſuo, ſi amicitia, aliiſve ejuſmodi cauſis permotus, a criminis cognitione deſiſteret, cum ſollicitationes, quibus premitur, eo referuntur, ut juſta punitio impediatur. Id aperte conſtat ex Eccleſiaſtico, cujus *capite* 7. expreſſis verbis prohibetur, ne Judicis officium ſuſcipiatur, ſi non ſatis animi fuerit ad punienda crimina, & potentium hominum vim reprimendam: *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Quocirca Judex hic a negotio, de quo agitur, in conſcientiæ foro, & juxta Dei Legem deſiſtere non poſſe cenſetur; deſiſtere quippe non poſſet niſi ex imbecillitate, quæ eum apud Deum graviſſimo crimine obſtringeret, quoniam ex officio inſtitutus eſt *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, ut loquitur D. Petrus Epiſtolæ ſuæ primæ cap. 2. Ille non inutilem modo, ſed etiam pernicioſam in ſe ipſo efficeret, quam a Principe obtinuit, auctoritatem, ac rationem redditurus eſſet ejus damni, quod, quoniam jus reddere, & ſubſidia, quæ ſubditis ex juſtitia debebat, afferre noluiſſet, in rem publicam redundaret.

Deciſum Pariſiis die 13. Aprilis an. 1680.

A. *de Lamet.*

JURISDICTIO CAPITULI.

CASUS I.

Capitulum, cui Epiſcopalia Jura competunt, in Vicariis Generalibus inſtituendis aliquam auctoritatem ſibi reſervare poteſt.

QUÆSITUM.

Cujuſdam Eccleſiæ Capitulum, quod ab immemorabili maxima ex parte Epiſcopalia Jura obtinet, quippe quod ea olim Epiſcopalis Sedes fuerit, Generalem Vicarium, in quem Juriſdictionem ſuam omnem confert, nominare conſuevit; multiplicem tamen ſibi facultatem reſervat, ſuffragiis communibus, eorumque pluralitate exercendam, cujuſmodi ſunt collatio poteſtatis a reſervatis caſibus abſolvendi, publicarum Precum indictio, trium nuptialium publicationum diſpenſatio, & id genus alia; quod in cauſa eſt, ut non ſemel conteſtationes exiſtant, eorumque, qui doctrina, atque experientia cæteris præſtant, ſententiæ in eo Capitulo non ſemper prævaleant. Quamobrem quæritur,

An Parochi, qui a Capitulo pendent, teneantur necne pro viribus in id incumbere, ut abuſus, quibus Canonicorum diſcrepantia favet, de medio tollantur, & ſpiritualia negotia non quidem ſuffragiorum pluralitate finiantur, ſed ut in omnibus Cathedralibus Eccleſiis aſſolet, Sede vacante, tranſigantur, ſiquidem illi ſatis gratia valuerint, ut ab iis, penes quos auctoritas eſt, id obtineant?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti, qui expoſita viderunt, exiſtimant Parochos a Capitulo maxima ex parte Epiſcopalibus juribus inſtructo pendentes non teneri ad diſciplinæ, quæ quoad ſpiritale regimen ibidem obtinet, mutationem incumbere. Quamvis enim Cathedrales Eccleſiæ Vicarios Generales inſtituere teneantur, ac ni inſtituerent, tanquam ab abuſu quod veroſimillimum ſit, appellari poſſet, Sede quidem vacante; non tamen apparet, quamobrem nequeant ſibi aliquid reſervare, præſertim cum reſervationes eo referuntur, ut diſpenſationibus modus ſtatuatur, & univerſim rectius negotia peragantur, qualis eſt a reſervatis caſibus abſolvendi facultas. Ita ſentit Barboſa in Seſſ. 27. Tridentini Concilii, & in *cap.* 16. dum ita loquitur: *Cum Juriſdictio Vicarii Capitularis dependeat ab ipſo Capitulo, poteſt Capitulum illam ampliare, & limitare, ex quo ipſa juriſdictio reſidet principaliter penes Capitulum.* Idem repetit in Tractatu, quem edidit *De officio & poteſtate Epiſcopi p. 3. alleg.* 54. *num.* 176. formulam explicans, quæ in ejuſmodi Vicariorum inſtitutione a Capitulis uſurpatur, verbo, *Reſervantes, quia, in commiſſione Vicarii poteſt Capitulum aliqua reſervare, ut ait Quaranta.* Ex eo autem confirmatur ſententia hæc, quod Jure veteri Cathedralium Eccleſiarum Capitula nullius Canonis vi jubebantur ullum Vicarium ad Diœceſis regimen inſtituere, eamque ipſa per ſe poterant adminiſtrare; atque ita cum hujus poteſtatis partem ſibi reſervandi jus iis non ademerit Tridentina Synodus, quæ iiſdem, ut Vicarium nominarent, impoſuit, adhuc proinde eo jure gaudent, ut quædam ſibi reſervent in Litteris, quas Generalibus Vicariis concedunt. Ita Fagnanus *de majorit. & obed. C. His quæ* de Jure veteri: *Cæterum etſi jure communi inſpecto, vacante Epiſcopatu, Capitulum non arctetur ad conſtituendum Vicarium, ſed poſſit juriſdictionem ad ſe devolutam per ſe ipſum exercere, ut notat Abb. in cap. Irrefragabili, n. 2. ſupra de offic. Ordinand.* & Felin. *in C. Cum olim n. 9. infra eod.* Si ergo Capitulum, de quo ſermo eſt, aliquid ſibi reſervandi poſſeſſione gaudet, id ei moris ſervari poteſt, niſi conſtet illud auctoritate ſua abutens ſibi ſubjectis nocere. Conteſtationes enim ac ſuffragiorum diviſionem exiſtere non ſatis eſſet; ſed præterea probandum foret votorum pluralitatem ac concluſiones ſemper ad pervertendas regulas tendere, & poteſtate ſua Capitulum uti *non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem.*

Deciſum Pariſiis die 20. Maii an. 1678.

Auguſt. *de Lamet.*

Juriſdictio Decani.

CASUS II.

1 *Decanorum juriſdictio, ac jura ad conſuetudinem ac praxim exigenda ſunt, cum nihil ſit, ad hunc articulum quod ſpectat, in Jure definitum.*

2 *Canonici, ſi in Decanum litem intentent, accurate cavere debent, ne quid detrimenti charitas ſubeat.*

QUÆSITUM.

Feria quarta Majoris Hebdomadæ Canonici Eccleſiæ T..... Capitulum quotannis habent, quod reconciliationis appellant, in quo Canonici univerſi ac ſinguli culparum, quas admiſerint, veniam efflagitant, atque ad Decanum, qui præſidet, deinde converſi rogant, ut per eum ſibi liceat Confeſſarium eligere. Decanus porro vult ille quidem prorſus ut alii veniam & ipſe petere, ſed eligendi Confeſſarii permiſſionem poſtulare non vult, inquiens ſe Parochum & Paſtorem eſſe, atque inauditum eſſe, eum, qui ejuſmodi permiſſionem tribuit, eam ab iis poſtulare debere, qui eamdem ex ipſo recipiunt.

Reſpondet Capitulum, I. eum quidem veterem morem eſſe, nec omnino ab ordine abhorrere, cum obtinear in Eccleſia M. proxima, a qua Eccleſiam T.... eumdem morem mutuatam eſſe veroſimillimum eſt, cum maxima ſemper, quaſique fraterna inter utramque Eccleſiam cognatio interceſſerit. II. Inter poſtremum Decanum, & Capitulum Tranſactionem exiſtere, quæ eam conſuetudinem firmat.

Ad Tranſactionem quod attinet, Decanus ait ſe ab ea ſibi caviſſe, eamque quoad caput hoc Reſcripto infirmatam fuiſſe. Reponunt Canonici, ut Tranſactio hoc quidem ex capite infirmata fuerit, eam ſaltem conſuetudinis probationem fore, quoniam Seniorum Declarationem continet, ajentium ſe eam ſemper in uſu eſſe vidiſſe; eos porro, utpote ejuſdem Capituli Canonicos ſtudio partium abripi cenſeri non poſſe; eos enim teſtes improba-

ri non

ri non poſſe, quippe qui probi viri ſunt, ac teſtes neceſſarii, ac nonniſi Canonici de re, quæ in Capitulo privatim peragitur, teſtari poſſint. Addunt & illud ægrotanti Decano deputatos Canonicos Sacramenta adminiſtrare; ac ſi deficeret, Capitulum per ſuos Officiales in eumdem inquiſiturum. Concedit id ultro Decanus; quod argumento eſt juriſdictionem penes Capitulum eſſe, eique Decanum ſubjectum eſſe.

Quæritur I. An Capitulum ſubjectionem hanc a Decano jure poſtulet?

II. An ſi Decanus eam ſubjectionem detrectet, Capitulum quoque poſſit, eam, quam hactenus præſtitit, ei denegare?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat, cum juriſdictio, qua Cathedralium Eccleſiarum Decani gaudent, in Jure definita non ſit, proinde praxi & conſuetudini ſtandum eſſe. Hæc ſententia eſt Gloſſæ Capitis *Ex parte de Cler. non reſid. v. Officio*: *Quod ſit Officium Decani, ex conſuetudine potius colligitur*. Ea quoque Guimerii ſententia eſt in Pragmaticam Sanctionem titulo, *Quomodo Offic. divin. ſit celebr. §. ſuper his: De officio Decani nihil cavetur in jure; ſed dependet ejus officium, ſive juriſdictio potius ex conſuetudine & privilegio, quam ex jure*. Quamobrem cum Decani poteſtas & juriſdictio magis minuſve pro more, & conſtitutionibus, quas ab initio Capitulum edidit, extendi poſſit, antequam propoſita facti ſpecies dijudicetur, juvat certo ſcire, quid moris obtineat in Capitulo I.... & qua poſſeſſione ſuper hoc, de quo agitur, articulo Decanus gaudeat. Porro conſuetudo neutra ex parte ſatis elucet; Tranſactio, & Reſcriptum, quod eam quoad caput hoc infirmavit, videnda eſſent. Utilius fortaſſe foret contendentibus, ut Arbitros ad compoſitionem eligerent. Verum ſi ad forum contentioſum, quod illi tuta conſcientia facere poſſunt, res deducatur, id vero ſalva & incolumi Charitate faciendum eſt.

Deciſum Pariſiis hac die... Junii an. 1692.

Germanus *Fromageau*.

Jus colligendi poſt meſſem.

CASUS.

1 *Levitici Lex, quæ Judæis præcipiebat, ut quæ ſupereſſent in agris poſt meſſem, ſpicas relinquerent in pauperum bonum, ſpectabat ad Legem Judicialem, quæ Chriſtianos non obligat; ſed iis ſuadet humanitatem, qua erga pauperes utendum eſt.*

2 *Si conſuetudo, aut Lex aliqua particularis in aliquo Regno ſeu Provincia idem ſtatueret, pauperes citra injuſtitiam impediri non poſſent, quominus colligerent.*

3 *Poſſet Epiſcopus in iis Regionibus edita Conſtitutione hujus injuſtitiæ Auctores ad compenſationem adigere, ac ſi forte reluctarentur, prohibere, ne a Confeſſariis abſolverentur.*

QUÆSITUM.

Quibuſdam in locis Agricolæ nonnullos, quibus favent, poſt meſſem in ſuis agris colligere ſinunt, rejectis aliis pauperibus.

Qua in re quæritur, I. an ejuſmodi Agricolæ peccent contra præceptum illud Levitici *cap. 19. v. 9. Cum meſſueris Segetes terræ tuæ, non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ, &c.*

II. An hæc tranſgreſſio ſit contra juſtitiam?

III. An qui ab iis in ſuos agros mittuntur, lucrum ex collectione perceptum aliis pauperibus reſtituere teneantur?

IV. An Henrici II. Conſtitutio permittens pauperibus, ut poſt meſſem colligant, adjudicet necne ſpicarum reliquias primo occupanti, adeoque collectionem hanc impedientes obligentur ad reſtitutionem ipſo facto, quin expectetur Officialis aut Judicis ordinarii ſententia?

V. Satiſne juſta cauſa ſubeſſet Epiſcopo præcipiendi, ut Agricolæ damnum pauperibus illatum ſarcirent?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet Agricolam juſtis de cauſis poſſe quibuſdam permittere, ut ſegetum reliquias in ſuo prædio decerpant. Etenim I. hujus rei ratio eadem eſt atque eleemoſynæ, quæ poteſt in certos quoſdam pauperes præ cæteris erogari. Et ratio eſt, quia nulla generalis Lex adeſt, Civilis aut Eccleſiaſtica, quæ in proprio prædio ſpicas colligendas relinqui jubeat. II. Henrici II. Conſtitutione diei 15. Februarii an. 1554. num. 9. relata in Collatione Conſtitutionum tom. 7. pag. 410. & a Nerone *p.* 265. imbecilles tantum, & qui metere nequeunt, reliquias colligere permittuntur.

Sane conſtat, Deum Levitici cap. 19. & 23. Judæis præcepiſſe, ut ſpicas, quæ poſt meſſem ſupereſſent, pauperibus & peregrinis relinquerent. At Bonfrerius contendit eam Legem ex præceptorum judicialium numero eſſe, quæ quidem poſt Chriſti Domini mortem obligare deſtiterunt. Levinus in caput 19. Levitici monet iis Legibus Hebræos quidem obligatos fuiſſe, Chriſtianos autem non obligari, ſed tantummodo ad pauperes & peregrinos humaniter excipiendos extimulari: *Non obligant*, inquit, *hujuſmodi Leges Chriſtianos, niſi quatenus humanitatem aliquam ſuadent in egenos, viatores, & peregrinos.*

Hoc poſito, ad quæſtiones propoſitas reſpondetur.

Satis eſt factum per ea, quæ dicta ſunt, quæſtioni primæ, ſecundæ, ac tertiæ.

Ad quartam quod attinet, minime apparet ex verbis Conſtitutionis Henrici II. oportere, ut inter metendum ſpicæ colligendæ pauperibus relinquantur; ita ut agri Dominus contra charitatem & contra juſtitiam omnino non peccet, ſi pauperes nihil decernendum inveniant, niſi Lex aliqua particularis ibidem adſit in eorum gratiam. Quod ſi adeſſet hæc Lex, citra injuſtitiam pauperes a collectione arceri non poſſent, quippe qui eo jure gauderent, quo non poſſent ſine injuria privari. Hoc in caſu injuſtitiæ auctor teneretur pauperes compenſare, quin per ſententiam id facere cogendus eſſet.

Pauperi quidem, ſi ſtricte loquamur, ad ſegetum reliquias poſt meſſem colligendas accedenti nullum veri nominis jus in eaſdem competit; ſed eo tamen jure gaudet, ne vel timore, vel vi, vel fraude eas colligere prohibeatur. Huc referri poteſt, quod ait Sylvius in D. Thomam 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *concluſ.* 5. de homine, qui una cum multis aliis ad Beneficium obtinendum concurrit; quamvis enim certum jus ad illud non habeat, fraus tamen, aut vis adhiberi non poteſt, ut, quominus ad idem perveniat, impediatur: *Quamvis enim concurrentes ſint æque digni, vel etiam digniores; ille tam dignus, qui per vim aut fraudem impenditur, injuſte privatur ſuo jure, eique injuſte impedimentum objicitur; quia licet non habeat jus ſtrictum ad Beneficium, habet tamen jus ſtrictum, ne quis per vim, fraudem, ſimileſve injuſtitiæ modos ejus promotionem impediat*. Hinc concludit hujus impedimenti auctorem ad reſtitutionem aliquam obligari. Nititur id D. Th. doctrina art. 4. loc. cit. *Aliquis damnificatur dupliciter, uno modo quia aufertur ei, quod actu habebat, &c. Alio modo ſi aliquem damnifices impediendo, ne adipiſcatur, quod erat in via habendi: & tale damnum debet recompenſari ex aliquo.*

Ad quæſtionem quintam reſpondetur Agricolam non quidem contra juſtitiam, bene vero contra charitatem peccare, ſi a reliquiis in ſuo prædio colligendis certos quoſdam pauperes inconſulto ac temere excludat; quoniam pro certo ponitur nihil eſſe, quo obligetur pati accedentes quoſque; at ſi qua Lex in agro reliquias in pauperum gratiam relinqui juberet, & de negotio controverteretur, lis ad Laicum Judicem, tanquam competentem, non vero ad Epiſcopum pertineret. Epiſcopus tamen per Conſtitutionem docere ac monere Populum poſſet, id emolumenti pauperibus adimentes ad compenſationem teneri; & prohibere, ne refragantes a Confeſſariis abſolverentur.

Deciſum in Sorbona hac die 16. Auguſti an. 1700.

G. *Fromageau*.

JUSJURANDUM.

Chriſtianorum Juſjurandum eſt alicujus rei factæ aut faciendæ affirmatio vel negatio rei ſacræ teſtimonio firmata; ita definiit S. Antoninus (*a*). Ut illud liceat, tres conditiones adeſt debent; quæ apud Jeremiam Profectam recenſentur his verbis: *Jurabit in veritate, in judicio, & in juſtitia*. Juramentum nempe abſque veritate editum falſum eſt, abſque judicio caret diſcretione ac prudentia, abſque injuſtitia illicitum eſt & injuſtum. Qui de re jurat, quam falſam eſſe pro certo habet, per-

(*a*) S. Anton. 2. p. tit. 10. c. 5. in princ. Jer. c. 4.

perjurii peccatum perpetrat, quod eſt longe graviſſimum, quamlibet leve ſit id, cujus gratia juratur. Qui jurat ob levia, nulliſque urgente neceſſitate, vel ut rem falſam, quæ vera credebatur, confirmet, contra conditionem alteram peccat. Denique violat conditionem tertiam, qui obſtricta jurisjurandi fide ſe malam rem acturum promittit, exempli cauſa ſe ex inimico ultionem capturum, nunquam ſe cum eo, qui cum ipſo litigat, in gratiam rediturum &c.

Jusjurandum, quod a reis exigitur,

CASUS.

1 *Reus, a quo jusjurandum exigitur, debet verum dicere, etiamſi certa ipſius mors veritatis aſſertionem conſequeretur.*

2 *Confeſſarius, ad cujus tribunal accedit reus, qui in bona fide verſatur, nec ſe putat, quamvis juridice interrogetur, teneri veritatem dicere, eum erudire, & ab errore abducere debet.*

3 *Ei abſolutionem negare debet, ſi nolit eam pravam animi præparationem deponere.*

QUÆSITUM.

Opinionum varietas apud Auctores varios, ad juramenta quod attinet, quæ a reis pro tribunali exiguntur, ſæpe numero in cauſa eſt, ut Confeſſarius ſollicite quærat, quid in praxi facto opus ſit. Itaque in præſentia Titius ad Sorbonæ Doctores confugit, ut certam ſibi regulam tradant, quam ſequi poſſit, humiliter rogans. Porro Titius ex quo in carceribus fere confeſſiones audit, ab annis nempe multis ita ſe geſſit, ut abſolutionem vel Paſchatis tempore iis denegaret, qui ſe mortalis peccati accuſarent, quod falſum juramentum edidiſſent, ut ſe a pœna, quæ ſuis criminibus debebatur, eximerent, quique quod falſo juraſſent, id novis perjuriis firmare parati eſſent. Hoc autem conſilium eo ratius certiuſque ei viſum eſt, quod nullum hactenus reum compererit, qui Deum a ſe læſum non crederet falſo jurando, ut aliquam pœnam, ipſamque adeo mortem effugeret, vel qui ſe juridice interrogatum fuiſſe dubitaret. Cum ergo illi ingenue ac ſuapte ſponte faterentur ſe ita jurantes peccare, Titius ſuum eſſe credidit contrariam ſententiam haud eorum animis inſpirare. Quamobrem in ejuſmodi facti ſpecie fidenter abſolutionem iis diſtulit, quoad eorum negotia ad exitum perducerentur, vel ipſo Paſchatis tempore, ratus, ſi contra faceret, futurum, ut incommodum longe graviſſimum oriretur, quoniam Judici veritas occultaretur; Paſchalem autem Communionem id genus hominibus differri non adeo grave malum videri.

Major ſane quoad eos eſſet difficultas, qui ſe, juridice licet interrogatos verum dicere debere non crederent, eo nixi principio, quod cum Judex nequeat quemquam adigere, ut in conſanguineum, atque adeo in quemvis alium, ſiquidem inde aliquod grave damnum futurum ſit, teſtimonium proferat, multo minus jubere poteſt, ut reus adverſus ſe ipſum teſtimonium dicat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, propoſitas quæſtiones ad tres redigi poſſe. Prima eſt, an reus juridice interrogatus verum dicere debeat, etiamſi de ejus vita ageretur?

Altera eſt, an bona fide perſuaſum habens ſe non debere, poſſit in hac animi præparatione perſiſtere, & pergere veritatem negare, dum a Judice interrogatur?

Tertia eſt, quid agendum quoad reum, qui vellet in veritatis, quoties interrogabitur, negandæ diſpoſitione perſeverare?

Ad tres has quæſtiones reſpondetur;

Ad primam; communi Theologorum ſententia poſt D. Thomam, reum juridice interrogatum veritatem dicere debere, (*a*) *quia*, Divi Thomæ verba ſunt, *pertinet ad debitum juſtitiæ, quod obediat aliquis ſuo Superiori in his, ad quæ jus Prælationis extenditur*. Porro Judex, cui adverſus reum ſemi-probatio ſuppetit, quique proinde eum juridice interrogat, cum facti, cujus adeſt ſemi-probatio, veritatem ex ipſo quærit, agit ut ejus Superior; atque adeo reus debet eidem parere, ac veritatem, quam petit, dicere; quam ſi minus dicat, mortaliter peccat: *Judex autem Superior eſt ejus, qui judicatur*, pergit S. Doctor, *& ideo ex debito tenetur accuſatus Judici veritatem exponere; vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.*

Fruſtra porro dicitur, nemini licere conſanguineum, cum de ejus vita agitur, apud Judicem accuſare, atque ita accuſare ſeipſum multo minus licere. (*b*) Sane convenit ex Lege neminem adigi poſſe, ut adverſus conſanguineum præſertim proximum ſe teſtem conſtituat, niſi agatur de bono publico, nec aliunde probationes præſto ſint. At non eadem rei eſt ratio, qui juridice, ut ſupponitur, & immediate de ſuo ipſius peculiari facto interrogatur; id quod in conſanguineo non ita ſe habet; reus enim in ea facti ſpecie jus amiſit, quo quiſque gaudet in ſe non teſtandi; atque ita tenetur veritatem dicere, quæcumque ei pœna immineat, atque adeo cum propriæ vitæ jactura.

Ad alteram. Poteſt reus in bona fide verſari, & credere ſe veritatem dicere non teneri, etiamſi legitime interrogetur, præſertim cum de vita agitur, nec in eum aliunde completa probatio præſto eſſe poteſt. Perſuaſum enim habere poteſt, Leges ab eo, qui interrogatur, veritatem poſtulantes humana demum præcepta eſſe, nec ejuſmodi, ut proinde proprii criminis confeſſione ſe quis reddat obnoxium morti, cujus horrorem longe maximum natura ipſa omnibus omnino hominibus inſpiravit. Poteſt præterea credere, ſe, cum adverſus fratrem, aut proximum conſanguineum deponere non teneatur, haud ſane magis teneri contra ſe ipſum deponere. Confeſſarius tamen, cui reus animi ſui præparationem declarat, de errore, in quo verſatur, deque æternæ damnationis periculo, in quod, in eo errore perſiſtens, ſe conjicit, eumdem monere debet, ac docere, quid ei facto ſit opus, denique jubere, ut impoſterum interrogatus veritatem exponat.

Ad tertiam. Ex reſponſione ad quæſtionem primam liquido conſtat, negandam eſſe abſolutionem reo, qui perſiſtere velit in diſpoſitione veritatis negandæ, ſi *ſecundum formam Juris*, ut loquitur D. Thomas loco laudato, a Judice interrogetur.

Deciſum in Sorbona hac die 12. Febr. an. 1694.

G. *Fromageau*, M. *Charton*, G. *Bourret*, Th. *Durieux*.

Cum hæc deciſio omnibus conſulentis difficultatibus haud cumulate ſatisfeciſſet, ſcripſit ille iterum, & has duas quæſtiones propoſuit.

Prima erat in eo poſita, quod reus, qui juridice interrogatus cenſetur, cum adeſt in ipſum ſemi-probatio, debet veritatem dicere; hinc porro fieret, ut, ſi nec ſemiprobatio, nec vehemens indicium adeſſet, ut perſæpe contingit, ſed levis tantum ſuſpicio, ipſe reſpondere non teneretur; ac ſi ad id forte compelleretur, quid demum dicere deberet?

Altera ejuſmodi erat, an quiſpiam contra conſanguineum, atque adeo contra quemvis teſtari debeat, cum inde grave aliquod ejus damnum certo futurum eſt, ut in expoſitione eſt declaratum, non autem quid facere debeat reus quoad conſanguineum, ejuſdem criminis complicem?

RESPONSIO.

Equidem per ea, quæ ſuper propoſita facti ſpecie dicta ſunt, ſatis eſſe factum puto, atque ex principiis, quibus ea deciſio nititur, novas quoque difficultates ſolvi poſſe; quoniam tamen etiam ſuper duabus hiſce novis quæſtionibus expoſcitur ſententia mea, proinde reſpondeo:

Ad primam; reum haud juridice interrogatum poſſe interrogationem eludere; ita tamen ut ſemper mendacium evitet; quod ſi adigatur ad reſpondendum utique vel minime, reſpondere poſſe, ſe nihil habere, quod dictis addat.

Ad ſecundam; quempiam contra conſanguineum, ſeu contra quemvis alium, in quos adeſt ſemi-probatio, interrogatum teſtari non debere, cum grave damnum imminet, ſi nihil adverſus ipſum exiſtat; quamvis enim de alterius facto juridice interrogetur, non tamen, quoad id, quod ad ipſum ſpectat; aliter quippe teſtaretur contra ſe ipſum, quod non ei faciendum in hac ſpecie, prout quidem proponitur. Si ergo ille non ita in negotii partem veniret, tunc quidem reſpondere teneretur.

Pariſiis hac die 25. Martii an. 1694.

G. *Fromageau*.

FINIS TOMI PRIMI.

(*a*) D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1.

(*b*) Leg. 5. lib. 4. tit. 20. cod. Leg. 4. Julia, lib. 22. tit. 5. de teſt.

MAG 820

Digitized by Google